Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Juan, de Jesús Maria, 1564-1615

Ven. Patris Fratris Johannis a Jesu Maria ... opera omnia

Bd.: 2. (1772). - XI, 771 S. : Ill.

Florentiae 1772

Regensburg, Staatliche Bibliothek -- 999/2Theol.syst.99(2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11059654-0



Joa M.

Opera omnia, Tom. II.

Theol. syst. 99 (2

Staatl. Bibliothek
Regensburg

EX BIBLIOTHECA
CONVENTUS RATISBONENSIS
CARMELITARUM
DISCALCEATORUM.
K. 12.

VENERABILIS PATRIS FRATRIS

JOHANNIS

A JESU MARIA

OPERUM

TOMUS SECUNDUS.

VEN. PATRIS FRATRIS
JOHANNIS
A JESU MARIA
CARMELITAE EXCALCEATI CALAGURITANI
OPERA OMNIA
POSTREMA HAC EDITIONE AUCTA, ET ILLUSTRATA
PER
P. FR. ILDEPHONSUM A S. ALOYSIO
EIUSDEM ORDINIS IN ETRURIA PRAESIDEM.
TOMUS SECUNDUS.

ZELO ZELATUS SUM PRO DOMINO DEO EXERCITUUM

FLORENTIAE MDCCLXXII.

TYPIS JOHANNIS BAPTISTAE STECCHJ, ET ANTONJ JOSEPHI PAGANI.
PRAESIDUM FACULTATE.

Staatl. Bibliothek
Regensburg

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

JOSEPHO MARIAE CASTELLIO
MEDIOLANENSI

SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE PRESBYTERO CARDINALI.

FR. ILDEPHONSUSA S. ALOYSIO CARMELITA EXCALCEATUS FELICITAT EM.

CUI praecipue hoc alterum Ven. P. Iohannis a Ieſu Maria Operum Volumen inſcriberem, non mihi diu cogitandum fuit, Princeps Eminentissime. Tua erga Carmelitarum Excalceatorum Familiam propenſa voluntas, quam proinde multis, ac maximis beneficiis cumulaſti, ac praeſertim ſingulare illud ſtudium, quod Praefectus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, religionis bono, conſtitutus enixe contuliſti ad eas erigendas, recreandas, augendaſque Sacras Miſſiones, quas inter barbaras Gentes, Turcas nimirum, Perſas, Malabares, ac Sinenſes, Noſtrates felici ſatis, ac laudabili conatu ſuſtinent; adeo me, cunctumque meum Ordinem Tibi obſtrictum reddere debent, ut nulla nobis praetereunda ſit occaſio, quae aliquod grati erga Te animi argumentum proferendi praebeat facultatem. Pro Tuis praeclaris erga nos meritis, ac pro illa ampliſſima Dignitate, quam egregiis ſane virtutibus promeritus es, de quibus aliquid, ne leviter quidem, attingere audeo ob ſingularem Tuam, invictamque modeſtiam, quae omnes penitus laudes averſatur, novi profecto quam tenue ſit, & exiguum, quod Tibi in praeſentia

exhi-

exhibeo. Verum me reficit mirifica illa Tua humanitas, quae ſane non patietur, ut munus, qualecumque ſit, dedigneris. Quin immo in ſpem maximam, atque etiam, ut confido, veram adducor fore, ut illud libenti animo excipias ob Scriptoris meritum, qui pietate conſpicuus tum ſua praeſtanti opera, tum etiam egregiis ſcriptis Fidei propagandae ſtudium, quod in Evangelicis Operariis, Tuis benefactis ſummopere foves, atque adiuvas, apud Noſtros non tantum praeclare inluſtravit, ſed etiam omni alacritate promovit. Iis igitur cauſſis patefactis, quibus hoc Volumen ampliſſimo Tuo Nomini inſcriptum edere conſtituerim, ne diutius Te morer, heic Tibi ſupplex ero, Eminentissime Princeps, ut curas meas in his Operibus typis mandandis aequi, bonique conſulas, ac me cum hoc munuſculo pro ea, qua praeſtas Animi magnitudine, benigne ſuſcipias, tuoque Patrocinio tuearis.

AD LECTOREM
PRAEFATIO.

Alterum iam edimus Ven. P. Iohannis a Ieſu Maria Operum Volumen, paullo quidem a praenunciato tempore dilatius, ſed mole libri multo cumulatius, quod emtorum commodo, & impendio conſulentes, proximo Tomo tertio aeque auctiori decreverimus ea omnia concludere. Quae multa heic piiſſimi Scriptoris continentur prior Opuſculorum Index ad calcem poſitus edicet. Nos vero ſolita methodo uſi ita quae prius edita erant digeſſimus, ut quodam materiae nexu alterum alteri ſuccederet, praemiſſa ſingulis noſtra Monitione, qua cum tempus, quo vel certo, vel probabilius ſcripta ſunt, demonſtramus, tum alia notatu digna praefamur: ἀνεκδότοις autem priorem Appendicem deputavimus, quae duplicem claudit Opellam, ſcilicet quaedam Animae fidelis *Soliloquia*, verbis Sacrae Scripturae conſerta, & brevem *de Septem Eccleſiae Sacramentis* Tractatum, utramque nunc primum ex MSS. auctographis in lucem editam; cui Appendicem alteram addimus, Opus ſic inſcriptum, *Thronus Iuſtitiae*, & pluries vulgatum continentem, de quo iudicium noſtrum in Praemonitione proferimus.

Nec eſt autem, quod quis miretur, nos adeo tuto, & indubie *Soliloquia* illa Venerabili Patri tribuiſſe, quamquam ſub nomine Ven. P. noſtri Alexandri a S. Franciſco iam ab anno 1670. Romae edita inter alia eius Opera legantur; patet enim evidentiſſimus error, quo eorum Conlector deceptus eſt. Nam in praevio Editoris Monito dicuntur ab eo ſcripta Soliloquia *anno* 1619. *Karanthoni, ubi Ven. P. Alexander Magiſtrum Novitiorum agebat*. Ven. autem noſter Iohannes iam quarto ante anno, videlicet, 1615. diem obierat ſupremum, ac proinde non potuit ea ab illo excipere, & manu ſua exſcribere. At illa nihilominus proprio Iohannis charactere exarata ex noſtro Archivo Genuenſi habuimus, ut ſuo loco praenunciamus, eoque ea nunc religioſe remittimus ſervanda: igitur a Iohanne Alexander, non ab Alexandro Iohannes, ſi tamen etiam illius Originalia alicubi reperiantur, haec *Soliloquia* hauſiſſe dicendus eſt. Adcedit caeterarum *Reſponſionum* a ſexta ad ultimam defectus; cuius cauſſam ex detritione ultimae pagellae in auctographo Iohannis ibi deteximus; ex quo facile intelligitur, quomodo in Ven. Alexandri, & aliorum, ſi quae exſtant, exemplaria, atque inde in impreſſum defectio illa tranſierit; ſecus vero ſi Alexandri foetus Opuſculum hocce dicatur, cuius Manuſcriptum vix credi poteſt eidem fato ſubieciſſe. Autumaverim potius, Ven. P. Alexandrum ob maximam, qua Iohannes vulgo ferebatur, ſanctitatis, & doctrinae opinionem, *Soliloquia* vel ſuo privato uſui è detruncato archetypo exſcripſiſſe, vel illum ipſum Venerabilem Senem fuiſſe, qui non modo eorum lectione delectaretur, ſed etiam pectori conligatum perenniter hoc ipſum archetypon deferret, quemadmodum in laudata Monitione narravimus. Quibus omnibus ſi ſtyli ſimilitudinem, & Sacrarum Scripturarum gravem, fluentemque inſitionem, qua totum Opus conſtruitur, iungamus, quae longe abſunt a ſimpliciori ſcribendi ratione Ven. Alexandri, nemo ſane cunctabitur, Opus illud uni Scriptori noſtro adiudicandum.

Multa ſunt in hoc Volumine, quae a Latina Iohannis eloquentia, & ab eius orthographia, & lepore multum abhorrent, quippe quae ab ipſo Italice ſcripta, ab aliis autem Latine verſa ſint, ut ſuis quoque locis monemus; de quibus aliquandiu ambiguimus, num aliam Latinam verſionem adornaremus. Verum tum ne, ut adſolet, ex repetitis translationibus ſententiae a vera Auctoris mente nimis elongarentur, tum ne nobis pluſquam par eſt adrogaremus, ea, ut in anteactis editionibus iacebant, reliquimus. Notae curſivo, ut aiunt, charactere, praeter morem in hoc Tomo expreſſae, exſtabant etiam in Colonienſi editione; reliquae una cum Auctorum adlegationibus a nobis additae ſunt. Quibus omnibus heic aliud P. Theophili Raynaudi elogium in Ven. Scriptorem ſubiicimus, quod nos quum priorem Tomum pararemus, fugit; cui ſubſequitur noſtri Clariſſimi Florentini Theologi de praeſenti Volumine Cenſura, ex peculiari Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini, Domini Archiepiſcopi Franciſci Caietani Incontrii mandato. Quorum poſtquam te ſatis monitum fecerim, benevole Lector, reliquum eſt, ut ſtudiis noſtris favere pergas, & noſtris quidem votis aeternum valeas.

* Elogium ex P. Theophili Raynaudi Societatis Ieſu Theologi Libello inſcripto, Scapulare Partheno-Carmeliticum, Par. I. Cap. 3. §. 5. in augmentum aliorum, quae prioris Tomi initio dedimus.

„ SEcundum Matrem (*D. Tereſiam*,) plerique haud degeneres Filii coeleſtem, qua imbuti erant, ſapientiam, ſcriptis multiplicibus commiſerunt. Quantam enim vim ingenii, & doctrinae, ſive Divinas Scripturas explanet, ſive Aſcetica tractet, exhibuit Homo Dei IOHANNES A IESU MARIA?

* Theologi Florentini in hunc Tomum Cenſura.

IUbente Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Franciſco Caietano Incontri Archiepiſcopo Florentino Tomum Secundum Operum Ven. P. Fr. Ioannis a Ieſu Maria Carmelitae Excalceati Calaguritani nuper editum Florentiae attenta mente perlegi, atque manifeſte cognovi omnia, quae ibi ſapientiſſime pertractantur talia eſſe, ut ad Chriſtianam Moralem perfecte addiſcendam omnibus ampliſſimam ſternant viam, ad animas inflammandas ad veram caritatem erga Deum aptiſſima videantur, ac tandem ad apicem perfectionis, Deo adiuvante, hominem tutiſſime perducant.

Florentiae die 4. Menſis Septembris MDCCLXXII.

D. Ioannes Aurelius Zazzeri Monachus Congregationis Vallis Umbroſae S. T. D. & Florentiae in Monaſterio SS. Trinitatis Sacrorum Canonum, & Theologiae Moralis Lector, & in Curia Archiepiſcopali Florentina, & Epiſcopali Feſulana Examinator Synodalis.

VIA VITÆ

EX S. SCRIPTURÆ VERBIS

IN SEPTEM PARTES DISTINCTA.

IN SEQUENS OPUS
PRAEMONITIO.

HOC aureum Opus, cunctiſque Chriſtifidelibus maxime perutile, unum ex iis eſt, quae diu obſcurum, blattiſque expoſitum iacuerat, quouſque anno 1650. ſtudio, & cura diligentiſſima noſtri P. Paulli ab Omnibus Sanctis, cuius doctrinae laudes exſtant apud noſtrum Martialem a S. Io. Baptiſta, in ſua Bibliotheca, *quique nervis omnibus* ἀνεκδότοις *Ven. P. Scriptoris conquirendis, conligendiſque operam ſuam impendit, paruit tandem primo in altera eius anni Colonienſi omnium Operum editione, adiectumque cum caeteris nondum vulgatis Opuſculis quarto Tomo, in quo primum locum obtinebat. Vbi* ἀρχέτυπον *illud lateret, & quo diſtinctim tempore ab Vener. Viro ſcriptum prorſus neſcirem, neque id aliquo certo monumento dignoſci poſſe exiſtimaverim; & quum editum non ſit eo vivente, nec ex Ordinis Facultate, nec ex Regeſtu Generali, nec demum ex aliis eiuſmodi indiciis inferri licet. Non ab vero tamen longe admodum coniicerem, ſcriptum a Ven. Patre circa annum, aut ipſo anno 1594. dum Genuae, emenſo iam Studiorum Scholaſticorum curriculo, Tyronibus ad Ordinem inſtituendis praeficiebatur. Nam & eo tempore Iohannem noſtrum perſpicio cum aliis curis, tum ſtudiis aliis maioribus vacuum liberumque, & munus ipſum Magiſtri videri poteſt, ipſum in illud Operis argumentum duxiſſe, ut primo Tyrones ſuos ſanctiſſimis Chriſti praeceptionibus in aeternam Vitam dirigeret, tum deinde in ſecuriorem huius peregrinationis viam etiam adoleſcentes ſuaviter adliceret. Nam ſi de huius Operis merito praefari aliqua debuiſſem, illud bona aequitate, non fuco, aut ſermonis adulatione mihi dicere fas eſſe autumaſſem, quod ſtatim ut primas paginas legi, incogitanti prorſus, & ſponte veluti ſua in os venit, quodque de ſe ipſe Servator noſter, qui huc perpetuo Animam adloquens inducitur, protulit*, Io. 7. 37. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat; *cui illud alterum reſponderet*, Iſai. 12. 3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. *Scilicet inde quivis ſive e Saeculo, ſive de Clero, ſive demum Monaſtici Inſtituti vir ſupernam, eximiamque ſuae ſalutis doctrinam excipiet; inde infimae plebis, inde ſummae conditionis ac poteſtatis homines quidquid non modo praecepti, ſed etiam perfectionis eſt Evangelicae copioſiſſime, aeque ac ſuaviſſime ebibet. Vno verbo vere Via eſt, quae ad Coelum ducit, & apta, concinnaque methodus, qua Animarum Rectores brevi ſtudio, ac omni ſalebroſo diverticulo expulſo, eas e ſtatu peccati ad virtutem initiare, provehere, confirmare, ac perficere poſſunt, triplici illo, ac vulgatiſſimo Aſceticorum gradu, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum. Verum ut ad nos redeamus, pauca in hoc Opus praeſtitimus, quod omnia per ſe facile fluant; nam & notulas ad marginem rariores quam alibi adpoſuimus, quum ipſi Capitum ſingulorum tituli ſatis quid in corpore contineatur indicent & a citationibus S. Scripturae abſtinuimus, quum univerſum ex his conſertum pene ſit.*

VENERABILIS
P. FR. JOHANNIS
A JESU-MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI
VIA VITÆ
EX S. SCRIPTURÆ VERBIS
MIRO ARTIFICIO AC PIETATE COMPOSITA,

IN QUA SUCCINCTA ET EFFICAX AD VERAM VITAM PERVENIENDI RATIO TRADITUR,

OMNIBUS AD ÆTERNAM VITAM ASPIRANTIBUS PERNECESSARIA.

PARS PRIMA.
DE IIS, QUÆ SUNT EXTRA VIAM VITÆ.

CAPUT PRIMUM.

Jeſus Chriſtus hortatur homines ad viam vitæ.

Scrip. An. forte 1594

A

EGO Jeſus Chriſtus, altiſſimi Dei filius, factus homo, vir dolorum, & ſciens infirmitatem, palam locutus ſum mundo: & incipiens prius facere, quam docere oſtendi vobis, Adæ filii, viam æternæ vitæ, per quam incederetis, antequam nox accederet, in qua nemo poteſt operari. Christus via dictus. Ego ſum via, per quam pauci illi, qui ſpretis mundi conſiliis, gradiuntur, æternum gloriæ pondus invenient: quod abſconditum eſt ab oculis omnium viventium, & volucres quoque cæli latet. Ecce prædixi vobis viam, ne in hora noviſſima dormiretis, & in extremi judicii die cum iis, qui erraverunt in invio, & non in via, audiretis: Diſcedite a me. Ego venio cito reddere unicuique ſecundum opera ejus: & nolens aliquos perire, moneo vos, feſtinetis iter facere, & ingredi in illam requiem, quam pretio ſanguinis mei emi, & reliqui dulciſſimo teſtamento meo, quod diſpoſui electis meis. Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam: ſtricta eſt ſemita juſtitiæ, quæ ducit ad terram ſpatioſam lacte, Via vitæ arcta. & melle manantem: quam juravi fortiſſimis militibus, & amicis meis, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ. B Ego quos amo, in virga filiorum exerceo, atque caſtigo, & per ſublimem viam imitationis meæ tendere jubeo: ne latam declivemque viam, ex apparenti ſpecie judicantes, oblivioni tradant ignita verba labiorum meorum, quæ animos æternæ ſalutis cupidos movent ad cuſtodiendas vias duras. Ne capiamini figura mundi, quæ fugit, velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Mundi figura præterit. Cavete ne amœnitas hortorum, & prata, quæ hodie vireſcunt, ſeducant vos, Scrip. An. forte 1594 & propinquante jam hora extrema in terra deſerta, & invia reperiamini: omnia quippe prata ſiccabuntur, & omnis flos mundi marceſcet: quia filii hujus ſæculi, qui ſolatia mundi quærentes non cognoverunt vias meas, peccatorum funibus aſtricti, quaſi faſces ſarmentorum inutilium, quæ in vite non manſerunt, in ignem A conicientur. Sequimini ergo me, chariſſimi filii, & viam mandatorum meorum, ſub vexillo crucis meæ, toto corde conficite: & poſt auſteram diſciplinam lætabimini fructu pacis, qua ſuaviſſimus ſpiritus meus corda humilia conſolatur: mutabunturque, fideli promiſſo meo, prava in directa, & auſtera in vias planas.

CAPUT II.

Oſtendit paucos fieri ſalvos.

IN die magno feſtivitatis ſteti, & clamavi in Jeruſalem civitate mea: Si quis ſitit, veniat ad me. Et tamen cum vox hæc fuerit in virtute, quæ poſſet cedros Libani B confringere, & deſerta mundi concutere; pauci valde ſunt, qui fonte aquæ ſalientis in vitam æternam, ſitim extinguere deſiderent. Pater meus clementiſſimus de cælo reſpexit ſuper filios hominum: ut videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum: & tamen, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Mirabilis eſt multitudo eorum, qui ædificant Babylonem, ſi forte culmen illius pertingat ad cælum. Mirabilis quoque eſt paucitas illorum, qui ut lapides vivi Hominum vitia. coædificantur, ut civitas. Alios tenet ambitio, alios avaritia, alios occupat luxuria, alios arrogantia, & velociores lupis veſpertinis ad prædam bonorum mundi feruntur. Seminavi Ego ſemen verbi mei, cum clamore valido, & lachrymis copioſe C fluentibus in terram, quæ verſa eſt in pulverem ſalis a malitia inhabitantium in ea: & tamen a quatuor partibus, una tantummodo attulit fructum in patientia. Omnes quærunt, quæ ſua ſunt, & capti amore præſentis vitæ, oderunt diſciplinam meam: niſi forte pauperculus aliquis, contemptus apud cogitationes divitum, qui privatus ſolatiis filiorum Adæ, ſuſpirat in ſolatia mea. Circuite vos, filii, vicos & plateas, & reſpicite, an inveniatis virum facientem juſtitiam: & dolebitis ſuper malo civitatis meæ. Hic videbitis corda ſeducta, vanitati mundi cum ſollicitudine ſervientia: illic videbitis pedes veloces ad effundendum ſanguinem: alibi horrebitis, quia blaſphematur D nomen meum tota die: & inter innumerabiles homines, vix paucos invenietis, qui vera ſigna Chriſtianæ pietatis, & deſiderii cæleſtis oſtendant. Væ mundo peccatis onerato, & ſui Creatoris, ſuæque ſalutis oblito! Quid ſibi vult ſterilitas hæc? Terra cultori tuo ingrata, quomodo arefacta es, cum Ego, ruptis fontibus abyſſi magnæ, ſanguine meo te rigaverim; & licet clavis manus meas confixeris, te perſeveranter coluerim? Audite me, qui ſalutis æternæ deſiderio tenemini, & inter paucos illos ſapientes, qui per juſtitiæ viam ſerio tendunt, ad ſedes permanſuras properate.

CAPUT III.

Oſtendit extra viam vitæ eſſe amorem proprium. E

Peccati originis effectus EX quo peccavit Adam pater veſter, chariſſimi filii, vos in peccatis concepti, & a me averſi, infinito amoris proprii pondere ad vos ipſos converſi eſtis, & nihil niſi vos ipſos quærere & diligere curatis. Obliti eſtis mei, quaſi Ego non eſſem ſalus veſtra: & noctes atque dies, in veſtri amoris cura conſumitis. Huc tendunt conſilia veſtra: & quidquid ab hoc amore diverſum eſt, quaſi mortem ipſam fugitis, atque timetis. Dolendum eſt, filii mei, quam cæci ſitis in exercendo amore veſtro, cum prædicaverim Ego, non eſſe me dignum, qui non odit animam ſuam. Nunquid non F aperte revelatus ſum generationi huic, & dixi: Semper hi errant corde? Quomodo ergo in errore cordis perſeverant Adæ filii, quaſi Ego non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem? Nonne ſcriptum eſt: Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam? Quomodo ergo vos iniquitatem ſectantes putatis verum amorem in vos ipſos exercere, quandoquidem facti eſtis crudeles in animas veſtras, & ad cruciatum æternum feſtinatis? Reformate jam, filii, corda veſtra, & circumciſo illorum præputio, nolite ſolliciti eſſe, & vagari per timidas cogitationes, & incertas providentias veſtras, quæ dorſum ſemper incurvant. Dicite mihi Hominum ſtultitia. ſtulti amatores, etſi per annos multos amori veſtro ſtudeatis, num propterea vita erit G longior, cum conſtituerim Ego terminos, qui præteriri non poſſunt? Etſi omnia mundi negotia geratis, num idcirco ditiores, & honoratiores eritis, cum manus mea pauperem faciat, & ditet, humiliet & ſublevet, neque boni quicquam vobis accidere poſſit, ſine prævio, & æterno conſilio meo? Cum ergo certum ſit, ſine me vos nihil poſſe facere: quorſum vos ipſos, velut idola colitis, & ad amorem veſtrum omnia mundi bona convertere curatis? Polluta eſt via hæc, per quam velociter curritis. Non eſt hæc via vitæ, quæ ducit ad æternam requiem, & infinitam conſolationem meam: ſurgite ergo de ſomno mortis, & conſiderate noviſſima veſtra: rectamque Juſtorum H viam, odio ſancto rerum, quas huc uſque dilexiſtis, antequam veniat dies magnus, & horribilis, caſto corde requirite. Jactate in me cogitatum veſtrum, & mihi credite, atque confidite. Ego enim vici mundum, & per medios reges Amorrhæos, perducam vos ſalvos in fertiliſſimam terram meam.

Scrip. An. forte 1594

CAPUT IV.

Oſtendit extra viam vitæ eſſe nimium amorem famæ.

OMnes ædificatores Babel quærunt celebrare nomen ſuum, & vocare nomina ſua in terris ſuis, quaſi per hoc oſtendentes, A illa in cælo ſcripta non eſſe. Hoc quærunt principes terræ ſtylo ferreo nomina ſua in marmore, vel ſilice ſcribentes. Hoc quærunt litterati in Academiis cum jactantia vociferantes. Hoc quærunt milites inter pericula mortis famam ſanguine mercantes. Hoc quærunt Eccleſiaſtici multi, non ſimplici oculo mihi ſervientes. Hoc quoque quærunt Religioſi non pauci verbum meum prædicantes, & adulterantes. Præcipitata videntur omnia ſpecioſa Iacob: & in viam Gentium, relicta via vitæ, innumerabiles Chriſtiani famæ adoratores ſe abiiſſe demonſtrant. Quid eſt hoc? quomodo per viam vitæ incedere poſſunt, qui gloriam mundi diligentiſſime quærunt? Conſiderate, filii chariſſimi, vanitatem hanc, quæ nobiliorem terræ partem occupavit, & obtexit caligine filiam Sion B carbonibus deſolatoriis denigratam. Paſcit ventum ſicut Ephraim: & nihil recipiet de opere ſuo, quo laborat ſub ſole, dum præſentem hominum æſtimationem ſollicitè requirit. Cogitate dies antiquos, & reſpicite ampla regna filiorum hominum, qui ut ſoli nominarentur in terris nomen meum delere quæſierunt. Ubi ſunt reges Medorum, atque Perſarum, qui ab India, uſque ad Æthiopiam regnaverunt? ubi ſunt famoſi duces Græcorum, & Romanorum, qui uſque ad ultimos fines terræ nomina ſua celebrare curaverunt? Nonne per dies paucos gloria eorum modicum apparere viſa eſt; & poſtea ad inferos deſcenderunt? Et Philoſophi ſapientiæ venditores ubi ſunt? O ſtulti Adæ C filii, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ Dei ſapientia locuta eſt! Ego Deus abſconditus, dum factus homo oſtenderem hominibus viam rectam, declinavi gloriam hominum, improperiaque bibentium vinum ceciderunt ſuper me: Et tamen, non modo filii alieni, ſed etiam qui videntur neceſſarii mei, laudes humanas, pietatis colore ſectantes longe recedunt a via vitæ. Purificate jam, filii chariſſimi, corda veſtra, & a via Aſſyriorum in viam dulciſſimæ Jeruſalem feſtinanter revertimini. Fugite mundi vanitatem, & afflictionem ſpiritus ejus filiam; & ad libertatem contemptorum mundi, qui quærunt conſortium improperii mei, fortiſſime ſuſpirate. Hæc eſt pretioſa valde & ſecreta eruditio mea: qua, in ſecreto cordis cubiculo, inſtruere ſoleo fideliſſimos amicos meos.

Hominum vanitas.

D

CAPUT V.

Oſtendit extra viam vitæ eſſe nimium amorem carnalis pulchritudinis.

FIlii hominum illud ſolum æſtimantes, quod carnalibus oculis placet, corporalem gratiam nimis ardenter amant. Species decepit eos, & tenet fortiter alligatos funibus concupiſcentiæ, quæ ſtulta corda ſeducit. Sonat vox clamantis: omnis caro fœnum: & tamen ſine conſilio meo, fœnum hoc regalibus epulis meis anteponitur. Fallax eſt omnis gratia carnis, quæ hodie eſt, & cras evaneſcet: exiccatur quippe fœnum, & cadit flos, quia Spiritus Domini inſufflavit in eo. E Nimis gravatur cor inſipiens amatorum mundi, qui ſuper theſauros, & omnia deſiderabilia carnis decorem quærunt. Væ illis, quam graviter errant extra viam vitæ, quam ego prædicavi, & oſtendi eis. Attendite vos filii quæ dico, & in ſinu cordis abſcondite caſta eloquia mea. Ne diligatis inimicorum meorum commercia, neque reſpiciatis mulieres Moabitides, & Sidonias, quæ ſubvertent corda veſtra: recordamini exempla tremenda fortium, qui debilitati ſunt, ſapientum, qui ſtulti facti ſunt, Sanctorum, qui depravati ſunt amore corporum, qui animas incautas inebriat. Columnæ, & ſtellæ cæli ceciderunt, & fundamenta firma de loco ſuo mota ſunt ardentiſſimo amore carnis, quæ nunc in pulverem F mortis reſoluta jacet. Mortificate membra veſtra, & ſtigmata mea veſtris viſceribus imprimite, tenentes gladios ſuper femur ad concupiſcentiam reſecandam. Avertite oculos veſtros, ne videant vaniſſimam corporum vanitatem, qua filiæ huius ſæculi formæ oſtentatrices amari, & adorari deſiderant. Sinite fatuos carnis amatores ſua obſcœnitate fœdari, donec in ſuis ſordibus computreſcant, & animas fœtidas in locum pœnarum præmittant. Porro via vitæ hujuſmodi ſordes non tolerat: ſed pura corda ſordidis amoribus inimica, & ad puros amores meos ſuſpirantia requirit: ut longis itineribus, ad regionem Vivorum, ubi caſtiſſimæ delectationes dexteræ meæ guſtantur, celerrime currant. Hæc cogitate filii, & ſpurcitias carnis impolluto calle pertranſite. G Et implebo Ego deſideria veſtra, quibus per ſalutis æternæ viam, in atria mea ſuſpiratis.

Carnis mortificatio praecepta.

CAPUT VI.

Oſtendit extra viam vitæ eſſe nimium amorem divitiarum.

VÆ divitibus, qui habent conſolationem ſuam in hoc mundo, qui argentum theſaurizant, neque eſt finis acquiſitionis eorum! Amor hic ſcriptus in terra longe recedit a via vitæ, per quam qui gradiuntur, ſpem ſuam, & theſauros ſuos in cælo recondunt. Non tendunt per Juſtitiæ ſemitam, qui horrea ſua implent, & byſſo, ac purpura indui, cum futuræ vitæ oblivione, deſiderant. Non delectatur ſpe divitiarum mearum, H qui ſubſtantiam ſuam nimis augere & ſuper illa lætari conſuevit. Non docui Ego prudentiam iſtam, quæ terrenis opibus cor apponit; & quantum divitias multiplicat, tantum à me recedit. Certè fideles ſervi mei, vel nullas opes quæſierunt, vel oblatas, aut

Scrip. An. forte 1594

A

Abraham, & David.

Divitiae ſpernendae.

B

hæreditate acceptas pauperibus diſtribuere conſueverunt: ne forte me nudum, & currentem, veſtiti, & onerati ſequi non poſſent. Vita mortalis modicis rebus contenta eſt; & res contemptibiles, qualia ſunt mundi bona, ſollicitudinem multam requirunt. Atque idcirco Sancti mei, ut Abraham, & David, aliique multi quamvis divitiis abundarent, omnem ſollicitudinem ſuam in me projecerunt, inclinaveruntque cor ſuum in teſtimonia mea, & non in avaritiam. Et propterea nullus divitiarum amor removit illos à via vitæ, per quam velociter cucurrerunt. Sed exempla hæc rara ſunt, cum experientia doceat, ſubſtantiam mundi, aut vix, aut nunquam ſine amore nimio poſſideri. Quapropter ſi verè beati eſſe cupitis, chariſſimi filii, neglectis terrenis opibus, quæ gravant corda hominum, decorem domus meæ, ejuſque divitias deſideriis perennibus amate. Spernite aurum, in quo confidunt peccatores, & bona Domini, in quo juſti ſperant, in terra viventium videre, & poſſidere ſatagite. Hæc ſit negotiatio veſtra, dum venio Ego poſiturus rationem cum ſervis meis, & de datis talentis lucrum recepturus. Imitamini me pauperem à juventute mea, neque habentem ubi caput reclinarem: & ab omnibus mundi ſollicitudinibus expediti currite ad præparatas vobis ampliſſimas opes meas.

CAPUT VII.

Oſtendit extra viam vitæ eſſe domos nimis amplas.

C

Homo advena ſuper terram.

D

E

Ex utero matris ſuæ erraverunt exules filii Evæ, & exilium in patriam convertere curant: Breves dies hominis ſunt ad diſcendam ſapientiam; & tamen, quaſi nihil ſtudii in hoc opere vitæ ponendum eſſet, annos multos in amplis palatiis ædificandis fabricatores ſtulti conſumunt. Non pertinent ad viam vitæ ædificia hæc dealbata, & inaurata, quæ vitæ mortalis amor invenit. Profecto ſervi mei, qui nunc exultant in gloria, & lætantur in cubilibus ſuis, habitaverunt in tentoriis, aut in ſpeluncis, & cavernis terræ: & qui ex obligatione ſtatus ſui domos fabricarunt, non poſuerunt in tectis pretioſis, in marmoribus, & lignis cedri cor ſuum. Crediderunt enim ſe peregrinos eſſe ſuper terram: atque ideo magnifica palatia oderunt, ne forte cor ſeduceretur ſpecie amplæ habitationis, & civitatem futuram non inquireret: facile quippe cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret. Et Ego certe, dilectiſſimi filii, prædicaturus viam vitæ, non habui in terra domos, cum vulpes haberent foveas, & volucres cæli nidos: fui quaſi colonus in terra, & quaſi viator declinans ad manendum: & quod mirabile eſt, in propria veni, & mei quaſi alienus eſſem, me non receperunt. Arca Dei, humanitas ſcilicet mea, ſæpe non habuit papiliones, quibus tegeretur, & jacuit ſuper faciem terræ. Quocirca parum ſano conſilio moventur habitatores terræ, qui domos æternas ſibi ædificare feſtinant. Deberent conſiderare miſeriam inopum, & gemitum pauperum, neque domos, neque veſtes habentium, & contra fabricas ſumptuoſas ad me clamantium: quia dum ipſi ſiti, ac fame in mediis plateis moriuntur, optimates ſæculi, exquiſitis Orientis lapidibus, ſuos parietes ornant. Vos ergo, filii, qui videtis gentilicam vanitatem hanc, ne probetis conſilia Nabuchodonoſor in ſua ſuperbia dicentis: Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in gloria decoris mei? Probate potius conſilium meum: & nolentes habitare in tabernaculis peccatorum, quaſi per hoſpitia alienæ regionis ad patriam veſtram properate.

CAPUT VIII.

Oſtendit extra viam vitæ eſſe veſtes nimis pretioſas.

Vanitas veſtimentorum.

F

G

Juſtorum modeſtia in veſtibus.

H

Vani ſunt ſenſus hominum à me declinantium, & mundi leges avide ſequentium; quod per vanitatem veſtium ſatis inter alia patet. Cum enim ipſi ignorantes, infirmi, & ignobiles ſint, pretioſis veſtibus tecti, ſapientes, fortes, & nobiles quærunt apparere. Et qui ſub indumento vili libenter ſe domi abſconderent, ne ab aliis cum rubore viderentur, ſtatim ac pretioſe veſtiuntur, ſuæ conditionis obliti, foras exire, & videri deſiderant. Quænam vanitas eſt hæc? Homines Chriſtiani, quomodo veſtes plus quam virtutes æſtimant, & intra ſeipſos de veſtium ſplendore ſuperbiunt? Nunquid Chriſtianorum nomine digni ſunt, qui quaſi capti mente ſeipſos propriis veſtibus ſeducunt, & grandi pompa præmittunt filios, & filias ſuas compoſitas, & ornatas, ut ſimilitudo templi? Certè vanitas, & mollities hæc longe eſt a via vitæ, quæ cum arcta & ardua ſit, non capit homines inflatos, & molliter veſtitos. Per viam vitæ properarunt viri pauperes induti melotis, & pellibus caprinis, quibus dignus non erat mundus. Et hanc regulam ſecuti ſunt omnes mundi contemptores, illi præcipuè, qui monaſticum inſtitutum elegerunt. Sed & ſæculares juſti, qui ſpecie mundi ſeduci timent, licet divites ſint, modeſtè valde veſtiuntur, & de ſe humiliter ſentire curant. Vos ergo filii, quibus placet manſuetorum diſciplina, veſtes molles, & pretioſas oderitis: & quaſi viatores incogniti, meliorem ſubſtantiam in cœlis repoſitam habentes imitamini me, & Apoſtolos, ac fideles alios amicos meos inopes, & laceros, contemptum mundi, quantum ſtatus veſtri ratio feret, ſine nota quærentes, glorientur alii vanitate extrinſecus appoſita, filiæ tamen regis gloria ſit ab intus: & puſillus grex meus omnem hominum admirationem declinet, ſequaturque ductorem ſuum tunica inconſutili, pauperum more, veſtitum, & denique in ligno Crucis ſua veſte nudatum: ut è pulpito illo viam æternæ vitæ ſupremo exemplo prædicaret. Spernite, dulciſſimi filii, indu-

Scrip. An. forte 1594

menta pretioſa, & mollia; & Ego induam vos purpura regia in ampliſſimo regno meo.

CAPUT IX.

Oſtendit exra viam vitæ eſſe nimium famulorum comitatum.

A

Principum, ac divitum faſtus.

NON eſt ſalus in Principibus, qui obliti humanæ conditionis, magno comitatu circumdati, e ſuis palatiis exeuntes, dii volunt apparere. Sunt ipſi non raro peccatores, & derelictione digni, & vulneratam conſcientiam ſplendore mundi tegentes, procedunt cum jactantia, multisque famulis in publicum, neque dignantur aſpicere pauperculos meliores ſe. Hi ſpem ſuam ponentes in curribus & equis, utpote recedentes à via vitæ, dilatare cupiunt terminos ditionis ſuæ, & agros ſuper agros, domos ſuper domos multiplicare: ut coram hominibus glorientur, & non videantur eſſe, ſicut cæteri hominum. Non docui ego doctrinam hanc, ſed ille, qui dixit: Eritis ſicut dii. Ego non veni oſtentare potentiam, & gloriam meam, licet B poſſem rogare Patrem meum, qui daret mihi plus quam duodecim legiones Angelorum in comitatum & famulatum meum. Veni ego ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus: & Maieſtate abſcondita, vir pauper apparere curavi, ut filii Adæ imitarentur me, & ad viam vitæ redirent. Quando vero opus fuit, Diſcipulos ad ſcholam ſalutis vocare, & eos in itinere comites habere, non quæſivi apparatum curruum, & equorum: ſed mitis ac humilis, cum manſuetis, & humilibus verſatus ſum. Quocirca mirabile eſt, quomodo multi, qui videntur ſibi incedere per viam vitæ, nimio faſtu recedant ab C imitatione mea. Deberent conſiderare noviſſima ſua, & peccata ſua eleemoſynis pauperum redimere, quas de ſuperfluis expenſis oſtentationis ſuæ poſſent abundanter erogare. Væ illis, quia diligunt vanitatem & quærunt mendacium, quandoquidem cum infelices, & parvi ſint, beati, ac magni quærunt apparere. Vos autem, filii chariſſimi, qui me cum puſillo grege ſequi deſideratis, amate conſortia parvulorum, & omnem arrogantiam, atque jactantiam abominamini. Sitis ſynceri, & mites, ut decet Dei filios: & cupientes non apparere, ad ſuperventuram gloriam, ſub vexillo manſuetiſſimi Regis veſtri per ignominias, & irriſiones aſpirate.

Peccata eleemoſynis redimenda.

CAPUT X.

D *Oſtendit extra viam vitæ eſſe nimiam menſæ lautitiam.*

MUndi optimates magnam gloriæ ſuæ partem in menſis ponunt. Induuntur pretioſè, & epulantur quotidie ſplendidè: & hanc vocaverunt partem ſuam, qua ſtulta eorum corda crapulæ, & ebrietati dedita gravantur. Obturaverunt aures ſuas, ne audirent honeſtatem temperantiæ meæ: & excæcaverunt oculos ſuos, ne viderent formoſam valde lucem meam. Similes ſunt infelicis Agag, Regis Amalech, viri pinguiſſimi, quem interfecit Samuel ſervus meus. Fiunt illi pingues, ſicut tauri, qui ſervantur ad victimam, quos in die ultionis viſitabo. Incraſſantur, & dilatantur ciborum abundantia, & beſtiali delectatione: qua E obdurantur corda eorum, ne ſentiant ſtimulum conſcientiæ, aut ſi ſentiant, audeant contra ſtimulum calcitrare. Hæc eſt ſors illorum, quorum Deus venter eſt; qui ſola terrena ſapiunt, & guſtum ſapientiæ meæ omni melle dulciorem non cognoverunt. Sed abſit à ſervis meis carnalis doctrina hæc, quam Gentiles inquirunt, & quæſierunt illi, quibus olim juravi in ira mea, ne introirent in requiem meam. Melior eſt panis Danielis, quam lautitia menſæ regis Babylonis. Non capit ſtricta via, quæ ducit ad vitam, corpora tam craſſa, & ponderoſa, igni æterno deputata. Vos ergo, chariſſimi ſervi mei, qui ſine pondere tam gravi, per viam meam currere decreviſtis, cavete convivia peccatorum, quæ homines inſenſatos efficiunt; & ſuper cuſtodia cordis attentiſſimè vigilate. F Legite Sanctorum meorum hiſtorias, & miramini, & imitamini. Cogitate triſtem finem voracitatis, & lætiſſimum temperantiæ finem præmeditamini. Melius eſt modicum ſitire, & eſurire, & poſtmodum aqua puriſſima fontis vitæ ſatiari, ac de fructu ligni vitæ ſine fine comedere: quam pro brevi ciborum prohibitorum ſaturitate, ſitim & famem æternam pati. Ego diſpoſui vobis famelicis meis regnum, ut poſt labores, edatis, & bibatis ſuper menſam meam. Diſcite nunc ſitire, & eſurire, ac deſiderare caſtiſſima delectamenta & convivia civitatis G meæ.

Temperantia commendata.

CAPUT XI.

Oſtendit extra viam vitæ eſſe nimiam lecti commoditatem.

PRincipes & divites habitatores terræ in omnibus requiem quærentes, præter alia multa carnis fomenta, lectos deauratos, pretioſis telis coopertos, & infinita commoditate ſibi præparatos amant; ut ibi requieſcant corpora illa, quibus ego æternam requiem non præparavi. Inimica crucis meæ eſt doctrina hæc, quam oderunt veri ſervi, & imitatores mei, vel in terra, vel in corticibus arborum, vel in aliis duris lectis modicum ſomnum furtivè capientes. Noverunt enim animas nimia illa mollitie, & H commoditate gravari, & corpora turpibus motibus fœdari, & ſpiritus diſciplinam odio habere. Et tamen, cum plurima hujus veritatis exempla ſint, viri Chriſtiani, Sæculares, & Eccleſiaſtici non magis ad correctionem moventur, quam ſi nulla exempla fuiſſent. Ego certè non habui lectos molles, & in ſuprema mortis anguſtia, ſtrictus nimis, & durus lectus in Calvariæ monte mihi præparatus fuit, Scrip. An. forte 1594 ab iis, qui quærebant animam meam. Quare ergo, qui videntur eſſe neceſſarii mei, tam ſollicitè, quærunt, quæ à diſciplina mea Principum, & divitum vanitas. longe eſſe noverunt? Culcitræ ſericæ, & cortinæ pretioſæ ſine numero multiplicantur, & cum pompa vanos ſumptus oſtentant: & multi fideles amici mei non habent in frigore hyemis, quo ſeipſos laſſos, & afflictos tegant. Quid eſt hoc? uſquequo patiar molles A Chriſtianos iſtos, qui nolunt attendere verba æternæ vitæ meæ? Certè nihil diligentiæ prætermittunt ad curandam & fovendam carnem ſuam, neque patienter audire poſſunt prædicatores mortificationis, quam in corporibus ſuis exercuerunt Apoſtoli, & Confeſſores mei: lautè comedunt, molliter veſtiuntur, & dormiunt, & ſic in imagine pertranſeunt. Ducunt in bonis dies ſuos: & in momento ad inferna deſcendunt. Certè in molli lecto jacere conſueverat dives ille, qui mortuus eſt, & à commoditate immoderata, ad locum tormentorum tranſiens, ſepultus eſt in *inferno*. Quapropter filii mei, qui deſideratis fugere ab ira ventura fugite commoditates has, & per duritiam lecti, & auſteritatem caſtæ diſciplinæ meæ B currite ad requiem ſempiternam præparatam vobis à clementiſſimo Patre meo.

CAPUT XII.

Oſtendit extra viam vitæ eſſe prætenſionem dignitatum.

MUndus feſtinat ad occaſum, & homines mundi ſectatores errare feſtinant. Quærunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & Prophetas ad libitum divinantes, & docentes doctrinas, & mandata hominum, quæ non docui Ego. Ego non clarificavi meipſum, ſed rogavi Patrem meum, qui reſpondit: & clarificavi, & iterum clarificabo. Et tamen jam inter Eccleſiaſticos ſine ſcrupulo uſitatum eſt, dignitates & prælationes ſibi C quærere, & ſeipſos, quantum poſſunt, clarificare. Jam non viget mos ille antiquus, quando opus erat quærere latentes in ſpeluncis, & diligenter inquirere qui eſſent, & quid valerent: ipſi enim prætenſores non vocati offerunt ſe, & cum ſibi ipſis præeſſe neſciant, aliis præſidere curant. Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt auri color optimus, & quærunt eſſe lapides ſanctuarii, qui diſcurrunt per capita omnium platearum! ubi eſt timor judicii mei, quod iſti Epiſcopatuum prætenſores timere deberent? ſi multi innocentes, & vocati, poſtea Praelatio fugienda. prælatione depravantur; quomodo peccatores ad prælationem per ambitionem aſcendentes ſalvi fient? Utinam D homines hi ſaperent, & intelligerent, & noviſſima providerent! Capite filii doctrinam hanc, & parum tutas opiniones ſapientum mundi declinate, ſi à via æternæ vitæ declinare timetis. Via enim vitæ non altum ſapit, ſed timet pericula, & tutiora ſequitur, ne fortè in æternæ ſalutis cauſa ſeducatur. Si dignitatum amor placet, cæleſtes dignitates pro laboribus reddendas diligentiſſimè quærite: ibi enim principes mundi in extremo judicio mirabuntur pauperculos in ſimilitudinem improperii ab eis habitos, à me remuneratore omnium bonorum exaltatos ſuper cedros Libani. Et ſero cognoſcent ſanius conſilium fuiſſe, per contemptum mundi tendere ad cæleſtia regna, quam cum faſtu & E ſuperbia vitæ prælationes ambire, & majores aliis apparere. Modicum tempus deeſt, & adeſſe, atque deficere feſtinant tempora. Conſiderate non temporalia, ſed æterna, quæ nunquam deficient: & regnum quod vobis præparavi, & ſanguinis mei pretio emi, in timore, & tremore ſalutem veſtram operantes, multis deſideriis, & gemitibus quærite. Erit quippe merces magna labori veſtro.

CAPUT XIII.

Oſtendit extra viam vitæ eſſe amorem vindictæ.

F SI patiamini injuriam filii chariſſimi, recordamini mei, qui *manſuetudinem* multis exemplis, quæ ſaxa moverent, prædicavi. Eſtote mites, non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto: ſed vincite in bono malum. Apoſtoli, & amici mei vicerunt mundum, non reſiſtendo, ſed perferendo, non ſe ulciſcendo, ſed offenſores ſuos amando. Quocirca mirum eſt, quam longe recedant a ſchola mea, filii hujus ſæculi crudeles Manſuetudo praecepta. in fratres ſuos. Illi me ad horas ſingulas provocant, & poſſem ego ignem de cælo mittere, aut jubere, ut deſcendant in infernum viventes, & patienter ago quærens, ut reconcilientur mihi vero Deo, ac Redemptori ſuo: & tamen illi contra legem amoris fraterni, & dulciſſimæ G charitatis meæ, ſtatim ac leniter offenduntur, ad ſanguinem crudeliter feſtinant. Uſquequo lugebit terra, & herba omnis regionis ſiccabitur à malitia inhabitantium in ea? Ego leniter rogatus dimitto ſervo nequam decem millia talenta: & ipſe ingratus, & durus corde, paulo poſt, tenens conſervum ſuum qui debet ei denarios paucos, quærit ſuffocare eum. Quomodo recedunt filii Adæ à via vitæ, quam ego oſtendi, & prædicavi eis! Non ceſſavi die ac nocte patienter agere, & multis inſpirationibus corda duriora ſaxis emollire: & tamen ad quamcunque occaſionem oblatam, inflammantur ira, & quærunt vindictam ſumere de offenſionibus ſuis. H Recedite filii a tabernaculis impiorum: ne forte involvamini in peccatis eorum, & deleam vos de terra. Relinquite vindictam mihi, cui dedit Pater omne judicium facere, & ego vindicabo animas pauperum, & humiliabo calumniatores. Imitamini Agnum Dei, & eos, quos miſi ego, ſicut agnos inter

Scrip. An. forte 1594

Prudentia Sanctorum quae?

ter lupos. Hæc eſt prudentia Sanctorum, quos qui tangit, tangit pupillam oculi mei: qui patienter agunt condonantes omnem injuriam, ſcientes ſe bonum defenſorem, & ultorem habere. Diligite ergo inimicos veſtros, & corde mitiſſimo benefacite iis, qui oderunt vos, Et ego odorabor pinguiſſima holocauſta dilectionis veſtræ, factæ A ad exemplar cordis mei.

CAPUT XIV.

Oſtendit extra viam vitæ eſſe ſpem poſitam in hominibus.

SPerate in me omnis congregatio populi, & effundite coram me, ſicut aquam corda veſtra. Ego enim conſcius tribulationum, & laborum veſtrorum, ero vobis adiutor in opportunitatibus: & deſcendet ſuper vos miſericordia mea, ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem dulciſſimæ Sion, quam dilexi. Verum ſi ex animo deſideratis adjutorium meum, nolite B confidere in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Maledictus eſt enim, qui confidit in homine, & ponit carnem, brachium ſuum. Maledictus, qui confidit in Rege Ægypti, qui eſt baculus arundineus, cui ſi quis innitatur, perforabit manum ejus. Non ambulant per viam viæ negotiatores terræ, qui ſpem ſuam in hominibus poſuerunt, & noluerunt attendere fideliſſima promiſſa teſtamenti mei. Væ iis, qui me relicto credunt, ſe aliquid ſalutis in filiis Adæ poſſe invenire! Vani ſunt, & exitus vanæ fiduciæ ſuæ redarguet eos. Conſiderate filii palatia principum plena viris nobilibus, qui in favore humano ſpem poſuerunt, & videte, quomodo conſeneſcant, quærentes panem, & non eſt qui conſoletur illos. C Moriuntur eorum domini, & una cum morte principum, moritur ſpes illorum, & ex prolixa ſervitute nihil recipiunt, niſi pœnam gravium peccatorum, quæ in palatiis commiſerunt. Hæc eſt pars hominum ſtultorum, qui ſpem ſuam in me collocare noluerunt: qui jacent in miſeria dum vivunt, & deſcendunt lugentes in Infernum. Nonne ſanius conſilium eſſet, mihi fideliter ſervire, & certo ſcientes ſpem ſuam non eſſe fruſtrandam, mihi ſemper adhærere? Ego enim nunquam confundi faciem eorum, qui ſperaverunt in me: ſed honoravi eos, & majorem mercedem, quam cogitaverant, reddidi, juxta benignitatem dulciſſimi cordis mei. Abſit ergo a vobis, D dilectiſſimi filii, error hic profanus, ut extra me ſpem veſtram, vel in vobis ipſis, vel in aliquo homine ponatis. Quærite & diligite me ex toto corde, totaque fortitudine veſtra, & in me, ſine ulla trepidatione ſperate. Ego enim adero vobis ſuſpirantibus ad me in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis: & confidenter ducam vos in civitatem habitationis, ubi regnat Jeruſalem, primogenita Eccleſia mea.

CAPUT XV.

Oſtendit extra viam vitæ eſſe triſtitiam ſæculi.

E D. Paullus.

Hominum voluntas rebellis.

TRiſtitia, quæ ſecundum Deum eſt, ſalutem operatur: ideoque Paulus fideliſſimus Apoſtolus meus, gaudere ſolebat, non quia ſpirituales ejus filii contriſtabantur, ſed quia contriſtabantur ad pœnitentiam. Cor enim pœnitentis non vult admittere conſolationem quia dereliquit Deum ſuum, quem tota fortitudine ſua amare debuiſſet. Sed triſtitia ſæculi, quam filii Adæ patiuntur, non operatur ſalutem, quia non eſt de culpa, quam commiſerunt contra me, ſed de pœna, quæ eſt ſecundum voluntatem meam, cui opponunt nimis rebellem voluntatem ſuam. Si filius unigenitus moriatur, ſi lucrum rerum temporalium amittant, ſi gratiam alicujus principis terreni perdant, uſque ad lachrymas compunguntur, neque ullum recipiunt conſolatorem: F cum tamen inter peccata mortalia rideant, & nullius doloris recordentur. Væ fatuis Adæ filiis, a via æternæ vitæ uſque ad amentiam recedentibus! Nonne conſiderabunt infortunia mundi, ſi patienter, & hilariter ferantur, occaſionem æternæ felicitatis eſſe, ut non contriſtentur, ſicut Infideles, qui ſpem non habent? Numquid mors animæ quam illi ſæpe incurrunt, lachrymis dignior non eſt, quam mors corporis primogeniti, vel jactura paucorum bonorum temporalium? O inſenſati mundi ſectatores, qui vos faſcinavit, ne diſcerneretis bonum à malo, & per juſtitiæ viam incederetis? Non eſt conſentanea legi meæ perverſitas iſta, quam odivit anima mea. Vos ergo filii, qui meam doctrinam aſſequi deſideratis, ne deiiciamini in tribulationibus, ſive in quibuſvis malis pœnæ, G qua vos exerceri oportet in vita mortali: ſed omnia alacriter ſuſtinete, & exhibete vos, ſicut Dei miniſtros in multa patientia; ut cum probati fueritis, ad gaudia æterna vobis à me præparata tandem aſcendatis, & ſatiemini ab uberibus conſolationis meæ.

CAPUT XVI.

Oſtendit extra viam vitæ eſſe feſta ſæcularia.

NON ſatiantur homines brevi conſolatione mundi qui tranſit feſtinanter: & propterea quærunt ipſi accelerare, gaudia ſua, & illis frui, H tanquam in juventute celeriter. Amant ſua conciliabula, & juvenum, atque puellarum ludentium, atque ſaltantium feſta, ubi nulla fit mentio amoris, & timoris mei. Gaudent ad ſonitum citharæ, & ad cantiones amatorias, quæ corda pervertunt, & ſeparant à via

Scrip. An. forte 1594

Convivia periculoſa.

æternæ vitæ meæ. Ibi celebrantur immoderata convivia, ad quæ pauperculi mei nunquam admittuntur; & poſtquam ſedit populus inſipiens manducare, & bibere, ſurgit ludere, atque cum vana lætitia ſine fræno peccata multiplicare. Hæc eſt pars hominum impiorum, qui nihil, niſi carnem, & ſanguinem amare & æſtimare noverunt: qui excluſi ſunt ab hæreditate terræ pro- A miſſionis meæ. Exeunt è feſtis ſuis peccatis onerati, & turpi amore vulnerati: neque requieſcunt, donec uxore proximi ſui abutentes, & per menſes & annos in cœno turpitudinis jacentes, compleant carnalia deſideria ſua, non eſt hæc via vitæ, quam qui elegerunt, non ambulant in comeſſationibus & ebrietatibus, in cubilibus, & impudicitiis: ſed ſobrie, & pie viventes, in vigilia cordis expectant revelationem filii hominis, & adventum magni Dei, & Salvatoris ſui. Quapropter vos, chariſſimi filii, qui ſuſpiratis in atria mea, fugite converſationem ſtultorum, quorum infinitus eſt numerus: & cum paucis fidelibus, ac timentibus Deum, celebrate coram me caſta B feſta ſolemnium dierum: lætamini & exultate cum tremore: neque claudatis mentis oculos, ne forte immemores mei, incontinenter procedatis, & pereatis de via juſta. Si volueritis, & audieritis me, bona meliora terræ viventium comedetis, & lætabimini cum populo acquiſitionis meæ, in ſancta civitate mea.

CAPUT XVII.

Oſtendit extra viam vitæ eſſe nimiam familiaritatem hominum.

EGO ſum Dominus rerum omnium, cui debent homines ſe totos; & inſuper deberent optare innumera corda poſſidere, ut omnia illa mihi ſacrificarent, propter infinitam bonitatem, & decorem C meum, & propter innumerabilia beneficia, quæ feci eis. Et tamem pluris faciunt amicitiam hominum aliorum, quibus nihil debent, quam familiaritatem meam, cum qua pariter venire ſolent omnia bona, quæ homines beatos efficere poſſunt. Incredibili aviditate adhærent amicis ſuis, qui tendunt extra viam vitæ: & ne illos contriſtent, malunt recedere à cuſtodia immaculatæ legis meæ: atque ita alter alterum trahit familiaritatis vinculo ligatum, in æternam damnationem, quæ reſpon- Pravi colloquii effectus. det inimicitiæ meæ. Corrumpunt bonos mores colloquia prava: & adhuc innocentes pueri à peſtiferis amicis in occaſiones, & incentiva peccandi ducuntur, ut aſſu- D eſcant jucunditati prohibitæ, donec bona indoles corrumpatur, & ad portas mortis, ac Inferni propinquet. Quid eſt hoc? Quid quærunt Adæ filii, per illicitas familiaritates ſuas? Nonne amicos bonos, à quibus amentur, habere deſiderant? Quare ergo non placet eis familiaritas mea, qua nihil eſt in univerſo mundo amabilius vel delectabilius? O ſtulti valde amicitiæ æſtimatores, quam male ſtudia veſtra collocatis! Ego neminem proiicio à dulciſſima converſatione mea. Ego apertis brachiis recipio eos, qui requirunt familiaritatem meam. Quod ſi à me receſſerint, & redierint ſeptuagies ſepties, nunquam illos reiiciam à reconciliatione mea. E Quomodo ergo adeò pauci ſunt, qui relictis hominum conſortiis, mihi conſtanter adhæreant? Percipite filii, quæ dico, & aliorum ſtultitia, veſtræ ſalutis occaſio ſit. Quærant alii amicitias multas, quæ illos pertrahunt in interitum: Vos quærite, & requirite unicam familiaritatem, & benedictionem meam: & ego, ſine faſtidio ullo, recipiam vos inter chariſſimos filios, & amicos meos.

CAPUT XVIII.

Oſtendit extra viam vitæ eſſe nimium amorem parentum, & conſanguineorum.

F

CONditio filiorum Adæ eſt, carnem & ſanguinem nimis amare, cum tamen conſtet, eos fieri ſalvos qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Nimis adhæret viſceribus amor parentum & conſanguineorum, qui non animarum, ſed corporum procuratores ſunt. Carnalis conjunctio & propagatio leges mundi, & carnis tantummodo obſervat, cum gravi animarum detrimento, & æternæ pœnæ periculo. Si quid ſanctum, & ſpirituale ſe offerat, omnis parentela repugnat. Si quid vanum & mundanum occurrat, omnis conſanguinitas favet. Voco ego aliquem ad mundi contemptum, & Religionis ingreſſum: ſtatimque parentes, & cognati omnes, animis perturbatis, atque ſollicitis illum diligentiſſime avertunt à vocatione mea: niſi forte ſit aliquis deformis, aut mancus, qui mundo ſervire non poſſit. Vocat mundus ad altiorem vanitatem eumdem, quem Ego vocaveram ad æternam ſalutem meam: & confeſtim incredibili cum diligentia, omnes illi, qui eum ab inſpiratione mea retraxerant, hortantur, & liberaliter adjuvant, ne ſint expertes vanitatis illius. Quænam dementia eſt hæc? Numquid amor parentum, & affinium ſalvum faciet, quem avertere curavit à ſecura via æternæ vitæ meæ? Non placent mihi carnalia conſilia, quæ ſemper ego reprobavi, & repulerunt omnes fideles amici mei. Quamobrem, chariſſimi filii, cavete, ne ſenſualia hæc blandimenta divertant vos à recto itinere ſupernæ Jeruſalem, quæ carnis conſilia odit, quia tota vivit de puriſſimo ſpiritu meo. Si propinqui vobis in ſcandalum fiunt, abſcindite eos, & proiicite à vobis, ne amittatis confidentiam, & mercedem veſtram. Ego ero vo-

Parentum in liberorum Relligioſam voluntatem contentio.

G

H

Scrip. An. forte 1594

Chriſtus Pater, Frater, & conſanguineus noſter.

vobis pater, frater, & conſanguineus: & fidiſſime curabo ſalutem veſtram. Conſiderate, quam ſit felix commutatio, ut pro parentibus qui ad mortem generant, Ego, qui vitæ immortalis auctor ſum, pater amantiſſimus, & mater dulciſſima fiam. Pro commutatione hac, filii dilectiſſimi, A ſpernite omnem carnis & ſanguinis conſolationem: & vivite juxta legem ſuaviſſimi ſpiritus mei: daboque vobis præmia fortium, poſt acceptam feliciſſimam adoptionem meam.

CAPUT XIX

Oſtendit extra viam vitæ eſſe nimiam ſciendi curioſitatem.

EST via, quæ videtur homini recta, & noviſſima ejus ducunt ad mortem. Attendite filii, quæ moneo. Multi non ſolum ſæculares, ſed religioſi, qui ſcientiæ Sanctorum ſtudere deberent, vana ſci- B endi curioſitate, dies & noctes, in Mathematicis diſciplinis, vel aliis parum neceſſariis doctrinis conſumunt. Sanam & irreprehenſibilem doctrinam meam, quæ ſalvat, & ædificat, cum tædio audiunt, ad illam vero gentilicam curioſitatem tam cupide feruntur, ut pro illa diſcenda, & oſtentanda, libenter à ſomno abſtineant, & ſacrificium Miſſæ interdum omittant. Quod ſi aliquid aliud ex obligatione ſui ſtatus faciant, corpore præſentes ſunt, corde tamen curioſitatem illam ſuam, ſine intermiſſione recogitant. Quid dicam vobis filii mei, videns in manibus Chriſtianorum hiſtorias Ethnicorum, & libros Poëtarum plenos mendaciis frequentius, quam Sacram Scripturam, vel pios libros, qui compunctionem generant, inveniri? Certe C univerſa vanitas eſt omnis homo ſæculi more vivens. Quanto melius, & dulcius eſſet, eloquia mea caſta curioſiſſime ſcrutari, ad inveniendum theſaurum ſapientiæ abſconditum, quo cuncti labores extenuantur, & amara omnia dulceſcunt? Quid ſperat vir Chriſtianus, & religioſus de labore ſcientiæ profanæ, quæ non creat caſta deſideria, & intima cordis contriti, & humiliati ſacrificia? Non placet mihi ſtultitia hæc, quam oderunt omnes electi mei. Quapropter, filii chariſſimi, recedite à conſiliis ſapientum mundi, qui non incedunt per viam vitæ: & nihil ſcire cupiatis, præter me, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Si enim me ſciatis, implebo vos ſpiritu ſapientiæ & intellectus, & eritis eruditi ſuper ſenes mundi, & ſuper omnes exquiſitores prudentiæ, & intelligentiæ D qui gloriantur in virtute ſua. Hæc ſit perpetua meditatio veſtra: hæc ſit æmulatio ſcholæ meæ, quæ mites animos, nihil de ſe præſumentes admittit, & inflatos excludit: hæc ſit unica & nunquam interrupta ſollicitudo veſtra, ut diſcatis me, & Ego ſitim ſciendi ſolus ſedabo, & potabo vos aqua puriſſima ſapientiæ ſalutaris, quæ fluit è fonte vivo in delitioſiſſimo paradiſo meo.

CAPUT XX.

Oſtendit extra viam vitæ eſſe vanum timorem Crucis.

E

VEntum eſt jam ad tempus illud, in quo ſunt homines ſe ipſos amantes, & diſciplinam crucis meæ ſervili metu timentes. Graviter peccant, & ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſe diſſipant: & tamen ſi aliquis ſervus meus hortetur illos ad modicam pœnitentiam agendam, intolerabile conſilium eis videtur. Noctes multas in peccatis conſumunt: & tamen ſi moneantur, ut in ſilentio noctis, per unam horam orationi vacent, aut carnem levi diſciplina caſtigent; ſe id non poſſe, nimis impudenter reſpondent. Quænam mollities eſt hæc? Timor Crucis fugiendus. Quid vobis videtur, fideles amici mei, qui uſque ad mortem decreviſtis ſequi me? F Nonne conſiderabunt iſti degeneres Chriſtiani, ſe pœnam æternam meruiſſe, & longis itineribus ad illam feſtinare? Credunt certe hoc per Catholicam fidem meam: & incredibili ſtupiditate nolunt admittere facilia, & ſana conſilia, quibus cruciatum ſine fine duraturum effugere poſſent. Nimis cæci, & ſine intellectu ſunt, & à via vitæ ſtulte declinant. Cum enim ipſimet cum carne illa, quam nimis amant in locum tormentorum poſt breve tempus venturi ſint: beſtialis timor eſt, quo levem pœnitentiam reformidant. Abſit, ô filii, à vobis amentia hæc Chriſtianis hominibus indigna. Nolite timere conſortium crucis meæ, quam ego dulcoravi, ut ſub ligno illo fructum vitæ dulciſſimum guſtaretis. Timete potius horribilia futuræ vitæ tormenta, G quæ præparata ſunt Lucifero, & Angelis malis, & malis hominibus ſectatoribus ejus: & hoc timore vincite fragilitatem veſtram. Tollite ſuave jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem laſſis animabus veſtris. Amor Crucis meæ imprimatur viſceribus veſtris, Amor Crucis præceptus. & currite poſt me per vias rectas. Ego quippe roborabo crura debilia, & terrebo coram vobis inimicos veſtros: ut ſciat omnis terra crucem non eſſe timendam, ſed amandam, cum regnaverit à ligno Deus. Hæc eſt caſta eruditio mea mundi legibus inimica, è qua vita veſtra dependet. Hanc in ſinu cordis recondite: & per vitæ lignum, quæ ſcala cæli eſt, viriliter aſcendite ad montem coagulatum dulciſſimæ Sion, ubi vobis præparavi delitias meas.

CAPUT XXI.

H

Oſtendit extra viam vitæ eſſe omne peccatum.

QUI non eſt mecum, filii chariſſimi, contra me eſt. Qui non colligit mecum,

Scrip. An. forte 1594

cum, diſpergit. Omnis iniquitas non habet partem in via vitæ, ſicut neque habitura eſt locum in cæleſti regno meo. Foris ſuperbi, iracundi, invidi, avari raptores, venefici, pigri, incontinentes, & omnes qui faciunt peccatum, neque feſtinant lavare ſtolas ſuas in pretioſiſſimo A ſanguine meo. Non eſt communicatio luci ad tenebras. Non poſſunt cohærere lex mea immaculata, convertens animas, & omnis prævaricatio, quæ legis inimica eſt. Qui habet aures audiendi audiat, & caveat ultionem ſuperventuram, ſi æternæ vitæ particeps cupit eſſe. Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua non diriget actiones ſuas in conſpectu oculorum meorum. Oculi quippe mei ad fideles terræ, ut ſedeant mecum, & fruantur lautiſſima menſa mea. Dei juſtitia incorrupta. Non reſpicio perſonam hominum: ſed judico in æquitate, deponens potentes inflatos de ſede, & exaltans humiles, qui pavent ſermones meos. Cauſa mea, tanquam impii judicata fuit: cauſam judiciumque recepi, ut eos, qui gradiuntur per juſtitiæ viam, charos B habeam & gloria immortali coronem: eos vero, qui à via declinant, oderim, & ad victimam congregatos mittam in tenebras exteriores, ubi erit ſempiternus fletus, & ſtridor dentium. Qui amat benedictionem, & ſervat ſermones meos, non lædetur à morte ſecunda: qui vero noluit benedictionem elongabitur ab eo; ſuccedetque maledictio, quæ intrabit ſicut aqua in interiora ejus, & ſicut oleum in oſſibus ejus. Erit ei ſicut veſtimentum, quo operitur: & ſicut zona, qua ſemper præcingitur. Hæc eſt ſors hominis ſtulti recedentis à via æternæ vitæ, & ad flammam properantis. Pars autem Domini eſt electus per viam vitæ incedens populus ejus: ſpiritualis Jacob poſteritas eſt funiculus hæreditatis ejus. Quapropter vos, filii dilectiſſimi, qui ad hæreditatem meam, quam à Patre poſtulavi, pertinetis, recedite à conſortio peccatorum, & per viam, quam C cœpiſtis, curſum accelerate. Peccatum fugiendum, & timendum. Fugite & timete omne peccatum, ſicut mors timeri ſolet: ſolaque juſtitiæ gratia delectet caſta corda veſtra. Hæc ſit prima cogitatio matutina, quæ vobis ſurgentibus occurrat: hæc ſit occupatio meridiana, qua opera veſtra omnia dirigatis: hæc ſit nocturna meditatio, quæ ſomnum intercidat, & animam, quæ timet culpam, ubi culpa non eſt, ſemper ſollicitet. Si enim hæc cura juſtitiæ imprimatur pectoribus veſtris, eritis mihi gratiſſimi, & loquar vobis ad cor: pugnanteſque adjuvabo, & victores coronabo in medio ſuaviſſimæ Jeruſalem primogenitæ civitatis meæ.

D

PARS SECUNDA.

De initio & progreſſu ambulantium per viam vitæ.

E

CAPUT I.

Docet Jeſus Chriſtus initium viæ vitæ, quod eſt mortali peccato carere.

EGO Jeſus Chriſtus verus ſol juſtitiæ nondum ortus ſum iis, qui operantur iniquitatem: licet enim viſitaverim omnes peccatores oriens ex alto, tamen, quod attinet ad viam vitæ, & ſalutis ſingulorum, nondum me receperunt intra domos ſuas peccatores, qui jacent in te- F nebris & umbra mortis. Noctem ſibi ipſis peccando fecerunt, noluntque admittere ſolem intra ſe, odio habentes lucem veram, quæ illuminat omnem mundum: ac proinde nondum inceperunt ambulare per viam vitæ, quæ lucis via eſt. Status gratiae, qualis? Non quærunt ſtatum gratiæ & amicitiæ meæ, cujus principium eſt, mortali peccato carere: atque adeo corpore tantum vivunt, anima vero mortui ſunt. Infelices ſunt, qui ambulant vias difficiles, & laſſantur in via iniquitatis: viam vero vitæ, quæ ſpe remunerationis illos exhilararet, invenire nolunt. Vos ergo, filii dilectiſſimi qui deſideratis diſcere ſapientiam meam, & per viam, quam oſtendi, ſine ſcandalo properare, abiicite omnia idola mundi, & culpæ mortalis calamitatem expaveſcite. Abſit ab amicis meis rem tremendam committere, & à familiaritate mea ad ſervitutem Pharaonis tranſire: ubi du- G riſſima vitæ conditione opprimentur ab Ægiptiis, & poſt ſervitutem nimis triſtem nihil mercedis accipient. Quærite me, filii mei; & ſtatum gratiæ meæ, ſine quo iter facere, per viam vitæ, non valetis, omnibus mundi bonis anteponite: ſi enim mortale peccatum diligentiſſime fugiatis, & veſtem candidam gratiæ meæ, per varios caſus mundi ſervetis: habebo vos inter participes immortalitatis meæ. Mittam vobis rorem de cælo, ut creſcatis in ſalutem paratam revelari in tempore noviſſimo: ubi apparebitis mecum in gloria, & quæ nunc ſeminatis, infinita exultatione metetis.

CAPUT II.

H

Docet ad progreſſum viæ vitæ fugiendæ eſſe peccata venialia.

CApite, filii, vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea veſtra

flo-

Scrip. An. forte 1594

floruit. Vos, qui gratuito beneficio meo, de tenebris peccati mortalis, vocati eſtis in admirabile lumen divinæ gratiæ meæ, vigilate ne vulpes parvulæ, quæ ſunt culpæ veniales, ſine judicio à vobis commiſſæ incipiant veſtras animas male afficere, & tepefacere. Si enim dormiatis, & ſine tanti mali æſtimatione venialia peccata A committere aſſueſcatis, refrigeſcet charitas, & paulatim corda veſtra devotionis ſenſu privata alienabuntur, donec propoſita occaſione mortali, in voraginem mortis vos præcipitetis. Væ illis, qui contemnunt parva, & ſine timore peccant, hoc ſolum obſervantes, ne mortale peccatum ſit! Nunquid parum vobis videtur, venialiter peccare? Certe veri ſervi mei, ad progreſſum viæ, quam cœperunt, accuratiſſime fugiunt leves imperfectiones, aliorum damno cautiores facti: experientia enim cognoverunt, multos de peccatis venialibus parum ſollicitos, in mortalia cecidiſſe: & timentes ne grande malum hoc illis contingat, diligentius vitant culpas leves, quam multi alii culpas graves, quod magni progreſſus argumentum eſt. Profecto, filii, qui adeo B ſtultus, & ingratus eſt, ut non timeat me venialiter offendere, per hoc ipſum diſponitur ad gratiam meam amittendam, & cruciatum æternum incurrendum. Sanius conſilium eſt, de longe proſpicere occaſiones, quaſi de turri Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum: & quidquid culpæ quantumvis parvæ occurrit, vigilanter cavere: ut anima vigilantiæ aſſueta, in repentinis præliis, gravibus tentationibus reſiſtere valeat, & victoriæ coronam accipiat. Sequimini toto corde conſilia mea, & qua cœpiſtis via, uſque ad mortem procedite: & poſt labores, & ſudores viæ, eritis in patria veſtra teſtes dulciſſimæ gratiæ, & miſericordiæ meæ.

Progreſſus argumentum quale?

C

CAPUT III.

Docet ad progreſſum viæ vitæ, ſtudendum eſſe acquiſitioni virtutum.

ACcedite ad me, filii, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur: iis enim, qui appropinquant mihi, confero ego vera animæ lumina, quæ ſunt virtutes meæ ſole clariores. Hoc eſt ſtudium Sanctorum, qui conſiderantes vanam eſſe gloriam mundi, & omnia ejus bona eſſe peritura, tradiderunt corda, & corpora ſua, ut veras divitias nunquam perituras compararent: & ut per viam æternæ vitæ celeriter currerent, abjecerunt omne pondus, & in clauſtra Monachorum, vel in D ſolitudines de medio Babylonis fugerunt, ſcientes breves eſſe dies hominis ad diſcendam ſapientiam, & magni ponderis eſſe, brevi tempore ſuæ mortalitatis, immortalia bona acquirere. Hæc eſt hæreditas fortium, qui non pepercerunt animæ ſuæ propter me, ſed vires omnes ſuas in holocauſtum mihi ſacrificaverunt. Hæc eſt ars artium, & diſciplina omni auro pretioſior, quæ incomparabili decore animas illuſtrat, & efficit chariſſimas ſponſas meas. Hæc eſt prudentiæ regula, quam qui ſecuti ſunt, invenerunt venam aquæ vivæ omni melle dulciorem. Omnes terrarum principes, omnes negotiatores, omnes litterati, omnes provinciarum gubernatores, E omnes urbium expugnatores, cum viro Chriſtiano, qui veras animæ virtutes acquirit, non ſunt comparandi. Propter quod chariſſimi filii mei, quibus tantum bonum fide mea revelatum eſt, exuite veterem hominem cum depravatis actibus ſuis, & induite novum, qui ſecundum Deum creatus eſt, ut mihi per omnia ſimiles efficiamini: reformamini ſpiritu & corpore per novam formam virtutum omni decore mundi pulchriorem, ut mihi exemplari veſtro configuremini. Erit quippe labor veſter non inanis, ſed plenus conſolatione & ſpe, qua exhilarantur, qui vero ſtudio virtutum quærunt vivere de ſpiritu meo. Ite contra difficultates confidenter, freti non viribus veſtris, ſed fideliſſimo ad auxiliandum corde meo: & aſcendite F in altitudinem virtutum ad celebrandas victorias meas. Ego vero vobis occurram, & lætabor aſcenſu veſtro: mandaboque præconibus meis, laudent in portis excelſa opera veſtra. Solemnis enim hymnus cantandus eſt omnibus Sanctis meis, filiis ſcilicet Iſrael, populo appropinquanti mihi: Quicunque enim honorificaverit me, glorificabo eum: & laudabo ſtudia ejus coram altiſſimo Patre meo.

Prudentiæ regula quæ?

CAPUT IV.

Docet ad progreſſum viæ vitæ mortificationem paſſionum exercendam eſſe.

CAro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, filii G chariſſimi, quod ſi ſpiritus pugnet contra ſenſum, ſentit aliam legem in membris propriis repugnantem legi mentis ſuæ, & importunis motibus Deo rebellantem. Et hæc eſt lucta fortium, qui ſeipſos vincere, & coronas multas comparare feſtinant. Reliqui ego multos Jebuſæos in terra, quam promiſi filiis Iſrael, ut diſceret populus meus artem præliandi, ſciens ſe intra terminos ſuos habere hoſtes multos, cum quibus enſem, & arcum exerceret. Hæc eſt ars, quam David ſervus meus præcepit, ut diſcerent filii Juda, ut illos ad prælia Domini inſtrueret. Ego vero ad militiam graviorem hortor vos, milites mei, ut contra vos ipſos armemini fortitudine gratiæ meæ, & H paſſiones veſtras crucis diſciplina mortificetis. Res ardua eſt, quam ſæculi potentes, & fortes amore ſui debilitati aggredi non audent: ſed vos, pugnatores mei, qui deſideratis progredi per viam vitæ, non eſt, cur timeatis inimicos veſtros, cum militetis ſub vexilio Crucis meæ, cui omnia cedunt.

David.

Scrip. An. forte 1594

Armamini, & bellate: & cogitantes me ductorem veſtrum eſſe, procedite ad bellum contra omnes Reges Chananæos. Ego conſuevi dividere coram militibus meis aquas rubri maris, & mittere ſpiritum vertiginis in hoſtes meos. Ne ſerviatis concupiſcentiis veſtris, quæ militant adverſus animam: ſed ſtatim ac erigunt capita ſua, quaſi ſerpentes, A mortificationis gladio amputate illa, & offerte in ſacrificium ſuaviſſimum cordi meo. Amores vanos, inutilia deſideria, triſtitias nimias, iras, audacias, gladio vivo præcidite: ut inter victores meos coronemini. Non frangat vos varius eventus belli. habetis arma ſpiritualia, & corporalia, quæ ſunt mortificandi corporis inſtrumenta. Habetis fidelia valde auxilia mea. Habetis promiſſa præmia, quæ lapides quoque moverent. Quid ergo timetis? Numquid recedere à me vultis cum iis, qui dixerunt: Durus eſt hic ſermo? Cavete, ne malo conſilio tentemini, & horrore diſciplinæ meæ carnaliter terreamini, ſicut terrentur, qui ſola temporalia cogitant, & non noverunt ſecreta fidei meæ. Abiicite timorem vanum, B & equum fallacem caſtigate. Sequimini legem ſpiritus mei, & carnis deſideria ne feceritis. Cito enim veniam, & vos fideliſſimos ſervos meos de cubilibus leonum aſcendentes, victoriæ palma, & canticis cæleſtibus honorabo.

CAPUT V.

Docet orationis exercitium, ad progreſſum viæ vitæ eſſe neceſſarium.

OPortet, filii chariſſimi, ſemper orare, & nunquam deficere: in terra quippe inimicorum habitatis, qui tota die conſtituunt vobis prælia. Et qui cœpiſtis ambulare in C veritate, habentes theſaurum gratiæ meæ in vaſis fictilibus corporum veſtrorum, debetis cum ſollicitudine multa vitare pericula mundi, ne forte cum bene inceperitis, male finiatis. Sed præter occaſionem periculorum ipſa ratio viæ vitæ per quam tenditis, poſtulat, ut oculos in finem viæ dirigentes ibi habeatis fixa corda, ubi vera ſunt gaudia. Hoc enim eſt ſtudium Sanctorum, quibus ego notas feci vias meas, quorum Ego tota hæreditas ſum, & quorum omne opus eſt oratio. Oratio ſtudium Sanctorum. Quaproter, filii chariſſimi, qui me ſequi cœpiſtis, vacate, & videte, quam ſuavis ſim Ego, & ſtudium hoc præ honoribus, & divitiis, & omnibus mundi conſolationibus æſtimate. Horas certas orationi aſſignate, quas non omittatis, ſi progredi optatis per viam æternæ vitæ. Negotia ſæculi, quibus D anima à me divertitur, interrumpite, & intrantes in cubiculum oſtio clauſo adorate clementiſſimum Patrem meum: & videbitis auxilium, & rorem de cælo deſcendentem ſuper vos, ſicut deſcendit imber ſuper vellus. Ibi roborabitur cor veſtrum, quando Ego vobis loquar, & ſentire faciam caſtas delectationes meas. Ibi cognoſcetis me, & concipietis cæleſtia deſideria, contemnetisque omnia mundi gaudia. Ibi ſacrificabitis mihi vos ipſos in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito: & placebit mihi holocauſtum veſtrum ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui. Exultabunt ibi oſſa veſtra ſuper oleo devotionis, quo ungam vos ad luctam vitæ mortalis, & ad coronam vitæ ſempiternæ. Utinam omnes Adæ filii orandi ſtudio exercerentur, E & expectarent de cælo pluviam voluntariam, quam ſegregavi hæreditati meæ. Ego erudirem, & conſolarer illos, ut ambularent coram me in toto corde ſuo, ne recederent à via vitæ, quam ob ſuam cæcitatem, & duritiem neſcierunt. Orate totis viribus, filii dilectiſſimi, & faciem meam quærite, atque requirite: & invenietis dulciſſima paſcua, qua dilatabuntur viſcera veſtra.

CAPUT VI.

Docet ad progreſſum viæ vitæ neceſſariam eſſe Dei præſentiam.

BEati ſunt illi ſervi mei, qui nihil præter me, F die ac nocte cogitare deſiderant; & quantum fert humana fragilitas, ſemper me præſentem cogitant. Non veniet illis pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non movebit illos. Velociter current per viam vitæ, quam oſtendi eis: mea quippe præſentia excitabit illos. Sic certè cucurrerunt famoſi Sancti mei, qui tanto affectu ſtuduerunt præſentiæ meæ, ut moleſtiſſima eſſet illis quæcunque alia cogitatio. Sciebant enim præſentiam Dei, & Salvatoris ſui, eſſe omnium virtutum matrem; & timebant, ſicut mors timeri ſolet, ne forte hora aliqua, ſine mei memoria tranſiret. Sed væ mundo, quam longe recedit à doctrina iſta, quæ eſt propria viæ vitæ! Omnia cogitant filii Adæ, omnia Filiorum Adae negotia. memoriæ mandant, præter me. Solus ego G non invenio locum, aut tempus in vanis capitibus eorum. Gerunt negotia innumerabilia, & magni æſtimantur, qui in tractandis negotiis tantum temporis conſumunt, ut vix reſpirare poſſint: verum memoria mei inter negotia illa non numeratur, neque magni fit, qui ſpretis mundi negotiis, mei ſemper recordari curat. Sed, quicquid mundus ſentiat, vos filii, qui de mundo non eſtis, ne adhæreatis vanis ejus opinionibus: ſed ſequimini tutam, & ſanctam diſciplinam meam, cujus utilitas, & honeſtas ſuperat omnia mundi bona. Cavete ne obliviſcamini mei: & multis cordis elevationibus mecum converſari, veſtros labores, & anguſtias mihi repræſentare, à me frequenter auxilium petere, multos fidei, ſpei, amoris, & contritionis actus producere curate. H Eſtote ſolliciti, ut brevi tempore mortalis vitæ gaudia ſine fine duratura comparetis. Egoque vobis fideliſſimè reſpondebo: ut quemadmodum vos quæritis me ſemper habere præſentem, ita & ego vos in regno meo in perpetuum præſentes habeam, & infinita conſolatione impleam pectora veſtra.

Scrip. An. forte 1594

CAPUT VII.

Docet ad progreſſum viæ vitæ lectionem piam exercendam eſſe.

VErba Sacra Scripturæ meæ, & ſcripta pia ſanctorum meorum caſta corda delectant, & dura molliunt. Molliti enim A ſunt ſermones illi ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula: quod multis exemplis mundo notum feci. Multoties enim dura corda, quæ de me non cogitabant, brevi lectione alicujus libri, ubi ego loquebar ad cor, emollita fuere, & me ex illa ipſa hora ferventiſſimè ſecuta ſunt. Teſtes ſunt illi, qui accepto libro ignita verba legentes, cum milites eſſent, & ſponſas haberent, eadem lectionis hora Imperatoris palatium ſpernere, & me ſequi cœperunt, & ſponſas intactas reliquerunt, D. Auguſtinus. ut bene notavit Auguſtinus fideliſſimus ſervus meus: qui & ipſe piæ lectionis ſtimulum, in lachrymas reſolutus, in horto ſenſit, dum ad me totis viſceribus converteretur. Benè noſtis hoc, filii chariſſimi, qui experientia cognoviſtis, vos pia lectione ſæpe illuminari, atque compungi. B Quocirca fugientes vana conſilia filiorum hujus ſæculi, qui horas multas vanis libris legendis conſumunt, & damnationem inde reportant, frequentate ſanctam ſpiritualium ſcriptorum lectionem, non ad curioſitatem ſciendi, ſed ad utilitatem cor illuminandi, atque movendi. Habetis ſacros libros lucis, & ſolatii plenos, ſcriptos digito Spiritus mei. Habetis eloquia caſta mea, deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & favum. Habetis hiſtorias Martyrum, & Confeſſorum meorum, quibus anima incitatur ad curſum viæ vitæ. Conſiderate ergo paradiſum tot arborum & plantarum, qui coram vobis eſt; ut fructus ſuaviſſimos inde colligatis, & lætemini abundantia conſolationis meæ. C Si ergo placet conſilium meum, cavete, ne prætereat dies aliqua ſine ſalutari paſtu lectionis, quo veſtra devotio & pietas creſcat. Utimini hoc Juſtorum nutrimento, ut viribus auctis, per viam æternæ vitæ currentes uſque ad finem perſeveretis. Et ego implebo, in ſuperna patria, concilioque Juſtorum & congregatione, ardentiſſima deſideria veſtra.

CAPUT VIII.

Docet ad progreſſum viæ vitæ neceſſarium eſſe bonum Sacramentorum uſum.

QUI diligitis atria mea, & concupiſcitis decorem Jeruſalem ſponſæ meæ, D comedite bona, quæ præparavi vobis, & ſicut adipe, & pinguedine repleatur anima veſtra. Veni ego in mundum homines ſalvos facere, & vaſa ſanguinis, ac redemptionis meæ coram populis expoſui: quid ergo nunc petam, niſi ut frequenter utamini infinita liberalitate mea? Septies in die cadit Juſtus, poſtquam cœpit ambulare per viam vitæ. Currat ergo bene præparatus ad Sacramentum pœnitentiæ, & lavet balneo illo quotidianas ſordes, quæ adhærent pedibus ejus: nam & qui lotus eſt, indiget ut pedes affectuum ſæpe lavet, ad comparandam puritatem & nitorem, qui decet amicos meos. Neque ſolummodo ad Sarcamentum pœnitentiæ Juſtus accedat, verum ferventiſſimo E deſiderio mei, panem vitæ in Sacramento altaris comedat, ut ſanctificetur. Hæc ſit ſapientia veſtra filii dilectiſſimi, ut cæleſti virtute confirmemini, & ad iter vitæ proſequendum efficiamini leonibus fortiores, & aquilis velociores, fructu Sacramentorum meorum, quæ præparavi vobis, æterna dilectione mea. Certoque ſciatis hoc medio vos feliciter proceſſuros, & incredibili celeritate confecturos curſum, quem me inſpirante cæpiſtis. Et quidem tanto ferventius debetis huic exercitio vacare, quanto minus filii hujus ſæculi vacant. Lugent quippe viæ Sion, eo quod non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem cæleſtis menſæ, quam paravi novo teſtamento meo. Filiorum Adae ſtultitia. Nam uſque adeo filii Adæ ſtulti facti ſunt, ut moleſtè ferant, ſemel in anno ad Sacram confeſſionem, F & Communionem obligari. Væ inſipientibus, qui nolunt benedictionem meam! Quo tendunt per varia carnis, & mundi deſideria? Nunquid aqua fluviorum Damaſci dulcior eſt, quam aqua ciſternæ Bethlehem, quæ nullo cæno perturbatur? Diſcedite filii à generatione Cham: ſinite illos abire poſt adinventiones cordis ſui: ut moriantur potu venenato & cibo vetito, quem dilexerunt, frequentate vos, filii, inſtrumenta ſalutis veſtræ, ut multiplici augmento meritorum, lætitia inenarrabili gaudentes aſcendatis ad montem dulciſſimæ Sion, ſponſæ meæ.

CAPUT IX.

G

Docet ad progreſſum viæ vitæ neceſſariam eſſe cuſtodiam cordis.

FIlii dilectiſſimi, ſacrificate mihi corda veſtra, quorum deſiderio teneor, & quorum cuſtodia ad currendam viam, quam cæpiſtis, neceſſaria eſt. Nullum ſacrificium æque gratum mihi offerre valetis, etiam ſi mille mundos plenos divitiis, & conſolationibus mihi offerretis. Propter quod moneo vos, ut corda veſtra, ſicut rem pretioſiſſimam cuſtodiatis, & curratis per viam vitæ, caventes ne aliquam ejus theſauri partem mundus furetur. Habetis amatores multos cupidiſſimos cordium veſtrorum, qui mihi adverſantur: & idcirco neceſſe eſt, permaneatis in fide, & dilectione mea, nolentes admittere fures, qui rapiant bona Sacrarii, H & thalami mei. Hæc eſt vigilia charitatis ſemper ſollicitæ, ne à me alienentur triſtiſſimo divortio peccati. Hæc eſt cuſtodia lectuli Salomonis, quæ neque nocte intermittenda eſt, propter timores nocturnos.

Scrip. An. forte 1594

Sollicitudo Sanctorum, quae?

Hæc eſt ſollicitudo Sanctorum, quorum pars, & hæreditas omnibus divitiis amabilior ego ſum. Hæc eſt lex dulciſſimæ dilectionis per viam vitæ celeriter currentis, ac timentis, ne ullo peregrino affectu retardetur. Verum nonne videtis, filii mei, quomodo filii hujus ſæculi non magis cuſtodiunt corda ſua, quam A fœnum quod in montibus naſcitur? ſunt ſicut communia paſcua omnibus beſtiis agri pervia, & à nemine prohibita. Urbes ſunt ſine murorum ambitu, quas hoſtes, pro libitu capiunt, & cives captivos abducunt. Non amant iſti viam vitæ, à qua per varios affectus, ad ſingulas horas divertuntur. Nimis inſipientes ſunt, facti ſicut columba ſeducta non habens cor: quæ nidificat in loco, unde pulli ejus quotidie rapiuntur. Sic ſtulti Adæ filii verſantur in locis, & occaſionibus, ubi corda ſua perdunt; neque locum mutare cogitant. Recedite filii à congregatione ſtultorum, qui rem pretioſiſſimam, hoc eſt, cor ſuum pro nihilo vendunt: & cum nullis divitiis, & honoribus partem ullam cordis B commutetis. Ego ſum Dominus, cuſtodite mihi corda, ut progrediamini per viam vitæ. Sacrificate mihi integra corda, & primogenita deſideria veſtra: potiuſque moriamini, quam ſinatis alienum aliquem ingredi in Sanctuarium meum. Si enim vos totos mihi ſervetis, admittam Ego vos, filii chariſſimi, ad ſtrictiſſimos amplexus cordis mei.

CAPUT X.

Docet ad progreſſum viæ vitæ neceſſe eſſe, electos tentari.

Abraham.

EGO cordium Dominus, & humanæ ſalutis Procurator, tentavi Abraham fideliſſimum amicum meum. Quia enim mihi C acceptus erat, opus fuit, probare illum, & ad velocius currendum per viam vitæ, occaſione tentationis incitare. Et hæc eſt antiqua conſuetudo mea, quam cognoverunt & laudaverunt ſervi mei dicentes: Quoniam probaſti nos Deus: igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum. Verum eſt hoc: tanquam aurum quippe in fornace probavi eos, & quaſi holocauſta igne conſumpta accepi eos, & quidem non tam celeriter properaſſent ad palmam, niſi ego infinito amore probaſſem illos, & feciſſem cum tentatione proventum. Non capit mundus verbum iſtud & quod pejus eſt, multi, qui putantur ſervi mei, nolunt eſſe in tentatione fideles. Confitentur mihi, cum benefacio eis, quando abundant conſolatione, & nihil eis contra ſenſum ſuum accidit: ſed ſtatim ac illos probare incipio, murmurant contra me, & D nimia triſtitia conſumuntur. Non eſt hæc via æternæ vitæ, quam docui ego tentatus per omnia pro homine, abſque peccato. Nimium delicati milites ſunt iſti, ad gerenda prælia Domini. Nonne conſiderabunt, parum laude dignas eſſe virtutes eorum, qui non tentantur, ut appareat, an ambulent in via Juſtitiæ, & firmiter cuſtodiant legem meam? Hodie confitentur ſe noſſe Deum, quia conſolatur illos: cras negant, quia tentat eos. Non placet mihi inconſtantia hæc, quæ odio habet vias duras. Vos ergo, filii, qui decreviſtis ſequi me in deſerto, in terra quæ non ſeminatur, fugite mollitiem iſtam nomine Chriſtiano indignam, & renes, cordaque veſtra tentationis igne uri deſiderate. E Nam ſi ſufferatis tentationem, & fortiter reſiſtatis, beati eritis, quia cum probati fueritis calice myrrhæ probatiſſimæ, accipietis coronam vitæ, quam repromiſi Ego diligentibus me. Hæc eſt via vitæ: ambulate per eam parati ad omnem eventum: & tartarum, atque mundum ſupra firmam ſpem fundati, calcate. Sentiant vos viros fortes Philiſtæi, qui me oderunt: & pro teſtamento meo, qui vos inſtitui hæredes æternæ gloriæ, & conſolationis meæ, à dextris, & à ſiniſtris fortiſſimè pugnate. Ego intuebor vos prælantes: & victores coronabo.

Incoſtantia devitanda.

CAPUT XI.

F

Docet ad progreſſum viæ vitæ, tolerandam eſſe ariditatem in oratione.

NON bene ſentiunt de bonitate mea filii Adæ, qui mihi ſervire cæperunt. Nam cum ego eos gratis ad me vocaverim, & è ſtatu peccati, quaſi de luto fæcis eripuerim, licet primis diebus, cum devotionis guſtu, mihi adhærere curent, ſuccedente tamen orationis ariditate, quaſi canes ad vomitum reverti cogitant. Non recordantur peccatorum, quæ commiſerunt: & quaſi innocentes eſſent, me ſeverum Dominum appellant, & conſolationes impatienter poſtulant: excæcavit illos amor ſui, & iacent ſicut ablactati ab uberibus: neque per ariditatem æquè ac per conſolationes mihi ſervi- G re deliberant. Nunquid doctrinam hanc didicerunt in ſchola mea? Nonne dum in corpore mortali vivitur, ſua intereſt alternare vices ariditatis, & conſolationis? Ego certè, ſi expediret eis, ſemper conſolarer illos, & loquerer ad cor Jeruſalem: ſed cum illos amem & cupiam eorum merita, & præmia multiplicare, num debeo ſemper lactare illos, velut infantulos, neque de ſolido cibo cogitare? Duri ſunt mihi iſti parum fideles ſervi mei, qui non videntur bene cognoviſſe vias meas. Certè via vitæ, per quam ſe ambulare velle dicunt, ſolatio, & deſolatione variatur: quemadmodum oſtendunt exempla Sanctorum meorum, quos conſtitui præceptores mundi, ut erudirent principes ejus, tanquam ſemetipſos, & ſenes ejus, prudentiam docerent. Nunc ego iubeo aſcen- H dere populum meum ad explorandam è vertice Phaſga terram promiſſionis, nunc videor ſpem terræ promiſſæ non movere: nunc patior illum ſitire, & eſurire: nunc educo aquam de petra, & pluo ſuper illum, quaſi pulverem, carnes, & ſicut arenam maris, volatilia pennata. Hæc diſpono ego ſecundum conſilium voluntatis meæ, quod ſervi

Via Vitae conſolatione, & deſolatione miſta.

Scrip. An. forte 1594 mei deberent attentius conſiderare. Quocirca moneo vos, filii chariſſimi, ut ſitis grati, & humiles corde, non enim faciam ego quod vobis placet, ſed quod acceptum eſt Clementiſſimo Patri meo, (Ipſe enim amat vos,) & dirigam per viam æternæ vitæ temporaque, ut vobis expedit, mutabo. Accipite A diſciplinam meam, & inter adverſa, & proſpera tendite per viam vitæ, donec perveniatis ad fontem vivum, quo vos, ſine metu ariditatis amantiſſimè potabo.

CAPUT XII.

Docet ad progreſſum viæ vitæ famæ detrimentum tolerandum eſſe.

MUlti ſervi mei, qui mundum contempſiſſe videntur, adhuc de mundo ſunt: non enim ferunt patienter boni nominis detrimentum: ſed ita mihi ſervire volunt, ut honorentur ab hominibus. Nondum vetus fermentum expurgarunt: nam ſi, ut par eſſet, veterem hominem exuiſſent, gauderent, quando ſciunt famam ſuam obſcurari, & ſe ab aliis pro nihilo duci. Raro valde B reperitur unus de multis, qui non amet æſtimationem ſui, & qui non oderit, ab aliis non æſtimari. Intelligite, quæ dico, filii, & ite per Eccleſias, & Monaſteria Religioſorum, & vix pauciſſimos invenietis, qui lætentur, quando audiunt ſe male audire apud alios, ſicut gaudebant Apoſtoli mei, quando datum eſt eis, pro nomine meo contumeliam pati. Atque hæc eſt ratio, ob quam perfectam ſanctitatem non acquirunt, quia ſimul quærunt æſtimationem ſuam defendere, aut conſervare. Utinam adhæreret viſceribus eorum crucis diſciplina, ſine qua non curritur velociſſimè per viam vitæ. Ego certe multa famæ detrimenta paſſus ſum: & cum ſcirem me à principibus terræ, quaſi vilem & ſtultum haberi, & opera mea mac C lis interpretationibus perverti, non curavi placere eis, vel illorum æſtimationem quærere. Et quicumque hanc regulam ſecuti ſunt, mirabiliter profecerunt in ſchola manſuetudinis meæ, & ad cor altum feliciter acceſſerunt. Imitamini ergo me, filii chariſſimi, & boni nominis damnum læto animo ſuſcipite, quid enim intereſt, ſi alii bene, aut male de vobis ſentiant? Nunquid propterea meliores aut pejores eritis, aut apud me verum Deum, ac Judicem veſtrum aliquid deperdetis? Contemnite vanitatem hanc & invenietis theſaurum abſconditum ſapientiæ, quam mundus non cognovit. Certè fortes amici mei quæſierunt occaſiones multas, ut ab aliis, inopes, ignorantes, ignobiles & ſtulti putarentur; & mihi ſimiles fierent. Certate ergo vos bonum certamen D hoc: & vincite mundum, quemadmodum vici Ego: ut ſicut ſocii paſſionum & ignominiæ eſtis, ſic & participes conſolationis, & gloriæ ſitis: & inter filios Sion inclytos, & veſtitos auro primo, per plateam civitatis meæ, pleni gaudiis ineffabilibus, incedatis.

CAPUT XIII.

Docet ad progreſſum viæ vitæ. infirmitates patienter tolerandas eſſe.

IN charitate perpetua dilexi filios hominum E ego illorum cuſtos & redemptor: & ideo eos, qui mihi chariores ſunt, infirmitatibus multis exercere ſoleo, ne præſentis vitæ apparentibus bonis delectentur. Illorum carnem conſumi, & oſſa quaſi marceſcere facio, ut videant non eſſe auxilium in hominibus & ſpem omnem ſuam ponant in altiſſimo Patre meo. Torquentur die ac nocte doloribus, in lectulo ſuo: & cibum, atque potum uſque ad mortem faſtidiunt: neque in converſatione parentum, vel amicorum ſolatium ſui laboris reperire valent. Ibi nihil prodeſt nobilitas, vel ſcientia, vel divitiæ: tota enim anima, & corpus in carcere tribulationis aſtringuntur: ſolumque ſupereſt, ut ſint quaſi oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum, & clament ad me in toto corde ſuo. Legite, filii mei, Juſtorum tribulationes. Sanctorum meorum hiſtorias, & conſiderate itinera F æternitatis, per quæ deduxi afflictos, crucisque meæ conſortes chariſſimos amicos meos. Certè illorum patientia, tacita quædam reprehenſio veſtra eſt, quandoquidem non ita patienter & hilariter toleratis infirmitates, quas ego vobis mitto, ut celerius curratis per viam vitæ. Si diligeretis me, & per viam currere optaretis, gauderetis certè exercitio patientiæ, & poſſideretis cum lætitia animas veſtras, quas Ego cupio poſſidere. Jacent fortes amici mei pleni doloribus per annos viginti, ſeu triginta in cubili ſuo, & ſurgunt inde ad coronam patientiæ præparatam illis in regno meo: & vos vix unius hebdomadæ, aut menſis morbum alacriter ferre vultis. Non placet G mihi debilitas iſta ſalutis animarum inimica. Mutate ergo conſilium, filii chariſſimi, & gaudete probatione infirmitatum, quæ mortalem vitam abominabilem faciunt, & finis ſui homines admonent, ut quærant me in toto corde, totaque fortitudine ſua. Offerte mihi in ſacrificium corpora veſtra, ut percutiantur, & ſanentur, ut prius mortificentur, & poſtea vivificentur, prout placuerit mihi amantiſſimo Salvatori veſtro. Ego vos in brevi afflictione conſolabor, & tranſeuntes per ignem, & aquam, deducam in æternum refrigerium.

CAPUT XIV.

Docet ad progreſſum viæ vitæ importunas cogitationes tolerandas eſſe.

H EGO ſum cibus grandium, qui deſiderat hoc cibo nutriri, creſcat, & fruatur me. Multa ſunt impedimenta, filii chariſſimi, quæ ſervos meos exultantes mecum ad currendam viam, moleſtiſſimè vexant, ut fides illorum ſit multò pretioſior auro, quod per

Scrip. An. forte 1594

Mari confinia aſſignata.

ignem probatur. Poſtquam enim mortificationem crucis per annos multos exercuerunt in corporibus ſuis, & feſtinaverunt per viam vitæ, adhuc patiuntur importunas cogitationes, quæ illos in oratione requieſcere, & mihi adhærere non ſinunt. Turba confuſa, & clamoribus, ac tumultibus perturbata videtur: quæ amicos meos ad me accedere A quærentes retardat, verumtamen, qui viam vitæ, quam incepit, perambulare cupit, non ideo conſilium mutare debet, quaſi non poſſit ſedare, illud mare magnum, & ſpatioſum valde, ubi ſunt reptilia, quorum non eſt numerus. Ego enim concluſi oſtiis mare, & circumdedi illud terminis meis, & dixi: uſque huc venies, & non procedes amplius: & hic confringes tumentes fluctus tuos. Ego ſcio, quid expediat vobis: mihi credite, & perſeveranter confidite. Omnis hæc perturbatio finem habet. Ne cedatis turbæ imaginationum pugnantium contra præſentiam meam, quam requiritis. Pretioſa res eſt, tranquillitas illa, quam deberetis pretio ſanguinis emere. Petite, & accipietis, quærite & invenietis, pulſate, & aperietur vobis. Ego conſidero pios conatus veſtros, & delector lucta veſtra, Chariſſimi, nam luctamini B propter me. Atque ideo, ubi venerit plenitudo temporis à me definiti, ſtatuam procellam veſtram in auram, & ſilebunt fluctus ejus. Ego increpabo aquas, imperabo ventis & mari, & fiet tranquillitas magna, qua dilatabuntur, & admirabuntur viſcera veſtra. Ne ſequamini ſuperbos illos, qui ſtatim ab oratione recedunt, ſi diſtractiones patiantur. Iſti, qui æſtimare neſciunt bonitatem, & ſapientiam meam, non guſtabunt ſuavitatem auræ lenis divini Spiritus mei. Eſtote fideles, ac fortes, & vincite undas maris, fide mea, quæ fundata eſt ſupra petram. Ego veniam, & conſolabor vos ſicut mater conſolari ſolet unicum, & dilectiſſimum filium ſuum. Scripſi enim vos, non in tabulis lapideis, ſed in tenero valde corde meo.

C

CAPUT XV.

Docet ad progreſſum viæ vitæ, tenebras interiores tolerandas eſſe.

EGO ſum lux mundi, qui illumino omnem hominem venientem in hunc mundum, ut cognoſcat, & amet infinitam bonitatem meam. Et tamen, ut electi mei feſtinent per viam vitæ, permitto illos ſibi ipſis, & Angelo tenebrarum, ut incurrant tenebras interiores, & videantur ſibi jacere in umbra mortis. Et probatio hæc gravis valde ſervos meos coarctat: quia triſtis mutatio videtur, è claritate internæ lucis, ad obſcuritatem quaſi palpabilem devenire. Non ceſſant multis D gemitibus invocare me, poſtulantes oriri ſolem, qui eis diem lætiſſimum faciebat: nec tamen exaudiuntur. Expectant lucem & non vident, neque ortum ſurgentis auroræ. Nox nimis longa, laborioſa, & vacua eis videtur: quod grave nimis tormentum exiſtimant. Sed Ego, qui ſolem oriri facio, probo illos, ut videam, an in tribulatione moleſtiſſima fortes & fideles ſint, & ſpem incedentem uſque ad interiora velaminis habeant, credentes, & amantes quæ non vident, & quæ patiuntur non æſtimantes. Quocirca vos, filii chariſſimi, diſcite ſapientiam hanc, ut ſitis conſtantes, & ſynceri, ſive dies E internæ lucis, ſive nox interiorum tenebrarum adveniat. In die iſta mandare ſoleo vobis miſericordiam meam, & nocte debet reſpondere canticum ejus. Ut ſcilicet, quando nox eſt, & in caligine laboratis, cantetis miſericordias meas exultantes & lætantes in me memores uberum meorum, quorum lac, à vobis guſtatum, eſt dulce ac deſiderabile ſuper vinum. Si enim bona ſuſcepiſtis de manu Domini, mala quare non ſuſtineatis? Ego excæcavi Tobiam fideliſſimum ſervum meum, & cum eſſet juſtus, contriſtavi illum ad tempus, ut videret poſtea lucem ſolis, & copioſius exultaret. Sic ergo faciam vobis, filii chariſſimi, ſubtrahens ad modicum tempus radios meos, & vocans tenebras ſuper vos: ut poſtmodum appareat vobis formoſiſſima facies mea, cujus puriſſima luce delectemini, inter cives Jeruſalem, candida veſte amictos, qui cum F ineffabilibus gaudiis ſemper intuentur candidiſſimam lucem meam.

Tobiae caecitas.

CAPUT XVI.

Docet ad progreſſum viæ vitæ tolerandam eſſe dilectionem & ingratitudinem hominum.

DUra cervice, & incircumciſis cordibus ſunt filii Adæ ex utero matris ſuæ: & ad illos reformandos, & mihi configurandos, perſeveranti cultura opus eſt. Ego exerceo in virga ſervos meos, mittens illos in caminum tribulationum, ut bajulent crucem ſuam, & ſequantur me: & illi, dum in me conſolationem, quam deſiderant, non inveniunt, convertuntur ad ſolatia hominum, à quibus amantur, ut ibi requieſcant. G Verumtamen, ſi per viam æternæ vitæ celeriter currere, citoque pervenire velint, ſciant, & hanc requiem hominum conſanguineorum, vel amicorum ſibi ſubtrahendam eſſe: ut diſcant pati ſine conſolatione, & ad me ſolum, verum, & unicum ſolatium ſuum, inter preſſuras, ſuſpirare. Ego certe, dum operaret ſalutem hominum in medio terræ, multa paſſus ſum à derelinquentibus me, & ab ingratiſſimis conſortibus meis. In medio laborum meorum, reſpiciens eram in adjutorium hominum, & non erat; conſiderabam ad dexteram, & ſiniſtram, & videbam, & non erat, qui cognoſceret me. Sed & neceſſarii mei, qui H ſimul mecum dulces capiebant cibos, quaſi alieni receſſerunt à me. Quapropter nondum perfectè ambulant in via Domini, qui amicitias, & conſolationes hominum requirunt, & graviter conqueruntur, ſi ii, quibus opera bona fecerunt, ſibi non ſimiliter re-

Scrip. An. forte 1594

reſpondeant. Nam per hoc ipſum oſtendunt, ſe nolle ſine conſolatione vivere, & perfecte me imitari. Meditamini, filii, quæ dico: & me nudum, atque deſolatum imitari diſcite. Beati, qui omnes creaturarum amicitias, & conſolationes reſpuunt, & ſoli Deo adhærere ſtudent. Ipſi enim, multo felicius, quam dici poſſit, invenient me: A & gaudebunt inventa inæſtimabili requie ſua, quaſi qui invenit ſpolia multa. Ego ero illis in patrem: & ipſi erunt mihi in dulciſſimos filios, quia nullum ſolatium admiſerunt præter me. Quærite ergo me ſolum, filii, & ex toto corde deliberate, me totam requiem, & conſolationem veſtram futurum eſſe: & reſpondebit vobis confidenter laborantibus, dulciſſima & fideliſſima miſericordia mea.

CAPUT XVII.

Docet ad progreſſum viæ vitæ parce utendum eſſe vita præſenti.

DIlectiſſimi filii, hora eſt jam vos de ſomno ſurgere: B cito enim pulſabo fores veſtras: & beati eritis, ſi cum venero, invenero vos vigilantes. Eſtote ſicut ſpeculatores, qui de longe proſpiciunt, ne repentino adventu dominorum perturbentur. Capite quæ dico. Tempus breve eſt, & expectatio Judicis veſtri, magnam ſollicitudinem attentionemque requirit: neque ſufficit vigilaſſe, ſed neceſſe eſt vigilare, cum ſit currendum per longam viam æternæ vitæ. Quocirca moneo vos, ut caute ambuletis vocatione qua vocati eſtis, non ſinentes cor adhærere bonis apparentibus, ſed ſine adhæſione ulla, per viam veſtram properantes. Glutinoſa nimis mundi converſatio eſt: & qui tetigerit picem ejus, inquinabitur ab ea. Utimini parce bonis mundi, ne forte gravemini, & celeriter ambulare non poſſitis. C Conſiderate mores Sanctorum meorum, qui ex toto corde quæſierunt me: & videbitis quam caute ambulaverint, ne mergerentur in aquis mundi, cujus figura præterit. Honores & divitias, & conſolationes temporales diligentiſſime fugerunt, caventes ne nimius earum rerum amor illos inebriaret, & diverteret ab itinere vitæ, quod velociſſime confecerunt. Hæc eſt cauſa, ob quam nihil ex iis, quæ cum mundo tranſeunt, audire vel videre curarunt, quaſi ad ſuum inſtitutum nihil creatum pertineret. Hæc eſt cauſa moderati cibi, & potus, & veſtitus: hæc eſt cauſa incommodæ habitationis & parcæ converſationis: hæc eſt cauſa ſtricti ſilentii, & receſſus, a mundi ſtrepitu remoti. Cum enim ſe totos mihi ſervarent, D ſuperfluum, & vanum viſum eſt eis, ſenſibus ſuis communicationem ſeculi, niſi parce permittere: & maluerunt ab aliis imprudentes, & inutiles reputari, quam propriam conſcientiam, mundi participatione lædere. Diligite, filii, diſciplinam hanc, & dum tempus habetis, mecum ſollicite negotiamini. Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. Vos contenditis in agone, luctatores mei, quorum fortitudine glorificor. Abſtinete ergo vos ab omnibus, unde teneri, & ab hoſte ſalutis veſtræ ſupplantari poſſitis. Et ego vobis reddam mercedem magnam, pro infinita bonitate & liberalitate mea. E

Mundi figura præterit.

CAPUT XVIII.

Docet ad progreſſum viæ vitæ opera corporalia miſericordiæ exercenda eſſe.

INduite vos, filii chariſſimi, viſcera miſericordiæ, quam ſummo amore dilexi. Oſtium veſtrum viatori pateat: foris non maneat peregrinus. Oculos viduæ cum rubore expectare ne faciatis, & pauperes de velleribus ovium veſtrarum calefiant. Amplectimini pauperculos, & derelictos, qui non ſaturantur pane, & introducite illos in domos veſtras; & conſolamini illos. Ne obturetis aures ad miſeriam inopum, & gemitum pauperum, qui penetrat viſcera mea. F Reficite laſſos & infirmos viſitate, memores conditionis veſtræ, & dulciſſimæ charitatis meæ. Recordamini ſervorum meorum fidelium, qui viatores, & deſolatos non ſolum invitabant, ſed cogebant, & diligentiſſime miniſtrabant eis. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur: facti ſunt enim ad proportionem cordis mei. Non delebo nomina eorum de libro vitæ: quoniam tranſmiſerunt ad me opera miſericordiæ ſuæ, quæ fecerunt propter me: & habent pauperes multos interceſſores, quorum orationes ego non deſpicio. Væ crudelibus, quorum horrea & promptuaria plena ſunt, eructantia ex hoc in illud: & dum ipſi pretioſe veſtiuntur, & ſuperflue comedunt, non poſſunt ferre, ipſorum portas pulſari à pauperibus nudis, & famelicis, qui præ anguſtia exhalant animas ſuas! G Cavete filii mei, conſortia crudelium, qui, quaſi tauri pingues ſervantur ad victimam: quos ego in die ultionis viſitabo: & reſpondebo, pro parvulis & afflictis, quorum animas contempſerunt. Sitis potius prompti ad miſerendum, & lætamini compatientes egenis, ut boni fœneratores, qui mihi bona veſtra datis ad uſuram. Hæc ſit negotiatio veſtra, quæ majus habet lucrum, quam univerſi mundi mercatura: certoque ſciatis hoc exercitio negotiandi vos futuros eſſe divites veris & æternis divitiis, quæ nunquam deficient, & per viam æternæ vitæ celeriter curſuros. Si conſilium hoc meum adhæreat viſceribus veſtris, ego diligam vos, & in unoquoque afflictorum ego recipiam bona opera veſtra, & numerabo uſque ad unum, H ut reddam in tempore retributionis ampliſſima præmia regni mei. Lætamini benefacientes, & dilatate viſcera veſtra: nam menſuram bonam, & confertam, & coagitatam dabunt in ſinum veſtrum.

Conſortia crudelium cavenda.

CAPUT XIX.

Docet ad progreſſum viæ vitæ opera ſpiritualia miſericordiæ exercenda eſſe.

A HAbeo adverſum ſervos meos pauca, que illis obiiciam, quia cum ipſi doctrina, & conſiliis ſpiritualibus abundent, quibus poſſent inſtruere ignorantes viam Domini, non miſerentur proximorum ſuorum, quemadmodum Ego illorum miſertus ſum. Non commoventur viſcera eorum ſuper abjecta plebe mea: parvuli quippe petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Si crudeles ſunt, qui corpora fame & ſiti perire ſinunt, cum ſuccurrere poſſint; quomodo crudeles non erunt, qui animas fame mori permittunt? Conſiderate, filii, ſævitiam iſtam, & Sanctorum meorum miſericordiam imitamini. Illi certe non pepercerunt animabus ſuis, neque requiem ſibi dederunt, cum viderent proximos ſuos B ſpirituali miſericordia indigentes, quos, ſecundum legem meam, diligere curabant ſicut ſemetipſos, propter hoc dies, & noctes conſumebant in rudibus inſtruendis, tentatis corroborandis, errantibus ad viam meam reducendis, & denique in animarum ſalute ſtudioſiſſime procuranda: & qui in hac ultima ætate mihi placere vere deſiderant, non prætermittunt occaſiones horum operum miſericordiæ, quæ ſunt gratiſſima ſacrificia, quibus delectatur cor meum. Tranſit nimium breviter pauperculorum vita multis laboribus plena: & dolendum eſt, in rebus ad ſalutem neceſſariis, eos à ſervis meis non adjuvari, ut par eſſet, ad conſolationem cæli, laboribus terræ comparandam. Vos ergo, filii dilectiſſimi, ſi per viam vitæ feſtinare deſideratis, ſcitote exercitia ſpiritualis C miſericordiæ, opportuniſſima eſſe: atque adeo quærite occaſiones deducendi alios, per viam juſtitiæ, per quam vos ambulatis, & lucramini fratres veſtros. Inſtruite illos in ſpiritu lenitatis: docete modum Opera miſericordiae, quae? credendi, ſperandi, & diligendi me. Illuminate animas cæcas: incitate tardas: lætificate triſtes: conſolamini deſolatas: & ego odorabor ſuaviſſima holocauſta veſtra: & tanquam cooperatoribus meis pro animarum ſalute laborantibus, inter Senatores ſupernæ Jeruſalem, ſedes illuſtriſſimas præparabo.

CAPUT XX.

Docet ad inſignem progreſſum viæ vitæ extraordinaria opera virtutum exercenda eſſe.

D SI conſiderarent ſervi mei, quæ Ego pro illorum ſalute operatus, & paſſus ſum, non ita lente mihi ſervirent, neque tam modicis rebus contenti eſſent. Ego vir dolorum exercitatus in laboribus à juventute mea, feci plura, & majora, quam neceſſaria eſſent ad redemptionem generis humani. Non enim neceſſe erat tot doloribus, & inauditis ſuppliciis, exponere immaculatum corpus meum. Non erat neceſſaria paupertas adeo extrema. Non erant neceſſaria tot & tam amara improperia. Et tamen ſervi mei hæc non digne conſiderantes ordinario quodam E modo laborum, & bonorum operum contenti fugiunt magna opera virtutum, quibus poſſent glorificare clementiſſimum Patrem meum, & reſpondere infinitæ charitati meæ. Quod adeo verum eſt, ut raro inveniatur, qui de egregiis virtutum operibus cogitet, & ſe occaſionibus offerat propter me. Nimia ingratitudo eſt hæc, qua ſine dubio oſtendunt, ſe Adæ filios eſſe. Filiorum Adae ingratitudo. Sed primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis. Quocirca cum ſecundo homini ſervire cœperint, malo conſilio, terrenos mores primi hominis conſervant, quos auferre deberent. Certe fortes amici mei agnoſcentes quantum amori meo infinito deberent, mirabilibus adinventionibus extraordinarie mihi ſervire cum totius mundi admiratione F quæſierunt. S. Alexius. Propter hoc, Alexius chariſſimus ſervus meus, nova mundum arte deludens, intacta ſponſa receſſit, & fugiens honores, divitias, & voluptates peregrinatus eſt, & in paterna domo incognitus, & deriſus, uſque ad mortem perſeveravit. S. Alexander Carbonarius. Propter hoc Alexander cognomento Carbonarius, dilectiſſimus amicus meus, cum eſſet magnus Philoſophus, occultavit ſapientiam ſuam, & nigredine carbonis, quem facere conſuevit, ſe contemptibilem exhibens à pueris irrideri curavit, & verbum Crucis, quod eſt gentibus ſtultitia, totis viſceribus dilexit. Propter hoc Urſula S. Urſula. cum vndecim millibus Virginum incredibili invento, quæſivit mundo illudere & caſtitatis florem omnibus regnis anteponere. G Propter hoc leguntur in hiſtoriis Martyrum, & Confeſſorum meorum opera mirabilia, quæ ſolent dicere delicati ſervi mei eſſe admiranda, ſed non imitanda. Utinam deſinerent ipſi tam prudentes eſſe, & auderent multa, quæ non audent: ut glorificaretur in eis altiſſimus Pater meus, & ipſi majora præmia compararent. Ite, filii chariſſimi, contra difficultates rerum magnarum freti gratia, & fortitudine mea, & velociter curretis per viam æternæ vitæ. Date animas veſtras pro teſtamento meo: & nolite timere eos, qui perſequuntur, vel occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Ego dabo vobis ſapientiam & fortitudinem, cui non poterunt contradicere, & reſiſtere omnes adverſarii veſtri. Tantummodo confidite, & diligite me: & poteritis ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulare, & conculcare H leonem, & draconem. Ego ero fortitudo veſtra, & pugnantes roborabo: vincentibuſque dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo clementiſſimi Patris mei.

Scrip. An. forte 1594

CAPUT XXI.

Docet ad progreſſum viæ vitæ divinis inſpirationibus obediendum eſſe.

EGO, quaſi nutritius ſingulorum ſervorum meorum ambulantium per viam æternæ vitæ, mitto illis frequentes inſpirationes, A quibus ad curſum incitentur. Tempus enim breve eſt, & oportet velociter operari. Verum non omnes fideles ſunt, in ſequendis conſiliis meis, etſi me intus loquentem audiant, & conſcientiæ ſtimulum negare non poſſint. Habent enim ipſi opiniones ſuas in corde nimis fixas, quibus decreverunt hoc aut illud facere, non attendentes, quid velim ego. Atque hac de cauſa, accedente tempore, quod ſecundum opinionem ſuam, alicui ſtudio, vel operi aſſignaverunt, difficillime moventur, aut certe non moventur ad conſentiendum inſpirationi meæ; & propter hoc tranſeunt menſes, & anni multi, quibus parum proficiunt, & lente procedunt per viam vitæ: antepoſuerunt enim cogitationes ſuas conſiliis meis. Capite me filii: B doctrina enim hæc magni ponderis eſt. Homines ſeipſos amantes, & me non valde æſtimantes, non ſunt ſolliciti ſpiritualis profectus; ſed craſſo quodam modo ſpiritualia cogitant. Qui vero cor ſuum totum mihi ſacrificaverunt, quaſi exploratores civitatis Dei ſemper attendunt, quid loquatur eis Deus per ſecretas inſpirationes: & quaſi furtive ſuſcipiunt venam ſuſurri ejus. Et hæc eſt magna ſapientia, quam mundus non cognovit; & quam veri ſervi mei, qui non ſunt de hoc mundo & cognoverunt, & tota fortitudine ſua dilexerunt. Et vos ergo, filii chariſſimi qui ſpem veſtram in me Redemptore veſtro poſuiſtis, æſtimate ſapientiam hanc, & C ſpeculatores facti voluntatis meæ, animadvertite quid loquar vobis: & ut mihi obediatis, omnia mundi negotia relinquite, & veſtras opiniones abiicite, ne forte Deo repugnare videamini. Si vos ad orationem vocavero; eſtote ſicut oves rationales cognoſcentes vocem Paſtoris veſtri, qui ad paſcua vos ducere quærit. Si opera charitatis erga proximum inſpiravero: cavete, ne ſub prætextu devotionis, opera pia recuſetis. Si exercitia humilitatis, & patientiæ ſuggeſſero; ne contra ſtimulum calcitretis. Si enim fideles ſitis Ego, ut pædagogus veſter, deducam vos feliciter per viam æternæ vitæ, ſine errore cordis: faciamque ne vagari incipiatis poſt greges ſodalium meorum, qui animas ſtultas apparenti mei ſimilitudine decipiunt. Confidite in me: & ego dirigam & paſcam vos: D & poſt laborem viæ, quam cœpiſtis, gaudebitis ſuaviſſimo conſortio meo.

Chriſtus juſtorum pædagogus.

CAPUT XXII.

Docet ad progreſſum viæ vitæ Evangelicorum conſiliorum obſervantiam valde opportunam eſſe.

PAuci ambulant per viam vitæ, quam Ego mundi Redemptor hominibus prædicavi: & tamen inter paucos illos, magnum diſcrimen meritorum eſt. Qui autem mihi magnopere placent, illi ſunt, qui euntes vendiderunt omnia bona ſua, diſtribueruntque pauperibus, & expediti ab omnibus curis ſæculi, toto corde in ſtatu monaſtico ſecuti ſunt me: obtulerunt quippe mihi holocauſta medullata, relinquentes omnia, propter me, E omne bonum ſuum, totamque requiem, & conſolationem ſuam. Atque ita non habentes impedimenta vitæ ſæcularis volaverunt ad me, quaſi columbæ ad nidum ſuum, quem, in meipſo, ego præparavi eis. Noluerunt divitias poſſidere, ne illarum amore detinerentur, & proinde non valerent properare per viam vitæ. Noluerunt admittere licitas carnis delectationes, ne forte illo calore inebriati, obliviſcerentur mei. Noluerunt vivere ad arbitrium ſuum judicium proprium, & voluntatem propriam cum libertate ſæculi ſequentes, ne fortè amor ſui excæcaret illos. Et propterea elegerunt ſtatum ſecurum, ubi ſuperiori ſuo, tanquam mihi ipſi obedientes, intellectum & voluntatem ſuaviſſimi odoris holocauſto, mihi F ſacrificarent. Iſti ſunt, qui per viam æternæ vitæ velociſſime currunt: quos ego ardentiſſimo amore dilexi. Hæc eſt gens ſancta, & electa, pars populi acquiſitionis meæ, gaudium meum & corona mea, & fructus dulciſſimus paſſionis, & mortis meæ. Nam qui ita mihi ſerviunt, ut mundi bonis quantum licite poſſunt, fruantur, non uſque adeo me glorificant, cum cor diviſum habeant, & mihi minus adhæreant. Beati, qui ab adoleſcentia ſua, portaverunt jugum monaſticæ diſciplinae ſuper ſe, & conſecraverunt mihi florem ætatis ſuæ. Placebunt mihi ſuper vitulum novellum, cornua producentem & ungulas. Vos ergo, filii dilectiſſimi, qui deſideratis currere per ſublimem viam vitæ, G quærite, quantum fert ſtatus veſter, Evangelica conſilia mea ſequi. Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Si delectationes licitæ ſenſuum adſint, memores eſtote timoris mei, & cordis captivitatem vitate. Si occaſiones proprii judicii, & voluntatis adſint, manſuetudinem, & fraternam dilectionem exercete: & à ſervis meis luce mea illuminatis, in mundi negotiis dirigi curate, ne forte recedatis à via vitæ. Hæc eſt tuta, & viro Chriſtiano digna eruditio mea; quæ animos mites & ſuaves creat, & ad curſum inceptum conficiendum timoratos ſervos meos gratia mea corroborat. Amplectimini hanc, toto corde, filii mei, & negotiamini dum venio. Ego quippe reddam vobis mercedem honore infinito, & ineffabili conſolatione H plenum.

Gens ſancta, electa quae?

* * *

PARS TERTIA.

A

De ſtatibus & profeſſionibus eorum, qui ambulaverunt, ſive ambulant per viam vitæ.

CAPUT I.

Docet Jeſus Chriſtus, eos ſolos ambulaſſe per viam vitæ, qui Dei legem impleverunt.

FEci Ego Jeſus Chriſtus hominem rectum, & ille implicuit ſe infinitis quæſtionibus, quibus diverteretur à via æternæ vitæ. B Ego impreſſi legem naturalem cordi ejus, quam ille violavit, & ut ſuperabundaret gratia mea, ubi delictum abundaverat, dedi dulciſſimam legem novi Teſtamenti mei filiis Adæ & in viſceribus eorum ſcripſi eam. Palam apparui eis, qui me non interrogabant, ut deducerem manſuetos terræ, per viam vitæ, quemadmodum deduxi ſicut ovem Joſeph. Notum feci mundo, cuſtodiam legis meæ eſſe viam vitæ: ne abiret in varias doctrinas hominum ſectas multas inſtituentium, & relinqueret me Redemptorem ſuum, & auctorem æternæ ſalutis ſuæ. Non eſt aliud nomen datum ſub cælo, in quo oporteat homines ſalvos fieri, præter meum, in quo flectitur omne genu. Non eſt alia via, qua in C patriam cæleſtem iri poſſit, præter cuſtodiam immaculatæ legis meæ. Quicunque ignoraverunt viam hanc, erraverunt ſicut ovis quæ periit, & nihil profecerunt. Omnis mundi potentia, omnia imperia, omnis ſapientia, omnis nobilitas, omnis fortitudo, omnis fama, omnes divitiæ, omnia delectamenta, omnia denique univerſi mundi bona, extra cuſtodiam legis meæ, nihil ſunt, & ab homine Chriſtiano pro nihilo æſtimari debent. Sola lex mea nive candidior, convertens animas hominem ſalvat, & per viam vitæ deducit. Propter quod Sancti mei, boni æſtimatores gratiæ meæ, legem meam in medio corde ſuo condiderunt, & præ univerſis conſolationibus dilexerunt, mihique gratias agere nunquam ceſſaverunt, quod eis teſtimonium Domini fidele revelaſſem. Hæc eſt via Sanctorum impolluta, & ſegregata à peccatoribus, qua currunt electi mei. D Hæc eſt hæreditas eorum, qui nolunt hæreditatem in terra maledicta hominum, qui dereliquerunt me. Hæc eſt pars illorum, qui me totis viſceribus dilexerunt, qui modo exultant in gloria, & lætantur in cubilibus ſuis. Et vos ergo, filii, qui decreviſtis ſequi me, omiſſis curis aliis, quæ non proſunt, ſtudio dulciſſimæ legis meæ toto corde vacate: & imitamini fideliſſimos amicos meos, qui per hanc viam exquiſierunt me. Et ego, pro cuſtodia legis meæ, cuſtodiam vos, ut pupillam oculi, habeboque vos inter chariſſimos filios meos. E

Legis cuſtodia via vitæ.

Via Sanctorum impolluta, quae?

CAPUT II.

Docet bonos Pontifices ambulaſſe per viam vitæ.

PArs eorum, quibus notam feci viam vitæ, componitur ex multis Pontificibus, Vicariis meis, & ſucceſſoribus Petri fideliſſimi ſervi, & amici mei. Qui conſiderantes altitudinem dignitatis ſuæ, in qua collocavi eos, ut alligarent reges in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, humiliaverunt ſe in conſpectu meo, & totam ſpem ſuam poſuerunt in ſapientia & bonitate mea. Dilexerunt me ſuper animam ſuam, & gloriam meam uſque ad fines terræ propagare ſtuduerunt. Deduxerunt populum Chriſtianum per viam juſtitiæ, & Apoſtolicis viſceribus F omnium Eccleſiarum ſollicitudinem ſuſtinuerunt. Purgaverunt aream meam ab erroribus infidelium, & rigorem Eccleſiaſticæ diſciplinæ viriliter defenderunt. Miſerunt ad longinquas nationes, qui evangelizarent me: & gregem ſuum vigiliis, & laboribus innumerabilibus multiplicaverunt. Non habitavit in domo illorum, qui faceret ſuperbiam, & ſacras dignitates, & prælationes ambiret. Oculi enim illorum erant ad fideles, & manſuetos terræ, ut eos in partem ſollicitudinis vocarent. Non reſpexerunt carnem aut ſanguinem, ne forte contaminarentur, & non poſſent levare ad me puras manus ſuas. Non G honoraverunt, aut ditaverunt conſanguineos de bonis Eccleſiæ ſponſæ meæ: ne forte tanquam infideles diſpenſatores proiicerem eos à facie mea. Conſolati ſunt animas pauperum, & derelictorum, ut per omnia reſponderent cordi meo. Hi ſunt Pontifices qui feſtinaverunt per viam æternæ vitæ: quos ſedere juſſi inter Senatores Jeruſalem, quam dilexi. Hi ſunt viri pleni ſanctitate & miſericordia, quorum juſtitiæ oblivionem non acceperunt. Hi ſunt chariſſimi amici, & cooperatores mei, quos veſtivi purpura & byſſo in ſuperna civitate mea. Non deficiet laus eorum de ore hominum, quibus exempla ſanctitatis reliquerunt: digni enim ſunt, ut exaltent eos in Eccleſia plebis, & in cathedra ſeniorum laudent eos.

Eccleſiae bonis conſanguinei non ditandi.

CAPUT III.

H

Oſtendit bonos Cardinales ambulare per viam vitæ.

EGO Dei Sapientia providi Vicariis meis, quibus dedi poteſtatem ligandi atque ſolvendi, adjutores, & conſiliarios multos, quibus uterentur, ac cuſtodiam Jeruſalem ſponſæ,

Scrip. An. forte 1594

Cardinalium officia.

ſæ meæ. Hi ſunt, qui adjuvant Petri ſucceſſores vel ad ordinandam domum meam, vel ad dirigendos reges terræ, vel ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Qui ſi fideliter ſatisfaciant officio ſuo, habent pedes quaſi cervorum ad currendam viam vitæ. Certe ſi ſpirituales & modeſti ſint, ſi bono exemplo vitæ ædificent A Eccleſiam meam, ſi in exequendis mandatis Vicarii mei fideliter agant, ſi in operibus eis commiſſis ad univerſale regimen Eccleſiæ juſti & prudentes ſint, ſi vera, & utilia conſilia dent, quando de rebus gravibus interrogantur, ſi reditus Eccleſiaſticos bene, & pie impendant, ſi vanitatem ſuperflui apparatus, & famulatus vitent, ſi in palatiis ſuis homines vanos, & peccatores habitare non permittant, ſi perſonam hominum non reſpiciant, & pro me in cauſis meis viriliter reſpondeant, ſi in electione Pontificis ſine humanis reſpectibus ſanctè procedant, ſi miſericordes in pauperes, & in omnes benevoli ſint; velociter current per viam vitæ, & clarificabor in eis. Non peribit memoria eorum cum ſonitu: ſed nomina illorum vivent B in ſæculum ſæculi, & ſcribentur, quæ fecerunt, in generatione altera, ut populus, qui creabitur, laudet Dominum. Sed væ filiis Adæ, quia non omnes, qui purpura veſtiuntur, ſequuntur ſana conſilia, & dulciſſima verba vitæ meæ. Multi enim receſſerunt de via, quam oſtendi eis, & noluerunt glorificare me: ſed ſecuti ſunt doctrinas & conſilia hominum, quibus, non placuit veritas, & puritas ſcholæ meæ. Ego novi, quid ſit in homine: & reddam unicuique ſecundum opera ejus. Bonos autem Cardinales, tanquam fideles, atque prudentes ſervos meos adjuvabo. Dirigam eos, per viam æternæ vitæ, quam dilexerunt: & odorabor ſacrificia bonorum operum, quæ ſicut cinnamo- C mum, & balſamum aromatizans, ſparſa ſunt in plateis. Et poſtquam multis laboribus impleverunt menſuram præordinationis meæ dicet illis ſuaviſſimus ſpiritus meus, ut requieſcant à laboribus ſuis, & recipiant mercedem magnam, quam præparavi eis. Ego ſurgentes de terra recreabo, & recipiam illos ad ſtrictiſſimos amplexus meos.

CAPUT IV.

Oſtendit bonos Epiſcopos ambulare per viam vitæ.

EGO paſtorum Princeps, qui poſui animam meam pro ovibus meis, conſtitui multos paſtores in Eccleſiis meis, qui eſſent illarum ſponſi, & vigilias noctis cuſtodirent ſuper gregem ſuum. Ex quibus multi toto D corde glorificaverunt me ſuper cuſtodia Iſrael; qui fuerunt ſervi fideles atque prudentes, conſtituti ſuper familiam Domini ſui, ut darent illi, in tempore, bonam tritici menſuram, tritici præſertim illius, quod roborat genua debilia, & cor hominis confirmat. Non dormitaverunt, neque dormierunt: nam ſollicitudo cordis ſomnum excludebat, efficiebatque illos ſimiles Jacob fortiſſimo ſervo meo: qui æſtu urebatur per diem, & gelu per noctem, fugiebatque ſomnus ab oculis ejus. Non ceſſaverunt prædicare populo ſuo verbum meum, arguentes, obſecrantes, increpantes, ut exhiberent mihi Eccleſiam ſponſam ſuam non habentem maculam, neque rugam, ſed per omnia conſentientem cordi meo. Non receſſerunt à E loco Juriſdictionis ſuæ, ad curias principum, ut ambularent in magnis, & in mirabilibus ſuper ſe. Non ſunt lætati ſuper reditibus multis Epiſcopatuum ſuorum: ſed ſuper correctione, & ſalute populi ſui, quem ego erudiendum eis commiſi. Non ſunt paſſi adminiſtrationem Sacramentorum negligi: ſed totis viribus ſuis illam laudaverunt, & exercuerunt. Non clauſerunt oſtia domus ſuæ viduis, & orphanis: ſed ante omnes alias, cauſa derelictorum ingreſſa eſt ad illos. Iſti ſunt chariſſimi ſervi mei, quos poſui, velut candelabra, ut lucerent omnibus, qui in domo mea ſunt. Iſti fuerunt veri imitatores mei, qui puro corde, quæſierunt gloriam meam, & contempſerunt omnes commoditates, & voluntates ſuas. Iſti fuerunt veri F zelatores ſalutis animarum, qui cum viderent lupum venientem, non fugerunt, ſed viriliter reſtiterunt, ne forte lupus raperet, & diſpergeret oves meas. Iſti fuerunt deſolatorum conſolatores, pupillorum patres, errantium reductores, ignorantium magiſtri, & fragilium robur: qui quaſi columnæ ſuſtinuerunt fabricam Eccleſiæ meæ. Sed væ paſtoribus! quam pauci hujuſmodi jam inveniuntur! raro reperiuntur, qui mercenarii non ſint, & cor diviſum non habeant. Ad quos ego in virga veniam, & ſanguinem fratrum meorum de manu illorum requiram. Bonos vero Epiſcopos, qui currunt per viam æternæ vitæ, poſt labores, & bona opera ſua, vocabo ad ſedes regni mei, & ineffabilibus præmiis honorabo. G

Jacob.

CAPUT V.

Oſtendit bonos Sacerdotes ambulare per viam vitæ.

PLurimi ſunt jam Sacerdotes in Eccleſia mea, qui ſanctum Sacrificium, & immaculatam hoſtiam quotidie mihi offerunt: quorum vita angelica eſſe deberet. Non enim eſt alia natio ſub cælo, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Chriſtiani Sacerdotes, quibus ego verus Dominus, & Deus illorum quotidie appropinquo. Vita boni Sacerdotis, ab omni mundana converſatione longiſſime diſtare deberet: Sacerdos enim ſacrarium meum eſt: nam & corpus H ejus ſacra unctione ſanctificatum, à mundi communicatione ſeparavi. Conſiderate, filii, altiſſimam dignitatem hanc, & quomodo bonus Sacerdos officio ſuo ſatisfaciat, meditamini. Ille bonus Sacerdos eſt, qui conſcientiam ſuam non ſolum à peccatis mortalibus, ſed à venialibus mundam gerit: & quando,

Dignitas Sacerdotalis altiſſima.

pro

Scrip. An. forte 1594 pro humana fragilitate, venialiter peccat, confeſtim ad Sacramentum pœnitentiæ recurrit, ut purior ad altare meum accedat. Ille bonus Sacerdos eſt, feſtinatque per viam vitæ, qui tempus orationi aſſignat, antequam celebret, ut conſideret altitudinem myſterii, & magnitudinem miſericordiæ meæ. Ille bonus Sacerdos eſt, qui colligit vires animæ A ſuæ omni tempore, ſed præſertim celebrationis hora, ut in ſancto ſacrificio accedat ad cor altum, & uniatur mihi Creatori ſuo. Ille bonus Sacerdos eſt, qui conſiderans altitudinem ſacerdotii, providet me ſemper in conſpectu ſuo, per ſtudium præſentiæ meæ: & abſtinet ſe à negotiis ſæcularibus, quæ cor Boni Sacerdotis lineamenta. à me divertunt. Ille bonus Sacerdos eſt, qui oculorum & linguæ curam gerit, ne vanitates & ſpectacula mundi animam fœdare poſſint. Ille bonus Sacerdos eſt, qui ea, quæ officii ſui ſunt, recte ſcire, & exercere curat, & omnibus aliis mundi ſcientiis anteponit. Ille denique bonus Sacerdos eſt, qui temperans, caſtus, & modeſtus eſſe quærit, ut impollute mihi miniſtret. Ecce, filii, qualis eſſe debeat bonus Sacerdos: ex quo diſcernere poteritis malos Sacerdotes, quibus B mundus abundat. Jam enim non valde ſollicite examinantur mores miniſtrorum meorum: ſed ſtatim ac juvenis aliquis immodeſtus, & vanus parum Grammaticæ, & regularum Miſſalis didicit, ſine timore, & conſideratione tremendi Sacramenti currit ad Sacerdotium: dicitque audacter, ſe habere partes requiſitas, ut initietur. Væ talibus Sacerdotibus! quorum Calendas, & neomenias odivit anima mea. Ego taceo nunc, & patienter ſuſtineo, propter electos meos; ſed indignis miniſtris horrende apparebo, & ulciſcar me de inimicis meis. Fideles autem Sacerdotes, quorum ſacrificia reddiderunt odorem ſuaviſſimum Patri meo, & qui celeriter currunt per viam vitæ, laudabo in atriis Jeruſalem, & ſedere jubebo inter convivas C regni, in lautiſſima menſa mea.

CAPUT VI.

Oſtendit bonos Religioſos ambulare per viam vitæ.

PUlchra eſt, & decora filia ſupernæ Jeruſalem, militans Eccleſia mea: & terribilis hoſtibus ſuis, apud quos nullus eſt ordo, quia ipſa eſt, ſicut caſtrorum acies ordinata. Quod apertè videbitis, filii chariſſimi, ſi Ordines reformatos Religioſorum conſideretis, qui à cæleſtibus amantur, & ab inferis timentur: amantur propter decorem, timentur propter ordinem, & militarem diſpoſitionem, quaſi ad prælia Domini præ-D parati. Gens ſancta eſt, quam Ego ſummopere diligo, quia ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus fugiens, accelerat curſum per viam vitæ. Fortior eſt bonus Religioſus, quam qui urbes expugnat. Sapientior eſt, quam qui omnes mundi ſcientias didicit. Altior eſt, quam qui omnia mundi regna poſſidet: & ubi multi tales congregantur ad ſerviendum mihi, ſub uno ſuperiore, qui repræſentat perſonam meam, habeo Ego requiem, quam quæſivi, & reclinatorium aureum cordis mei. Sed ubi inveniuntur hujuſmodi congregationes? ubi erit hæc generatio quærentium Deum, quærentium formoſam valde faciem Dei Jacob? Sapientia hæc ubi reperitur, & quis eſt locus miræ hujus intelligentiæ? E Non ſunt valde multi Religioſi, qui currant adeo velociter per viam vitæ, ſicut deberent. Bonus Religioſus eſt, qui ex toto corde renunciavit mundo, parentibus, conſanguineis, amicis, & omnibus aliis, à quibus poterat adjuvari. Bonus Religioſus eſt, qui ſe totum, ſine ulla exceptione tradidit in manus Superioris, redigens in capivitatem intellectum, & voluntatem, & totum corpus & animam propter me. Bonus Religioſus eſt qui vitam communem, & regularem, ſine ſingularitate ſequitur, & in hoc ſancto propoſito, ſine relaxatione perſeverat. Bonus Religioſus eſt, qui vota ſolemnia, & regulam, & Religionis conſtitutiones, mandataque Superiorum fideliter obſervat. Boni Relligioſi delineatio. Bonus Religioſus eſt, qui ſpiritualiter vivit, ambulans F coram me, & impreſſam cordi conſervans præſentiam meam. Bonus Religioſus eſt, qui tacitus, modeſtus, humilis, & manſuetus vitat ea, quibus fratres ſuos ſcandalizaret; & omnes bono exemplo ad pietatem movere quærit. Hæc eſt forma boni Religioſi, quæ congruit animæ meæ: eo quod amabilis & decora ſit. Quocirca iis, qui eam complectuntur, propitius, & liberaliſſimus ero. Sicut enim malos Religioſos odi, quia in clauſtro, & ſanctuario meo peccaverunt & Religionem, dulciſſimam ſponſam meam, corruperunt: ſic bonos dilexi, eo quod ſponſæ meæ ornatum addiderunt. Atque ideo ego ornabo, & coronabo eos, & adhærere faciam illos viſceribus meis.

CAPUT VII. G

Oſtendit bonos Superiores Religioſorum ambulare per viam vitæ.

BEati fideles, & diligentes Prælati Religioſorum, qui ducunt ſubditos ſuos per viam æternæ vitæ, & exemplo vitæ currunt ante illos. Non timebunt domui ſuæ a frigoribus culpæ: omnes enim domeſtici eorum veſtientur duplicibus, & multiplicabunt bona opera ſua. Ego protegam illos, & glorificabor in eis, quia mirabilia operati ſunt in conſpectu meo. Sed ubi ſunt iſti boni, & fideles cooperatores mei, qui faciant omnia ſecundum exemplar, quod eis in monte monſtratum eſt? Conſiderate filii partes bonorum Superiorum, & dolebitis ſuper eorum H penuria, & ſuper contritione Religionis ſponſæ meæ. Bonus Superior eſt, qui non voluntate ſua, ſed obedientia motus aliorum curam ſuſcepit. Bonus Superior eſt, qui in manſuetudine, & humilitate aliis præſidet, Boni Superioris deſcriptio. ſolum laborem de prælatione ſibi ſumens

Scrip. An. forte 1594

honorem, & æſtimationem mihi tribuens. Bonus Superior eſt, qui in ſpiritu lenitatis inſtruit ſubditos ſuos, & exemplo, ac verbo, ad amorem & cultum virtutum movet illos. Bonus Superior eſt, qui vitam communem, & obſervantiam regularem ſuſtentant, & nullam ſingularitatem admittit ex occaſione A officii, aut prælationis ſuæ. Bonus Superior eſt, qui ſubditos ſuos devotionis, & compunctionis amicos facit, & communicationem ſpiritualem inter ſuos introducit. Bonus Superior eſt, qui imperfectiones, & abuſus introduci non patitur, & qui introductos extirpat. Bonus Superior eſt, qui ſæpe viſitat ſubditos ſuos, & hortatur, & conſolatur illos. Bonus Superior eſt, qui tentatos adjuvat, fragiles confirmat, ignorantes docet, tepidos extimulat, devotos ad progreſſum incitat. Bonus Superior eſt, qui ſingulis neceſſaria ſive ſpiritualia, ſive temporalia providet; & cum labore, & incommoditate propria ſubditorum requiem, & obſervantiam quærit, omnibus omnia factus, ut omnes mihi lucrifaciat. Hæc eſt forma B bonorum Superiorum, quam qui ſecuti ſunt, ſummopere placuerunt cordi meo. Longe receſſerunt à via vitæ Superiores ambitioſi, incontinentes, avari, impatientes, guloſi, & alii, qui prælatione ad ſuam damnationem abuſi ſunt: quorum pars cum iniquis poſita eſt, quia me graviſſime offenderunt. Superiores autem mites, & corde humiles, qui fecerunt omnes voluntates meas, & properaverunt per viam æternæ vitæ, optimam gratiam ſibi in cælo repoſitam acceperunt, inter dilectiſſimos miniſtros, & amicos meos.

CAPUT VIII.

Oſtendit bonos Solitarios ambulare per viam vitæ.

C EGO cuſtos, & inſtructor hominum, conſuevi à multis retro ſæculis ducere aliquos amicos meos in ſolitudinem, & ibi loqui eis ad cor; reliquerunt enim omnia propter me, ut totis viſceribus vacarent mihi, & audirent me in ſibilo auræ tenuis, ubi pacem nunciare ſoleo iis, qui ex tota fortitudine ſua diligunt me. Res laude digna eſt, omnia mundi ſolatia refutare, & mihi ſoli velle adhærere. Verumtamen non omnes Eremitæ, ſive ſolitarii laude digni ſunt. Multi enim ſequuntur ex toto corde judicium proprium, & voluntatem ſuam, & quia nolunt ſeipſos mortificare, alieno judicio, & voluntati obediente, eligunt vitam ſolitariam, ut omnia faciant ad libitum ſuum. Quod ſi aliquis ſpiritualis ſervus meus illos inſtruere velit, ut mortificatio- D nem proprii judicii amplectantur, nullo modo acquieſcunt, neque verba ſana audire volunt. Hi non valde fœliciter ambulant per viam vitæ, quia intellectum, & voluntatem mihi ſacrificare nolunt. Illi vero Solitarii bene currunt per viam vitæ, qui non electione ſua, ſed conſilio ſervorum meorum ad ſolitudinem recedunt, & ſequuntur per omnia regulas vivendi ab eis traditas, multa cum ſimplicitate, & ſubmiſſione, nolentes altum ſapere, & proprio ſenſu ſeipſos gubernare. Hi non errabunt à via recta, neque requirent ſpirituales commoditates ſuas: ſed meritum obedientiæ cum E mortificatione crucis conjunget. Propter iſtos germinabit ſolitudo, & erit fœcunda, ſicut terra promiſſionis, & ſicut ager plenus, cui benedixit Dominus. Ego laborantes adjuvabo, & malas beſtias terrebo, ne appropinquent eis. Ero eis umbraculum in æſtu, & pluvia, & in derelictione protegam eos. Si perſeveraverint quærere me, inter ſaxa & aſperitatem ſcopulorum, fruentur pace mea: oleoque lætitiæ ungam animas eorum: finitoque curſu laborum, pro ſolitudine tolerata, vocabo illos ad dulciſſimam ſocietatem meam.

Probi ſolitarii notae.

CAPUT IX.

Oſtendit bonos Prædicatores ambulare per viam vitæ. F

EGO miſi nuntios verbi mei in mundum, ut prædicarent me crucifixum, & docerent homines viam vitæ, ad quam per crucem pervenitur. Non præcepi, ut loquerentur in ſublimitate ſermonis, & ſcientias profanas diſcerent, ut ab hominibus laudarentur. Verbum ſanctum, ſanum, & irreprehenſibile, legem ſcilicet meam immaculatam, & convertentem animas prædicare præcepi, ut converterent cor patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam Juſtorum, & tamen jam pauci ſunt, qui non adulterent verbum Domini, & vana multa verbis meis admiſceant. Prædicant ſeipſos filii Adæ, & hominibus placere curant. Gaudent laude populorum magis, quam converſione animarum: G & contriſtantur ſupra modum, ſi deſit eis hominum approbatio. Non erudiunt rudes; non inflammant frigidos: non corroborant fragiles: non ſolantur triſtes: non oſtendunt viam vitæ. Non aperiunt aures ſurdorum: non movent ad timorem & amorem meum. Sed multiplicant ſubtiles conceptus: coacervant multas allegationes: loquuntur eleganter, & vanè: & amant appellari ab hominibus Rabbi. Quid eſt hoc? Numquid hæc eſt prædicatio Jesu Chriſti pendentis in ligno, & tota die manus expandentis ad populum non credentem, & contradicentem ſibi? Uſquequo patiar iſtos vanitatis amatores, qui labiis quandoque me honorare videntur, cor autem eorum longe eſt à me? Multa paſſus ſum ab iſtis, propter quæ potuiſſem juſte auferre eos de terra. H Non enim bono exemplo vitæ movent populum ad currendam viam: atque ita quidquid dicunt, etiam quando ſancte loquuntur, frigidum eſt, & ſolum aërem verberare videtur. Revertimini ad cor miniſtri mei, qui evangelizatis æternum regnum meum. Fugite va-

Concionatorum abuſus.

Scrip. An. forte 1594

nitatem & mendacium: & Apoſtolos meos imitamini. Prædicate ignitum eloquium meum vehementer, & ſpiritu meo animate verba caſta, ut feriant corda populorum. Eſtote fideles miniſtri mei; & clamate in nomine meo, ut mundus reconcilietur mihi. Si ſancte doctrinam meam prædicetis, curretis velociter A per viam vitæ, & ego diligam vos. Si feceritis & docueritis, vocabimini magni in ſuperventuro regno meo. Ego vos exaltabo & glorificabo: daboque coronas virides, ut veſtiam vos ſtola candidiſſima, in primogenita civitate mea.

CAPUT X.

Oſtendit bonos Confeſſarios ambulare per viam vitæ.

Probi Confeſſarii notae.

Confeſſariorum abuſus.

BEati ſervi mei, qui Sacramentum pœnitentiæ, ubi reconciliantur mihi peccatores, digne miniſtrant. Ibi enim aſpergunt animas hyſſopo, & mundantur, & mirabili transformatione, ſuper nivem dealbantur. Ibi tanquam patres educant chariſſimos filios B ſuos: ſicut doctores erudiunt diſcipulos ſuos: ſicut medici curant infirmos: ſicut matres ſolantur parvulos: ſicut judices diſcernunt, & abſolvunt, ſive condemnant ad ſalutem. Ibi laborant in officina pretioſiſſimi Sanguinis mei lavantes ſtolas pœnitentium, & induentes illos veſte nuptiali, ut digne accedant ad lautiſſimam menſam meam. Ibi conſolantur afflictos: peccatores convertunt: deducunt juſtos per vias rectas, & una cum illis accelerant curſum per viam, quæ ducit ad vitam; verumtamen jure lamentatur Eccleſia ſponſa mea talium miniſtrorum penuriam. Raro enim ejuſmodi Confeſſarii jam inveniuntur: & factum eſt, ut Sacramentum ſalutis, multis in ſcandalum convertatur, C propter abuſum magnæ miſericordiæ meæ. Væ infidelibus miniſtris pœnitentiæ, qui humanis reſpectibus ducuntur, & non afferunt remedia infirmis conſcientiis, ſed illas à ſe vulneratas dimittunt! Non recordantur ſeveri judicii mei, & malunt hominibus, quam mihi placere. Non ſunt patres, & magiſtri, ſed hoſtes, & depravatores animarum, quas à periculo æternæ mortis non eripiunt, & ſæpe ipſi in idem periculum præcipitant. Videntur alios juſtificare, & ſeipſos maculant atque à via juſtitiæ longiſſimè diſcedunt. Ego veniam & judicabo illos: & quæ ipſi abſcondite faciunt, ego revelabo in conſpectu ſolis, & iis, qui oderunt me, retribuam. Rem quippe abominabilem fecerunt in medio D Eccleſiæ ſponſæ meæ. Bonos autem, & fideles Confeſſarios, qui me in ſecreto glorificant, ego magnificabo coram populis, & nationibus; & quia mihi fideliter cooperati ſunt in ſalute animarum, quam æterno amore dilexi; ego reddam eis ampliſſimam mercedem honoribus & gaudiis ineffabilibus plenam in ſummitate montis ſancti mei.

CAPUT XI.

Oſtendit bonos Parochos ambulare per viam vitæ.

Parochi officia.

Et vitia.

ANimarum cura pretioſa valde eſt in conſpectu meo: quia illas pretioſo Sanguine meo redemi: dedique pro illis E dilectam animam meam in manu inimicorum ejus. Atque ita, ſuper negotiationem auri, & argenti, gratiſſima eſt mihi negotiatio, & ſollicitudo bonorum Parochorum, qui non ut mercenarii, ſed ut Patres quærunt ſalutem plebis ſuæ. Non quærunt, quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum, & proinde contemnunt requiem & commoditatem ſuam, ut plebis ſalutem operentur. Mundo corde miniſtrant Sacramenta mea, inſtruentes pauperculos, ignorantes viam Domini, ut ſciant, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. Viſitant pupillos, & viduas in tribulatione poſitas, & paternis viſceribus omnes afflictos conſolantur. Non accipiunt perſonam hominum, ut in cauſa æternæ ſalutis divites pauperibus anteponant. Non afficiuntur tædio in neceſſitatibus & importunitatibus quærentium F panem ſive ſpiritualem, ſive corporalem. Paſcunt populum verbo vitæ, & ad cæleſtia bona quærenda ferventer exhortantur. Diſcordes conciliant, ut in pace me requirant. Pueros inſtruunt, ut à primis annis diſcant timorem meum, & à mundi periculis abſtineant. Tentatos corroborant, mœſtos conſolantur, infirmos recreant, morientes diligenter adjuvant miniſtratione Sacramentorum, & aliis ſpiritualibus auxiliis, in illo extremo conflictu neceſſariis, fiunt oculi cæcorum, & pedes claudorum, ut dirigant omnes, per viam vitæ, per quam ipſi ambulare cœperunt. Et quod ad cultum meum immediatum ſpectat, vaſa ſacra digne tractare, omniaque ita mundare curant, ut per G omnia placeant ſpiritui meo. Hi ſunt veri operarii, & ſolliciti mercatores, qui negotiantur, quaſi modicum tempus habentes, non ſolum, ut ipſi ſalutem æternam conſequantur, ſed ut populos ſibi commiſſos ſalvos faciant. Verumtamen ego reſpexi de cælo ſuper filios hominum, & paucos valde hujuſmodi Parochos inveni. Dolendum eſt enim, quomodo operentur quaſi mercede conducti, & Eccleſias, & animas pebis ſuæ ſordidas remanere permittant; cum ſciant ſe mihi rationem reddituros pro animabus parvulorum, quas à morte non liberant. Ego veniam, & ſedens ponam rationem cum miniſtris meis. Malos male perdam, quia demoliti H ſunt vineam meam: bonos vero mihi chariſſimos remunerabo honoribus infinitis, & copioſiſſimo torrente voluptatis meæ.

CAPUT XII.

Oſtendit bonos Principes ſæculares ambulare per viam vitæ.

IN cæleſti Jeruſalem, quæ ædificatur ut civitas, manſiones ſuæ ſunt præparatæ bo-

Scrip. An. forte 1594 bonis regibus, & principibus ſæcularibus, qui toto corde requirunt me. Qui licet multis occupationibus diſtrahantur, cor in me fixum habent: & parati ſunt omnes ſuos principatus amittere potius, quam me ſummum Regem, & Deum ſuum offendant. Probi Principis notae. Conſiderant enim ſe ſine me nihil poſſe facere, cum per me reges regnent, & legum A conditores juſta decernant: atque ideo in timore meo regunt populos ſuos caventes ne juſtitia corrumpatur, & pauperes iniquè graventur. Habent ante omnia rationem cultus mei, & viros Eccleſiaſticos, eorumque bona, quaſi mihi ſacrata attingere non audent. Reverentur Sacerdotes meos, quaſi patres, à quibus pane vitæ nutriuntur: & Pontificibus ac Epiſcopis meis, quaſi Dominis honorem afferunt, & illorum conſilio regi deſiderant, quemadmodum fecerunt antiqui reges electi mei. Prohibent, quantum poſſunt, peccata regni ſui, bonos cives, & milites honoribus, & præmiis afficientes, malos autem de medio populi auferentes, David. ſicut, fecit Rex David fideliſſimus ſervus B meus. Muniunt caſtra, vias, & pontes; præfigunt pretia juſta rebus vendibilibus: provident neceſſaria temporibus opportunis: abſtinent à vectigalibus imponendis: ſunt erga pauperes miſericordes: omniaque iſta dirigunt ad pacem regni, pacemque ipſam, ad gloriam, & honorem meum. Atque ideo ego regna iſtorum regum protego, & ab hoſtibus ſive fidelibus, ſive infidelibus defendo. Sed jam pauci ſunt Reges, qui ſanctè operentur, & qui non magis rationes politicas, quam legem meam attendant. Verumtamen patior illos uſque ad tempus præſtitutum, quando regam illos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringam eos. Tempus breve eſt; qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: qui in ſuperbia eſt ſuperbiat adhuc, donec impleat menſuram peccatorum ſuo- C rum. Ego habeo in femore ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium. Ego humiliabo ſedes ſuperborum, & ſedere faciam mites pro eis. Bonos autem reges, filios Eccleſiæ ſponſæ meæ transferam ad ampliſſimum regnum meum, & illuſtrabo illos altiſſima ſede gloriæ meæ.

CAPUT XIII.

Oſtendit bonos milites ambulare per viam vitæ.

EGO Jesus Chriſtus Salvator hominum neminem excludo à participatione redemptionis meæ. Atque idcirco nemo deſperet quantumvis multiplicaverit delicta ſua ſuper numerum arenæ, quæ jacet in littore maris. Militum peccata horribilia. Multa ſunt & horribilia valde peccata militum, in quos vitia gentilium tranſierunt. D Sed & ipſi ſi velint converti ad me, ambulabunt per viam vitæ, & aperietur illis janua feliciſſimi regni mei. Ego enim nunquam rejeci hominem, qui ſervire vellet clementiſſimo Patri meo. Quapropter, & in ipſis exercitibus, ubi tot peccata committuntur, inveniuntur, aliquando pauci aliquot timentes Deum, qui ad militiam cauſa fidei defendendæ, vel alia juſta cauſa venerunt. Qui contenti ſtipendiis ſuis, nihil furantur: non blaſphemant nomen meum: non contendunt cum commilitonibus ſuis: non ſunt arrogantes, & contumelioſi: non ſunt guloſi & incontinentes: & obediunt fideliter ducibus ſuis. E Hi ſunt rari admodum: ſed tanto meliores, quanto cum pejoribus converſantur. Hi ſunt ſimiles Machabæis, quorum fortitudinem auxi Ego: quia non erant tam ſolliciti pro honoribus, & bonis temporalibus, quam pro gloria nominis mei. Sed jam Chriſtianorum exercitus vix habent, unum, aut alterum hujuſmodi, qui ſerio ambulet per viam vitæ. Fœdantur enim commeſſationibus, & ebrietatibus, cubilibus & impudicitiis: Et vitia. & abominabilis eſt vita eorum ſuper terram. Currunt velociter ad ſanguinem & ad portas mortis appropinquant: F neque tamen recordantur ſeveri judicii mei. Utinam Chriſtianorum caſtra timerent me, & ad victorias comparandas, omnia peccatorum idola de medio ſui exterminarent! Ego roborarem brachia militum, ut unus fugaret mille, & duo fugarent decem millia. Ego ſum fortitudo quærentium me, & ſervantium præcepta mea: impii vero & prævaricatores, fugient nemine perſequente, & cadent in retiaculo meo. Bonos autem milites, qui ambulant in conſpectu meo, ego remunerabo: & pro belli periculis, & tumultibus, fruentur æterna ſecuritate, & dulciſſima pace mea.

CAPUT XIV.

Oſtendit bonos Advocatos ambulare per viam vitæ. G

OPortet in vita mortali lites & contentiones eſſe, ut juſti exerceantur: & de patientia bene tentata multas coronas acquirant. Oportet quoque ad juſtitiam cognoſcendam & ſervandam Advocatos eſſe, Advocati officia, quae? qui Chriſtiana pietate ducti veritatem aperiant, ut lites terminentur: qui ſi recte agant, per viam æternæ vitæ feſtinare poterunt. Si enim veritatem inquirant, & ſecundum conſcientiam clientes juſtitiæ vel injuſtitiæ moneant, neque mercedem injuſtam cum fictione, ſive falſa dilatione recipiant, pauperibusque, qui auxilio carent, miſericorditer patrocinentur; occaſiones multas exercendæ juſtitiæ, charitatis, & patientiæ habebunt, & accelerabunt curſum viæ vitæ. Defenſio enim innocentium, & conſolatio pauperum bona eſt, & placet animæ meæ; quam utinam omnes Advocati fideliter exercerent. Sed magna calamitas eſt, quod tam pauci inveniantur, H qui puro corde, puriſque manibus agant cauſas proximorum, & qui lucrum ſuum pluris, quam conſcientiam non æſtiment. Non eſt finis litigandi, & de die in diem differendi, donec ſubſtantia paupe-

Scrip. An. forte 1594

rum conſumatur, & deficiente ſubſtantia ad litigandum, cadant cauſa, & à pontentioribus vincantur. Quid eſt hoc? Uſquequo parvuli ſuſpirabunt ad me gravati ab iis, qui eos defendere, & conſolari deberent? Nonne conſiderabunt advocati, ſe indigere aliis advocatis, à quibus defendantur in cauſa æternæ ſalutis ſuæ, & erunt juſti, & miſericordes, A ut juſtitiam, & miſericordiam conſequantur? Infelices ſunt, qui non recordantur finis ſui, & timoris mei. Pro eo quod dereliquerunt juſtitiam, & veritatem, cum ab innocentibus rogarentur, derelinquam Ego illos in tempore anguſtiæ ſero invocantes me. Bonos autem Advocatos, qui per viam vitæ feſtinant, Ego adjuvabo: ſcientque per experientiam ſe advocatum habere me apud clementiſſimum Patrem meum, qui pro peccatis illorum interpello. Illi juſte, & miſericorditer egerunt: Ego illis coronam juſtitiæ reddam: & inſuper illos exaltabo, ut cum inæſtimabili lætitia cordis, cantent in æternum fideliſſimas miſericordias meas.

CAPUT XV.

Oſtendit bonos Judices ambulare per viam vitæ.

B

AUdite caſta conſilia Judices: & erudimini qui judicatis terram. Ego judicium diligo, ut reddatur unicuique quod ſuum eſt, & boni vindicentur, malique puniantur. Et propterea poſui vos, ut ſederetis ad faciendum judicium in terra, memores judicii mei. Si deſideratis ambulare per viam, quæ ducit ad vitam, auribus cordis percipite leges, & inſpirationes meas, ne forte pereatis, cum venero judicare terram. Eſtote recti, & incorrupti æſtimatores juſtitiæ, & veritatis, quam dilexi. Ne diligatis munera, quæ cor ſeducunt, ne videat æquitatem. Non accipiatis perſonam hominum, qui ſunt mendaces in ſtateris. Sinite pauperes juſtitiam C requirentes ingredi ad vos, & illorum querimonias patienter audite. Ne ſitis tardi ad faciendum judicium, gemituſque afflictorum ne contemnatis. Cauſam, quam neſcitis, diligenter inveſtigate, neque in ira ſententiam pronuncietis. Reddite peccatoribus ſecundum opera & ſcandala ipſorum: pios autem & innocentes liberate. Confringite molas iniquorum, & prædam auferte de dentibus illorum. Si enim hæc feceritis iniquitatem abominantes, & legem meam diligentes, longis itineribus properabitis ad me per viam vitæ, & dilatabitur per vos gloria mea. Sed væ mundo, quam pauci Judices recte judicant, & quam multi judicium corrumpunt & muneribus, & affectibus humanis D corrumpuntur! Dederunt mihi tergum, & non faciem, & prævaricati ſunt legem meam. Abutuntur potentia, quam ego dedi eis, ad inſontes opprimendos, & quicquid appetunt, ſibi licere volunt. Non eſt hæc via, quæ ducit ad vitam, quæ ſine juſtitia poſſideri non valet. Ego cum accepero tempus, juſtitias judicabo; quanto magis injuſtitias & violentias? Nunc autem patienter ago, donec tempus meſſis accedat, & dicam meſſoribus meis: colligite zizania, & alligate ea in faſciculos, ad comburendum. Ego ſum Judex vivorum & mortuorum, omneſque judices terræ præſentabuntur ante tribunal meum. Tunc operatores iniquitatis horribiliter damnabo: juſtos vero Judices, chariſſimos ſervos, & miniſtros meos, E coram univerſo mundo honorabo, & ducam mecum in ſupernam Jeruſalem, & in æternam requiem meam.

Judicis officia, quae?

Chriſtus Judex vivorum, & mortuorum.

CAPUT XVI.

Oſtendit bonos Medicos ambulare per viam vitæ.

BEati ſervi illi, qui humanis ſcientiis & artibus, piè utuntur propter me. Omnia, quæ parum prodeſſent, ſi recordarentur mei, convertuntur in materiam meriti, & in occaſionem gloriæ meæ. Oportet infirmos curare: nam & ego præcepi diſcipulis meis, ut curarent infirmos: & in extremo judicio, dicam Juſtis meis: Infirmus F eram, & viſitaſtis me. Non enim placent cordi meo viſcera crudelia, quæ neſciunt ſuavitatem charitatis meæ. Vos ergo filii, qui medicinam facitis: ſi per viam vitæ ambulare deſideratis, curate infirmos Chriſtiano more, ſingulos eorum, tanquam meipſum in lecto jacentem viſitantes, & omnes labores, & actus veſtros ad me dirigentes, ut proficiant ad æternitatem. Licet enim æquum ſit, ut propter mercedem laboretis (dignus eſt enim operarius mercede ſua) tamen non ibi ſiſtatis, quia hoc & medici gentiles faciunt: ſed ulterius procedite, & purificate intentionem veſtram, volentes principalius laborare propter me. Quod tunc verum eſſe apparebit, quando pauperes, à quibus mercedem non eſtis accepturi, prompta voluntate viſitabitis. G Qui enim pauperes libenter curat propter me, per hoc ipſum manifeſtat; ſe non propter mercedem ſolam divites curare. Eſtote miſericordes, & ferte patienter faſtidia infirmorum, neque afflictis afflictionem apponatis. Sitis hilares, & ſuaves, ut Chriſtiana charitate infirmos conſolemini. Eſtote fideles, ut ſpiritualem medicinam Sacramentorum commendetis: & eos, qui mortis periculo laborant, viriliter, & prudenter moneatis: ne forte hominibus placere quærentes, vos ipſos una cum infirmis in damnationem animæ præcipitetis. Diligite caſtitatem, & modeſtiam, & occaſione mortis, cujus imaginem ſæpe videtis, finis veſtri recordamini. Hæc eſt norma medici timentis Deum, H & per viam juſtitiæ celeriter incedentis. Avari autem, crudeles, & incontinentes, qui ſoli lucro inhiant, & pauperes morientes derelinquunt, occaſioneſque impudicitiæ quærunt, longe recedunt à via vitæ, & infidelium more vivunt. Ego illos viſitabo, & delebo nomina

Miſericordia Medicis commendata.

Scrip. An. forte 1594 eorum de libro vitæ. Cum enim ipſi aliorum corpora à morte præſervare ſtudeant, animas ſuas occidunt. Pios autem medicos, qui animas bonis conſiliis, & corpora medicamentis curaverunt, ego curabo: auferam morbos animarum, & per viam vitæ dirigam illos, & poſt labores vitæ mortalis, vocabo illos ad immortalem vitam meam, & recreabo illos aura vitali ſuaviſſimi Spiritus A mei.

CAPUT XVII.

Oſtendit bonos conjugatos ambulare per viam vitæ.

MAtrimonium Chriſtianum ſanctum eſt, quod Ego inſtitui ut boni conjugati ſimul viventes in timore meo, ferrent pondus fragilitatis ſuæ, & bonis operibus pleni, concorditer ambularent per viam vitæ. Ego formavi hominem, dedique illi adjutorium ſimile ſibi, ut alter alterius onera portantes, adimplerent immaculatam legem meam. Vos ergo, qui ſtatum iſtum elegiſtis, cavete, ne ullo errore à via recta declinetis. B Diligite alterutrum, ut caſto amore tædia multa vincatis. Cavete contentiones, quæ perturbationem inferni repræſentant. Parcite & donate vobis ipſis, ſi alter adverſus alterum habet querelam. Abſtinete aliquando à licitis delectationibus, ut orationi vacetis. Regite domum pacifice, & diligenter dirigentes labores veſtros ad beneplacitum meum, educate filios, & famulos in timore Domini. Divitias, & ſollicitudines ſuperfluas ne quæratis, frequentate Sacramenta Eccleſiæ ſponſæ meæ, & ſobriè pieque viventes amorem filiorum, & bonorum temporalium conſideratione cæleſtis patriæ temperate. Si enim feceritis hæc, ſtatus veſter licet multis oneribus præſentis vitæ gravatus, non vos divertet à via juſtitiæ, per quam multi conjugati C fœliciter ambulaverunt. Conſiderate Abraham, Iſaac, Jacob, Job, & David fideliſſims ſervos meos, qui cum eſſent in ſtatu iſto, ex toto corde ſuo quæſierunt me: neque diviſerunt cor ſuum, ut partem mihi, partem uxoribus aut filiis darent. Sancte quippe matrimonio uſi ſunt, caventes, ne corda ſua voluptatibus, aut commoditatibus nimis adhærerent. Hos ergo filii imitamini: eos vero, qui tanquam equus & mulus, quibus non eſt intellectus, matrimonio abutuntur, quaſi homines animales & ſtultos, ſpirituſque mei inimicos vitate: fugite illos, quia mundus iſtis conjugatis carnalibus & fatuis abundat: quos Ego ſevere puniam, quia violaverunt Sacramentum meum. Non enim fuerunt memores miſericordiæ, & juſtitiæ meæ, D ſed Infidelium more, & animam, & corpus contaminaverunt. Bonos vero conjugatos, qui cum timore meo, ad Sacramentum acceſſerunt, & præter torum ſuum, alterum neſcierunt, pieque viventes docuerunt filios ſuos, ut ſequerentur me, ego remunerabo: daboque partem in fabrica dulciſſimæ Jeruſalem, ad decorem domus altiſſimi Patris mei.

Abraham, Iſaac, Jacob Job, & David.

CAPUT XVIII.

Oſtendit bonos divites ambulare per viam vitæ.

JUſtis meis omnia cooperantur in bonum, non modo ſpiritualia, ſed corporalia E illa, quæ aliis vertuntur in malum. Sic divitiæ, quæ peccatoribus ſunt occaſio ruinæ, ut omnia mala operentur, juſtis convertuntur in occaſionem juſtitiæ, per miſericordiam, quam cum pauperibus exercent. Sic Abraham, & Job chariſſimi amici mei, cum eſſent pleni miſericordia, non ſinentes cor adhærere divitiis ſuis, fecerunt opera mihi gratiſſima, quorum memoria requiretur à generatione in generationem. Et per omnes ætates habui ego aliquos divites timentes & honorantes Deum de ſua ſubſtantia, & de primitiis frugum ſuarum: qui conſolati ſunt animas pauperum, per quorum manus divitias ſuas in theſauros cæleſtes tranſtulerunt. Hi ſunt, quorum viſcera clamorem pupillorum, & viduarum tolerare non potuerunt, F præ multitudine miſericordiæ, & miſerationis ſuæ: & circuierunt domos egenorum offerentes illis benedictionem, ut honorarent me. Hi ſunt quorum domus peregrinis ſemper patuit: & quorum menſa non excluſit pauperculos convivas timentes nomen meum. Hi ſunt, qui divitiarum pondere non ſunt gravati: ſed ex ipſis divitiis fecerunt ſibi currum, & rotas unctas oleo miſericordiæ, ad currendam viam vitæ. Non ſic impii, & crudeles divites qui nolunt confiteri nomini magno meo, ſed argentum & aurum theſaurizant, & non eſt finis acquiſitionis eorum. Exiſtimant ſibi ſatis eſſe, quod divites ſint, & non ſunt memores judicii mei. Delectantur multitudine ſubſtantiæ ſuæ, adorantes idola manuum ſuarum. Sed ego patior G illos, & ſicut tauros indomitos permitto pingues fieri ad diem occiſionis, quando auferentur violenter de tabernaculo ſuo, & alieni comedent labores eorum. Iſtos crudeles inimicos meos mala ſua capient in interitu, & tunc peribit omnis fiducia illorum. Boni vero divites, qui præmiſerunt in cælum divitias ſuas ante ſe, in morte bona lætabuntur, appropinquante hora remunerationis ſuæ. Tunc cognoſcent, quam bene negotiati fuerint, & quanto melius ſit ſubſtantiam ſuam in cælis invenire, quam in terra relinquere. Ego ſuſcipiam eos, quaſi chariſſimos filios: & cibabo illos fructu ſuaviſſimo paradiſi mei.

CAPUT XIX.

H

Oſtendit bonos pauperes ambulare per viam vitæ.

NON ſine conſilio meo abundant tabernacula peccatorum, & juſti multi vix poſ-

Scrip. An. forte 1594

poſſunt ſaturari de micis, quæ cadunt de menſa illorum. Ego ſcio, quid expediat electis meis, quos probari neceſſe eſt. Grave nimis jugum portant divites peccatores, quo incurvantur ad terram, quam dilexerunt, & in qua nomina ſua vocaverunt: atque ideo deorſum tendunt, neque ambulant per arduam viam vitæ. Pauperes vero A juſti fame, & ſiti vexati, calore & frigore afflicti, repulſis divitum ſuperborum deſolati, ulceribus & lepra conſumpti, dum videntur peccatoribus infœliciter vivere, currunt velociter per arctam viam, quæ ducit ad vitam. Conſiderantes enim miſerias ſuas à me ordinari, qui diligo illos, patienter eas tolerant, & derelictioni hominum aſſuefiunt. Ex quo fit, ut non invenientes in mundo conſolationem, continuis gemitibus cæli ſolatium quærant, & portas miſericordiæ meæ pulſare non ceſſent. Hic eſt puſillus grex meus tranſiens per ignem & aquam educendus in refrigerium. Hi ſunt agni mei qui obmuteſcunt coram tondentibus ſe, & neſciunt reſiſtere percutientibus. Sed multo aliter faciunt pauperes ſuperbi, & impa- B tientes, qui eo animo eleemoſynas petunt, ut ſi non accipiant, cum offenſione proximi impatienter & ſuperbe loquentes recedant. Infelices ſunt, quia præter afflictionem corporis, ipſi pejus cruciant animas ſuas, cum furore recedentes, & per viam perditionis feſtinantes. Non eſt repoſita merces iſtis pauperibus in regno meo, qui etiam vulnerati nolunt humiliare animas ſuas coram me. Utinam reſipiſcerent, & paupertatem neceſſariam converterent in virtutem voluntariam, ut fierent conſortes infinitæ conſolationis & gloriæ meæ. Vos autem, pauperes juſti, mites & humiles, qui bene utimini exercitatione mea, lætamini, & exultate ſpe ſuperventuræ fœlicitatis, & æternæ redemptionis veſtræ, ferte patienter probationem meam, & repulſas hominum, C qui dereliquerunt me. Ego vos laſſos reficiam, humiliatos exaltabo, deſolatos conſolabor, nudos veſte nuptiali cooperiam: & permanebitis mecum ſine fine lætantes, inter chariſſimos filios dulciſſimæ Sion, Sponſæ meæ.

CAPUT XX.

Oſtendit omnibus ambulantibus per viam vitæ commune eſſe facere bona, & pati mala.

EGO Jeſus Chriſtus dux eorum, qui ambulant per viam vitæ, dum eſſem viator in terra, quam dedi filiis hominum, qui dereliquerunt me, feci multa bona, & paſſus ſum multa mala, ut erudirentur hoc exemplo, qui ſequuntur me. Multi enim ſunt D qui non bene capiunt verbum illud, facientes aliqua bona non valde difficilia, ſed mala pati nolentes, extimulante illos conſcientia ipſorum, & multis cogitationibus invicem accuſantibus, & defendentibus. Amant enim ſeipſos, & nolunt mortificare paſſiones ſuas, quibus inclinantur ad imaginandam novam quamdam, & nimis ſuavem viam vitæ, quam ego non prædicavi eis. Non ſunt memores ſapientiæ, quæ non invenitur in terra ſuaviter viventium: & quibuſdam exercitiis ſpiritualibus, & actibus interioribus ſolis, volunt beati eſſe, & per viam vitæ ambulare. Non eſt ſana doctrina hæc, quæ eſt ſub pallio ſpirituali meæ crucis inimica. Non ſunt iſti de ſanguine viro- E rum illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael. Non ſeminavit hanc doctrinam Petrus, vel Paulus, vel cæteri Apoſtoli, & Sancti mei, quos ego laboribus, & afflictionibus examinavi, ſicut examinatur argentum. Intelligite, filii, quæ dico, ne forte ſeducti ſequamini opiniones hominum, qui volunt conciliare crucem meam cum commoditatibus ſuis, & nullo modo caſtigare corpora propria, quaſi Ego non aperte illis revelatus fuiſſem. Legite Sanctas Scripturas meas, in quibus Ego loquor, & relegite vitas Sanctorum meorum, qui carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis; & videbitis omnibus amicis meis commune fuiſſe bona facere, & pati mala multa propter me: & ab hac lege non excipite juſtos, & F innocentes. Nam & puriſſima Genitrix mea, quæ peccatum non fecit, tulit mala graviſſima, quaſi enormia peccata commiſiſſet. Et ſic omnes, qui pie volunt vivere in me, perſecutionem patiuntur: quia etſi non omnes à tyrannis occidantur, neque omnes ſemper habeant occaſiones contumeliarum, & afflictionum ab inimicis, & falſis fratribus, ipſi tamen perſequuntur ſeipſos, affligentes ſe coram me, negantes ſibi, quod appetunt & quærentes pati pœnas quas poſſent declinare. Hæc eſt violentia, quam patitur regnum cælorum, in quod fortes aſcendunt per dolores, & preſſuras, quemadmodum aſcendi ego. Hæc eſt Chriſtiana ſapientia, quæ fortiſſimos ſectatores meos clarificavit à ſolis ortu, uſque ad occaſum. Hæc eſt vera æmulatio G juſtorum, qui per patientiam malorum cucurrerunt per arctam viam, quæ ducit ad vitam. Vos ergo, filii chariſſimi, qui deſideratis aſcendere in palmam, & colligere dulciſſimos fructus ejus, audite me, & præ regnis & ſedibus, diſciplinam meam æſtimate. Ne audiatis voces incantantium qui quærunt ſubvertere animas veſtras, ne illorum mollities à veſtra mortificatione reprehendatur. Tollite jugum meum ſuper vos, & bibite calicem, quem Ego dabo: ſatis eſt, per tranſactum tempus fuiſſe juvenculos indomitos neſcienets jugum. Tempus eſt, ut redimatis præteritos dies, multiplicantes opera bona, & tolerantes plurima mala. Vivant luxurioſe filii hujus ſæculi, qui ſine fine mala paſſuri ſunt: vos vero, qui ſine fine requiem habituri eſtis, modicum pati- H mini, & animamini propoſito vobis æterno gaudio meo. Vincite mundum: vincite infernum: vincite vos ipſos, & corpora veſtra in holocauſtum mortificationis offerte. Ego odorabor ſacrificium, quod ardebit in altari cordis, & aſcendet ſicut virgula fumi ex

SS. Petrus, & Paullus.

Scrip. An. forte 1594

contritis aromatibus, myrrhæ, & thuris in conſpectu meo, & poſtquam impleveritis menſuram bonorum operum, & patientiæ malorum, ſicut ego præordinavi; reddam vobis præmia magna, cum quibus omnia mundi imperia, omneſque mundi divitiæ, omneſque mundi conſolationes non poſſint comparari. A Credite nunc firmiter, & confidite in me, & dilatate corda veſtra ad capiendam magnitudinem abſconditæ gloriæ, & conſolationis meæ.

PARS QUARTA.

De actibus virtutum principalium requiſitis ad ambulandum per viam vitæ.

B

CAPUT I.

De Actibus Fidei.

QUI per viam æternæ vitæ mecum currere deſideratis, audite, & memoriæ mandate diſciplinam meam: & me altiſſimi Dei filium, Salvatorem veſtrum, deſignatum ducem, & præceptorem gentibus intelligite. Nox eſt vita mortalis, in qua fides mea lucet vobis in tenebris ambulantibus, quaſi lucerna lucens in caliginoſo loco: & propterea, ſi ſalvari velitis, debetis uti lucerna iſta, ad firmandum cor ſyncerum timoribus nocturnis perturbatum, & C ad tenendum curſum, quem cœpiſtis, ut feſtinetis ad requiem meam. Quando ergo difficultate viæ fatigati ſentietis animam afflictam, & proſecutionem viæ recuſantem, unuſquiſque ſeipſum actibus fidei meæ, ſic animare poterit. Quare triſtis es anima mea? Modicæ fidei, quare conturbas me? Nonne Catholica fide credis, momentaneum hoc & leve temporalis tribulationis æternum gloriæ pondus operari in cælis? Si ergo credis hoc; quare dorſum incurvas, & cælum non aſpicis, ubi credis eſſe præmia tua? Numquid non revelatum eſt tibi, hoc ipſum corpus, quod nunc laborat, & affligitur, ſi bene opereris, cum gloria immortali reſurrecturum, & bibiturum de fonte Dei vivi? Cur ergo non exerces illud, & mones ad labores tolerandos, aſpiciens in finem infinitæ conſolationis, quem tibi oſtendit Catholica fides tua? D Quod ſi adhuc nimium fatigaris, curre ad ſacramenta filii Dei, qui dilexit te, & tradidit ſemetipſum pro te. Ecce ſacramentum Altaris, ubi tu credis eſſe revera Redemptorem tuum, & remedium totius miſeriæ, & anxietatis tuæ. Vade, & exercitio fidei, accede ad panem vitæ. Comede, & confortare, & procede alacriter: grandis enim tibi reſtat via. Quod ſi aliquando cecideris, pro humana fragilitate, habes ſacramentum reconciliationis, ubi credis peccata remitti, & redire homines per abſolutionem Sacerdotis, ad pretioſiſſimam amicitiam Dei. Cave, ne cadas; ſed tamen E ſi cecideris, accede confidenter, & ablue te balneo ſanguinis, quo redempta es. Crede, quæ non vides, & aſcende corde ad inviſibilia, & æterna, quæ tibi à Deo præparata ſunt. Hæc eſt forma fidei. chariſſimi filii, quam ſequi debetis, ut de obſcuritate fidei currentes per viam vitæ tranſeatis ad candidiſſimam lucem, in qua videbitis faciem meam. Credite in me fide viva, quæ per dilectionem operatur, & properate ad viſionem meam, egoque dabo vobis, ut lætantes ſplendoribus Sanctorum, arctiſſimo complexu ſemper adhæreatis viſceribus meis.

Præmia noſtra in Cœlo.

CAPUT II.

De actibus Spei.

FRagilitas veſtra, filii Adæ, magna, & F bene mihi nota eſt. Nam ex quo peccavit pater veſter, non bene ſentitis de infinita miſericordia mea. Vos eſtis duri corde, & neſcitis miſereri: & ita me vobis ſimilem putatis durum, & immiſericordem, & inexorabilem ad auferendas miſerias veſtras. Non eſt hæc recta, & pia cogitatio, quæ reprehenditur apertis teſtimoniis Scripturæ meæ, & exemplis multis, quæ poſſent lapides emollire. Ego nunquam clauſi portas miſericordiæ meæ peccatoribus: neque miſerendi finem feci, ex quo formavi hominem, uſque ad diem hanc. Potuiſſem delere homines, propter peccata ſecundo diluvio aquarum multarum, & tollere impios de terra; G & tamen magis elegi patienter ſuſtinere, & de malis bene facere, quam nulla mala eſſe permittere: & unuſquiſque veſtrum, qui peccavit mortaliter, ſcit teſte conſcientia ſua, me potuiſſe, illum in ſtatu peccati æternaliter damnare, & tamen non feci: ſed commota ſunt viſcera, & effudi ſuper illum mare magnum bonitatis meæ: ſcitis præterea, quid fecerim vobis, quærens ſalutem veſtram per labores, & ſudores, effuſo pretioſiſſimo ſanguine meo: & quomodo nihil ſubtraxerim utilium, ſed inſtituerim Sacramenta, velut inſtrumenta redemptionis, ut providerem quotidiana remedia infirmitatibus veſtris: ſcitis deinde, me frequentibus inſpirationibus movere corda veſtra ad quærendum me, & præſervare vos à graviſſimis peccatis, quæ propter cuſtodiam meam non committitis: ſcitis & multa alia, quæ ego operatus ſum, & operor propter H vos: quæ mortuos ad vitam ſuſcitarent. Quomodo ergo eſtis infideles, & non ſatis confiditis in bonitate mea? Nunquid aliquando defui ſuſpirantibus ad me, aut repuli pauperes, & afflictos à facie mea? Revertimini ad cor, filii: & quando vos dejectos, & fatiga-

Dei miſericordia in peccatores.

Scrip. An. forte 1594 gatos videritis, ſpem meam exercete, & loquimini vobis ad cor, ajentes: Quid agis anima mea? quare deficis, & reſpirare non potes? confide in authore ſalutis tuæ, & invoca illum. Si peccaſti, numquid Redemptorem non habes? Si tentaris, numquid Salvator tuus opem tibi negabit? Si ignoras, A numquid non ipſe eſt ſapientia tua? Si in via vitæ langues, propter difficultates obſtantes, numquid non ipſe eſt fortitudo ſperantium in illo? Surge ex hac tua dejectione: certo ſpera tam bonum, & propitium Dominum tibi auxiliaturum. Noli timere: Dominus tecum eſt, tamquam bellator fortis, quis tibi nocere poterit? Confortare, & eſto conſtans, & videbis auxilium Domini ſuper te. Cogita generationes ſingulas, ex quo diviſit Altiſſimus gentes, & ſeparavit filios Adam, & cognoſces, nullum unquam fuiſſe confuſum, qui poneret in Deo ſpem ſuam, Deus pater noſter. & mandata ejus requireret. Pater tuus eſt: ipſe dabit tibi hæreditatem inter filios ſuos. Dux tuus eſt: ipſe perſequetur hoſtes tuos. Sponſus tuus eſt: ipſe admittet te ad ſuaviſſimam ſocietatem, & communicationem B ſuam. Fortiſſime confide: nam per ipſum Deum, & cuſtodem tuum, comparabis victoriam vitiorum, & paſſionum tuarum: vinces difficultates Regum Amorrhæorum, qui tranſitum in terram promiſſionis impedire conantur, & acquires virtutes omnes, quibus ad nuptias Agni præpareris, & aſſequaris dulciſſimam pacem, poſt laborioſa prælia tua. Hæc eſt forma ſpei, quam tenere debetis, chariſſimi filii, inter undas maris, dum navigatis, & dirigitis curſum ad æternam requiem meam. Si feceritis, hæc, velociter ambulabitis per viam vitæ: & ego, pro ſpe veſtra, reddam vobis ampliſſimam poſſeſſionem infinitæ conſolationis, & interminabilis vitæ meæ.

C CAPUT III.

De actibus Amoris Dei.

VElociſſimi curſores ſunt qui diligunt me altiſſimi Dei Filium, ex tota fortitudine ſua: ſunt leonibus fortiores, & aquilis velociores ad currendam viam vitæ. Nam, neque vita præſens, neque mors, neque pericula inſtantia, neque futura, neque fama, neque infamia, neque dolor, neque perſecutio retardat illos, a proſecutione itineris ſui. Habent cor fixum in me, & mittunt ad cor meum fortiſſima deſideria, quibus tanquam greſſibus accelerant curſum peregrinationis ſuæ. Hæc eſt ſapientia ſapientum, fortitudo fortium, opulentia divitum, qui veras divitias dilexerunt. Hæc eſt hæreditas electorum, quorum nomina ſine fine D vivent, in ſuperventuro regno meo. Si ergo hæredes mei eſſe deſideratis, chariſſimi filii, actus amoris mei exercere diſcite, & corda ſurſum impellite innumerabilibus motibus dilectionis meæ. Ego ſum ipſa infinita bonitas, & pulchritudo cui debetur omnis amor. Ego vos dilexi in charitate perpetua, cui debetur viciſſitudo veſtræ charitatis. Ego donavi meipſum vobis, ut vos ipſos mihi redderetis. Ego ligavi vos in funiculis Adam, & in vinculis incomparabilis amoris mei. Reddite ergo mihi, quæ debetis, ut celeriter curratis per viam meam: & inter mundi E varietates unuſquiſque cor ad me ſublevet, atque hoc modo ſuſpiret: Dulciſſime Deus, & auctor ſalutis meæ, gaudeo, quia infinite bonus, ſapiens, fortis magnus es. Placet mihi, optatiſſime Deus, quod ſis altiſſimus, potentiſſimus, & glorioſiſſimus. Utinam amabiliſſime Domine, univerſæ nationes cognoſcerent, & amarent te, & cantarent ſemper victorias infinitæ bonitatis tuæ. Ego clementiſſime Rex, trado tibi cor meum, ut in æternum adhæreat cordi tuo. Nolo, Domine, aliquid cogitare, ſive amare, niſi te, cui ſacrifico viſcera mea, cogitationes, verba & opera mea. Vellem, fili Dei Altiſſimi, poſſidere innumerabilia corda ſeraphica, ut puriſſimo affectu, cum illis omnibus, diligerem te, & gauderem fœlicitate tua & amplificarem gloriam tuam. Utinam, F fideliſſime Domine, morerer propter te, ut medio martyrio placerem dulciſſimo cordi tuo. Hæc eſt forma dilectionis, quam exercere debetis, chariſſimi filii, quibus placuit eruditio ſcholæ meæ. Proiicite deos alienos de medio veſtri; & dum animadvertitis vos ſollicitari amore creaturarum, erigite ad me corda vigilanter conſiderantes, me amabiliorem eſſe univerſis creaturis, quas feci: & per dotes creaturarum ad increatam bonitatem, pulchritudinem, ſapientiam, & gloriam meam, deſideriis ferventiſſimis aſcendite. Et ego paſcam vos nutrimento ſuaviſſimi amoris mei: & dabo vobis requiem in delitioſiſſimo thalamo meo.

G CAPUT IV.

De actibus Amoris proximi.

SI ſcire deſideratis, filii, compendium breviſſimum, ad currendam viam: Diligite proximos veſtros, ſicut vos ipſos, in hoc enim verbo inſtaurantur omnia: Diliges proximum tuum. Hoc eſt præceptum meum, quod in novo Teſtamento reliqui diſcipulis meis: ut hoc ſigno cognoſcerentur inter filios hujus ſæculi, qui amant ſeipſos, & oderunt proximos ſuos: hoc eſt ſacrificium gratiſſimum & ſuaviſſimum cordi meo, quando video in corpore Eccleſiæ ſponſæ meæ, multos convenientes in unum, non lædentes alterutrum: non contendentes, non recuſantes laborem, ſed unanimes benevolos, & pro dilectiſſimis fratribus ſuis mori H paratos. Si ergo mihi placere, & ad me, per viam, quam oſtendi, feſtinare cupitis, internis & externis actibus fraternitatem exercete, memores infinitæ miſericordiæ, & charitatis meæ. Quando actus, aut mores fratrum vobis moleſti ſunt, recordamini mei, qui dilexi vos inſuaves, & odibiles,

&

Scrip. An. forte 1594

Caritatis opera.

Deus vult omnes homines ſalvos facere.

& non peperci animæ meæ propter vos. Curate bonum proximorum, & totis viſceribus illorum ſalutem quærite, & pro illis orate, quemadmodum feci Ego, & fecerunt fideles amici mei. Inſtruite ignorantes, animate puſillanimes, conſolamini triſtes, corripite peccantes, ſubvenite indigentibus, parcite injuriam facientibus, & A omnes lucrifacite. Quia vero hæc omnia, quæ vera charitas requirit, exeunt ex corde, ante omnia cor bene afficere erga proximos veſtros curate, & per occaſiones occurrentes unuſquiſque veſtrum erga proximum ſuum, quem videt, ſimiles actus interiores exerceat. Video te chariſſime frater, declinantem à via vitæ: utinam ego poſſem reducere te. Libenter, pro hac reductione omnes mundi divitias contemnerem, & morerer ſi opus eſſet. Precor clementiſſimum Patrem per merita Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii ejus, oculis miſericordiæ reſpiciat te, & te gratia ſua reducat in viam ſalutis æternæ. Quando videt juſtum ſervum meum, dicat: Gaudeo, dilectiſſime frater, quod celeriter curras per viam Domini. Oro piiſſimum Dominum, & B Salvatorem noſtrum, concedat tibi donum perſeverantiæ, ut pervenias ad gloriam tibi præparatam. Quando videt fratrem afflictum, dicat: Doleo ſuper te frater mi: & vellem ferre pondus afflictionis, qua vexaris, ut tu requieſceres. Oro dulciſſimum Deum, & Redemptorem noſtrum conſoletur te. Quando videt fratrem hilarem, dicat: Lætare, chariſſime frater: congaudeo tibi: curre alacriter per viam Domini. Quando videt multos diverſe diſpoſitos, dicat vellem, dilectiſſimi fratres, vos omnes, prout neceſſitas cujuſque poſtulat, adjuvare, ut ambularetis per viam vitæ, & ad palmam beatæ vitæ perveniretis. Univerſaliter autem recordetur omnium hominum dicatque: Vellem, certe omnes homines ſalvos facere & à morte æterna, intercedente morte corporali mea, liberare. Ecce, chariſſimi C filii, exempla actuum & affectuum, quibus abundare debetis in fratres veſtros, quos ego dilexi, & pro quibus acerbiſſimam paſſionem toleravi. Diligite alterutrum: & Ego diligam vos. Parcite, & ego parcam vobis. Miſeremini, & ego veſtri miſerebor. Tradite vos ipſos in obſequium fratrum veſtrorum: & ego tradam meipſum vobis: & numerabo vos inter dilectiſſimos filios, & hæredes meos.

CAPUT V.

De actibus Contritionis.

Hominum ingratitudo.

Contritionis forma

Filii, qui peccaſtis, & malo conſilio receſſiſtis D à me, mutate conſilium, & ex tota anima veſtra, quærite reconciliationem & pretioſiſſimam amicitiam meam, ſine qua nemo poteſt ambulare per viam vitæ. Accipite tempus & certas horas conſiderationi deputate: ut ponderetis magnitudinem mali, quod peccando feciſtis. Prævaricati eſtis Teſtamentum meum, & dereliquiſtis me, ut ſequeremini idola deſideriorum veſtrorum, quibus decepti eſtis. Reliquiſtis infinitam bonitatem & decorem meum, ut appetitui veſtro, per opera mala, & turpia ſatisfaceretis. Noluiſtis Regem mitiſſimum regnare ſuper vos, & elegiſtis durum dominum, id eſt peccatum, cui ſerviretis. E Feci ego multa opera bona vobis, quibus ſaxa mollirentur, & obdurati eſtis contra me. Leones, & urſi manſuefiunt beneficiis, & vos incredibili ingratitudine pugnatis cum dulciſſimo corde meo. Satis repugnaſtis, filii: ſatis temporis conſumpſiſtis in repellenda miſericordia mea. Nunc ergo revertimini ad me: & ego vobis parcam: neque recordabor peccatorum, quibus provocaſtis iram meam. Pœnitemini, & execramini abominationes, quas feciſtis, & faciam vos hæredes pacis meæ. Dicat unuſquiſque veſtrum tactus dolore cordis intrinſecus: Peccavi: & ego transferam peccatum ejus, ſicut tranſtuli peccatum David chariſſimi amici mei. Dicat ſeipſum accuſans, ut juſtificetur: Pœnitet me, Domine, peccatorum, quæ commiſi, propter te, & certiſſime ſta- F tuo non amplius peccare. Utinam non te offendiſſem, clementiſſime Deus, quamvis occiſus fuiſſem cauſa peccati vitandi! Jam non te ulterius offendam, licet opus ſit mori, pro vitanda offenſione tua. Abominor, ô ſumma Bonitas, peccata, quibus irritavi te: potius moriar, quam te inpoſterum offendam. Vellem, Domine, innumerabilibus gemitibus flere peccata mea, quia tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci. Jam non conſentiam prævaricationi dulciſſimæ legis tuæ. Veniant, Domine, omnia mundi tormenta ſuper me: tantummodo non tranſgrediar legem divinæ charitatis tuæ. Hæc eſt forma contritionis, qua uti debetis, filii, ſtudentes deteſtari peccata propter me fideliſſimum cuſtodem veſtrum. Si feceritis, quæ moneo, alacriter curretis per viam vitæ. Et ego vos protegam, & adju- G vabo iter facientes, & exeuntes de vita mortali, gaudiis inenarrabilibus adimplebo.

CAPUT VI.

De actibus Obedientiæ.

Filii Adæ, qui per inobedientiam amiſiſtis vitam, ſi deſideratis vitam perditam invenire, & ingredi in paradiſum meum, ſacrificate mihi ſacrificium Obedientiæ, & confidite in miſericordia, & bonitate mea. Ego ſum nutritius virorum obedientium, qui ſicut infantes & lactentes, nihil ſe ſcire putantes, ſubduntur ſuperio- H ribus ſuis, per quos ego loquor pacem, & ſalutem ad puſillum gregem meum. Non errabunt à via vitæ, per quam ambulare cœperunt: Ego enim deducam illos, & conſtituam ſuper excelſam terram, ut comedant fructus laborum ſuorum, quibus ho-

Scrip. An. forte 1594

noraverunt me. Non vincet illos mors, aut Infernus: immo potius ipſi vincent omnes inimicos ſuos, & lætabuntur in me, ſicut qui lætantur in meſſe, & exultabunt in noviſſimo die, ſicut exultant victores capta præda, quando dividunt ſpolia. Vos ergo filii, qui vincere deſideratis, ponite corda veſtra in exemplari obedientiæ, in A me ſcilicet, qui cum eſſem filius Dei, didici ex iis, quæ paſſus ſum Obedientiam, ut inſtruerem vos, & incitarem ad currendam viam vitæ. Obedite igitur Præpoſitis veſtris ex corde, perſonam meam in illis æſtimantes, & quaſi verba Dei illorum mandata recipientes, & exequentes: & ut ſanctum Obedientiæ exercitium mihi gratius ſit: & vobis utilius, actus hujuſmodi exercere debebitis. Nolo judicium meum ſequi, quia cæcus & fragilis ſum: ſed judicium Dei per ſuperiorem meum loquentis. Nolo voluntatem meam facere: ſed voluntatem ejus, qui creavit, & redemit me, quæ per ſuperiorem meum mihi manifeſtatur. Nolo ſervire Domino ad arbitrium meum, ſed ad arbitrium ejus, prout à ſuperiore mihi fuerit ſi- B gnificatum. Ego ſemper honorabo, & amabo ſuperiorem meum, in quo poſuit Deus, remedium infirmitatum mearum, lucem ignorantiæ meæ, & ſolatium deſolationis meæ. Statim ac mandatum Obedientiæ impoſitum mihi fuerit, alacriter curram, ad exequendam voluntatem Dei. Non diſcurram in æternum ſuper mandatis Obedientiæ; ſed credam quidquid ſuperior injunget, eſſe Dei ſapientia plenum. Abſit à me, ut contra Obedientiam aliquid cogitare, loqui, aut operari audeam. Hi ſunt actus, chariſſimi filii, quos exercere oportet ad perfectum uſum Obedientiæ. Ne cedatis difficultatibus, ſed credite omnia eſſe poſſibilia veris obedientibus. Mihi credite, atque confidite, & negotiamini, dum venio. Et ego vos Obedientiæ corona remunerabo, faciamque conſortes candidiſſimæ lucis, & ineffa- C bilis lætitiæ meæ.

Obedientia difficultatem neſcit.

CAPUT VII.

De actibus Humilitatis.

OMnes, Adæ filii, in Adam peccaverunt extollentes ſe ſuper ſe, ut fierent ſicut dii ſcientes bonum & malum, & à die tranſgreſſionis ſuæ, erecto collo currunt adverſum me, ædificant Babylonem deſiderantes aſcendere uſque ad cælum, & ſedere in lateribus Aquilonis: & obliviſcuntur viliſſimæ nativitatis, & conditionis ſuæ, ſciunt ipſi per experientiam ſe ignorantes, & fragiles eſſe, & volunt ſapientes, & fortes apparere, & non ſolum quærunt majores, quam D ſint, videri, & judicari à proximis ſuis, ſed etiam ſibi ipſis, contra experientiam quotidianam, perſuadere volunt, ſe aliis meliores eſſe. Uſquequo delirabunt ſtulti filii hominum, qui patris ſui prævaricatione tenentur? Nonne ſcient ſe homines eſſe, & ſecundum hominem ambulare? quare non timent iram meam, quæ deſtruxit turrim, & confudit ædificatores ejus? Semper ambulant in magnis, & mirabilibus ſuper ſe, neque conſiderant noviſſima ſua. Vos ergo filii, qui per viam æternæ vitæ currere deſideratis, diſcedite à conciliis malignantium, quorum ſuperbia aſcendit ſemper, & eſtote parvuli in oculis veſtris, ut in tempore viſitationis E exaltemini. Conſiderate conditionem veſtram, quia ab origine peccatores, & miſerabiles eſtis. Videte quid ſitis, & attente meditamini, quo iter faciatis. Pulvis eſtis, & in pulverem revertemini. Eſtis vaſa fictilia plena vanitatis & miſeriæ. Eſtis vaſa iræ, quia peccaſtis, niſi ego miſericordia motus, parcam, & reſpiciam figmentum veſtrum. Propter quod ſummo ſtudio debetis vos ipſos humiliare uſque ad profundum abyſſi, & de vobis, aut veſtris viribus: nunquam præſumere. Dicite cum ſervo meo Job: Peccavi, quid faciam tibi, ô cuſtos hominum? Dicite: Viliſſimus peccator ſum, & non ſum dignus conſortio hominum. Negotiamini cum publicano, qui humiliavit ſe, & juſtificatus eſt: & dicite: Deus propitius eſto mihi peccatori. Imitamini filium prodigum dicentes: Pater peccavi in cælum, & F coram te. Sentite vilia de vobis, & in noviſſimo loco ſedete. Cedite aliis tanquam melioribus: & eos cum profunda cogitatione veſtræ vilitatis honorate. Dicite ex corde: Utinam Domine, omnes homines cognoſcerent vilitatem meam & deſpicerent me! quia omni contemptu, & deriſione dignus ſum. Volo Domine vilis apparere, & judicari, & aliis omnibus tanquam ſervus dominis ſuis obedire: cavete ne in ſermone aut opere altum ſapere velitis: ſed quærite cum humilibus, & rectis corde converſari: hæc eſt eruditio mea, quam prædicavi operibus & verbis ab infantia, uſque ad ignominioſam mortem meam, in qua ſaturatus ſum opprobriis, & cum iniquis reputatus ſum. Ne cadatis animo filii, neque terreamini hor- G rore crucis meæ, ex qua inter latrones pendens, humilitatem docui. Confidite in me, & tollite jugum meum ſuper vos: certoque ſciatis, per cultum humilitatis, vos ineffabilem conſolationem habituros. Ego ſuſcipiam ſacrificia veſtra, quia placebunt mihi corda humiliata: & puriſſima luce atque altiſſima gloria mea decorabo, & exaltabo animas veſtras.

Superbi Babylonem ædificant.

Publicani humilitas commendata.

CAPUT VIII.

De actibus Patientiæ.

MUltæ ſunt tribulationes juſtorum, chariſſimi filii, qui probantur tanquam H aurum in fornace, ut ſitiant, & eſuriant, qui fonte aquæ vivæ potandi, & pane cæleſti ſaturandi ſunt. Ambulant per viam vitæ egentes, nudi, derelicti, ſequentes me ducem & præceptorem ſuum: & forti animo mala temporalia patiuntur, ut æterna gaudia

Scrip. An. forte 1594

Diſciplina crucis, quae?

dia poſſideant: ſic Ego oſtendi mundo Apoſtolos meos noviſſimos, tanquam morti deſtinatos, ut affligerem eos temporaliter, cum eſſent coronandi in cælis æternaliter. Hæc eſt diſciplina crucis meæ, quam qui oderunt, diligunt, mortem, & per viam latam perditionis currunt ad pœnam ſine fine duraturam. Omnes, qui pie volunt vivere in A me, perſecutionem patiuntur: & timent, quando deeſt illis perſecutio aliorum, vel exercitium Patientiæ, quo examinantur ad vitam. Propter quod, filii mei, qui quæritis requiem, quæ non habet finem, ſcitote patientiam vobis neceſſariam eſſe, ut reportetis magnas promiſſiones meas, cum electis meis, qui ſufferunt tentationem, & probati accipiunt coronam vitæ. Quando ergo vobis accidunt infirmitates, deſolationes, perſecutiones, tentationes & quælibet alia mala, ſurſum corda erigite, & conſiderate me per omnia tentatum; & me patientem, veſtræ ſalutis cauſa, fideliter imitamini. Dicite cum Job ſervo meo: Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus? Dicite recto, ac ſimplici corde: Domine B tu ſcis, quid expediat mihi ad ſalutem animæ meæ: fiat voluntas tua, Domine quidquid placet tibi, libenter patiar, etiam ſi oporteat, me inter anguſtias infirmitatum, aut deſolationum mori. Diſpone Domine, omnia ad me pertinentia ſecundum beneplacitum voluntatis tuæ: & da mihi vires, patientiam, & lætitiam, ut placeam tibi in adverſitatibus meis. Hæc eſt doctrina Juſtorum, qui examinantur ſicut argentum, & magna præmia de magno labore recipient. Hos ergo imitamini, chariſſimi filii, ut celeriter curratis per viam æternæ vitæ. Eſtote conſtantes & confidite: laborate, & ſeminate in lachrymis, quia in exultatione metetis. Breve eſt, quod cruciat, æternum eſt, quod delectat. Ego vos patientes adjuvabo, & roborabo ne deficiatis in via: & poſt exercitia patientiæ coronabo vos inter fortiſſimos C milites meos: & veſtiam vos ſtola prima in atriis dulciſſimæ Jeruſalem ſponſæ meæ.

Breve eſt quod cruciat aeternum quod delectat.

CAPUT IX.

Exhortatio ad exercendos actus omnium virtutum.

PLenus eſt mundus doctrinis, & artibus, ad quærendum cibum, qui perit, & conſumunt homines magnam vitæ partem in diſcendis aſtutiis, quibus lucrentur panem: veram autem ſapientiam, quæ poſita eſt in ſtudio virtutum, pauciſſimi requirunt. Infelices ſunt Adæ filii, quibus non placet abſcondita eruditio ſcholæ meæ. Melius erat eis ſi nati non fuiſſent homines illi, cum D ipſis ſuis manibus mortem operentur, & ſine intellectu currant, per viam perditionis, ad flammam, quæ præparata eſt Lucifero, & Angelis ejus. Intelligite, filii, quæ dico, & verba mea quaſi ſagittas, cordibus veſtris infigite: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Fructus bonus eſt fructus virtutum mearum, quibus anima illuminatur, & roboratur ad curſum viæ vitæ. Fructus bonus eſt, credere, ſperare, diligere me, dolere de peccatis commiſſis contra immaculatam legem meam, humiliari ſub potenti manu mea, manſuetudinem in converſatione fratrum exercere, pati multa mala propter me, amare E paupertatem ſpiritus, ab omni incontinentia abhorrere, & denique omnes actus virtutum puro corde exercere, nihilque præſumere de ſe. Hoc eſt ſtudium Sanctorum meorum, qui contemnentes omnes leges mundi, & ſoli Deo placere deſiderantes, laverunt veſtimenta ſua in ſanguine meo, & taciti, atque irriſi à filiis perditionis, aſcenderunt ad me remuneratorem ſuum, quem totis viſceribus dilexerunt. Hæc eſt ſapientia paucorum illorum, qui noluerunt audire conſilia mundanæ prudentiæ: ſed aſpicientes me Doctorem ſuum, legem ſpiritus mei fideliſſima cuſtodia ſervaverunt. Non poſuerunt ſpem tuam in hominibus, vel in potentia, vel in divitiis: ſed in corde contrito, & humiliato invocaverunr me, ut veris diviF tiis eos divites facerem, & à conſortio peccatorum liberarem. Hos ergo amicos meos imitamini filii, & depoſitis moribus veteris Adæ, induite novas veſtes gratiæ, & amicitiæ meæ. Diſcite æſtimare virtutes meas, & omnibus mundi bonis illas anteponite. Ne æſtimetis homines ex eo quod videtur, ſed ex eo quod ego video, qui ſcrutor renes & corda. Ne laudetis principes terræ, quia habent multos redditus, magnifica palatia, multos currus, & equos, egredientes cum pompa, ut in admiratione habeantur. Laudate potius pauperculos, qui non habent panem, quo ſuſtententur, & in manſuetudine, & humilitate cordis patiuntur derelictiones, & anguſtias, & ſunt divites fide, ſpe & charitate in oculis meis. Diſcernite filii, verum à falſo, & cognoſcetis quam falſa ſit magnitudo, quæ æſtimatur à G filiis hujus ſeculi: apparebitque vobis lux mea, qua virtutum mearum pretium ametis, & admiremini. Expurgate corda veſtra, & ad cultum virtutum mearum convertite omnes vires animæ & corporis, ut feſtinetis per viam vitæ. Tempus breve eſt: negotiamini diligenter, & innumerabilibus actibus fidei, ſpei, amoris, pœnitentiæ & aliarum virtutum ornate animas veſtras ad nuptias: ut cum vocatæ fuerint, introducantur in thalamum meum. Ibi cognoſcetis, quam bona fuerit negotiatio veſtra: & lætabimini comedentes fructus manuum veſtrarum. Ibi gaudebitis, pro diebus, quibus vos humiliavi, & pro annis, quibus vidiſtis mala. Ibi cantabitis canticum novum, quod ſine fine H repetetis. Ego vobis gratificabor, quia contempſiſtis omnia propter me. Et quia non peperciſtis animabus veſtris ut confiteremini me coram hominibus, ego laudabo vos coram altiſſimo Patre meo, & veſtiemini purpura, & byſſo inter habitatores terræ vi-

Fructus boni, quales?

Virtutes caeteris mundi bonis anteponendae.

Scrip. An. forte 1594

ventium: ſedebitiſque lætantes inter dulciſſimos filios meos, qui jam exultant in gloria, & totis viſceribus lætantur in cubilibus ſuis.

A

PARS QUINTA.

De ordinibus excellentium viatorum, qui ambulaverunt per viam vitæ.

CAPUT I.

De Patriarchis.

Via perditionis lata.

Lata eſt via perditionis, per quam innumerabiles prævaricatores currunt ad flammam: & infernus dilatavit os B ſuum, ut abſorberet plurimas nationes, quæ ignoraverunt me Jesum Chriſtum, verum Deum, & Redemptorem ſuum. Sed ego poſtulavi à Patre meo: & dedit mihi gentes hæreditatem meam: cujus licet ſit minor numerus, quam reproborum; eſt tamen gens ſancta, & populus electus acquiſitionis meæ, dulciſſimuſque fructus laborum meorum. Ego elegi multos de mundo à diebus antiquis, qui à longe me ſalutantes, participes facti ſunt æternæ ſalutis meæ. Recordamini, filii, dierum antiquorum, & cogitate generationes ſingulas: quando dividebat altiſſimus Pater meus gentes, & ſeparabat filios Adam. In principio dierum, Patriarchæ multi fideliſſimo corde quæſierunt me, iter C facientes per viam vitæ. Videte quomodo Abel, Henoc, Noe, Abraham. cucurrerunt Abel pro me occiſus, Henoch mecum in ſpiritu ambulans, Noë juſtus in arca pro me laborans, Abraham non parcens filio ſuo unigenito propter me, & alii multi, quibus notam feci viam vitæ. Non adhæſerunt conſiliis hominum impiorum, neque poſuerunt in hominibus ſpem ſuam: ſed licet viderent populos, & nationes integras ambulare poſt vanitates, & inſanias falſas, perſeveraverunt in propoſito quærendi, & honorandi me. Non ſunt fracti longa expectatione, & multitudine laborum: ſed fide, quæ per dilectionem operatur, vicerunt omnes difficultates mundi, & corda ſua affixerunt cælo, quo direxerunt ardentiſſima deſideria, & ſuſpiria ſua, & propterea ego D finito myſterio redemptionis, viſitavi eos, & coronavi capita eorum, & ſedere juſſi inter ſenatores ſupernæ Jeruſalem civitatis meæ. Hos ergo, filii chariſſimi, imitari debetis, memores fidei, ſpei, charitatis, & patientiæ illorum: ut in ſimilibus occaſionibus, fideliter operemini, currentes ad propoſitum vobis certamen, ut cum illis coronemini. Eſtote fideles uſque ad mortem, quemadmodum fuerunt illi antiqui viatores, & ſynceriſſimi amici mei: & dabo vobis coronam vitæ in medio Eccleſiæ magnæ, quæ cantat victorias ſuas in atriis ampliſſimæ domus meæ.

CAPUT II. E

De Prophetis.

Non omnes, qui Prophetæ vocantur, ambulaverunt per viam vitæ: nam neque prophetia, neque cognitio myſteriorum ſublimium hominem ſanctificat; ſed gratia mea cui coniuncta eſt dilectio, quæ ædificat civitatem Jeruſalem habitationis meæ. Fuerunt tamen multi prophetæ fideliſſimi amici mei, qui bene uſi ſunt lumine prophetiæ ad gloriam meam: quorum prima, & principalis cura fuit, ut mihi per omnia placerent, & contra mundi principes & tyrannos annuntiarent judicia mea. Non reſpexerunt faciem hominis, neque timuerunt minas impiorum, parati potius mori, quam præterire voluntatem meam. Recogitate filii facta ſervorum meorum Prophetarum, qui F toto corde dilexerunt me. Videte quales perſecutiones ſine culpa paſſus fuerit Jeremias. Jeremias ſervus meus, qui bene ſuis paſſionibus præfiguravit paſſionem meam. Conſiderate Iſaiam amicum meum, qui ardebat die ac Iſaias, Daniel. nocte deſiderio mei. Videte fidelitatem Danielis pueri mei, qui elegit potius mitti in lacum leonum: quam non adorare, & honorare me. Ponderate fortitudinem Micheæ Micheas. nuntii mei, qui contra reges, & prophetas mendaces, prædicavit veritatem meam, exponens ſe inſontem injuriis, & carceribus propter me. Recordamini Eliæ, & Eliſæi Elias, Eliſaeus. ſervorum meorum, qui in judicio, & zelo honoris mei mirabilia operati ſunt, & coram univerſis populis glorificaverunt me. G Ecce iſti & alii multi prophetæ quæſierunt me in toto corde ſuo, pluris facientes gratiam, & amicitiam meam, quam prophetiam, & miracula, quæ magna videntur hominibus & ideo celeriter ambulaverunt per viam vitæ. Et vos ergo filii, qui ſalvi fieri deſideratis, non magni facite illuminationes & revelationes, quæ videntur vos elevare uſque ad cælos: ſed æſtimate, quæ pretioſiora ſunt, charitatem nempe meam, humilitatem cordis, patientiam laborum, & preſecutionum, & alias virtutes, quæ cor mundum creant, & uniunt cordi meo. Nam cum venero judicare terram, non petam à vobis, quare non prophetaveritis, vel miracula feceritis: petam vero opera pietatis, & miſericordiæ, quæ ſunt itinera æternitatis meæ. H Quærite totis viſceribus veras, & ſolidas virtutes, per quas mihi placeatis, & vitam æternam comparetis, & de cætero nihil ſolliciti ſitis. Quod ſi ego, vos illuſtravero lumine meo attendite quid loquar: non ut prophetæ eſſe velitis, ſed ut cognoſcatis rectiſſimam voluntatem meam, & anteponatis

Scrip. An. forte 1594

tis executionem illius omnibus mundi honoribus, divitiis, & commoditatibus, quæ à filiis perditionis æſtimantur. Si humiliter audieritis me, & fideliter feceritis voluntatem meam, ego vos copioſius illuminabo, & dirigam greſſus veſtros in viam pacis, & æternæ vitæ meæ: & poſtquam per multos labores fueritis pleni bonis operibus; memor A ero veſtri, & vocabo vos ad feliciſſimam ſocietatem civium meorum, qui cum ineffabilibus gaudiis regnant mecum, in cæleſti civitate mea.

CAPUT III.

De Apoſtolis.

Apoſtoli mei primitias Spiritus habentes, ut velociſſimi curſores ambulaverunt per viam vitæ: oderunt animas ſuas, ut ardentius diligerent me: & die ac nocte operantes non ceſſaverunt recondere theſauros ſuos in cælo, ubi fures non effodiunt, nec furantur. Statim ac vocavi eos, non acquieverunt carni & ſanguini: neque rationes B humanas præpoſuerunt legi divini Spiritus mei. Didicerunt à me eſſe mites, & humiles corde, non confidentes in ſeipſis, ſed ſpem ſuam ponentes in magna bonitate, & miſericordia mea. Non dilexerunt habitationem ſuaviter viventium, in quorum domibus non invenitur ſapientia mea. Abominati ſunt honores, & commoditates mundi: & exemplo, ac verbo prædicaverunt abſconditum à ſapientibus & prudentibus, & revelatum parvulis myſterium crucis meæ. Non timuerunt potentiam hominum impiorum, & tyrannorum, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Per labores, & ſudores, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in carceribus & plagis, per infamiam, & bonam famam, ut ſeductores & veraces annuntiaverunt lucem veritatis C meæ iis, qui in tenebris, & in umbra mortis erant; & pro me legatione functi ſunt, ut converterent & reconciliarent Patri meo eos, qui ignorabant me. Tranſierunt quaſi celeres curſores, benefaciendo, & ſanando infirmos, recipiendo mala pro bonis, & vicerunt mundum non reſiſtendo, ſed perferendo: fuerunt ſicut agni inter lupos: & lupos ad manſuetudinem agnorum converterunt. Lætati ſunt, quando datum eſt eis, pro nomine meo contumeliam pati: & exultaverunt exercitio manſuetudinis meæ: & ut omnem juſtitiam perfecte adimplerent tradiderunt corpora ſua, pro lege dulciſſimi teſtamenti mei. Hi ſunt triumphatores, & amici mei, qui contemnentes juſſa prin- D cipum, meruerunt præmia æterna: modo coronantur, & accipiunt palmam. Hos ergo magiſtros gentium, quos poſui ad complendum myſterium reconciliationis, & amicitiæ meæ, imitamini filii, & veræ ſanctitatis formam ab his Doctoribus diſcite. Diligite juſtitiam, quam hi chariſſimi amici mei exemplis & ſermonibus docuerunt: & Apoſtolico more mihi ſervite cum mundi contemptu, & ſolius æterni boni deſiderio. Et ego ſuſcipiam holocauſta cordium veſtrorum, & magnificabo vos, coram univerſis nationibus in superventuro regno meo.

Apoſtoli gentium magiſtri.

CAPUT IV.

De Martyribus.

E

Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Atque ita fortiſſimi Martyres, & teſtes veritatis meæ, gratiſſimas hoſtias ſacrificaverunt mihi, quando poſuerunt animas ſuas pro me, fideliſſimo amico ſuo: omnes mundi favores, & timores vicerunt armati fide, & charitate mea: à qua neque vita, neque mors, neque fama, neque infamia, neque pericula inſtantia, neque futura, neque fames, neque perſecutio, neque creatura alia potuit illos ſeparare. Conſiderate filii, tot millia Martyrum, ex quibus multi cum poſſent à regibus & Imperatoribus honorari, & frui bonis præſentis vitæ, ſi recederent à me, maluerunt ignes, rotas, confractionem F oſſium, & totius corporis contritionem pati, quam me unicum bonum, & ſolatium ſuum negare. Conſiderate tot puellas formoſiſſimas requiſitas ad matrimonia principum, & blanditiis, & minis tentatas ut mundo conſentirent: quæ elegerunt potius mori, quam diverti à ſtudio ſolius amoris mei. Recordamini Agnetis, Catharinæ, Agathæ, Luciæ, Urſulæ & ſociarum ejus, & plurimarum aliarum, quæ cucurrerunt per viam vitæ, ut poſſiderent me. Videte, quot adoleſcentes amabiles & decori valde voluerunt potius igne conſumi, aut verberibus & vulneribus dilaniari, aut inter alia acerbiſſima tormenta mori, quam diſcedere ab amicitia mea. Recogitate Stephanum, Laurentium, Sebaſtianum, Vincentium, Clementem Ancyræ, & alios pene innumerabiles, qui clarificaverunt Eccleſiam meam victoriis, & paſſionibus ſuis. Iſti ſunt veri milites mei, fideles in omni domo G mea, quibus ceſſerunt tyranni cum omnibus tormentis ſuis, & ſurrexerunt de magna tribulatione ad immortalem gloriam meam. Iſti ſunt fructus ſuaviſſimi mortis & reſurrectionis meæ, quorum victoriæ canentur ſine fine. Si ergo deſideratis, filii, perfecte mihi placere, & quaſi cervi per viam vitæ currere, eſtote parati ad mortem ſi oportuerit, aut peccato conſentire, aut mori propter me: & fortiter ſtatuite in tali eventu, potius mori quam peccare. Si enim non ita affecti ſitis erga me, infelices eritis, & errabitis à via æternæ vitæ ac glo- H riæ meæ. Non enim ſequitur me, qui amat animam ſuam plus quam me: neque cum tali amore vitæ mortalis, ſalus & vita immortalis animæ conſiſtere poteſt. Fugite conſilia hominum ſeipſos amantium, & ſimul apparenter quærentium placere mihi. Ego palam docui, qualis debeat eſſe amor vitæ,

Chriſtus amicus fidiſſimus.

SS. Agnes, Catharina, Agatha, Lucia, Urſula.

SS. Stephanus, Laurentius, Sebaſtianus, Vincentius & Clemens Ancyranus.

ut

Scrip. An. forte 1594

ut anima vivat: & quale debeat eſſe animæ odium, ne in æternum pereat. Sequimini me totis viſceribus, & non illa quæ videntur, ſed quæ non videntur, & fide mea creduntur, æſtimate. Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente, & cum militibus ſuis: & ego vos pugnantes

A

confortabo: eruamque vos de omni anguſtia: & poſt bella, & vulnera veſtra, reddam vobis coronam affluentem ineſtimabili gloria, & lætitia mea.

CAPUT V.

De Confeſſoribus.

INter Ordines Eccleſiæ meæ, quæ eſt ſicut caſtrorum acies ordinata, fuerunt multi celeres curſores, qui ambulaverunt per viam vitæ, parati mori pro me, ſi eis datum fuiſſet. Sed ſic oportuit fieri, ut ardentiſſimo deſiderio ſacrificarent mihi vitam ſuam, & vacarent aliis operibus, quibus ſemper indiguit Eccleſia mea.

S. Martinus.

Sic Martinus fideliſſimus ſervus meus promptiſſimo

B

corde ſacrificavit mihi animam ſuam: quam etſi perſecutoris gladius non abſtulit, martyrii tamen palmam non amiſit.

S. Franciſcus.

Sic Franciſcus ardentiſſimus imitator vitæ meæ, quæſivit occaſionem moriendi pro me & non eſt datum ei, quia expediebat patrem eſſe multarum gentium, ad gloriam nominis mei. Conſiderate, filii, tot exercitus Confeſſorum meorum, qui piis laboribus, & ſudoribus portaverunt pondus diei, & æſtus, mortificantes corpora ſua, vigiliis & orationibus, jejuniis & flagellis, ciliciis & catenis, ſeveriſſime affligentes ſeipſos, quaſi homicidæ & latrones fuiſſent. Contemplati ſunt magnitudinem æternæ mercedis, quæ illis repromiſſa fuerat, & ſuppoſuerunt humeros ſuos ad portandum jugum meum. Non curaverunt, quid mundus diceret, aut ſentiret:

C

ſed figentes oculos ſuos in me afflicto, & crucifixo, ſeipſos crucifixerunt, neque detrectaverunt ſocietatem paſſionis, & mortis meæ: & in hoc ordine non ſolum habui Ego Eccleſiaſticos, ſed ſæculares aliquot amicos meos: qui poſt aurum non abierunt, neque ſperaverunt in pecuniæ theſauris, neque adhæſerunt hominum favoribus, & honoribus: ſed poſuerunt totum cor ſuum in dulciſſima lege novi Teſtamenti mei. Hi ſunt, qui ut nubes volarunt, & quaſi columbæ felle carentes ad feneſtras ſuas.

Ss. Benedictus & Dominicus.

Coſiderate Benedictum & Dominicum ſervos meos Religionum Inſtitutores, cum plurimis eorum imitatoribus currentes per viam vitæ: & diſcite mundum contemnere, ad cæleſtia ſuſpirare, mala multa pati,

D

& bona multa puris cordibus, & manibus operari. Hæc eſt ſapientia juſtorum per rectas ſemitas incedentium: quibus ſi vos, filii, ſimiles efficiamini, mundi leges contemnentes, & verbum crucis ſuper omnes divitias, & voluptates æſtimantes; Ego reddam vobis mercedem magnam, qualem reddidi Abraham amico meo: & finito curſu mortalitatis inducam vos in terram ſpatioſam viventium, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, & quorum præmia infinitæ conſolationis plena ſine fine durabunt.

E

CAPUT VI.

De Doctoribus Eccleſiæ.

NON glorietur ſapiens in ſapientia ſua, neque fortis in fortitudine ſua, ſed in hoc glorietur omnis, qui gloriatur, ſcire & noſſe me: ſic fecerunt fideles ſervi, & prudentes, quos poſui Doctores Eccleſiæ meæ, ut erudirent filios ejus ſicut ſemetipſos, & ſenes ejus prudentiam docerent. Et quia crediderunt veram ſapientiam conſiſtere in me & non in vanis hominum doctrinis, implevi ego illos ſpiritu ſapientiæ, & intellectus: & dedi eos duces, ac præceptores gentibus. Illi vero, ne in vacuum gratiam meam accepiſſent, diebus ac noctibus laboraverunt, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi meæ: & incredibili ſol-

F

licitudine quæſierunt gloriam meam. Recordamini, filii, Doctorum, & patrum veſtrorum, qui vos ſpiritu genuerunt: & videte quantum laboraverint, ut Infideles ad fidem meam converterent, vel jam converſos confirmarent.

Patres Græci.

Conſiderate Baſilium, Gregorium Nazianzenum & Nyſſenum, Chryſoſtomum, Cyrillum in Græcia, & in Eccleſia Latina

& Latini.

Cyprianum, Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium, Thomam de Aquino, & alios ſimiles miniſtros meos: qui cum eſſent pleni ſapientia, & bonis operibus, nihil de ſe præſumentes, laboraverunt uſque ad mortem in vinea mea, ſcribentes, diſputantes, prædicantes, inſtruentes, omnibus ſe ſe accomodantes, ut omnes ſalvos facerent. Purgaverunt aream meam, ut purum triticum congregaretur in horrea, &

G

paleæ comburerentur. In ſua peritia requiſierunt modos muſicos conciliantes vetus cum novo Teſtamento meo: & dulciſſimo paſtu ſanæ doctrinæ lactaverunt parvulos, & viros cibo ſolido nutrierunt. Non quæſierunt ſapientia & eloquentia ſua hominibus placere, & à populis laudari: ſed omnes vires ſuas ad procurandam ſalutem animarum ſyncero corde converterunt. Hi ſunt viri ſancti, quorum doctrina fulget Eccleſia, ut Sole Luna. Hi ſunt quaſi ſtellæ in firmamento, quibus nox ſæculi illuminatur. Hi ſunt patres multarum gentium,

Doctores Eccleſiæ multarum gentium Patres.

qui populos multos duxerunt ad cognitionem, & amorem nominis mei: & ideo ego illos honorificavi inter ſenes Ieruſalem quæ triumphat in cælis: ut videant ſemen

H

longævum, & lætentur fructu laborum ſuorum. Et vos ergo, filii, labores, zelum, & fidelitatem iſtorum imitari curate ſecundum menſuram donationis meæ: ut unuſquiſque pro captu ſuo, proximum inſtruat, & reducat ad viam vitæ. Et ego memor

ero

Scrip. An. forte 1594

ero fidei, & charitatis veſtræ, & introducam vos ad paſcua terræ promiſſionis, quam juravi electis meis.

CAPUT VII.

De ſanctis Monachis & Eremitis.

A CIvitas Babylonis, quam ædificant filii Adam, eſt plena confuſione: & ideo multi fideles ſervi mei cupientes eſſe lapides vivi, quibus Ieruſalem ædificatur ut civitas, fugerunt de medio Babylonis vel ad clauſtra Religionis, vel ad ſolitudinem, ut totis viribus requirerent me. Horum laus magna eſt in Eccleſia mea, quia negaverunt patres, & matres, fratres, & ſorores, divitias, & honores, & voluptates: ut invenirentur illæſi in aquis validis, & non mergerentur in diluvio peccatorum. Tranſierunt per viam vitæ, quaſi peregrini, nihil habentes, & omnia poſſidentes. Negaverunt ſemetipſos, non utentes judicio proprio: & voluntate propria ſed mortificationem crucis circumferentes in corpore ſuo, accipientes B & bajulantes crucem ſuam, & venientes poſt me magiſtrum & ductorem ſuum. Et quidem ſancti Monachi mei toto corde exercuerunt ſe in diſciplina clauſtrali, facti quaſi modo geniti infantes, & diſcentes elementa ſermonum Dei; quos ego gubernavi, tamquam in arca Noë amici mei, claudens à foris oſtium, ſingulari cuſtodia mea, ne aquæ multæ undarum ſæculi ingrederentur ad eos. Curaverunt illi abſcondere ſe, in veſte vili, & abiecta, ne à mundo cognoſcerentur & laudarentur, laborantes & negotiantes die ac nocte, cum lachrymis & ſuſpiriis, ut invenirent gratiam coram me. Illi abſconderunt ſe: ſed ego publicabo illos, & eorum orationes, vigilias, abſtinentias, flagella, cilicia, ſilentium, & cæteras virtutes laude dignas laudabo in C univerſali judicio, coram univerſis filiis hominum, Sanctos vero Eremitas, qui fugerunt omnia ſolatia mundi, & in ſolitudine, puras manus, & corda levaverunt ad me. Ego ſuſcepi, & dulciſſimæ ſocietatis meæ conſortes feci. Et cum venero judicare terram, ego oſtendam mundo illorum merita abſcondita, ſitim & famem, frigus & calorem, verbera & deſolationes, cum reliquis eorum afflictionibus, notas faciam. Si ergo deſideratis, filii, ad iſtorum ſolatia pervenire, imitamini labores, & patientiam eorum, & feſtinanter per viam æternæ vitæ ambulate. Quærite obedientiam, paupertatem, caſtitatem, mortificationem, ſilentium, & reliquas virtutes, quæ vos ab inun- D dationibus peccatorum mundi præſervent. Eligite tutiorem partem in cauſa æternæ ſalutis: & ne ſequamini confidentiam ſtultorum, quorum infinitus eſt numerus. Si feceritis, quæ moneo, ego vos protegam, & perducam bonis meritis plenos ad inenarrabilia gaudia cæleſtis patriæ veſtræ, & primogenitæ civitatis meæ.

Tutior pars in cauſa ſalutis eligenda.

CAPUT VIII.

De ſanctis Virginibus.

EGO Virginis filius, qui ſingulari amore diligo Virgines, & delector Caſtitatis odore, ſuſcepi multa holocauſta de manibus & cordibus adoleſcentum, & puellarum plurimarum, quæ abominantes ſpur- E citias carnis, & matrimonia cum divitiis, & honoribus mundi, me ſolum ſponſum ſuum dilexerunt, & quæſierunt, cum firmo propoſito, aut voto non recedendi à me. Cognoverunt enim, quanto amabilior ſim ego, quam filii, vel filiæ hominum compoſitæ, & ornatæ, ut ſimilitudo templi, & ideo conſecraverunt mihi florem ætatis ſuæ, nolentes amittere inæſtimabilem gloriam, & conſolationem deſponſationis meæ. Non reſpexerunt parentes, cognatos, & amicos: noluerunt attendere promiſſa, & blandimenta mundi, quæ corda ſtulta ſeducunt. Non timuerunt odium ſuorum parentum, vel conſanguineorum, aut principum terræ, qui carnalem poſteritatem magis, F quam ſalutem animæ amaverunt: ſed omnem curam ſuam proiicientes in me, tradiderunt ſe mihi antequam contaminarentur. Hæc ſunt lilia ſpirantia ſuaviſſimos odores incorruptionis, quæ eſt propria immortalis vitæ meæ. Hæc ſunt aſtra matutina, quæ ſummo mane ſuæ vitæ dederunt ſplendorem ſuum, & lætis vultibus apparuerunt in conſpectu meo, cum digna oblatione primitiarum amoris ſui. Illa ætas prima amabilis, & ſpecioſa valde ſingulariter honoravit, & glorificavit me, abiiciens omnia impedimenta mundi, ne retardaretur à curſu viæ vitæ. Omne mundi aurum, omnes lapides pretioſi, omnes theſauri Regum terræ, cum pretio & decore caſtitatis non ſunt comparandi. Conſiderate, filii, quid ego fecerim cum G ſanctis Virginibus: & ex converſatione mea judicabitis, quam pretioſa ſit caſtitas, & quam apta ad unionem meam. Cogitate, quam familiariter ego converſatus fuerim cum Catharina Senenſi, cum Gertruda, cum Thereſia, & aliis ſponſis meis: & cognoſcetis infinitum decorem caſtitatis, qua delectantur viſcera mea. Ex quo curare debetis corpora veſtra præſervare ab omni inquinamento, ut fiant templum puriſſimi ſpiritus mei, à quo caſta corpora poſſidentur. Felices tot exercitus Virginum utriuſque ſexus, quos amore ſingulari proſequitur puriſſima Genitrix mea; qui prærogativa ſingulari adhærebunt cordi meo. Fugite immunditiam, filii mei, ſi deſideratis amicitiam, & H converſationem meam. Ego vos caſtos amabo, & viſitabo: & animas, & corpora caſta veſtra implebo puriſſima lætitia, & decorabo formoſa valde luce mea.

Aetas prima amabilis.

SS. Catharina. Certruda, & Tereſia.

Scrip. An. ſorte 1594

CAPUT IX.

De reliquis Sanctis diverſorum ſtatuum.

JOannes Evangeliſta fideliſſimus Apoſtolus,
& amicus meus, vidit turbam magnam,
A quam dinumerare nemo poterat, ex
omnibus gentibus, & tribubus, & populis
& linguis, ſtantes ante thronum meum.
Quorum laus eſt, ut ſyncero corde ſervierint
mihi, & antepoſuerint amicitiam meam
omnibus bonis mundi, quæ adorantur à filiis
hujus ſæculi. Sic habui ego multos diverſorum
ſtatuum in Eccleſia mea, qui
vel conjugati, vel cœlibes, dilexerunt me,
plus quam animas ſuas. Aliqui, licet Reges
aut Principes eſſent, æſtimaverunt me,
ſuper omnes principatus ſuos, ſicut fecit
S. Ludovicus. Ludovicus Rex Franciæ, ſervus meus. Alii
ſponſas intactas reliquerunt, ut vacarent
mihi, & mundum mirabiliter deriſerunt,
ſicut fecit Alexius dilectiſſimus amicus meus.
S. Alexius. Alii, qui prius peccaverant, damnaverunt,
B ſe voluntaria pœnitentia, ne in judicio
S. Bonifacius. meo damnarentur ut Bonifacius, clariſſimus
Martyr meus. Sed & mulieres plurimæ
in matrimonio, & viduitate quæſierunt
me in toto corde ſuo, tam in veteri,
quam in novo Teſtamento, quæ jejuniis
& orationibus, & eleemoſynis, ſed
præcipuè amore Dei ſuper omnia meruerunt
regnum cælorum. Recordamini, filii, Eſther,
Judith, Eliſabeth, Annæ, Symphoroſæ,
Sabinæ, & aliarum multarum, quæ ſacrificaverunt
mihi animas ſuas: & vixerunt
admirabili puritate inter impuros filios hujus
ſæculi, credentes, ſperantes, & diligentes
me, & ſatisfacientes diligenter obligationibus
ſtatus ſui: inſtruentes filios, & famulos ſuos in
timore meo; neque ferentes peccatores habitare
in domibus ſuis. Propter quod invenerunt
gratiam & miſericordiam in conſpectu meo;
C & receperunt magnam remunerationem pro
omnibus laboribus ſuis. Et vos ergo filii unuſquiſque
ſecundum ſtatum, & vocationem
ſuam quærite me, & laborate diligenter
in vinea mea. Facite miſericordiam
cum proximis veſtris, primo cum domeſticis,
deinde cum externis; ut abundet juſtitia
veſtra. Exercete vos ipſos ad juſtitiam,
& ſanctitatem: Deinde dirigite proximos
veſtros in viam vitæ, ut multiplicetur
merces, quam reddam vobis in noviſſimo
die. Qui habet aures audiendi,
audiat: Omnia ſub ſole tranſeunt: ſola juſtitia
juſti manet in æternum. Omnes homines
feſtinant mori: ſed magna differentia
verſatur inter juſtos & peccatores. Nam
Juſti, & peccatoris diſcrimen peccatores accelerant curſum properantes
ad flammam: juſti vero feſtinantes ad vitam.
D Nunc quando non apparet oculis carneis
judicium meum, non bene diſcernitur
ſors juſti, & injuſti: quia quantum ad
mortem corporalem omnes moriuntur; &
aliquando peccatores videntur in pace mori,
ſicut & juſti, quorum nomina ſcripſi in
libro meo. Sed veniet tempus, quale non
fuit, ex quo gentes eſſe cœperunt: & ego
revelabo opera unjuſcujuſque, apparebitque
ſors juſtorum, & iniquorum. Injuſti, qui
obturaverunt aures inſpirationibus meis,
deſcendent in anima & corpore ad ignem
æternum: Juſti autem mei mecum aſcendent
ad vitam ſine fine duraturam: & ſedebunt E
mecum in ſedibus æterni regni, quod
paratum eſt illis à clementiſſimo Patre meo.
Erudimini, filii, qui deſideratis conſortia
Sanctorum: & quemadmodum ambulaverunt
illi per viam vitæ, ita & vos ambulate.
Currite, quia noviſſima hora eſt: &
implete ruinas Jeruſalem, quæ lapidibus vivis
reparatur. Ego expecto vos, ut laſſos
reficiam, & admittam ad ſuaviſſimam ſocietatem
inæſtimabilis gloriæ meæ.

CAPUT X.

De imitatione Sanctorum.

GRavis, valde error eſt filiorum hujus
ſæculi, qui laudant opera Sanctorum F
meorum, confitentes ore, illos eſſe imitandos:
& tamen longe recedunt ab imitatione
illorum, & proinde à via æternæ vitæ.
Ego aperte propoſui in Eccleſia mea diſtinctos
ordines Sanctorum, Patriarcharum,
Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Sanctorum ordines.
Confeſſorum, Doctorum, Virginum, Monachorum,
& Eremitarum: & tamen ſi
conſideretur vita, qua communiter vivunt
non ſolum ſæculares, ſed multi Eccleſiaſtici,
qui meliores eſſe deberent, pauci
erunt qui cum aliquo iſtorum Ordinum ſimilitudinem
habere videantur. Amant ſeipſos
vehementer: quærunt gloriam, & honores
hominum: acquirunt pecunias, &
comoditates ſine fine: dant operam humanis
conſolationibus, & delectationibus: ædificant
domos, & plantant vineas, quaſi G
nunquam morituri: faciunt amicitias cum
potentibus, & principibus, ponentes in eis
ſpem ſuam: & vix apud eos vivit ulla memoria
judicii mei. Propter quod excæcatur,
& obduratur inſipiens cor eorum: &
fiunt quaſi lapides inſenſibiles ad inſpirationes
meas. Non miſerentur pauperum, &
afflictorum: non adjuvant, & conſolantur
fragiles: non reducunt errantes in viam
meam. Hæc eſt vita plurimorum, qui abutuntur
miſericordia mea. Dicite nunc, filii,
nunquid hi infelices Chriſtiani non peribunt?
quid prodeſt eis dicere ſe noſſe
Deum, ſi factis negant Deum, & imitationem
Unigeniti filii ejus? Væ terræ cujus
habitatores receſſerunt à via vitæ! Vos ergo,
filii, qui timetis me, & deſideratis
frui dulciſſimo fructu æternæ ſalutis meæ, H
accingite lumbos veſtros, parati ſequi veſtigia
Sanctorum meorum, quos creditis ambulaſſe
per viam vitæ. Facite omnia ſecundum
exemplar, quod vobis in eorum
vita monſtratum eſt. Sanctorum vita eſt Sanctorum vita, quae?
aromatica compoſitio charitatis, obedientiæ,

Scrip. An. forte 1594

Scripturarum abuſio.

tiæ, paupertatis, pœnitentiæ, humilitatis, patientiæ, caſtitatis, miſericordiæ, & omnium aliarum virtutum, ex quibus componitur ſpirituale ſacrificium gratiſſimum cordi meo. Quapropter, qui non vacat exercitio virtutum iſtarum, & affectu adhæret bonis tranſitoriis, fruſtra vivit, & male erit A ei in noviſſimo die. Capite, filii, quæ dico: & ne ſequamini conſilia hominum ſeipſos nimis amantium, qui male interpretantur Evangelium meum. Allegant loca Scripturæ male intellecta ad excuſandas excuſationes in peccatis, vel ad defendendas commoditates ſuas, quas conciliare volunt cum ſpiritu meo. Habetis interpretes, ſanctos Doctores Eccleſiæ meæ, qui operibus, & verbis idem dixerunt: quos ſi ſecuti fueritis, non errabitis à via, quam oſtendi vobis: eſtote pacifici, modeſti, mites, humiles, caſti, miſericordes: & omnia virtutum officia diligentiſſimè implete. Tempus breve eſt: ne patiamini dies ſine fructu præterire. Orate ſemper, & vigilate: figite B deſideria veſtra in ſancta civitate, quæ triumphat in excelſis. Contemnite viſibilia: & per lumen fidei meæ, ad æterna gaudia ſurſum corda erigite. Hæc eſt ſapientia Sanctorum meorum, per quam mundum, & infernum vicerunt, & ſalvas fecerunt animas ſuas. Hæc eſt victoria Regum, qui mecum regnaturi ſunt in æternum, & ultra. Quod ſi vos, filii, tenemini deſiderio illius gloriæ, qua reſplendent Sancti mei: date animas veſtras, pro cuſtodia immaculatæ legis meæ, diligentes me, & operantes propter me Deum, & Redemptorem veſtrum; & numerabo vos inter chariſſimos filios, & Sanctos meos.

CAPUT XI.

C

De fructibus quos percipiunt ambulantes per viam vitæ.

OMnes, qui accipiunt crucem ſuam, & ex toto corde ſuo ſequuntur me perſeveranter per viam meam, accipient coronam vitæ, quam inquirunt: qui eſt ultimus, & ſuaviſſimus fructus laborum, quibus juſti exercentur inter peccatores. Sed præter hunc fructum, qui eſt complementum omnium deſideriorum, ſunt alii multi fructus, quibus delectantur & animantur juſti mei ambulantes per viam peregrinationis ſuæ. Fructus ambulantium eſt pax interior, quæ eſt propria filiorum Dei, qui ſunt viri pacifici, poſſeſſuri terram promiſſionis, quæ eſt habitatio cæleſtis Jeruſalem, civitatis meæ. Alius fructus D eſt lætitia bonæ conſcientiæ, qua viſcera dilatantur; cum à contrario peccatorum conſcientia ſemper torqueat illos, prænuntians tormenta inferni, quo feſtinant. Alius fructus eſt ſpes magna, & fundata ſupra firmam petram; quæ facit ſervos meos magnanimos, & fortes, ad ſuperandas difficultates obſtantes tranſeuntibus per viam. Alius fructus eſt elevatio cordis ſupra omnia, quæ videntur, & æſtimantur ab hominibus; ita ut juſti reges magni ſint, & domini univerſæ terræ. Alius fructus eſt illuſtratio intellectus ad intelligenda occulta, & incerta ſapientiæ meæ, quam nemo principum hujus ſæculi cognovit. Alius fructus eſt, ardor voluntatis; quæ ardet flammis charitatis, ita ut aquæ multæ non poſſint extin- E guere ardorem ejus. Alius fructus eſt, tranquillitas memoriæ: in qua ſolus ego regno & expello imagines importunas creaturarum, quæ poſſent turbare ſerenitatem ejus. Alius fructus eſt, vigilia cordis ad me ſuſpirantis; & per actus interiores multiplicantis merita, ſicut arenam, quæ jacet in littore maris. Alius fructus eſt, exterior compoſitio; quæ procedit ab interiori regno, ubi ordinata ſunt omnia. Alius fructus eſt, bonus odor meus, ſeu bonum exemplum, quo juſti animantur, & peccatores compunguntur. Alius fructus eſt, multiplex inſpiratio, & viſitatio mea, quæ tendentes per viam terræ promiſſionis, confortat contra reges Amorrhæos. Alius fructus eſt, protectio pu- F riſſimæ Genitricis meæ, & Sanctorum, diligentium juſtos ſimiles ſibi, & intercedentium pro conſummatione illorum. Alius fructus eſt. participatio omnium timentium me, & cuſtodientium mandata mea. Alius denique fructus eſt, bona mors, ubi auxilio meo, & fideliſſima protectione Angelorum meorum roborantur, & defenduntur ab inſidiis Satanæ inſidiantis, & ſollicite tentantis, quia modicum tempus habet. Ecce filii, paradiſum plenum fructibus melle dulcioribus, in quo creſcit arbor veræ ſcientiæ meæ, & arbor vitæ, quæ mortem neſcit. Conſiderate nunc, quanta ſit infœlicitas eorum, qui operantur iniquitatem, & in viis meis non ambulaverunt. Quo ibunt deſolati, & egredientes ſicut Cain à facie mea? quid boni comparare poterunt privati tot fructibus de- G ſiderabilibus ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulcioribus ſuper mel & favum? Certe licet totum mundum lucrentur, pauperes & miſerabiles erunt longe facti à via vitæ, & currentes per viam perditionis, ad egeſtatem, quæ non habet finem. Hæc cogitate filii chariſſimi, & diſcite timorem & amorem meum: ne forte obdurentur corda veſtra, & mergamini cum Pharaone, quaſi plumbum in aquis vehementibus. Eſtote fideles, & comedite dulciſſimos fructus paradiſi quem in Eccleſia militante plantavi: & transferam vos in cæleſtem paradiſum, ubi ſatiabimini ab uberibus conſolationis meæ.

H

Scrip. An. forte 1594

PARS SEXTA.

De aliquot monitis principalibus, quæ in omni perſonarum ſtatu requiruntur ad ambulandum per viam vitæ.

A

CAPUT I.

De puritate conſcientiæ.

NEmo poteſt ambulare per viam vitæ qui conſcientiam puram habere non B curat. Propter quod ii, qui peccata mortalia commiſerunt, ſi velint ad viam vitæ redire, ante omnia purgare debent animas ſuas à ſordibus peccatorum talium, cum quibus conſtare non poteſt amicitia mea Nam etſi haberent fidem, ita ut montes de loco in locum transferrent; etſi diſtribuerent in cibos pauperum omnes facultates ſuas; etſi traderent corpora ſua, ut comburerentur; etſi mortuos ad vitam reſuſcitarent; etſi prophetarent, & omnia myſteria mirabiliter cognoſcerent; nihil eis prodeſſent omnia iſta ad æternitatem, in quam tendit via vitæ, ſi unum mortale peccatum haberent. Quamobrem fideles ſervi mei hanc doctrinam bene intelligentes, magna ſollicitudine, vitant peccata etiam venialia, & ſæpe con- C fitentur ad cautelam multa quæ neſciunt, an ſint peccata; ne forte occulto aliquo mortali detineantur; & in fine vitæ animadvertant, ſe non ambulaſſe per viam rectam: & hoc eſt ſtudium timoratæ conſcientiæ, quæ licet exerceat ſe, & ſcopis mundet domum ſuam, non tamen confidit in ſe, ſciens multa eſſe nuda & aperta oculis meis, quæ oculos hominum effugiunt. Quicumque ergo vultis ſequi me per viam, quam oſtendi vobis, expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova creatura, non veſtris viribus facta, ſed creata à me in operibus bonis, quæ præparavi, ut ambuletis in illis. Quærite me toto corde, & ne una hora permaneatis extra gratiam, & amicitiam meam. Quis enim veſtrum ſcit, an illa hora vocandus ſit ad D tremendum judicium meum? Habetis Confeſſarios, habetis remedia Sacramentorum, quæ pretio ſanguinis mei præparavi vobis: quid ergo moramini mortis æternæ vulnere percuſſi? Hoc eſt judicium mundi, quod cum filii hujus ſæculi ægrotare incipiunt, ſubito medicos vocant, timentes mortem corporalem, etiam ubi periculum mortis nullum eſt; & ſcientes ſe habere animam mortuam, ſinunt præterire dies multos, non requirentes auxilium ſpiritualium medicorum, per quos Ego animas mortuas reſuſcito. Mundate filii, conſcientias veſtras, & in via vitæ ponite pedes affectuum veſtrorum: ut vivatis mecum, & curratis ad conſummationem illius vitæ, quam daturus ſum iis, qui fidem, ſpem, & amorem ſuum in me E ponere, & firmare conantur. Et ego lætificabo animas veſtras per viam, qua tenditis: & in patria, cui ſuſpiratis, implebimini caſtiſſimis delectationibus meis.

Timoratae conſcientiae ſtudium, quale?

CAPUT II.

De conſervatione gratiæ.

QUI ex miſericordia mea ad ſtatum gratiæ aſcenderunt, & gratiam conſervare non curant, cito recedent de via vitæ ſicut quotidie faciunt ſtulti nimis filii hominum. Recipiunt Sacramenta, quibus reſurgunt à peccato, in quo mortui fuerant: & poſt paucas horas, vitam æternam vendunt pro modico fragmento panis. Neſciunt æſtimare pretium vitæ: & ideo, quaſi cæci in foveam peccati cadunt. F Juſti vero, qui bene conſiderant, qua miſericordia ad gratiam meam vocati fuerint, & quam pretioſa ſit amicitia mea, non ceſſant die ac nocte multiplicare opera bona, quibus conſervatur divina gratia, & eo diligentius faciunt multa bona, quo majora lucra augmenti gratiæ quærunt: quæ conſideratio inæſtimabilis conſolationis plena eſt. Quocirca filii, qui jam viventes vita gratiæ, deſideratis ea vita non privari, & ambulare per viam, quam cæpiſtis; vacate innumerabilibus operibus piis, & theſauros veſtros in loco tuto abſcondite. Caro veſtra ſeminarium mortis eſt: & in vobis ipſis habetis occaſionem ruinæ: quamobrem oportet vos theſaurum in vaſis G fictilibus portantes cautiſſimos eſſe, ad vitanda pericula, ad frequentanda Sacramenta, ad exercendos actus internos, & externos virtutum, ad reſiſtendum tentationibus, ad obediendum inſpirationibus meis, ad ſequenda conſilia ſervorum meorum, per quos ego manifeſtare ſoleo voluntatem meam. Fugite proprium judicium, & propriam voluntatem: ne vos præcipitent in peccata multa, quæ vitare ſolent humiles ſervi mei, non confidentes in ſeipſis, ſed ſubdentes ſe conſiliis aliorum, quos credunt regi à ſpiritu meo. Hæc ſi feceritis, conſervabitis, & augebitis gratiam meam: & ego vos adjuvabo, qui ſum adjutor in opportunitatibus, & delector beneficiendo humilibus ſervis meis. H Cavete ne vos ſeducant multi pſeudoapoſtoli & pſeudoprophetæ, quibus ego non ſum locutus, promittentes vobis ſecuritatem in terra inimicorum, ubi habitatis. Diſcite artem præliandi, & exercete illam: militia eſt enim vita hominis ſuper terram: & ideo, qui ſolliciti ſunt, utraque manu, pro dextera utuntur, defendentes ſe, ne moriantur

Caecitas humana.

Pſeudoapoſtoli, & Pſeudoprophetae notati.

ali-

Scrip. An. forte 1594

aliquo vulnere improviſo. Hæc conſilia ſana, & tuta meditamini, & recondite in medio cordis veſtri. Timete, & diligite me. Sacrificate mihi ſacrificium juſtitiæ, implentes quæ mandavi vobis: & ſperate in miſericordia, & bonitate mea. Non enim deſeram vos in tempore ſenectutis: ſed laborantes A protegam, & victores coronabo, in platea Jeruſalem, dulciſſimæ ſponſæ meæ.

CAPUT III.

De propoſito anteponendi cultum Dei omnibus bonis temporalibus.

OMnis, qui deſiderat ſerio ambulare per viam vitæ, cujuſcumque ſtatus ſit, debet ſtatuere ex tota anima ſua, in omni eventu, ſe poſiturum eſſe cultum meum ante omnia bona temporalia, ſive divitias, ſive honores, ſive voluptates. Nam qui aliquod iſtorum bonorum anteponit cultui meo parum proficiet in ſchola mea: ut experientia convincit: Filii enim hujus ſæculi, qui ſunt in honoribus & dignitatibus, ideo non B creſcunt apud me, quia licet nolint peccata apertè committere: non tamen habent cor uſque adeo rectum & firmum, ad contemnendam gratiam hominum, honores, & lucra, quando oppponuntur cultui meo: quod ipſi confiteri poſſunt, ſi vera dicere velint. Nam ſtatim ac occurrunt eis negotia ad honorem, vel lucrum pertinentia, omittunt ſine neceſſitate ſolita exercitia pia orationis, lectionis, confeſſionis, communionis, & alia ſimilia, quæ ipſi cognoſcunt ſibi prodeſſe, ad æterna bona comparanda, & vitanda pericula mundi, in quibus verſantur. Et propterea quando revertuntur ad illa pia exercitia, quæ intermiſerunt, ut mundo ſervirent, non inveniunt ibi ſatisfactionem, & conſolationem, quam deſiderant: quia juſtum C judicium meum eſt, ut ego repellam eos, ſicut ipſi repulerunt me, anteponentes bona temporalia cæleſtibus bonis meis. Iſti ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Non ſic faciunt ſervi mei, qui æſtimare ſciunt miſericordias meas: ſed ita ſollicitè operantur, ut quando contingunt negotia temporalia, inevitabilia, anticipent exercitia ſpiritualia, ſubtrahentes ſibi ſomnum, & commoditates alias, quærentes primum regnum Dei, & juſtitiam ejus. Proponunt mihi negotia ſua, orantes pro bona expeditione, quæ conducat ad æternam ſalutem animæ, quæ illis charior eſt omnibus mundi bonis, & ego dirigo illos, & cuſtodio, ne diſcedant à via veritatis, quam dilexerunt. Hos ergo imitamini filii, & cavete, ne quaſi gentiles ignorantes me, bona D caduca, quæ hodie ſunt, & cras deficiunt, æſtimetis plus quam incrementa æternæ ſalutis, & amicitiæ meæ. Diſcernite bona vera à falſis, quæ ſolummodo apparent; & affectibus, operibuſque bonis aſpirate ad magnas divitias domus meæ. Et ego vobis præſto ero, ad confirmandos pedes veſtros, ne unquam pereatis de via juſta. Dabo vobis cor ſapiens, & intelligens, ut ſciatis, & diligatis me: & ſpretis mundi fallaciis aſcendatis cum inæſtimabili gaudio cordis in terram fertiliſſimam æternæ promiſſionis meæ.

Regnum Dei ante omnia quaerendum.

CAPUT IV.

E

De ſatisfaciendo obligationibus proprii ſtatus, cum reſpectu ſalutis æternæ.

NEmo vos ſeducat inanibus verbis filii, & doctrinis peregrinis nolite abduci à recta via ſalutis meæ. Non fruſtra diſtincti ſunt gradus, & ſtatus in Eccleſia mea. Ego diſtinxi illos, & ſecundum menſuram donationis, & miſericordiæ meæ, vocavi homines ad diverſos ſtatus, ut hac varietate decoretur domus mea, atque ideo quicunque ſalvus eſſe cupit, ut ordinate procedat, ita ſua negotia diſponere debet, ut anteponat officia obligationis ſtatus ſui aliis operibus ſupererogationis: ut qui Eccleſiaſticus eſt ſatisfaciat obligationi ordinis ſui ante quamcumque aliam devotionem: & ſimiliter, F qui conjugatus eſt, provideat neceſſaria domui ſuæ, ante alia negotia, ad quæ ſtatus ille non obligat. Hæc autem omnia, quæ ſtatus requirit, non ſunt ſollicitè facienda more gentium, quæ Deum non habent: ſed cum pietate, & deſiderio placendi mihi, dirigendo labores temporales ad bona æterna & nullo modo admittendo aliquid, quod repugnet gratiæ meæ. Qui enim ſic faciunt, non fruſtra laborant, cum per ipſa opera temporalia directa ad beneplacitum meum, mereantur præmia æterna; quæ multi Chriſtiani ſtulte perdunt, quia neſciunt exercere negotia temporalia Chriſtiano modo: ſed procedunt quaſi me non cognoviſſent. Nimis ſtultus error eſt: quia cum in iſtis operibus conſumant fere totum tempus vitæ, vix ſupereſt illis modicum tempus, quo recordentur G mei: poſſentque mei ſæpiſſime recordari, inter ipſa negotia, & acquirere multa bona ſpiritualia, ſi didiciſſent pie operari, & ponere in me ſpem ſuam. Diſcite, vos filii, modum negotiandi qui proſit ad æternitatem, & ſtatui veſtro ſine læſione conſcientiæ primum ſatisfacite. Sed conſiderandum vobis eſt, inter obligationes ſtatus veſtri, primam, & principalem obligationem eſſe, mihi ſervire, & curare, ut familia, ſi eam habeatis, mihi pariter ſerviat, & vivat in domibus veſtris cura ſalutis æternæ cum caſto timore, & amore meo. Ordo enim perverſus eſſet, ſi non poneretis obligationem hanc in primo loco, & ſuper omnes alias æſtimaretis: quid enim prodeſſet vobis infinita ſollicitudo vitæ temporalis, ſi non haberetis fundamentum æternæ H vitæ, quam ſine ſtudio implendæ hujus primæ, & maximæ obligationis, non aſſequemini? Diligite veritatem, filii, & implentes menſuram debitorum veſtrorum, projicite in me omnes ſollicitudines veſtras, & ego vos eruam de omni anguſtia, & perducam ad

Prima obligatio Deo ſervire.

Scrip. An. forte 1594 terram ſpatioſam, ubi æterna conſolatione dilatentur viſcera veſtra.

CAPUT V.

De bono uſu Sacramentorum.

A OMnes, qui in me piè vivere volunt, cujuſcumque ſtatus ſint, debent ſolliciti eſſe de bono uſu Sacramentorum, ad remedium ſuarum fragilitatum, & ad perſeverandum in itinere vitæ. Debent quippe conſcientiam propriam diligenter examinare, & ex toto corde conteri, & dolere de peccatis, quando accedunt ad Sacramentum pœnitentiæ: & hanc curam inter primas ponere, & æſtimare pluſquam omnes terræ divitias, principatus, & regna. Si enim negligenter, aut ſine æſtimatione debita recipiant hoc Sacramentum, ubi animæ mortuæ ſuſcitantur ad vitam, parum conſolationis habere poſſunt, in quavis magna proſperitate mundi. Qua in re dolendum eſt, quam cæci ſint homines pene innumerabiles, qui in aliis negotiis prudentes reputantur, & in B hoc negotio infinita diligentia digno, patiuntur incredibilem ignorantiam, & indevote valde confitentur. Jam vero de Sacramento Euchariſtiæ, ubi occultavi divitias meas, certum eſt eos, qui in omni ſtatu ſalvi eſſe deſiderant, ſollicitos admodum eſſe debere; ut illis diebus, quibus communicant, ſanctè vivant, abſtinentes à multis commoditatibus, & converſationibns etiam licitis, quibus utuntur aliis diebus. Certum eſt quoque præparationem, & gratiarum actionem ex corde natam mihi deberi illis horis, quæ ſumptionem Sacrament antecedunt, & ſubſequuntur; ſi homines velint utiliter communicare, & corroborari ad currendam viam vitæ: & propter hoc, non ſolum boni Religioſi, & Eccleſiaſtici, ſed boni quoque C ſæculares cælibes, & conjugati, qui ſerio ſalvari deſiderant, diebus Communionis ſubtrahunt ſe mundo, quantum licet per occupationes obligatorias: & vacant conſiderationi tanti boni, quod ſe recepiſſe confitentur, timentes fœdare corpora ſua, quæ facta ſunt templa mea. Utinam omnes, qui Sacramentum altaris ſumunt, ſcirent æſtimare infinitam bonitatem, & miſericordiam meam, qua vivunt & nutriuntur ad vitam. Percipite filii, quæ dico; & eſtote prudentes in re tanti ponderis, quæ vos movere deberet, licet eſſetis duriores lapidibus, ut procuraretis ſalutem animarum veſtrarum bono, & puro uſu Sacramentorum meorum, quibus nihil pretioſius deſiderare poteſtis. Accedite, puro corde, ad me, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. D Implemini liquore ſanguinis mei currentis per canales Sacramentorum: & ego in cæleſti habitatione implebo pectora veſtra puriſſima lætitia mea.

CAPUT VI.

De cura recurrendi ad Deum.

OMnes Adæ filii laborant, & vivunt inter inimicos viſibiles, & inviſibiles, E qui quærunt animas eorum: & proinde qui ſalvi eſſe cupiunt, frequentiſſime recurrunt ad me, cum ſuſpiriis, & gemitibus innumerabilibus: ut extendam manum de alto, & liberem illos de aquis multis: & certe omnes homines quantumvis occupati deberent ſequi conſilium hoc, ad evitanda plurima mala ſpiritualia, & corporalia, quæ ſine auxilio meo vitari non poſſunt. Attendite filii, quid ſentiat Eccleſia ſponſa mea de hoc recurſu adeo neceſſario, quandoquidem in Officio divino ſemper incipit ab illis verbis: Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina. Neque ſolum clamat ad me in Officio divino horarum Canonicarum, quaſi de profundo lacu liberari deſiderans; ſed in ſacrificio Miſſæ vix numerari poſſunt gemitus, & petitiones F ejus, quibus ſignificat, ſe ſingulis horis, indigere auxilio meo, ut liberetur de multis tribulationibus, quæ circumdederunt eam. Propter quod, æquum eſt, Eccleſiæ filios ſequi ſpiritum & ſenſum Matris ſuæ & recurrere ad me in omni negotio ſive ſpirituali, ſive temporali: ut à me incipiat omnis actio illorum, & per me cæpta finiatur. Qua in re mirabile eſt, gentiles recurrere tam ſæpe ad idola ſua, ut in rebus omnibus adiuventur, & Chriſtianos adeo negligentes eſſe, in requirendo me, unico Deo, & vero adjutore ſuo. Evigilate, filii, & bene utimini infinita bonitate, & liberalitate mea: & licet ſæculares ſitis, aſſueſcite memoriæ, & recordationi præſentiæ meæ. Si enim de me ſæpe cogitetis, omnia veſtra G negotia melius ſuccedent: liberaboque vos à plurimis damnis, & periculis mentis, & corporis, quæ vos neque cognoſcitis, neque timetis. Diſcite converſari mecum, & orare inter opera temporalia, brevibus orationibus, & elevationibus cordis: & experientia cognoſcetis utilitatem exercitii hujus, quo celeriter ambulabitis per viam æternæ vitæ; orate ſemper, & conſervate fideliter memoriam meam: ego recordabor veſtri in tempore anguſtiæ: terreboque inimicos veſtros, non relinquens virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum; ne forte victi tentatione extendatis ad iniquitatem manus veſtras. Dabo vobis fortitudinem ad vincendos hoſtes omnes, qui perſequuntur vos. Et poſtquam victoriam obtinueritis, veſtiam vos ſtola candida: ut ambuletis ornati inter H cives Jeruſalem, per plateam ex auro mundo, ſimilem vitro mundo, gaudentes interminabili vita plena infinitæ conſolationis meæ.

Dei præſentia commendata.

Scrip. An. forte 1594

CAPUT VII.

De mortificatione Crucis.

A EGO ſine exceptione dixi: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Propter quod, nemo in quocunque ſtatu, & dignitate ſit, putet ad ſe non pertinere verba mea. Nimis enim ſtultus eſſet, qui per aliam viam ab ea, quam oſtendi ego, vellet ad vitam pervenire. Omnis ſtatus crucem habet, quam portare neceſſe eſt, ſed qui ſalutem animæ ſuæ diligunt, non ſolum patienter ferunt labores annexos ſtatui ſuo: verum ipſi propria electione curant mortificare ſenſus proprios ut configurentur mihi patienti, & crucifixo: & ideo multi ſæculares eligunt jejunia, flagella, & orationem, aliaque ſimilia: quæ licet non æquent mortificationes Religioſorum reformatorum, conducunt tamen ad refrænandum appetitum, ne abſorbeatur à delectationibus mundi: & ſunt ſigna animi timentis me, & deſiderantis operari ſalutem ſuam. Et hæc pia crucis meæ exercitia conferunt valde ad vitanda pericula, & conſervandum theſaurum gratiæ meæ. Quamobrem non ſolum Eccleſiaſtici, ſed ſæculares deberent illa frequentare tanto diligentius, quanto inter plura & majora pericula verſantur. Quomodo enim vitabunt peccata, qui fovent, & nutriunt carnem ſuam, fugiunt quamlibet minimam incommoditatem ſicut mortem ipſam? Quomodo cum menſa lauta, cum lecto molli, cum nimio potu vini, cum ſericis veſtibus, cum nimio ſomno, cum loquacitate, cum ludis, cum profanis recreationibus, debita cautela ad fugam peccati conſiſtere poteſt? Certè homines Chriſtiani ſeipſos nimis amantes ex ore ſuo judicabuntur. Sciunt enim ſe inter occaſiones fere innumerabiles peccandi vivere, & uti nolunt remediis mortificationis, quæ docuerunt exemplo, & verbo Sancti mei. Verum eſt, eſſe paucos aliquos, qui ſub veſtibus pretioſis cilicia, vel alia inſtrumenta mortificationis exercent: ſed rariſſimi ſunt, cum oporteret frequentes eſſe. Sed verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt: iis autem paucis, qui ſalvi fiunt, Dei virtus, & ſapientia. Propter quod filii, eſtote ſapientes, & mortificate membra veſtra, quæ repugnant ſpiritui meo. Domate equum, qui eſt fallax ad ſalutem; & quam diu vivitis, ne fidatis illi. Conſiderate quid fecerint Sancti mei, è quibus multi, licet non peccaſſent, corpora tamen ſua ſeveriſſime caſtigarunt, ne forte peccarent. Et hanc regulam ſecuti ſunt, qui ſecure quæſierunt ambulare per viam vitæ. Sequimini & vos doctrinam iſtam, quæ vos à morte præſervabit. Et ego ſuſcipiam oblationem myrræ de manibus veſtris: pro qua reddam vobis infinitam dulcedinem, & æternam conſolationem meam.

B Timorati animi ſigna, quæ?

C

D

CAPUT VIII.

De bona converſatione inter proximos.

E QUicunque ſalvus eſſe deſiderat, una cum recurſu ad me, per orationem, & caſtigationem ſui per crucis mortificationem, debet ſeipſum ita ordinare ad proximos ſuos, ut non ſolum eos non ſcandalizet, ſed bono exemplo ad pietatem moveat: unicuique incumbit cura proximi ſui, ut alter alterum adiuvet, ad currendam viam æternæ ſalutis meæ. Qua in re, mirabile eſt, quam negligentes ſint fere innumerabiles Chriſtiani: qui pro nihilo ducunt, coram proximis graviſſime peccare, & malo exemplo alios fortaſſe innocentes ſecum pertrahere in gehennam. Crudelitas intolerabilis eſt hæc; nam ſic facientes occidunt animas fratrum ſuorum, quorum ſanguis de manu illorum requiretur. Quamobrem, filii chariſſimi, qui optatis ambulare per viam vitæ, in quocunque ſtatu ſitis; cavete ne ſcandalizetis unum ex puſillis, qui in me credunt, vel etiam ex illis, qui in me non credunt. Minus enim mali eſſet vobis, ſi ſuſpenderetur mola aſinaria in collo veſtro, & demergeremini in profundum maris. Væ mundo à ſcandalis! neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala; væ tamen illi eſt homini, per quem ſcandalum venit, vitio enim ſuo libere facit, ut per ſe ſcandalum veniat. Curate filii bonæ vitæ exemplo monere proximos ad compunctionem, & ſanctitatem: ut quicunque viderint vos, ædificentur, & animentur, vel ad procedendum per viam vitæ, ſi jam cœperunt, vel ſi nondum cœperunt ad redeundum in viam ſalutis: ſit modus converſandi modeſtus, & ſuavis: ſit ſermo parcus, & dulcis: ſint actus ab omni levitate, aut deformitate alieni. Chriſtianus enim quilibet, eo ipſo, quod Criſtianus eſt, hæc omnia debet implere, & profiteri externis actibus fidem, qua credit in me. Si feceritis hæc, eritis dilecti Deo, & hominibus, augebitis incrementa frugum juſtitiæ veſtræ, & ego habebo vos inter dilectiſſimos filios meos. Et quia adjuviſtis me bono exemplo ad fabricam cæleſtis civitatis, quæ conſtruitur in cælis, vivis ex lapidibus; augebo mercedem veſtram; ut lætemini æterno fructu bonorum operum veſtrorum, quibus honoraſtis me; & ſedeatis ad cœnam agni, in lautiſſima menſa mea.

Bonum exemplum proximis præbendum

F

G

CAPUT IX.

De præparatione ad mortem.

H VIvunt homines, quaſi nunquam eſſent morituri: cum prædicaverim ego contra oblivionem hanc, monens, ut parati eſſent: ſi quidem nemo ſcit, qua hora vocandus ſit, prima, an media nocte, an galli cantu: cum tamen omnes ſciant, quia

mors

Scrip. An. forte 1594

Morientes tentationibus oppugnati.

mors ſicut fur venit, quando non expectatur. Hæc eſt eruditio Chriſtiana, ſcire præparare ſe ad mortem, ad punctum nempe illud, à quo pendet æternitas. Nam quidquid mali homo egerit ante horam illam ultimam, ſi tunc viriliter agit, bene utens A infinita miſericordia mea, ſalvus erit: & è contrario quidquid boni egerit ante horam illam, ſi tunc neſcit uti bonitate mea, peribit. Quamobrem opus eſt præmeditari periculum illud magnum, ne anima imparata tunc declinet à via vitæ: & hæc eſt ratio, ob quam, aliqui fideles ſervi mei, cupidiſſimi ſalutis æternæ, diſcunt exercitia propria illius horæ, & exercent ſe ad bene moriendum, quaſi jam in lecto morti proximi eſſent, exercent fidem, ſpem, amorem meum, & contritionem peccatorum, fortiſſimis actibus, quibus armantur, ut reſiſtant graviſſimis tentationibus, quibus morientes oppugnantur. Propter hoc, ſi habent bona temporalia, quæ diſtribuere ſoleant, non expectant noviſſimam horam, ut fa- B ciant teſtamentum; ſed ſani, & liberi præſtant omnia hæc, ſcientes hominem circumdatum doloribus mortis, & à dæmonibus tentatum non bene pugnaturum cum hoſtibus ſpiritualibus, ſi tunc cogatur agere de negotiis temporalibus. Totum cor expeditum & liberum habere volunt ad patienter tolerandas anguſtias mortis, & ad invocandum me adjutorem ſuum, in hora tranſitus: ne forte ob gravem negligentiam, cum cogitent tranſire ad gloriam, tranſeant ad flammam. Ex hoc judicare poteritis, filii, quanta ſit ſtultitia, & infœlicitas divitum mundanorum: qui moleſtiſſime ferentes ſeparari à divitiis ſuis terrenis, nolunt vel ſolum loqui aut cogitare de diſpoſitione teſtamenti; donec jam deſperata vita C delirant, & cum oblivione animæ, bona ſua male diſtribuunt, rapiendi, poſt modicum tempus ad tormenta. Diſcite, filii, timere me: & prævidete jacula, quibus feriuntur morientes, ut illa vitetis. Tempus breve eſt: ne decipiamini credentes mortem longe diſtare. Vivite caute, & ad omnem ſtrepitum, me venire ſuſpicamini. Hæc enim ſollicitudo proderit vobis, ut ſine offenſione curratis per viam vitæ: ſi hoc modo feceritis, læto animo aperietis mihi pulſanti; & intrabitis in gaudium Domini veſtri, ad vitam mortis & doloris expertem, quam præparavi amicis meis, in paradiſo, quem plantavit dextera mea.

D

PARS SEPTIMA.

De Quatuor Noviſſimorum conſideratione requiſita ad ambulandum per viam vitæ. E

CAPUT I.

De quatuor Noviſſimis in communi.

Dies hominis breves.

HOmines ſeipſos nimis amantes, & præſentia tantum æſtimare ſcientes, tradunt oblivioni, quæ in noviſſimo futura ſunt. Stultus error eſt: quia cum breves dies hominis ſint, & poſt dies paucos ſit moriendum, deberent præmeditari, quæ futura credunt, ut bene illis eſ- F ſet in extremis: ſed ipſi adeo excæcati ſunt amore vitæ corporalis; ut nec loqui, neque cogitare velint, de ſuperventura ſorte bona, vel mala, quaſi cogitatio hæc inutilis, aut ſalutis inimica eſſet. Væ mundo vitiis oppreſſo! quam pauci reſpirant in diluvio peccatorum, & ponderant anguſtias mortis, vel ſeveritatem judicii, vel dolores inferni, vel gaudia paradiſi. Si enim homines hæc noviſſima providerent, non evaneſcerent in cogitationibus ſuis, neque tam vehementer mergerentur, ut infigerentur in interitu, quem fecerunt: fingunt ſibi privilegia longiſſimæ vitæ: incraſſatum eſt cor eorum, & inebriatum delitiis mundi, quæ ipſis amabiles valde videntur: & G de futura vita mentio non fit in tabernaculis peccatorum; ſed juſti ſcientes quanti ponderis ſit memoria noviſſimorum, ad ambulandum per viam vitæ, nunc cogitant agoniam mortis, nunc rigorem judicii, nunc horrorem inferni, nunc æternam conſolationem cæleſtis patriæ. Et ex variis conſiderationibus afficiuntur caſto timore, vel lætitia; diſcentes ſervire mihi in timore, & exultare etiam in tremore: ex quo efficitur, ut tranſeant per bona temporalia cum magna cautela, non ſinentes cor adhærere creaturis, ſed tota fortitudine ſua adhærentes mihi Deo & Creatori ſuo Quod ſi aliquando, quia vivunt inter peccatores, & non poſſunt abeſſe à cohabitatione illorum, cum eis verſentur, memoria futurorum ſollicitat pia corda il- H lorum, ne male agant. Exiſtimant enim ſe peregrinos eſſe ſuper terram, atque ideo ad patriam ſuam die ac nocte feſtinant pie cogitantes, loquentes, & operantes, cum magna æſtimatione rerum quæ videntur, & cum contemptu rerum viſibilium, quæ in terra magni fiunt. Propter hoc laborant,

vi-

Scrip. An. forte 1594

vigilant, & ſeipſos caſtigant, parati rationem reddere Domino ſuo. Propter hoc abſtinent ſe ab immunditiis, & vanis converſationibus mundi, ne forte obliviſcantur mei. Propter hoc frequentant ſacramenta, & pia exercitia devotionis, ut cor fiat aptum ad recipiendas, & exequendas A inſpirationes meas: propter hoc accipiunt crucem ſuam, & fideliter ſequuntur me, ſcientes ſe indigere me in noviſſimis ſuis. Propter hoc vacant orationibus & lachrymis, & cum ſuſpiriis deprecantur me; ut inveniant me propitium in tempore anguſtiæ, quando mihi curvatur omne genu. Cum ergo hæc ſint exercitia juſtorum, æquum eſt, filii, ut eos diligenter imitemini, & præparetis vos ad caſus futuros, non parcentes vobis ipſis, ut poſtmodum ego parcam vobis. Contemnite viſibilia; fugite

Conſortia, quæ vitanda?

de medio Babylonis; vitate conſortia peccatorum, orate ferventer pro ſalute veſtra. Eſtote miſericordes, caſti, humiles, manſueti, & denique totis viſceribus diligite me. Si enim feceritis hæc, bene vobis erit B in noviſſimis; invenietis me propitium; & liberati à malis mortis, judicii, & inferni, aſcendetis triumphatores ad inæſtimabilia gaudia civitatis meæ.

CAPUT II.

De conſideratione Mortis.

DEſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde. Vident homines alios ſimiles ſibi quotidie morientes, & non diſcedunt à lectis, ubi infirmi jacent, ſi amici eorum ſint; & non ponderant magnitudinem horæ illius terribilis ſuper omnes terrores vitæ: habent C oculos carneos, & non penetrant quid agatur, quando anxiatur anima morientis circumdata tauris, & canibus multis præparatis ad prædam. Bene illis eſſet ſi daretur eis videre ſecreta prælia, quando non prodeſt ſapientia, potentia, vel divitiæ, ſed ſola fortitudo bonæ conſcientiæ armatæ operibus bonis, quæ ſequuntur morientes, ſicut audivit Joannes Evangeliſta, & Apoſtolus meus. Non ſatis ponderant viventes in carne mortali, quid ſentiat anima, quando nuntiatur ei proxima mors, & recordatur præteritæ vitæ ſuæ.

S. Hilarion.

Juſtus erat Hilarion fideliſſimus ſervus meus, qui octogeſimum annum agens, multis ædificatis monaſteriis, & clarus miraculis, cum in morbum incidiſſet, & extremo pene ſpiritu conflictaretur, dicebat: Egredere, quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? D ſeptuaginta prope annis ſerviſti Chriſto, & mortem times? Qualis ergo timor erit eorum, qui aliis ſeptuaginta annis Satanæ ſervierunt, vel ſi tanto tempore non ſervierunt, tamen quamdiu potuerunt ſervire illi non ceſſarunt? Mirabile eſt, homines hoc ſcientes non converti ad me, & relicto mundo, ad ſtatum Religionis, vel ad ſolitudines pœnitentiæ cauſa confugere. Mirabile etiam eſt, conſiderationem mortis à memoria diſcedere, & homines non cogitare, quæ illis eventura ſunt in amaro tranſitu illo.

Status moribundi deſcriptus.

Jacet infirmus jam uſu ſenſuum carens, anima incipiente ſeparari à corpore; aperiuntur oculi animæ, dum claudi incipiunt oculi corporei: E & occurrunt illi hinc peccata præterita, quaſi exercitus crudelium inimicorum inſidiantium, hinc dæmones ferociſſimi, quaſi lupi famelici animam devorare cupientes & prædam expectantes: hinc repræſentatur judicium, cujus conſideratione columnæ cœli contremiſcunt: hinc repræſentatur infernus, qui ad ſorbendos peccatores dilatavit animam ſuam. Hæc ſunt ſpectacula triſtiſſimæ horæ illius, quibus etiam conſcientia juſtorum affligitur: ſed iniquorum conſcientia torquetur, & præſentit dolores inferni, antequam anima ſeparetur à corpore. Tunc cognoſcunt principes Edom, & robuſti Moab, quam malum & amarum eſt, ſe reliquiſſe Dominum Deum ſuum, & vixiſſe ſine timore ejus. Tunc anima damnationi F proxima retrahit ſe, & ſeparationem refugit: ſed calcat eam rex ſuperbiæ, & ſicut vitem infructuoſam, & aridam revellit ad flammam. Tunc profundis gemitibus ſupplicant mihi Pharaones & Antiochi, qui contempſerunt me: & quia obduraverunt corda peccando, projicio illos à facie mea. Tunc convertitur peccator ad divitias, & palatia, & favores hominum, requirens, an liberari poſſit ab extrema anguſtia illa; & ab omnibus derelinquitur, quia ipſe dereliquit me. Non prodeſt ibi potentia & fortitudo hominum; quia ſola mortis imago curvat imperia.

Balthaſar Chaldæus.

Potens erat Balthaſar Chaldæus, qui confidebat ſe omnia poſſe: & tamen quando ego juſſi, ut appareret manus G ſcribens in pariete vicinam mortem ejus, defecit vis & potentia ejus, & uſque ad mortem conturbata eſt. Mors vicina erat; ſed imago illius fregit vires Imperatoris illius, quem mors & infernus expectabant. Magna ſapientia eſt, ſcire bene mori, & magna potentia eſt, in tranſitu illo, non deficere à via vitæ. Sola charitas mea vincit in extrema illa hora, dum totis viſceribus adhæret mihi, & totis viribus repellit tentationes Satanæ inſidiantis ei. In illa hora, dum peccator præſentit infernum, juſtus præguſtat gaudia paradiſi: & bona conſcientia corroborat infirmitatem ejus, & movet ſpem firmam regni mei. Si homines jam morientes loquerentur mundo, quæ ſentiunt, lapides quoque moverent ad pœnitentiam: neque ullus prædicator tam efficaciter converteret peccatores, & animaret juſtos, quam illi, quibus incipit apparere H ſors inæqualis futuræ vitæ.

Mors peccatoris deſcripta.

Alius diceret: Væ mihi, quia erravi à via veritatis, color mundanæ gloriæ, & gratiæ carnalis decepit me. Jam tranſierunt omnia gaudia mea velocius, quam à texente tela ſucciditur. Ecce vocor à judice, & torqueor ab ipſa conſcientia mea: nihil enim habeo, quod con-

Scrip. An. forte 1594

conſoletur me. Invitus diſcedo à rebus, quas nimis dilexi, in quibus invenire ſolebam prohibita ſolatia mea, honores, voluptates, divitiæ, conſanguinei, amici, & omnia, quæ chara mihi fuerunt, nunc crudeliter cruciant me. Non habeo conſolatorem. Deum offendi, & repuli inſpirationes A ejus, quibus emolliebat cor meum: careo fortitudine bonorum operum: neque ſentio ſpem vitæ æternæ, quæ exhilaret me, ſed timorem ignis æterni, quem merui. Timor mortis conturbat me: quia non curavi bene vivere, ut poſſem bene mori. Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me. Quid faciam modo? quem invocabo in hac extrema tribulatione, & anxietate mea? Sentio rugitum leonis, qui circuit quærens, quem devoret, & appropinquat ut rapiat me. Hæc, aut alia ſimilia dicit peccator moriens: quibus dictis rapitur

Et Juſti.

ad pœnam. Juſtus vero moriens quaſi leo confidit, & præſentiens ſalutem vicinam fortiſſime reſiſtit canibus latrantibus, & quærentibus prædam. Clamat ad me de profundis tribulationum inenarrabilibus gemiti-B bus; dicitque: Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam. Ne projicias me in tempore ſenectutis, ecce deficit virtus mea, ne derelinquas me. In toto corde meo, Jeſu Chriſte, fili Dei altiſſimi, exquiſivi te; ne repellas me à facie tua. Credidi, ſperavi, & dilexi te: ne precor reminiſcaris delicta mea. Recordare ſanguinis tui, quo redemiſti me: tempus eſt, ut impleas ſuper me magnam miſericordiam tuam. Hæc, aut alia ſimilia dicit juſtus moriturus. Et ego qui ſum fideliſſimus cuſtos diligentium me, & cuſtodientium mandata mea, corroboro illum; & erigo ad me afflictum cor illius, dans illi ſigna ſalutis, & ſenſum ſpei, & conſolationis, ut liberetur dilectus meus. Tunc exultant oſſa humiliata C ad me unicum bonum & refrigerium ſuum. Tunc lætatur anima præguſtans gaudia paradiſi mei; expanditque ſinum ad capiendam ſalutem, & æternam redemptionem ſuam. Tunc ſolatur morientem dulciſſima dilectio Sanctorum, quos honoravit & invocavit, & cuſtodia Angeli, qui deſtinatus eſt ei: & natura deficiente, prævalet gratia, & miſericordia mea: & in extremo halitu, educo animam electam, & per ſuaviſſimum fructum paſſionis meæ, ad me centrum ſuum, Deum ac ſponſum ſuum, quem quæſivit, & dilexit.

Juſti, & peccatoris diverſa ſors.

Conſiderate nunc, filii, quam diverſa ſors ſit juſti, & peccatoris morientium: & quam ſanum conſilium ſit hæc præmeditari. & vos operibus bonis præparare ad ſupremam horam illam. Beati certe ſunt mortui, D qui in Domino moriuntur. Jam enim dicit ſpiritus meus, ut requieſcant à laboribus ſuis, ferentes ſecum opera bona, quæ relicto corpore, ſequuntur illos. Hæc cogitate, filii, diebus ac noctibus, & ne recedat imago mortis ab oculis veſtris, ſi deſideratis invenire vitam. Ego vos bene viventes adjuvabo, ut bene moriamini; & eductos de carcere corporis perducam ad optatiſſimam libertatem civitatis meæ.

CAPUT III.

De conſideratione Judicii.

E HOrrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Homines peccatores, qui judicii mei non recordantur, ita vivunt, quaſi nunquam eſſent reddituri rationem eorum, quæ peccant; lætantur, cum male fecerint, & exultant in flagitiis peſſimis: quaſi qui habet aurem, non audiat: aut qui finxit oculum, non conſideret. Ego ſignavi, quaſi in ſacculo ludentium, peccata eorum, & omnes greſſus eorum dinumeravi. Peregre profectus ſum: ſed revertar de regione longinqua, ponamque rationem cum bonis, & malis ſervis meis; & accipiens tempus juſtitias iuſtorum judicabo, & delicta iniquorum ſcrutabor: neque fugiet quiſquam de manu mea. Nunc patior homines ingratos & obduratos, ex magnitudine miſericordiæ meæ: ſed veniet dies magna, & amara F valde, quando oſtendam juſtitiam meam. Ego diſſimulo peccata hominum propter pœnitentiam, quæ avertit iram meam: ſed impœnitentes, & protervos ego viſitabo in die ultionis, ut omnis terra timeat nomen meum. Ego convocabo omnes gentes, &

Judicii univerſalis locus.

deducam eas in vallem Joſaphat, & ibi diſceptabo cum eis ſuper teſtamento meo, & ſuper cuſtodia immaculatæ legis meæ; & cum congregavero omnes filios Adæ, revelabo abſcondita tenebrarum, & manifeſtabo conſilia cordium; ut referat unuſquiſque prout geſſit in corpore, ſive bonum ſive malum, quod durabit ſine fine. Ibi conſtituetur omnis generatio Adam ante tribunal meum: fietque diſcretio, ut oves ſtatuantur à dextris, hœdi vero à ſiniſtris; ad faciendum in maieſtate judicium conſcriptum, ſecundum magnam G juſtitiam meam. Ibi evaginabo gladium iræ meæ; ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Grande ſpectaculum viſuri eſtis, filii, quibus nunc manſuete loquor. Ego quippe, qui tanquam ovis ad occiſionem ductus fui, & tacui quaſi agnus coram tondente ſe, levabo quaſi tonitruum vocem meam ad terrendos peccatores terræ, & alligabo reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Tunc oſtendam mundo inſcriptum potentiæ meæ. Habeo enim ſcriptum in femore: Rex Regum, & Dominus Dominantium; ut columnæ cæli contremiſcant, & paveant ad nutum meum. Vivo ego in æternum, quia mihi flectetur omne genu cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua H non ſolum ſervorum fidelium, ſed etiam inimicorum meorum confitebitur altiſſimam gloriam, & majeſtatem meam. Aſpicient in quem confixerunt in medio terræ, in civitate, quæ non cognovit tempus viſitationis ſuæ; & plangent inimici mei pœnitentiam agentes ſine remedio; quia in tempore mi-

Scrip. An. forte 1594 ſericordiæ noluerunt timere & diligere me. Apparebit ſignum filii hominis, qui eſt unigenitus filius Dei, ad confundendos ſuperbos crucis inimicos, & glorificandos humiles, qui tulerunt jugum meum ſuper ſe. Ego Creator, & Redemptor oſtendam illa die hoſtibus meis, qui me oderunt ſine cauſa, A quam ſtulte fecerunt irridentes, tanquam inſanos, fideles ſervos meos, qui cum à mundo ſpernerentur, patienter toleraverunt improperia hominum propter me. Ego irridebo, & proiiciam in æternum à facie mea Imperatores, & Reges, & Principes impios, qui noluerunt me regnare ſuper ſe: ſed erecto collo repugnaverunt mihi, ut implerent vana, & abominabilia deſideria ſua. Potentes Chaldæi, Perſæ, Græci, Romani cum curribus & equitibus ſuis non poterunt redimere ſe ab ira mea; quæ Luciferum, & Angelos ejus, & homines protervos, imitatores ejus, quaſi faſces lignorum aridorum mittet in ſtagnum ignis, qui ardebit in æternum. Dicam eis in ira mea, quæ quaſi flumen rapidum egredietur: Diſcedite à me B maledicti in ignem æternum. Ego faciam verbum in Iſrael, quod qui audierit, tinnient ambæ aures ejus. Invitavi enim peccatores dulciſſimis inſpirationibus meis ad pœnitentiam in tempore opportuno: & cum eſſem infirmus, noluerunt viſitare me: cum eſſem nudus, non operuerunt me: cum eſſem famelicus, non dederunt mihi manducare: cum ſitirem, non dederunt mihi bibere: cum eſſem in carcere, non venerunt ad me: cum eſſem hoſpes, non collegerunt me. Ego reddam eis retributionem, ut in carcere æterno, nudi, fame & ſiti æterna torqueantur: & calcabo eos in furore meo: claudamque portas mortis & inferni cum ſeris & vectibus ferreis, ne quis aperiat in perpetuum: & ulciſcar me tandem de hoſtibus meis. Justi hæreditas Christi. Juſtos vero, qui ſunt hæreditas mea, & populus acquiſitionis meæ, C honorabo ego in die illa, coram univerſis gentibus: & laudabo opera eorum, etiam illa, quæ ſecreto fecerunt, ut placerent mihi. Ibi exaltabo pauperes, qui à divitibus deſpecti patienter contemptum toleraverunt. Conſolabor ibi humiles corde, qui recubuerunt in noviſſimo loco, juxta conſilium meum: & glorificabo illos, ita ut mirentur ſuperbi reges, & principes terræ dicentes: Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei. Ibi, ibi, qui tentationes & perſecutiones tulerunt propter me, apparebunt, & ſtabunt in magna conſtantia adverſus tentatores, & perſecutores ſuos: quia manſueti fuerunt, & tranſierunt per viam vitæ ferentes mala, & reddentes bona pro malis. D Ibi recenſebo agmina Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & reliquorum Ordinum, qui totis viſceribus dilexerunt me, & tradiderunt pro me dilectas animas ſuas, & exhibebo Patri meo Eccleſiam dulciſſimam ſponſam meam, non habentem maculam, neque rugam: abſorbebitur quippe omne quod mortale eſt, ab æterna vita. Et licet dies illa timoris, & horroris plena futura ſit, electos tamen meos non tanget anguſtia magna illa. Ego enim ſolabor, & lætificabo illos, & ſuaviſſimis verbis vocabo eos ad coronam, dicens: Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. E Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi & dediſtis mihi bibere: infirmus eram, & viſitaſtis me: hoſpes, & collegiſtis me: in carcere, & veniſtis ad me. Hæc verba audient Electi mei, & infinita lætitia dilatabuntur viſcera eorum: felici quippe commutatione, omnis triſtitia vitæ mortalis vertetur in gaudium, quod non habebit finem. Hic eſt finis laborum, & dolorum, dignus qui ſudoribus, & afflictionibus innumerabilibus comparetur. Finito vero proceſſu, & judicio cauſarum filiorum hominum, fiet proceſſio ineffabilibus gaudiis, & honoribus plena; relictaque terra aſcendent mecum electi mei in atria ſuaviſſimæ Jeruſalem; ad manſiones præparatas, ubi exultabunt in gloria, & lætabuntur in cubilibus ſuis. Cogitate nunc, filii, quantum capere valetis, F quale ſpectaculum erit, videre totam Eccleſiam triumphantem, candidiſſima luce radiantem, & cantico dulciſſimo victorias ſuas celebrantem, de terra in cælos cælorum mecum aſcendentem, ad hortos æternæ amœnitatis, quos præparavi ei. Beati, qui habebunt partem in reſurrectione vitæ, quæ mortem neſcit. Aſcendent mecum contemptores mundi, mites, caſti, humiles, fortes, obedientes, & alii, qui ſollicite ambulaverunt per viam vitæ. Lazarus pauper, & alii. Mecum aſcendet Lazarus quondam pauper, cui negabantur micæ, quæ cadebant de menſa divitis. Mecum aſcendet publicanus, qui ingreſſus in templum, & ſtans à longe percutiebat præ dolore cordis, pectus ſuum. Mecum aſcendet Alexander Carbonarius, qui ad fugiendos honores mundi, ſimulavit ſe ſtultum, & contemptibilem coram hominibus. G Mecum aſcendet Alexius, qui ut fugeret delitias mundi, habitu peregrino veſtivit ſe, & nova mundum arte deluſit. Mecum aſcendet Paulinus, qui vendidit ſe, ut faceret miſericordiam, & redimeret à captivitate proximum ſuum. Mecum aſcendet glorioſus Apoſtolorum chorus, exercitus candidatus Martyrum, ſenatus Doctorum meorum, ſplendidi chori Virginum, magna multitudo ſanctorum Monachorum, & denique omnes illi, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ. Hæc conſiderate, filii, & vivite ſobrie. Judicate vos ipſos, & non judicabimini: & habebitis ſortem feliciſſimam inter filios æterni regni mei.

CAPUT IV. H

De conſideratione Inferni.

VÆ terræ tenebroſæ, quæ operta eſt mortis caligine: ubi umbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Infelices illi, qui deſcenderunt in la-

Scrip. An. forte 1594

cum illum, ubi eſt luctus ſine fine: quos projeci in æternum à facie miſericordiæ meæ. Sicut oves in inferno poſiti ſunt: mors depaſcet eos. Ducunt peccatores in bonis dies ſuos, & non poſſunt ferre jejunium unius diei, vel incommoditatem lecti unius noctis: & ex mollitie illa tranſeunt ad flammam, ſicut tranſivit dives, qui induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide.

A

Peccatorum finis.

Moritur peccator conſtrictus funibus peccatorum, quæ illum à pœna fugientem capiunt in interitu: & deſcendet in locum tormentorum, donec reddat noviſſimum quadrantem: fert ſecum inimicitiam meam, & vermem conſcientiæ, qui non morietur; ſed corrodet lignum illud aridum, traditum igni ad comburendum: Noluit peccator humorem aquæ ſalientis in vitam æternam; & ideo ſiccus, & inutilis mittetur in flammam; fruſtraque clamabit, & poſtulabit, ut refrigeretur ſaltem lingua ejus. Conſiderate filii, ſortem hanc, hominis delicati, & à mollitie nimia tranſeuntis ad ignem; ut horreatis peccatum, quo paſcitur flamma illa. Quid aget infelix ille, cui melius erat, ſi natus non fuiſſet?

B

Quem invocabit è lecto illo igneo, in quo jacebit, cum gemitibus profundiſſimis, plenis deſolatione, & deſperatione? Qualis furor erit corporis illius deformis, & abominabilis volventis ſe impatienter per lectum illum, quærentis requiem, quam in æternum non inveniet? Vertet ſe in hoc latus, & illud, & non inveniet, niſi horribiles dæmones, quorum conſortio magis cruciabitur, & alios homines damnatos, quorum aſpectus pavor mortis erit. Si oculos aperire voluerit ad lucem, non aderit niſi nox tenebroſa, quæ cor reprobi opprimat. Si verba conſolationis requiſierit, recipiet crudelia maledicta, & blaſphemias indignatione & rabie plenas.

Peccatores bona receperunt in vita.

C

Receperunt peccatores bona in vita ſua: jam tranſiit tempus miſerendi; non aderit jam ſolatium ullum, ſecundum legem juſtitiæ meæ. Calix eorum, erit æterna ſitis, & fames, eorum ſermo erit maledictio; & pro duritia cordis eorum, ſtatus ſuus erit obſtinatio & hæreditas illorum erit mors, quæ non habet finem. Ipſi projecerunt me, & deſideraverunt peccare ſine fine: idcirco reſpondebit illis ira, cujus non erit finis. Non videbunt in æternum faciem meam; nemo eorum guſtabit cœnam meam, quia invitavi eos, & noluerunt venire. Ego elevavi manum meam ſuper eos, ut delerem eos de terra, quia procuraverunt indignationem meam. Non miſerebor eorum in æternum. Abyſſi dolorum infernalium operuerunt eos. Jam oſtium miſericordiæ clauſum eſt: neſcio illos.

D

Ego lætabor vindicta eorum: & juſtus qui mecum eſt, lætabitur, cum viderit vindictam, manusque ſuas lavabit in ſanguine peccatoris. Non eſt pax impiis, qui oderunt me: nemo dolebit ultra ſuper interitu illorum. Impius ſolus dolebit ſuper ſe abſque remedio: videbit ſe damnatum, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet: deſiderium peccatoris peribit. Rota paſſionum, & dolorum vertetur ſine fine. Si numeraverit impius centum millia annorum, in tormentis ſuis, & multiplicaverit millia, ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam, quæ jacet in littore maris;

E

poſtquam tranſierit omnia ſpatia illa, erit ſemper debitor æterni cruciatus, neque putabitur ſolviſſe unum quadrantem judici, & creditori ſuo. O quam terribile debitum, cui non ſatisfacit impius, ſi ſolvat tot millia annorum, quot arenæ numerari poſſunt in littore maris!

Dei maieſtas timenda.

Timete Majeſtatem meam, quotquot habitatis in terra, puſilli & magni, & eligite potius mori, quam peccare. Cogitate, filii, juſtum judicium meum, quo culpam brevem, & momentaneam punio interminabili, & ſeveriſſima pœna. Conſiderate, quid ſentiat anima reprobi, poſita in tormentis, quæ jam neque à creaturis, neque à Creatore ſuo ſperat refrigerium, ſed tela iræ, quibus cor obſtinatum vulneretur? Quid dicet ibi circumdata doloribus mortis, quos ſcit duraturos in æternum? Audite verba, qualia proferet homo damnatus traditus tortoribus ad pœnam. Væ mihi homini maledicto, cui melius fuiſſet, nunquam in mundum veniſſe!

F

Cur ego fui conceptus in utero matris, quæ peperit filium infelicem? cur nutritus & converſatus cum hominibus, qui poſt modicum tempus deſcenſurus eram in tormenta dæmonum? Cur egreſſus ex utero, non ſtatim perii? Ecce tranſiit vita, quaſi umbra. & bona, quæ dilexi, dereliquerunt me. Vix guſtavi delitias mundi in momento: & ecce patior pœnam ſempiternam. Deus projecit me in perpetuum, pro brevi tranſgreſſione legis ſuæ: quid faciam patiens Deum inimicum? clauſa eſt janua miſericordiæ dolores inferni, quaſi leones militant contra me. Sit maledicta dies ortus & mortis meæ; quia morior ſine fine.

Damnatorum vermis.

G

Hei mihi, quia crucior in hac flamma, quæ nunquam extinguetur: rodit me vermis, qui non morietur: tela Dei, & indignatio ejus vulneraverunt me. Ergone pro tam brevi peccato, quod ego bibi, quaſi aquam, patiar tormenta perpetua ſine miſericordia? Væ mihi maledicto, quia ambulavi vias pravas! quid profuit mihi ſanguis Chriſti morientis in ligno? Poteram ego uno ſuſpirio converti ad Deum, dicens ex corde: Peccavi: & converſione illa brevi comparare vitam, & conſolationem, quæ non habet finem: & nolui converti: ſed feſtinavi ad mortem, quæ oppreſſit me. Nunc infelix ego ago pœnitentiam rabie infernali plenam: habito cum draconibus, quorum aſpectus terret me. Clamo ut parturiens, non exaudior: & ira Dei vivi omnes fluctus ſuos induxit ſuper me: deſperavi miſericordiam:

H

furor tartareus agitat me: non ſupereſt mihi requies: ero præda mortis & perditionis, quæ prævaluerunt contra me. Hi ſunt affectus hominis damnati, qui erecto collo cucurrit adverſus me: quos, vos filii, dum vivitis, præmeditari debetis ad cautelam. Melius eſt, ut per conſiderationem deſcendatis in infernum

vi-

Scrip. An. forte 1594

viventes, quam morientes, ad evitandum illud malum infinitum, quod eſt ſupremum inter omnes calamitates, quæ cogitari poſſunt. Ego odi vaſa illa iræ apta in interitum, quem ſibi fecerunt. Ego jaculor è cælo lanceas iræ meæ ſuper gentem rebellem, & obduratam, cujus ſuperbia aſcendit ſemper. Non mutabor, aut movebor in æternum,
A
ut amplius parcam genti peccatrici, populo gravi iniquitate: qui dum potuit, pugnavit duro corde, contra magnas miſericordias meas. Non lucebit claritas mea in regione illa, quæ non ceſſat mihi maledicere, & male ſentire de infinita bonitate mea. Timete nomen meum filii, & ardentiſſimis ſuſpiriis implorate clementiam meam: ne forte, & vos, parum æſtimantes admonitiones paternas, tradamini tortoribus, qui
Via mortis lata.
parati ſunt ad prædam. Lata eſt via, quæ ducit ad flammam: multi nimis currunt per eam: ſinite illos: cæci ſunt, & cadent in profundiſſimam foveam, unde in perpetuum non reſurgent. Eſtote vos cauti cum puſillo grege meo, qui tremit ad ſermones meos: & eligit in præſenti vita affligi, & hu-
B
miliari, ut æternam afflictionem, & ignominiam non incurrat. Plenus eſt infernus regibus, & Imperatoribus, & ducibus, qui ſcripſerunt in terra nomina ſua. Magnus eſt numerus divitum, qui intumuerunt in cogitationibus ſuis, & crudeles fuerunt in afflictos, & derelictos quærentes panem. Plurimi ſunt ambitioſi, qui quæſierunt æſtimari, quaſi dii, & levaverunt ſe ſuper ſe. Ingens caterva eſt incontinentium, qui tanquam equi tradiderunt ſe luxuriæ, & abominationes ſuas publicaverunt. Plena eſt regio illa confuſione, & horrore: egoque è cælo ferio gigantes inimicos meos, qui ædificaverunt Babylonem, ut pugnarent contra me. Ædificate, vos filii chariſſimi, ædificate; ædificate Jeruſalem: eſtote lapides vivi: & ego collocabo vos in loco ſublimi fa-
C
bricæ civitatis meæ: ubi non erit dolor & gemitus, neque imago mortis quæ ſepelietur in inferno: ſed vita jucundiſſima in conſortio Dei.

CAPUT V.

De conſideratione Cæleſtis gloriæ.

OCulus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis aſcendit, chariſſimi filii, altitudo, longitudo, & latitudo gloriæ, quam præparavi diligentibus me, & cuſtodientibus legem meam. Omnes divitiæ mundi, conſolationes filiorum Adæ, omnes honores, omnes principatus, omnia imperia,
D
& omnia alia bona, quæ ab hominibus æſtimantur in unum congregata, & comparata cum gloria unius ex electis meis, ſunt quaſi lutum vile comparatum cum auro puriſſimo per ignem examinato: omnis amœnitas hortorum, omnis magnificentia palatiorum regalium, omnis ornatus telarum pretioſarum, omnis magnitudo, nobilitas, & pulchritudo, quæ videntur hominibus tam deſiderabilia, & æſtimabilia, ſunt quaſi fœnum aridum, ſi cum gloria unius electi com-
Pulchritudo gloriae ineffabilis.
parentur. Nam etſi conſideretis; quod in ſtatu gloriæ minimum eſt, & ad corpus pertinet, tanta eſt pulchritudo, nobilitas, gratia, ſuavitas, majeſtas, lux, & amabilitas unius corporis reformati, & per gloriam configurati corpori meo; ut omnes filii re-
E
gum decori valde, & omnes reginæ ſpecioſiſſimæ, quas mundus admiratur, deforme ſpectaculum ſint, comparatione ſolius corporis illius. Jam vero ſurſum corda elevate ad choros Virginum, & Martyrum, & ad exercitus bene diſpoſitos aliorum Beatorum, quorum corpora lucebunt, quaſi totidem ſoles, & erunt alba ſicut nix, & ſuaviſſimo decore mutuo converſabuntur, & celebrabunt æterna feſta bonitatis & miſericordiæ meæ: & apparebunt vobis conſiderantibus caſtra Dei vivi, quæ iſtis oculis corporalibus viſuri eſtis, ſtupentes, præ magnitudine decoris domus meæ. Cogitate quale gaudium futurum ſit Electis meis, qui noluerunt reſpicere gratiam corporum mortalium,
F
videre tot exercitus corporum glorificatorum ineffabili ſuavitate oculos, & corda delectantium: qualis lætitia erit, ſociari choris illis per plateas Jeruſalem cryſtallo ſimilem ambulantibus, & dulciſſima ſocietate ambulantibus ſine fine? Certe gaudia hæc ſuperant omnia, quæ in mundo pretioſa videntur, & à filiis Adam adorantur. Quod ſi altius aſcendatis per tot millia corporum lucentium claritate mea, videbitis
B. Virgo Maria.
poſt illam magnitudinem, Reginam Syon veſtitam decore mihi ſimillimo, cujus impetus lætificat totam civitatem Dei. Corpus illud puriſſimum, ille thalamus Regis pacifici, cujus comparatione ſol obſcuratur, & cæli non ſunt ſereni, quomodo delectabit caſtos oculos, & corda filiorum Dei? Flores roſa-
G
rum, & lilia convallium ſerviunt columbæ illi ſpecioſiſſimæ aſcendenti deſuper rivos aquarum: cujus inæſtimabilis odor eſt nimis in veſtimentis ejus. Videbunt eam filiæ Sion & beatiſſimam prædicabunt: ſed & Reginæ mirabuntur, & laudabunt eam. Quod ſi & altius aſcendatis, filii, videbitis corpus unigeniti filii Dei: meum nempe corpus, ineffabili gloria decoratum, quæ decet filium Patris, Dominum rerum omnium, &
Chriſti humanitas.
exemplar reſurgentium ad vitam immortalem meam. Hæc eſt purpura & byſſus, qua induta eſt Divinitas mea propter vos, hæc eſt viſio omnibus mundi bonis delectabilior, quæ in funiculis Adam trahit totam Eccleſiam triumphantem, & ſuaviſſimis canticis celebrantem myſterium Incarnationis meæ.
H
Hæ ſunt epulæ regales, paratæ ad convivium eorum, qui corpora ſua caſtigaverunt, & negaverunt oculis ſuis, quæ in mundo videbantur amabilia, & ſollicitabant corda eorum. Dulciſſimus decor eſt, quem filiæ regum concupierunt, pro quo multa millia Virginum tradiderunt animas ſuas. Ecce filii, quam dilecta ſunt tabernacula mea, ubi

Scrip. An. forte 1594

quod minimum eſt, utpote corporeum, habet vim potentiſſimam ad emollienda ſaxa & ad producendas inenarrabiles, & caſtiſſimas delitias Dei. Si ergo quod minimum eſt, implet civitatem primogenitorum delitiis Dei: quid facient illa majora, & abſcondita ab oculis corporalibus, quæ præ- A paravi in abſcondito faciei meæ, daboque poſtquam revelavero faciem meam? Certe, chariſſimi filii, ſi vel unam animam glorificatam videretis, omnia mundi tormenta viderentur vobis levia exercitia, dummodo per illa pervenire poſſetis ad ſocietatem animæ illius, cujus comparatione, omnis decor immenſus corporum beatorum exigui pretii eſt. Recogitate nunc caſtra illa Dei pene innumerabilibus corporibus glorificatis diſpoſita, & poſtquam obſtupueritis, dicite: Quomodo aſcendemus nunc ad regionem ſpirituum beatorum, quorum gloria innumerabilibus augmentis major eſt? Si non valemus capere corporea, quomodo capiemus incorporea, & ſpiritualia; ubi eſt ineffabiliter major pulchritudo, nobilitas, majeſtas, ſuavitas, & amabilitas? Non valetis, filii, B dum mortales eſtis, intelligere ſecreta Dei. Utimini fide mea, quæ eſt argumentum non apparentium. Credite mihi teſti fideliſſimo. Aſcendite per fidem, & diſcurrite, per decies centena millia, & iterum per centies centena millia, admirantes, & laudantes, & amantes flumen delitiarum manantium è tot ſpiritibus glorificatis, cum quibus in æternum feliciſſimè victuri eſtis. Aſcendite fortiter, & laudate ædificium Regis Salomonis, qui magnificatus eſt ſuper omnes Reges univerſæ terræ. Ne deficiatis contemplantes palatium Dei vivi conſtructum vivis ex lapidibus, ad oſtenſionem altiſſimæ Majeſtatis, & infinitæ bonitatis ſuæ, ſurgite ſuper alas Cherubim, & accedite ad littus Oceani, ut mergamini in mari magno Divinitatis meæ, & liqueſcant oſſa veſtra ardentiſſimis deſideriis fruendi me. Si ſciretis, filii chariſſimi, ma- C gnitudinem boni illius, & inenarrabilem conſolationem animarum & ſpirituum beatorum natantium in Oceano Divinitatis meæ; reſolveremini in lachrymas, quia peccaſtis mihi, & clauſiſtis vobis oſtium delitioſiſſimi Paradiſi mei. Quale putatis eſſe gaudium ſervi illius, cui Ego dico: Euge ſerve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui? Qualis eſt ingreſſus ille? Attendite, quæ dico: Anima juſti vexata dura ſervitute corporis, & afflicta tentationibus, & repulſis meis, poſtquam tranſiit per aquam & ignem velociſſime, ſuper volatum Aquilarum, fertur ad ſuum refrigerium, hoc eſt, ad me, ultimam, infinitam, & optatiſſimam requiem ſuam. Currit ad me, ſicut cervus à canibus fatigatus, in fontem aquæ puriſſimæ, D ut ſatietur ab uberibus conſolationis meæ. Statim ergo ac è corpore ſeparatur, ſi nihil purgandum ſit, vel ſtatim ac ab igne purgatorii liberata eſt, velociſſime volat ad me, & mergitur in ſpatioſo mari Divinitatis meæ, bibitque quantum deſiderat de torrente voluptatis, quæ implet omnes ſinus ejus. Hic expandit brachia ignitorum affectuum dulciſſimæ charitatis meæ, ut capiat infinitam conſolationem, quam dilexit, & multis laboribus exquiſivit. Hic ardent viſcera ejus, clamatque dicens: Teneo te, ſuaviſſime Deus, & ſponſe amabiliſſime, quem invocavi, quem quæſivi, quem dilexi. Ego- E que blandè loquor ei ad cor, dicoque: Veni, amica mea, ſpecioſa mea, columba mea, & requieſce in nido tuo. Adhære mihi, electa mea, & comede dulciſſimum fructum laborum tuorum. Jam hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit. Aſcende ſuperius, ſponſa mea, coronabo te pro laboribus, quos tuliſti, in cubilibus leonum, & in montibus pardorum. Ecce amplector te dextera mea: certoque ſcias te in æternum non carituram hoc amplexu meo. Laboraſti, & planxiſti in terra aliena; gaude nunc mercede magna in chariſſima patria tua. Ego probavi, & examinavi te, ſicut examinatur argentum; & ornavi te veſtitu deaurato ad nuptias meas: Lætare ergo nunc delectationibus thalami mei; & exulta ſine fine, quia facta es ſuaviſſima præda cordis mei. F Hi ſunt affectus, quibus reſpondeo animæ aſcendenti de deſerto mundi, & delitiis meis affluenti, chariſſimi filii: conſiderate ergo vos, quo iter faciatis, per viam æternæ vitæ. Si enim bene conſideretis, omnes mundi labores tolerabitis, & omnem triſtitiam bono animo feretis, pro ſorte regionis vivorum poſſidentium pretioſiſſimas opes meas. Tempus breve eſt; pugnate viriliter pro decore Syon, quam dilexi. Currite celeriter, antequam nox accedat, & reſpondeatur vobis: Clauſa eſt janua. Contemnite viſibilia, & ne bibatis de calice inaurato Babylonis. Bibite potius calicem meum, facti ſocii tribulationum, & paſſionum mearum, per quas aſcenditur in terram æternæ promiſſionis meæ. Tollite jugum meum ſuper vos, & ſuſtinete modicum tempus. Ego enim veniam cito; & e- G ruam animas veſtras de omni anguſtia, ſecundum fideliſſima promiſſa mea. Momentaneum hoc & leve tribulationis veſtræ æternum gloriæ pondus operatur in cælis. Negotiamini ergo dum venio. Et ego ab exilio Babylonis reducam vos in optatiſſimam Jeruſalem patriam veſtram; ubi fruemini dulciſſima libertate, & ſuaviſſima ſocietate mea.

* * *

H

Paullina fidei definitio.

Purgatorium adſertum.

IN SEQUENTEM PRAXIN
BREVIS PRAEMONITIO.

Hanc ad bene moriendum Praxin praecedenti Operi, ordine & tempore ipſius Ven. Scriptoris jungimus, quod huic eam ille quoque adnectat, & ad hanc illud prius dirigat, ut ex ipſo exordio legenti conſtabit. Quamobrem eadem temporis chronologia ipſa etiam heic procurrat oportet, quae uno, eodemque indeſinenti calamo ſcripta eſt.

AUCTORIS
PRÆFATIO

LAude profecto dignus eſt labor eorum, qui de inſtructione morientium bene ſcripſerunt. Res quippe maximi ponderis eſt, ſcire bene mori, cum anteactus proceſſus per viam vitæ, quantumvis laudabilis, pro nihilo ducendus ſit, ſi bona morte non claudatut: atque ideo de re tanta bene ſcribere Chriſtianæ ſapientiæ tribuendum eſt. Etſi vero ſcripta hujuſmodi ad juvandos morti proximos non deſint; fortaſſis deſideratur praxis aliqua, quæ & miniſtris Eccleſiæ morientes inſtruentibus, & ipſis morientibus, externo præſertim adjutorio uti non valentibus, poſſit eſſe communis. Id enim ipſum, quod moriens præſtare debet, inſtructor, vel adjutor debet conſulere, ſed moriens ita ejus inſtructionis debet eſſe conſultus, ut cum jam ſenſibus defungi cœpit, per ſeipſum cum hoſtibus tunc ſævientibus concertare noverit. Quod ut feliciter præſtet, ante ſupremam illam horam, pugnandi modum debet ediſcere. Et hoc eſt propoſitum noſtrum, in hac praxi tradenda: ut valentes diſcant, quod ægroti, deſperata præſertim vita, facturi ſunt, ſi ad finem viæ vitæ pervenire velint.

PRAXIS AD BENE MORIENDUM.

CAPUT PRIMUM.

De iis, quæ ſecundum Chriſtianam pietatem ante mortis horam præſtanda ſunt.

Scrip. An. forte 1594

Vitam probam mors bona concludit.

I. MAnifeſtum eſt, viæ vitæ proceſſum, ad bene moriendum inprimis requiri. Ordinaria quippe mortalium ſors eſt, ut vitam bonam mors bona concludat. Verum aſſertum hoc non eget peculiari obſervatione, quæ in hac praxi addenda ſit, ſed cuſtodia eorum, quæ de via æternæ vitæ ſuperioris præſcripta ſunt. Quicumque enim per eam viam incedit, merito bonæ mortis exitum ſperare poterit. Hic vero ea dumtaxat præſcribenda ſunt, quæ bonum vitæ finem peculiari ratione concernunt.

A

Diſponenda ante mortem.

II. Quicumque ergo bene mori deſiderat, in claſſes duas, actus ad mortem bonam requiſitos diſtribuere debet. Claſſis prima componitur ex actibus ad res temporales pertinentibus, ſecunda ex iis, qui ad animam, & proinde ad res æternas conferunt, de quibus capite ſecundo agere incipiemus.

B

Temporalia.

III. Quod ad res temporales ſpectat, Chriſtiana pietas, veraque prudentia perſuadet, eo tempore bona temporalia diſtribui, diſponive debere, quo, bonorum æternorum procurationem non impediat. Perverſus quippe ordo eſſet, dum graviſſimum æternæ ſalutis negotium geritur, importuno tractatu rerum leviſſimarum, quales ſunt temporales, animum divertere, ac perturturbare. Nemo enim adeo demens eſt, in ſeriis negotiis ſæculi agendis, qui dum de acquirenda gravi prælatione, aut principatu cogitat, admittat cogitationes rerum levium quæ ad hortum v. g. colendum, vel fœnum ſecandum pertinent.

C

Teſtamentum.

IV. Eſt igitur Chriſtiana pietate, ac prudentia dignum tempus antevertere; & ſano capite, corporeque vel teſtamentum condere, vel ſi teſtamento opus non ſit, alio idoneo modo temporalia bona ita diſponere; ut accedente ſupremi temporis anguſtia opus non ſit, laborem novum ſuſcipere, ſed teſtamentum, ultimamve diſpoſitionem confirmare. Quod tunc ſane agendum, cum expurgata conſcientia, probabili conjectura, in ſtatu divinæ gratiæ infirmus eſſe creditur, ut legata omnia, ſive ultimo diſpoſita Deo accepta ſint, & in augmentum gratiæ, gloriæque convertantur. Nam ſi in peccato mortali facta fuiſſent, neque in ſtatu gratiæ confirmarentur, & velut denuo efficerentur, quaſi opera mortua ad æternitatem non proficerent: quod perſpicaciter animadvertendum eſt.

D

Juſtitia, & miſericordia plenum.

V. Rebus ergo ſic ordinatis (in quibus juſtitia, & miſericordia lucere debent, ut reddatur cuique quod ſuum eſt, vel eſſe debet, & piarum cauſarum deinde mentio fiat) ſtatim ac ægrotus decumbit, pios medicos rogare debebit, an periculum vitæ immineat. Turpe enim, ac homine Chriſtiano indignum eſt, adeo parum Dei judicia timere, ut nolit ſibi periculum tempeſtive nuntiari, quo ſe ad terribilem horam mortis comparare valeat.

E

Vitae mortalis amor abiiciendus.

VI. Nuntiato vero periculo viriliter abiiciat omnem vitæ mortalis amorem, & cogitationem & (ſi id antea non fecit) ſpirituales medicos ſollicite vocet, atque ab eis adjuvari inſtanter poſtulet, ad veram contritionem peccatorum concipiendam, & ad Sacramenta pie admodum recipienda.

CAPUT II.

De Contritione concipienda.

F

Spiritualia.

I. TEmporalibus parce indicatis, ad ſecundam claſſem actuum ſpiritualium accedamus. Exploratum eſt, quovis tempore

ſed

Scrip. An. forte 1594 ſed eo potiſſimum, quo ad tribunal Dei homo reus vocatur, dandam illi operam eſſe, ut Judici ſuo placeat. Quid enim aget, cum poſtuletur ad examen, & poſt modicum tempus, inæqualem ſortem vitæ, vel interitus æterni recepturus ſit? Dabit ergo operam, ut per veram pœnitentiam Deo reconcilietur, ſi in ſtatu peccati jacebat, vel Deo gratior A fiat, ſi in gratiæ ſtatu permanſerat. Sic autem ſeipſum ad contritionem excitabit, rationibus practicè propoſitis, & expenſis.

II. Conſidera, ô anima, quid feceris, & quo deveneris, nam ex hac vita confeſtim migrandum eſt, acceſſit tempus: Deum offendiſti, qui ſumme bonus & amabilis eſt: Convertere ergo ad illum ex totis viſceribus, & invoca illum ex intimis præcordiis: peccataque deteſtare propter illum, quemadmodum rationes hæ omnino perſuadent.

III. Diſce, ô anima, æſtimare Creatorem, Redemptorem, & Dominum tuum. Ipſe eſt infinita bonitas, & proinde peccata ſunt infinito odio, & abominatione digna: pugnant enim cum infinita bonitate Dei. Quocirca illa tibi turpiſſima, & intolerabilia B valde videri debent: quia te à ſtudio divinæ bonitatis averterunt; atque ideo ego illa odi, & abominor, propter infinitam Dei bonitatem, cui me totum medullitus offero, & ſtatuo firmiſſimè non ultra peccare, quamvis per annos mille ſupervivam.

Peccatum infinito odio dignum.

IV. Jeſus Chriſtus creavit me, & propterea me totum illi debeo. Redemit me pretioſiſſimo ſanguine, & idcirco, alio titulo illius ſum, tanquam ſervus à captivitate dæmonis redemptus. Invitabit me, & pavit non pane ſervorum, ſed cæleſti pane vitæ, quem in Sacramento Altaris expoſuit voluntati meæ. Profecto beneficia hæc & feras crudeliſſimas, & lapides quoque moverent. Cum ergo ego peccatis multis contra miſericordias has grandes ingratiſſime pugnaverim, C proculdubio turpiſſime egi. Debui enim benefactori tanto fideliſſime inſervire, & ab ejus voluntate, ne latum quidem unguem diſcrepare. Hei mihi, quam ſtulte egi! Pœnitet me, clementiſſime Jeſu Chriſte, peccatorum, quæ reddidi infinitæ bonitati tuæ, pro tot ac tam immenſis beneficiis. Pœnitet me, quia te bonum, ac miſericordem Dominum, & infinita manſuetudine mihi parcentem offendi. Non committam Domine, ut tibi in poſterum diſpliceam.

V. Jeſus Chriſtus infinita dulcedine curavit ſæpenumero emollire cor meum, ut eum ſequerer, eo certè propoſito, ut ad æternam gloriam me per viam vitæ perduceret, neque durum cor meum ceſſit ei. Satanas me ſuis ſuggeſtionibus decepit, & blandienti conſenſi; ejuſque proinde ſervus effectus ſum, D à quo nihil mercedis, niſi forte flammam æternam expectare potui. Væ mihi, quam inſipienter elegi! Dereliqui Dominum mitiſſimum, & liberaliſſimum, & ſervivi tyranno crudeliſſimo. Doleo clementiſſime Jeſu Chriſte ex toto corde, quia non acquievi dulciſſimis inſpirationibus tuis. Utinam tibi, Domine, obtemperaſſem! Nollem à te, Domine, receſſiſſe, ſed ſummo amore adhæſiſſe tibi. Nunc, precor, ne imputes creaturæ tuæ ſtultitiam hanc. Ego ardentiſſime adhæreo tibi, & in æternum adhærere conſtituo. Oro te, per viſcera miſericordiæ tuæ & per puriſſimam Virginem genitricem tuam imprimas viſceribus meis intimum odium, & dolorem peccatorum & firmiſſimum propoſitum placendi tibi, omnemque culpam accuratiſſimè vitandi, ut gratus tibi fiam. E Sum Domine filius prodigus ſubſtantiæ tuæ: ecce totis viribus revertor ad te dulciſſimum Patrem meum, confiteorque me indignum eſſe, qui vocer filius tuus, ſed ne, precor, repellas me propter magnitudinem miſericordiæ tuæ.

VI. Ecce, qua ratione morti proximus, ad contritionem peccatorum concipiendam, ſeipſum excitare debet, rationibus practicè propoſitis, ad cor emolliendum opportunis. Sunt & aliæ rationes plurimæ, quas nos in Inſtructione Novitiorum, capite de Pœnitentia breviter digeſſimus, quæ odium peccati, & veram in Deum converſionem perſuadent. F Sed hic paucas ad exemplum propoſuiſſe, ſatis fuerit. Qui ergo eo tempore, quo angoribus & doloribus homo vix ſui compos eſt, expedite, fructuoſeque actus contritionis ſummopere ad extremam luctam neceſſarios, exercere cupit, ut iis bene diſpoſitus Sacramentum Pœnitentiæ, vel ſi ejus copia non ſit, alia poſtrema Sacramenta recipiat: vel certè, ut vera contritione juſtificetur, quando nulla Sacramenta ſuppetunt dum valet ſeipſum, quaſi jam in lecto, deſperata ſalute, jacentem exerceat, & ad caſus improviſos præmuniat. Qui vero juvant morientes, juxta modum eundem, illos practice erudiant: ut cum ſenſuum uſus defecerit, ipſi ſeipſos exerceant.

CAPUT III. G

De ſacra Confeſſione.

I. FAmiliare eſt iis, qui pie, ac tuto mori cupiunt, peccata generaliter confiteri: ne forte anteactæ confeſſiones imperfectæ fuerint. Res quippe tanta, unde ſalus æterna dependet, non leviter agenda, ſed quoad fieri poteſt, ſecure tractanda eſt. Ex quo facile perſpicitur, quanta ſit dementia eorum, qui cum valentes parum integrè confeſſi fuerint, tunc immemores vitæ præteritæ, accelerata confeſſione parum integra moriuntur.

Generalis confeſſio.

II. Conſilium ergo ſaluberrimum eſt, dum in valetudine proſpera ſenſus vigent, confeſſionem generalem ad brevia capita reductam H vel ſcripto, vel fida memoria, ad tempus extremum aſſervatam habere; ut quicquid vitii obrepſit, ſuprema confeſſione integra, perfectaque tergatur. Cujus ſane conſilii bonum per ſe magnum eſt; ſed eo tunc majus erit, quo liberius anima tota veræ contritionis ſtudio vacare poterit. Nam qui

Conſilium.

tunc

Scrip. An. forte 1594

tunc elapſæ vitæ cauſas mente repetere cogitur, difficillime rei tantæ ſatisfacit, quæ vix per otium etiam ſine morbi moleſtia, & mortis terrore perficeretur,

Extrema confeſſio juſtorum, & impiorum longe di-

III. Parata igitur confeſſione, ſive ex facto examine in valetudine, ſive ex præſenti examine, quod diximus eſſe difficillimum, A ægrotus multiplices actus contritionis producat, & ſpe tota in Jeſu Chriſti Redemptoris noſtri ſanguine firmiſſime poſita, confiteatur. Quod licet diverſe in ea hora pene noviſſima à juſtis, atque à peccatoribus fiat (juſti enim tenero affectu, ſpe viva roborati, peccatores cum terrore ac dejectionis ſenſu id agere ſolent) utrique tamen in ſpei exercitium fortiſſime incumbere debent. Spei quippe exercitium hora illa ſumme neceſſarium eſſe & ratione, & experientia compertum eſt. Sed peccatores, præſertim magna ſpei firmitate tunc indigere adeo per ſe planum eſt, ut à nemine in dubium revocari poſſit: quod ex iis, quæ de tentationibus poſtea ſcribemus, aperte conſtabit.

Actus a moribundo faciendi.

IV. Univerſe autem cavendum eſt, ne hora illa, conſcientia confitentium ſcrupulis B occurrentibus ſatisfacere velit, poſtquam judicio Confeſſarii confeſſionem abſolverunt. Nihil enim importunius, quam tunc, modicum illud, & pretioſiſſimum tempus, quod actibus egregiis fidei, ſpei, amoris, contritionis, & fortitudinis contra impugnationes dæmonum, impendi debet, ſpeculatione ſcrupuloſa conſumere; & ſe damnationis æternæ periculo, ob conſcientiam erroneam, vel graviter diffidentem committere. Confeſſarius ergo plurimum operæ ponet in ſedanda conſcientia, & animo per actus ſpei fortiſſimos erigendo. Et ad hunc ipſum finem Chriſtianus quiſque dum valet, deberet ſeipſum exercitio ſpei, quæ oblivioni à multis tradita videtur, præmunire; facile quippe ca- C dit animo, in ſummis periculis, quem ſuprema mala imparatum offendunt.

CAPUT IV.

De receptione Viatici, & extremæ Unctionis.

Viaticum.

I. POſtquam ægrotus S. Confeſſionem abſolvit, Viaticum, & extremam Unctionem ſummo ardore depoſcat; neque ſit adeo delirus, ut (quod multi prudentes filii huius ſæculi faciunt) eo differat Sacramentorum receptionem, ubi jam delirare cœperit. Tunc enim, ſi unquam, pietas & Chriſtiana prudentia commendatur; ut qui ſalvus eſſe cupit, remediis illis animæ, fructuoſiſſime utatur; quod minimè fiet, ſi mentis bene compos non ſit.

Erga idem actus.

D II. Viaticum ergo religioſiſſime poſtulabit, delatumque ſumma adoratione venerabitur. Interimque dum Sacerdos Sacramentum coram illo tenet, actus nonnullos fidei, ſpei, amoris, & contritionis quam devotiſſime producet, in hunc modum: *Clementiſſime Domine Jeſu Chriſte, fili Dei vivi, qui vere in hoc Sacramento exiſtis, ego credo firmiſſime quicquid credit S. Mater Eccleſia Romana, ſponſa tua: & pro qualibet ejus veritate moriar; vellemque ſi placeret tibi ut mors hæc naturalis, quæ mihi proxima eſt, eſſet violenta ab aliquo tyranno cauſa fidei illata, ut in Catholicæ fidei confeſſione occumberem. Spero mitiſſime Domine, ac Redemptor, me* E *per virtutem ſanguinis tui, & ſingillatim per vim hujus divini Sacramenti, ubi tu vere exiſtis, me ſalutem æternam conſecuturum. Cupio Domine in hac præſertim hora implere primum & maximum mandatum divinæ legis, ut diligam te Deum meum, ex toto corde, tota mente, totaque fortitudine mea: & ideo quam ardenter poſſum, amo te, bonitas infinita, & placet mihi, quod ſis ipſum infinitum, & æternum bonum, fruariſque immenſa gloria tua: Egoque Domine offero me tibi totum, tanquam ſervum emptitium, & ſummopere deſidero, totis viſceribus placere & adhærere tibi. Offendi te Domine, amore digniſſime, cui reſtiti lapidea duritie: nunc revertor ad te, pœnitetque me valde, quod tam bonum & miſericordem Dominum offenderim. Deteſtor Domine omnia peccata mea,* F *propter te, quem ſummo amore diligere cupio: ſtatuoque certiſſime, me non ultra peccaturum, etſi mortem pati cauſa vitandi peccata opus ſit. Suſcipe Domine has mortis anguſtias in ſatisfactionem aliquam pro peccatis meis: & perfice in me plenum myſterium æternæ redemptionis tuæ.* His dictis viaticum cum profunda demiſſione animi ſumat: extremamque unctionem piiſſimo affectu depoſcat.

Unctio extrema.

III. Statim ac ſanctum extremæ Unctionis oleum allatum fuerit, immenſas Jeſu Chriſto Domino noſtro gratias agens, pro remediis ad peccatorum expiationem inſtitutis, curet attendere, quæ Sacerdos agit, ac dicit, dum illum inungit: comiteturque in- G ungentem piis affectibus, humilibuſque orationibus, petens à Domino veniam eorum, quæ per ſingulos ſenſus commiſit, quam ardenter poterit; & in hunc modum Eccleſiæ Sacramentis munitus ad luctam ſe comparet.

CAPUT V.

De actibus virtutum ad extremum conflictum neceſſariis.

I. QUO magis morbus ingraveſcit, eo graviora prælia ſuccedunt: ſciens quippe Satanas modicum tempus ſupereſſe, diligentiſſime ſtudet animam quantumvis Sacramentis munitam infeſtare, ut in aliquam culpam mortalem eam præcipitet, ſecumque pertrahat in flammam. Quocirca morientem oportet fortiſſime dimicare, ubicunque ſe tentari animadverterit. Claritatis tamen gra- H tia in hoc capite communia documenta tradimus ad actus virtutum producendos, & in proximis capitibus ſubiiciemus modum pugnandi, qui poſtremo ſuccedit.

II. Conſilium ſalutare admodum eſt, & ante & poſt accepta Sacramenta, actus plurimos fidei, ſpei, amoris Dei, & contritionis

pro-

Scrip. An. forte 1594

producere, quibus anima graviter afflicta erigatur, & de ſalutis æternæ cauſa ſerio agat. Cujus certe conſilii ratio ad tempus ſupremum opportuniſſima in promptu eſt. Evenire quippe poteſt, ut aliquis parum pius qui dum valeret, Sacramenta negligenter, A raroque recipere conſuevit: gravi morbo correptus, non majorem, aut certe non parem diligentiam adhibeat, ad ultimam Sacramentorum receptionem, ei, quam bene valens adhibere aſſuevit; ita ut licet ipſe exiſtimet ſe ad gratiæ ſtatum ſurrexiſſe, revera non ſurrexit. Qui tamen ſi favente Deo, aſſiſtenteque perito adjutore, veros virtutum actus producere ſtudeat, pertinget ad eum diſpoſitionis gradum, quo juſtificetur, & pœnam æternam, ad quam ignorans feſtinabat, præcaveat quod attentè conſiderandum eſt.

III. Utetur ergo, quam ardenter poterit, quatuor præſertim virtutum actibus, quos commemoravimus, qui ad agonem ultimum inter cæteros appoſitiſſimi ſunt. Poteritque B ad hunc modum ſe gerere. Primum quod ad fidem Catholicam ſpectat, ſymbolum fidei

Fidei profeſſio.

recitabit, ſubiungetque: *Ego profiteor hanc fidem Catholicam, cujus veritates credo, & amplector, eo prorſus modo, quo credit & amplectitur illas S. Mater Eccleſia Romana. In hac fide divina vivere, morique conſtituo, & pro qualibet veritate illius vitam contemno. Clementiſſime Deus, ego confiteor te eſſe trinum & unum, Patrem, Filium,* Spiritum *Sanctum tres perſonas divinas diſtinctas, & unum Deum, æternum, infinitum, & omnipotentem. Hoc myſterium altiſſimum adoro. Credo te, mitiſſime Jeſu Chriſte, eſſe verum Deum, & hominem, incarnatum ex Beatiſſima Virgine Maria Genitrice tua, quæ manſit Virgo poſt partum. Credo, Domine, te eſſe Redemptorem meum, qui per paſſionem & mortem tuam redemiſti mundum, & reconciliaſti eum Patri tuo. Credo, Domine te inſtituiſſe* C *ſancta ſeptem Eccleſiæ Sacramenta in quibus eſt illud mirabile Sacramentum Euchariſtiæ, ubi tu totus verus Deus, & homo exiſtis. Confirma me Domine, in hac hora, ut hanc fidem fortiſſime confitear, ut verus Eccleſiæ filius. Profecto, fili Dei altiſſimi, veriſſimi ſunt omnes articuli fidei: & impoſſibile eſt aliquid in eis falſum inveniri. Ego credo divinæ auctoritati tuæ: & infinitas gratias ago tibi, quia te verum Deum, & hominem mihi, per catholicam fidem revelare dignatus es.*

Actus ſpei.

IV. Actus ſpei ad hunc modum exercebit: *Domine Jeſu Chriſte, qui dilexiſti me & tradidiſti teipſum pro me, firmiſſime ſpero in magna bonitate, & miſericordia tua. Certiſſime confido Domine me fore ſalvum, per merita tua infinita. Tu, Domine, es infinite* D *bonus, & in Scriptura tua teſtatus es, te nolle mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat. Ecce Domine, ego toto corde convertor ad te; certoque confido fore, ut in æternum vivam. Confirma, precor te, cor meum in hac hora, ut bene ſentiam de infinita bonitate tua, quæ delectatur bene faciendo, & oſtentando ſeipſum. Ecce Domine, occaſio benefaciendi, ut glorificeris parcendo, & miſerando. Ergo in hac hora clementiſſime ſalva me. Tu, Domine miſericordiſſime, cum poſſes ſine myſterio incarnationis tuæ, ſine paſſione ac morte tua, homines ſalvos facere, maluiſti, ut ubi abundavit delictum, ſuperabundaret gratia tua,* E *& copioſiſſime redemiſti me, ita ut omnia peccata mea coram redemptione tua, ſint quaſi ſtipula ſicca coram igne infinito. Quomodo ergo non ſperabo veniam, & ſalutem ſempiternam? Certiſſime ſpero Domine, me ſalvum fore per te. Præterea, tu ipſe, fideliſſime Domine, invitaſti homines, ut poſtularent confidenter, ſubjungens:* Omnis qui petit, accipit: *verba tua ſunt fideliſſima, & promiſſa tua ſunt veriſſima. Hac ergo promiſſione fundatus poſco æternam redemptionem, quam me conſecuturum, fortiſſime ſpero. Domine tu vis omnes homines ſalvos fieri, & ſolus qui reſiſtit tibi damnatur: ego gratia tua volo fieri ſalvus, & cedo tibi, neque ullo modo gratiæ tuæ repugnare volo. Certiſſime ergo, per te ſalvus fiam. Ego peccavi, ſed tu Domine* F *teſtificatus es, te velle parcere peccatoribus, pluſquam ſeptuagies ſepties: neque eſt conſonum Scripturæ tuæ, ut aliquis peccator, etiamſi centies millies relapſus fuerit, excludatur à venia & miſericordia tua. Veriſſimum enim eſt, etiam ſi multiplicata fuerint peccata ejus, ſuper numerum arenæ maris, ea ipſa hora, qua convertitur ad te dicens ex toto corde;* Peccavi. *te illi parcere. Ego igitur, benigniſſime Domine, convertor ad te, atque ideo, firmiſſime ſpero me & veniam peccatorum, & vitam ærnam obtenturum. Corrobora Domine, cor meum, in hac hora, ut fiat, quod ſpero, te largiente, faciendum: ut lauderis ob magnitudinem miſericordiæ tuæ.*

Amoris.

V. Actus amoris huiuſmodi erunt: *Jeſu Chriſte fili Dei vivi, bonitas infinita, vellem nunc poſſidere omnia corda ſpirituum beatorum & omnium Sanctorum, quos creaſti, ut te unicum, & infinitum bonum meum, immenſo* G *amore diligerem. Domine, eo modo quo poſſum, per affectum amplector omnia corda hæc & amo te propter te. Placet mihi, Domine, quod regnes in æternum, & ſis rex omnium regum, omnipotens, altiſſimus glorioſiſſimus, beatiſſimus, & omni perfectione prefectiſſimus. Sacrifico me totum tibi, Domine, & cupio ſtrictiſſime adhærere tibi: fac Domine amabiliſſime, ut nihil mihi placeat, præter te, & indefeſſis viribus in hac præſertim hora quæram te.*

Et Contritionis.

VI. Actus contritionis erunt hujuſmodi: *Clementiſſime Domine Jeſu Chriſte, contra rationem omnem ſive juſtitiæ ſive gratitudinis, offendi te benigniſſimum Dominum, & Redemptorem meum, quod in hac hora præſertim confiteor. Pœnitet me Domine, peccatorum meorum propter te:* H *non addam ultra, ut peccem tibi. Deteſtor Domine omnem culpam, mallemque obiiſſe, quam peccaſſe: non committam ulterius, ut te Deum meum offendam. Abominor Domine omnia peccata, quia tibi diſplicent: patiar potius mortem, quam levi-*

Scrip. An. forte 1594

leviter peccem. Confirma me, clementiſſime Domine in hac hora, ut totis viſceribus diligam te Deum, Dominum; & Salvatorem meum, ut ex amore tuo naſcatur odium, & deteſtatio peccatorum, quibus irritavi te.

VII. Ad hunc modum, qui moritur, debet actus virtutum plurimos, & perfectiſſimos exercere: & qui eum adjuvant, in hoc debent A plurimum operæ ponere, diligenter ſimul & ſuaviter. Quod certe egregie præſtabunt, ſi ipſi paucis propriiſque verbis actus forment, & ægrotus uno, aut altero verbo vel ſi verba deſint, aliquo nutu propoſitos, ac formatos actus confirmet. Quemadmodum ſi exempli gratia, Sacerdos aſſiſtens roget: *Credis firmiter Jeſum Chriſtum eſſe verum Deum, & hominem, pro te paſſum, & crucifixum?* & ægrotus reſpondeat: *Credo*, vel annuat, ſi verba facere non poſſit. *Speras certo, te fore ſalvum per merita D. noſtri Jeſu Chriſti?* ægrotuſque dicat: *ſpero. Pœnitet te peccatorum propter Deum ſumme dignum amore, & proponis firmiſſime potius mori quam peccare?* & ægrotus reſpondeat: *Maxime &c.* Modus quippe hic ſuaviſſimus B eſt & utiliſſimus ad cor roborandum, & meritum augendum.

Horum actuum exercitium in vita commendatum,

VIII. Sed quod potiſſimum lectoribus commendamus, eſt exercitium actuum horum, quam diu valent. Difficulter enim extremis mortis anguſtiis coarctati, producent actus, quorum producendorum expeditam rationem non didicerunt. Res pretioſiſſima eſt, ut bene norunt, qui horæ ſupremæ prælia experti ſunt, de quibus ſcribere paramus.

CAPUT VI.

De præliis morientium, peculiariterque de prælio Fidei.

Extremum exercitium, quale?

I. AD ultima mortis prælia ita Chriſtianus quiſque, ſi prudens ſit; debet armari, ut una cum Dei auxilio ſolus C cum multis hoſtibus tartareis pugnare valeat. Arma, quibus eget, actus illi ſunt, de quibus in proximo capite ſcripſimus: quorum exercitium ea præſertim hora requiritur, qua infirmus ſenſuum jam uſu privatus, à circumſtantibus adjuvari nequit. Tunc enim anima à corpore ſeparari incipiens fortiſſimis ictibus tentationum pulſatur; quocirca ſtrenuiſſime tunc armis virtutum, quas ſecum reconditas habet, ſe tueatur oportet. Tunc fidei ſpei & charitatis firmamento ſubnixus moriens vincit, aut inermis vincitur; atque ideo artem præliandi diſcat neceſſe eſt. Deſcribemus ergo præliorum aliquorum praxim, in modum dialogi, ut ſit captu facilior, & D fructuoſior.

Tentatio Dæmonis, ſive prælium fidei.

Hebr. 11. 6.

II. Ecce, infœlix homo, quam graviter erraſti; *ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo.* Tu vero à vera fide alienus es; credidiſti enim falſa multa, quæ à fide divina longiſſime diſtant. Nam falſum, & plane impoſſibile eſt, Deum eſſe trinum, & unum. Si enim eſt unns (ut lumen naturale dictat) quomodo poteſt eſſe trinus?

Moribundus.

Ego firmiſſime credo, Deum eſſe trinum, & unum, quemadmodum credit ſancta mater E Eccleſia Romana,

Dæmon.

III. Male interpretaris ſenſum Eccleſiæ: nam cum Eccleſia dicit, Deum eſſe trinum & unum, non intelligit vere eſſe tres perſonas diſtinctas, ſed Deum habere tres perfectiones, à quibus nominatur tribus nominibus, ſcilicet, Pater, Filius, Spiritus Sanctus. Quia enim intelligit & amat, dicitur Deus ipſe unus generare Verbum, quod dicitur Filius, & producere Spiritum ſanctum, qui eſt amor. Non tamen per hoc ſignificatur diſtinctio, quia ipſe unus Deus, qui dicitur Pater ob creationem rerum, eſt ſibi ipſi Verbum, quia intelligit ſe per ſe, F & Spiritus ſanctus, quia diligit ſe propter ſe. Alioquin enim manifeſtum eſt, repugnare lumini naturali, cujus auctor eſt Deus, quod una res, ſint una, & ſimul ſint tres res.

Moribundus.

Recede à me tentator mendax. Non eſt tempus diſputandi, ſed credendi: atque ideo firmiſſime credo, Deum eſſe vere trinum & unum, quemadmodum credit ſancta mater Eccleſia Romana.

Dæmon.

IV. Væ tibi homini incredulo! Nonne vides te ſeductum fuiſſe? Tu credis, quia Chriſtus revelavit (ut dicitis) myſterium Trinitatis: at ex hoc ipſo capite non deberes G credere: quia Chriſtus multa falſa docuit, ex quibus patet, in nullo ei credendum eſſe. Nonne ipſe docuit, in ſacramento Altaris, corpus ſuum eſſe? ſed quis non videat hoc eſſe impoſſibile, ut ſub modica ſpecie panis ſit corpus centuplo majus? quapropter reſipiſce modo, & crede, ut oportet, ad ſalutem.

Moribundus.

Vade retro Satan. Ego firmiſſime credo Jeſum Chriſtum verum Deum & Redemptorem meum nihil falſum docuiſſe, cum ſit ipſamet Veritas. Ego propterea credo, H ipſum corpus ejus verum exiſtere in Sacramento Altaris, quia ipſe dixit: *Hoc eſt corpus meum.* Credo ergo, quemadmodum credit ſancta mater Eccleſia Romana.

Matt. 26. 26.

V. Prælium hoc poſſet longius amplificari, ſed ad exemplum ſatis fuerit hactenus de fide dixiſſe. Obſervet autem qui bene

Scrip. An. forte 1594 & legitime certare cupit, exercitium fidei apud multos Chriſtianos languere. Licet enim frequenter fidei ſymbolum recitent, parum tamen conſiderant, quid dicant. Conſuetudo viget, ſed conſideratio deeſt: atque ideo, dum occaſio gravis fidei confitendæ ſe offert, præſertim dum rationes contrariæ inopinatæ proponuntur, titubant. Quapropter A ſanum conſilium eſt, ut Chriſtianus quiſque articulos fidei non ſolum ieiune recitare, ſed & rationes eorum expendere aſſueſcat, quod magnopere conducet & ad ſolatium, & ad firmamentum. Legatur Cap. *de Fide* in noſtra *Inſtructione Novitiorum*.

CAPUT VII.

De prælio Spei.

EXperientia compertum eſt, in hora mortis, ſpem graviſſime tentari: ratioque ſubeſt, quia tunc homo vocatur ad judicium, ubi à judice æquiſſimo ejus vita omnis diſcutienda eſt. Nemo autem non videat, cauſam timoris eſſe maximam, & proinde ani- B mam cotrahi, & virium deliquium pati, quæ eſt ipſa diffidentiæ tentatio, quam Dæmon vehementer exaggerat. Et quia hæc tentatio videtur eſſe omnium frequentiſſima, & moleſtiſſima, trademus ejus praxim in homine, quem ponamus fuiſſe peccatorem maximum, nihilque boni egiſſe, jamque ad horam ſupremam deveniſſe. Nam ſi praxis hæc ejuſmodi homini prodeſſe poſſe videtur, profecto & aliis minus ſceleratis proderit.

Tentatio Dæmonis deſperationem ſuggerentis.

I. Age jam, homo ſcelerate: morere, ut arripiam prædam meam: ſatis multum per prata mundi peccando diſcurriſti: quid C modo expectas? egredere cito anima peccatis contaminata, egredere ad flammam.

Moribundus.

Spero firmiſſime, Jeſum Chriſtum in hac hora mihi propitium fore, propter magnitudinem bonitatis, & miſericordiæ ſuæ.

Dæmon.

II. Peccator abominabilis, ergone tibi miſericordia ſupereſt apud Chriſtum, cui numquam ſervire voluiſti, teſte ipſa conſcientia tua?

Moribundus.

Ego peccator maximus ſpero in unico D remedio meo Jeſu Chriſto, cujus miſericordia, incomparabili exceſſu major eſt, quam iniquitas mea.

Dæmon.

III. Homo delire, quid dicis? Jam ventum eſt ad judicium. Jam non eſt tempus miſericordiæ, ſed juſtitiæ: & tu ipſe perſpicis, te damnatione dignum eſſe: numquam enim ad Chriſtum converſus es, quamdiu peccare potuiſti. Nunc vero quando jam peccare non vales, timore pœnæ imploras Chriſtum? non ſupereſt tibi remedium: ergo veni ad ignem.

Moribundus. E

Ego non deliro: nondum exhalavi animam. Jeſus Chriſtus eſt Redemptor meus, & non excluſit horam hanc ultimam à magnitudine miſericordiæ ſuæ. Ego ſpero fortiſſime in ejus infinita bonitate, quæ glorificatur parcendo magnis peccatoribus propter ſemetipſam, etiam in hac hora.

Dæmon.

IV. Inſane homo, nonne opera bona ſunt neceſſaria ad ſalutem, & tibi conſtat, nulla opera bona inveniri apud te? Quomodo ergo ſalvari potes? Numquid modo miraculoſe ſanari, & ad agendam pœnitentiam à morte præſervari poſtulas? F

Moribundus.

Ego poſtulo miſericordiam, qua indignus ſum; ſed dignus eſt ſanguis Jeſu Chriſti fuſus pro me, ut præſtetur mihi miſeratio hæc, magna, ſive moriar, ſive vivam. Offero ego Patri æterno, merita Filii ejus, & anguſtias has, quas patior, & hanc ſpem, qua confido in ejus bonitate infinita: quæ ſunt opera bona, cum quibus, ſi velit Dominus ac Redemptor meus, applicare mihi ſanguinem ſuum pretioſiſſimum, ſalvari poſſum. Spero ergo firmiſſime ipſum velle, & me ſalvum fore, etiamſi nihil boni, anteactæ vitæ curſu, fecerim. G

Dæmon.

V. Adhuc perſiſtis homo demens in ſententia tua temeraria? Sancti, per annos multos, vel in eremis, vel in antris, ſeipſos afflixerunt, ut in hac hora Chriſtum propitium invenirent, & vix invenerunt: & ſcriptum eſt, quia *juſtus vix ſalvabitur*: & tu modo 1. Pet. 4. 18. oneratus innumeris peccatis poſtulas privilegium?

Moribundus.

Ego non poſtulo niſi miſericordiam, in qua præſtanda, glorificatur valde Jeſus Chriſtus Redemptor meus. Tanta eſt enim magnitudo bonitatis ejus, ut ad eam manifeſtandam convenientiſſimum ſit, peccatoribus maximis, quorum primus ego ſum, in H hac hora parcere: & idcirco, ego firmiſſime confido, tam ineffabilem bonitatem mihi peccatori in ſuprema tribulatione clamanti non defuturam.

VI. In hujuſmodi prælio formidinis ple-

Scrip. An. forte 1594

no, moribundus converſione fortiſſima invocet Jeſum Chriſtum, non tam anxius ut dæmoni inſtanti reſiſtat, quam ut Redemptorem ſuum ſibi propitium inveniat: ſibique omnino perſuadeat, ſe ſalvum fore. Nulla quippe ratio afferri poteſt, ob quam debeat homo in extremo agone conſtitutus A animo cadere: cum certiſſimum ſit, ſine ulla exceptione in quacunque hora peccator ingemuerit, & ſe ad Deum per auxilium divinum ſerio converterit, divinam miſericordiam ei minime defuturam.

VII. Rationes ad hanc ſpem firmiſſimam concipiendam ſunt certe plurimæ, ac efficaciſſimæ, adeo ut qui deſperat, tametſi uſque ad horam ultimam peſſime vixerit, non ſolum graviter peccet, ſed ſtultiſſime quoque deliret. Cum enim habeat apertiſſima Scripturæ teſtimonia, quibus Deus, ſine exceptione numeri, temporis, vel ſtatus, ſe parcere velle aſſerit: cum habeat Jeſu Chriſti ſanguinem pro ſalute ſua fuſum: cum habeat invitamenta Chriſti, ſumma cum miſericordia, & fidelitate promittentis, B quicquid petitum fuerit à Patre per ipſum, ſe daturum: cum habeat Beatiſſimæ Virginis Dei Genitricis interceſſionem, quæ nulli peccatori, à quo rogaretur, defuit: cum habeat tot Eccleſiæ Sacramenta & remedia, per quæ ad Dei gratiam ſemper ianua patet: profecto non modo culpa, ſed dementia eſt, non firmiſſime ſperare. Quod & Chriſtianus quiſque futura prælia cogitans, & iis, qui morientes adjuvant, attentiſſime conſiderent.

VIII. Hæc de prælio ſpei. Sunt tamen & alia prælia, quæ certo numero comprehendi nequeunt. Ibi exercetur patientia graviter tentata ob ſummos angores, & dolores ſævientes. Ibi licet non adeo frequenter, tentatur humilitas juſtorum, dum ſuggeritur præſumptio, nimiaque ſecuritas ſalutis. Quocirca ad tentationes has, aliaſ- C que multiplices depellendas, ſanum conſilium eſt, ſtudere actibus virtutum oppoſitarum, (de actibus virtutum egimus in noſtra *Inſtructione Novitiorum par.* 2.) dum adeſt proſpera valetudo. Sic enim armatur anima ad tempus præliorum, ubi patebit, quanti ponderis ſit, ſolidarum virtutum cultus, & exercitium, quod modo à multis parvipenditur.

CAPUT VIII.

De nonnullis monitis ad ultima prælia neceſſariis.

I. EX quo ægrotus ſe ad mortem feſtinare novit, integris ſenſibus, profeſſionem fidei, quam ſuperius tetigimus, facere debet. Patet enim experientia, facile tunc morientes alienari à ſenſibus, aut certe ita opprimi, ut niſi ſollicite præveniant, actus ſpirituales aut nullo modo, aut ægerrime producant.

II. Eamdem ſollicitudinem monemus ad D invocationem Sanctorum, quos quiſque peculiariter coluit: invocandi enim ſunt ardentiſſime, ut ea hora, quæ inſtat, ſuis interceſſionibus & favoribus adſint ad luctam.

III. Similiter Angelus cuſtos rogandus eſt, ut in agone illo ultimo faveat, & Satanæ conatus frangat. Manifeſtum eſt quippe, Angeli cuſtodiam in ſummo periculo eſſe ſummopere poſtulandam.

Angeli cuſtodia poſtulanda.

IV. Beatiſſima præſertim Virgo (utpote Mater miſericordiæ) oranda eſt, ut favere dignetur. Tunc enim extrema anguſtia eget ſumma miſericordia.

V. Tunc frequenter utendum aqua benedicta ad abigendos dæmones, candelis accenſis fidem vivam ſignificantibus, ſigno crucis in quo victoria paratur, ſacris imaginibus, E effigie præſertim D. N. Jeſu Chriſti crucifixi, quæ ſæpiſſime adoranda eſt, ad animam roborandam, & excitandam memoriam redemptionis, quæ in ligno crucis peracta fuit.

VI. Tunc qui morientem circumſtant, ad actus virtutum, quos ſuperius propoſuimus, ſuaviter & religioſe producendos illum, adjuvent, quamdiu percipit, quæ dicuntur. Mox vero ac ſenſuum uſum amiſit, ne obſtupeſcant parum utiliter morientem attoniti intuentes. Etſi enim utile ſit viventibus intereuntes intueri ad cogitandum de ſuæ ſalutis cauſa; id tamen ita fieri debet, ut ferventiſſimis orationibus illos adjuvent, ad clementiam Dei impetrandam, & Satanæ audaciam reprimendam; hora enim illa ſuprema, ubi anima cum inviſibili hoſte præliatur, charitatis officio ſumme indiget.

VII. Denique qui circumſtant, ſtatim ac F moriens animam efflavit, indulgentiam aliquam lucrari confeſtim curent, quæ per modum ſuffragii animæ illi, ſi forte igne purgatorii torqueatur, proſit: qui mos virorum ſpiritualium laude digniſſimus eſt. Iam vero exploratum eſt, ritus ab Eccleſia præſcriptos, in anima, corporeque curandis exercendos eſſe, quos hic commemorare opus non eſt: atque in hunc modum praxim abſolvimus.

DE SCHOLA
JESU CHRISTI
LIBER
IN SEPTEM PARTES DISTINCTUS.

IN SEQUENS OPUS
PRAEMONITIO.

Praecedenti hunc nectimus Ven. Scriptoris Commentarium, quod eiuſdem argumenti ſit, & in eumdem finem dirigatur, eademque plane methodo dictatus, nempe ex ſpiritu, & littera divinarum Scripturarum univerſus ferme conſutus, cuius intima ſapientia & eloquio exundabat, & maxime iucundabatur piiſſimus Iohannes noſter. Inducitur in eo Anima fidelis cum Chriſto perpetuo colloquens, & a Chriſto ſolidiſſimis praeceptis continuo edocta. Illum certiſſime ſcripſit Vir Venerabilis excurrente anno 1607. in quodam forte aeſtivo, vel autumnali ad Tuſculani Montis ſolitudinem receſſu, ut ipſe non obſcure innuit initio ſequentis nuncupatoriae Epiſtolae ad Thomam de Avalos, dum primum Definitoris Generalis officio quietius detinebatur. Longo enim iam tum praeter ſui ipſius uſum, etiam aliorum ſpirituum regimine, & experientia didicerat, quae maxime facerent ad Animarum profectum curandum, quave potiſſimum ratione eſſent illae ad Evangelicam perfectionem ſenſim promovendae: quamobrem in earum commodum Librum, hunc Chriſti doctrina refertiſſimum, conſcripſit, (quemadmodum etiam P. Iſidorus animadvertit in eius Vita, cap. 15.) & in ſeptem partes diſtinxit, quarum ſingillatim argumenta explicat ipſe in ſubiecta Operis Praefatione. Verum tamen eſt, hanc auream Opellam aut diu ab ipſo occultatam, aut a Cenſoribus cum domeſticis, tum publicis longius retentam, aut tandem Typographi cunctatione protractam, nonniſi poſt biennium, anno ſcilicet 1609. in lucem primum prodiiſſe, Romanis cuſam formis. Altera editio Coloniae deinde paruit an. 1612. aliae forte etiam alibi, neſcio an variis quoque idiomatibus, ut equidem Opus mereretur. In anteactis Operum editionibus ſecundo Tomo continebatur a pag. 465. & ſeqq.

ILLUSTRISSIMO DOMINO D. THOMÆ DE AVALOS

FRATER JOHANNES A JESU MARIA S.

VETUS AUCTORIS NUNCUPATORIA EPISTOLA.

Offero tibi, Vir Illuſtriſſime, fructum montis Tuſculani olim tui, nunc largitione tua & tui, & noſtri. Pietate tua effectum eſt, ut terra parum fertilis ſuavium quoque fructuum ferax evaſerit. Quapropter debentur tibi primitiæ ſpirituales; quibus vel abſens veſcaris. Non fert modeſtia tua, proferam (ut poſſem) ampliſſima merita nobilitatis, liberalitatis, ac pietatis tuæ, quibus ducor ad libellum hunc tibi dicandum. Satius eſt, ut tacitus prætercam, quæ Italia univerſa de te novit, & miratur. Accipe, vir Illuſtriſſime, ſignum hoc meæ in te obſervantiæ, qua ſoles humanitate. Ego vero (ut cœpi) pro te divinam bonitatem, quamdiu vixero, deprecabor.

PRÆFATIO

AUCTORIS.

Schola Jeſu Chriſti, Chriſtiane Lector, ſicut & regnum ejus, non eſt de hoc mundo. Atque ita pauci illi mites, & humiles corde diſcipuli ejus non ſunt habitatores hujus mundi: ſed vacant ſapientiæ, quæ de cœlo eſt, ſuſpirantes ab exilio, & in pacem à militia, quæ eſt vita hominis ſuper terram. Eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, quam cupidiſſime diſcunt in ſchola mitiſſimi Magiſtri ſui; qui factus eſt eis juſtitia, & ſanctificatio, & plena conſolationis redemptio de captivitate duriſſima vitiorum, & paſſionum; quarum ſervitute ſerviunt reges terræ alligati in compedibus, & nobiles ejus in manicis ferreis. Ex hac ergo ſervitute liberantur in Schola Redemptoris ſui: & per ſtudium virtutum cœleſtium acquirunt libertatem filiorum Dei, qui elegit eos ante mundi conſtitutionem, ut eſſent ſancti, & immaculati coram eo. Exuunt veterem hominem cum actibus ſuis, & induunt novum facti nova creatura per ſpiritum rectum, qui innovatur in viſceribus eorum. Ex quo fit, ut reformentur anima, & corpore, & configurentur animæ, & corpori Salvatoris ſuis, qui venit mutare prava in directa, & aſpera in vias planas, ut purgatis oculis cordis videant ſalutare Dei. Hæc ſunt mirabilia, quæ operatur Magiſter æternæ vitæ in Schola ſua, hoc eſt, in congregatione juſtorum, ea præſertim, quæ in commune, & reformate vivit. Hujus tractatum diſtinximus in ſeptem partes. Harum prima eſt de perfectionibus Scholæ Jeſu Chriſti. Secunda de proprietatibus diſcipulorum Jeſu Chriſti. Tertia de mortificatione paſſionum, quæ diſcitur in Schola Jeſu Chriſti. Quarta de extirpatione vitiorum, quæ fit in Schola Jeſu Chriſti. Quinta de exercitio virtutum, quæ diſcuntur in Schola Jeſu Chriſti. Sexta de uſu donorum, & guſtu fructuum Spiritus Sancti, & beatitudinibus, & gratiis gratis datis quæ ſunt in Schola Jeſu Chriſti. Septima de reformatione ſenſuum, & potentiarum animæ, quæ acquiritur in Schola Jeſu Chriſti. Hæc meditare, Lector, & reconde diſciplinam Filii Dei in penetrabilibus cordis tui.

VENERABILIS
P. FR. JOHANNIS
A JESU-MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI CALAGURRITANI
DE SCHOLA JESU CHRISTI
LIBER.

PRIMA PARS.

DE PERFECTIONIBUS SCHOLÆ JESU CHRISTI.

Scripta An. 1607.

CAPUT I.

De dignitate Scholæ Jeſu Chriſti.

A SChola, Jeſu Chriſte fili Dei Altiſſimi, & Magiſter dulciſſime filiorum Adæ, infinita veneratione digna eſt, quemadmodum ſenſerunt manſueti, & humiles corde diſcipuli tui. Ex quo enim audita eſt in monte ſancto vox Patris æterni dicentis: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite; omnes Scholæ Philoſophorum definientium, dividentium, & ſine fine diſputantium, loco ſuo ceciderunt: & nulla Ægyptiorum, vel Græcorum Academia caſtis cordibus amicorum tuorum laude digna viſa eſt. B Quomodo enim laude dignæ viderentur Scholæ, ubi Verbum caro factum non eſt auditum, comparatione Scholæ tuæ, cujus auctoritas è cœlo venit & cujus prima elementa ſunt, Verbum caro factum eſt? Profectò manſuetiſſime Præceptor hominum, vox æterni Patris tui confregit cedros Libani, & falſis aut vanis mundi doctrinis cum Babylonis turre cadentibus, apparuit ſublimiſſima veritas Scholæ tuæ, quæ lapidea corda mollivit. Quapropter mirabile eſt, quod revelata jam gloria doctrinæ tuæ, C innumerabiles filii Adæ, qui erraverunt ab utero Hevæ matris ſuæ, pro nihilo ducant Præceptorem vitæ, & libentius audiant Demoſthenem, aut Platonem, quam Dei filium tota die è cathedra Crucis expandentem manus ſuas ad populum non credentem, & contradicentem ſibi. Neſcio, Domine, quomodo excœcatum ſit cor multorum etiam Eccleſiaſticorum, qui ſapientiores ſibi videntur, ſi diſcant, & vane pronuntient ſententias Homeri, aut Appollonii, quam verba ignita Jeſu Chriſti. Quid eſt hoc Magiſter ſuaviſſime? Quomodo obſcuratum, eſt aurum, mutatus eſt auri color optimus? Quomodo viri Eccleſiaſtici, lapides ſcilicet ſanctuarii tui, diſperſi ſunt in capite omnium platearum? D Mihi certe non placet opinio hæc. In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non ſit gloria mea. Mirabor potius Domine, & amabo dignitatem, & candidiſſimam lucem Scholæ tuæ, & contemnam ſapientiam omnium Chaldæorum, ne forte ſeducar apparenti æſtimatione hominum, quibus,

Filii Adae ab utero matris erraverunt.

Scripta An. 1607. bus non placet caſtiſſima eruditio tua. Confitebor tibi, Domine, in Eccleſia magna; in populo gravi verorum ſapientium laudabo te. Diſpliceat mihi, precor, multitudo Scholarum, ubi non diſcitur Dei virtus, & ſapientia: & adæreat viſceribus meis, mitiſſime fili Dei, honeſtiſſima Schola tua, ubi ſitis ſciendi ſedatur dulciſſimo potu A aquarum Heſebon, quæ fluunt cum ſilentio.

CAPUT II.

De Suavitate Scholae Jeſu Chriſti.

UNguentum effuſum eſt, pacifice Rex Jeruſalem, ſermo tuus, quo caſta corda delectantur uſque ad liquefactionem ſpiritus ſui. Quod uſque adeo verum eſt, ut non ſolum, quando prædicaſti turbis, omnes traherentur voluptate audiendi te legiſlatorem, & ſuaviſſimum Præceptorem ſuum, ſed etiam quando pependiſti inter latrones regnaturus à ligno, cœli, & terra moverentur, & montes ſæculi ſicut cera fluerent à delectationibus eloquii tui. Vere nunquam B ſic loquutus eſt homo, ſicut Rex dulciſſimæ Syon, cujus labia ſunt quaſi vitta coccinea: mel quippe, & lac, ô Unigenite filii Dei, ſub lingua tua. Non poteſt comparari, Domine, loquacitas, & affectata eloquentia Athenienſium, & Romanorum cum puritate vivi ſermonis, quo utitur fideliſſima tibi Schola tua. Periit memoria Græcorum, & Latinorum cum ſonitu: Verbum autem caſtiſſimum Scholæ tuæ & torrens voluptatis ejus non peribit in æternum. O Domine, quot pectora ferrea domuiſti ſuavitate D. Paullus. Magiſterii tui! Bene novit hoc Paulus, qui & Saulus, quando credidit tibi proſtratus incredibili manſuetudine tua. Credo certe verba illa tua, Saule Saule quid me perſequeris? penetraſſe momento uno viſcera C perſecutoris, præ magnitudine deliciarum manantium è fonte vivo charitatis tuæ. Quid dicam hic, D. Auguſtinus. Domine, de Auguſtino fideliſſimo ſervo tuo, quem percuſſit, ut ſanaret vox deſcendens à Schola tua, quam audivit in horto, quando ſubdidit cervicem jugo tuo, & copioſiſſime flevit victus ineffabili dulcedine veritatis tuæ? Nolunt, ô mitiſſime Præceptor, filii hominum perſuadere ſibi veritatem hanc, & ſcholam tuam inſuavem appellantes, quærunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & cupidiſſime diſcunt varias Gentilium diſciplinas. Et quod pejus eſt viri graves, qui alios exemplo ſuo movere deberent, magnam vitæ partem conſumunt in legendo auctoribus, qui ſcripſerunt de Architectura, Aſtrologia, vel Agricultura. Confitentur ſe noſſe Deum D factis autem vix confitentur tibi. Certe ſi guſtarent, & viderent, quam ſit inæſtimabilis ſuavitas Scholæ tuæ, proiicerent idola de medio cordium ſuorum, & majorem vitæ partem conſecrarent ſtudio ſecretæ eruditionis tuæ. Veruntamen homines iſti, qui nolunt æſtimare latentem de cœlo inſtructionem tuam, non ſugent mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo. Juſtus enim es Domine, & rectum judicium tuum: Dei judicium rectum ut qui fide tua monentur, ut quærant delectari in te, & proterve repugnant, nunquam inveniant theſaurum lætitiæ incomparabilis, qua dilatantur corda diſcipulorum tuorum, qui requieſcunt ab æſtu mundi ſub ſalutari valde umbra tua.

E

CAPUT III.

De Efficacia Scholae Jeſu Chriſti.

VIvus, & efficax vitæ eſt, Domine, ſermo tuus, qui penetrat corda, & pertingit uſque ad diviſionem animæ, & ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum. Habuerunt inventores variarum ſectarum diſcipulos & imitatores ſuos, quos impleverunt inanibus verbis: ſed non correxerunt vitam eorum nigredine vitiorum, quaſi carbonibus deſolatoriis inquinatam. Schola vero tua, Domine, ſicut & lex tua eſt immaculata, Schola Chriſti immaculata, convertens animas à nigredine in candorem, & à tenebris in formoſiſſimam lucem gratiæ tuæ Expurgat mirabiliter vetus F fermentum Adæ, & efficit novam conſperſionem naſcentis juſtitiæ, quæ eſt fructus pluſquam ſuaviſſimus pretioſi valde ſanguinis tui. O manſuetiſſime Præceptor, & amator hominum, quoties viri leproſi ingreſſi ſunt in Scholam tuam, & loti, atque mundati, & ſuper nivem dealbati mutati ſunt in formam puritatis tuæ! Quoties inveterati ſenes dierum malorum redierunt ad infantiam novæ gratiæ tuæ, educti de luto fæcis, & de profundiſſimo lacu miſeriæ! Quoties, Domine, fortiſſima gratia tua creaſti cor mundum, & ſpiritum rectum innovaſti in viſceribus eorum, qui poſtquam erraverant per Scholas inflantes, & non ædificantes, tulerunt jugum dulciſſimæ legis tuæ! Sola certe Schola tua, Domine, poteſt facere G mundum de immundo conceptum ſemine. Sola certe Schola Verbi incarnati tollentis grave lignum crucis ſuper ſe, & operantis ſalutem in medio terræ facit homines caſtos, mites, humiles, & deſideriis cœleſtibus plenos. O ſapientia, quæ diſponis omnia fortiter, & ſuaviter, quàm graviter errant homines jaculo curioſitatis vulnerati! Qui quaſi arundines vento agitatæ diſcurrunt per innumerabilia gymnaſia, cum in nullo eorum ſentiant requiem, quam inquirunt. Utinam converterentur ad te Doctorem gentium, ut invenirent pacem tuam, & nollent ſequi Christus Doctor gentium adpellatus. Magiſtros verborum venditores, ſed in ſecretiſſimo ſilentio audire ſubtilem vocem tuam! Profecto tunc appareret illis fertilitas terræ promiſſionis tuæ; areæ implerentur H frumento, & torcularia vino redundarent; & experientia convicti prædicarent virtutem efficaciſſimam Scholæ tuæ. Lupi mutarentur in agnos delectabili ſpectaculo gratiæ tuæ: & quaſi Magiſter potens in opere, & ſermone loquereris, & ſcriberes in viſceribus eorum ſuaviſſimam legem, & inæſtimabilem hæreditatem novi teſtamenti, quod fecit inenarrabilis amor tuus.

CAPUT IV.

De Simplicitate Scholæ Jeſu Chriſti.

Chriſtus immutabilis veritas.

Hominum error.

A CONſideravi, Domine, opera tua, & expavi, admirans altitudinem conſilii tui. Evanuerant homines ſtudio vanæ ſapientiæ, quam multis verborum coloribus ornabant, ante quam appareret Verbum Dei carne noſtra veſtitum. Tu vero fortiſſima, & incommutabilis veritas, decreviſti ſalvum facere genus humanum, non in ſublimitate ſermonis, ſed in altiſſima virtute Dei. Et propterea tradidiſti Eccleſiæ dulciſſimæ ſponſæ tuæ, Scripturas Sanctas, & caſtas; ubi non eminet ornatus ſermo; qui eſſe ſolet cordium manſuetorum, & humilium inimicus, ſed ſimplicitas armata virtute, & veritate tua, quæ domuit orbem non ferro, ſed ligno. Non habitat, Domine, veritas tua in tabernaculis impiorum, atque idcirco mendacia ſua verbis bene ſonantibus colorant. B Schola vero veritatis tuæ non eget coloribus Domine, multo enim formoſior & amabilior eſt divina veritas, ſimpliciter pronunciata, quam profana mendacia verbis elegantibus tecta. Quæro enim, Domine, ubi ſunt Academiæ florentes non veritate, ſed garrulitate, quibus non eſt revelatus ſermo Dei? Nonne ſimplices homines, quos amaſti, veritate, & ſimplicitate Scholæ tuæ perſuaſerunt mundo viam diſciplinæ, & incognitum verbum crucis! Quomodo ergo Pater tuus obtexit caligine in furore ſuo filiam Syon, permittens abire viros multos poſt vaniſſima deſideria ſua? Multis quippe viris, qui profitentur Chriſtianam manſuetudinem, placet potius Schola Ciceronis, quam Jeſu Chriſti; & horas plurimas impendunt ſtudio C ſermonis, horrentes ſimplicitatem Scripturæ tuæ. Uſquequo Domine patieris hoſtes divini ſpiritus tui, qui ſi tertiam partem ſtudii, quod in Tullio poſuerunt, tribuiſſent unigenito Dei filio, ſplenderet nunc Lucerna tua ſuper capita eorum, & impleviſſes eos ſpiritu ſapientiæ, & ſublimiſſimi intellectus tui? Væ inſipientibus filiis Adæ, qui delectantur, ſi eleganter dicant, quamvis dicendo mentiantur, & peregrinentur à Schola filii Dei! Sanius conſilium eſt, amare caſta eloquia tua, & aperire aures cordis ad capiendum ſenſum verborum vitæ. Tempus breve eſt, ut bene ſenſerunt Eccleſiæ Doctores amici tui: ex quibus multi, Domine, qui Rethoricam glorioſe docuerant, antequam penetraret corda illorum vivus ſermo tuus, poſtquam ſubdiderunt collum ſuaviſſimo D jugo legis tuæ, horrentes adulteria linguarum ſuarum, totis viſceribus dilexerunt veritatem, puritatem, & ſimplicitatem Scholæ tuæ. Hi ſunt ſenatores terræ, & fideliſſimi cooperatores gratiæ tuæ: qui amaverunt fluenta Jordanis ſuper aquas Aſſyriorum, & antepoſuerunt ſenſum potentiſſimæ veritatis vanæ oſtentationi filiorum Adæ, quos excœcavit ſuperbia ſua. Imprimatur ergo animæ meæ, Præceptor mitiſſime, veritas & ſimplicitas Scholæ tuæ, & paſcat nutrimento filiorum Dei.

E

CAPUT V.

De Puritate Scholæ Jeſu Chriſti.

Chriſtus candor lucis aeternae.

Via vitae arcta.

A ELoquia tua, Domine, ſunt eloquia caſta, pluſquam argentum igne examinatum, & ideo Schola, ubi loqueris ad cor Jeruſalem Sponſæ tuæ, non habet maculam, neque rugam, ſed unde candidior, & luce clarior eſt. Propter quod diſcipuli tui, qui in toto corde exquirunt te, ſunt nive candidiores, & lucidiſſimo Sapphiro pulchriores. Non enim admittunt impuritates filiorum Adæ, quæ ſolent inveniri in Scholis hominum, qui dereliquerunt te. Tu quippe, Fili Dei, candor es lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula: & propterea qui frequentant Scholam ſecretæ eruditionis tuæ, ſimiles fiunt exemplari ſuo, & quicquid impurum eſt, fortiſſime repellunt. F Sed, ô puritas infinita, quam intolerabiles ſordes inveniuntur in Scholis hominum, qui non curant ſcire, & diligere te! Quam turpis licentia vitæ creſcit una cum diſciplinis hominum, quæ diſcuntur ad quærendum panem mortalis vitæ! Non loquor tantummodo, Domine, de infidelibus, quibus non illuxit veritas tua: ſed de iis etiam, qui crediderunt in te Deum, & Redemptorem ſuum, quorum pars magna non magis ſequitur te, quàm ſi in te non credidiſſet. Diſcunt quidam Juriſprudentiam ſemper imprudentes: diſcunt Medicinam ſemper infirmi: diſcunt Theologiam Scholaſticam ſemper aridi, & frigidi. Cujus tanti mali ratio eſt, quia oderunt caſtitatem Scholæ tuæ, & nolunt incedere per arctam viam vitæ. G Error nimis gravis, & viris Chriſtianis indignus eſt, quem odivit anima mea. Utinam ſtulti iſti ſaperent, & intelligerent, & noviſſima ſua providerent! Ego, Domine, adhærebo ſententiæ diſcipulorum tuorum, qui nihil putant ſe ſcire inter homines, niſi te ſolum crucifixum, & avertunt à vanitate ſimplices, & caſtos oculos ſuos. Sunt enim quaſi greges agnorum, quos nutrit lacte dulciſſimo Eccleſia ſponſa tua, & vigilantiſſime fugiunt conſilia impiorum & cathedras peſtilentiæ perhorreſcunt. Fiat obſecro, Domine, immaculatum cor meum, & ſolum diſcat, & requirat te: ut fugiens aquas turbulentas peccatorum, ſatier aqua puriſſima ciſternæ Bethleem chariſſimæ civitatis tuæ.

H

CAPUT VI.

De Lætitia Scholæ Jeſu Chriſti.

JUſtitiæ Scholæ tuæ, ſuaviſſime Præceptor hominum, ſunt rectæ, lætificantes corda, quæ interna eruditione tua paſcuntur, & dilatantur. Præceptum tuum eſt ſuper ſolem

Scripta An. 1607.

lucidum, illuminans oculos, & auferens tenebras, timoreſque nocturnos. Incredibile videtur, Domine, iis, qui non cognoverunt vias tuas, tam immenſam lætitiam in humilitate Scholæ manſuetorum inveniri. Sed ego, Magiſter dulciſſime, certiſſimè credo innumerabilia, & ineffabilia eſſe gaudia diſcipulorum tuorum, qui, ut te perfectè A ſequerentur, reliquerunt omnia propter te. Ipſi enim fide digniſſimi dicunt, ſe quandoque guſtare delitias paradiſi tui, quando requirunt puris cordibus, & manibus ſereniſſimam faciem tuam. Et interrogati, an guſtaverint ſimiles conſolationes, quando affluebant divitiis, honoribus, & voluptatibus mundi, reſpondent ſe nihil ſimile guſtaſſe. Credo, Domine, veram eſſe confeſſionem iſtam plenam miſericordia, & laude tua: Sunt quippe fideles ſervi Regis Salomonis ornati diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus. Et meritò Clementiſſime Domine, lætantur in te, ſicut exultant victores capta præda; quia dum in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito ſtudent B ſapientiæ tuæ, velociter currunt ad te per ſpem incedentem uſque ad ſecretiſſima bona, quæ ſunt intra velamen humanitatis tuæ. Hæc eſt pinguedo, qua replentur animæ vacantes tibi, & fugientes ſtrepitum Tyri, & Sidonis, ubi exercetur mercatura filiorum Adæ. Non poſſidebunt mercatores iſti lætitiam cordis, quod vendiderunt pro modico fragmento panis. Dilexerunt Scholas inquietas, vocibus, contentionibus, & clamoribus plenas, quas antepoſuerunt tranquillitati Scholæ tuæ. Noluerunt benedictionem, & elongabitur ab eis; juſto enim judicio tuo ſtatutum eſt, ut nemo virorum illorum, qui fuerunt invitati, & noluerunt venire ad convivium Regis, guſtet lautiſſimam & mellitiſſimam cœnam tuam. Fingant ergo ſibi C qui quærunt gaudia falſa, quicquid volunt: ducant in bonis dies ſuos: lætentur ad ſonitum tympani, & organi, & in momento ad inferna deſcendant. Abſit verò à me ſervo tuo, ut exultem extra Scholam filii Dei cum illis, qui fornicantur abs te. Exultabo potiùs ſub umbra alarum tuarum, & diſcam elementa ſermonis tui. Quod ſi quis tentaverit me, & ſollicitaverit, ut læter figura mundi, fortiter reſpondebo ei: Si tuus Dominus eſt mundus, lætare, & habeto pacem cum illo: Ego verò in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo.

CAPUT VII.

De pace Scholæ Jeſu Chriſti.

Natura pacis Chriſti.

D PAX multa, Domine, ſuccedit diligentibus melle dulciorem Scholam tuam: & non eſt illis ſcandalum. Diſcipuli quippe tui ſunt ſervi fideles Regis Pacifici, & vocantur filii Dei. Non eſt pax hæc, mitiſſime Domine, ſimilis ei, quæ in mundo eſt: non enim quomodo mundus dat, tu, liberaliſſime Rex, dare ſoles. Pax enim tua exuperat omnem ſenſum, & aufert omnes interiores diſcordias, accedente te ad cor hominis, & in ſecreto cubiculo inſtruente illum, quando nempe homo tacitus, & cupidus præſentiæ tuæ videtur ſibi quaſi ſonum auræ lenis audire, & quaſi furtivè ſuſcipit auris ejus venas ſuaviſſimi ſuſurri tui. Hic eſt cibus E diſcipulorum tuorum, pro quo libenter dabunt omnem ſubſtantiam domus ſuæ. Pax tua, Domine, non eſt audita in Chanaam, neque viſa eſt in Theman. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra eſt, non invenerunt ſemitas pacis hujus. Negotiatores mundi, qui opprimuntur multitudine occupationum non guſtaverunt ſaporem pacis, qua plena eſt ſchola tua. Quomodo enim ſi deſcendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, gaudere poſſunt privilegiis principum, qui ædificant ſibi delitioſiſſimas ſolitudines? O ſapientia, quam pauci noverunt, & dignè æſtimaverunt pacem ſcholæ tuæ! Utinam ex diſcordiis ſcholarum ſæculi moverentur homines ad quærendam requiem tuam! Corda ſollicita, & ſciendi cupidiſſima, cùm non poſſint ligata F diſſolvere, & veritatem per quæſtiones innumerabiles inquiſitam invenire, malè torquentur in ſcholis ſæculi. Mites vero, & non altum ſapientes diſcipuli tui ſine ſollicitudine docentur à te, quia ordine ſervato primum diſcunt bonitatem, poſtea ſcientiam, & diſciplinam. Bonos mores principio quærunt, & ſtatim aperitur ſenſus eorum ad intelligendas dulciſſimas Scripturas tuas, in quibus pace mirabili requieſcunt, ſicut columbæ lacte lotæ, quæ reſident juxta fluenta pleniſſima. Fiam, Domine, oro te, particeps pacis, qua gaudet manſuetiſſima ſchola tua: & ordinentur in me, quæcunque diſcrepant à forma humilium diſcipulorum tuorum, in quibus requievit Spiritus dulciſſimæ charitatis tuæ. G

CAPUT VIII.

De Honore Scholæ Jeſu Chriſti.

NImis honorificati ſunt auditores Scholæ tuæ, diſcipuli nempe tui, Domine: nimis elevatus eſt Principatus eorum. Ipſi contempſerunt omnia propter te tracti deſiderio vacandi tibi: ex quo majores, & altiores mundo videntur, annumeranturque Principibus populi tui. Terrarum Principes dorſum incurvant terrenis bonis, quæ dilexerunt: diſcipuli vero tui, ô filii Dei altiſſimi, calcant omnem ornatum ſæculi, & exaltantur aſcendentes ſuper altitudines mundi, quem deſpiciunt. Non ſolum in H tempore illo, quando fundabatur Eccleſia tua, primi diſcipulorum tuorum magnificati ſunt: quando laudabat eos populus, & nemo audebat ſe conjungere illis: ſed nunc etiam frigeſcente quoque charitate in his noviſſimis diebus celebratur multis laudibus ſublimiſſima Schola tua. Superbi enim homines admirantur humiles ſervos tuos. Divites ſæculi laudant pauperes amicos tuos. Incontinentes mundi obſtupeſcunt caſtos imitatores tuos. Tanta enim eſt excellentia virtutis, quæ diſcitur in Schola tua, Domine, ut non ſolum peccatores Chriſtiani habentes Catholicam fidem, ſed ipſi etiam A infideles mirentur fidelem plebem tuam. Et quamvis non ſemper cogitent mirabilia opera tua, in extremis ſaltem anguſtiis oſtendant Principes terræ, quid ſentiant de veris diſcipulis tuis. Tunc enim reſpicientes idola manuum ſuarum, in quibus habebant fiduciam, & videntes quod non opitulentur eis, neque in neceſſitate eos protegant, rogant humiles corde ſervos tuos, ut avertant iram tuam ab eis, ne forte in furore tuo illos arguas & corripias. Quod certe in laudem tuam cedit, Unigenite filii Dei, quia per hoc confitentur Reges terræ, ſe indigere diſcipulis tuis quaſi potentioribus, ubi regnorum vires deficiunt. Hæc eſt gloria ſervorum tuorum, Rex Jeruſalem, B qui glorificas honoratores tuos. Confiteantur ergo tibi omnes Reges terræ, & volentes, vel invite laudent excellentiam Scholæ tuæ. Ego vero meditabor in te, & celebrabo mites corde, & altiores mundo diſcipulos tuos: & confitebor in medio populi, me debere hymnum veris filiis Iſrael, & electiſſimo populo appropinquanti tibi.

CAPUT IX.

De Utilitate Scholæ Jeſu Chriſti.

BEne fecerunt, fideliſſime cuſtos hominum, qui venerunt in Scholam tuam relictis retibus, & ſollicitudinibus ſæculi, jactantes cogitatum ſuum in te, ut tu nutrires illos. C Profecto multa bona lucrati ſunt ea ipſa hora, qua reliquerunt omnia, & ſecuti ſunt te. Tu enim quaſi nutritius ſingulorum, non ſolum internis epulis, ſed externis etiam mirabiliter paſcis illos. Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui: & nunquam vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus ita quærens panem, ut non inveniret illum. Quod certe facile credet, qui conſideraverit admirabilem providentiam tuam. Si enim tu, Domine, das jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus te; quis dubitet, an daturus ſis panem dilectiſſimis filiis tuis? Ego certe, Domine, non dubito, immo credo, quod divites egebunt, & eſurient, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Quin etiam, dulciſſi- D me filii Dei, conſilio tuo quotidie fieri credo, quod veris diſcipulis tuis ſuppetat abundantia panis: nam, ut video, pro indigentia, & numero ſervorum tuorum multiplicare ſoles annonam. Hæc vero differentia eſt, quod ipſimet ſervi tui, antequam totis viſceribus ſequerentur te, vivebant inter ſpinas curarum ſæcularium, ſolliciti quomodo ſaturarentur pane: nunc vero poſtquam tranſierunt in ſcholam tuam expertes curarum comedunt & ſaturantur, utpote qui requirunt Dominum, veram ſaturitatem, & conſolationem ſuam. Quanto ergo commodior vita eſt, quæ habet te proviſorem panis ſaturantis, quam illa, E quæ vagatur extra ſcholam tuam quærens auxilia Ægyptiorum & Aſſyriorum, ut ſaturetur pane? Tam perſpicua eſt, Domine, veritas hæc, ut poſſim conſtituere judices inimicos tuos. Non enim tu es Deus noſter, ut dii eorum, cujus rei inimici noſtri ſunt judices: nam & nunc hoc fatentur, & admirantur, qui non fuerant, & modo ſunt amici tui. Procul ergo ſit à ſervis tuis, Domine, timere à fame, vel à frigoribus nivis; omnes enim domeſtici tui veſtiti ſunt duplicibus, & tu das illis menſuratam, & ſalutarem eſcam in tempore opportuno. Quod ſi aliquando permittis illos eſurire, atque ſitire, probatio eſt multò precioſior auro, quod adorant, & in quo confidunt F homines. Tranſacta vero probatione, reficiuntur à te, & roborantur, & creſcunt commemorantes, & laudantes inæſtimabiles divitias, & ineffabiles miſericordias tuas. Hæc eſt utilitas magna timentium te, & cuſtodientium ſuaviſſima præcepta tua. Quapropter, oro te Domine, deduc me in via tua, & introduc egenum, & derelictum ad infinita lucra beatiſſimæ Scholæ tuæ.

Admirabilis Dei providentia.

CAPUT X.

De Immunitate Scholæ Jeſu Chriſti.

QUærunt filii hujus ſæculi, qui receſſerunt à te Domine, frui bonis apparentibus, prata mundi pertranſire, & abuti creaturis tuis, tanquam in juventute G celeriter, & nolunt pati mala, quæ meruerunt, ſed filiorum immunitate gaudere. Veruntamen non ſuccedit eis iſta iniqua præſumptio: ſerviunt enim Pharaonis ſervitutem nimis longam & duram. Servi ſunt peccati, quod fecerunt; & tu convolvis iniquitates illorum, quas imponis collo inclinato ad portanda quinque juga non hominum, ſed jumentorum. Nimis infœlices ſunt, dum peccando ſeminant ſibi dolores, & abundanti proventu metunt eos. Diſcipuli verò tui, Clementiſſime Domine, immunes ſunt à multis pœnis, & miſeriis privilegio nobiliſſimæ Scholæ tuæ. Non ſolvit Schola tua, Rex Pacifice, tributa gravia dolorum, & afflictionum, quæ naſcuntur ex deſideriis avaritiæ, ambitionis, incontinentiæ, & innumerabilium cupidita- H tum, quas extinguit ſpiritus tuus. Profecto Domine, interim dum peccatores, quaſi diaboli jumenta portant pondera iniquitatum & prævaricationum ſuarum; auditores Scholæ tuæ vinculis peccatorum abſoluti, ſimiles fiunt onagro, cui dediſti in ſolitudine domum, & tabernaculum ejus in terra ſalſu-

Hominum iniqua præſumptio.

Peccatores jumenta Diaboli.

Scripta An. 1607.

ginis: qui circumſpicit montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæque perquirit. Non capiunt omnes verbum iſtud libertatis filiorum Dei, ſed ii tantum, quibus revelavit non caro, & ſanguis, ſed Altiſſimus Pater tuus. Exiſtimant prævaricatores, quorum tabernacula prædis abundant, diſcipulos tuos mendicos, A & pellibus caprarum indutos, premi extrema ſervitute. Sed tu Domine, qui noſti corda hominum, & ſcrutaris renes, & corda, ſcis illos gaudere libertate, & immunitate filiorum Dei, & eſſe altiores omni altitudine mundi. Videntur oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace: quam neque perſecutio, neque fames, neque ſitis, neque gladius, neque mors tollit ab eis. Non tangit illos tormentum malitiæ, quæ torquet doloribus inferni operatores ſuos: atque ita ſi quid patiuntur, convertetur eis in ſolatium, & in ampliſſimam mercedem interminabilis vitæ, & æternæ gloriæ tuæ. Sit ergo portio mea, Domine, in terra morientium confugere ad immunitatem ſcholæ tuæ; ut in regione vivorum fruar delectationibus tuis, & videam diu deſideratam B faciem tuam.

CAPUT XI.

De Sapientia Scholæ Jeſu Chriſti.

Schola Chriſti a ſcholis hominum longe diverſa.

Sicut exaltantur cœli à terra, ſic Schola tua, Domine, à Scholis filiorum hominum. Diſcunt homines avidiſſimè ſecreta naturalia, & cauſas, & effectus, & mutationes elementorum, & conſiderant motus ſyderum, teſtimonium perhibente ipſis conſcientia ipſorum, quod non ſatis intelligant illa, quorum doctores, & magiſtri eſſe volunt. Ipſi enim, qui inter illos doctiores ſunt, poſtquam ad ſcientiam ſcholæ tuæ pervenerunt, confitentur ſe nihil perfectè ſciviſſe, quamvis in cathedris exclamarent, & alios docere præſumerent. C Tu verò, Domine, cui omne cor patet, & omnis voluntas ſine verbis loquitur, ſine perplexitatibus, & erroribus doces manſuetos, & humiles diſcipulos tuos altiſſimam ſapientiam, quæ ſimul illuminat, & inflammat. Et quod eſt mirabile, momento uno majorem, & ſereniorem notitiam tuæ Majeſtatis accipiunt, quam ſi per annos multos in ſcholis Theologorum laborarent. Suſpenduntur magnitudine mirabilium, quæ eis à te revelantur, & abſconduntur à ſapientibus, & prudentibus mundi: non enim mundus novit te, neque guſtavit mel dulciſſimæ ſapientiæ tuæ. Hic eſt cibus grandium, qui creſcunt ad menſuram tuam, & quaſi aquilæ aſcendunt ad puriſſimam regionem aeris, ubi ſine nubilis cernant D ſplendorem ſolis, & ibi ponant nidum ſuum. Apparet illis ſerenitas tua, & lux formoſiſſima vultus tui, ſublatis imaginibus importunis creaturarum, & fortiſſime adhærent viſceribus tuis. Requieſcunt in amplexu tuo, poſtquam ſublimiſſimo volatu pervenerunt ad te, & ſtupeſcunt; quia incerta, & occulta ſapientiæ tuæ mirabilibus modis manifeſtantur illis. Ibi audiunt arcana verba, quæ non licet homini loqui: & bibunt de limpidiſſimo fonte ſuavitatis tuæ. Oculus non vidit, neque auris audivit Deus abſque te, quæ non ſolum in cœleſti patria, verum etiam in ſchola patientiæ, & E manſuetudinis tuæ præparaſti in thalamo ſapientiæ diligentibus te: Quapropter ſilentio ſancto venerabor ſecretiſſimam ſapientiam Scholæ tuæ, quæ ineffabilis eſt: & deſiderabo aſcendere cum Moyſe ad verticem montis ſancti tui, ad videndam ſaltem à longe fertiliſſimam regionem promiſſionis, ad quam feſtinant per ſudores & dolores chariſſimi amici, & conſortes primogenitæ Civitatis tuæ. Tempus breve eſt: & in Scholis hominum non ſatiatur oculus viſu, neque auris auditu. Ingrediar ergo cum modo genitis infantibus in Scholam dulciſſimi Præceptoris mei: & aſcendam in palmam, ut colligam ſuaviſſimos fructus ejus.

Scholae Chriſti ſapientia ineffabilis.

CAPUT XII.

F

De Beatitudine Scholæ Jeſu Chriſti.

Recordatus ſum tui, Domine, conſiderans caſtam, beatamque generationem Eccleſiæ Sponſæ tuæ: Nam uſque in hodiernum diem legi audio verba, quæ prædicaſti, dum fundares illam, & beatos illos appellares, qui ſequerentur te. Beatos dixiſti pauperes ſpiritu, miſericordes, mites, mundos corde, & alios ſimiles, qui ſunt de fœliciſſima Schola tua. Tu autem veritas veraciſſima non diceres beatos diſcipulos tuos, ſi non haberent aliquid melius, & ſublimius omnibus mundi bonis, interim dum ſequuntur te dulciſſimum Præceptorem ſuum. Ego certè, Domine, mihi perſuadeo motus auctoritate cæleſtis doctrinæ tuæ, beatos eſſe manſuetos auditores tuos, quamvis doctrina hæc ſatrapis mundi non placeat. G Iſti enim ſola, quæ apparent, conſiderantes, beatum dixerunt populum, cujus oves ſunt fœtoſæ in generationibus ſuis, & cujus boves ſunt craſſæ, & ubi non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum. Sed qui noverunt te, multo melius de te, populoque tuo ſentientes dixerunt: Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. Si ergo populus diligentium te, quamvis ovibus, & bobus craſſis, & bonis externis non abundet, beatus eſt juxta rectam fidem diſcipulorum tuorum; neceſſario dicendum eſt, beatitudinem Scholæ tuæ, ſicut & omnem gloriam filiæ Regis ab intus eſſe, ſervoſque tuos intra ſe Regnum Dei poſſidere. Ex quo ſequitur magna laus gratiæ tuæ, Domine, qua imples vaſa electionis habentia H pretioſiſſimum theſaurum intra corpora fragilia, & opinione mundi contemptibilia. Sed vir inſipiens non cognoſcit, & ſtultus non intelligit mirabilia hæc, quæ operaris in abſcondito. Amici vero tui bene intelligunt,

ſe

ſe fœliciſſimos eſſe, quia altiſſima paupertas ſpiritus, tranquilliſſima pax filiorum Dei, dulciſſima manſuetudo, & fortiſſima tolerantia injuriarum, & perſecutionum tranſtulit eos ad ſtatum excelſiſſimum, cui non deeſt niſi conſummata, & ſuprema æternæ vitæ beatitudo. Habent initia, & ſpe firmiſſima A exultantes futuram inquirunt. Nunc prægustant eſurientes & ſitientes juſtitiam, ſed ipſi ſaturabuntur fructu ligni vitæ, & tranſlati in amœniſſimum paradiſum, quem plantavit dextera tua, ſatiabuntur ab ubertate domus tuæ. Beatus eſt nunc, Domine, vir, cujus eſt auxilium abs te, quia diſponit aſcenſiones in corde, quibus fit altior, & beatior omni mundana celſitudine, & beatitudine. Sed poſtquam auxilio tuo, quod præbes in opportunitatibus, aſcenderit delitiis affluens de deſerto hujus vitæ ad populum accinctum gloria, & honore tuo coronatum, apparebit hic incepta, & illic completa fœlicitas ejus quæ durabit in æternum, & ultra.

B

PARS SECUNDA.

De proprietatibus diſcipulorum Scholæ Jeſu Chriſti.

CAPUT I.

De Docilitate Diſcipulorum Jeſu Chriſti.

LOnge abſunt à mitiſſima Schola tua, Domine, incircumciſa, & dura corda contra ſtimulum acutiſſimum amo- C ris tui calcitrantia. Non capit Schola manſuetorum animos protervos, & contentioſos qui oderunt dulciſſimam concordiam filiorum tuorum. Homines pertinaces, qui poſuerunt ſicut adamantem, faciem ſuam, & conſueverunt repugnare melle dulcioribus miſericordiis tuis, non intrabunt in requiem Scholæ tuæ. Tu enim, Domine, Rex Pacificus, & Magiſter Pacificus es, qui odiſti cervices duras, & colla erecta nolentia tollere ſuave jugum tuum ſuper ſe. Recordor, Domine, naſcentis Eccleſiæ tuæ, quando multitudinis credentium erat cor unum & anima una; & trahor manſuetudine agnorum tuorum, qui ſine repugnantia, vel duritia ſequebantur te, & imitabantur mitiſſimum Agnum Dei. Ex quo facile diſcernunt illuminati ſervi tui, quæ ſit ratio, cur multi ex iis, D qui dicunt ſe diſcipulos tuos, non proficiant, neque in Schola tua requieſcant. Nimirum ſunt nimis tenaces ſenſus ſui, & nolunt miteſcere, & eſſe parvuli in oculis ſuis: & ideo non ſinunt ſe doceri ab humilibus amicis tuis, quibus ſecreta tua revelaſti. Grande malum eſt hoc, & à ſpiritu tuo longiſſime recedit: quocirca diſcipuli tui ſibi timentes ab omnibus etiam inferioribus doceri quærunt & mirabili facilitate cedunt proximis ſuis. Atque ex hac ipſa facilitate naſcitur mira ſuavitas in dilectione fratrum, in quorum animis, & actionibus nulla apparet aſperitas. Omnis plebs tua, Domine, trahitur à te, & componit affectus, & operationes ſuas ad placitum proximorum, quos æſtimat meliores ſe. E Et per hanc docilitatem diſponitur ad ſtudium altiſſimæ ſapientiæ quæ humilium propria eſt. Ego igitur, Domine, nolo eſſe de Schola eorum, qui incircumciſis cordibus & auribus ſpiritui tuo ſemper reſtiterunt, & in peccatis ſuis mortui ſunt; ſed de Schola parvulorum, qui contremiſcunt ad ſermones tuos, & ſine ulla contentione acquieſcunt vivis ſermonibus Domini, & Præceptoris ſui. Imprimatur, obſecro, cordi meo docilitas filiorum tuorum Domine, ut quidquid docueris, ſine duritia ſuſcipiam, & mitis audiam; quid loquatur in me Dominus Deus, firmiter ſperans, quod loquetur amabiliſſimam pacem ad puſillum gregem chariſſimæ plebis ſuæ.

Chriſtus, Rex, & Magiſter pacificus.

Sapientia humilium propria.

F

CAPUT II.

De digna æſtimatione doctrinæ, quam habent Diſcipuli Jeſu Chriſti.

HAbet hoc, Domine, omnis qui audivit à Patre tuo, & venit ad te, ut æſtimet magni pretioſiſſima verba, documenta tua, certo ſciens te infallibilem veritatem, & infinitam ſapientiam eſſe, neque poſſe fallere, neque falli. Non videtur ſervis tuis, Domine, ulla mundi doctrina comparabilis cum diſciplina Scholæ tuæ, quæ de cœlo eſt. Quando attentis cordibus, & auribus audiunt verba dulciſſima Evangelii tui, mirantur, & inflammantur, & friget illis omne, quod in mundo altum & honoratum eſt. G Si fortè propter neceſſitatem præſentis vitæ vacant ſtudio ſcientiarum aliarum, affliguntur valde, qui difficulter diſtrahuntur à Schola tua, cujus prima elementa altiora videntur eis omni ſublimitate diſciplinarum quibus inviti ſtudent. Certè bene oſtendit ſenſum veritatis hujus ille, qui timens ſeparari à Schola tua dixit: Quo ibimus, verba enim æternæ vitæ habes? Infœlices illi, Domine, qui dixerunt male loquentes de te, Durus eſt hic ſermo! duriora quippe erant corda illorum, quæ non capiebant ſenſum ſuaviſſimi ſermonis tui. Profectò, amantiſſime Magiſter, animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, neque diſcernit inter bonum & malum, quia ſolos carnis oculos habet. Spirituales verò ſervi tui, quos inſtruis interna diſciplina, judicant, & diſcernunt omnia, & obſervant apices divinæ H legis tuæ. Si detur eis, ut linguis hominum loquantur, & Angelorum, & ut noverint ſcientias mundi omnes, nihil eis æſtimabile videtur comparatione doctrinæ tuæ. Et propterea, quando audiunt alios amicos tuos, per quos loqui ſoles ad cor quærentium

Prima elementa ſcholæ Chriſti cujus ordinis?

Scripta An. 1607. tium te, mitiſſimis animis, & humili valde modeſtia recipiunt verba de cœlo deſcendentia, quaſi ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Ex Deo ſunt, & propterea verba Dei attentiſſimè audiunt timentes, ne fortè priventur pinguiſſimo nutrimento ſuo. O Domine, quomodo arripiunt verba tua, & non A ſatiantur dulcedine, quam ſentiunt in mellitiſſimis ſermonibus tuis! Quomodo commoventur totis viſceribus in cantu ſuave ſonantis Eccleſiæ ſponſæ tuæ, cujus ſingula verba æſtimant ſuper inæſtimabiles margaritas! Aperi, Magiſter manſuetiſſime oculos illorum, quos mundus faſcinavit, ut ſciant magnificare Scholam tuam, & adhæreant fortiſſimæ ac dulciſſimæ veritati tuæ.

CAPUT III.

De Contemptu Mundi, quem habent Diſcipuli Jeſu Chriſti.

NEmo, Domine, poteſt duobus Dominis ſervire; & propterea diſcipuli B tui, qui tibi crediderunt, abnegarunt omnem ornatum ſæculi, & totos ſe ſacrificaverunt tibi. Non eſt diviſum cor eorum inter te, & Deos alienos: ſatis enim conſtat eis, quia tu ſolus es Deus, & non eſt alius Deus præter te. Benè noverunt, quia tu occidis, & vivere facis, & non eſt, qui de manu tua poſſit eruere. Quocirca bono conſilio renuntiaverunt omnibus, quæ poſſidebant: dixiſti enim eis: Qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Propter hoc non ſolum divitias, ſed honores & voluptates (Idola mundi quae? idola ſcilicet mundi) contempſerunt, ut ſine impedimento currerent poſt te, qui exultaſti ut gigas ad currendam viam. Credo autem, Domine, ideo illos omnia contempſiſſe, C quia ſtatim ac ſeminaſti deſideria æternæ vitæ in cordibus eorum, omnia quæ videntur, arbitrati ſunt ut ſtercora, & affecti tædio rerum contemptibilium, Cucurrerunt ad meliorem & manentem ſubſtantiam, ut lucrifacerent te. Et quidem, ô dulciſſime Filii Dei, bonum conſilium eſt, ſpernere omnia propter ſummum bonum, quo ſolo ſatiari poſſunt corda hominum. In quo conſilio tuo mirabiles valdè videntur aliqui diſcipuli tui, qui diligentiores fuerunt ad præſentis vitæ bona recuſanda, quam filii hujus ſæculi ad illa capienda. Quis enim unquam, Domine, tam cupide D. Franciſcus. quæſivit divitias, quam Franciſcus fideliſſimus ſervus tuus paupertatem? Quis unquam tam ardenter concupivit carnis delectationes, D quam Agnes & Cæcilia dulciſſimæ ſponſæ tuæ caſtitatem? Quis unquam tam artificioſe quæſivit honores mundi, quam Alexius, & Alexander Carbonarius chariſſimi amici tui contumelias? Credo, Domine, ſtudium hoc mirabile, quo amici tui quæſierunt non ſolum mundum contemnere, ſed ab eo contemni, proceſſiſſe ex alio ſtudio liberius vacandi Scholæ tuæ imitatione illius, qui dixit: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Bene quidem, quia mundus tranſit, & concupiſcentia ejus: diſcipulorum verò tuorum gloria non tranſibit in æternum. Accipient enim coronam pulchritudinis, & ampliſſimam infinitæ laudis remunerationem in atriis Jeruſalem beatiſſimæ civitatis tuæ. E

CAPUT IV.

De Cordis Puritate, quam habent Diſcipuli Jeſu Chriſti.

SImiles ſunt, Domine, diſcipuli tui cuſtodibus lecti Salomonis tenentibus gladios ſuper femur ſuum. Cuſtodiunt quippe diligentiſſime corda ſua, in quibus tu Rex pacifice requieſcis tanquam Sponſus in thalamo ſuo. Mirabile eſt, quam vigilanter cuſtodiant vigilias noctis ſuper animas ſuas ne fortè inquinentur veſtes nuptiales eorum, & repellantur à candidiſſima plebe Scholæ tuæ. Non habent fiduciam in ſeipſis, ſed inenarrabilibus gemitibus F implorant clementiam Magiſtri & Cuſtodis ſui, ut capiant vulpes parvulas culparum levium, ne forte demoliantur florentes vineas ſuas. Habent illi theſaurum pretioſæ valdè gratiæ tuæ in vaſis fictilibus fragiliſſimæ carnis, & viventes in terra inimicorum, ad omnes horas ſuſpicantur furta. Et propterea extimulati perpetua ſollicitudine fugiunt quidquid impurum eſt, & quotidie ſe mundant lavacro ſanguinis tui. Neque verò hoc ſolum faciunt, Domine, ut omnia inquinamenta carnis, & ſpiritus vitent, ſed ut puriora corda ſervent tibi, ſtudioſiſſimè abſtinent à licito amore creaturarum, & totis viſceribus requirunt ſereniſſimam faciem tuam. Non noverunt patrem, neque matrem, neque conſanguineos, G neque amicos, neque commoditates, cum ſciant omnia hæc partem cordis ſibi vendicare: Sed omnes ejuſmodi effectus tranſtulerunt ad te unicum refrigerium ſuum & optabiliſſimam mercedem ſuam. Hi ſunt columbæ ſimpliciſſimæ, Columbae ſimpliciſſimae juſti appellati. argento puro deargentatæ, à diluvio aquarum multarum volantes ad arcam, volantes ad nidum cordis tui, ubi nihil eſt niſi puritas, ubi ſemper ſtudent fortiſſimè adhærere. Propter quod tu, Domine, qui delectaris puris cordibus, quæ ſunt velut lilia paradiſi tui, auges per ſingulos dies eorum candorem, quo diſcipuli tui fiunt aptiores ad intelligenda occulta ſapientiæ tuæ. Certum eſt enim ſecretiſſima myſteria Scholæ tuæ non percipi à cordibus inquinatis: H in malevolam quippe animam non intrat ſapientia tua, neque habitat in corde ſubdito peccatis. Atque ita diſcipuli tui, Domine, à ſordibus peccatorum longiſſime recedentes, & quotidie reſecantes in ſe, quod inutile & vetuſtum eſt, relicto Adam Secundus Adam Chriſtus dictus. primo atque terreno, transformantur in Adam ſecundum, & cœleſtem: in qua tranſformatione conſiſtit admirabilis excellen-

tia

Scripta An. 1607.

tia Scholæ tuæ. Hic eſt ſcopus humilium & manſuetorum diſcipulorum, qui requieſcunt ſub umbra tua, Domine; ut ablatis imperfectionibus, quibus in hac vita religioſa quoque corda tanguntur, fiant per omnia ſimiles tui: & puriſſimis affectibus, & operibus placeant animæ tuæ. Tu verò, delectaris, & odoraris odorem ſuavitatis A ſurgentem è ſacrificio gratiſſimo Scholæ tuæ quæ virgineo decore unitur tibi dulciſſimo Sponſo ſuo.

CAPUT V.

De Deſiderio amandi, quod habent Diſcipuli Jeſu Chriſti.

Pura corda quomodo Deum quærant?

STudent homines, qui ſerviunt huic ſæculo, Domine, ut ſciant, & lucrentur panem pereuntem: Diſcipuli verò tui ſtudent, ut ament te, & trahantur ad Scholam manſuetudinis tuæ, non deſiderio lucrandi, ſed amandi. Pura enim corda, & adulterii neſcia non quærunt te propter ſe, ſed te quærunt propter te: & ideo cupiunt B erudiri, ut totis viſceribus ament infinitam bonitatem, ſapientiam & decorem tuum. Qua in re apparet puriſſima caſtitas cordium ſequentium te, Domine, & ſublimiſſima altitudo Scholæ tuæ, cujus omne ſtudium eò tendit, ut innumerabilibus deſideriis requirat te. Nam in ipſa ſanctitate diſciplinæ tuæ, quæ illuſtratur, non ſibi placet in excellentia cognitionis ſecretorum tuorum, quatenus ejus excellentia eſt, ſed quatenus pertinet ad finem dilectionis, cujus holocauſta medullata offert tibi. Poſtquam vero diſcipuli tui cognoverunt gratiam tuam & miſericordiam magnam, qua illos tibi configuraſti, ſemper vacant perennibus deſideriis charitatis, quæ in caſtis cordibus ardet C & ardebit, neque flumina obruent illam. Hinc, credo, Domine, naſcitur profectus ille maximus diſcipulorum tuorum, quos non retardat ſcientia, quæ inflat, ſed movet charitas, quæ mirabiliter ædificat. Si enim interrogentur, quid quærant libros legentes, vel doctores audientes, vel fortaſſe diſputantes, reſpondent ſe velle diſcernere, quod tibi placet, ab eo, quod diſplicet, & velle doceri, quemadmodum appropinquent tibi, ut fortius diligant te dulciſſimum Deum, & Redemptorem ſuum, & quidem ſive legant, ſive loquantur, ſive operentur, ſemper ſunt memores tui, multiplicantes deſideria charitatis ſine fine. Omnis ſchola tua, Domine, fœcundiſſima eſt: omnis plebs tua habet gemellos fœtus, & ſterilis non eſt in eis. Quicquid diſcipuli tui D cogitant, aut vident, convertitur eis in argumentum deſiderandi te, & implorandi jucundiſſimam præſentiam tuam. Ex quo fit, ut quicquid diſcunt, amando diſcant, & nihil in terra quærentes præter te, ædificent domos ſuas ſupra petram. Utinam, Domine, omnes ſcholæ hominum dirigant ad te labores prolixos, quibus fatigantur, ut aliquid ſciant, & moveantur deſiderio amandi te, ad ſuſcipiendam longam peregrinationem ſuam! Sic enim Chriſtiano more laborabunt, & cum pane, quem lucrantur, acquirent majora lucra ſuaviſſimæ charitatis tuæ.

Unde illorum profectus?

CAPUT VI.

E

De collectione virium animæ, quam habent diſcipuli Jeſu Chriſti.

OMnis anima, quæ guſtavit lac ſcholæ tuæ, Domine, fugit curioſitatem, & claudit ab intus domum ſuam, ne fortè mors intret per feneſtras. Recordor Domine, viduæ illius, quam conſolatus es per manum Eliſæi Prophetæ tui, quæ oſtio clauſo implevit vaſa oleo manante è fonte dulciſſimæ bonitatis tuæ: & videtur mihi ineffabilis miſericordia tua ſimiliter viſitare oleo lætitiæ animas ſervorum tuorum colligentium vires ſuas, quemadmodum viſitavit olim viduam illam. Et fortaſſe hæc eſt ratio, propter F quam fugiunt de medio civitatum, & abſcondunt ſe in ſpeluncis, vel in locis ſolitariis, ubi nemo pulſet à foris oſtia domum ſuarum, & interrumpat ſtudium vacandi tibi. Quod ſi propter neceſſitatem præſentis vitæ cogantur habitare cum filiis hujus ſæculi, & cum mercatoribus Madianitis, atque Sabæis; diligentiſſimè vigilant ſuper ſe, & continent fræno diſciplinæ corda & oculos ſuos. Ædificant ſibi cellas non manu factas, in quibus habitent tecum collectis viribus animæ, etiam dum diſcurrunt per vicos, & plateas. Jam enim didicerunt ſuſpirare de fluminibus Babylonis ad pacem Sion montis ſancti tui: & videntes ſollicitudines, & labores hominum, quos excæcavit amor hujus ſæculi, triſtiſſimo ſpectaculo compuncti moventur ad deſiderandam, G & poſtulandam libertatem filiorum Dei. Conſiderant fluctus ſæculi nunc aſcendentes uſque ad abyſſos: & caſto timore correpti, quaſi de profundis aquarum, unitis, & elevatis cordibus emittunt è medio populi ſecreta vota, & immolant innumerabilia ſacrificia in altari cordis ſui. O Domine, quam delectabilia ſunt ſacrificia hæc cordi tuo! Quam amanter reſpicis hos fideliſſimos ſervos tuos, qui colligunt ſe intra ſe, ut neque in mediis occupationibus variis obliviſcantur tui! Tu certè, Rex magne, & cuſtos amantiſſime quærentium te, circumducis eos, & doces, & cuſtodis quaſi pupillam oculi tui. In medio turbarum & clamorum lactas eos, duciſque ad ſecretam, tibique notam ſolitudinem, & blandè loqueris ad corda eorum. H Ex quo omnis anima, quam lactaſti, diſcit tenaciſſimè apprehendere te, & recordari uberum tuorum, nolleque relicta matre, nutricis alienæ lacte ſeduci. Confiteantur ergo tibi, Domine, omnia corda amicorum tuorum, & ſancti tui ferventiſſime benedicant tibi. Sic enim intra media negotia neceſſaria ſæculi remuneras

Hominum labores & ſollicitudines.

Scripta An. 1607.

collectionem virium animæ diligentis te. Quid facies, ô liberaliſſime, quando poſt labores hujus mortalitatis illa requieſcet in ſtrictiſſimo complexu tuo?

CAPUT VII.

A

De Fidelitate reſpondendi divinis inſpirationibus, quam habent diſcipuli Jeſu Chriſti.

D. Franciſci ſtygmata notata.

Chriſti converſatio melle dulcior.

OVes tuæ, Domine, quæ didicerunt paſcua vitæ, vocem tuam audiunt, & fideliſſimè obediunt inſpirationibus tuis, Anima quæ guſtavit te, ſugens dulciſſimum lac Scholæ tuæ, vehementer commovetur internis vocibus tuis, & ſollicitatur, ut citò ſequatur te amabiliſſimum Præceptorem, & ſponſum ſuum. Propter quod fideles diſcipuli tui, etiam inter negotia hujus vitæ, attentiſſimè audiunt ſibilum auræ lenis, in qua loqui ſoles ad corda eorum: & dirumpunt omnia vincula occupationum, quàm primùm poſſunt, ut totis viſceribus vacent tibi. Sic B nempè audivi, Domine, mirabilem fidelitatem Franciſci amici tui chariſſimi, quem ſignaſti ſignis redemptionis tuæ, qui ſolebat tam fideliter reſpondere inſpirationibus tuis, ut quando iter faciebat cum ſocio, & ſentiebat vocem ſecretam Domini ſui vocantis illum ad orationem, ſtatim ſubſiſteret vacaturus tibi, dicens ſocio, ut præcederet, ne impediret ſtudium Scholæ tuæ. Et uſque in hodiernum diem ſunt aliqui, licet pauci electi inter auditores tuos, qui gerunt cor ſollicitum pro te: & ſtatim ac ſentiunt ſuaviſſimum Præceptorem ſuum, vel fingentes ſe habere grave aliquod negotium, vel palam contemnentes leges mundi, relictis omnibus lucris & commoditatibus currunt ad te optatiſſimum refrigerium ſuum. Quorum conſilium altius mundo eſt, & amore ac imitatione digniſſimum. Quis enim, Domine, C non anteponat melle dulciorem converſationem tuam communicationi hominum, qui habitant domos luteas terrenum habentes fundamentum? Nonne melior eſt hora una in coſpectu tuo ſuper millia annorum cum figura mundi tranſeuntium? Conſumunt filii hujus ſæculi annos vitæ ſuæ in palatiis Principum terrenorum ſuſpenſi, & attenti ad ſonum campanulæ, vel ad vocem Dominorum, à quibus aſperas correptiones, & leviſſimam mercedem recipiunt. Quanto ergò juſtius eſt, Domine liberaliſſime, diſcipulos tuos ſollicitos vigilare ad audiendam jucundiſſimam vocem tuam, cum qua veniunt ſtillicidia cœli, quibus pingueſcunt ſpecioſa deſerti, & campi noſtri replentur ubertate? Væ illis, Domine, qui non obediunt paternis D inſpirationibus, & materno amori tuo! Campi eorum germinabunt ſpinas & urticas, & conſumentur egeſtate. Credo certè, Domine, neglectum inſpirationum tuarum cauſam eſſe infœliciſſimæ ſterilitatis, qua multi etiam Religioſi laborant: qui ſatis eſſe putant non committere peccata mortalia, ſed interiores motus cordis, ubi tu loqueris, non conſiderant, & innumerabilia deſideria proficiendi, quæ tu ſeminas, frigeſcere ſinunt. Aſcenderunt ſuper excelſam terram, ut comederent fructus agrorum: ipſi tamen infideles cultores terræ ſunt, & cum filiis alienis erraverunt. Penetret, oro te, Domine, cor meum vox tua, & erudiat E me; gratiaque tua ponat pedes meos, quaſi cervorum, ut celeriter curram poſt te ad ſuaviſſimos odores unctionis tuæ.

CAPUT VIII.

De Adinventionibus Diſcipulorum Jeſu Chriſti.

Religionum reformatio notata.

QUI comedunt te, Domine, adhuc eſurient, & qui te bibunt, adhuc ſitient: non enim ſatiatur ſchola tua paſtu veritatis, ita ut tædio affecta, ſapientiam non requirat. Immò quærit atque requirit; & novis adinventionibus excogitat modos innumerabiles placendi tibi. Ex quo certe ſtudio placendi cordi tuo factum eſt, Domine, ut plurimi F ſancti, & fideliſſimi ſervi tui glorificarent te variis, & inauditis modis, quos invenit ſollicita & ardentiſſima charitas tua; nunc ſcientiam diſſimulando, nunc ex urbibus fugiendo, nunc prælationes recuſando, nunc amentiam fingendo, nunc in antris habitando, nunc ſeipſos ad aliorum redemptionem vendendo, & ſub aliis formis multis tibi militando. Hæc eſt, Domine, gens electa. Hæc ſunt caſtra Dei vivi. Hæc eſt fortiſſima pars Sulamitis dilectæ tuæ, quæ filiis tuis eſt ſuavis & pulchra ſicut Jeruſalem, & inimicis tuis eſt terribilis quaſi caſtrorum acies ordinata. Veriſſimum eſt, Domine, charitatem tuam magna operari, & ſemper tentare nova, quæ operetur propter te. Quod & his noviſſimis diebus in reformatis Religionibus jucundiſſimo ſpectaculo videmus. Delectantur, Domine, ſpirituales ſervi tui in factura tua, & mirabilibus operibus G tuis exultant. In cibo enim, & potu, & veſtitu, in ſomno & vigilia, in ſeſſione & inceſſu, & in aliis multiplicibus actionibus requirunt modos muſicos mundo incognitos, quibus delectetur auris tua. Bene noſti prælia militum tuorum, Domine, qui laborem & dolorem conſideras, ut remuneres multis modis multiplices adinventiones gratiæ tuæ. Sed & principes tenebrarum, cum quibus eſt illis colluctatio, noverunt fortitudinem ſervorum tuorum, qui cuncta, quæ habent, pellem quoque pro pelle dabunt pro chariſſima anima ſua. Modo occultè, modò palam pugnant contra Reges Chananæos: nunc ſudoribus, nunc laboribus multis laborant inter peregrinos ſuſpirantes ad H patriam ſuam: nunc ſeminant in lachrymis ſperantes in te, & credentes quod in gaudio metent. O Domine, quot modis crucifigunt corpora ſua, alligantes ea in compedibus timoris tui, ne unquam recedant de via vitæ! Quoties ferrum pertranſit animas eorum, quibus potum dare ſoles in lachrymis in

men-

Scripta An. 1607.

menſura! Credo certè, mitiſſime Domine, aromaticos odores aſcendere ad te de altaribus cordium diſcipulorum tuorum, qui ſacrificant ſeipſos multis modis exquiſitis in abſcondito. O Rex Sion, quis credet auditui noſtro? & brachium tuum, quo adjuti amici tui operantur talia mirabilia, cui revelatum eſt? Exercent illi occultas luctas, & A non ſaturantur laboribus & opprobriis, cupientes tibi ſoli placere, & à te ſolo videri; ſed tu facies illos ſedere cum ſenatoribus terræ, & laudabis in porta, per quam exeunt ex hac vita, opera eorum, ut ſciat mundus adinventiones mirabiles fideliſſimæ ſcholæ tuæ.

CAPUT IX.

De Zelo Diſcipulorum Jeſu Chriſti.

Mundi exultatio qualis?

SPiritus divinæ charitatis tuæ, Domine, quæ inflammat pura corda diſcipulorum tuorum, urget illos, ut gemitibus & exhortationibus, & exemplis quærant lucrifacere dilectiſſimos proximos ſuos, quos æmulantur Dei æmulatione cupientes præſervare illos à B contaminatione, & quaſi virginem caſtam deſpondere tibi. Sollicitant corda virorum, non ut Abſalon, quando juxta portam ſatagebat eripere regnum patri ſuo, ſed ut manſuetiſſimus eorum Magiſter, qui poſuit dilectam animam ſuam pro fratribus ſuis. Et ideò negotiantur, ut ſolliciti mercatores quærentes die ac nocte multiplicare divitias ſuas. Zelus domus tuæ conſumit illos, & fortiſſimè pugnant pro reparanda Jeruſalem, quæ ædificatur ut civitas. Non ceſſant diebus, neque noctibus monere unumquemque proximorum ſuorum cum lachrymis, & orationibus, ut reducant errantes in Scholam tuam. Quando audiunt innumerabiles populos infidelium deſcendere in infernum, qui dilatavit animam ſuam, tabeſcunt incredi- C bili mœſtitia, & pro converſione mundi ſacrificant tibi mille modis animas & corpora ſua. O Domine, quàm copioſè fluunt lachrymæ per maxillas eorum, quando vident inimicos tuos blaſphemare, & maledicere tibi! Mundus exultat ad ſonum tibiæ, & citharæ, & multiplicat cum riſu peccata velut arenam, quæ jacet in littore maris: & ſervi tui innoxii agunt ſeveram pœnitentiam pro iis, qui obliviſcuntur tui. Atque ita ſuſtines peccatores propter juſtos diſcipulos tuos, quorum charitas quaſi murus firmiſſimus opponitur iræ juſtitiæ tuæ. Utinam, clementiſſime Deus, hæ lampades zeli amicorum tuorum ſemper ardeant in conſpectu Majeſtatis tuæ, & ſtent illi conſtanter coram te, ſicut ſtetit Moyſes electus tuus in confractione D populi Iſrael, ut averteret fortiſſimam iram tuam. Sint illi ad propitiationem pro viris ſanguinum, & doloſis, & pro ſtultis, quorum infinitus eſt numerus. Recordare, ô Rex Jeruſalem, fidelium amicorum tuorum, qui æmulatione dura conſumuntur, & auribus percipe lachrymas amore domus tuæ fluentes in medio Eccleſiæ dulciſſimæ Sponſæ tuæ.

CAPUT X.

De Suavi Converſatione Diſcipulorum Jeſu Chriſti.

A fructibus arbor.

Diſcipuli Chriſti, omnibus omnia facti.

Ex abundantia cordis os loquitur.

E MItiſſima, & amabiliſſima converſatio diſcipulorum tuorum, Domine, oſtendit quales iſti ſint. Omnis enim arbor cognoſcitur à fructibus, & à te veritate divina dictum eſt, quod omnis arbor bona bonos fructus facit. Ex quo ſequitur, quod cùm auditores tui boni ſint, converſationem eorum oportet ſuavem eſſe. Atque ita eſt, Domine, univerſo mundo conſentiente, & admirante honeſtiſſimam converſationem ſervorum tuorum, plenam dulciſſimis fructibus juſtitiæ, & charitatis tuæ. Non quærunt quæ ſua ſunt; non iraſcuntur in proximos ſuos: non altum ſapiunt, ſed timent: alter alterius onera amantiſſimè portant: infirmantur, ſi alter ſit infirmus: humilibus conſentiunt: ſunt taciti, verecundi, modeſti, hilares, & diligentiſſimè fugiunt, quicquid proximos offendit. Hæc eſt exercitatio Scholæ tuæ, Domine, quæ homines priùs feros F miteſcere facit, & componit ad perfectiſſimum exemplar Magiſtri ſui. Ex quo efficitur ad laudem divinæ gratiæ tuæ, Domine, ut amentur etiam ab illis, qui non noverunt te. Capiuntur enim decore illo, qui naſcitur ab occulta virtute filiæ Regis, quæ eſt circumamicta varietatibus. Et quis eſt, fili Dei altiſſimi, cui non placeant oculi columbarum, caſta & humilia corda, & manus innoxiæ agnorum tuorum, qui patiuntur, & non reſiſtunt, qui maledicuntur, & benedicunt? Profectò, Domine, converſatio hæc tam ſuavis, & amabilis eſt, ut ſaxa duriſſima ad pietatem, & compunctionem movere poſſit. Quod ſi ad ſermonem eorum deſcendam, laudabo te in operibus, G & verbis gratiæ, quæ in cordibus & labiis eorum diffuſa eſt. Etenim, dulciſſime Præceptor hominum, ex abundantia cordis os loquitur: atque ideo ii, quorum corda ſpiritu tuo plena ſunt, de te ſemper ſuaviter loquuntur, & proximorum viſceribus imprimunt ignitos affectus ardentiſſimæ charitatis ſuæ. Tetigiſti linguas eorum igne tuo, Domine, & propterea emittunt eloquia flammantia, quibus inflammantur & illuminantur populi, ad quos derivatur pluvia voluntaria, quam ſegregaſti pretioſiſſimæ hæreditati tuæ. Sic ergo, Domine, innocentia vitæ, modeſtia, & caſtiſſima eloquia ſapientiæ tuæ reddunt diſcipulos tuos mundo mirabiles, & amabiles, cum infinita laude divinæ gratiæ, & copioſiſſimæ miſericordiæ H tuæ. Quòd ſi talis eſt amicorum tuorum converſatio cum iis, qui aut parum, aut nihil cognoverunt te; quàm ſuavis, & delectabilis erit mutua communicatio inter ipſos diſcipulos tuos dulciſſima charitate conjunctos, quibus à te dictum eſt: In hoc cogno-

Scripta An. 1607.

Diſcipulorum Chriſti character.

gnoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem ad invicem habueritis? Certè, miſericordiſſime Domine, quotidiana experientia diſcunt domeſtici tui, inter omnes omnium hominum familiaritates nullam poſſe comparari cum converſatione unanimis familiæ tuæ. Ibi enim eminet pudicitia, modeſtia, comitas, & vinculum ſuaviſſimæ dilectionis A, qua fit melle dulcior habitatio domus tuæ.

PARS TERTIA.

De mortificatione paſſionum, quæ diſcitur in Schola Jeſu Chriſti.

CAPUT I.

B

De Exercitio Morificationis paſſionum, quæ diſcitur in Schola Jeſu Chriſti.

VOcaſti ad te, Fili Dei Altiſſimi, omnes filios Adæ, qui laborant & onerati ſunt: & ut minus laborarent, invitaſti eos, ut tollerent jugum tuum ſuper ſe. Vox hæc tua, Domine, diſcrevit filios tuos à filiis perditionis, qui noluerunt intelligere vim ſermonis tui, quaſi poſſint in mundo vivere ſine jugo duriſſimæ ſervitutis, & quaſi quinque juga boum nimis gravia poſſent comparari cum levi jugo Filii Dei. Non benè intellexerunt dulciora ſuper mel & favum eloquia tua, ſed abierunt retrorſum longiſſime recedentes à via vitæ. Diſcipuli verò tui, Domine, quaſi oves propriæ C ſui paſtoris vocem cognoſcentes tulerunt jugum ſuper ſe, & à primis annis cœperunt mortificare rebelles paſſiones ſuas. Sic enim intellexerunt verbum crucis, quam tollere debet ſibi quiſquis ſequitur te: ut ſciens, & patiens multas cupiditates contrarias ſpiritui tuo, incipiat reſecare illas, & pugnare contra legem membrorum, quæ eſt inimica legis tuæ. Hæc eſt pugna incipientium ſervire tibi, Domine, quos oportet parturire, donec formeris in illis, & corruptio naturæ vitiatæ cedat potentiſſimæ gratiæ tuæ. O Rex fortiſſime, per quem datur nobis victoria, & ſalus de inimicis noſtris, qualis ſylva plena lupis, & urſis apparet iis, qui incipiunt illuminari à te, & cognoſcere indomitas D paſſiones ſuas! Horribilis eſt ſylva hæc, ubi auditur fremitus beſtiarum currentium ad illicitas prædas ſuas: & ideo novos milites caſtrorum tuorum oportet animari, & ponere in te firmiſſimam ſpem, atque armari ſcuto virtutis, & gladio ſpiritus tui. Initium ſapientiæ, hoc eſt, timor, qui primum diſcitur in Schola tua, opportuniſſimus eſt ad continendum appetitum nondum aſſuetum diſciplinæ tuæ. Militia tua eſt hæc, Domine, & prælia juſtorum, qui per bellum tranſeunt ad pacem, & per ignem & aquam feſtinant ad refrigerium. Beati fortes ſervi tui, Rex Jeruſalem, qui evangelico ſenſu eruunt ſibi oculos, & abſcindunt ſibi manus & pedes, à quibus ſcandalizantur, exercentes auſteram diſciplinam vitaliſſimæ Crucis E tuæ. Tu enim dabis eis ampla remuneratione meliores oculos, quibus videant, & meliores pedes, quibus ſequantur te, cum infinita exultatione cordis ſui. Omnia ſub ſole tranſeunt, & animales homines vaniſſimo labore currunt ad flammam, immemores æterni cruciatus ſui. Sanius conſilium eſt fœcundiſſimo labore amplecti lignum vitæ, & per veram mortificationem paſſionum feſtinare ingredi in requiem tuam. Beatus, qui ſibi non parcet nunc, quia tu, Domine, in æternum parces illi. Beatus, qui cum Paulo fideliſſimo Apoſtolo caſtigat corpus, & in ſervitutem redigit, ſtigmataque tua in ſuo corpore portat, quia labores manuum ſuarum manducabit, & portabitur fluminis impetu, qui lætificat civitatem Dei. Proba me, Domine, F & ſtudio Crucis tuæ exerce me: ure renes meos, & cor meum. Ure, precor, quidquid ex Adam terreno in me vitioſum eſt: & in viſceribus antiquæ miſericordiæ tuæ deduc me in via æterna.

Paſſiones hominum rebelles.

Timor initium ſapientiae.

Omnia ſub ſole tranſeunt.

CAPUT II.

De Amoris proprii mortificatione, quæ diſcitur in Schola Jeſu Chriſti.

Amor ſui amoris Dei inimicus.

CApitalis inimicus divini amoris tui, Domine, infinito amore digniſſime, eſt amor ſui, qui traditur de Adam, & quo ædificatur civitas Babylonis, cujus cives oderunt te. Deſcenderunt de Adam homines ſe ipſos amantes amore tam vehementi, ut G incredibile videatur, quanta, & quam horribilia monſtra ex eo naſcantur. Nemo unquam vitam, & carnem ſuam odio habet, ſed magis nutrit, ac fovet eam, niſi fortiſſima gratia tua illuminetur, & roboretur, ut oderit animam ſuam. Faſcinatio carnalis nugacitatis obſcurat meliora & amabiliora bona tua Domine: & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſus hominum, ut ardentiſſimè ament ſeipſos, & tanquam furioſi quærant ſatiari honorificis, utilibus, & delectabilibus bonis, quibus paſcitur amor ſui. Timent illi hoc amore inebriati minimas læſiones vitæ & valetudinis: & ſóllicitè fugiunt pericula mortis, qua ſeparandi ſunt à carnali vita, quam dilexerunt. H Incredibilis cura vivendi, & impinguandi corpus in multos annos torquet amatores ſui, & innumerabilibus remediis, ſenſualibuſque conſiliis vitam, & incolatum ſuum prolongare curant, immemores timoris & amoris tui. Verumtamen citò avelletur de tabernaculo ſuo fiducia eorum, & calcabit ſuper eos, quaſi Rex, interitus: nam

Scripta An. 1607.

& dives ille, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè, mortuus eſt, & ſepultus eſt in inferno. Incraſſantur tauri pingues herba pratorum virentium hujus vitæ: ſed omninò trahendi ſunt ad ſecurim, & percuſſis cervicibus mittentur in flammam. Diſcipuli verò tui, A Domine, caſto timore admoniti ſcientes, quia omnis, qui nimis amat animam ſuam, perdet eam, inter prima documenta Scholæ tuæ diſcunt ſapienter perdere, quod fœliciter invenient. Eligunt detrimenta præſentis vitæ, ut ad æternitatem negotientur, & viriliter decernunt contemnere vitam, & delectamenta, & licitas etiam commoditates, ne declinent à via tua. O Redemptor, legiſlator & Magiſter hominum; quam mirabiliter proficiunt in Schola tua, qui à principio ſuæ renutiationis ita ſe tibi ſacrificant, ut negligant præſentem vitam, & requiem corporalem, & negent ſibi, quicquid petit inordinatus amor ſui! Pauci ſunt, Domine, qui fortiter apprehendant mortificationem iſtam ſpiritualis profectus B matrem, & arcem ſalutis ſecuriſſimam: ſed pauci illi ſunt chariſſimi amici tui, qui amorem tuum odio ſui, & neglectu proprio comparare, magnum ſibi quæſtum pietatis crediderunt. Non habitant nunc iſti fortiſſimi ſervi tui in terra ſuaviter viventium, cum nolint ipſi ſuaviter vivere: ſed pro mortificatione ſui, quam viriliter exercent, aſcendent de cubilibus leonum, & montibus pardorum ad inæſtimabilem requiem tuam, & tu, Domine, habitabis in eis. Bene ergo eſt electis tuis, Rex dulciſſime Jeruſalem, ut in hac vita pœnitentiis & afflictionibus, & infirmitatibus exerceantur: quia modicum contriſtati variis probationibus intrabunt in gaudium Domini ſui.

Chriſtus Redemptor, Legislator, & Magiſter dictus.

CAPUT III.

C

De inordinati Deſiderii mortificatione, quæ diſcitur in Schola Jeſu Chriſti.

PLantaſti, Domine, in terra naturæ humanæ omne ſemen verum, quando creaſti, & ornaſti illam divina gratia & juſtitia tua. Sed illa verſa eſt in amaritudinem, & pro dulciſſimis uvis, & fructibus juſtitiæ, quos expectaſti, fecit labruſcas, & botros amariſſimos innumerabilium deſideriorum, quibus fertur ſine fræno ad illicita gaudia ſua. Multiplicantur inutilia, & nociva deſideria ſuper ſtellas cœli, & cupiditatum inſatiabilium non eſt numerus. Quanto magis creſcunt apparentia mundi bona utilia, & delectabilia, tanto magis creſcunt deſideria filiorum Adæ in ſimilitudinem præva- D ricationis patris, & matris ſuæ. Ex quo factum eſt, ut non ſolum juxta numerum civitatum & familiarum, ſed juxta numerum perſonarum unuſquiſque faciat ſibi idola ſua, currens poſt ardentiſſima & vaniſſima deſideria inimica immaculatæ legis tuæ. Hæc eſt origo vanitatis mundi, quæ videtur in palatiis divitum, in hortis, in equis, in conviviis, in cubilibus, & in aliis adinventionibus hujus ſæculi. Mites vero ſervi tui, Domine, qui odio habent animas ſuas propter te, fortiſſime repugnant inordinatis deſideriis, qui militant adverſus gratiam tuam. Non ambulant in commeſſationibus & E ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, quia ſolum requirunt te unicum deſiderium ſuum. Fallacem exiſtimant carnis gratiam & pulchritudinem; divitiæ ſi affluant, nolunt cor apponere; ſi ab aliis honorentur, tibi ab eis tribuitur omnis honor & gloria. Et quia patiuntur in ſeipſis prælia cupiditatum, vigilant quaſi fideliſſimi cuſtodes Iſrael ad repellendos hoſtes civitatis tuæ. Beati ſunt, Domine, amici tui eruditi in Schola tua, qui carnis curam non faciunt in ejus deſideriis, & quorum anima concupivit deſiderare ſolas juſtificationes tuas. Quanto enim plura appetituum ſuorum deſideria negant, tantò amplius accenditur in eorum cordibus deſiderium tui. F Tu vero, liberaliſſime remunerator, non patieris vacuas eſſe animas, quæ noluerunt impleri bonis apparentibus, ut ſervarent ſe puras, & immaculatas tibi: ſed implebis eas intima lætitia cum vultu tuo, reddeſque illis delectationes dexteræ tuæ uſque in finem. Utinam omnia corda hominum converterentur ad te, & deſiderarent totis viſceribus te Creatorem, & mitiſſimum Redemptorem ſuum! Magna enim fœlicitas eſſet nihil velle, aut cupere præter te, & nolle ruſticos cibos Ægyptiorum, ſed ſemper ſuſpirare ad eſcas terræ promiſſionis tuæ. O filii Dei Altiſſimi, quot millia virginum, & adoleſcentum nobilium conſiderantium decorem domus tuæ vendiderunt omnia mundi deſideria, & cœleſti conſilio tranſtulerunt ad te caſtum, & ingenitum deſiderium ſuum! O quam delectabilia fuerunt G cordi tuo, Domine, ſacrificia hæc, ubi occiſa ſunt deſideria mundi, ut viveret unicum deſiderium tui! Benè, optimè, & non ad inſipientiam illis: nam multò deſiderabilior eſt candor lucis æternæ, quam univerſa gaudia, & lucra mortalis vitæ. Deſiderem ergo te ſolum, Domine. Sitiat in te, precor, anima mea: quam multipliciter tibi caro mea.

Pulchritudo carnis fallax.

CAPUT IV.

De inordinatæ Delectationis mortificatione, quæ diſcitur in Schola Jeſu Chriſti,

DOmine, omnes qui te derelinquunt, confundentur, quamvis nunc lætentur H inter vaniſſima convivia, & feſta ſua. Recedentes à te in terra ſcribentur, quamvis eleventur uſque ad altitudinem nubium: omnes enim qui obliviſcuntur tui, Manſuetiſſime Redemptor hominum, erunt ignobiles, & agent ſeram pœnitentiam ſtultitiæ ſuæ. Et quidem juſtum eſt, Domine, ut

Scripta An. 1607.

Hominum errores.

mittantur in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium cum æterna mœſtitia: quoniam cum poſſent lætari in te, & ſpe gaudentes feſtinare in requem tuam. erraverunt graviter derelinquentes venam aquarum, & gaudiorum viventium, & ſeminaverunt triſtitiam infœliciſſimæ animæ A ſuæ. Diſſoluti ſunt valdè; & cum Balthaſar Rege Chaldæo profanaverunt vaſa ſancta templi tui inter calices profanos, quibus inebriati ſunt, non conſiderantes noviſſimos dolores, quibus profana gaudia terminantur. Meliore certè conſilio amici tui, Domine, quos inſtruis caſta, & ſana diſciplina, decernunt non delectari unquam in bonis tranſitoriis, ſed in te unico bono, & intimo gaudio ſuo. Sciunt illi, quod omnis diſciplina in præſenti non videtur eſſe gaudii, ſed mœroris, poſtea vero fructum pacatiſſimum reddit juſtitiæ, atque lætitiæ: & hoc ſenſu erecti repellunt gaudia falſa bonorum apparentium utilium, vel delectabilium. Quod ſi aliquando eis accidunt proſpera mundi, vigilantiſſimè cavent, ne lætentur in eis: B & elevant ad te puras manus, & corda ſuſpirantia tibi.

Filiorum ſæculi & lucis diſcrimen.

Filii hujus ſæculi, ſi nobiles, aut litterati, aut divites ſint, fruuntur his bonis, & gloriantur in eis: filii vero tui cum timore & tremore parciſſimè utuntur eis: quantum lex tua concedit, & ſæpè profitentur ſe nolle ſeduci vanitate bonorum tranſeuntium, & ponere alibi, quam in te lætitiam ſuam. Vivunt ergo ſolliciti, quaſi in terra inimicorum inter honores & commoditates neceſſarias, ne fortè cor adhæreat eis, & neceſſitatis occaſione tranſeat terminos juſtitiæ tuæ. Tunc verò quiete vivunt, quando exerces illos tribulationibus & ignominiis, vertens & convertens ſuper illos manum tuam & virgam, qua caſtigare ſoles chariſſimos filios tuos. Licet enim ibi ſint dolores, ut parturientis; ſciunt tamen, quia mulier, cum parit, triſtitiam habet, eò quod venit hora ejus: poſtquam vero C pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Qua certè doctrina roborati, patienter, ferunt triſtitias probationis celeriter tranſeuntis, aſpicientes in remunerationem, quæ reddetur eis pro modico labore ſuo. Aufer à me, Domine, oro te, vanitatem gaudiorum alienorum, quæ ſunt extra diſciplinam Scholæ tuæ: & fac, ô clementiſſime, ut delecter in te ſolo, & ponam in te omnia deſideria & gaudia mea.

CAPUT V.

De Inordinati Odii mortificatione, quæ diſcitur in Schola Jeſu Chriſti.

D EX amore nimio, quo filii Adam ſeipſos amant, naſcitur odium Sholæ tuæ, Domine, & augetur modis innumerabilibus. Quod adeo verum eſt, ut pauci inveniantur in terra, qui non oderint crucem tuam, & ne videantur inimici crucis, quærunt multis rationibus, & auctoritatibus Scripturæ male intellectis perſuadere ſibi & aliis quandam ſuavitatem vitæ temporalis, quæ non bene cohæret cum puriſſima lege, & recta diſciplina crucis tuæ. Gens ſine conſilio eſt, & ſine prudentia. Utinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent!

Quid praedicaverit Chriſtus?

Tu certè Domine, prædicaſti, animam propriam odio habendam eſſe, & diligendam crucem tuam, E iſti vero perverſo conſilio abeunt in reprobum ſenſum ardentiſſime amantes vitam & carnem ſuam, & odio habentes viam æternæ vitæ tuæ. Neque unquam volunt acquieſcere ſervis tuis hortantibus ad agendam levem aliquam pœnitentiam, quamvis committant multa, & gravia peccata currentes ad flammam. Uſquequo, Domine, lugebit terra, & regio fructifera vertetur in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea? Nonne ſcient omnes, qui operantur iniquitatem, hanc ipſam carnem, quam fovent, torquendam eſſe igne ſempiterno, niſi pœnitentiam agant? Væ inſipientibus, quorum oculi excæcati ſunt, ne videant clariſſimam lucem veritatis, qua arguuntur mala opera illorum! Beati ſervi tui, Domine, qui motus odii, quos F ſentiunt in membris ſuis adverſus legem ſpiritus, fortiſſime reprimunt, & inclinant corda in amabilia valde teſtimonia tua! Exercent illi odium contra iniquitatem, quam odio habuerunt, & abominati ſunt. Exercent odium contra vitia (non perſonas) hominum declinantium à veritate doctrinæ tuæ. Sed fideliſſimis cordibus, & manibus diligunt, & accipiunt pœnas, & exercitia, quibus redimant peccata, vel augeant merita, quibus repoſita eſt merces magna nimis in dulciſſima Jeruſalem primogenita civitate tua.

Jeruſalem ſuperna primogenita civitas.

Bene ergo diſtinguunt, Domine, & amant, quæ dilexiſti compatientes tibi, ut odio habeant, quæ odiſti, deteſtantes & horrentes prævaricationes teſtamenti tui. Quocirca tu, Clementiſſime, corroboras corda eorum, ut multis & mirabilibus modis G exerceant ſanctum odium animæ ſuæ ad ædificationem Eccleſiæ, quæ hoc genere militiæ militat in electiſſimis membris ſuis. Doctrina hæc tua, Magiſter vitæ, caſta eſt: Principum hujus ſæculi inimica eſt; peregrinorum ad cœleſtem patriam feſtinantium propria eſt. Non eſt pars impiis in doctrina iſta: foris avari, adulteri, blaſphemi, ebrii, & cæteri hoſtes Scholæ tuæ.

Hoſtes ſcholae Chriſti, qui?

Oculi tui ad fideles terræ, ut ſedeant tecum: ambulans in via immaculata, hic tibi miniſtrabit. Tu verò, Domine, qui ambulaſti per viam vitæ & propter cujus verba ſervi tui cuſtodiunt vias duras, acceptabis ſacrificium juſtitiæ, quod tibi quotidie offerunt fortiſſimi amici tui bajulantes cruces ſuas. Et pro evangelico odio animæ ſuæ, quod exercuerunt propter H te, reformabis deformata & laboribus conſumpta corpora eorum ut formoſiſſimo ſplendore decorata, & immortali conſolatione dilatata fruantur ſereniſſima facie tua.

Scripta An. 1607.

CAPUT VI.

De inordinatæ Fugæ Mortificatione, quæ diſcitur in Schola Jeſu Chriſti.

GRavis error eſt, Domine, fugere te, & ſicut Cain egredi à facie tua. Gra- A vis error eſt fugere Scholam manſuetudinis tuæ, quaſi requies poſſit inveniri extra te. Migravit Iudas propter afflictionem, & multitudinem ſervitutis: habitavit inter gentes longè à Jeruſalem, antiqua patria ſua, nec invenit requiem. Judicio quippe juſto factum eſt, Domine, ut quicunque fugit vitam, laboret in horrore, & umbra mortis, & ad omnes oras ſuſpicetur latrones: propterea enim fugit impius nemine perſequente. Non capit mundus verbum hoc, & ſine conſilio tuo fugit crucem, & remedia ſuæ ſalutis, ſine quibus ſe mergit in perditionem, & capitur funibus peccatorum ſuorum in interitu. Providet mala providentia futuras occaſiones ſequendi te mitiſſimum Redemptorem ſuum, & anticipata diligentia fugit ad paſcua illicita deſideriorum ſuorum, paſcens B ventum; & perſequitur umbram vanæ lætitiæ, quæ pugnat cum ſanctitate puriſſimæ legis tuæ. Hoc eſt ſtudium prudentiæ carnis, quæ diſcitur à teneris annis, & creſcit cum ætate filiorum hujus ſæculi, qui longè recedunt à remedio, & refrigerio ſuo. Prudentiores mihi videntur, Domine, ſervi tui, qui quaſi à facie colubri fugiunt peccatum, & occaſiones pecccandi quaſi venenum timent. Sed quod attinet ad pœnas, & labores vitæ non ſolum non fugiunt, ſed avidiſſime illos ſequuntur. Turpiſſimum enim videtur eis, ut te patientem, & crucem portantem ſolum relinquant, & ingrato animo ponant te abominationem ſibi. Non laudant factum eorum, qui in paſſione tua te relicto fugerunt: ſed conſilium Magdalenæ quærentis & requirentis te, & inſequentis, quem toto corde diligebat. Quando ergo ſenſus eorum refu- C giunt crucis tuæ diſciplinam, iraſcuntur nolentes peccare, & invitos eos trahunt ſub jugum immaculatæ legis tuæ. Et hæc, Domine, laus tua magna eſt, ut dum univerſus Iſrael toto corde ſequitur Abſalon, ſint aliqui, licet pauciores, fortiſſimi milites tui, qui non deſerant Regem David exeuntem de Jeruſalem in die afflictionis, & exercitationis ſuæ. Utinam mundus totus velociſſime fugeret peccatum, per quod mors introivit in orbem terrarum, & vehementibus deſideriis ſequeretur te, Rex dulciſſime Sion, neque requieſceret unquam, niſi in amplexu tuo! Fugiant, oro te, à facie arcus iræ tuæ, qui quærunt te, & confugiant ad antiquas D miſericordias tuas. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & fugiens volabo de terra aliena ad te nidum meum, ut requieſcam ſine timore avolandi omnibus diebus vitæ meæ.

Prudentiae carnis quale ſtudium?

Peccatum, & eius occaſiones fugiendae.

CAPUT VII.

De inordinatæ Triſtitiæ mortificatione, quæ diſcitur in Schola Jeſu Chriſti.

TRahitur cum hæreditate Adam, ô manſuetiſſime Redemptor, ſenſus triſtitiæ E ſæcularis, quæ mortem operatur. Amatores quippe mundi non bene ſentiunt de bonitate tua, qua probas illos, an ambulent in veritate, an verò ſerviant tibi tantummodo, cum benefeceris eis. Et propterea nimis affliguntur, & contriſtantur, quando exercentur infirmitatibus, paupertate, vel alia adverſitate. Cum enim poſuerint fiduciam ſuam in bonis huius mundi, moleſtè ferunt ſubtrahi ſibi, quæ tam ardenter dilexerunt. Et hæc eſt ratio, ut credo, Domine, propter quam nunquam peccatores carent occaſionibus triſtitiæ, quia cum non poſſint habere omnia, quæ impatienter deſiderant, neceſſe eſt aut ſemper, aut ſæpiſſimè contriſtari. Et quod pejus eſt, quando ex neceſſitate legis tuæ, quam non poſſunt ſine ſcandalo violare, petunt vera remedia triſtitiæ, quæ ſunt ſacramenta, & ſalvandæ F animæ conſilia, tabeſcunt mœſtitia magna, quaſi ad tormenta traherentur. Servi verò tui, Domine, ſequentes caſtam diſciplinam novi teſtamenti tui viriliter pugnant contra triſtitias & moleſtias præſentis vitæ, & prudentiſſimo conſilio diminuunt amaritudinem laboris ſui. Quando enim infirmantur, vel tentantur, vel aliis modis multiplicibus exercentur, conſiderantes, quanti ponderis ſit in virga filiorum viſitari à te cariſſimo Deo, & Redemptore ſuo, levius ferunt dolores, & ſudores, & dilatantur eorum corda ad agendas infinitas gratias tibi. Quod ſi magnitudo tribulationis, vel diuturnitas videatur opprimere animas eorum, loquuntur cum laude mirabilia tua, exhortantes & lætificantes ſe ipſos in hymnis & canticis ſpiritualibus, prout ſuggerit illis dulciſſimus ſpiritus tuus. Et ideò, quamvis ſupra G modum gravari videantur, ita ut fiant ſibi metipſis graves, & tædeat illos vitæ, nihil impium loquuntur, aut murmurant adverſus te, qui cibas eos abſynthio. Plus enim valent apud eos rationes fidei tuæ, quæ eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, & perſuaſio æternorum bonorum nondum apparentium, quam moleſtia animæ & corporis, quod triſtitia conſtringitur & quaſi ſuffocatur. Quapropter viriliter pugnant contra melancholiam Spiritus Sancti tui ferocem inimicam, recurrentes ad inſtrumenta gaudiorum tuorum, quæ ſunt in Eccleſia Sponſa tua: ut per juſtitias tuas, quæ lætificant corda, recedat noxia triſtitia ab eis, ſicut recedebat H ſpiritus malus à Saul, quando fideliſſimus amicus tuus David percutiebat citharam manu ſua. Si verò aliquando peccent tibi, Domine, pro humana conditione & fragilitate, qua laborant, non contriſtantur ſicut filii gehennæ, qui ſine ſpe opprimuntur; ſed

Peccatores triſtitia gravati.

Apoſtolica fidei definitio.

con-

contriſtantur ad pœnitentiam ſalutarem, cum qua vivit & creſcit ſpes vitæ, & conſolationis æternæ. Bene eſt, clementiſſime Domine, ut probes ſervos tuos, & examines illos, ſicut examinatur argentum: licet enim contriſtentur aliquantulum, triſtitia tamen hæc vertetur in gaudium inæſtimabile, quod nemo tollet ab eis.

A

CAPUT VIII.

De inordinatæ Spei mortificatione, quæ diſcitur in Schola Jeſu Chriſti.

POnunt homines, Fili Dei Altiſſimi, ſpem ſuam in terrenis Principibus, & in aliis filiis, hominum, in quibus non eſt ſalus. Vaniſſimo colore decepti habent fiduciam in Rege Ægypti, qui eſt velut arundo fracta, cui ſi quis innitatur, perforabit manus ejus. Et cum quotidie videant alios ſibi ſimiles, qui ſperaverunt in hominibus, & fraudati ſpe ſua deſcendunt cum mœrore ad inferos, cadunt in retiacula mundi adhuc ſperantes adinventiones ſuas bene ſibi ſucceſſuras. Væ illis, Domine, qui ponunt B in carne fortitudinem ſuam, neque recordantur, quia omnis caro fœnum! fœnum ſcilicet, quod exſiccatum eſt, & cujus cecidit flos, quia ventus Domini inſufflavit in eo. Non placet mihi conſilium hoc, quod non profuit ambulantibus in eo: ſed conſilium fidelium ſervorum tuorum, qui ſperant in te, & nunquam mutaverunt fiduciam à fortiſſimo Deo ſuo. Exerces illos, Domine, morbis, inopia, tentationibus, & perſecutionibus, ita ut videantur pene mortui à corde tuo, & derelicti. Sed tanta illorum fidelitas eſt, ut adjutoria hominum non requirant, proiicentes omnem ſollicitudinem in te, amantiſſimum cuſtodem ſuum. Nolunt dare manum Ægypto, vel Aſſyriis, C ut emant frumentum, quo vivant, quamvis aliquando videantur mori à facie tempeſtatum famis. Nihil indignum faciunt, ut placeant hominibus potentibus hujus ſæculi à quibus nolunt admitti in tabernacula ſua. Tota illorum voluntas eſt in te unico remedio, & ſolatio ſuo. Experientia dulciſſimæ bonitatis tuæ, Domine, firmat corda amicorum tuorum, quos aliquando viſitas, ne requirant auxilia infirma filiorum Adæ: & propterea quamvis moram facere videaris, eligunt potius nutriri poſt famem pane tuo, quam ſaturari ſiliquis porcorum, ad quas recurrunt, qui peregrè proficiſcuntur à domo charitatis tuæ. Sperent in te, Domine, qui noverunt ſuaviſſimum nomen tuum, quoniam nunquam dereliquiſti D quærentes te, & nolentes adjuvari ab habitatoribus terræ Cham, qui non poſſunt ſalvare ſeipſos. Tempus breve eſt: non patieris tentari ſupra vires eos, qui non confidunt in virtute ſua, vel in multitudine divitiarum, honorum, vel amicorum ſuorum, quæ ſunt firmamenta corruptibilis vitæ. Citò tranſibit egeſtas, & adverſitas, ſitis, & fames calor & frigus, & quicquid moleſtat probatos, ſicut aurum amicos tuos, quorum firmiſſimum robur, & fiducia in cœlo eſt. Et pro eo quòd noluerunt ſperare in iniquitate, rapinas concupiſcere, & de cibis Nabuchodonoſor ſuſtentari, recipient duplicia pro omnibus laboribus ſuis, & ſaturabuntur comedentes ſine timore fructum arboris vitæ, quæ eſt in medio amœniſſimi paradiſi tui. E

Caro fœno comparata.

Peccatorum cibus.

CAPUT IX.

De inordinatæ Audaciæ Mortificatione, quæ diſcitur in Schola Jeſu Chriſti.

EVaneſcunt homines inflati in cogitationibus ſuis, Domine, & inſoleſcunt adverſus conſervos ſuos pauperes, quia ipſi divites ſunt: & arrogantes audent affligere alios meliores ſe. Veloces ſunt pedes eorum ad effundendum ſanguinem, neque recordantur potentes potenter tormenta paſſuros. Fiunt audaces per abuſum magnæ miſericordiæ tuæ, quæ dedit eis potentiam, & divitias & alia multa bona, propter quæ deberent timere te. Contra vero ipſi per hæc F ipſa bona opprimunt pauperculos & derelictos, quorum exultatio eſt, quando devorant pauperem in abſcondito, & implent vocibus, & terroribus tacitos, & manſuetos amicos tuos. Hi ſunt, quorum clamor auditur in plateis, & qui non negant oculis ſuis omnia quæ deſiderant, juxta ritum Aſſyriorum, quibus turpe videtur alienam uxorem ſic concupiſcere, ut tranſeat immunis ab eis. Hæc eſt fortitudo reproborum, qui lætantur cum male agunt, & exultant in rebus peſſimis: quos tu, Domine, in die ultionis viſitabis, & in camo & fræno ligabis eos. Non enim ſemper relinques virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, ne forte juſti nimis afflicti extendant ad iniquitatem manus ſuas. Diſcipuli vero tui, Domine, ambulant G in ſimplicitate, & veritate non audentes tentare proximos ſuos vel extollere ſe ſupra vires: ſed corde tacito, & mente bene conſcia pertranſeunt benefaciendo, & conſolando omnes. Quod ſi aliquando per multiplices occaſiones patiantur motus audaciæ inordinatæ, convertuntur adverſus proprium appetitum, & continent ſe in caſto timore tuo. Neque hoc faciunt, quaſi non audeant libere loqui & operari, quando ſic expedit, pro gloria tua, ſed quia in variis occaſionibus non expedit uti libertate, quæ ſervatur ad opera majora, & mirabiliora, qualia fecerunt ſtantes ante reges, & præſides fortiſſimi martyres tui. Nunc vero exercent mirabiliter audaciam ſecretis præliis, quæ gerunt H cum Principibus tenebrarum, à quibus timentur, & cum difficultate virtutum, pro quibus legitimè certant, ſpectante te, Rex magne, occultas luctas publicè coronandas in conſpectu electiſſimi populi tui. Hæc eſt diſciplina propria Scholæ tuæ, Domine, quæ diſponit omnia in numero pondere, & menſura, & obſervat tempora operationum, ut

Laetitia reproborum in rebus peſſimis.

Diſciplina Scholae Chriſti quæ?

Scripta An. 1607.

nunc amici tui, quaſi agni ſe tonderi ſinant, nunc quaſi catuli leonum aſcendant ad prædam. Qua certè varietate pulchra valde apparent oculis ſpiritualibus caſtra tua, quaſi tabernacula Iſrael, quæ viſa ſunt decora valde inimicis quoque tuis, dum Balaam pararet maledicere agminibus ejus. Tu verò Altiſſime, cujus oculis nuda, & aperta ſunt A prælia militum tuorum, reddes eis coronas ſplendidiſſimas in regno tuo.

CAPUT X.

De Deſperationis mortificatione, quæ diſcitur in Schola Jeſu Chriſti.

MUlti timores, & labores occurrunt, Domine, aſcendentibus de Ægypto ad terram fertiliſſimam promiſſionis tuæ. Omnes Reges Amorrhæi, & Chananæi pugnant contra milites tuos: propter quod ſæpe patiuntur aliquid humanum, non certè deſperantes, ſed trepidantes, & ſentientes animi deiectiones, quæ comprimendæ ſunt eruditione & fortitudine Scholæ tuæ. Poſuerunt ſæpe B cuſtodiam ori ſuo, & oſtium circumſtantiæ labiis ſuis, ut diſcerent ſanctum ſilentium, in quo eſt magnus decor domus Dei: & videntes ſe ex humana inconſtantia contra propoſitum tibi factum loqui, cadunt animo quaſi deſperantes linguæ correctionem, & idem contingit in multiplici ſtudio mortificationum Chriſtianæ diſciplinæ, quando poſt multas luctas vident ſe adhuc propriæ æſtimationis, licentiæ oculorum, vel gulæ, vel aliarum paſſionum dentibus morderi. Naſcitur triſtitia magna, quæ ſemen eſt deiectionis animi, & huic, niſi comprimatur, ſuccedit deſperatio. Quod ſi in ſtudio orationis ad te, clementiſſime Domine, levantes corda ſua, videant ſe derelinqui, & poſt multos gemitus non viſitari, aggravatur de- C iectio nimis, & paulò minus multi deſperant. Hic eſt labor parvulorum, Domine, qui ſunt expertes ſermonis juſtitiæ, neque didicerunt adhuc ſequi te in deſerto per terram, quæ non ſeminatur. Quod ſi poſt aliquam experientiam viſitationis tuæ relabuntur in deiectionem, varius labor eſt, quem explicare nimis laborioſum eſſet. Unum tamen dicam, dante te, Magiſter ſuaviſſime, quod hæc puſillanimitas expellenda eſt, quemadmodum oſtendunt caſtra Dei vivi in veteranis militibus tuis. Iſti enim fortiſſimè pugnant contra triſtitias & dejectiones ſuas, licet anima eorum appropinquet ad portas mortis, & illorum oculi langueant præ inopia. Etiamſi occidas eos, Domine, ſperabunt in te, & in ipſa umbra mortis con- D fitebuntur tibi. Quod ſi jam videantur inter mortuos computari, de profundis ſepulchri ſuſpirant ad te, bene ſcientes, facile eſſe in conſpectu tuo ſubitò honeſtare pauperem, & ad vitam ſuſcitare. Hæc ſunt mirabilia opera tua, quæ operaris per manus amicorum tuorum, Domine, qui dixiſti filio viduæ Naim, qui ferebatur in loculo ad ſepulturam: Adoleſcens, tibi dico, ſurge, & ſtatim reſedit, qui fuerat mortuus. O Rex potentiſſime, quam admirabile opus eſt, quando animam languentem & longa morte quaſi conſumptam vocas fortiſſima voce tua de abyſſis dejectionum & perturbationum, ut reſpiret ad auram vitaliſſimæ vitæ tuæ. Hæc eſt, Domine, una è reconditis eruditionibus Scholæ tuæ, quam diſcunt auditores ſapien- E tiæ, quæ de cœlo eſt, quorum fortitudo eſt quaſi rhinocerotis, in quibus clarificatur invictiſſima gratia tua. Utinam diſcant univerſi filii Iſrael, nunquam cedere aut ſervire Pharaoni, ſed in deſperatis arbitrio mundi rebus firmiſſimè confidere in te: qui increpuiſti mare rubrum & exſiccatum eſt, & ubi vita deſperanda videbatur, deduxiſti ſervos tuos in abyſſis, ſicut in deſerto. Ego clamabo de multis tribulationibus, quæ circumdederunt me: ſiamque conſors amicorum tuorum inſpirantium tibi: ut poſt clamores & ſuſpiria emittas manum tuam de alto, & liberes me de aquis multis. Sic erit apud me jugis oratio Deo vitæ meæ: & reponam ſpem meam in intimo ſinu meo. F

Silentium decor domus Dei.

Reſuſcitatio Animae.

CAPUT XI.

De inordinati Timoris mortificatione, quæ diſcitur in Schola Jeſu Chriſti.

DE corruptione veteris Adæ deſcendit, Domine, inordinatus timor eorum, quæ timenda non ſunt, qui multos removit à Schola tua. Audit mundus arctam eſſe viam, quæ ducit ad vitam, & per multas tribulationes oportere ingredi in regnum cœlorum: & ad ſonitum iſtorum verborum commovetur cor ejus, & diſſolvitur timens timore magno obſervantiam puriſſimæ legis tuæ. Turbati ſunt filii hujus ſæculi, & moti ſunt ſicut ebrii, & omnis ſapientia eorum devorata eſt, nec remanſit in eis quicquam G virium. Non eſt conſilium, neque fortitudo in gente iſta, quæ ſuſpicatur pericula inſuperabilia, quemadmodum ſuſpicati ſunt Syri in obſidione Samariæ, quando feciſti audiri ſonitum terribilem in caſtris eorum, & fugerunt nemine perſequente. Hic eſt labor timentium diſciplinam Crucis, ut peſtis vel gladius ſuperventurus timeri ſolet. Verumtamen longè aliùs eſt timor ſanctorum, quem diſcunt in Schola tua. Timent illi æternam damnationem, ubi rota tormentorum ſine fine vertetur. Timent auditionem malam, & verbum aſperum, quo proiiciet juſtitia tua reprobos dicens in extremo judicio: Diſcedite à me maledicti. Timent offendere te dilectiſſimum Dominum & Redemptorem ſuum. H Timent ſeparari à te, ſicut mors timeri ſolet: & corda caſta eorum configuntur perpetuo timore tuo. Sancti tui, Domine, quaſi tumentes ſuper ſe fluctus, timent Majeſtatem tuam, & pondus ejus ferre non poſſunt. Juſtificationes vero tuas, mandata novi teſtamenti tui, orationes, vigilias, & univerſam diſciplinam Scholæ tuæ non timent,

Dei ſententia in reprobis.

Scripta An. 1607.

Dei mandata amabilia.

ſed amplectuntur, quaſi inæſtimabiles divitias ſuas. Quod ſi aliquando ſentiunt ut parvuli timores inordinatos, qui naſcuntur à lege membrorum virgam detrectantium; nihil indecorum agunt, ſed motus illos audacia ſancta reprimunt dicentes, ſe paratos eſſe & non turbatos, ut cuſtodiant amabilia valdè mandata tua. Utuntur autem remediis à te præparatis, Domine, ut roborentur A adverſus timores nocturnos, noctis inquam illius, quæ caret luce formoſiſſima gratiæ tuæ. Et ne unquam dicat inimicus eorum, prævalui adverſus eos, adiuti fortiſſima dextera tua occurrunt timoribus ipſis quærentes occaſiones ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulandi, & conculcandi leonem & draconem. Atque ita fortes ſervi tui, Domine in reformatis Religionibus ſolent à ſuis ſuperioribus inſtanter petere ea, quæ ſenſus eorum magis timet, ut exercitio præliandi, pulſis timoribus carnis, ſolus vivat filialis, & permanens in ſæculum ſæculi ſanctus timor tuus. Sic confirmantur genua debilia, & corda paventia confortantur à te, & exultant labia fortium militum tuorum ad B cantandas æternas miſericordias tuas.

CAPUT XII.

De inordinatæ Iræ mortificatione, quæ diſcitur in Schola Jeſu Chriſti.

Irae filiae, quae?

Manſuetudo David mirabilis Sauli.

PLenus eſt mundus prodigiis iracundiæ, Domine, & pauciſſimi curant ejus flammas extinguere. Non eſt, qui memor ſit tui, Rex pacifice, in tempore iracundiæ, niſi puſillus grex tuus paratus mori pro te, & neſciens deponere manſuetudinem tuam Urbes & provincias, & imperia furor iræ conſumit, quo inebriantur, qui oderunt te. Innumerabilia peccata, Domine, naſcuntur ab ira; blaſphemiæ, contumeliæ, rixæ, vulnera, mortes, ut viri ſanguinum quotidie demonſtrant. Et mirabile videtur Principibus C terrenis, quod aliquis offenſus vindictam non quærat, nec reddat malum pro malo, ſed vincat in bono malum: ſicut miratus eſt Saul, quem projeciſti à facie tua, conſiderans manſuetudinem David amici tui; qui cum poſſet occidere illum in ſpelunca, noluit extendere manum in Chriſtum Domini, ſed præcidit tantum oram chlamydis ejus. Mirantur Reges terræ manſuetudinem Scholæ tuæ, Domine, quia mirum opus & altum videtur eis reprimere vehementiam flammæ, quæ ab ira reſultat, quando tanguntur montes hujus ſæculi, & fumigant. Diſcipuli vero tui habent laudem iſtam, juxta exemplar magiſtri ſui, diſcentes per D omnia conſentire tibi. Atque ideo ſtant ſuper cuſtodia cordis perpetuo vigilantes, ne fortè inordinatæ iræ ignis accendatur per occaſiones varias mortalis vitæ. Quod ſi aliquando exarſerit in brevi repentina ira eorum, fortiſſimè reſiſtunt illi, & extinguunt ignem aqua divinæ gratiæ tuæ. Quam regulam quicunque ſecuti ſunt, pace tua gaudebunt, quia ſervabunt tibi quietas, & ſerenas animas ſuas ad conſideranda mirabilia dulciſſimæ legis tuæ: & fructu magno pietatis ædificabunt chariſſimos proximos ſuos. Jam verò ſi aliquando iraſci expediat ad peccatores duros corripiendos, iraſcuntur in culpam ſine culpa, ſicut quando tu, E Mitiſſime Domine, facto quaſi flagello de funiculis iratus es, & ejeciſti negotiatores, & venditores animalium de templo Altiſſimi Patris tui. Atque ita plebs tua, Domine, & populus paſcuæ tuæ regit iram mirabiliter ſine detrimento internæ pacis, & ſuaviſſimæ dilectionis, qua nutriunt animas ſuas. Beati ſunt ſervi tui, Rex magne, qui aſſiſtunt in ſerenitate cordis ante faciem tuam: non enim fatigabuntur ſervitute mundi, cui tributa ſolvunt amatores ejus. Non cadet ſuper ſervos tuos vacantes tibi corde tranquillo ſol, neque ullus æſtus, qui noceat eis, quoniam dextera tua proteges eos, & quaſi pacificis hæredibus dabis infinitam hæreditatem, poſtquam pertranſierint viam peregrinationis ſuæ.

Negotiatores eiecti de templo.

F

CAPUT XIII.

De paſſionum victoria, quæ acquiritur in Schola Jeſu Chriſti.

Victoriae temporalis & ſpiritualis diſcrimen.

CAntabiles ſunt, Domine, juſtificationes, & miſericordiæ tuæ fidelibus ſervis tuis, qui in Schola manſuetorum, & humilium didicerunt bonitatem & diſciplinam tuam; & poſt multos agones, & ſudores paraverunt admirabiles victorias paſſionum ſuarum, quas celebrabunt ſine fine. Tu cognoviſti prælia eorum, & perſeverantem fidelitatem, qua oderunt animam ſuam, & continuerunt appetitum rebellem fræno timoris, & deſiderio ſereniſſimi vultus tui. Omnes victoriæ regum terrenorum, Domine, quæ leguntur in hiſtoriis cum admiratione filiorum hujus ſæculi, non ſunt comparabiles cum victoriis unius diſcipuli tui, G qui dominatus eſt concupiſcentiis ſuis. Illæ enim ſunt victoriæ hominum, qui bellando ſerviunt cupiditatibus ſuis, & captivando alios, fiunt ipſi captivi appetituum ſuorum, uſque ad miſerrimam & duriſſimam ſervitutem. Victoria tamen ſervorum tuorum, qui vincunt ſeipſos, victoria tua eſt, Domine, qui viciſti mundum, & à pede conculcans tartara ſolviſti à pœna carceris captivitatem tuam. O Domine, quam fortes ſunt milites tui, qui jam confregerunt capita draconis, & crucifixerunt ſenſus ſuos! Quam dulcis fit eis pax tua comparata innumerabilibus præliis, diu deſiderata, & tandem acquiſita! O Rex Jeruſalem, qualia cantica H laudis reddunt tibi corpus & anima, ſenſus & corda, viſcera, & oſſa illorum redempta de miſera valdè ſervitute! Cœli & terra Domine, canunt tibi canticum novum quia imperaſti ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Non ceſſabunt laudare te die ac ~~nocte corda~~ fidelia ſervorum tuorum,

Scripta An. 1607.

Scholae Chriſti, & humanae diſcrimen.

rum, quia ſtatuiſti procellam in auram, & ſiluerunt fluctus ejus. In hac victoria, Magiſter dulciſſime, apparet gratia Scholæ tuæ cui comparari non poſſunt Scholæ filiorum hominum. Nam poſt ſeveram diſciplinam crucis ſuccedit ſtatus pacificus filiorum Dei quibus jam labor dulceſcit, & vertitur in A pinguiſſimum nutrimentum animæ ſuæ. Beata gens, quæ non adoravit deos alienos, & in tempore anguſtiæ quæſivit te, Unigenite fili Dei. Beati ſervi tui, qui non pepercerunt animæ ſuæ propter te! O altiſſima ſapientia & fortitudo. Hæc eſt præda veri David, qua prædatus eſt ſalutem, gaudium, & divitias cordis ſui. Hæc eſt præda tua, Domine, populus ſcilicet electus acquiſitionis tuæ, ubi poſuiſti delicias tuas. Hic eſt exercitus candidatus Filii Dei, cujus fortitudo, magnitudo & altitudo abſcondita eſt ab oculis viventium: ſed revelabitur in Eccleſia magna, ubi altiſſimus Deus manifeſtabit occulta mirabilia dexteræ ſuæ. Interim verò, antequam veniat dies magna, victores tui, Domine, prægustant mel dulcedinis tuæ, manſuefactis beſtiis paſſionum, à quibus ve- B xabantur: & facti jam magiſtri aliorum, dirigunt pedes puſillæ plebis in viam pacis conſolantes eos, qui in omni preſſura ſunt. Facti ſunt hi electiſſimi amici tui, Domine, pes claudo, & oculus cæco, patres orphanorum, & vindices viduarum; & opponunt ſe quaſi murum æneum inferno & mundo crudeliſſimis inimicis tuis. Atque ita multiplicant mirabiliter opera bona, quibus pleni moriuntur in ſenecta uberi, & tranſeunt de exilio ad dulciſſimam patriam, de bello ad ſuaviſſimam pacem, & vita mortali ad immortalem, & beatiſſimam vitam tuam.

PARS QUARTA.

C

De extirpatione vitiorum, quæ fit in Schola Jeſu Chriſti.

CAPUT I.

De conſideratione vitiorum, à quibus purgatur anima in Schola Jeſu Chriſti.

Cur homo deformatus?

Lavacrum poenitentiae

Fides lucerna dicta.

HOmo, quem feciſti rectum, Domine, non intellexit conſilium altiſſimæ Sapientiæ tuæ: atque ita de loco voluptatis, in quo poſuiſti eum, ut nutriretur dulciſſimis fructibus ſpiritus tui, ejectus D eſt in terram ſpinas & tribulos germinantem, ubi comparatus jumentis inſipientibus comedit cibum animalem in ſudore vultus ſui, & factum eſt, ut inter ſudores & labores ſervitutis ſuæ adhæreat anima ejus bonis, quæ de terra ſunt, & fiat adeò terrenus & abominabilis, ſicut ſunt ea, quæ dilexit. Dilexit maledictionem & ſupervenit ei, & induta eſt anima ejus ſordidis veſtibus vitiorum, quæ contraxit. Horribiliter deformatus eſt longiſſime recedens à ſpecioſiſſima forma gratiæ tuæ, & à candore nivis mutatus eſt in nigredinem carbonum, quibus fœdantur inimici tui. Nihil novit niſi ſordes E & fæces peccatorum, & quaſi equus indomitus currit poſt cupiditates ſuas. Superbia vanitas, invidia, avaritia & alia monſtra vitiorum ſunt hæreditas ejus: à qua nemo poteſt liberari, niſi per te Domine, qui ſolus facis mundum de immundo conceptum ſemine. Qua in re apparet formoſiſſimus ſplendor, & fortiſſima virtus Scholæ tuæ, Domine, qui abluis ſordes filiarum Sion, & veſtis eas byſſo, & cocco in caſtiſſimis deliciis tuis. Accedit filius Adæ gravatus, & denigratus ad Scholam tuam, Domine: & vi efficaciſſimæ diſciplinæ & gratiæ tuæ reformatur ad exemplar, quod ei in monte perfectionis monſtratum eſt: & amputata vetuſtate vitiorum configuratur tibi. Lavatur balneo pretioſiſſimi ſanguinis tui, quod tepefecit ardor charitatis: & ſurgit de lavacro, F mutatus in virum alterum mutatione dexteræ tuæ. Laudent te, Domine, caſta corda diſcipulorum tuorum in tympano & pſalterio pſallant tibi: quia educis vinctum de domo carceris, & magnificas ſine fine copioſiſſimas laudes antiquæ miſericordiæ tuæ. Credo certe, liberaliſſime Domine, tam admirabilem eſſe effectum hujus mutationis tuæ; ut ſi à peccatoribus videri poſſet, duriſſima eorum corda moveret ad compunctionem, & deſiderium adhærendi tibi. Nunc verò, poſt quam non omnes capiunt myſterium hoc, adorabo Majeſtatem tuam; & inſtructus fide, quæ eſt quaſi lucerna lucens in caliginoſo loco, credam opera tua eſſe mirabilia nimis. Sedebo ſolitarius & tacebo ſuper magnitudine bonitatis, & ſuavitatis tuæ: in hac enim purgatione veteris fermenti G admirabilis valdè videtur bonitas & dulcedo tua: quia mitiſſime recipis inimicos tuos, & donas illis veſtem nuptialem, & jura beatiſſima filiorum Dei. Gratis venundati ſunt, ut facerent malum, & ſine argento redimuntur præventi, & divites facti dulciſſima bonitate tua. Propterea memor ero tui, & laudabo te cuſtodem filiorum Adæ, qui vincis duritiem peccatorum manſuetudine, & ſanas ſine vulneribus, præordinatas ad vitam æternam, oves tuas. Convertantur ergo tibi timentes te Domine & qui noverunt amabilia valde teſtimonia tua.

CAPUT II.

De extirpatione Superbiæ, quæ fit in Schola Jeſu Chriſti.

H

OMnes filii hujus ſæculi ſicut Adam peccaverunt, Domine, quærentes eſſe ſicut Dii, & ædificant turrem Babel cum patre ſuo. Prævaricantur legem puram quam dediſti eis, nolentes ſubiici tibi, & currunt ere-

Scripta An 1607.

Superbia vitiorum regina.

erecto collo adverſus te. In viſceribus peccatorum ſedet ſuperbia regina vitiorum, quaſi in ſolio ſuo & impellit ſtultos, ut ambulent in magnis, & in mirabilibus ſuper ſe. Quod adeo verum eſt, Domine, ut & ipſi homines plebei, & abjecti quærant excellentiam in ſtercore vilium exercitiorum, quibus vivunt: nam de nobilioribus, qui A gloriantur in virtute ſua, manifeſtum eſt, quod ſuperbia eorum aſcendit ſemper. Graviſſima infirmitas eſt hæc, quæ creaturas tuas, Domine, facit rebelles, & ſimiles Lucifero ſuper aſtra Dei aſcendenti, & exaltanti ſe, ut mala æmulatione fieret ſimilis altiſſimo. Hoc grande malum facit homines obliviſci conditionis ſuæ, & majora ſe ambitioſiſſime quærere. Diſcipuli verò tui, Domine, cognoſcentes hoc malum, quod eſt principium apoſtatandi à te, exercent ſeipſos viliſſimis exercitiis, quantum fert ſtatus illorum; & multis præliis pugnant contra ſpiritum inflantem inimicum gratiæ tuæ. Neque contenti ſunt exercitio iſto, quo ipſi ſeipſos continent infra ſe, ſed ſtudioſiſſime curant in veſtitu, & ſermone celare quicquid B altum eſt, ut conterant caput ſerpentis, qui inſidiatur calcaneo noviſſimorum animæ ſuæ. Et quod mirabile eſt comparatione amatorum mundi, quærunt occaſiones contumeliarum, & improperiorum ad extinguendum ſenſum excellentiæ, & acquirendam glorioſiſſimam victoriam militiæ tuæ. O Domine, quam fortes ſunt iſti milites tui, qui ſenſum acutiſſimum propriæ æſtimationis comprimunt, parati contemni & irrideri propter te. Pauci ſunt iſti conſtantiſſimi quorum laudes enuntiabit omnis Eccleſia ſanctorum, quia fecerunt mirabilia magna nimis. Et tu, Domine, qui corda noſti omnium videns occultas luctas, quibus exprimunt motus ſuperbiæ multiplices, & vehementes, das eis prius copioſiſſimam gratiam, non qua non ſentiant, ſed qua vincant ſentientes C inimicos tuos, qui non flectunt genua coram altiſſima majeſtate tua. Poſtea vero ad laudem gratiæ tuæ das ſervis tuis, qui contra ſuperbiam fortiter pugnaverunt, ut poſt multa prælia animadvertant ſe jam non extolli ſuper ſe, quamvis narrent mirabilia opera tua, quæ operaris in eis. Hæc eſt victoria brachii tui, Domine, in quo feciſti potentiam, & diſperſiſti ſuperbos ex altitudine cordis ſui, non ut perirent, ſed ut jam non eſſent ſuperbi: ſic enim deſiderant juſti deficere peccatores à terra, ita ut amplius peccatores non ſint. Deficiente ergo ſuperbia cadit Babylon, cujus clumen pertingebat ad nubes: & obſtupeſcit mundus ad ſpectaculum gratiæ, quæ mirabiliter reformat D peccatores ad exemplar perfectiſſimæ juſtitiæ tuæ.

CAPUT III.

De extirpatione vanæ Gloriæ, quæ fit in Schola Jeſu Chriſti.

VAnitas mundanæ gloriæ, quam ſequuntur filii hominum, tibi, Domine, nota eſt. Uſque adeo enim fragiles ſunt, etiam E quando operantur bona, ut poſtquam vicerunt inimicos ſuos, ſibi nimis placeant, & ab aliis laudari vaniſſime cupiant. Immo, quod dolendum eſt, bona naturalia, quæ dediſti eis, convertunt in argumentum vanitatis; ut glorientur nobilitate, pluchritudine, vel robore corporis, tribuentes ſibi quod certum eſt, eos non feciſſe, aut meminiſſe. Et eò procedit fragilitas hæc, ut quamvis ſciant ſe carere bonis, quæ habere putantur, placeant ſibi in illa gloria mendaci, & timeant illa privari. Hæc eſt hæreditas filiorum Adæ, quæ cum peccato in homines pertranſiit, à qua nemo ſanatur, niſi per gratiam tuam. Hæc infirmitas, Domine, non ſolum vexat amatores mundi, ſed abſconditos etiam ſervos tuos, quibus F placet honor & fama, & laus proximorum in quorum æſtimatione aliquantum requieſcunt. Sed qui fœliciter proficiunt in Schola tua diligentiſſimè repellunt motus vanæ gloriæ, ſcientes mendaces eſſe homines in ſtateris, & parum prodeſſe, ſi quis bonus aut ſapiens reputetur, niſi tu ſcrutator cordium probes illum. Quocirca fideliſſimi ſunt in attribuenda tibi gloria, nolentes partem aliquam illius reddi ſibi. Exercent actus innumerabiles contemptus mundi, & calcantes faſtum illius, ſolummodo gloriantur in te, Rex altiſſime, cui ſoli placere ſtudent. Atque ita pro minimo eſt illis, ſi magnifice judicentur ab aliis, aut ab humano die: multiſque ictibus gladii tui extirpant radices vanitatis, quam acceperunt in patrimonio Adam genitoris ſui. Exercitium hoc, Domine, G matutinum & veſpertinum aſcendit ſicut incenſum in conſpectu tuo: & habet infinitam laudem apud electam plebem Scholæ tuæ. Gratiſſimum enim ſacrificium juſtitiæ ponitur in altari cordium ſuſpirantium tibi, quando in nullo bono gloriantur, beneque ſciunt ſe nihil habere, quod non acceperint à fonte infinitæ bonitatis, & miſericordiæ Dei ſui. Multiplicatis ergo oblationibus purificatur cor diſcipulorum tuorum Domine, ut nihil ſibi tribuant, ſed totis viſceribus reddant tibi laudes, & glorientur in ſola magnitudine gratiæ & redemptionis tuæ. Ex quo fit, ut extincto ſenſu vanitatis poſt labores præliorum ſecurius vivant, benè operantes, & nihil de ſe præſumentes, aut cum lampadibus vacuis gloriam hominum H expectantes, ſed fideliſſima ſinceritate adhærentes tibi. Beati ſervi tui, Domine, qui maturo ſenſu cogitantes ſe gratia tua eſſe quod ſunt, non placentes ſibi, ſed tibi, liberè currunt per viam vitæ, ut lætentur in lætitia probatiſſimæ gentis tuæ. Illi ſolum

Haereditas filiorum Adae, quae?

quæ-

Scripta An. 1607. quæſierunt te, & tu in æternum glorificaberis, & habitabis in eis.

CAPUT IV.

De Extirpatione Invidiæ, quæ fit in Schola Jeſu Chriſti.

A INvidia diaboli inimici tui, Domine, mors
intravit in orbem terrarum, & ipſa quoque
invidia, quæ eſt abominabilis putredo
oſſium. Atque ita factum eſt, ut filii Adam
ſerpentis conſilia ſecuti invideant alii aliis,
& contriſtentur, ſi videant alios ditiores,
nobiliores, aut famoſiores ſe. Quod experientia
oſtenſum eſt in paſſione tua mitiſſime
Redemptor: nam & Pilatus vir parum oculatus
animadvertit, quod per invidiam tradidiſſent
te ad mortem cives Jaruſalem, inimici
tui, non volentes tolerare famam, &
clariſſima miracula tua. Verum infirmitas
hæc, Domine, non gravat ſolos peccatores
qui ſunt extra gratiam tuam; ſed quandoque
juſtos, qui quamvis non conſentiant peccato
Juſti quandoque invidi. invidiæ, contriſtantur tamen aliquantum, ſi
videant alios fœliciores ſe, in ipſis quoque
B ſpiritualibus operibus, per quæ curari ſolet
invidia. Humanum dico, ſicut tu noſti, Domine,
propter infirmitatem veteris Adam,
quam hæreditate acceperunt. Tu verò Rex
Pacifice, qui ſine invidia communicas bona
tua, nullius boni habens indigentiam, operaris
mirabilia in Schola humilium ſervorum
tuorum, qui adjuti fortiſſima virtute tua,
quamvis in principio ſuæ converſionis tangantur
infirmitate iſta, præliando tamen, &
invocando te, veniunt ad ſtatum quendam
fœliciſſimum, in quo lætantur proximorum
ſuorum excellentia non minus aut fortaſſe
magis, quam ſua. Das enim eis cor ſapiens
& intelligens ad diſcernendum judicium: &
cum diligant proximos ſuos tanquam ſeipſos
lætantur bonis eorum, quaſi bonis ſuis: atque
C ita mirabiliter ædificant & compungunt alios
oſtenſione dulciſſimi effectus erga omnes vel
amicos, vel inimicos ſuos: Hæc eſt gens
electa, gens magna, quam admirantur omnes
reges terræ, quia regnant quodam altiore
modo, quem non invenerunt potentes hujus
ſæculi. Beati viri, quorum anima non affligitur
proſperitate aliorum, neque dilatatur
adverſitate aliena, videtur enim aſcendiſſe
ſuper alas Cherubim ad volandum per ſerenam
regionem, ubi non ſunt nubila, quibus
obſcurantur habitatores terræ. Profectò,
Domine, hic eſt proprius & ſuavis valde
fructus pretioſiſſimi ſanguinis tui, quo veſcuntur
amici chariſſimi amicti auro primo
divinæ charitatis tuæ. Utinam univerſi homines
D nutrirentur cibo regio iſto, quem paravit
amor tuus, ut omnes gauderent bonis
aliorum, & communicarent, ſicut filii Job
amici tui, cum aliis ſolatia ſua! Fieret certè
pax magna in civitate tua, & abundantia
magna in turribus tuis; & non eſſet ſterilis
Laetitia filiorum Dei. in grege tuo. Quam læti, Domine,
vivunt humiles ſervi tui, qui ſe putant divites
& honoratos eſſe, ſi fratres ſui ditentur
& honorentur, & pro aliorum proſperitate
celebrant lætiſſima feſta, & immolant
tibi ſpirituales hoſtias in cordibus ſuis! Iſti
ſunt, qui ut nubes volant non impediti ullo
pondere paſſionum, & quaſi columbæ ſine
felle ad feneſtras ſuas. Iſti ſunt, qui intrarunt
in poſſeſſionem animarum ſuarum, ut
E multiplicatis meritis accipiant regnum decoris,
& diadema ſpeciei de liberaliſſima
manu tua.

CAPUT V.

De extirpatione Gulæ, quæ fit in Schola Jeſu Chriſti.

BEne oſtendunt peccatores illi, quorum
Deus venter eſt, ſe eſſe de ſtirpe illius
qui occaſione cibi prohibiti prævaricatus eſt
fidele mandatum tuum, Domine, factum
in veritate & æquitate. Surgunt manè ad
ebrietatem ſectandam impatientes moræ, &
claudunt portas inſpirationibus tuis turpiſſima
ſaturitate ſua. Non audiunt quid loquaris,
Domine, corda gravata ebrietate, &
F paſtu animali, à quo abhorrent temperantes
diſcipuli tui. Qua in re dignus es, Rex Sion,
infinita laude, quam reddunt tibi, ſicut incenſum
thuribula cordium ſervorum tuorum:
quia multi, qui ante ambulabant in commeſſationibus,
& ebrietatibus, adeo mirabiliter
mutati ſunt eruditione ſcholæ tuæ,
ut corporalem cibum parciſſime requirant!
Amabant olim præſepia jumentorum, conſumentes
in cura ventris dies ſuos: nunc
autem vivunt de cœleſti pane ſuo, & nutriuntur
cibo ſpirituali tam copioſe, ut doleant,
quando ex neceſſitate naturæ paſcunt
cibo animali conſecrata jam tibi corpora
ſua. Timebant, antequam converterentur
ad te, ſeveram diſciplinam jejuniorum, putantes
ſe crudeliter torquendos eſſe: at ini-
G tio vocationis currentes, ut adoleſcentulæ,
poſt odorem unguentorum tuorum guſtaverunt
cibos alios dulciores, quos cum oblivione
menſarum ſæculi didicerunt eſurire.
Suavior jam videtur eis calix tuus præclarus,
quam pretioſa vina Principum terrenorum:
& ideò trahuntur à te, in quo invenerunt
potum & eſcam, qua reficitur non
ſolum anima, ſed & caro ſua. Quod ſi poſt
calorem primum vocationis recordentur cæparum,
& alliorum, & inclinentur ad ollas
Ægypti, quas negaverunt, exercitium eſt
ad prælia juſtorum, qui licet ſentiant famem
illam, non tamen conſentiunt, quia memores
ſunt uberum tuorum ſuper vinum. Et
quidem pugna hæc ventris fœcunda pluri-
H mis meritis tranſit: & ſubſequitur melior
appetentia, cui tu, clementiſſime Fili Dei
ſatisfacere ſoles convivio pingui, convivio
vindemiæ defœcatæ, quod bene noverunt
& laudaverunt fœliciſſimi ſervi tui. Benè
eſt, Domine, ut diſcipuli tui novelli eſuriant
& ſitiant, ſicut ſolent, & fortiſſime
pugnent contra concupiſcentiam gulæ, vi-

dente te prælia eorum. Bene eſt, ut cibos inſipidos quærant, non ſervientes voluptati ſed neceſſitati vitæ. Per hoc enim fiunt vigilantes, & idonei ad interna gaudia, & ſpiritualia convivia, quibus corda caſta recreantur, & præparantur ad alimentum ſuperventuri regni tui. Tu enim, fideliſſime remunerator, diſpoſuiſti regnum electis tuis novo teſtamento æternæ hæreditatis, ut comedant & bibant tecum ſuper menſam tuam in ampliſſima domo Altiſſimi Patris tui. Veniet ergo optata dies cœnæ nuptiarum Agni, & ſedebunt tecum, qui nunc eſuriunt propter te: & comedent fructum dulciſſimum ligni vitæ, quod eſt in delitioſiſſimo paradiſo tuo.

A

CAPUT VI.

De extirpatione Avaritiæ, quæ fit in Schola Jeſu Chriſti.

AMor inordinatus bonorum temporalium, Domine, alligavit in compedibus magnam partem generis humani, non ſolum infidelium & Chriſtianorum ſæcularium, ſed etiam Eccleſiaſticorum, quos excæcavit avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus. Atque ita gentes contaminatæ ingreſſæ ſunt ſanctuarium Domini, de quibus præceperas, ne intrarent in Eccleſiam tuam. Adoratur aurum, in quo confidunt homines, & quæritur per terras, & per maria cum oblivione æternæ hæreditatis tuæ. O Rex Sion, qui probas corda ſicut argentum, in quo non regnat avaritia. Mirabile eſt, Domine, quanta ſit filiorum hujus ſæculi cupiditas, qua tenentur ligati, & captivi, ita ut à miſera ſervitute non reſpirent ad auram vitæ tuæ. Sed contemptores mundi eruditi ad pedes tuos, qui noverunt meliorem, & manentem ſubſtantiam futuram, deſpiciunt quaſi ſtercora omnes divitias filiorum Adæ, ut lucrifaciant te, hæreditatem ſuam. Et licet aliqui eorum ante converſionem ſuam abierint poſt aurum, & ſperaverint in pecuniæ theſauris; gratia tamen & miſericordia tua, Domine, ita mutati ſunt, ut non ſolum largiſſimis eleemoſynis redimant peccata ſua, ſed etiam renuntient omnibus, quæ poſſederant, ut emant regnum cœlorum, ubi cupidiſſimè theſaurizant. Et quidem non deſunt eis exercitia, ut probes, an ambulent coram te corde perfecto, quando, poſtquam reliquerunt omnia, & cœperunt ſequi te, patiuntur incommoditates in cibo, ſomno, & veſtitu, & in aliis multis rebus: nec tamen vincuntur, ſed vincunt per te, Domine, qui es victoria & juſtitia noſtra. Patiuntur ergo incommoda, & caro concupiſcens adverſus ſpiritum gemit aliquando, quia non factum eſt ei, ſicut heri, & nudius tertius, quando nutriebatur in croceis. Sed fides tua, & ſpes, quæ naſcitur ex fideliſſima promiſſione veritatis tuæ, ſuſtentat fatigatos, ut aſcendant ad terram excelſam, ubi invenient repoſita cum lucro omnia, quæ reliquerunt. Et in præſenti vita, quando tibi videtur, Domine, inveniunt ſolatia pauperum, & delectationes juſtorum: quæ videntur eis bona amabiliora, & dulciora univerſis commoditatibus, quas contempſerunt cum magna laude infinitæ bonitatis tuæ. Quocirca judicant ſe bonos negotiatores fuiſſe, qui inventa pretioſa margarita Scholæ tuæ, vendiderunt omnia ſua, & comparaverunt eam. Creſcitque in eis amor æternorum bonorum, quantum decreſcit amor temporalium, donec poſt luctas ſuas jam nihil placeat eis propter te Domine, qui es omnis ſubſtantia, & opulentia eorum. Beatus populus tuus, Rex pacifice, qui abjectis ſollicitudinibus ſæculi vacat tibi ſoli, & dicit confidenter: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te! Beati ſervi tui, Domine, quibus jam diſplicet copia bonorum terrenorum; quæ ante placebat, & pervenerunt ad ſtatum feliciſſimum, in quo ſolum deſiderant te! Certè longiſſimè receſſerunt ab illis, qui appetentes avaritiam inſeruerunt ſe doloribus multis, & horrendo ſupplicio erraverunt à fide, incideruntque in tentationem, & in laqueum diaboli; ſicut diſcipulus ille tuus infœlix, qui cum cœpiſſet loculos habere, & argentum nimis amare, in fine laqueo ſe ſuſpendit. Servi vero tui, qui divitias ſuas poſuerunt in te currentes ſine onere ad patriam ſuam, & lætantes, quia liberati ſunt à ſervitute duriſſima, perenniter requirent unicum bonum, & refrigerium cordis ſui: & fruentur ſine fine ampliſſima hæreditate, & ſereniſſima facie tua.

B

Avaritia idolorum ſervitus.

C

Deus victoria, & iuſtitia noſtra.

D

E

F

Iudae finis notatus.

CAPUT VII.

De extirpatione Iræ, quæ fit in Shola Jeſu Chriſti.

HOmines, qui neſciunt poteſtatem iræ tuæ, Domine, & præ timore tuo iram tuam dinumerare, immemores judicii tui iraſcuntur in conſervos ſuos uſque ad mortem. Quod uſque adeo certum & publicum eſt, ut videamus in his diebus multa regna deſtructa, quæ ira filiorum Adam diſſipavit. Per varias enim occaſiones hujus vitæ homines in iracundia terræ dolos & injurias machinantes alii alios perſequuntur, neque requieſcunt, donec tollant eos de terra. Pleni ſunt libri hiſtoriarum, Domine, exemplis iracundiæ, quæ videntur horribilia nimis. Et quod eſt quotidianum, amatores mundi ad ſingulas horas prorumpunt in verba furoris plena, ſi quid eis fiat, non ſicut cogitaverunt: pauciſſimique inveniuntur, qui contineant ſe conſideratione infinitæ manſuetudinis tuæ. At verò ſchola tua, Domine, in extirpatione hujus vitii admirabilis valde & laudabilis eſt; quia diſcipuli tui pro diverſitate meritorum diverſa ſacrificia offerunt tibi, quæ mundus vehementer admiratur. Novelli enim auditores tui ſentientes motus iræ, quos ante vocationem ſenſerant, viriliter

G

H

Scripta An. 1627.

Victoria Christi diſcipulis digna.

reprimunt illos, & ſtudent in exteriori homine tranquillitatem oſtendere, ut conſervetur pax inter dilectiſſimos fratres ſuos. Poſtquam verò ſic pugnaverunt per dies multos, jam ſentiunt ſe non multum commoveri contumeliis, & improperiis, unde fiunt multò fortiores ad currendam viam. Denique A per potentiſſimam gratiam, & dulciſſimam miſericordiam tuam, qua viſitas corda eorum, adeo proficiunt, ut quando exercentur injuriis, non ſentiant aliquam amaritudinem adverſus alios, ſed ardenter diligant illos. Hæc eſt clariſſima victoria digna diſcipulis tuis, qua corda imperturbata ſervant tibi ad capiendam vocem levem ſubtiliſſimæ inſpirationis tuæ. Hæc eſt victoria manſuetiſſimi filii Dei, quæ mundi Principibus mirabilis valdè videtur. Quomodo enim non miretur mundus videns homines, qui antea currebant ad ſanguinem, ita mirabiliter manſuefactos in Schola tua Domine, ut non inquietentur, quando afficiuntur injuria à peſſimis, & crudeliſſimis perſecutoribus ſuis? Quod ſi videat mundus, diſcipulos tuos non ſolum non turbari, ſed dulciſſimo corde diligere B injuriam facientes, quaſi chariſſimos fratres, & benefactores ſuos, quid ſentiet de mutatione iſta, quam facit dextera tua? Profectò, Rex Pacifice, iſti fortiſſimi imitatores tui, qui de bello iræ pacem acquiſierunt oſtendunt quàm ſit magna multitudo dulcedinis tuæ. Iſti ſunt, qui compungunt peccatores uſque ad lachrymas exemplo converſationis ſuæ. Utinam conſideraret mundus victoriam iræ, qua illuſtratur Schola tua, Domine! Vehementer quippè moveretur ad pietatem, & ad quærendam faciem tuam. Non reddit plebs tua retribuentibus ſibi mala: non perſequitur, aut comprehendit inimicos ſuos: non amat vel petit vindictam, ſed pacem, quam offert læſa læſoribus ſuis. Hic eſt ſtatus electorum, qui lucent in nocte hujus vitæ, ſicut aſtra matutina, & afferunt C ſedentibus in regione umbræ mortis puriſſimam lucem tuam. Hi ſunt, quos poſuiſti, Domine, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi tuæ. Hi ſunt, quorum ſynceriſſima corda inhabitas, quaſi thalamos conſecratos caſtiſſimis delectationibus tuis: quorum victorias coronabis in medio Jeruſalem, quando apparebit dies æternitatis tuæ.

CAPUT VIII.

De extirpatione Luxuriæ, quæ fit in Schola Jeſu Chriſti.

Luxuria ignis devorans.

FAllax gratia carnis, Domine, faſcinavit D innumerabiles filios Adam, ut nollent accedere ad caſtam Scholam tuam. Et adeo inundavit hoc malum, ut multis, & horribilibus modis fœdaverit magnam partem Eccleſiæ immaculatæ Sponſæ tuæ. Ignis eſt uſque ad conſummationem devorans, qui vaſa ſancta conſumpſit. O puriſſime fili Virginis, quot prodigia viſa ſunt in mundo per incontinentiam hominum, qui ſeipſos conſecraverant tibi? Multi libri poſſent impleri triſtiſſimis caſibus hominum, qui beſtiali concupiſcentia tradiderunt ſeipſos luxuriæ, & inquinaverunt veſtimenta ſua. Gratia verò tua, Domine, factum eſt, ut diſcipuli tui, vel antequam peccarent, vel poſtquam peccaverunt, tam fortiter pugnaverint contra monſtrum luxuriæ, ut clariſſimam victoriam E paraverint ad laudem divinæ bonitatis tuæ. Crudele bellum paſſi ſunt in labore, & ſudore corporis, quod afflixerunt, & penè conſumpſerunt, ne fortè fallax equus ad ſalutem præcipitaret eos. Incredibile videtur, Domine, filiis hujus ſæculi, quorum corda, & corpora fœdavit luxuria, eſſe aliquos paucos milites tuos, qui fortiſſimè tentati non vincantur, cum ipſi vix per dies paucos abſtineant à turpiſſima delectatione carnis ſuæ. Sed tu, qui noſti corda hominum, ſcis & fuiſſe, & eſſe nunc aliquos fideles ſervos tuos, qui graviſſimè tentati per multos annos non inquinaverunt templa corporum ſuorum, quæ dedicaverunt nomini ſancto tuo. Immò tu ſcis, Domine, eſſe aliquos amicos tuos, qui quamvis ſuſtinuerint multa prælia ex lege membrorum, & ſudaverint in lucta F iſta multis annis, pervenerunt tamen auxilio tuo ad pacem mirabilem, in qua vivunt ſtudioſiſſimè vacantes tibi. Et quod mirandum eſt valdè, fortaſſe inveniuntur pauciſſimi aliqui ex inquinamento liberati per gratiam tuam, adeò miſericorditer à te viſitati ſunt, ut formoſa corpora, quæ vident, ſit eis fomentum caſti amoris tui. Mirabilia ſunt valdè opera tua, Domine, quæ operaris in electa, & humili plebe tua, quæ totis viſceribus ſequitur te. In hac certè extirpatione vitii abominabilis, quod ardet in medullis hominum, clarificatur, Domine, potentiſſima gratia tua, quæ purificat renes, & corda ut cor, & caro exultent in te Deum vivum. Profectò, Domine, pauci illi caſti ſervi tui, qui poſt difficillimas luctas carnis, per vigilias, jejunia, lachrymas & alia arma G juſtitiæ vicerunt, & in ſervitutem redegerunt corpora ſua, totis viſceribus exultant in te: & quod reliquum eſt vitæ, cantant in organis carminum Eccleſiæ altiſſimas laudes, & dulciſſimas miſericordias tuas. Vident, & conſiderant ſe liberatos eſſe à perditione, & ſpurcitias carnis impolluto calle tranſiſſe; & incredibili impetu lætitiæ liqueſcunt in cantibus, & inſtrumentis ſpiritualis lætitiæ tuæ. Hæc ſunt, Rex Pacifice, candidiſſima lilia quæ odoraris, cum quibus verſaris, & à quibus non abſcondis formoſiſſimam faciem tuam. Hæc eſt præda tua, Sponſe caſtarum animarum, pro qua amantiſſimè ſudaſti ſanguinem tuum. Hic eſt ſuaviſſimus fructus Paſſionis, H & Redemptionis tuæ. Hi ſunt amici tui, Domine, ſine dubio chariſſimi, cum quibus communicas altiſſima ſecreta cœleſtia, & quibus præparaſti mercedem copioſiſſimam: ut exultent tecum in gloria, & lætentur in cubilibus ſuis.

CAPUT IX.

De extirpatione Pigritiæ, quæ ſit in Schola Jeſu Chriſti.

LOngè eſt à peccatoribus ſalus, ô Unigenite fili Dei, & propterea deberent A ad ſalutem diligentiſſimè currere, ut aſſequerentur eam. Sed grave pondus Adam, quod portant, tardat eos, & generat triſtitiam magnam, cujus cauſa difficulter moventur ad opera juſtitiæ tuæ. Hinc naſcitur tædium ſpiritualis vitæ, & abominatio exercitiorum Eccleſiæ tuæ, quæ hilares operatores diligit, & requirit. Vitium hoc, Domine, moleſtiſſimum eſt, & extinguit, aut diminuit innumerabilia merita bona ſervorum tuorum, niſi fortiſſimè pugnent contra ſeipſos, & per labores, & incommoditates currant ad æternam requiem tuam. Ingreditur hic hoſtis gratiæ tuæ in clauſtra Monachorum, ubi exercetur caſtiſſima diſciplina Scholæ tuæ: & vexat milites novellos non ſolum ante actiones, ſed etiam in ipſis piis & ordinatiſſimis actionibus ſpiritualis vitæ: ô Domine, B quot languores ſtomachi, & dolores capitis fingit pigritia, inſinuans ſe in corpora non aſſueta ſermoni juſtitiæ! Quot faſtidia, & anguſtias generat vitium hoc, ut removeat animos diſcipulorum tuorum à propoſito vacandi tibi. Multiplicia prælia nunc tecta, nunc aperta naſcuntur ab illo, in quibus laude digniſſimus eſt populus electus, qui non parcit ſibi. Atque ita, Domine, in Religionibus, ubi viget obſervantia, ponitur multum laboris, & ſtudii, ut novi ſervi tui, qui paulò ante venerunt, velociſſimè currant ad te, & proiiciant à ſe pondus mortalitatis, quo onerati non poterunt ſequi te exultantem ad currendam viam. Et hoc ſtudio mirabiles fiunt mutationes in Schola tua, Domine, ut qui paucis antea diebus vix ſe C loco movebant, per gratiam ſpiritus tui fiant quaſi volatilia pennata, ſtatim ac audiunt ſignum vel vocem ſuperioris ſui, & in hunc modum corpora terrena allevantur vehementia ſpiritus vivificantis: & cum lætitia cœleſtis Curiæ, & invidia inferni feſtinat ad cantandas tibi laudes confœderatas inter ſe, & Angelorum æmula Schola tua. Pugnant autem viriliter in exequendis ipſis mandatis tuis voluntate, & actione, ne languor deformet conformia tibi corda, & corpora ſua: & ſancta æmulatione ſinguli diſcipulorum tuorum currant accipere bravium, cùm omnes celeriter currant. Sic ergo æmulatione piiſſima corpora quaſi mortua ſuſcitantur, ut vivant tibi, Domine, & pro captu D ſuo diſcant adhærere tibi. Hæc ſunt caſtra Dei viventis, parata mori pro Rege ſuo. Hi ſunt triumphatores, & amici Dei, quibus cedit fortiſſimus hoſtium ſuorum, caro ſcilicet ſua. Hæc eſt gens electa, & adulterii neſcia, quæ odit, propter Deum, animam ſuam. Hoc eſt ſpectaculum delectabile, quod in mundo exhibetur Deo, Angelis, & hominibus. Credo certè, Domine, ſervos tuos dirumpentes vincula pigritiæ gladio vivo deſiderii tui, & extirpantes, ſine indulgentia, radices infamis vitii, quod ſolet implere ſpinis, & urticis domos ſacras, offerre tibi ſacrificium gratiſſimum, quod odoratur majeſtas tua. Et propterea inter ipſas actiones ſacras ingeris caſtas lætitias, & dulciſſima ſolatia cordibus ad te, ſine pondere E ſuſpirantibus, & in pſalterio decachordo pſallentibus tibi. Amas enim hilares datores, qui multa millia cordium ad confeſſionem vellent conſecrare clementiſſimo Regi ſuo. Nunc ergo bene eſt, Domine, ut lætifices populum ſervientem tibi, ut celerius currat poſt te in atria Jeruſalem ſuaviſſimæ patriæ ſuæ. Poſtea verò, quando velut hinnuli cervorum aſcendent ſuper montes aromatum, tu noſti, quanta ſit magnitudo remunerationis, quam reddet eis dextera tua. Ibi vacabunt, & guſtabunt, quod deſideraverunt: & fugiente ab eis morte, omnique dolore, arctiſſimo complexu tenebunt te, adhærentes dulciſſimo cordi tuo.

Pigritiae effectus.

Hilares datores a Deo dilecti.

CAPUT X.

F

De victoria Vitiorum, quæ comparatur in Schola Jeſu Chriſti.

FOrtiores ſunt leonibus manſueti, & humiles ſervi tui, Domine, quos doces bonitatem & diſciplinam, & ſcientiam in pacifica Schola tua. Nam circumdati ut ſcuto fortiſſima veritate tua, cui flectitur omne genu in cœlo, & in terra, pugnant adverſus hoſtes gratiæ tuæ, & glorioſiſſimè vincunt. Omnis creatura obſtupeſcit victoriam iſtam, quæ ſit per te, Fili Dei altiſſimi: & cognoſcit validam manum tuam. Et quidem mirabile opus eſt, homines antea ſuperbos, avaros, iracundos, & aliis vitiis horribilibus contaminatos virtute dexteræ tuæ transferri G ad puritatem virgineam, & ſine maculis peccatorum in conſpectu Dei ſui fortiſſimos, & velut innocentia infantium candidiſſimos apparere. Tanta enim eſt vis potentiſſimæ gratiæ tuæ, Domine, ut in hominibus vulneratis uſque ad mortem non appareant ſigna vulnerum, & veſtigia cicatricum. Fiunt tibi, Rex Pacifice animæ, quæ fornicatæ fuerant cum amatoribus multis, Sponſæ caſtiſſimæ, quaſi quæ neſcierint torum in delicto. In Schola enim altiſſimæ ſapientiæ tuæ reſtituitur eis candor cuiuſdam innocentiæ, qua fiunt quandoque puriores, & gratiores tibi, quam quæ nunquam peccaverunt. O ſapientia, & juſtitia filii Dei! O rem novam mundo incognitam, & mirabilem nimis! Profectò, Domine, Magdalena dulciſſima ſponſa H tua, quæ peccaverat tibi, poſtquam didicit te proſtrata ad pedes tuos, & per annos multos exercuit ſe in diſciplina Scholæ tuæ candidior multo apparuit coram te, quam multæ filiæ Sion, quæ congregaverunt ſibi ſpirituales divitias, ut in multis muneribus deprecarentur vultum tuum, fierentque di-

Gratia Dei omnipotens.

Magdalena

Scripta An. 1607.

ctis etiam peccata cooperantur in bonum.

gnæ caſtiſſimo thalamo tuo, & ad hunc modum multi alii auditores tui, quos conſcientia gravium peccatorum gravabat, facti mercatores ſolliciti ad ſatisfaciendum tibi creditori ſuo, tam mirabiliter profecerunt, ut ipſa etiam enormia peccata præterita eis cooperarentur in bonum, ut annumerari poſſent A beatiſſimis illis, qui ſecundum propoſitum tuum vocati ſunt ſancti. Et ita occaſione veterum delictorum, ſtimulante coſcientia, multò maiora operati ſunt propter te, quàm alii, qui te ad iracundiam non provocaverunt. Factumque eſt, clementiſſime Fili Dei, ut ex multis debitoribus, qui erant uni fœneratori, plus eum diligant, quibus plus donavit: & ubi abundavit delictum, ſuperabundet ſuaviſſima gratia, & copioſiſſima redemptio tua. Viciſti, Domine, viciſti mortem vita tua, peccatum gratia tua, & clarificatus es parcendo & magnificando fideliſſimas miſericordias deſcendentes à fonte vivo vitaliſſimi cordis tui. Omnes gentes, quæ cognoverint opus hoc grande antiquæ bonitatis tuæ, plaudent manibus, & jubila- B bunt tibi in voce exultationis, & confeſſionis, quia de profundiſſimo lacu liberaſti, ſicut Danielem traditos ad devorandum electos tuos. Et ſchola tua, in qua extirpantur radices peccatorum, uſque ad puritatem mirabilem cordium adhærentium tibi, in æternum laudabit te, & in choro unanimiter canentium celebrabit clariſſimas victorias tuas.

PARS QUINTA.

De exercitio virtutum, C quæ diſcuntur in Schola Jeſu Chriſti.

CAPUT I.

De Virtutum ſtudio, quod exercetur in Schola Jeſu Chriſti.

Virtutes veræ divitiæ.

FIliæ Jeruſalem novæ, quæ viſa eſt deſcendens è cœlo ornata viro ſuo, Domine; animæ ſcilicet caſtæ, & fideliſſimæ filiæ Eccleſiæ ſponſæ tuæ, videntes ſollicitudinem filiorum hujus ſæculi, pro argento & auro, pane pereunte, transferunt ad te omnem curam ſuam, ut divitias ſuas in cœlo theſaurizent. Et ideo diligentiſſimè D negotiantur, dum dies eſt, timentes ne accedat nox, in qua nemo poteſt operari. Negotiatio verò earum non eſt pro bonis pereuntibus, quæ non ſequuntur mercatores, quando exeunt de hac vita; ſed pro veris divitiis virtutum, quæ non pereunt, ſed comitantur operatores ſuos. Propter quod die ac nocte ſtudent & legunt in te libro æternæ vitæ, ut per veras virtutes formentur in te, & tu, Domine, formeris in illis. Hic eſt labor juſtorum, quos nutrit Schola tua; qui non diſcunt vanam eloquentiam, ut cum plauſu audiantur, ſed compunctionem ſecretam, qua tu audias eos. Hic eſt labor fortium & prudentium, & nobilium, qui pluris E faciunt unum veræ humilitatis, aut manſuetudinis punctum, quam ſi omnem philoſophiam, aut Iuriſprudentiam mundi didiciſſent. Atque ita illuminantur, & roborantur à te, Domine, & ornantur pretioſiſſimis veſtimentis, qualia non habuit Salomon in omni gloria ſua. Utinam filii Adam viderent pulchritudinem animarum, quæ decorantur luminibus, & vivis coloribus virtutum, quibus præparantur ad thalamum deſponſationis ſuæ! Omnia corda liquefierent, ut cera à facie ſolis, præ magnitudine decoris, quo apparent ſuaviſſimæ Sponſæ tuæ. Utinam diſcerent habitatores orbis juſtitiam tuam, Unigenite fili Dei: & deponerent pondus curarum ſæcularium, quibus demer- F guntur in infernum: Quid enim prodeſt eis, ſi univerſum mundum lucrentur, animæ verò ſuæ detrimentum patiantur? Quid prodeſt curioſitas, & anxietas ſtudendi, & negotiandi, & multiplicandi opes, & amicos, ſi non adſit ſtudium virtutum tuarum, Domine, quibus paratur opulentia, & amicitia tua? Mundus tranſit velociter, ſicut curſor levis explicans vias ſuas, & non eſt, qui recordetur finis ſui. Nonne ſanius conſilium eſſet, ſi fortes & potentes hujus ſæculi vacarent tibi, Rex Pacifice, & inter curas alias ponerent curam Scholæ tuæ: ubi per altiſſimas virtutes, quaſi per vias rectas deducerentur ad pinguiſſima paſcua tua? Sed vacent illi aliis operibus, & amoribus; ego verò vacabo & ſupplicabo tibi, ut ſtudium virtutum divinarum ſit pars mea, & dulciſſimum otium cordis mei. Navigent illi per G flumina Babylonis ad mercaturam ſuam; ego verò precabor te, ut aſcendam per ſemitas juſtitiæ ad verticem Sion, & ad montem viſionis tuæ. Beati diſcipuli, Domine, quorum corda perenniter ſuſpirant, & feruntur ad te per vias ſublimes virtutum tuarum, & candidiſſimæ lucis tuæ. Volabunt, & non deficient, donec impletis ardentiſſimis deſideriis mergantur in flumine vivo, quo lætificatur Jeruſalem beata civitas tua.

CAPUT II.

De Fidei exercitio, quæ fit in Schola Jeſu Chriſti.

ACcedentes ad te, Domine, & dulciſſime magiſter filiorum Adæ, opor- H tet credere, quod ſis verus Deus, & liberaliſſimus remunerator bonorum operum, retributorque malorum: ut hac fide tutiſſima dirigant in diluvio aquarum multarum navigationem ſuam. Et ideo diſcipuli tui, quibus aperuiſti aures, ut fides intraret per auditum, & illuminaret corda eorum, à prin-

Scripta An. 1607.

cipio ſuæ converſionis ſtatuunt fideliter ſequi rationes fidei tuæ, quicquid mundus & ſenſus proprius ſuggerat eis. Dicit eis mundus, & caro ſua, ut fruantur præſentibus bonis, & voluptatibus certis, & nolint exponere ſe periculo carendi conſolationibus A hujus vitæ ſub dubio perdendi etiam ſolatia cœli. Dicit verò eis in ſecreto cordis fides tua, ſtultum eſſe propter brevia & fallacia gaudia hujus momentaneæ vitæ perdere immenſum pondus gloriæ, quod ſervatur in cœlis, & inter hæc duo conſilia laborant, unum fortiter repellendo, & alterum amplectendo, ne fortè reprobi fiant. Creſcit autem firmitas melioris conſilii fidei tuæ, Domine, & effundunt ſervi tui orationem quaſi virgulam fumi ſurgentem ex aromatibus myrrhæ, & thuris, ut adhæreant iis, quæ non vident, & contemnant, quæ videntur. Ex quo incipiunt ſpirituali modo ſuſpirare ad æterna, quæ ſunt occulta, quaſi de terra aliena, in qua nemo intelligit linguam eorum, qui peregrinantur B à te, & currunt ad dulciſſimam patriam, & jucundiſſimam præſentiam tuam.

Servorum Dei exercitium.

Hoc eſt exercitium ſervorum tuorum, Domine, qui ambulant per fidem non ſolum firmiſſimè credentes quicquid credit Eccleſia Sponſa tua, ſed etiam operantes, & dirigentes per fidem omnes cogitationes, verba, & opera ſua, quemadmodum revelaſti eis. Ipſa verò profeſſio quotidiana Catholicæ veritatis, quæ in ſymbolo tuo continetur, non tantum fit ab eis, ut credant, parati mori pro veritate caſtiſſimæ Scholæ tuæ: verum etiam ut adhæreat viſceribus eorum æternitas, magnitudo, bonitas, & amabilitas tua, pro qua viriliter pugnent. Quando enim præſentatur eis gloria, & commoditas mundi, ſtatim recordantur fidei, quæ eſt fundamentum ſperandarum meliorum rerum, & nolunt admittere mundi conſolationem, ut eorum beatiſſima portio ſit in terra viventium, cu- C jus fertilitate trahuntur. O lux cordium, quam videbat Iſaac, poſtquam caligaverant oculi ejus, quanti ponderis eſt in tenebroſis, & in umbra mortis ſequi illuſtrationes tuas, & bene uti fide, qua certi ſumus de te, licet non videamus ſereniſſimam formam tuam! Væ Chriſtianis ingratis, qui non ſolum non bene utuntur, ſed abutuntur miſericordia fidei, ad quam gratis vocati ſunt tam gentiliter viventes, quam ſi nunquam in te, Fili Dei vivi, credidiſſent! Pauci ſunt, Domine, qui exerceant fidem tuam, ut deberent, anteponentes bona inviſibilia cupiditatibus ſuis. Illi verò pauci mirabiliter proficiunt calcantes mundum, & aſcendentes ſuper altitudinem nubium ad conſiderandam D & ardentiſſimè diligendam habitationem domus tuæ. Hos tu, Clementiſſime, duces per terram deſertam, & cuſtodies quaſi pupillam oculi tui, quia non viderunt & crediderunt, & poſuerunt corda in virtute tua. Nunc, Domine, ambulant in ænigmate, audientes quid loquaris ad eos: ſed revelata facie videbunt Regem Pacificum in decore ſuo, & implebuntur ſuavitate formæ Dei.

CAPUT III.

De Spei exercitio, quod fit in Schola Jeſu Chriſti. E

MEritò ſperant in te, qui noverunt nomen tuum, Domine, quod eſt plenum lætitiæ, atque ſalutis.

Praeſens vita varietates patitur.

Vita enim præſens patitur multas varietates, & ſaluberrimum conſilium eſt, habere in te fixa corda, qui vera retribuis gaudia. Quocirca ſervi tui, Domine, accuratiſſimè exercent virtutem ſpei tuæ, quæ incedit uſque ad te, nolentes admittere animi dejectiones, & languores, quibus fatigantur, qui procul ſunt à dulciſſima Jeruſalem, civitate tua. Certiſſime confidunt in viſceribus infinitæ bonitatis tuæ, quod qui, antequam vocareris, decreviſti viſitare nos oriens ex alto, non avertes aurem tuam à clamoribus juſtorum, qui vo- F cant te, & requirunt beatiſſimam habitationem domus tuæ. Et hæc ſpes repoſita in ſinu amicorum tuorum facit eos magnanimos, & conſtantes ad prælia Domini, & ad militandum ſine puſillanimitate in caſtris tuis adverſus tentoria Æthiopiæ, & turbatas pelles terræ Madian, ubi habitant crudeliſſimi inimici noſtri. Conſiderant, ô Clementiſſime, cor tuum paratum adjuvare illos in opportunitatibus, in tribulatione. Et quamvis animadvertant exurgere adverſum ſe prælium, & ſe fragiles, & puſillos eſſe, eriguntur fiducia quaſi leo, qui eſt fortiſſimus beſtiarum, & ad nullius pavebit occurſum.

Leo beſtiarum fortiſſimus.

O Fili Dei altiſſimi, quis poterit numerare virtutes multas, quas operati ſunt, qui confiderunt in te, quamvis mundus univerſus pugnaret contra illos? Non omnes, qui putantur ſervi tui, ſatis capiunt verbum hoc fiduciæ tuæ, quæ debellat aereas pote- G ſtates, & aperit viam ligni vitæ.

Mirabilia a Deo operata.

Nonne recordabuntur mirabilium tuorum quæ feciſti in diebus antiquis, quando percuſſiſti reges multos pro electo populo tuo? Tu aperuiſti in virtute tua mare, & contribulaſti capita Ægiptiorum in aquis. Tu confregiſti Principes Pharaonis & dediſti cadavera eorum in eſcam populis Æthiopum. Tu percuſſiſti petram & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Et adhuc multi degeneres ſervi tui dicunt: nunquid & panem poterit dare, aut parare in deſerto menſam populo ſuo? Uſquequo, Domine, non bene ſentient de te filii Adam, qui opinantur de te ſecundum breviſſimam miſericordiam ſuam? Sciunt certè omnes ſervi tui te libe- H raliſſimum eſſe, & non eſſe ſolitum continere in ira erumpentes quaſi mare magnum miſericordias tuas: & tamen non credunt, ut deberent, fortiſſimæ veritati, & fideliſſimis promiſſis tuis. An non cognoverunt te eſſe filium Dei incarnatum, paſſum, & mortuum pro ſalute ſua? Quid ergo dubitant, an daturus ſis eis veniam peccatorum,

aut

Scripta An. 1607.

aut victorias tentationum, aut etiam panem corruptibilem, quo vivant? Mirabile eſt hoc, Domine, dives valde in miſericordia, quod tu ſcripſeris in charta corporis tui redemptionem hominum, & confirmaveris novo teſtamento fidelia valde promiſſa, quæ publicaveras mundo per Sanctas Scripturas tuas; & adhuc vacillent non ſolum peccatores, A ſed etiam juſti aliqui ſervi tui, an ſis daturus eis, quæ te docente poſtulant, & deſiderant? Dei omnipotentia unde manifeſtetur? Quid eſt hoc, Rex magne, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, & miſerendo manifeſtas? Dicant, ſi poſſunt hi, parum provecti ſervi tui, quis unquam ex corde invocaverit te ab initio mundi, cui tu non reſponderes donando quod petivit, aut aliud bonum utilius, quam quod petivit? Profectò, Domine, à ſæculo non eſt auditum, quod inops aliquis pulſaret fores domus tuæ & deſpiceres illum. A ſæculo non eſt auditum, quod tædio affecereris in pauperes, & in pupillos, quibus non erat adjutor. Oſtium tuum, dulciſſime Fili Dei, viatori ſemper patuit: & nudi de velleribus ovium tuarum calefacti ſunt: neque unquam dixerunt viri tabernaculi tui: Quis det nobis de carnibus ejus, ut ſaturemur? Ab infantia enim crevit tecum miſeratio: & de B utero matris tuæ tecum egreſſa eſt: quod probaverunt, & laudaverunt cæci, claudi, atque leproſi, & turbæ populorum ſequentium te in civitatibus, & in deſerto. Quapropter inexcuſabiles ſunt, qui nolunt proiicere in te omnes cogitationes, & ſollicitudines, ſuas, quamvis ſe videant propinquiſſimos Inferno, & multiplicaverint, quaſi guttas pluviæ turpiſſimas prævaricationes ſuas. Deus ſumme miſericors. Certiſſimum enim eſt, miſericordiſſime Domine, in quacunque hora clamaverint ex corde filii Adam, te exauditurum illos, & ſereniſſima facie, dulciſſimaque manſuetudine accepturum eos venientes ad amplexus tuos. Quod uſque adeo verum eſt, Domine, ut cum ſis irreprehenſibilis, reprehendereris à ſapientibus mundi, quod reci- C peres peccatores, & familiariter manducares cum illis. Sed reprehenſio hæc laus tua eſt ineffabilis nimis: ſemper enim miſerationes tuæ notantur, quia eminent ſuper omnia opera tua. Speret ergo in te, ô Clementiſſime, omnis congregatio populi, ubi ſunt permixti juſti cum peccatoribus: & non male loquantur de immenſa bonitate tua. Quod ſi peregre profecti ſunt multi, & conſumpſerunt cum meretricibus ſubſtantiam ſuam; veniant confidenter ad te, ſperantes de viſceribus tuis ſtolam primam. Diſcipuli vero tui, qui exercitatos habent ſenſus ad cognoſcenda magnalia clementiæ tuæ, currant velociter ad palmam, & ne timeant Philiſthæos adverſarios ſuos. Philiſtaei non timendi. D Tu enim cum illis es, tanquam bellator fortis, & proiicies coram eis hoſtes ſuos, dabis eis terram viventium in funiculo diſtributionis; & reddens ampliſſimam remunerationem generoſis eorum cordibus, revelabis eis formoſiſſimam lucem vultus tui.

CAPUT IV.

De Amoris Dei exercitio, quod ſit in Schola Jeſu Chriſti.

PRimum & maximum, & dulciſſimum mandatum legis tuæ, Domine, impletur iu Schola tua totis viribus & viſceribus. E Cum enim diſcipulis tuis parvulis revelaveris te altius, quam filiis hujus ſæculi; cognoſcentes illi magnitudinem bonitatis & pulchritudinis tuæ diligunt te toto corde, tota mente, & tota fortitudine ſua. Et quidem adeo trahuntur à te, Domine, ut ſi dent omnem ſuſtantiam domus ſuæ pro dilectione tua, quaſi nihil deſpiciant eam. Omnem ornatum, & decorem ſæculi, omnem gratiam corporum, quam mundus adorat, omne quod in orbe terrarum viſu pulchrum eſt, quaſi lutum platearum deſpiciunt, quia didicerunt diligere te. Sciunt illi ſecreta ſcientia te eſſe electum ex millibus, candidum divinitate, & rubicundum puriſſimo ſanguine & carne tuæ humanitatis; Chriſti pulchritudo. & videntes nihil in mundo eſſe comparabile nobilitati, gratiæ, & ſuavitati tuæ, contemnunt omnes amores creaturarum, ut liberis cordibus, & manibus ſequantur te. F Longiſſimè fugiunt à conſortio creaturarum amabilium, quibus adhærere poſſent corda eorum, & oderunt perfecto odio, quicquid in terra decorum eſt, ne fortè ſpecies decipiat eos. Nolunt ſequi filias Tyri, & Sidonis, quæ certiſſime ſubvertunt corda ſapientum: & quaſi pedibus cervorum currunt in odorem tuum. Diligunt te ſummum bonum ſuper omnia deſiderabilia, & timent timore magno diſplicere mitiſſimo cordi tuo. Non eſt diviſum cor eorum inter te, & creaturam aliquam, quam nullo modo ferret zelus tuus. Et ideo ita utuntur creaturis, ut non fruantur eis, ſed ament te in eis, & eas propter te, diſponentes aſcenſiones in corde, per quas aſcendant ad te formoſiſſimum candorem lucis æternæ, G & fontem immortalis, ac beatiſſimæ vitæ ſuæ. Sola bonitas tua, Rex Jeruſalem, placet eis, à qua trahuntur in funiculis Adam in vinculis dulciſſimæ charitatis. De te ſemper cogitant ardentes igne ſeraphico deſiderii tui. Divini amoris effectus. De te frequentiſſimè loquuntur, non verbis compoſitis humano artificio, ſed ſpirantibus fragrantiam dilectionis tuæ. Propter te ſemper operantur oculo ſimplici columbarum, nihil quærentes, niſi placere animæ tuæ. O Fili Dei Altiſſimi, qui magnificatus es ſuper omnes Reges univerſæ terræ, quam grata ſunt oculis tuis holocauſta pinguia amoris tui, quæ ſemper ardent in altaribus ſervorum tuorum, qui ſe totos ſacrificaverunt tibi! Non trades H oblivioni oblationes ignitas matutinas & veſpertinas, quibus amici tui requirunt ſereniſſimam faciem tuam. Immo acceptabis eos, quaſi ſacrificia juſtitiæ, quæ eſt in ſanguine tuo, & reſpondebis ſervis tuis perenniter ſuſpirantibus ad te, reddens eis retributionem infiniti amoris, ponens coronam pulchritudinis in capitibus eorum, qua coronetur puriſſima, & ſuper omnem mundi æſtimationem pretioſiſſima dilectio tua.

CAPUT V.

De Charitatis exercitio, quod fit in Schola Jeſu Chriſti.

A

PLenitudo legis tuæ, Domine, eſt dilectio: nam in hoc verbo inſtaurantur omnia: Diliges proximum tuum. Quod à te, Magiſter dulciſſime, adeò celebratum eſt, ut volueris hoc eſſe mandatum tuum, ut diligamus invicem, ſicut dilexiſti nos. Charitas plenitudo legis. Hæc eſt altiſſima & ſuaviſſima eruditio Scholæ tuæ, quam fundaſti novo teſtamento æterni amoris tui. Quapropter diſcipuli tui, Domine, qui toto corde cupiunt implere præcepta immaculatæ legis tuæ audientes te præcepiſſe, ut invicem diligerent, tam ardenter ſtudent mandato ſibi impoſito, ut innumerabilibus modis adjuvent, & ſolentur chariſſimos proximos ſuos. Ex quo factum eſt ad gloriam nominis tui, Domine, ut in his locis, ubi perfectè colitur majeſtas tua, ſervi tui adeò B ſint unanimes, & pacifici; & ad portanda aliorum onera ſolliciti, ut quantalibet auſteritas vitæ dulceſcat præ magnitudine charitatis tuæ. Profectò, Domine, ſi unus infirmetur, omnes infirmantur, & compatiuntur Officia charitatis. illi. Si unus tentetur, omnes pro eo ferventer orant, & ſolantur illum. Si unus ignoret, omnes, qui doctiores ſunt, amantiſſimè inſtruunt, & erudiunt illum. Si unus ſit laſſus, omnes currunt ad reficiendum, & refocillandum illum. Si unus lætetur, omnes lætantur, & congratulantur illi. O Domine, quam magna eſt multitudo dulcedinis, quam producit charitas tua! Delectabile eſt valde videre concordes animos, & corpora totius ſcholæ tuæ, quæ vivificatur ſpiritu amoris C mutui, quaſi corpus unum, quod vivit anima tua. Quam longè eſt à Schola tua, Domine, triſtitia de aliorum bonis, & lætitia de aliorum malis! Non quærunt diſcipuli tui, quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum: & quærunt carere honoribus, & commoditatibus, ne careant illis dilectiſſimi fratres ſui. Amant ſcilicet alios, ſicut animam ſuam, & exuunt ſe veſtibus, ut induant alios, ſicut fecit Jonathas Jonathae amor erga David. erga David fideliſſimum ſervum tuum. Multa ſunt corpora in domo tua, Domine, ſed multitudinis ordinatiſſimæ eſt cor unum & anima una. Beati ſervi tui, Rex Pacifice, qui gaudent privilegiis filiorum Dei, qui ſunt inter ſe unum per affectum, ſicut tu es unum cum clementiſſimo Patre tuo per naturam. Non timebit domus tua à frigoribus nivis: D omnes enim domeſtici tui veſtiti ſunt duplicibus veſtimentis duplicis amoris tui. Propter hoc laudatur inceſſanter ſchola tua, Domine, ubi eſt delitioſiſſima charitatis habitatio, & abundantia ſuaviſſimæ bonitatis tuæ. Mundus quippe, qui ſemper laborat anxietate animorum, & fragilitate corporum, coactus pœnis, quas patitur longè à dulciſſima charitate tua, laudat ſtatum ſervorum tuorum concorditer viventium, & lætantium & ſine tormentis ſæculi ſuſpirantium tibi. Laudat ille, ſed non guſtat mel mutuæ dilectionis, quod invenitur in regione viventium vita charitatis, qua paſcitur, & exhilaratur plebs tua: quæ ſine offenſione cordium currit E ad beatiſſimos amplexus tuos. Creſcat, oro te Fili Dei, pax, & lætitia familiæ tuæ: & currat ſine deflexione ad te, quem dilexit, & propter quem dilexit chariſſimos fratres ſuos.

CAPUT VI.

De Pœnitentiæ exercitio, quod fit in Schola Jeſu Chriſti.

DIſcipuli tui chariſſimi, Domine, quorum conſcientia vigilat ſuper corde ſuo, quod præteritis peccatis vulneratum fuit, adeo fideles, & verecundi ſunt, ut ſtent retrò, ſicut Magdalena ſecus pedes tuos, lachrymis rigantes, & oſculantes eos: ut quantùm poſſunt, ſatisfaciant offenſæ majeſtatis tuæ. Etſi enim ſperent jam te placatum F eſſe illis per non leves conjecturas, non propterea obliviſcuntur peccatorum, ne fortè per ingratitudinem infirmentur, & obliviſcantur tui. Profectò, Domine, jam Petro, Petrus, Paullus, & Magdalena. & Paulo, & Magdalenæ peperceras ex magnitudine bonitatis tuæ: & tamen Petrus flevit longo tempore; Paulus doluit, & caſtigavit ſe, & Magdalena exercuit corpus in antro diuturna pœnitentia quaſi mortua ſibi. Sic enim docentur in Schola tua, Magiſter vitæ, ut de propitiato peccato pœnitentiam agant, & acquirant immenſa lucra ſecretæ eruditionis tuæ. Primùm autem tanguntur dolore cordis intrinſecus magnopere dolentes, & diſplicentes ſibi, quia altiſſimum Deum, fideliſſimum Dominum, & mitiſſimum Re- G demptorem ſuum ſine cauſa offenderunt: ex quo abominabiles, & contemptibiles videntur ſibi. Mirantur valde, poſtquam illuminati ſunt, quomodo obſcurati ſunt ſenſus eorum, quando peccaverunt tibi, & acutiſſimo dolore penetrantur viſcera illorum ſuper grandi malo, quod fecerunt. Deducunt, quaſi torrentem, lachrymas, neque tacet pupilla oculi ſui; quoniam dereliquerunt te fontem vivum, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, ubi aquas turbidas congregarent. O Domine, quot ſuſpiria exeunt è contritis cordibus ſcholæ tuæ in ſilentio noctis, quando peccatores ſolent multiplicare, ſicut ſtellas turpiſſima Poenitentiae actus. peccata ſua! Quoties ſervi tui iniiciunt ſibi manus, & quaſi publicani percutiunt pectora ſua, quia peccaverunt tibi! Quoties jacent H in terra proſtrati tibi in Eccleſia tua, precantes, ut parcas aliis, & convertas furorem tuum in eos, ſicut precatus eſt David amicus tuus, poſtquam peperceras ei! Hinc, Domine, naſcuntur jejunia, cinis, & cilicium Scholæ tuæ: quæ quò ſanctior eſt, eò magis ſumit vindictam de præteritis, & con-

Scripta An. 1607.

Poenitentiae remuneratio.

donatis culpis ſuis. Et ideo mirabiliter proficiunt diſcipuli tui, manſuetiſſime Redemptor, quia ſic negotiantur, ac ſi nihil lucrati fuiſſent, & ſic currunt ad te, quaſi longiſſimè abeſſent. O ſapientia, & bonitas infinita, quam contraria ſunt ſtudia peccatorum, qui quotidie peccant, & nolunt leviſſimam pœnitentiam agere! Amici tui vocati ad Scho- A lam tuam non poſſunt requieſcere præ magnitudine doloris, quia diſplicuerunt tibi: & qui extra diſciplinam ſunt, non cogitant de quærenda amicitia tua. Verumtamen cæci ſunt iſti, & in foveam profundiſſimam cadent, unde non reſurgent. Servi verò tui, quorum anima in amaritudine eſt pro tranſgreſſionibus antiquis, qui fletum cum potu miſcent, & macerant conſecrata tibi corpora ſua, ſurgent de pulvere in gloriam, & quia de torrente dolorum biberunt tecum in via, exultabunt capita, ut coronentur in platea civitatis tuæ. Tu clementiſſime abſterges omnem lachrymam ab oculis eorum, & blandè loqueris eis ad cor pro tranſacto labore ſuo. Videbuntque illi, quem dilexerunt: & dilatabuntur viſcera eorum jucundiſſima præſentia Regis ſui. Hic eſt beatiſſimus finis pœ- B nitentiæ; quæ poſt cinerem, & jejunium vocatur ad veſcendum ſuaviſſimo fructu.

CAPUT VII.

De Prudentiæ exercitio, quod fit in Schola Jeſu Chriſti.

Aſtutia prudentia a mundo dicta

POſuit te, Unigenite fili Dei, Clementiſſimus Pater tuus Principem domus ſuæ, ut erudires Principes ejus, ſicut temetipſum, & juvenes, ac ſenes ejus prudentiam doceres. Quod excellenter feciſti, Domine, inſtruens diſcipulos tuos diſciplina, qua fierent providi, & cauti ad invenienda media, per quæ fœliciter proficerent in ſublimi valde Schola tua. Repleti ſunt ergo ſpiritu prudentiæ, non certè illius, quæ de terra eſt, C ſed prudentiæ ſanctorum, qua mundo majores viſi ſunt. Non enim armati ſunt aſtutia quam mundus vendit pro prudentia, ſed in ſimplicitate columbarum ſervaverunt prudentiam ſicut ſerpentes, quemadmodum docuiſti eos. Non ſunt decepti apparenti figura mundi tranſeuntis, neque poſuerunt fallacia bona filiorum Adam ante immortales divitias & ſolatia domus tuæ. Ex quo factum eſt, mirantibus Principibus hujus ſæculi, ut non ſolum viri ætate provecti, & litterati non fuerint ſeducti promiſſis & adulationibus mundi, ſed pueri atque puellæ paucorum annorum, quæ opes, & honores, & delitias providentia tua multa contempſerunt. Data eſt enim eis optio, ut eligerent, quod vel- D lent, aut ſplendidiſſima matrimonia, aut te, caſtiſſime Sponſe Virginum: & deliberaverunt adhærere tibi, & mori pro ſervanda innocentia, & puritate ſua. Hæc eſt ſenectus mentis, quæ non fuit acquiſita conſiliis hominum, aut experientia rerum mundanarum, ſed à te, Magiſter ſuaviſſime, infuſa Scholæ tuæ, ut ſciret diſcernere vera bona, & apparentia bona refutare. Hæc autem laus Scholæ tuæ, Domine, olim floruit in multis eventibus mirabilibus, qualis fuit ille quo Catharina Alexandrina, nive candidior Sponſa tua, convertit multos Philoſophos, qui ad eam pervertendam venerant, reſponſis ſuis. De ore quippe prudentis proceſſit mel: E dulcedo mellis ſub lingua ejus: favus diſtillans labia ejus. Atque ita capti ſunt ſapientes ſæculi prudentia, quæ eminebat in reſponſis illius. Neſcio autem ſatis mirari, Domine, prudentiam iſtam in multis millibus virginum prudentum, quales fuerunt ſociæ Urſulæ Sponſæ tuæ, quæ mundum mirabiliter ſeduxit, ut tota cum multis choris ſervaretur tibi. Hæc eſt vera prudentia, quæ ſcit invenire modos occultos, & multiplices vitandi pericula hoſtium inviſibilium, & viſibilium, ut ſine detrimento ſervet pretioſiſſimos theſauros gratiæ tuæ. Nimis longum eſſet, Domine, numerare antiqua exempla prudentiæ, quæ diſcitur in Schola tua. Benè autem eſt, ut uſque in hodiernum diem multa ſimilia videantur in parte nobiliſſima, & formoſiſſima Eccleſiæ tuæ: in multis inquam puel- F lis, & pueris, qui altiſſimo conſilio contemnunt mundum, quamvis impugnentur ab eo. Proponuntur eis rationes variæ à prudentibus, prudentia carnis, & capitalibus inimicis ſpiritus tui: & graviter tentati, atque ſicut argentum examinati inveniuntur prudentiores mundo, & conſecrantur tibi, ut glorificeris in illis. Et quemadmodum in ingreſſu Scholæ tuæ probaverunt, quia melior eſt vir prudens, quàm fortis, ſic exercent ſe in proceſſu vitæ in adinventionibus Scholæ tuæ, ut multis modis, quos mundus non probat, & probantur tibi, proficiant, & creſcant ad menſuram tuam. Sic creſcunt ordinatiſſimis incrementis, & vitatis multis periculis perdendi te, liberantur quaſi aves de laqueo venantium, & volant ad nidum, quem paraſti G eis in dulciſſimo corde tuo.

Catharinae prudentia notata.

Vera prudentia, quae?

CAPUT VIII.

De exercitio Juſtitiæ, quod fit in Schola Jeſu Chriſti.

JUſtus es, Domine, & juſtitiam dilexiſti: æquitatem probavit vultus tuus, & propterea, qui admittuntur ad Scholam tuam, inter prima præcepta diſcunt reddere unicuique quod ſuum eſt, ſcientes ſe, niſi hoc faciant, non poſſe placere tibi. Quocirca fideliſſimi ſunt ſervi tui, Domine, in reddendis quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Cui tributum, tributum, cui honorem, honorem, & cui amorem, amorem. H Atque ita ſtudioſiſſimmè curant neminem lædere, depoſitum cuſtodire, mercedem operarii non detinere: ſed per omnia ſatisfacere dilectiſſimis proximis ſuis. Immo adeo juſtitiam diligunt proter te, Domine, ut non ſatis quieſcant, niſi plus reddant, quam acceperunt, quantum ſtatus proprius eis permittit, quem-

Actus iuſtitiae.

quemadmodum probavit Zachæus diſcipulus tuus, quem ſecretis modis erudieras, antequam apertè vocares illum. Hæc eſt perfectio juſtitiæ, qua ornatur, Schola tua, Domine, à qua longe abſunt filii hujus ſæculi, qui pluſquam ſapientiam diligunt pecuniam. Hominum injuſtitia. Opprimunt enim pauperculos, & derelictos, qui vix ſaturantur pane, trahentes eos ad A colendos agros, & ædificandas domos ſuas; & tamen moratur merces parvulorum in tabernaculis divitum, neque commoventur viſcera illorum ſuper eis. Omnia tempus habent, Juſtiſſime Rex, & tu reddes unicuique ſecundum opera ſua. Tu confringes molas violentorum, & de dentibus eorum auferes prædam. Tu parces pauperi & inopi, & ſalvos facies filios pauperum, & humiliabis calumniatores. Tu redimes ex uſuris, & iniquitate animas inopum, & clarificabitur in pauperibus juſtitia tua. Nunc verò, quandiu abundant tentoria prædonum, & conſumitur egeſtate populus tuus; magna cum laude ſervi tui fideles verbis, & exemplis diſſolvunt colligationes iniquitatis: & pro viduis, & pupillis deprecantur vultus divitum, ad exercititum juſtitiæ, qua decoratur domus tua. B O Domine, quàm fœlix eſt Schola tua, quæ cum patiatur injurias, & multiplices injuſtitias, ſi petatur ab ea tunica, reddit & pallium, ut cum iis etiam, qui oderunt pacem, Schola Chriſti pacifica. ſit quoque ſuavis atque pacifica! Utinam optimates mundi diſcerent juſtitiam, & erudirentur qui judicant orbem terrarum! Certè ſi vellent conſiderare converſionem amicorum tuorum, & æquitatem, qua ponderant actiones ſuas, legerent in vivis libris eorum viam Juſtitiæ, qua præſervarent ab interitu animas & corpora ſua. Sed nunc pingueſcant iſti tauri ad victimam rapientes bona pauperum ſuſpirantium tibi: donec veniat dies ultionis tuæ: Diſcipuli verò tui ſtudeant juſtitiæ: ut qui in ſordibus eſt, C ſordeſcat adhuc, & qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc. Tempus breve eſt, citoque veniens Rex juſtitiæ, exurgens propter miſeriam inopum & gemitum pauperum, ad conſolandas animas adhærentium tibi. Tunc apparebis terribilis violentis, qui malè ſenſerunt de cultu juſtitiæ, quam oderunt: & coronabis amicos tuos pro accuratiſſima juſtitia, quam obſervarunt ad inſtruendos, & lucrandos tibi chariſſimos proximos ſuos.

CAPUT IX.

De exercitio Temperantiæ, quod ſit in Schola Jeſu Chriſti.

Amabilis eſt valde decor domus tuæ, Domine, D quem ſervant ſtudioſiſſimi temperantiæ diſcipuli tui. Adeò enim Schola tua decoratur honeſtate, & abnegatione rerum delectabilium hujus vitæ, ut nihil in ea videatur, niſi honeſtum, & pudicum, ſicut decet habitaculum puriſſimi cordis tui. Plebs Iuſtorum pugna. tua, Domine, fortiſſimè pugnat cum delectationibus ſenſuum, temperans illas propter te, ne unquam excedant modum neceſſitatis, qualis conceditur ab immaculata lege tua. Atque adeò in cibo, potu, ſomno, viſu, olfactu, cum honeſtate mirabili, & verecundia virginea obſervat moderationem ordinatiſſimam, qua fit pulchra ſicut Jeruſalem, & ſpirat odorem ſponſi ſui in plateis, ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans. E Non eſt reprehenſio, quia non eſt deformitas in ſchola ſapientiæ, quæ decore ſuo placet oculis ſpiritualibus, qui delectantur honeſtate, & oderunt turpitudinem. Sed & oculi carnei filiorum hujus ſæculi, quando tantillum reſpirant mundani homines ad te, capiuntur moderatione illa diſcipulorum tuorum: & mirantur honeſtiſſimam converſationem, & abſtinentiam illam abhorrentem à voluptatibus corporeis, quibus corda ſtulta gravantur. Et quidem Schola tua, Domine, ex quo didicit adhærere tibi, bene, clareque cognovit, ſe non poſſe ſuſpirare ad te, ut decet corda conſecrata, tibi, niſi parciſſimè utatur rebus delectabilibus etiam licitis. Certùm eſt enim ſub prætextu neceſſitatis viros etiam temperantes ſæpe decipi ad tranſgreſſionem, & licentiam, nimiam, F quæ miſerabiliter lædit animas eorum. Et vigilantia Et propterea vigilant in timore tuo, Domine, amici tui, & aſſidua conſideratione cœleſtium delectationum mortificant membra ſua, quæ ſunt ſuper terram; & continent ſe intra terminos Angelicæ vitæ per ſeveram carnis diſciplinam. Hinc eſt, Domine, ut in domo tua omnia ſint candida, & lucida, cum corda familiæ tuæ non deturpentur, & retardentur impudicitia, crapula, vel ebrietate, ſed perenni ſtudio tuæ ſimilitudinis dealbentur ſuper nivem, & illuminentur formoſa valde luce tua. Hæc eſt gloria magna ſcholæ Juſtorum, qua illuſtrati ſunt plurimi fideles amici tui, Domine: qui relictis palatiis regum terrenorum abjerunt in ſolitudinem, & admirabili temperantia negantes G oculis ſuis omnia, quæ deſideraverunt, reliquerunt Eccleſiæ ſponſæ tuæ bonum nomen ad narrandas laudes eorum: ut cum legerentur in futuris generationibus, populus electus laudaret te. Re quippe vera laudabilis es, Domine, in ſanctis tuis, quos ita inſtruis ſecreta eruditione ſcholæ tuæ, ut quaſi ablactati à lacte mundi, & avulſi ab uberibus matrum ſuarum ſervent temperatiſſimam moderationem in uſu præſentis vitæ, quaſi è carne, & ſanguine cæterorum hominum compoſiti non eſſent. Beati viri illi, qui candorem, & honeſtatem tuam, Fili puriſſimæ Virginis, in actionibus ſuis repræſentant! Non proiicies illos à facie tua, quia ſplendidi facti ſunt ſicut ſol, & tanquam H perfecti Nazaræi adhæſerunt tibi. Nunc illi creſcunt puritate, & à mundo longiſſimè ſeparantur, ut accedant proximè ad te, & illuminati ſplendoribus ſanctorum fruantur in æternum dulciſſima ſocietate tua.

CAPUT X.

De exercitio Fortitudinis, quod ſit in Schola Jeſu Chriſti.

Iuſti fortiſſimi.

JUſti tui, Rex magne, ut leones confidunt,
& aggrediuntur pericula magna
A aſpicientes te fortiſſimum adjutorem, & liberatorem
ſuum. Credo autem, Domine,
amicos tuos nutritos in ſchola tua fortiſſimos
eſſe, quia cum nihil poſſideant in hac vita,
quod timeant perdere, pro nihilo ducunt pericula
mortis corporalis, per quam tranſituri
ſunt ad beatiſſimam vitam, & fœlicitatem
tuam. Et ideo mirabile eſt, quàm facilè exponant
ſe ſummis difficultatibus itinerum,
& navigationum providentes te ſemper in
conſpectu ſuo, & legitimè certantes coram
te, pro quo omnia viſibilia deſpexerunt.
Filii hujus ſæculi, Domine, licet Reges, aut
Imperatores ſint, parvuli, & timidi ſunt;
atque adeo ad ſolum nomen mortis perturbantur.
Poſſident quippe multa bona temporalia,
& vehementer amant animas ſuas,
quas tu odio habendas prædicaſti, ex quo
B fit, ut timor & tremor veniant ſuper eos,
quando aliquod periculum grave ſuccedit.
Quo enim ibunt, quando vocabis eos ad
judicium, ſuperveniente eis interitu repentino!
Multas cauſſas timoris, & horroris habent:
neque mirandum eſt, ſi apud eos non moretur
fortitudo. Diſcipuli vero tui, Domine, ſcientes
ſe à dextris habere te, & confidentes in
virtute, & juſtitia tua, cujus gratia præliantur,
non ſolum non fugiunt imaginem mortis, ſed
ipſi offerunt ſe vulneribus, & morti cum altiſſima
laude Majeſtatis tuæ. Recte quidem;
appropinquante enim morte naturali, vel
violenta amici tui, Domine, quorum tu illuminatio,
& ſalus es, quem timebunt? Milites
illi, quorum protector vitæ tu es, à
C quo trepidabunt? Verè non trepidant milites
tui, qui fortiſſimè pugnant cum morte
pro vita, & cum inferno pro gloria: tam
firmiter enim aprehenderunt te, ut neque
mors, neque vita, neque perſecutio, neque
gladius, neque inſtantia, neque futura, neque
creatura aliqua poſſit eos ſeparare à potentiſſima
charitate tua. Quod genus fortitudinis
quam verum ſit, probaberunt, Domine,
multi exercitus Martyrum tuorum,
quibus ceſſit lacerans fortiter ungula, neque
fortiora carpſit penetralia. O Rex invictiſſime,
ſub cujus pede gemit mors, & infernus,
quot adoleſcentes nobiles, & decori
valde, in mollibus enutriti, qui videbantur
timere formicam unam, obtulerunt ſe tyrannis
pro te ad rotas, gladios, & flammas
D ignis! Quot Virgines ſpecioſiſſimæ, quæ præ
teneritudine videbantur non poſſe ambulare,
tradiderunt corpora ſua in mortem,
contemnentes ignem, beſtias, & ſecurim!
mirabilia ſunt, Domine, quæ fecerunt ſervi
tui armati fortitudine tua. Sed & nunc habes
paucos aliquos fortiores mundo, contemptores
mortis, & inferni, qui currunt
ad nationes barbaras, ut evangelizent te;
qui lapides & cruces, & gladios, & naufragia
non formidant, optantes, ut periculis
fluminum, latronum, & tyrannorum probes
illos. Potens quippe es tu, Domine, in his
quoque diebus omnem gratiam & fortitudinem
abundare facere in illis, ut ſtent ante
Reges, & Præſides, non cogitantes, quomodo,
aut quid loquantur, ſed fortiſſimè E
pugnantes pro invincibili veritate tua. Hi
ſunt, qui permanent tecum in tentationibus
tuis, Fili Dei tentate per omnia pro ſimilitudine
abſque peccato. Hi ſunt, quos retinens
mundus inhorreſcit, quia à conſtantiſſimis
animis calcatur infirmitas, & vanitas
ejus. Hi ſunt pars nobiliſſima caſtrorum tuorum,
Rex Pacifice, qui contra leges carnis,
& ſanguinis, & contra adverſitates mundi,
& Inferni portant in corporibus ſuis chariſſima
ſtigmata tua. Hi ſunt, quorum memoria
non derelinquetur, ſed à te, liberaliſſime
remunerator, ſervabitur ſcripta in libro
vitæ. Beatiſſimi ſunt certè pauci iſti pugnatores
tui, Domine, quorum fortitudine
clarificatur catholica fides tua uſque ad fines
orbis terræ. Nunc circumeunt egentes,
anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes, F
& in mediis populis quandoque apparentes,
ut cum diſcrimine corporalis vitæ annuncient
iis, qui te ignorant, æternam vitam
tuam. Bene eſt, ut fortiter pugnent pro te,
& enarrent univerſa magnalia tua. Citò
enim finietur perſecutio, & ceſſabit crudelitas
tyrannorum: ipſi vero aſcendentes de
tribulatione magna veſtientur ſtola candida,
& prima in ampliſſimo regno tuo, cujus fœlicitas,
& lætitia non ceſſabit in æternum.

CAPUT XI.

De exeroitio Religionis, ſive latriæ, quod ſit in Shola Jeſu Chriſti. G

VIrtus Religionis, Domine, qua colitur
& adoratur divina Majeſtas tua, mirabiliter
exercetur à diſcipulis tuis, quorum
potiſſima cura eſt, ut multis modis honorent
te. Et primum quidem proſternunt ſe
tibi humillimis cordibus, & corporibus adorantes
ſublimiſſimam dignitatem Majeſtatis
tuæ. Afferentes tibi non filios arietum, &
hircos cum medulla tritici, ſed incenſum
puriſſimi affectus erga legem tuam. Sacrificant
tibi vitulos labiorum ſuorum in pſalterio
decem chordarum cantantes tibi, &
innumerabiles hoſtias ſpirituales immolantes
in ara cordis ſui. O Domine, quoties extollunt
manus ſuas in ſancta adorantes te,
& narrantes mirabilia, quæ feciſti parcens
illi! Et hæc quidem, Altiſſimi Fili Dei, quæ H
ad ſacrificia ſpiritualia pertinent, multiplicantur
in Schola tua ſuper ſtellas cæli aſcendentibus
ad te odoribus ſuavitatis de concilio
& congregatione juſtorum unanimiter
habitantium in domo tua. Sed ineffabilis eſt
laus magna ſervorum tuorum, quæ naſcitur
ex celebratione, & ſolemni miniſterio al-

Chriſtus rex invictus.

Laus ſervorum Dei ineffabilis.

taris

Scripta An. 1607.

taris, ubi offerunt te puris cordibus, & manibus clementiſſimo Patri tuo. Ibi una oblatione, quam quotidie repetunt, incruente immolant candidiſſimum Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, tanta copia ignitorum affectuum, & lachrymarum dulciſſimè fluentium præ commotione viſcerum in A cantu Eccleſiæ tuæ, ut ſine dubio delecteris in eis, & reſpicias gratiſſima vota eorum. Quam piè, & ardenter, & quam maturis ſenſibus, Domine, ſervi tui, quos altiſſima dignitate ſacerdotum decoraſti, accedunt ad altare tuum, ut ponant ibi non panes propoſitionis antiquæ, aut carnes vitulorum & hircorum, ſed panem, qui de cælo deſcendit, & ſanguinem, quem fudiſti, cum operareris ſalutem in medio terræ! Omni cuſtodia cuſtodiunt corda, & corpora ſua, ne inquinentur, & indignè tangant vaſa Domini: & multiplicibus modis expurgant vetus fermentum, & lavant ſtolas ſuas. Sic ergo conjungentes interiores hoſtias affectuum ſuorum cum holocauſto pinguiſſimo novi, & æterni teſtamenti tui faciunt B ſolemnitatem grandem magnitudine oblationis, & votorum aſcendentium velociter ad conſpectum Majeſtatis tuæ. Tu vero, Clementiſſime, qui intueris corda hominum, odoraris ſacrificium gratiſſimum cordi tuo exaudiens deſideria pauperum fortiſſimè ſuſpirantium tibi, & viſitans in miſericordiis multis caſta corda, quæ requirunt te. Sunt certè oculi tui aperti, & aures tuæ erectæ ad orationes juſtorum, quas offerunt cum muneribus dilectionis, quæ præparavit nobis infinitus amor tuus. Hic eſt cultus religionis, qua honoratur altitudo tua, Rex magne, qui pro perfecto, puroque cultu, qui redditur tibi à piiſſimis diſcipulis tuis, reddes eis coronas decoris, & inæſtimabilia gaudia in templo Jeruſalem primogenitæ civitatis tuæ.

Deus corda hominum intuetur.

CAPUT XII.

C *De exercitio Orationis, quod ſit in Schola Jeſu Chriſti.*

NON intelligit mundus, clementiſſime Fili Dei, quanti ponderis ſit ſemper orare, & nunquam deficere. Non capiunt Principes terræ verbum hoc de mane ſurgendi, & vigilandi ad poſtes ſapientiæ, atque ideo non inveniunt illam. Non eſt inter filios ſæculi hujus, qui conſideret, quantæ ſint divitiæ, & ſolatia orationis, in qua anima, tanquam ſponſa caſtiſſimè conjungitur tibi ſponſo ſuo. Schola tamen tua, Domine, illuſtrata lumine vultus tui cognovit pondus & æſtimationem orationis, & ſe totam D dedicavit ſtudio illius. Quapropter amici tui habent horas certas, & quotidianas, quibus intentiſſimè vacant tibi unico bono, & ſolatio ſuo, tanti æſtimantes tempus illud, ut libenter contemnant omnia deſiderabilia mundi, ne priventur eo conſortio tuo. Et ne alieni efficiantur à te, qui es vita, & fœlicitas eorum, reliquo tempore diei, & noctis, quantum fert humana fragilitas, nihil cogitant, niſi te, ut adhæreat viſceribus eorum delectabilis valdè imago præſentiæ tuæ. Neque in hoc opere tam neceſſario ſequuntur, vel admittunt conſilia hominum, qui neſciunt æſtimare pretium ſapientiæ tuæ: E ſed intuentur exempla ſanctorum, qui quærebant ſpeluncas, & ſolitudines, ut longè à confuſione Babylonis vacarent tibi. Propter hoc ſubtrahunt ſe conſortio conſanguineorum, & amicorum carnalium, qui fallaciter lactant eos inutilibus ſuaſionibus, quæ corda ſtulta ſeducunt. Propter hoc fugiunt inquinamenta carnis, & ſpiritus, ſcientes ſe non poſſe converſari tecum, ſi non lavent pedes ſuos. Atque ita puris cordibus & manibus aſſiſtunt ante faciem tuam, Rex Pacifice, ut audiant, quid loquaris eis, & percipiant ſibilum lenis auræ tuæ. Purgant, atque repurgant ſemetipſos calido balneo ſanguinis tui, ut creſcente puritate vitæ aptiores fiant ad aſcenſiones cordis, & dulciſſimam ſermocinationem ſecreti ſpiritus tui, F qui auditur in abſcondito cubiculo cordis, clauſis portis, atque feneſtris ſenſuum adverſus importunas imagines mundi. Sic ergo exercent ſe diſcipuli tui, Domine, tanta cum ſollicitudine, & fidælitate, ut nolint requieſcere, donec inveniant te, à quo expectant pluviam voluntariam miſericordiæ, quæ ſicut ros Hermon deſcendit in eos, qui vigilant ad portas Sion, ubi eſt locus quietis tuæ. Et quamvis longa & triſtiſſima ariditate probes illos, quaſi ambulantes per loca deſerta, ubi laboratur aquæ penuria, ſequuntur te fideliter per viam ſolitudinis, ſcientes ſe currere ad fontem aquæ vivæ. Non ceſſant à propoſito ſequendi te, licet occurrant eis crudeles inimici, qui quærunt ſubvertere ſenſus eorum ad deſerendam Scholam tuam. Fide igitur ſincera ambulant per terram ſterilem, quamdiu placet tibi ductori ſuo, cui adhærent neglectis conſiliis hominum. Et quando diſponit ſuaviſſima G providentia tua, apparet eis terra promiſſa, quaſi paradiſus Domini, ut laſſi recreentur & lætentur abundantia dulciſſimæ bonitatis tuæ. Ibi exultant oſſa humiliata, & reviviſcunt viſcera pene mortua rigata flumine conſolationis tuæ. Ibi cor expanditur præ magnitudine lætitiæ, & fortiſſimè adhæret tibi liberaliſſimo remuneratori ſuo. Ibi ſalit ſicut cervus claudus, & ſolvitur vinculum linguæ mutorum ad cantandas copioſiſſimas miſericordias tuas. Ibi ſugunt chariſſimi amici lac Sponſi ex uberibus tuis, quæ fragrant unguentis optimis, quibus nihil eſt comparabile in terra noſtra. Ibi apparet lux formoſior ſole, quæ illuminat penetralia cordis, & ingerit caſtiſſimas delectationes Dei. O H Domine, quam dives eſt domus tua, & quàm plena ſunt cellaria tua ubertate conſolationum ineffabilium, quas non guſtant neque guſtabunt, qui fugiunt humilitatem, & manſuetudinem Scholæ tuæ! O quam contemptibilia & ſordida videntur dilectis tuis, qui

Ignorantia hominum.

Iuſti longa ariditate probati.

Scripta An. 1607.

Solatia filiorum Adae contemptibilia.

guſtaverunt te, omnia ſolatia filiorum Adæ, omnia convivia, omnia palatia, omnes horti & omnes voluptates corporum, quibus tenentur ligati inimici ſpiritus tui! Non recedant à Schola tua, Domine, qui à te lactati ſunt, & biberuut de torrente conſolationis, qua plena eſt ſermocinatio tua. Etenim & ſolatia illa, quibus novelli ſervi, & A adoleſcentuli trahuntur, talia ſunt, quæ illos trahere poſſint ſine violentia, ut nolint ſeparari unquam à te: ſed gaudia illa majora, & puriora, quibus poſt ſterilitatem abundare ſolent oratores tui, fortius tenent corda, & corpora exultantia in Deum vivum, ut in æternum velint tecum permanere. Magna eſt velut mare bonitas tua, Domine, qui poſuiſti delitias tuas in communicatione filiorum hominum, ut oſtenderes antiquas cogitationes miſerendi, quas habuiſti, antequam fundares terram, & abyſſis aquarum veſtires illam. Beati ſervi tui, Rex Pacifice, qui aſſiduè aſſiſtunt coram facie tua, & meditantur in operibus manuum tuarum, & quod fœlicius eſt, contemplantur te ſummam bonitatem, ſapientiam, & fortitudinem ſuam.

Iuſtorum ſtudium.

Hi pauci electi tui quærent certiſſimè loca ſolitaria, ubi non audiatur ſtrepitus malleo- B rum, & clamor mercatorum & diſcurſus tranſeuntium, & currentium poſt deſideria ſua. Quærent, atque requirent te in abſcondito, ut pacificè loquantur tecum, & adhæreant cordi tuo. Tu verò, Clementiſſime, exaudies eos & amantiſſimè reſpondebis, quando offerent tibi ſacrificium plenum adipe deſiderii tui: & poſt exilium hoc oſtendes eis optatiſſimam, & ſuper cœlos ſereniſſimam præſentiam tuam.

CAPUT XIII.

De exercitio Obedientiæ, quod fit in Schola Jeſu Chriſti.

SI omnia membra mea verterentur in lin- C guas, Unigenite Fili Dei, non ſatis laudarem exercitium obedientiæ, quæ ſingulariter lucet in Schola tua. In hac enim virtute excellenter imitatur te, qui factus es obediens à nativitate uſque ad mortem, ut diſcerent filii Adæ ſequi te, & recedere à prævaricatione patris ſui. Et quidem, quod eſt mirabile, cum eſſes filius naturalis Dei, didiciſti ex iis, quæ paſſus es, obedientiam, quaſi volens ſingulari cura, & perfectione imprimere viſceribus diſcipulorum tuorum cultum, & amorem virtutis iſtius. Quapropter illi bene intelligentes ſenſum Præceptoris ſui, qui docet ſapientiam in abſcondito, ita ſe tradunt regendos ſuperioribus ſuis, quaſi D omni diſcurſu, & judicio carerent. Sciunt enim omne judicium creaturarum non poſſe comparari cum judicio Filii Dei loquentis per ſuperiorem ſuum; & ideò redigunt in captivitatem omnem intellectum, ne fortè pereant de via juſta. Quod adeò perfectè fit in Schola tua, Domine, ut cum jucunditate multa ſuperiores. Religionum, in quibus obſervantia viget, conſiderent mirabilia magna, quæ operaris in auditoribus tuis. Ab initio enim ſuæ renunciationis multi novelli diſcipuli, qui paulò ante erant è numero prudentum hujus mundi, adeo mirabiliter mutantur per gratiam tuam, ut fœliciter excæcati obſcuritate fidei, non magis diſcurrant circa obedientiæ mandata, quam ſi E infantes modò geniti eſſent. Qua certè ſimplicitate gratiſſima tibi, Domine, in tantum proficiunt, ut intra paucos menſes videantur aſcendiſſe ſuper excelſam terram, & ſedere poſſe cum principibus populi tui. Hi ſunt qui renaſcuntur denuò, iterato ingredientes in uterum incorruptum Scholæ tuæ: quæ quaſi puriſſima Virgo parit tibi filios ſine dolore, ut multiplicetur nive candidior familia tua.

Superior Chriſti vicarius.

Obedientiae laus.

Creſcit autem obedientiæ laus in multis occaſionibus, ubi præcipiuntur ardua, & difficilia, aut quæ fortaſſe non videntur rationabilia; in quibus tamen mites agni tui, Domine, vel neſcientes cogitare malum de Superiore ſuo, vel ſi tententur, repellentes cum horrore cogitationes infideles, comparant admirabiles victorias quibus ædificatur, & exhilaratur domus tua. O Rex Pacifice, quam ſpecioſa eſt congre- F gatio juſtorum, ordinatiſſimis actionibus tota compoſita ad nutum Prælati ſui! Quam fœlix æmulatio diſcipulorum tuorum, qui ſunt parati potius mori, quam verbum obedientiæ præterire. Quantus decor eſt, Domine, ille qui conſurgit ex concordia multorum conſentientium promptiſſimis animis in unum opus obedientiæ, quam totis viſceribus diligunt!

Satan longe ab obedientia.

Non eſt Satan in Schola obedientiæ tuæ, dulciſſime Magiſter hominum, non murmur, non querimoniæ, non falſæ interpretationes, non faſtidia, non malignitas, non tarditas, ſed pax, & lætitia naſcens de corde puro, & fide non ficta. Credo certè, Domine, te comedere avidiſſimè ſuaves valde fructus iſtos, quos producit obedientiæ G ſtudium in pacifica domo habitationis tuæ. Veſcere ergo, Domine, & lætentur omnes, qui ſe ſacrificaverunt tibi, ut ſervirent divinæ Majeſtati omnibus diebus vitæ ſuæ. Tu regis eos nunc in arca, in quam non ingrediuntur fluctus aquarum diluvii: & poſtea jubebis requieſcere non ſuper montes Armeniæ, ſed ſuper montem coagulatum interminabilis gloriæ, & ineffabilis conſolationis tuæ.

CAPUT XIV.

De exercitio Caſtitatis, quod fit in Schola Jeſu Chriſti.

Concupiſcentia equus fallax dicta.

H BEatiſſima eſt Schola tua, Domine, quæ caſtigat concupiſcentiam tanquam equum fallacem ad ſalutem, qui in abundantia virium ſuarum non ſalvatur. O quàm pulchra eſt, Rex Pacifice, caſta generatio quærentium te, quam illuſtrat claritas vultus tui! Corda caſta ad te ſuſpirantia ſunt lilia candidiſſima paradiſi tui, quibus delectatur

Scripta An. 1607.

anima tua. Quod bene intelligentes diſcipuli tui, Domine, viriliter pugnant pro decore caſtitatis: & dignum judicant pati multos ſudores, & anguſtias pro candore puritatis tuæ. Tenent gladios ſuper femur ſuum: præcinctiſque lumbis vigilant ad te, ne unquam inquinentur ſtolæ eorum, quibus decorantur ad nuptias Agni Dei. Difficilè numerari poſſunt

A

vigiliæ, jejunia, cilicia & aliæ corporis caſtigationes, quibus exercent ſe, ad tuendum decorem puritatis, qui ſomno, cibo, & mollitie ſolet offendi. Videntur certè

Juſtorum vigilantia.

ſolliciti amici tui, Domine, mille oculos habere ad circumſpiciendum occaſiones, & pericula lædendi caſtitatem, quaſi viatores providi theſauros portantes, qui timent inſultus latronum. Et ideò non ceſſant diebus, atque noctibus offerre tibi preces, & ſuſpiria inenarrabilia, ut liberes eos de manu anguſtiæ, & de multis tribulationibus, quæ circumdederunt eos! Jam verò quando tentantur longis, & moleſtiſſimis tentationibus concupiſcentiæ, quæ ſævit quaſi urſa raptis catulis, mirabile eſt, quàm fortiter reſiſtant, & quot muris, & antemuralibus curent defendere

B

ſe à crudelibus inimicis ſuis. O Fili Dei altiſſimi, quot prælia crudeliſſima tolerant ſervi tui ad cuſtodiam formoſiſſimæ caſtitatis, cujus decor amabiliſſimus eſt! Quot anxietates, & ſudores mortis patiuntur, ne perdant argentum igne examinatum! Certè

Bellum carnis horribile

bellum hoc, quod naſcitur à lege membrorum, horribile eſt; nam & confringere ſolet cedros Libani; & facit quandoque ſtellas de cælo cadere, ut triſtiſſimis hiſtoriis probatum eſt. Quocirca milites tui, Domine, clamant ad te de profundis cordium ſuorum, ſcientes quale bellum gerant, & quam fragilis ſit omnis homo, niſi fortiſſima gratia tua firmet illum. Ambulant ergo cautè vocatione, qua vocati ſunt, nolentes confidere in viribus propriis: & expectantes manum tuam

C

de alto audent pugnare cum ferociſſimis hoſtibus ſuis. Poſtquam vero caſtigato corpore, & purificato corde multiplicia prælia fideliter ſuſtinuerunt, mirabiliter viſitantur à te, Clementiſſime Rex, & facti digni ampliore dilectione propter prærogativam caſtitatis,

Caſtitatis fructus.

recipiunt à te dulciſſimi amoris ſigna deſiderabilia ſuper omnes favores regum terræ, & ſuper omnia gaudia filiorum hujus ſæculi. Splendore tuo illuminantur & exhilarantur ad currendam viam, quam cœperunt: & carnis pondere non gravati, ſpiritualiſque vitæ cibo in menſa tua nutriti feſtinant ad patriam ſuam, ad conſortium Angelorum, quibus aſſimilati ſunt. Ibi dabis eis partem in thalamo tuo, & longitudine dierum & gaudiorum ineffabilium replebis eos.

D

CAPUT XV.

De exercitio Paupertatis, quod fit in Schola Jeſu Chriſti.

MEritò ſchola tua, Domine, in fundamento ſolidiſſimo paupertatis tuæ fundata eſt, quia poſſeſſura eſt regnum cœlorum. Non enim bene cohæret poſſeſſio ſubſtantiæ hujus ſæculi cum meliore ſubſtantia regni tui, cujus divitiæ non ſunt de hoc mundo. Quomodo enim corda onerata bonis terrenis ſuſpirabunt ad bona cœleſtia, & theſaurizabunt apud te theſauros ſuos? Certè non pertinet ad ſcholam tuam mercatura, & ſollicitudo terræ, quæ non ſinit

E

animum adhærere tibi. Quocirca diſcipuli tui, Domine, tam ardenter ſtudent ditiſſimæ paupertati, ut vix velint habere alimenta, & veſtes, quibus tegantur in hac vita. Quod ſi aliquando ex miſericordia proximorum abundent bonis, contriſtantur, ne fortè reputentur inter filios hujus ſæculi, qui cărituri ſunt corona paupertatis tuæ. Nihil eſſe videtur in mundo, quod tam vehementer deſideretur, ſicut aurum, cum quo veniunt honores, & delectationes: nihil verò ferventius quæritur à diſcipulis tuis, Fili Dei, quam paupertas, cum qua venit contemptus, & incommoditas vitæ.

Paupertatis ſociae.

Ex quo apparet, quam diverſæ ſint viæ tuæ à viis hominum. Sed pauciſſimi capiunt verbum iſtud: non enim ſatrapæ Medorum, atque Perſarum cum populis ſuis poſſunt ſibi perſuadere,

F

amabilem eſſe inopiam manſuetorum, & humilium, qui habitant concorditer in domo tua. Sed quicquid ſentiat mundus, qui non cognovit te, Domine, ſervi tui eruditi ad pedes tuos amant paupertatem, quaſi dulciſſimam ſponſam, & cupiunt mori inter brachia ejus. Quod adeo verum eſt, ut non ſolum, poſtquam in domo tua profecerunt, ſed etiam in ipſo ingreſſu multi famoſi diſcipuli tui relinquentes omnia, ut ſequerentur te, reliquerint ipſa etiam veſtimenta, quibus tegebantur, ut tu tanquam omnino derelictos tegeres illos, ſicut fecit Franciſcus chariſſimus amicus tuus.

D. Franciſcus.

G

Diſciplina hæc tua, Domine, recondita eſt, neque capiunt eam amatores ſui, quibus plenus eſt mundus. Pauci tamen illi, qui capiunt eam, fiunt tibi gratiſſimi in Religionibus præſertim obſervantibus, ubi non ſolum nihil poſſident Religioſi, ſed ex iis, quæ dantur eis ad uſum, eligunt viliora, ut tibi exemplari ſuo conſentiant. O Domine, qui non habuiſti, ubi reclinares caput in terra, quam dediſti filiis hominum, quam jucundum ſpectaculum eſt videre multos diſcipulos tuos, qui ante vocationem ſuam induebantur purpura & byſſo, & poſtquam guſtaverunt divitem paupertatem tuam,

Paupertas Chriſti dives.

induuntur viliſſimis veſtimentis, quæ æſtimantur ab eis ſuper veſtes pretioſiſſimas regum terræ! Quam admirabile opus eſt viros multos nobiliſſimos, qui ante vocationem ſuam epulabantur ſplendidè, comedere fragmenta panis mendicati, & pro

H

magno habere, quod dentur eis reliquiæ ciborum, quæ ſuperſunt familiæ tuæ! Hæc eſt exercitatio mira, quæ diſcitur in Schola tua, Domine, cum hilaritate magna, & contemptu mundi, currentibus ſervis tuis pauperibus ad divitias incomparabiles regni tui. Citò tranſibit indigentia pauperum tuorum,

rum,

Scripta An. 1607. rum, Rex dives in miſericordia, & amici tui veſtientur veſte regia, & ſaturabuntur lautiſſimis epulis ad menſam tuam.

CAPUT XVI.

De exercitio Reſignationis quod ſit in Schola Jeſu Chriſti.

A

NIhil eſt deſiderabilius ſervis tuis, Domine, quam facere omnia ſecundum conſilium rectiſſimæ voluntatis tuæ. Cum enim conſecraverint ſe tibi, ut totis viſceribus ſequantur te Magiſtrum, & auctorem vitæ, nihil volunt operari, vel cogitare, quod non placeat cordi tuo. Quod ſi inter varias mutationes vitæ infirmentur, vel ſanentur, adjuventur, vel derelinquantur; quicquid eis accidit, ſuſcipiunt de manu tua cum magna pace cordis, quia ſicut tibi placuit, ita factum eſt. Inæſtimabilis eſt, Domine, pax, qua juſti tui gaudent, ſive annus ſit fertilis, ſive ſterilis, ſive pluat, ſive grandinet; quia in his omnibus intuentur, & diligunt beneplacitum tuum. Per omnia quærunt primum, quid acceptum ſit in B conſpectu tuo, & donec voluntati tuæ ſatisfaciant, non poſſunt requieſcere: in quo facile cognoſcitur juſtitia, & puritas eorum ſuper candorem nivis: ſive moriantur, ſive vivant filii eorum, ſive nobiles, ſive ignobiles ſint, ſive laudentur, ſive vituperentur, in ore habent verba ſervi tui Job, quando miſiſti manum tuam validam ſuper eum. Neque ferre poſſunt conſilia hominum impatientium, & ſuperborum, qui nolunt inclinare cervices ad jugum tuum, ſed elevantur cum murmure adverſum te, ſi infirmitatibus, vel paupertate, vel aliis probationibus tangas illos. Conſiderant enim ſtultitiam eorum, qui nolunt ſubiici tibi, & pereunt cum diſſolutione magna; & fœlicem vitam illorum, qui acquieſcunt divinæ voluntati, & C ſuaviſſimæ providentiæ tuæ. Et ideo eligunt partem meliorem extenuantes hoc conſilio moleſtias præſentis vitæ, & acquirentes ſubſtantias meritorum multam nimis. Non auditur clamor in domibus eorum in morte primogeniti, neque immoderatus riſus in proſperitate hujus ſæculi, ſed æqualitas lætitiæ caſtæ, quæ naſcitur ex impleta jam voluntate tua. Pauci ſunt valdè, ô Rex Pacifice, qui æquanimiter vivant, & lætentur in beneplacito tuo, & qui non patiantur aliquid humanum, quando graviter probas illos. Pauci ſunt, qui æque accipiant de manu tua adverſa, & proſpera, & cantent inter nubila miſericordias tuas. Multi confortant manus aliorum laſſas, & roborant genua debilia: & tamen quando D tangit eos plaga, deficiunt & ponunt in cœlum os ſuum. Veruntamen per hoc creſcit laus magna electorum tuorum, Domine, quibus clarificatur Schola tua. Fiunt enim admirabiles in univerſa terra, quando ſtant adverſus gravia mala, quaſi columnæ ferreæ, quæ non poſſunt moveri de loco ſuo. Iſti ſunt fortiſſimi ſervi tui, quorum corda conſtantiſſime confitentur tibi, ſive bene, ſive male fuerit eis. Iſtorum gloria, Domine, in Eccleſia tua tanta eſt, ut qui malè agunt, compungantur conſideratione patientiæ & reſignationis eorum, & qui bene operantur, quaſi doctores, & paſtores E ſequantur illos. Sic lucet Schola tua his luminibus in nocte præſentis vitæ, ut ad eorum fulgorem ambulet in tenebris, donec aſpiret dies & inclinentur umbræ: & pro perfecta reſignatione, qua diſcipuli tui quæſierunt te, inveniant, & poſſideant te infinitum bonum, & interminabile gaudium cordis ſui.

Ineſtimabilis juſtorum pax.

CAPUT XVII.

De exercitio Manſuetudinis, quod ſit in Schola Jeſu Chriſti.

PUſillus grex agnorum tuorum, Domine, paratus mori potius quam lædere offenſores ſuos, tanto ſtudio ſequitur manſuetudinem tuam, ut lapides quoque ad compunctionem movere poſſit. Didicit per F auditum fidei, te cum accuſareris, non te excuſaviſſe, cum patereris, non comminatum fuiſſe, cum blaſphemareris, non maledixiſſe: & imprimitur ejus viſceribus dulciſſima manſuetudo tua. Recordatur injuriarum, & improperiorum, quæ ceciderunt ſuper te: & videtur ei culpa intolerabilis, non adhærere, & conformari tibi. Quocirca fortes amici tui, Domine, quorum corda fortius adhæſerunt tibi, non ſolum læto vultu audiunt contumelias, & irriſiones, ſed (quod eſt mundo mirabile) quærunt occaſiones, ut ſaturentur opprobriis, tanquam pinguiſſimo nutrimento animæ ſuæ. Et quamvis initio ſuæ converſionis non ſemper guſtent mel, quod latet ſub improperiis, quæ tolerantur propter te; quandoque tamen, G ſecundum tempora à te diſpoſita, intimè lætantur ſicut lætabantur Apoſtoli tui, quando digni habiti ſunt pro ſuaviſſimo nomine tuo contumeliam pati. Qua in re apparet, Domine, potentia divinæ gratiæ tuæ, quæ mutat corda hominum uſque ad mirabilem pacem, & lætitiam de injuriis; ita ut quo magis tentantur, magis dulceſcant, & manſueſcant erga falſos, & infideles fratres, à quibus exercentur, ſicut tu, mitiſſime Domine, feciſti erga infœlicem Judam proditorem tuum. Et hoc quidem tam ſingulare, & admirabile exemplum diſcipulorum tuorum vehementer movet filios hujus ſæculi ad compunctionem, & correctionem vitæ. Licet enim cæci ſint, tanta eſt tamen manifeſtatio virtutis tuæ in tolerantia H injuriarum cum oſtenſione manſuetudinis, ut quando vident aliquem diſcipulum tuum placido vultu dulceſcere erga irriſores ſuos, non poſſint tolerare vim cordis humiliati, & arridentis offenſoribus ſuis. Utinam Domine omnes habitatores terræ diſcerent ponderare diſciplinam Scholæ tuæ, quæ vincit mundum

Scripta An. 1607.

dum non offendendo, ſeu reſiſtendo, ſed perferendo uſque ad extrema improperia! Utinam appareret oculis habitantium in tenebris formoſiſſimus ſplendor manſuetudinis, quæ exercetur in domo tua! O quot victorias comparavit manſuetudo Filii Dei per chariſſimos ſervos ſuos gaudentes contemptu mundi, & abſcondentes in ſinu A pretioſiſſima lucra gratiæ, quæ ex opprobriis amariſſimis proveniunt eis! Principes terrarum pro vindicta unius verbi parum bene ſonantis ſecundum leges mundi currunt ad ſanguinem, & conſumunt amplos redditus, perdunt vitam & animam ſuam; mites autem ſervi tui, Domine, non ſolum nihil perdunt, ſed acquirunt immenſa lucra gratiæ, & gloriæ, & acceptis injuriis, quaſi invento theſauro revertuntur hilares in domum tuam. Juſti imperturbabiles. Ex quo patet in præſenti vita manſuetos diſcipulos tuos eſſe velut immobiles, & imperturbabiles in hac varietate ſæculi, quod ſicut luna mutatur, & mutat incoſtantes amatores ſuos. Et hinc eſt, ut aptiſſimi ſint ad acquirendam ſapientiam ſecretæ eruditionis tuæ, quæ non reſidet in animis perturbatis & ſollicitis ad varios B eventus militiæ, quæ exercetur ſuper terram. Beatiſſimi ſunt certe mites amici tui, Rex Jeruſalem, quoniam in præſenti vita gaudent iis rebus, quibus potentatus mundi contriſtantur, & affliguntur uſque ad mortem & in futura felicique vita poſſidebunt fertiliſſimam terram viventium, & comedent dulciſſimos fructus ejus. Facti ſunt ad proportionem cordis tui; & per omnia ſtudent formari ad exemplar infinitæ perfectionis, quo fiunt decori, & amabiles valde in Schola tua. Hinc ſurgent divitiis immortalibus affluentes, & intrabunt in mare magnum delitiarum tuarum: ubi ſine fine cantabunt altiſſimas victorias gratiæ & infinitam dulcedinem bonitatis tuæ.

C

CAPUT XVIII.

De exercitio Humilitatis, quod fit in Schola Jeſu Chriſti.

NON eſt ſapientia ſuper terram, Domine, quæ comparari poſſit cum ſapientia ſcholæ tuæ, quæ creat caſta & humilia corda; qualia decent te Magiſtrum ſuum, qui cum in forma Dei eſſes, non rapinam arbitratus es, eſſe te æqualem Deo, ſed temetipſum exinaniſti formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & in profundiſſima abyſſo humilitatis habitu inventus ut homo. Hoc eſt verbum abſconditum, quod diſcitur in Schola tua, Rex Pacifice, D non in ſtrepitu & contentione verborum, ſed cum pace, in qua factus eſt locus quietis tuæ. Ita vero diſcitur verbum hoc, ut diſcipuli tui, Domine, illuminatos cordis oculos habentes, tam ſollicitè quærant vilia miniſteria domus tuæ, quam ambitioſi filii hujus ſæculi quærunt primos accubitus in cœnis, & primas ſedes in foro primoſque honores in palatio. Quod ut obtineant, ſi quid glorioſum eis faciendum committitur, quantum per legem tuam licet, vel fugiunt vel fingunt ſe neſcire, vel non poſſe, ne forte poſiti ſupra montem evaneſcant in cogitationibus ſuis, & veniat eis pes ſuperbiæ, quo recedant à te. O Domine, quot vaſa ſancta electionis tuæ abſconderunt ſe, ne ſublima-E rentur in Eccleſia tua! SS. Ambroſius, & Gregorius. Quam diligenter Ambroſius, & Gregorius, doctores magni, quorum doctrina fulget Eccleſia, ut Sole Luna, quæſierunt fugam prælationis. SS. Thomas Aquinas, & Antonius. Quam humiles corde, & viliter de ſe ſentientes fuerunt clariſſimi amici tui Thomas de Aquino, & Antonius? Mirabile eſt, Domine, quod iſti, quos repleviſti ſpiritu ſapientiæ, & intellectus, tam ſerio reputarent ſe indignos honoribus, & tam accuratè vitarent illos. Verùm hæc eſt eruditio Verbi, quod caro factum eſt: qua inſtructi ſervi tui viliſſima de ſe opinantur, & alios quaſi meliores ſe humillimis cordibus, & externis reverentiæ actibus honorant. Ex quo ſurgit dulciſſima pax, & ſuaviſſima converſatio inter domeſticos tuos, Domine, quorum unuſquiſque alios omnes amat, & honorat ſine invidia, vel maledicentia. Et hoc F mutuo exercitio charitas, quæ eſt vinculum perfectionis, mirabiliter nutritur, & corda redundant oleo lætitiæ tuæ. Non eſt amaritudo in familia humilium neque aſperitas, quæ pugnet cum ſuavitate ſpiritus tui qui requieſcit ſuper pauperculos trementes ſermones tuos. Neſcio, Domine, ſatis explicare, aut ponderare ſuavitatem humilitatis, qua plena eſt domus tua. Video enim humiles amicos tuos ab aliis etiam peccatoribus tam ardenter amari, & deſiderari, ut mihi perſuadeam, infinitam eſſe vim humilitatis, quæ poteſt mollire corda lapidea, & ſuſcitare in eis compunctionem & ignita deſideria gratiæ tuæ. O Domine G quam potens eſt gratia humilitatis, quæ facit magnos homines parvulos in oculis ſuis! Utinam vidiſſent ſuperbi optimates ſæculi mitiſſimum David amicum tuum, quando expoliavit ſe & ſaltavit coram arca fœderis totis viribus, juravitque ſe fore vilem & parvulum æſtimatione ſua! Etſi enim non omnes intelligerent abſconditum ſenſum publici ſermonis, omnes credo moverentur, & fortaſſe multi traherentur fortiſſima virtute tua. Sed quicquid mundus velit, Schola tua trahitur ſuavi valde catena humilitatis tuæ. Hæc eſt opulentia & fortitudo magna, qua roboratur Eccleſia Sponſa tua, Domine, & conſolatur ſeipſam in laboribus ſuis: quia humiles corde amici tui ſunt cardines terræ, ſuper quos poſuiſti orbem, ut ſuſtinerent grave pondus ejus. H Horum corda tibi, Rex Sion, gratiſſima ſunt: quæ tranſeunt modò per ignem probationis, & conſummato curſu inter Principes populi glorificabuntur à te, atque implebuntur caſtiſſimis delitiis paradiſi tui.

CA-

Scripta An. 1607.

CAPUT XIX.

De exercitio Miſericordiæ corporalis, quæ ſit in Schola Jeſu Chriſti.

Diſcipuli tui, Domine, ſcientes ſe habere Pontificem miſericordem, qui poſſit A & ſoleat compati infirmitatibus eorum, toto corde exercent opera miſericordiæ erga omnes propter te. Induuntur viſcera miſericordiæ ſimilia illis, in quibus viſitaſti nos deſcendens ex alto, & intimè affliguntur ex miſeriis proximorum quos diligunt ſicut animas ſuas. Non eſt miſericordia eorum, quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane pertranſiens, qui non fœcundat terram, quæ patet ſine aqua tibi, ſed quaſi pluvia magna & voluntaria, quæ deſcendit ſuper terram deſertam, ut fructus abundantiſſime producat. Miſericordia juſtorum. Et ideo ſi amici tui divites ſint, Domine, tanta ſollicitudine diſtribuunt inter pupillos & viduas, & peregrinos opes ſuas, quanta ſolent homines avari coacervare illas claudentes viſcera B ſua ad gemitus pauperum. Tota die miſerentur & commodant, diſpergunt, donantque pauperibus, per quorum manus, tanquam per fideliſſimos nuntios, tranſmittunt in cœlum bona ſua. O quam avidè exercent opera miſericordiæ tanquam boni mercatores, qui per hoc ipſum miſericordiam conſequentur! O quam placido vultu audiunt miſerias filiorum Adæ, & commoventur ſuper eis! Confiteantur tibi, Domine, opera miſericordiæ, quæ facis per manus ſervorum, quorum laus uſque in hodiernum diem magna eſt in Eccleſia tua. Sunt enim aliqui inter electos auditores tuos, qui non ſolum conſolantur inopes ex iis, quæ ſuperfluunt ſtatui ſuo, ſed non curantes ſtatum, qui citò cadit, & quærentes ſtatum permanſurum, ſubtrahunt ſibi neceſſaria ſtatui, vix C relinquentes neceſſaria ſuſtentationi perſonæ, ut copioſius miſereantur derelictis tuis. Non enim poſſunt tolerare ſine effuſione multarum lachrymarum miſeriam inopum, qui ſqualentes calamitate conſumuntur fame: & currunt ad capſas, & cellaria, ut cum lætitia dimittant a ſe chariſſimos fratres ſuos. Neque major lætitia eis accidere poteſt, etiamſi nobiliſſimi ſint, quam cum vident promptuaria ſua, & horrea vacua, & plena ſpe fideliſſimæ miſericordiæ tuæ. Qua in re, clementiſſime Domine, ſæpe apparuit manifeſtatio infinitæ bonitatis tuæ: nam horrea à ſervorum tuorum miſericordia ſemel evacuata iterum implere ſoles, ne ſiccetur fons miſerationum tuarum deſcendentium D in domos eorum, qui requirunt te. O Fili Dei Altiſſimi, quoties amici tui, qui vix habent neceſſaria, ut tegantur & vivant exuentes ſe veſtimentis, quantum fert honeſtas, cooperiunt nudos, mendicos, repulſos à domibus divitum crudelium. Credo certè, ô Manſuetiſſime, ſacrificia hæc eſſe delectabilia valde cordi tuo, quemadmodum ſignificaſti Martino militi, qui totis viſceribus dilexit te, quando petenti pauperi dedit dimidium pallii ſui. D. Martini miſericordia commendata. Sed non ſunt contenti negotiatores tui, Domine, ſi ſubtrahant ſibi neceſſaria ad conſolandos pauperes occurrentes ſibi: ipſi enim ambulant per domos derelictas, ſcrutantes, ubi lateant, qui tabeſcunt miſeria, & exhalare videntur animas ſuas donantes eis, quæ ipſi E habent, & quæ petunt ab aliis, cum rubore propter te. Profectò, Domine, holocauſta hæc bene medullata ſunt medulla dulciſſimæ charitatis tuæ, qua abundant corda amicorum tuorum quærentium modos varios miſerendi, ut miſerearis eis. Quid autem dicam, Fili Dei Altiſſimi, de miſericordia illorum, qui adhibent pauperculos ad menſam ſuam, ut honorent te, nolentes delectari conviviis divitum, ſed eorum, qui carent ſolatiis hujus vitæ! Certè non deſunt his diebus aliqui pauci electi tui, Domine, qui hoc modo exerceant miſericordiam: quorum laus magna eſt in Eccleſia tua, quanto ipſi in altiori dignitate conſtituti ſunt. Verùm & alii ſunt de mitiſſima Schola tua, F Domine, qui non ſolum vocant ad menſam ſuam derelictos, ſed pleni adipe miſericordiæ miniſtrant eis manibus ſuis, & intimè lætantur miſerendo. Hæc eſt hæreditas ſancta, & generatio caſta quærentium te, qui quando vident pauperes, in quibus conſiderant perſonam tuam, vellent, ſi poſſent, ſine nota proſternere ſe, & amplecti eos; & detegere vulnera illorum. O Rex magne, cujus miſeratio non habet finem, quam facile remittis peccata his viris miſericordibus, ſi forte pro humana fragilitate aliquando peccent tibi! Quam citò reconciliaris eis quærentibus per miſericordias pauperum redimere peccata ſua! Utinam divites qui habent conſolationem ſuam in hoc mundo, quærerent ſic placare te, & obtinere veniam crudelitatis ſuæ! Sed redeo ad Scholam tuam, Domine, à qua nollem ſeparari, G præſertim quando cantatur tibi miſericordia, & cantabo cum choro domeſticorum tuorum miſericordiam illam grandem, quæ inventa eſt his quoque diebus in aliquibus amicis tuis, qui laborantes manibus ſuis, ut haberent, ut diſtribuerent neceſſitatem patientibus, quicquid integris hebdomadis lucrabantur dederunt pauperibus vix reſervantes modicum panem ſibi. Neque fuit ſterilis miſericordia hæc, qua repleta eſt ſicut adipe & pinguedine anima eorum, quæ ſuſpiraverat in atria tua. Verùm non eſt tacenda gloria tua, Domine, in iis ſervis tuis fortiſſimis & electiſſimis, qui cum eſſent captivi apud infideles hoſtes tuos, & haberent argentum, quo redimi poterant, H fecerunt redimi alios captivos derelictos, & ipſi remanſerunt in jugo ſervitutis, qua comparaverunt libertatem filiorum Dei, cum inæſtimabili laude tua. Bene eſt, Domine, ut miſericordia diſcipulorum tuorum abundet ſicut aqua maris, & fiant ſimiles tibi in dulciſſimo affectu erga fratres ſuos; pro quo

red-

Scripta An. 1607. reddes eis incomparabilia gaudia in fœliciſſimo regno tuo.

CAPUT XX.

De exercitio Miſericordiæ ſpiritualis, quod fit in Schola Jeſu Chriſti

A MAgna eſt, Domine, ſicut arena maris miſeria animæ, quæ trahitur de Adam: & ideo magna eſt valde miſericordia ſpiritualis, quam exercent diſcipuli tui ad inſtruendos, conſolandos, animandos, & curandos proximos ſuos. Ex quo fit, ut aliqui ſervi tui, quibus dignus non eſt mundus, habentes talentum, quo poſſent laudari in civitatibus magnis, quærant oppida parva derelicta, ubi ſeminent verbum tuum cum lætitia, & evangelizent pauperibus regnum Dei. Miſericordiae ſpiritualis opera. Ubi mirabile eſt, quanta ſollicitudine doceant rudes & ignorantes viam tuam, obliti propriæ commoditatis præ magnitudine miſericordiæ, qua moventur erga parvulos petentes ſuperſubſtantialem panem tuum. Sed non ſatis videtur his fideliſſimis B ſervis tuis, Domine, ſi perambulent oppida pauperum laborantium fame verbi tui in regnis, ubi nati ſunt: cogitant enim egeſtatem infidelium, qui longiſſimè diſtant & non cognoverunt, vel auditum blaſphemaverunt nomen tuum: & relinquentes parentes, amicos. & commoda ſua per navigationes periculoſas valdè quærunt miſereri eorum, qui ſine remediis Eccleſiæ tuæ portantur ad flammam. Fiunt peregrini ſuper terram, ut per labores & pericula innumerabilia ducant populos, ubi non eſt invocatum nomen tuum, ad patriam ſupernæ Jeruſalem, quæ regnat in cœlis. O Fili Dei vivi, quot noctes laborioſas, quot dolores, quot perſecutiones patiuntur propter juſtitiam & miſericordiam, qua commoventur viſcera eorum erga proximos ſuos! Quod C ſi amici tui, Domine, juſtis de cauſis non ſic peregrinentur ad convertendos incredulos ad prudentiam juſtorum, non propterea torpeſcunt; ſed ex illis, quos invenire poſſunt, egentes conſilio, aut ſolatio, lucrantur tibi multos, adimplentes ea quæ deſunt, ut impleatur domus tua. Non ſunt ſimiles illis indignis Chriſtianis crudelibus, qui quaſi ſtruthiones in deſerto deſerunt fratres ſuos expoſitos perditioni, nolentes dare operam ſaluti puſillorum, quaſi non eſſent redempti pretioſiſſimo ſanguine tuo. Sed contra ſunt adeo fideles adjutores animarum, pro quibus tu, Domine, fuiſti quaſi viator declinans ad manendum in terra aliena; ut ſtatim ac vident aliquem tentatum, aut vacillantem, promptiſſime ſubveniant ei, & D dulciſſimis verbis ovem rationalem errantem reducant ad ovile tuum. Deo accepta valde. Quod genus miſericordiæ magnæ acceptiſſimum eſt tibi, Pontifex clementiſſime, ſuper millia arietum, & taurorum pinguium, quia plenum eſt pinguedine meliori ſuaviſſimæ charitatis & miſerationis tuæ. Non eſt qui ſe abſcondat à calore compaſſionis, quæ fervet in Schola tua, Domine, quia diſcipuli tui circumeunt civitatem, & ſcrutantur egeſtatem animarum, ad medendum eis, ne fortè multi derelicti pereant de via juſta. Requirunt modos multos mirabiles, ut concilient diſcordes, ut offenſos pacificent, ut virgines cuſtodiant, ut pueros orphanos inſtruant E timore tuo: & quaſi apes argumentoſæ conficiunt favos, quos implent melle dulciſſimæ miſericordiæ, qua delectatur, & gloriatur infinita bonitas, & Majeſtas tua. O Rex Pacifice, quam dives es in miſericordia, quam exerces per chariſſimos amicos tuos! Habes certè paucos aliquos, Domine, in domo tua nobiles ſecundum carnem, & famoſos. qui ut honorent te unicum bonum, & deſiderium ſuum, dedicant ſe totos ſpiritualibus operibus miſericordiæ, poſtquam reliquerunt omnia temporalia propter te. Quorum corda tibi nota ſunt tam propenſa ad miſerendum, ut præ magnitudine ſollicitudinis, quam patiuntur pro ſalute proximorum, vix recordentur ſui. Videntur certe nutriri oleo miſericordiæ, quam exercent F in hilaritate: illiſque præcipuè diebus bene valent, quibus multos deſolatos conſolati ſunt. O mercatura ſapientiæ quam fœlix es! miſeratio hæc non eſt ſterilis, Domime, neque revertetur vacua ad operatores ejus. Tu enim, Clementiſſime, reddes eis lucra multa, quæ promiſiſti miſericordibus: & poſtquam multiplicaverint gratiſſima tibi bona opera ſua, facies eos ſedere cum ſenatoribus terræ viventium, implebiſque illos jucunditate beatiſſimæ vitæ tuæ.

CAPUT XXI.

De exercitio Gratitudinis, quod fit in Schola Jeſu Chriſti.

G SChola tua, Domine, non eſt terra maledicta, quæ ſpinas germinat cultori ſuo, ſed terra fluens lacte, & melle gratiſſima tibi, qui ſanguine tuo rigaſti eam. Quod inter diſcipulos tuos fideliſſimos adeo manifeſtum eſt, ut teſtibus multis probari poſſit. Non ceſſat Schola tua, Domine, cantare miſericordias tuas, & fontem infinitæ bonitatis, quo vivunt plantæ amœniſſimi paradiſi tui. Certe quanto amici tui ſanctiores fiunt, tanto magis creſcit intima gratitudo animi, qui reddit tibi, quæ tua ſunt, & ligatus catena dilectionis fit ſervus emptitius Domini ſui. Hinc naſcuntur ſuſpiria & cantica jubilationis, quibus exultat ſchola juſtorum in dulciſſimo Deo ſalutari ſuo. Hinc naſcitur humilitas cordis, quod ſentit ſe gravari magis ponderibus miſericordiæ tuæ. H Hinc naſcitur augmentum mirabilium meritorum, quibus ornatur anima, quæ non gloriatur in iis, quæ accepit, quaſi eſſent à ſe, ſed gloriatur in fonte bonitatis tuæ. Non deficiet laus tua de ore ſervorum tuorum, Domine, qui cogitant gratia tua ſe eſſe, quales ſunt: & ſunt ſicut oculi ancillæ in ma-

ma-

Scripta An. 1607.

manibus Dominæ ſuæ, à qua expectat totum illud, ſine quo non poſſet vivere. Schola ſcilicet tua, Magiſter ſuaviſſime, non eſt ſicut terra Aegypti, ubi jacto ſemine, in hortorum morem, aquæ de Nilo ducuntur irriguæ: exercentibus ſe hominibus regni illius in ſpe aquæ currentis per terram, & non petentibus pluviam deſcendentem de cœlo. Sed A eſt ſicut terra promiſſionis, quam juraſti Abraham fideliſſimo amico tuo, quæ non habet ſpem in fluminibus terræ, ſed in pluvia voluntaria cœli, quam expectat temporibus ſuis. Et ideo elevatis oculis in cœlum, ſemper recordatur tui, & humillimo corde commendat tibi torcularia & horrea ſua, quæ implentur à te. Quando verò recordantur diſcipuli tui, Domine, præteritæ vitæ & ſervitutis, à qua liberaſti eos, exultant labia eorum, ut cantent tibi canticum novum, cujus tenor non habet finem. Cum enim conſiderent ſe per dulciſſimam gratiam tuam vivere, & non ardere in æternis flammis, ea ipſa hora, qua vivunt, inflammantur viſcera eorum lampadibus ignis tui, & liqueſcunt inexplicabili gratitudine, quam reddunt tibi, B quaſi ſacrificium debitum infinitæ miſericordiæ tuæ. O Rex Altiſſime, quam fideles ſunt ſervi tui in agendis gratiis pro acceptis beneficiis de liberaliſſima manu tua! Sed & erga proximos ſuos ita grati ſunt per eruditionem Scholæ tuæ, Domine, ut ſi quis fragmentum panis, aut vas aquæ donet eis, videantur ſibi ligari catenis gratitudinis, ad reddendam gratiam benefactoribus, quemadmodum ſenſit Tereſia puriſſima Virgo, & ſponſa tua, erga hominem ignotum qui vas aquæ dederat ei.

S. Tereſiae gratitudo commendata.

O corda caſta & fidelia amicorum tuorum, Fili Dei, quæ longè recedunt à ruſticitate mundi. Profectò Domine, filii hujus ſæculi, licet inſtanter poſtulaverint, ſtatim ac acceperunt beneficia tua, obliviſcuntur tui. Servi verò Majeſtatis tuæ non ſolum non obliviſcuntur tui, ſed neque C proximorum pauperum, licet vas aquæ frigidæ tantum acceperint ab eis. Non eſt conventio luci ad tenebras, & Scholæ tuæ ad gymnaſia mundi, qui non cognovit te. Lætentur ergo in te, Domine, ſervi tui, & cum intima gratiarum actione commemorent grandem miſericordiam tuam. Tu quippe odoraberis odorem ſuavitatis ſurgentem ex cordibus ubi ardet dilectio tua; & tranſactis laboribus præſentis vitæ, admittes eos ad ſtrictiſſimos, & caſtiſſimos amplexus tuos.

CAPUT XXII.

De exercitio Abſtinentiæ, & ſobrietatis, quod fit in Schola Jeſu Chriſti.

D

BEati ſunt ſervi tui, Rex Pacifice, qui nutriuntur cibo regio menſæ tuæ, quam Principes hujus mundi non guſtaverunt. Habent enim victum meliorem, quo vivunt & roborantur ad caſtiganda corpora ſua mirabili abſtinentia & ſobrietate; qua fiunt aptiores ad convivia delitiarum ſpiritualium, quæ non communicantur filiis alienis, qui tenentur viſco præſentis vitæ. Mirabile eſt, Domine, quam fortiter ſe exercent amici tui in cibo & potu, mortificantes appetitum exquiſitis modis, quos invenit ſapientia tua. Nam præter modicam quantitatem, qua utuntur, quaſi ſtantes & tranſeuntes per viam vitæ, quærunt multis modis facere inſipidos E cibos, & inſuavia pocula, ut per omnia fiant ſimiles patienti, & crucifixo Redemptori ſuo.

Venter, mundanorum Deus.

Filii hujus ſæculi, quorum Deus venter eſt, legunt curioſè valde libros ſcriptos de ratione parandi cibos, ut nulla ſit delectatio gulæ, qua careant in hac vita: filii vero tui, Domine, legunt hiſtoriam paſſionis tuæ, in qua diſcunt fel & acetum, quo miſcere cupiunt prandia ſua. Non emunt vina pretioſiſſima, in quibus eſt luxuria: ſed modico vino utentes, ne infirmentur, cuſtodiunt tibi caſta corda & corpora, quæ immolaverunt tibi. O Domine, quam diverſæ ſunt viæ Scholæ tuæ à viis amatorum mundi! Certè tu noſti, eſſe quoque nunc paucos aliquos diſcipulos tuos, qui quando ſedent ad menſam aſpicientes te crucifixum ſpargunt pulveres abſynthii, vel aloes F ſuper cibos, ut mortificent ſenſum gulæ, quæ eſt crudelis inimica ſpiritus tui. Et ad iſtum modum adinvenerunt varios modos extinguendi ſaporem ciborum, ne extinguatur in cordibus eorum ſapor dulciſſimæ ſapientiæ tuæ. Iſta eſt negotiatio fortium, qui negant appetitui omnes delitias præſentis vitæ, conſiderantes fructum ligni vitæ, quod floret in paradiſo delitiarum Dei. Nunc ſequuntur duram diſciplinam, quæ mundo videtur inconſolabilis. Sed ipſi ſciunt non eſſe adeo duram, ac ſuſpicatur mundus; quia tu loqueris eis ad cor, & pluis manna ſuper corda eorum, quando ſic videtur expedire ſapientiæ tuæ. Profectò, Domine, bene eſt eſurire nunc & ſitire, ſi labor iſte terminandus eſt, & commutandus cum ſtatu G beatiſſimo, in quo ſervi tui famelici, & ſitibundi non eſurient, neque ſitient amplius neque cadet ſuper illos ſol, neque ullus æſtus. O quam prudenter agunt iſti negotiatores tui, Rex Pacifice, qui conſiderantes terram promiſſionis eſſe pinguem & bonam, ſupponunt ſicut Iſſachar, humeros ſuos ad portandum onus, & pro dulciſſima libertate ſerviunt ſub tributo. Habent certè ſpem futurorum bonorum, quæ non videntur, negantes ſibi, quæ videntur, & vehementer ſollicitant ſenſus ſuos. Et quantò plures victorias acquirunt occaſione quotidianæ refectionis, tantò major & firmior ſpes creſcit de victoria ad colligendos fructus palmæ, in quam aſcendunt. Solent autem iſti H amici tui, Domine, gaudere privilegiis libertatis tuæ in hac valle lachrymarum & ſervitutis in iis horis, quibus alii minus fortes domeſtici tui non gaudent quia etiam immediatè poſt refectionem ſentiunt ſe agiles, & aptos ad vacandum tibi, & conſideranda mirabilia legis tuæ. Tu verò, clementiſſime Fili Dei, corroboras eos & attrahis

ad

Scripta An. 1607.

ad te mirabilibus modis, bene compenſans laborem abſtinentiæ & ſobrietatis, quam exercent, ut ſe totos ſervent tibi. Poſt exercitium autem illud Angelicum, quo ſe ſacrificant Majeſtati tuæ, cibabis eos melle, quod manat à te petra viva, & adipe frumenti quo nutriuntur filii Sion inclyti; dabiſque eis bibere quantum deſideraverunt de A fonte vivo, cujus aqua limpidiſſima potantur cives Jeruſalem ſponſæ tuæ.

CAPUT XXIII.

De exercitio Patientiæ, quod fit in Schola Jeſu Chriſti.

INter omnia documenta Scholæ tuæ, Domine, Redemptor & Rector hominum, valde laudatur exercitium patiendi multa mala propter te. Probatio enim fidei, & charitatis multò pretioſior auro, quod per ignem probatur, patientia ſervorum tuorum eſt, quæ à nemine reprehenditur, & ab omnibus in admiratione habetur. Et quidem licet non ita laudaretur probatio hæc, quæ B caret ſuſpicione in Schola tua, non ſatisfacerent ſibi ipſis amici tui, Jeſu Chriſte patientiſſime, niſi paterentur graviſſimas moleſtias, & triſtitias propter te. Conſiderant enim illos ſervos tuos, quos habuiſti chariſſimos in ſæculis præteritis, ita à te probatore illorum gravatos fuiſſe, ut aliquando tæderet eos vivere, & intima deſolatione tabeſcerent. Sic probaſti Apoſtolos tuos Domine, & antea probaveras antiquiſſimos ſervos tuos ante & poſt diluvium, ut clarificaretur in eis gratia tua. Non ignorant diſcipuli tui, Magiſter vitæ, patientiam Noe, cum fabricaretur Arcam, & Iob, cum ſederet in ſterquilinio, & Tobiæ, cum privatus lumine oculorum ſuſpiraret tibi. Quapropter deſiderantes conformes fieri imagini Filii Dei, qui eſt primogenitus inter multos fratres compatientes ſibi, armantur ſcuto C fortiſſimæ patientiæ adverſus triſtitias & deſolationes, quæ naſcuntur ex mortalitate præſentis vitæ. Alii ſine culpa perdunt bonum nomen, quod eſt melius, quam divitiæ multæ. Alii infamantur moleſtiſſimis morbis, donec marceſcant viſcera eorum, quibus fideliſſimè dilexerunt te. Alii malè tractantur ab iis, quibus fecerunt magna bona. Alii tolerant diras tentationes, quibus videntur propinquare ad portas mortis & Inferni. Alii quantò magis curant adhærere tibi, gravius repelluntur à te, & conſumuntur ariditate triſtiſſima. Hæc ſunt caſtra Dei vivi militantia tibi, & bibentia de torrente aquarum turbidarum, quandiu placet divinæ ſapientiæ, D & bonitati tuæ. O mitiſſime Redemptor, qui regnaſti à ligno, ubi traxiſti ad te corda fidelia exaltatus à terra, quam graviter premuntur in hac vita diſcipuli tui, qui ſunt præordinati ad coronam! In plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, & in aliis afflictionibus, quæ videntur terribiles ſuprà mortem. Omnes fluctus tuos videris, Domine, mittere ſuper electiſſimos, & furor iræ tuæ videtur comprehendere eos. Domos eorum evertis, portas, & vectes confringens, & tradis eos tortoribus, ne corda eorum adhæreant reſinoſæ ſubſtantiæ mortalis vitæ. Quod illi bene intelligentes conſolantur ſe ipſos in tribulationibus, ſcientes ſe habere apud te repoſitam ampliſſimam retributionem, quæ melior eſt ſuper vitas. Canunt E hymnos tibi remuneratori ſuo in nocte obſcuriſſima anguſtiæ, quæ cecidit ſuper eos, ſcientes quod ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Licet veniat confractio oſſium, membrorum diviſio, & totius corporis contritio, parati ſunt omnia ferre, ut fruantur te, ſicut fecit paſſioni proximus Ignatius fortiſſimus Martyr tuus. Hæc eſt vita, & converſatio electorum tuorum, Domine, qui non iraſcuntur contra te, quando mittis manum tuam ſuper eos: ſed æquo animo ferunt omnia, facti conſortes crucis tuæ. Tu verò juſtiſſime Judex, legitimis certatoribus reddes clariſſimas coronas Juſtitiæ in atriis Eccleſiæ triumphantis, & pro tranſactis anguſtiis dilatabis viſcera eorum inæſtimabili conſolatione æternæ vitæ F tuæ.

Noemi Jobi Tobiaeque patientia commendata.

S. Ignatius.

CAPUT XXIV.

De exercitio Modeſtiæ, quod fit in Schola Jeſu Chriſti.

MOdeſtia diſcipulorum tuorum, Clementiſſime Fili Dei, nota eſt omnibus hominibus, qui trahuntur Virgineo aſpectu Scholæ tuæ, quæ per hoc oſtendit ſe habere Magiſtrum filium Virginis. Credo autem ſuaviſſimam virtutem iſtam inde naſci, quod auditores tui ſemper de te cogitent, & ambulent coram te, quaſi in præſentia Regis magni, qui nihil indecorum, aut incompoſitum ferre valet. Videntur certè ſervi tui, Domine, Virgines modeſtiſſimæ, quæ præparantur G ad nuptias tuas, non ſicut illæ, quæ ornatu ſæculi parabantur ad torum Aſſueri, ſed ſicut decet caſtiſſimas ſponſas Agni Dei. Ex quo fit, ut domus tua, Rex pacifice, ſit decora valde, & ſuavis ſicut Jeruſalem, quæ ſurſum eſt. Nihil enim videtur in terra ſimilius eſſe choris caſtrorum, quæ lætantur victoria in victrice civitate tua, quam congregatio Juſtorum unanimiter habitantium, & cum amabili modeſtia ſervientium tibi. Sive enim ambulent, ſive ſedeant, ſive taceant, ſive loquantur, ſive laborent, ſive requieſcant, ſive quicquam aliud operentur, lucet in eis proportio quædam mirabilis actionum ad menſuram tuam, Domine: & oculis omnium placet modeſtia conjuncta caſtæ H lætitiæ Scholæ tuæ. Non eſt præcipitatio, aut curſus vehemens, non clamor, non nutus oculorum, non erecta colla, non triſtis aſpectus, non diſſolutio riſus, non rixæ, aut aliquid inordinatum, quod deturpet dulciſſimam pulchritudinem Scholæ tuæ, cujus veſtis nuptialis eſt ordina-

tiſſi-

Scripta An. 1607.

tiſſima modeſtia. Etſi verò in omnibus corporis partibus, & actionibus ſit tibi grata, & procedat quaſi columba nive candidior, ille tamen decor, qui reſultat ex moderatione oculorum, & tibi, Domine, & ſervis tuis ſpirituales oculos habentibus gratiſſimus eſt. Illa ſimplicitas ſine affectione, illa caſtitas A ſine adulterio, illa gratia ſine dolo, quæ ornat oculos corporales familiæ tuæ, habet vim magnam ad movendós animos illorum etiam qui extra domum tuam vagantur, & ambulant extento collo, ſicut filiæ Sion, quæ diſplicuerunt tibi. Habet præterea modeſtia domus tuæ, Domine, immenſa bona, vitatque graviſſima mala nolens aſpicere vanitatem ſæculi, quæ ſollicitat corda ſuſpirantia in atria tua. Unde inſpiratione ſpiritus tui factum eſt, ut in Religionibus reformatis, vigilantibus ſuper cuſtodia cordis, tam diligenter ſtudeant ſervi tui moderationi oculorum, ut nihil intueri velint, niſi quod ad pietatem pertinet. Nam & multa, quæ licita ſunt, exercitio quotidiano negant oculis corporalibus, bene ſcientes, meliora ſpectacula ſe intus viſuros, B ſi à licitis externis abſtineant.

Eva mater morientium dicta.

O Fili Dei vivi, quot mala parturiit viſus incautus Hevæ aſpicientis lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave! Videtur hæc mater morientium transfudiſſe in filios ſuos inſatiabilem curioſitatem videndi vana, & noxia ſine fine. Atque ita horribilia mala contigerunt non ſolum peccatoribus, ſed etiam juſtis multis, Domine, qui per licentiam oculorum receſſerunt à Schola tua. Caſus autem, & infœlicitas iſtorum cautis amicis tuis vertitur in cautelam: & ideo parciſſimè utuntur oculis, ne unquam mors intret per feneſtras. Sic tranſeunt per viam feſtinantes ad patriam, & expectantes te Judicem juſtiſſimum, qui dices eis verba illa immenſæ conſolationis plena: Reſpicite, & levate capita veſtra, quoniam appropinquat redem- C ptio veſtra. Tunc illi, qui averterunt oculos, ne viderent vanitatem, aſpicient apparentem regionem vivorum, & ſine timore periculi videbunt campos lætiſſimos vere æterno virentes, in quos fortiter ſuſpirarunt. Et quod delectabilius eſt, videbunt te, Rex Salomon, coronatum dulciſſima pulchritudine, & ſplendentem formoſiſſima luce, quæ reſultat ex ſereniſſimo vultu tuo.

CAPUT XXV.

De exercitio Silentii, quod ſit in Schola Jeſu Chriſti.

O Rex Pacifice, ô Verbum caro factum, D ô vir potens in ſermone, quomodo ſcribam de exercitio ſilentii melle dulcioris, quod exercetur in ſchola manſuetorum, quæ ſequitur totis viſceribus te cœleſtem Præceptorem ſuum. Potens fuiſti, Domine, in ſermone trium annorum, quo docuſti multos, & evangelizaſti regnum Clementiſſimi Patris tui. Sed non minus potens fuiſti in ſilentio triginta annorum, quod admirantur ſapientes amici tui uſque ad ſtuporem magnum nimis. Sed hoc eſt mare magnum, & ſpatioſum valde, neque poſſum navigare illud. Declinabo ergo ad ſcholam tuam tacitam, & ſine ſtrepitu intentam conſiderationi mirabilium tuorum: & conſiderabo in ea vim fortiſſimam ſilentii tui. E Bene novit familia tua, Domine, innumerabilia damna, quæ naſcuntur à modico membro linguæ, quam nullus unquam domuit ſine copioſa gratia tua.

Linguae damna innumerabilia.

Nimis aperta & quotidiana ſunt exempla malorum, quæ patiuntur non ſolum filii hujus ſæculi, qui ſcientiam viarum tuarum nolunt, ſed diſcipuli quoque tui, quando non vigilant ſuper ſe. Dolendum eſt enim, Domine, quam graviter lædatur pax interna verbis otioſis, aut inordinatis, & quam miſerabiliter licentia linguæ ſiccet fontem devotionis, qua ſolet viſitare vacantes tibi in ſilentio amicos tuos. Non eſt opus, Domine, vocare teſtes multos calamitatis hujus: unuſquiſque enim teſtificatur juxta conſcientiam ſuam, quam magnam ſylvam incendat modicus ignis indomitæ linguæ. Bene autem F eſt, ut fideles ſervi tui ex ruina ſurgant cautiores ad ponendum oſtium circumſtantiæ labiis ſuis: & vulnerati paucis verbis inordinatis redeant tacti dolore ad remedium caſtiſſimi ſilentii tui. Sic enim facere ſolent, quando pro humana fragilitate in verbo offenderunt, & tenaciſſime apprehendunt diſciplinam linguæ, quæ eſt inſignis decor familiæ tuæ. Ex quo fit, ut viri etiam eloquentes, qui verſantur in Schola tua, Domine, fiant quaſi modò geniti infantes, ſugentes ubera matris ſuæ. Credo autem hoc genus ſilentii ſæpe etiam provenire à cogitatione tuæ Majeſtatis, qua fiunt homines quaſi balbutientes, ſicut ſenſit de ſe Moyſes fideliſſimus in omni domo tua; qui animadvertit ſe impeditioris & tardioris linguæ eſſe ex quo apparuiſti ei. Sive ergo cautior facta G ex lapſu linguæ, ſive erudita viſitatione tua, quærit ſtudioſiſſime tacere Schola tua, Domine, ut imitetur te, qui cum eſſes Dei Verbum, tacuiſti, ut fieres dulciſſimus Præceptor filiorum Adæ. Pro hac igitur imitatione vendunt diſcipuli tui omnem mundi eloquentiam, & mirabilibus modis ſe à lapſu præſervant. Sic enim, ut tu melius noſti, Domine, ſolent lapillos portare in ore ſervi tui, vel funiculis ligare brachium, vel aliis modis adiuvare memoriam, ne per occurrentes occaſiones obliviſcantur cuſtodiæ labiorum, & extinguant ſuaviſſimum ſaporem ſpiritus tui.

Silentii memoriae.

O Domine, quoties ſudant in hac lucta diſcipuli tui, qui nondum bene didicerunt ſermonem juſtitiæ! Quoties tan- H guntur reſpectibus humanis, ut interrogent, vel reſpondeant, quæ neceſſaria, vel utilia non ſunt! Tu Domine, qui laborem conſideras, vides eos, & probas prælia eorum, tibique places in eis; quæ ut tibi placeant, diſplicent appetitui ſuo. Fit autem per gratiam tuam magnam copioſus fructus ſilentii, in quo ſeminant ſervi tui innumerabilia ſemina

Scripta An. 1607.

mina virtutum, quæ metent temporibus ſuis quando apparebunt campi eorum repleti ubertate bonorum operum, in quibus modo fortiter laborant. Nunc ſervant ſe inviolatos tibi, caventes, ne levibus verbis diminuant puritatem cordis, quod conſecraverunt tibi: & in præſentiam cuſtodia lin- A guæ, cum magno lucro, audiunt te quandoque loquentem ad cor eorum, & ingerentem puras lætitias converſationis tuæ. Sed ineffabile eſt, quod poſt laborem præſentis diſciplinæ daturus es eis, qui noluerunt communicationem filiorum veteris Adam propter te. Dabis eis certè, ô clementiſſime, te ipſum, quem, deſideraverunt. Dabis eis Verbum, quod erat in principio apud Deum pro ſilentio, quod ſervaverunt ad decorem Jeruſalem: & implebis viſcera eorum puriſſimis dilectionibus paradiſi tui.

CAPUT XXVI.

De exercitio Obſervantiæ, ſive cuſtodiæ legum quod fit in Schola Jeſu Chriſti. B

INcomparabilis eſt laus Scholæ tuæ, Fili Dei, legifer noſter, in cuſtodia legis tuæ, & legum, quas per legiſlatores miniſtros tuos poſuiſti. Ex quo enim voluntas tua manifeſtata eſt diſcipulis tuis per quamlibet ordinationem ſuperiorum, eiſdem oculis aſpiciunt eam, quibus intuentur te exemplar ſuum, & unicum bonum cordis ſui. Non ſunt ex genere ſervorum illorum, qui ſerviunt ad oculum, & non habent rectum cor erga te: ſed tam fideliter ſuſcipiunt quælibet mandata ſcripta, ut pro eis mori non dubitent, quod eſt ſignum caſtiſſimorum animorum, qui propter te obediunt legibus tuis. Et quidem tu, Domine, probas renes & corda eorum offerens eis occaſiones, quibus tententur ad C tranſgreſſionem, ut pateat, an toto corde ambulent in veritate tua. Occurrentes eis interpretationes infideles, & exceptiones, quæ aliquando videntur rationabiles, ita ut luctentur cum variis cogitationibus invicem accuſantibus & defendentibus. Sed conſtantia eorum glorificat te, Domine, dum ad ſimplicem ſenſum obſervant leges ſtatus proprii, ne forte ira tua provocetur ab eis. Quod ſi ab aliis minus perfectis excuſentur per varias rationes, quibus videntur licitè uti poſſe; non confidunt in conſiliis hominum, ſed in conſilio timoris tui. O Rex Pacifice, quot ſacrificia fumant tibi in altaribus amicorum tuorum, qui imitantes Eleazarum ſervum tuum fortiſſimum, qui maluit mori, quam veſci carnibus licitis ſimulando ſe manducare illicitas, eligunt potius affligi D cum populo tuo, quam in obſervantia ſua verè, vel apparenter errare! Iſtorum gloria magna eſt, Domine, in Religionibus, in quibus obſervantia viget, ubi pro una cæremonia obſervanda parati ſunt diſplicere omnibus Satrapis mundi, & pati perſecutiones, ac derelictiones abſque numero. Iſti ſunt viri magni, & fortiores Leonibus, & velociores Aquilis, qui ſuperantes omnia impedimenta terrarum per inviolatam cuſtodiam legum feſtinant ad optatiſſimam requiem tuam. Non tanget illos tormentum malitiæ, quia non ſunt auſi attingere integritatem legum, quas poſuiſti eis. Non errabunt ſicut oves, quæ pereunt, quia vigi- E lantiſſimè conſiderant opera & affectus ſuos, ne recedant à legibus patrum ſuorum. Non morientur fame iſti, qui patiuntur multa mala propter juſtitiam, quia ſaturabuntur à te, cujus mandatis adhæſerunt. Non cadent in bello, quod tolerant nunc ab illis, qui eos nimis ſcrupuloſos, ſeu verbales appellant, quia tu pugnabis pro eis. Non demergentur in mari, quod navigant dirigentes ad te cum labore & fatigatione curſum ſuum, quia tu tranſvehes illos per aquam nimiam, operietque mare inimicos eorum. Illi tuo conſilio ſequuntur te legiſlatorem, & ductorem ſuum, nolentes audire interpretes & conſolatores oneroſos, à quibus importunè tentantur & fortiſſimè adhærent tibi. Tu verò, fideliſſime Domine, roboras eos nunc viſi- F tatione tua: & abſoluto bello transferes illos ad pacem beatiſſimam, & puriſſima gaudia perpetui regni tui.

Eleazari fortitudo notata.

CAPUT XXVII.

De exercitio Veritatis, ſeu veracitatis, quod fit in Schola Jeſu Chriſti.

DIſcipuli tui, ô veritas infinita, non ſunt ex genere hominum illorum, qui diligunt vanitatem, & quærunt mendacium. Horrent quippe omne, quod non convenit veritati tuæ, ſicut mortem, & infernum, & veritatis decorem amant ſicut animas ſuas. Quapropter in omnibus verbis & factis ſuis fugiunt vigilantiſſime vanam oſtentationem G & fictionem earum rerum, quæ revera tales non ſunt, ut tibi placeant in abſcondito cordis. Qua in re Schola tua ſimplex, caſta & ſincera longiſſime recedit à conſuetudine filiorum Adæ, qui cum dii non ſint, curant apparere ſicut dii, & continuo vitæ mendacio ſeducere proximos ſuos. Et quidem, ſi de veritate, verborum loquar, Domine, ſervi tui cautiſſime loquuntur, ne verba ſint contra mentem, in qua veraciter ſerviunt tibi. Paratique ſunt profiteri ſemper veritatem tuam ante reges & præſides, morique potius, quam proferre unum mendacium quantumvis officioſum: quod propoſitum firmiſſimum naſcitur ex intimo amore veritatis tuæ. Hinc etiam eſt, ut parcè loquantur, quanto ſapientiores & chariores tibi ſunt, conſiderantes in viris etiam illuminatis non ſemper verba quadrare intentioni mentis, H quantum ipſi vellent, quod provenit ex infirmitate cordis humani, & multiplicitate occaſionum, quibus moventur ad verba. Et ideo facilius eis videtur abſtinere à multiloquio, quam ſemper veritatem inviolatam ſervare. Si verò de veritate factorum dicam, Domine, filii hominum ſunt mendaces in ſta-

Filii hominum mendaces.

Scripta An. 1607.

teris, neſcientes, aut nolentes menſurare opera ſua numeris, & ponderibus tuis; & deſpicientes quaſi nimirum ſimplices, & contemptibiles amicos tuos, quia oderunt fraudes & dolos, & quicquid à ſinceritate tua alienum eſt. At filii tui, qui ſuxerunt cum A lacte primo Scholæ tuæ caſtiſſimam veritatem, non habent ſacculos, & menſuras duplices, ut aliud exhibeant factis, & aliud ſervent in mente ad negotiandum cum Sabæis, & Madianitis mercatoribus, quorum prudentia terrena eſt. Sed habent cor fidele, & paratum tam veraciter agere cum proximis ſuis, quam ſecum, & adhærere perpetuæ, & immutabili veritati Magiſtri ſui. Et propter hanc ſecuritatem veritatis etiam mendaces filii hujus ſæculi amant diſcipulos tuos, Domine, quia ſciunt Scholam tuam non habere merces corruptas, neque nocere velle iis etiam, qui diligunt ſimulationes & commercia ſæculi. Bene negotiantur auditores tui, Rex pacifice, patientes damna temporalia pro veritate, quæ adhæ- B ſit viſceribus eorum, ſcientes majora lucra ſe habere apud te unicum bonum ſuum. Tu verò, Domine, qui es ipſa veritas, cui fiunt conformes chariſſimi amici tui, reddes eis cum fœnore ampliſſimam remunerationem, & interminabilia ſolatia vitæ tuæ.

CAPUT XXVIII.

De exercitio Clementiæ, quod fit in Schola Jeſu Chriſti.

QUam dilecta ſunt tabernacula tua, Domine, non ſolum illa cœleſtia, ubi jam ſancti exultant in gloria, & lætantur in cubilibus ſuis, ſed terreſtria etiam illa, ubi habitant electi tui manſueti, & miſe- C ricordes, qui totis viſceribus diligunt proximos ſuos. Ibi enim Superiores, quos tu audiri præcepiſti, non ſunt feri & crudeles erga ſubditos ſuos, quando pro humana fragilitate delinquunt. Non ſunt ſimiles Judicibus illis ſæcularibus, & Principibus terrenis, qui lætantur, quando offertur eis occaſio fundendi ſanguinem, & tollendi de vita eos, qui peccaverunt. Non placet manſuetis & miſericordibus animis occaſio hæc: immo dolent valdè, & ingemiſcunt intra ſe gemitibus inenarrabilibus, quos producit inſpiratio ſuaviſſimi ſpiritus tui. Et dulceſcunt affectibus clementiæ tuæ conſiderantes, quomodo poſſint licite diminuere pœnam, quantum licet per immaculatam legem tuam. Memores ſunt tui, Domine, qui condonaſti eis delicta, & reatum pœnæ abſtuliſti, vel mitigaſti ſecundum magnam & in- D ſuperabilem clementiam tuam: & cupientes imitari te, oderunt omnem ſævitiam cogitationum, & opera juxta menſuram cordis ſui. Propter quod, quando neceſſe eſt infligere pœnam iis, qui præoccupati ſunt in aliquo delicto, corripiunt eos in ſpiritu lenitatis, & dulciſſimis verbis oſtendunt ſe illis compati, & dolere, quod ventum ſit ad judicium. Ex quo fit, ut interveniente gratia tua, Domine, per hanc dulcedinem affectus, & diminutionem pœnæ reſipiſcant delinquentes, & corrigantur multo brevius, & efficacius, quam ſi ſevere punirentur. O clementiſſime Fili Dei, qui parcendo, E & miſerendo viciſti mortem, quam mirabiles converſiones operata eſt clementia amicorum tuorum, quos præpoſuiſti plebi tuæ! Quam mirabiliter mutavit corda lapidea in corda carnea, & ligavit ea vinculo charitatis tuæ! Profectò, Domine, fama clementiæ tuæ implevit orbem terrarum: non enim ſolum diminuiſti pœnas debitas peccatis noſtris, ſed tuliſti languores noſtros & portaſti dolores novo genere clementiæ, quod mundus non cognovit. Quando vero neceſſe fuit caſtigare profanatores templi Patris tui, non accepiſti enſem, aut haſtam, ſed funiculum clementiæ indicem, quo ferires ſine vulneribus offenſores tuos. Hæc eſt diſciplina, quam ſequuntur diſcipuli tui, quos conſtituiſti judices & Præla- F tos in Eccleſia tua: qui induti viſcera miſericordiæ, non quærentes ſequi ſummum jus, ſed lenitatem ſpiritus tui: ſic judicant alios, ut recordentur ſe venturos ad judicium tuum. Venient ergo ad te veſtiti clementia, & deteſtantes crudelitatem judicum, qui non timuerunt judicia tua: dabiſque eis, ut ſedeant ad faciendum judicium conſcriptum cum omnibus ſanctis tuis, & gaudeant ſine fine dulciſſimo fructu clementiæ & charitatis tuæ.

Superiorum notae.

Clementia, & lenitas illis commendata.

CAPUT XXIX.

De exercitio Diligentiæ, quod fit in Schola Jeſu Chriſti.

AMici tui, Domine, qui cognoverunt G divitias regni tui, pro quo laborant in via inquirentes futuram civitatem, & vitam, non permittunt cordi ſuo requiem, oculiſque ſuis tranquillum ſomnum, donec perveniant ad te, beatum finem peregrinationis ſuæ. Operantur conſilio bono manuum ſuarum, quaſi plantantes & colentes vineam, cujus vinum novum bibant in regno tuo. Accingunt fortitudine lumbos ſuos ad vigiliam, & roborant aſſuetum labori brachium ſuum ad opus: ne forte vita præſens, quæ fugit velut umbra, tranſeat ſine fructu juſtitiæ, quem requirunt. O Domine, quam ſollicite negotiantur confidentes in verbis tuis, & habentes præſentiſſimum te, qui peregrè profectus es! Quando audiunt verba flammantia Evangelii, quibus admittis ad inæſtimabile gaudium cœli ſervum bonum H & fidelem, qui duo vel quinque talenta ſuperlucratus eſt, inflammantur mirabiliter intimo deſiderio æternæ remunerationis, quam expectant de liberaliſſima manu tua. Et hoc deſiderio incenſi accelerant bona opera multiplicia, dolentes maxime, ſi modica pars unius horæ tranſeat ſine fructu juſtitiæ, & ſine oleo miſericordiæ tuæ. Laborant,

Juſtorum dolor.

Do-

Scripta An. 1607.

Domine, ſicut avari mercatores avaritia bona, quæ decet filios Dei, & currunt velociſſime ad labores & vigilias, & jejunia, quæ didicerunt in Schola tua. Surgunt ante ortum Solis, ut negotientur ad portas ſapientiæ tradentes cor ſuum diluculo, ut ſuſpiret tibi; & dum medium ſilentium tenet mundum, præveniunt faciem tuam in con- A feſſione, in muneribus dilectionis, & cum profundiſſimis gemitibus ſupplicantes tibi. Non invenit illos otioſos, & dormitantes inimicus, qui circuit tanquam leo, ſi fortè inveniat quem devoret: juraverunt enim ſe, & voverunt votum tibi, ut nunquam requieſcerent, donec poſſiderent te. Et hoc firmiſſimo decreto ſummopere proficiunt in Schola tua, Domine, & movent ad æmulationem chariſſimos fratres, & cooperantes ſuos. Etſi enim habitent unanimes cum aliis in domo una, habentes tamen intenta corda in atria Jeruſalem civitatis tuæ, feſtinant, quaſi advenæ per alienam terram; & taciti atque ſolliciti faciunt curſum ſuum. Ex quo fit, ut alii minus ſolliciti commoveantur valde præſenti exemplo viatorum B illorum, qui magis appropinquant tibi. Utinam mundus rectis oculis aſpiceret exempla iſta, quæ videntur poſſe movere lapides ad compunctionem! *Exempla verbis validiora.* Magis enim valerent exempla, quam verba prædicatorum aliquorum, quorum memoria peribit cum ſonitu. Beati qui habitant in Schola tua, Magiſter dulciſſime! qui occaſione viatorum iſtorum æmulantur chariſmata meliora, & accenduntur ad deſiderandas totis viribus, & viſceribus juſtificationes tuas. Sortes ceciderunt eis in præclaris, quia invenerunt libros vivos, ubi legerent ſalutare ſuum. Bene eſt, ut currant ad te amici tui, Domine, quaſi nunquam cucurriſſent: ut citò pertranſeant hanc vallem lachrymarum, & hæc deſerta plena ſerpentibus, & ſterilia præ ſiccitate multa. Ipſa calamitas extimu- C lat ſervos tuos ad currendum, & quærendam magna celeritate fœlicitatem tuam. Ex quo ſequitur, ut multi famoſi diſcipuli tui conſummati in brevi impleant bonis operibus tempora multa: quos tu, Domine, properas educere de medio peccatorum, & transfers ad candidiſſimam lucem tuam.

CAPUT XXX.

De exercitio Liberalitatis, quod fit in Schola Jeſu Chriſti.

Clementiſſimus Pater tuus, Fili Dei vivi, propoſuit, atque decrevit electos ſuos fieri ſimiles tibi Unigenito filio ſuo, qui liberaliſſime dediſti omnem ſubſtantiam D domus tuæ pro nobis. Et ideo diſcipuli tui, quibus manifeſtaſti cor tuum, mirabili modo exercent liberalitatem in proximos, quos diligunt propter te. Non tenentur ligati catenis avaritiæ, quam odiſti, neque theſaurizare volunt in terra aliena, per quam tranſeunt peregrinantes, & properantes ad chariſſimam patriam ſuam. Unde paucis contenti tam libenter donant quæ cum labore & ſudore comparaverunt, ut magis eos delectet dare, quam accipere. Et quidem cum habeant occaſiones plurimas in hac vita plena calamitatis, & miſeriæ, augent ſine termino merita ſua uſque ad terminum mortis, qua tranſibunt ad vitam. E Non exercent profanam liberalitatem, Domine, quaſi quærant magnis donis ab hominibus emere gloriam vanam, & fugere infamiam avaritiæ, quæ contemptibiles facit amatores ſuos, neque liberales ſunt ad ditandos conſanguineos, & amicos, vel ad captandam benevolentiam Principum terrenorum: Sed exercent liberalitatem in operibus magnæ pietatis, quibus honoratur Majeſtas tua, & proximi adjuvantur ſine ſpe retributionis temporalis, & cum ſolidiſſima ſpe remunerationis tuæ. Non implent horrea in multos annos, ut faciant ſibi occaſiones, & laqueos crudelitatis & injuſtitiæ, ſicut ille, cui dictum eſt: Stulte hac nocte repetunt à te animam tuam: Sed vix congregaverunt terræ fructus in horrea, F quando paratis jam occaſionibus benefaciendi miſerentur, & commodant, diſpergunt, donantque pauperibus, ut juſtitia eorum maneat in ſæculum ſæculi coram te juſtiſſimo judice ſuo. Quod ſi debitores habeant, à quibus poſſint exigere debita, vel non reddentes mittere in carcerem cum deſolatione familiæ, memores tui remittunt debita dulciſſimis verbis, quibus ſolvunt compeditos ſervos ſuos. *Liberalitas juſtorum laudata.* Non operitur ærugine aurum & argentum eorum, neque veſtimenta comeduntur à tinea: ipſi enim non rogati ſcrutantur domos eorum, qui neceſſe habent, & delectantur exercitio largiendi bona ſua multo magis, quam ſi invenirent ſpolia multa. Atque ita miſcentes cum miſericordia liberalitatem Chriſtianam dignam te Magiſtro ſuo, implent odore bono Eccleſiam G Sponſam tuam, quæ hujuſmodi largitionibus decoratur, & movetur ad cantandas miſericordias tuas. Sic exonerant ſe amici tui, Domine, ponderibus divitiarum, timentes illas apud ſe repoſitas habere, & ſatagentes per bona opera certam facere electionem ſuam. Ex quo apparet, bona temporalia, quibus divites peccatores abundant ad pœnam, concedi à te aliquando electis tuis, ut abundent ad gloriam. Utinam divites ſæculi quærerent ſtudio pio liberalitatis ingredi in ſcholam tuam, Domine, & nollent jam gravari divitiis, quibus ſerviunt, ſed calcare illas, & amplis donis mercari ſibi regnum, quod durabit ſine fine. Beati ſunt pauci illi liberales valdè ſervi tui, Rex magne, qui non ſunt viri divitiarum, quamvis poſſideant H divitias multas: ſed nolentes cor ſuum adhærere illis, promptiſſimis animis favent proximis ſuis. Non perdent certè mercedem ſuam, quamvis oculis inſipientium videantur perdere nimiis largitionibus opes terrenas. Tu enim, Domine, qui probas opus eorum, reddes eis menſuram bonam, con-

fer.

ſertam, & coagitatam de inæſtimabilibus divitiis, quæ non marceſcunt, & de caſtiſſimis delectationibus domus tuæ.

CAPUT XXXI.

De exercitio Magnanimitatis, quod fit in Schola Jeſu Chriſti. A

HAbet hoc bonum, inter alia multa, Schola tua, Domine, ut non contenta parvis, aut mediocribus operibus, quærat operari magna propter te, qui pro ſalute noſtra mirabilia operatus es. Cujus veritatis Rex Pacifice, tot teſtes habes, quot ſanctos colit Eccleſia Sponſa tua. Alii enim in ſtudio humilitatis venerunt ad tantam profunditatem propriæ cogitationis & contemptus ſui, ut viderentur deſcendiſſe uſque ad abyſſos. Alii in ſtudio patientiæ tantum profecerunt, ut quaſi columnæ ferreæ ſtarent adverſus omnes triſtitias univerſi mundi. Alii tam ardenter ſe tradiderunt ſtudio orationis, B ut vix uterentur ſenſibus ad res neceſſarias hujus vitæ. Alii tanto affectu exercuerunt ſe in charitate proximorum, ut pene non recordarentur ſanitatis, aut commoditatis, aut vitæ ſuæ. Alii in tantum ſtuduerunt cuſtodiæ linguæ, ut nunquam loquerentur, niſi modicè cum ſolo ſuperiore & confeſſario ſuo. Alii tam accuratè dederunt operam modeſtiæ oculorum, ut longo tempore nihil intuerentur, niſi quantum ſatis erat, ne ambulando in terram caderent. Alii tam ſtudioſè vacaverunt ſoli amori tuo, ut nulli creaturæ etiam in rebus licitis affectum adhærere permitterent. Hæc ſunt caſtra tua, Domine, in quibus glorificatur potentiſſima dextera tua. Hi ſunt ſexaginta fortes de fortiſſimis Iſrael, qui tenentes gladios vigilant ſuper cuſtodia thalami tui. Hæc eſt C gens ſancta, electa, & parata ad immortales coronas tuas. Nunc verò, Fili Dei vivi, non habes multos ex his fortiſſimis, ſi comparetur ætas iſta cum præteritis ſæculis, quando adhærebant tibi plurimi contemptores mundi grandi fiducia, & grandi auſu operandi mirabilia magna cum firmiſſimo adjutorio brachii tui. Veruntamen non deſunt hodie pauci aliqui fortiores leonibus, qui in exercitio virtutum tuarum ſemper aſpirant ad perfectionem maximam, neque ſibi ſatisfaciunt ſi mediocriter proficiant. Dies iſti mali ſunt, Domine, & terra filiorum Adæ nimium ſterilis non producit tam validos milites, qui pugnent pro decore Jeruſalem civitatis tuæ. Sed per gratiam tuam fit, ut ſint pauci aliquot, quorum hiſtorias noviſſimas legimus cum admiratione, ſtupentes D quomodo præliati ſint prælia Domini. Magnanimitas quippe ſcholæ tuæ rara, & pretioſa valdè eſt, & habens conjunctam pietatem clarificat mirabiliter domum tuam. Beatiſſimi ſunt, Domine, magnanimi ſervi tui, qui per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut ſeductores & veraces, ut morientes & viventes tranſeunt per viam vitæ, quaſi domini omnium rerum, calcantes omnia mundi bona propter te. Utinam creſcat electiſſimus numerus iſtorum, quibus cedit mundus, & infernus, & quibus aperitur janua regni tui. Glorificetur, Domine, in eis dextera tua, quando tranſeunt, & timentur à robuſtis Moab, & E à Principibus Edom inimici tui. Certè non cadent à latere tuo, ſed aſſiſtent tibi ad pugnandum contra Reges Amorrhæos: & poſtquam paraverint magnas victorias de ſeipſis, & de ſæviſſimis hoſtibus ſuis, coronabuntur à te in porta Sion inter fortiſſimos victores tuos.

Scholae Chriſti magnanimitas commendata.

CAPUT XXXII.

De exercitio Conſtantiæ, & Perſeverantiæ, quod fit in Schola Jeſu Chriſti.

MUlta ſunt, Domine, monſtra horribilia quæ occurrunt ſervis tuis ambulantibus per viam, & feſtinantibus ad civitatem, quæ ſurſum eſt. Et propterea in Schola F tua inſtruuntur, & animantur fortes auditores tui ad pugnandum contra Principes tenebrarum, contra leges mundi, & contra ſeipſos, quod prælium fortiſſimum eſt. Sic enim decet te, Magiſter vitæ, ut doceas manus eorum ad prælium, & ſingulos digitos ad bellum; ne fortè poſtquam ſpiritu cœperunt, carne conſummentur, aut alio modo deficiant in via. Quocirca illi armati virtute tua procedunt firmiter ſperantes in te, & pro varietate præliorum utentes varia diſciplina Scholæ tuæ. Nunc incipit tædere eos ſpiritualis vitæ, ſicut quando cœpit tædere populum Iſrael itineris & laboris, quem patiebatur per deſertum: & occurrentes languori magno erigunt animos delectos, ſicut fecerunt Joſue, & Caleb fortiſſimi amici G tui. Nunc mittis eis, Domine, difficilia exercitia tentationum gravium, quibus turbantur, & commoventur valde, & inſurgunt, quaſi leones contra hoſtes ſuos, conſtantiſſimè repellentes eos. Nunc franguntur dejectione animi putantes ſe nunquam paraturos victoriam paſſionum & ſenſuum propriorum, quibus præterito tempore malè uſi ſunt: & excitantur tanquam dormientes crapulati à vino, atque in ſe reverſi viriliter caſtigant, & in ſervitutem redigunt corpora ſua. O Fili Dei vivi, quot difficultates occurrunt aſcendentibus de Ægypto ad ſupernam Jeruſalem, quæ eſt mater noſtra! Multiplicantur ſicut capilli capitis, ut exerceatur conſtantia violentorum, qui per vim rapturi ſunt fœliciſſimum regnum tuum. Sic enim decet, ut appareat virtus gratiæ tuæ, qua debellantur H aereæ poteſtates, & acquiritur pax multo ſuavior, quam ſi nulla prælia præceſſiſſent. Veruntamen præter iſta prælia, quibus exercetur conſtantia militum tuorum, Rex magne, ſuccedit faſtidium longitudinis dierum, quando Satan inimicus noſtræ ſalutis proponit ſervis tuis prolixam vitam plenam auſteritate diſciplinæ tuæ. Hoc enim quærit per-

Superna Jeruſalem mater noſtra.

per-

Scripta An. 1607.

perſuadere, ut intolerabilis fiat eis iſta diuturnitas, & poſtquam miſerunt manum ad aratrum, reſpiciant retrò. Periculoſum eſt prælium hoc, Domine, quo proſtrati ſunt multi, qui videbantur muri ærei. Sed potentiſſima manus tua ſuſtinet vaſa fragilia, & roborat puſillanimem naturam, ut omnia poſſit in te, & perficis opus, quod cœpiſti A ad fabricam Jeruſalem, quæ ædificatur, ut civitas. Unde ſervi tui, quando ſic tentantur difficultate perſeverandi, adiuti auxilio brachii tui, renovant primum propoſitum ſuæ vocationis firmiſſimo decreto moriendi potius, quam recedendi à ſalutari Schola tua. Et ne unquam dominetur eorum inimicus nocendi cupidiſſimus, ſolent fideles ſervi tui atque conſtantes ante tempus debitum obligare ſe voto, aut juramento perſeverandi in domo tua, in qua ſalutem habitare crediderunt. Hæc eſt lucta, Domine, fortium amicorum tuorum, à qua recedit Satan triſtis & vulneratus, quia ipſo prælio præbuit occaſionem firmiùs adhærendi tibi. Huic autem victoriæ ſuccedit lætitia magna, & deſiderium perpetuò habitandi in atriis tuis, timorque filialis, ne fortè proiiciantur tan- B quam indigni à pacifica domo tua. Atque ad hunc modum exercentur ſervi tui, Domine, nunc triſtes, nunc hilares, nunc deiecti, nunc animoſi, ut ſciant, quid ſint ex ſe, & quid valeant gratia tua, qua corroboras eos. Poſt hæc autem exercitia ordinatiſſima lapides vivi tui fœlicius coædificantur dolati, & complanati ad conſentiendum fabricæ per omnia, ut habites in eis, ſicut deſiderat anima tua. Illi permanebunt ſicut Sol in conſpectu tuo, ſine diminutione lucis, qua illuſtraſti eos: & finito agone vocabis eos ad te, quem deſideraverunt, & pro quo perſeveranter laboraverunt, & ſeptuplum illuminatos æterna luce facies habitare in civitate primogenitorum, & frui C beatiſſima præſentia tua.

PARS SEXTA.

De uſu Donorum, & guſtu fructuum Spiritus Sancti, & de Beatitudinibus, & gratiis gratis datis, quæ D ſunt in Schola Jeſu Chriſti.

CAPUT I.

De communi uſu Donorum Spiritus Sancti in Schola Jeſu Chriſti.

Certiſſimum eſt, Jeſu Chriſte Redemptor mundi, quod ubi abundavit de- E lictum, ſuperabundavit copioſa redemptio, & gratia tua. Nam præter virtutes multas, quibus ornaſti animas tibi gratas, quaſi chariſſimas ſponſas tuas, unxiſti eas unctione donorum Spiritus Sancti, qua factum eſt, ut currant velocius poſt te, quam ſine unctione cucurriſſent. Et hæc eſt origo velocitatis, qua Schola tua progreditur per viam vitæ non adeo gravata pondere carnis & impedimenti vitæ mortalis, qua tenentur captivi ſervi tui. Mirabile eſt, Domine, quam celeriter ambulent per vias rectas juſtificationum tuarum diſcipuli tui uncti oleo lætitiæ, exultantes ad opera juſtitiæ ſicut invitati ad regales nuptias. Juſti Angelis ſimiles. Videntur certè ſervi tui ſimiles valde Angelis, quos facis velociſſimos ad mandata tua, & efficaciſſimos ſicut ignem urentem. Movet quippe eos ſpiritus tuus impulſibus ſuis, ut cur- F rant ad palmam per ſemitas juſtitiæ, quas oſtendiſti eis. O Rex Pacifice, quale ſpectaculum eſt in Religionibus ubi obſervantia viget, videre communitatem multorum diverſæ ætatis, & diverſæ nationis concorditer, & expeditè ſervientium tibi ſine mora, ſine tædio, & ſine ſenſu ponderis, quod portant filii Adam à die prævaricationis patris ſui. Quis hæc operatus eſt, Domine, niſi fortiſſimus ſpiritus tuus, qui effuſus eſt ſuper familiam vacantem tibi, ut rumpat vincula, quibus antea ligabatur, & vivat in libertate filiorum Dei per adoptionem dulciſſimam ſpiritus tui. Sic ergo Schola tua, Domine, promptiſſimè ſequitur inſtinctum G Spiritus Divini, diſſolvens omnes colligationes vitiorum, & paſſionum, & ſurgens, atque aſcendens ſuper difficultates hujus vitæ, quaſi columba volans è diluvio ad arcam, ubi poſſit requieſcere non ſolum pes, ſed corpus, & anima ejus. Pondus carnis moleſtum. Non fit modò ſonus exterior tanquam advenientis ſpiritus vehementis, Domine; ſed fit impulſus interior, & augetur robur, & promptitudo diſcipulorum tuorum, ut retineri non poſſint à mundi compedibus, vel ab ipſa carne ſua, quæ moleſtiſſimo pondere gravat animam ſuſpirantem in atria tua. Utinam omnes filii hujus ſæculi deponerent onera importabilia, ſub quibus gemunt ſervientes carni, & ſanguini, & legibus mundi; & fierent facilè mobiles à ſpiritu tuo in ſimilitudinem H aquilarum euntes, & redeuntes ad fidelia mandata legis tuæ! Sed pauci valde ſunt, qui non pigritentur, & ferantur deorſum, & pene mergantur, quaſi plumbum in aquis vehementibus. Pauci tamen illi glorificant te Regem ſuum multis modis, qui exercentur in congregatione juſtorum cum æmulatione mirabili ſuper omnia mirabilia mundi.

Scripta An. 1607. Currunt ad te, Domine, ſine defectione, & cupidiſſimi ſunt præſentiæ tuæ. Hanc per ſuſpiria, & multiplicia bona opera requirunt & pro ea ſacrificant ſe totos tibi. Tu verò, Clementiſſime, odoraris odorem ſuavitatis videns ſedulos, & indefeſſos operarios tuos. Nunc mittis eis flantem ſpiritum, quo adjuventur, & animentur ad curſum; A & poſtea amantiſſime recipies eos de longa via venientes ad amœniſſimam regionem paradiſi tui.

CAPUT II.

De uſu Doni Intellectus in Schola Jeſu Chriſti.

HOmo cum in honore eſſet, non intellexit, Domine, & ſic privatus dono intellectus tui factus eſt ſimilis jumentis inſipientibus ſolvens pœnas prævaricationis, & temeritatis ſuæ. Sed ne periret, quem tam miſericorditer condidiſti, omni homini venienti ad gratiam tuam largiris altiſſimum donum intellectus, quo habeat rectam æſti- B mationem de te ultimo fine, & fœlicitate ſua. Verumtamen multa ſunt, quæ operaris per hoc donum in familiariſſimis amicis tuis, quæ non capiuntur à ſapientibus hujus mundi, qui ad res divinas videntur carere intellectu, cum ſint acuti, & perſpicaces ad negotiandum inter ſollicitos mercatores corruptibilis vitæ. Profectò, Domine, donum hoc tuum, quod eſt acuta quædam perſpectio, ſeu penetratio divinorum, quantum fert ſtatus præſentis vitæ, quæ verſatur in ænigmate, mirabiliter illuſtrat aliquot paucos amicos tuos, qui purgatis cordibus adhærent tibi. Non eſt comparabilis intelligentia ſtudentium in Academiis, & ſpeculantium, & ſcribentium libros abſque numero, cum intellectu electorum illorum, C qui peculiari adjutorio ſpiritus tui penetrant myſteria fidei. Profectò, Magiſter vitæ, facilè cognoſcunt iſti familiares tui, ſe plura percepiſſe brevi uſu doni intellectus, quam perceperint annis multis ſollicitè inquirendo, & conſiderando mirabilia tua. Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc: neque penetratio iſta eſt volentis, neque currentis, ſed ſpiritus tui miſerentis, & effundentis, quando vult, formoſiſſimam lucem, & dulciſſimam bonitatem ſuam. Bene autem eſt, Domine, ut privilegium hoc concedere ſoleas puris cordibus, quorum ſordes ablutæ ſunt in ſanguine tuo: hoc enim ſcientes ſervi tui præparabunt ſe, ut digneris favere eis, & docere eos in ſecreto thalamo cordis ſui. Ibi quippe aperire D ſoles oculos cæcorum, & inſtruere amicos tuos caſtiſſima eruditione oris tui, ſicut quando aperuiſti ſenſum Apoſtolorum tuorum, ut intelligerent ſcripturas tuas. Beati ſunt electiſſimi amici Regis Pacifici, quibus aperit ſenſum, ut ſuper ſenes intelligant, & altè percipiant ſecreta ſua! Omnia mundi mirabilia contemnant, Domine, & vacabunt intelligentiæ rerum divinarum, capti voluptate vultus tui. O Fili Dei Altiſſimi, quam facilè in conſpectu tuo animam ſubitò erudire, & implere ſpiritu ſublimiſſimi intellectus, quo capiat recondita myſteria tua! Certè qui ſic intelligit te, trahetur catena dilectionis poſt decorem tuum: & abſtinens ab omni opere malo aſcendet de loco tenebrarum ad beatiſſimam lucem, & fœ- E liciſſimam viſionem tuam.

CAPUT III.

De uſu Doni Sapientiæ in Schola Jeſu Chriſti.

TU Domine, qui es ſapientia infinita attingens à fine uſque in finem, cuncta componens, atque diſponens, facis diſcipulos tuos veros ſapientes, diſponens intellectum eorum excellentiſſimo dono ſapientiæ, ut habeant rectitudinem judicii circa res divinas: de illis enim bene judicant, eas contemplando aut conſulendo: & de aliis quoque rebus per regulas divinas mirabile judicium ferunt, utpote viri verè ſpirituales, F qui ſecundum ſententiam Apoſtoli tui Pauli judicant omnia. Sublimis autem gratia eſt hæc, quæ confert menti humanæ tam admirabile judicium per quandam connaturalitatem, ſive unionem ad divina, quæ eſt per ſuaviſſimam charitatem tuam. Et quidem, *Fili Dei Altiſſimi*, tam miſericorditer feciſti cum filiis hominum, ut nulli gratiam gratum facientem habenti deſit altiſſimum donum ſapientiæ: quo adjutus, tam in contemplatione divinorum, quam in ordinatione rerum humanarum ſecundum divinas regulas, habet tantum de recto judicio, quantum eſt ei neceſſarium ad ſalutem. Sic enim placuit dulciſſimæ bonitati tuæ, Domine, ut ſapientiam, quam perdidit Adam, inveniret copioſiſſima redemptio, quæ eſt G in ſanguine tuo. Sed præter communem iſtam, & magnam bonitatem tuam ſoles, Rex Pacifice, elevare amicos tuos mundos corde ad excellentiſſimam notitiam divinitatis cum ſapore abſcondito, qui ſuperat omnem mundi ſuavitatem, & loqui eis ad cor in thalamo tuo arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ibi ſuſpenduntur præ magnitudine bonitatis, pulchritudinis, majeſtatis, & æternitatis tuæ, & liquefiunt ardentiſſimis flammis amoris tui, quo montes ſicut cera fluunt. O ſapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiiſti, quam fortiter adhærent tibi cupientes non ſeparari à te in ſæculum, & in ſæculum ſæculi! Melior videtur eis hora una, vel dimidia in thalamo tuo ſuper millia dierum nuptialium cum filiis hominum. Et quando H poſt guſtum ſapientiæ tuæ deſcendunt ad uſum rerum temporalium, quæ neceſſaria ſunt ad ſuſtentandam vitam, videntur ſibi deſcendiſſe de altitudine cœlorum ad profunditatem maris: & ingemiſcunt gravati pondere mortalitatis, cupientes reſpirare ad auram immortalis vitæ, quam præguſtaverunt

Gratia gratum faciens notata.

runt in complexu tuo. Profectò, Rex magne, ſapientiæ iſtius uſus, de quo loquor tecum, rarus & mirabilis eſt: & conceditur quaſi privilegium amicorum, qui inebriantur ad ubertate domus tuæ: ut magis ſobrii fiant ad dirigendos alios in viam rectam fertiliſſimæ regionis vivorum, qui revelata jam facie contemplantur formoſiſſimam faciem tuam. Utinam omnes mercatores mundi currerent ad ſapientiam tuam, & implerentur ſpiritu ejus ſemel. Credo enim, quod illi omnia bona ſua libenter venderent, ut negotiarentur ad portas tuas. Neque requirerent amplius veteres amicos ſuos Tyrios, & Sidonios, cum quibus exercent mercaturam. At verò non guſtabunt mel labiorum tuorum, qui non lavant diligenter ſtola, & circumcidunt corda ſua. Amici verò tui, Domine, privilegio grandium, ſicut Aquilæ ad te elevati ſunt, puriſſimis cordibus ſuſpirabunt ad te uſque in finem, & tranſibunt de bello ad pacem, & de tenebris ad candidiſſimam lucem tuam.

CAPUT IV.

De uſu Doni Scientiæ in Schola Jeſu Chriſti.

Scientia, quam inſpirat divinus Spiritus tuus, Domine, non inflat ſcholam tuam, ſicut ſcientia ſæcularis, quæ diſcitur ad honores, vel lucra temporalia, per quæ amitti ſolent æterna bona paradiſi tui. Sed eſt ſcientia caſta, quæ ædificat ſingulos amicos tuos, ut diſcernant divinas veritates ab erroribus, & ferant certum judicium de rebus creatis per cauſas ſecundas ex directione ſpiritus tui, quo reguntur, & à quo inhabitantur, quaſi viva templa ejus. Sunt diſcipuli tui, Domine, arcæ bene clauſæ, ubi repoſitos habes multos theſauros ſcientiæ: qua utuntur in variis eventibus, ſtupente Lucifero, quomodo apud homines pauperculos mundo crucifixos habitet tam ſublimis ſcientia, qua dirigunt ſe ipſos ad vitam. Jam verò quid loquar de majori ſcientia, qua ſolet ſpiritus tuus implere humiles, ut ferant judicium admirabile, quale fecit Salomon adoleſcens de duabus meretricibus, & Daniel puer de duobus iniquis ſenibus ad liberandam Suſannam fideliſſimam ancillam tuam? Tu, Domine, omnia noſti: & quando tibi placet, infundis copioſam lucem vultus tui caſtis cordibus amicorum tuorum, ut ſciat omnis terra, quia non eſt ſimilis tui in ſapientibus mundi. Quocirca non glorietur vir litteratus in ſcientia ſua, aut fortis in fortitudine ſua: ſed in hoc glorietur omnis qui gloriatur, ſcire, & noſſe te. Utinam omnis homo, qui juxta naturam ſuam ſcire deſiderat, ingrederetur humiliter ſentiens de ſe in ſcholam tuam, & diſponeret cor ſuum ad ſtudium ſcientiæ, quæ ſine vocibus, & altercationibus diſcitur! Tu certè Magiſter es, Domine, & libenter inſtruis filios Adam ſollicitos cupiditate ſciendi, ut ſciant te, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Illi verò difficulter tradunt tibi ſeipſos erudiendos, quaſi poſſent meliorem præceptorem invenire in terra ubi nihil niſi cum anxietate, & periculo errandi diſcitur. Beati, qui ſciunt ſeipſos ſubdere tibi, ſuaviſſime Fili Dei! Brevi enim diſcent plurima bona pretioſiſſima, quorum expertes ſunt magiſtri ſæculi quærentes uſque ad ſenectam fructum veritatis, & numquam pacificè fruentes illo. Tempus breve eſt: & amabilior eſt ſchola tua, Domine, ubi caſta eruditione tua fiunt homines ſapientes ſine invidia, immò cum laude magna Eccleſiæ tuæ, & cum inæſtimabili pace cordis ſui. Sciunt te, & alia per te, & propter te dulciſſimum Deum, & Inſtructorem ſuum: & ſine laqueis errorum mundi perducuntur à te in hæreditatem repromiſſam fæliciſſimi regni tui.

Salomonis & Danielis, Judicium.

CAPUT V.

De uſu Doni Conſilii in Schola Jeſu Chriſti.

Mirabilis facta eſt ſcientia tua, Domine, in fabrica ſpirituali, quæ fit de lapidibus vivis ad ædificandam Jeruſalem, & reparandas ruinas Angelorum. Feciſti enim, ut ſapiens architectus coaptans corda filiorum Adæ ad ædificium ſine fine permanſurum, tribuens eis dona Spiritus Sancti tui, quibus perducantur ad vitam. Atque ita inter cætera dona dediſti electæ plebi tuæ donum conſilii, quod non eſt de ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed de te ipſo, qui facis omnia ſecundum altiſſimum conſilium voluntatis tuæ. Hoc ergo dono tuo utuntur mirabiliter amici tui, & diriguntur in omnibus neceſſariis ad finem vitæ æternæ, & in aliis, quæ conducunt ad beatiſſimam vitam fælicius aſſequendam. Et quidem licet multa, quæ faciunt ſervi tui ex directione ſpiritus, abſcondita ſint ob oculis carneis, alia tamen ſunt, quæ ipſi etiam carnales homines admirantur, & tribuunt conſilio tuo. Sæpe enim, Domine, ii, quos præordinaſti ad coronam, verſantur inter varietates hujus ſæculi ancipites, & perplexi, neſcientes, quid eligant, habentes coram ſe diverſas vias, per quas ſine crimine poſſent ambulare, quantum cognoſcit, & providet humana fragilitas: & tamen impulſu ſpiritus tui non fidentes ſibi, eligunt tutiſſimum ſtatum Religionis alicujus, ubi obſervantia viget, mundo pene univerſo murmurante, & te ferè ſolo probante conſilium illud. Sic etiam cum laude magna infinitæ ſapientiæ, & bonitatis tuæ, Domine, faciunt diſcipuli tui multa alia contraria mundi conſiliis tam prudenter, & cautè, ut facilè ſit judicare non regi illos à mundi ſapientibus & prudentibus, ſed à te, qui es Dei virtus, & ſapientia. Ex hoc numero videntur eſſe illi fideliſſimi ſervi tui, qui ſponſas intactas relinquentes dilexerunt decorem caſtitatis, ut ſine corporalibus delitiis fierent aptiores ad ſpirituales, & æter-

Religionis ſtatus tutiſſimus.

Scripta An. 1607.

nas delitias tuas; quales fuerunt duo illi milites, quorum converſionem mirabilem refert Auguſtinus ſervus tuus. Sunt & alii contemptores mundi, Domine, qui mirabili conſilio ſpiritus tui adinveniunt modos inſolitos declinandi honores & pericula orbis terrarum, vel ſimulantes ſe nihil ſcire, A vel oſtendentes ſe contemptibiles, aut fatuos, ne fortè vincantur occaſionibus peccandi, & pereant de via tua. Diligunt enim decorem Jeruſalem ſponſæ tuæ, pro qua contemni, & irrideri potius, quam inquinari, ducunt eſſe cœleſte conſilium, cui totis viribus inhærent. Atque ita tranſeunt per viam vitæ, quaſi ſapientes mercatores; qui non curantes, aut æſtimantes ea bona apparentia, quæ ſunt in aliena regione, feſtinant incogniti ad patriam, portantes ſecum pretioſiſſimas opes, quibus adornent domos ſuas. Bene eſſet, Domine, ſi conſiliarii Principum terræ ſcirent ſequi conſilium tuum, ut bene eſſet eis in noviſſimo die. Diſcipuli certè tui, qui audiunt te intus loquentem, non ambulabunt in tenebris B mala conſilia capientes, aut dantes; ſed habentes lumen vitæ, dirigentur in terra, & per vias rectas deducentur in optatiſſimam requiem permanſuram ſine fine.

CAPUT VI.

De uſu Doni Pietatis in Schola Jeſu Chriſti.

FEciſti nos, Domine, ad te, ut te diligeremus & coleremus totis viſceribus, & viribus, quæ debentur tibi Deo, Domino, Patri, & cuſtodi filiorum Adam. Et ideo diſponis animas diſcipulorum tuorum dulciſſimo dono pietatis, quo fit, ut habeant filialem affectum erga te, ſicut Patrem, & C colant, quæ tua ſunt, ſcilicet Sanctos, & Sacram Scripturam tuam. Qua in re manifeſtas, Domine, viſcera paterna plena lacte miſericordiæ, ſiquidem facis dono ſpiritus tui animas amicorum tuorum lætari ſub umbra alarum tuarum, & gerere affectum tenerrimum erga te, ut fideliſſimè adhæreant tibi Clementiſſimo Deo, & Patri ſuo. Et meritò quidem, quia omnis affectus parentum carnalium in filios, ſi comparetur cum tenerrimo affectu tuo in nos, nimium frigidus eſt. Et quod magis ponderandum eſt, ſi opera omnium parentum in filios ſuos comparentur cum operibus, quæ feciſti propter nos homines, non ſunt digna æſtimatione ulla. Tu enim, piiſſime, ſic dilexiſti nos, ut traderes dilectam animam tuam in manus inimicorum ejus quodam genere cha- D ritatis, quod non eſt uſitatum in terra, quam dediſti filiis hominum. Tu ſicut verus Pater theſaurizaſti nobis theſauros inæſtimabiles, & in æternum duraturos. Tu præparaſti nobis manſiones in civitate vivorum, quibus fruantur electi tui. Atque ita nihil fecit unquam Pater aliquis, quantumvis amaret filios ſuos, quod tu Miſericordiſſime non feceris multò copioſius cum filiis Adæ. Ex quo fit, ut optimo jure debeant tibi totum cor, totam animam, & totam fortitudinem ſuam. Quia verò non poſſent ſine te ſic affici erga te; diſpoſitione novi teſtamenti, quod diſpoſuiſti electis tuis factum eſt, ut diffundatur filialis pietas in eos, qua incaleſcunt, & moventur ad te, quaſi chariſſi- E mum Patrem; à quo gloriantur ſe accepiſſe vitam, inſpirationem, & omnia, ut ſe totos debeant tibi. Sic dulciſſimis, & frequentiſſimis affectibus vocant te non ſolum Patrem, ſed Matrem, & vitam ſuam, creſcentes pietate, & multiplicantes merita illius hæreditatis, quam præparaſti eis. Et quidem nunc te non videntes amant, & honorant te piiſſimis erga te cordibus: quando autem videbunt te in formoſiſſima luce formæ Dei, dici non poteſt, quali affectu te amplexuri ſint. Hac ſpe patiuntur calamitates hujus vitæ, donec aſcendant ad te per terram Edom, & requieſcant in fertiliſſima terra poſſeſſionis tuæ.

F

CAPUT VII.

De uſu Doni Timoris in Schola Jeſu Chriſti.

TImor tuus, Fili Dei altiſſimi, caſtus, & filialis, eſt ſanctus, & digniſſimus ſchola tua, in qua incipit, & permanet in ſæculum ſæculi: ſpiritus quippe tuus ſuavitate mirabili afficit amicos tuos, ut revereantur te, & timeant ſeparari à te, pluſquam mors timeri ſolet. Cum enim tu ſis vita amabiliſſima eorum, conſequens eſt, ut videatur eis acerbiſſima mors dividi à te, cui in æternum adhærere deſiderant. Sic timent te ſancti tui, Rex Pacifice: & quantò magis creſcit charitas, tantò magis augetur hic timor nobiliſſimus, & propria nota fi- G liorum Dei. Timoris autem ſervilitas longè eſt à ſchola tua, cum ſervilitas non cohæreat cum charitate tua: quamvis ſubſtantia timoris ſervilis reperiatur in novellis, & imperfectis ſervis tuis; quos purgat charitas quando creſcit, & foras mittit timorem pœnæ retinens ſecum purum offendendi timorem te. & carendi beatiſſimo conſortio tuo. O Domine, quomodo multiplicantur actus timoris hujus à diſcipulis tuis fideliſſimis, quorum principalis cura, & ſollicitudo eſt, ne ſeparentur à te. O quoties proſternunt ſe tibi cum profundiſſima reverentia, ſubdentes Majeſtati tuæ ſe totos, & innumerabiles mundos, ſi poſſiderent illos! Timor caſtus tuus, Domine, continet intra ſe amicos tuos, & ſanat à veneno ſuperbiæ unctione ſpiritus tui. Submittunt illi H alas ſuas tibi, cupientes protegi à te, in quo habent firmiſſimam ſpem, & tutiſſimum refugium de omni anguſtia, quæ naſcitur ex præſenti vita. Beatus vir, qui timet te, Domine, quia in mandatis tuis volet nimis, habens ſcilicet cor totum in obſervandis præceptis tuis, per quæ pervenitur ad vitam. Certè, qui timet te, facit bona, & diligen-

Timor ſervilis longe eſt a Schola Chriſti.

Scripta An. 1607.

Deus quali timore timendus?

tiſſimè vitat mala, quibus poſſet ſeparari a ſummo bono, quod diligit ex tota fortitudine ſua. Hoc certè timore mirabiliter decoratur domus tua, Domine, nihil curans, ſi patiatur gravia mala pœnarum, dummodo non ſubſit culpa, quæ dividat plebem tuam à te. Utinam omnes filii Adam A timerent te filiali timore, & diſcerent non timere eos, qui occidunt corpus, vel auferunt bona temporalia, quæ nocere ſolent ſpirituali vitæ. Sed longè eſt à peccatoribus timor caſtus, quia ſunt pleni timore mundano, quo affliguntur immunda corda, & corpora eorum. Diſcipuli verò tui, Domine, timent te ſicut chariſſimum Patrem, & adhærent fortiſſimè legi tuæ. Quocirca dabis eis in conſummatione ſæculi fœliciſſimam ſortem, quaſi dulciſſimis filiis, & hæredibus tuis.

CAPUT VIII.

De uſu Doni Fortitudinis in Schola Jeſu Chriſti.

B Bene proviſum eſt à te, Cuſtos hominum, fragilitati naturæ humanæ, quæ multis timoribus vanis, & carnalibus tentatur. Dediſti enim ei fortitudinem ſpiritus tui, quæ roborat hominem, confertque fiduciam evadendi quælibet pericula, & perveniendi victis difficultatibus ad beatam vitam æterni regni tui. Hæc eſt fortitudo magna, & digna brachio tuo, Domine, per quam ſervi tui occurrunt adverſis poteſtatibus mundi, & inferni, & habentes firmiſſimam ſpem vincedi rumpunt omnia vincula, & obſtacula, quibus retardantur à curſu viæ vitæ. Hac vi fundata ſchola tua, fortiſſime Fili Dei, quaſi caſtrorum acies tendit per medios hoſtes ſuos ad terram æternæ promiſſionis, C pugnans contra omnes reges Chananæos, & deſtruens, atque ſuccendens igne civitates eorum. Mirum eſt, Domine, quomodo eriguntur pugnatores tui adverſus portas mortis, & inferni, & expellunt à ſe timores & languores, freti adjutorio dexteræ tuæ! Unus videtur poſſe fugare mille, & duodecem millia, quia certiſſimè confidunt, te regere dexteras eorum, ut prælientur prælia Domini, & proſternant omnes inimicos ſuos. Et ex hac animi fiducia fiunt hilares, & conſtantes ad repellendas tentationes, & cogitationes varias, quibus Satan quærit infirmare animas eorum, ne perveniant ad requiem, quam præparaſti eis: longè falluntur filii hujus ſæculi in æſtimatione D fortitudinis, Domine: quia temerarios, & nimis audaces laudant, quaſi fortes, & ponunt eis ſtatuas, quaſi digni eſſent: honorant etiam eos, qui valent viribus corporis, & eos ſine conſideratione veræ virtutis fortes appellant. Sapientia verò tua in corporibus infirmis collocat fortitudinem ſpiritus ſui, quæ longè ab omni audacia, & temeritate aggreditur pericula, & vincit ordinatiſſima victoria, quam per te, Jeſu Chriſte Fili Dei vivi, dedit nobis clementiſſimus Pater tuus. O quam fortiter præliantur milites tui, Domine, quando habentes te præſentiſſimum adjutorem pugnant pro gloria tua, & pro decore Jeruſalem civitatis tuæ! Certè donum hoc fortitudinis tuæ armavit exercitum candidatum Martyrum, ut pericula mortis E aggrederetur, & evaderet, & ad palmam fœliciſſimè ſuper occaſum aſcenderet. Et quidem multi fuerunt qui arrepti ſpiritu fortitudinis tuæ, ſe ipſos injecerunt in flammas, vel in fornaces calcis, ut appareret invicta gratia redemptionis tuæ. Servi verò tui fortiſſimi, quibus nunc non offertur occaſio tyrannorum, multa ſimilia operantur in præliis ſpiritualibus, & comparant clariſſimas victorias in caſtris tuis. Hos tu, Rex magne, recipies aſcendentes de bello ad ſuaviſſimam pacem filiorum Dei: & jubebis aſſiſtere vultui tuo celebrantes in æternum clariſſimas victorias ſuas.

Hominum error.

CAPUT IX.

De fructibus Spiritus Sancti, qui guſtantur in Schola Jeſu Chriſti.

F

O Quam ſuavis eſt, Domine, ſpiritus tuus, qui dulcedinem ſuam in filiis adoptionis demonſtrat, ingerens eis lætitias quaſdam inæſtimabiles, quibus delectantur, cum bene operantur, & exercent caſtis cordibus virtutes tuas. Non ſolum enim voluiſti, Liberaliſſime remunerator, ut operarii tui poſt conſummatos labores reciperent denarium diurnum, & intrarent in gaudium Domini ſui, ſed ut in via etiam reficerentur mirabili ſuavitate ſpiritus, à quo moventur ad exercenda opera juſtitiæ tuæ. Hinc eſt, Domine, ut in multis actibus virtutum ſchola tua lætetur, & delectetur magis, quàm ſi G poſſideret univerſi mundi principatum: & gaudeat in ſolo te ſalutari ſuo. Solet enim, quando tibi placet, ô Clementiſſime, in operibus charitatis gaudere gaudio ineffabili, & ſentire intimam lætitiam procedentem à fonte vivo ſpiritus vivificantis, qui penetrat cor ejus. Ibi naſcitur gaudium ſecretum, & abſconditum à ſapientia mundi, quo diſcunt amici tui ſpernere omnes delectationes filiorum Adam, quamvis duraturæ eſſent in æternum. Ibi ſolet ſentiri pax multa, quæ eſt propria diligentium legem tuam, tanta cum ſuavitate, ut incomparabilis videatur delectatio, & pretium ejus. Ibi percipitur fructus patientiæ tam delectabilis & purus, ut mundus aſſequi non poſſit æſtimationem H illius. Ibi naſcitur affectus dulciſſimæ bonitatis, qua ſchola tua fit propenſa ad benefaciendum proximis cum intimo gaudio cordis ſui. Ibi creſcit longanimitas, ne dilatione futurorum bonorum fatigetur plebs tua, & mira dilatatione cordis exultat in te. Ibi fervet benignitas ad executionem bonæ voluntatis cum oſtenſione dulcedinis tuæ in proximis adjuvandis, & ſolandis. Ibi regnat amabiliſſima, & jucundiſſima, proximis

man-

Scripta An. 1607.

manſuetudo, quæ in tolerantia injuriarum reficit, & delectat amicos tuos. Ibi eſt fides ſeu fidelitas multa, qua ſervi tui abſque fraude, & dolo cum ſinceriſſima delectatione agunt cum proximis ſuis. Ibi apparet formoſa valde modeſtia familiæ tuæ, quæ generat caſtam voluptatem, quam mundus non cognovit. Ibi continentia à licitis etiam de- A lectationibus mirificè decorat diſcipulos tuos, & reficit interno paſtu lætitiæ tuæ. Ibi caſtitatis cuſtodia producit puriſſima delectamenta flante ſpiritu tuo, qui in caſtis cordibus habitat, quaſi in thalamis nuptialibus, ubi celebrantur nuptiæ tuæ. Hi ſunt fructus ſuaviſſimi, quibus reficis, quando vis, laſſos operarios tuos, ut diſcant, quanta ſit honeſtas, amabilitas, decor, & ſuavitas ſcholæ tuæ, ubi prægustantur gaudia paradiſi, ad quem feſtinant. O Domine, quàm avidè comeduntur iſti fructus ſpiritus tui dulciores ſuper mel, & pretioſiores ſuper omnes opes & conſolationes mundi! Beata gens, cujus Dominus eſt Deus ejus: populus quem elegit in hæreditatem ſibi! Replentur ſicut adipe ſervi tui, Rex Pacifice, & creſcunt, & roborantur guſtu tuo ad præliandum, & B vincendum ſæviſſimos hoſtes, qui occurrunt aſcendentibus in ſummitatem Sion montis ſancti tui. O nutrimentum filiorum Dei, quomodo trahitur ſapore tuo, qui ſemel guſtavit te! Non comparabitur tibi lautitia menſarum, in quibus ſaturantur, & inebriantur reges terræ. Comedant, Domine, & bibant ad menſam tuam chariſſimi amici tui; & refecti cibo, & potu filiorum in via, currant ad permanſuram cœnam tuam. Ibi ſatiabuntur ſine tædio, & delectabuntur multitudine pacis tuæ.

CAPUT X.

C *De Beatitudinibus, quæ ſunt in Schola Jeſu Chriſti.*

BEati certè ſunt diſcipuli tui, Magiſter dulciſſime, quia nacti ſunt præceptorem vitæ, quem nulla filiorum hujus ſæculi academia conſecuta eſt. Auctores quippe ſectarum variarum ſine fine diſputantes de beatitudine hominis, neque in hoc ſæculo, neque in futuro caruerunt infinita miſeria, una cum auditoribus, & ſequacibus ſuis. Tu verò, Domine, qui es ipſa beatitudo, non ſolum in futuro ſæculo facis beatos ſuprema fœlicitate ſervos tuos; ſed etiam in hac vita donas eis quandam inchoationem beatitudinis per actus perfectiſſimos virtutum, qui exercentur in ſchola tua. Tu veritas divina dixiſti, beatos eſſe pauperes ſpiritu, ſcilicet D diſcipulos tuos, non inflatos, non ſuperbos, qui profundiſſima humilitate pervenerunt ad quendam contemptum bonorum mundi, in quo ſimiles valdè fiunt eis, qui jam fruuntur te, deſpicientes omnia viſibilia propter eminentem ſcientiam divinæ viſionis tuæ. In his regnum cælorum eſt perfectæ ſapientiæ initium, ſecundum quod incipit in eis regnare ſpiritus tuus. Tu dixiſti, beatos eſſe mites ſervos tuos, quia per excellentiſſimam manſuetudinem perveniunt ad quandam tranquillitatem cordis, aſſimilantur pacificis filiis tuis, qui vivunt jam in æterna pace tua. In his poſſeſſio terræ eſt affectus quieſcens in ſtabilitate perpetuæ hæreditatis tuæ. Tu dixiſti, Domine, beatos eſſe, qui lugent, quia hoc genere luctus ſpiritus tuus producit E caſtiſſimos diſcipulos tuos ad quandam victoriam concupiſcentiæ, mortificatis paſſionibus ejus tam excellenter, ut libertati corporum glorificatorum appropinquent, quantum fert ſtatus imperfectus viatorum. Hos lugentes conſolatur ineffabiliter dulciſſimus Spiritus tuus. Tu dixiſti, beatos eſſe, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, quia impulſu ſpiritus tui facis avidiſſimos implendi juſtitiam ſervos tuos, ita ut mirabiliter videantur repræſentare juſtitiam conſummatam eorum qui habitant montem coagulatum juſtitiæ, qua plena eſt civitas ſuperna tua. Hi eſurientes, & ſitientes ſaturantur cibo tuo, qui eſt facere voluntatem Patris tui. Tu F dixiſti, Domine, beatos eſſe miſericordes, quia pertingunt ſervi tui ad quendam gradum miſericordiæ, in quo ſimiles valdè ſunt viſceribus tuis. Hi miſericordes conſequuntur in hac etiam vita inæſtimabiles miſericordias tuas. Tu dixiſti, beatos eſſe mundos corde, quia in hac vita elevantur à te ad puritatem quandam cordis, paſſionibus non inquinati, adeò mirabilem, ut videantur finitimi eſſe candori cœleſtis Jeruſalem ſponſæ tuæ. Hi purgato oculo per donum intellectus te quodam modo videre dicuntur. Tu dixiſti, beatos eſſe pacificos quia gerunt altiſſimam ſimilitudinem divinitatis tuæ, in qua nulla eſt mutatio, vel viciſſitudinis obumbratio. Habent enim iſti, quos filios Dei vocandos prædicaſti, quantum patitur vita præſens, omnia pacata, & ſunt vaſa ſancta aptiſſima ad vacandum tibi, quorum inchoata fœlicitas in hac vita eſt, ut filii Patris tui nominentur, & ſint. G Tu dixiſti, Domine, beatos eſſe, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam quia in tantum roborantur ſpiritu tuo, ut facientes inæſtimabilia bona poſſint pati graviſſima mala ſine læſione cordis, in quo mirificè aſſimilantur beatiſſimis poſſeſſoribus hæreditatis tuæ. Et quidem fœlicitas hæc inchoata, quam prædicaſti filius hominum, Fili Dei Altiſſimi, multo major eſt, quam omnis beatitudo, quam ſibi fingunt homines, qui vagantur extra ſcholam tuam. Eſt tamen inchoatio quædam, perficienda à te remuneratore liberaliſſimo cum tanta, & tam ineffabili affluentia bonitatis, & dulcedinis tuæ, ut ſtupeant ſine fine boni æſtimatores, quos illuminaſti ad contemplandas divitias ampliſſimæ domus tuæ. H

Juſti quomodo in hac vita beati?

Pacifici cur beati?

CAPUT XI.

De Gratiis gratis datis, quæ ſunt in Schola Jeſu Chriſti.

VAſa electionis tuæ, Domine, quæ portant nomen tuum, & facta ſunt idonea A ad manifeſtandam infinitam bonitatem, & ſapientiam, & miſericordiam tuam ornantur à te diverſis gratiis gratis datis; quibus ſanctè utuntur cum augmento mirabili gratiæ gratum facientis tuæ, & converſione proximorum, & magna laude Eccleſiæ dulciſſimæ ſponſæ tuæ. Et quidem uſque in hodiernum diem alii datur à te fides, hoc eſt, fidei certitudo extraordinaria, quæ credit inviſibilia tanta firmitate, & adhæſione, ut aptus ſit ad confirmandos in fide fratres ſuos. Alii datur ſermo ſapientiæ, hoc eſt, altiſſima cognitio divinorum, ex qua fit potens ad erudiendos alios mirabiliter. Alii datur ſermo ſcientiæ, id eſt, mira notitia effectuum, & rerum humanarum, per quas inviſibilia manifeſtet. B Alii datur gratia ſanitatum, ut patet ex miraculoſis curationibus, quæ his etiam diebus fiunt per orationes, aut reliquias amicorum tuorum. Alii datur operatio virtutum mirabilium, quæ ordinatur ad tuæ divinæ poteſtatis manifeſtationem, ut ex vita ſanctorum tuorum, quos hac etiam ætate habuiſti, patere poteſt, in reſurrectione mortuorum, & in tranſitu fluminum, & in aliis occaſionibus, ubi clarificata eſt majeſtas tua. Alii datur prophetia, ut ſciat quæ tu ſolus noſti, qualia ſunt futura contingentia; & in hoc habuiſti hiſce diebus multos famoſos ſervos tuos, qui prædixerunt multa, quæ rei exitus comprobavit. Alii datur diſcretio ſpirituum, ut cognoſcat occulta cordium, & bene diſcernat lumine tuo; in quo multa ſunt exempla mirabilia diebus etiam iſtis facta C per amicos tuos. Alii dantur genera linguarum, quibus loquantur cum diverſis gentibus: quæ gratia antiquitus communicata eſt ſcholæ tuæ, nunc vero neſcio, Domine, an communicetur: fortaſſe tamen in aliquo eventu communicas illam electiſſimis aliquot amicis tuis, quos mittis ad nationes, quæ ignorant te, ad evangelizandum gaudium regni tui. Alii datur interpretatio ſermonum, ut cum vi & efficacia mirabili inſtruat, ſeu doceat, delectet, atque moveat, quod quotidie probas, Domine, in Eccleſia per idoneos miniſtros noſtros novi teſtamenti, quod fecit infinita charitas tua. Hæ ſunt gratiæ, quas gratis dat Spiritus tuus dividens ſingulis, prout vult, in bonum proximorum. Diſcipuli tamen tui ſic eis utuntur, quando D moventur à te, ut proficiant ipſi primum in ſchola tua. Et quamvis prophetent, & multa miracula operentur, non evaneſcunt in cogitationibus ſuis, ſed humiliantur, ſcientes, quia & peccatores in nomine tuo miracula operari poſſunt, ut non glorietur omnis caro coram te. Sic ergo caſtis & humilibus cordibus operatur ſchola tua virtutes multas, ut glorificeris in ea. Quærit enim in omnibus cantare infinitam magnitudinem bonitatis & miſericordiæ tuæ in hac valle lachrymarum, aſcenſura poſt lachrymas ad choros canentium te in ſtatu beatiſſimæ fruitionis, & vitaliſſimæ vitæ tuæ.

Gratiae gratis datae enumerantur.

E

PARS SEPTIMA.

De Reformatione ſenſuum, & potentiarum Animæ, quæ acquiritur in Schola Jeſu Chriſti.

CAPUT I.

De reformatione Viſus, quæ acquiritur in Schola Jeſu Chriſti. F

OCuli filiorum Adæ, Domine, deprædantur animas eorum, & tenent ligatas duriſſima ſervitute, quemadmodum experti ſunt ab ipſa pueritia ſua. Tu vero, Rex Pacifice, & honeſtiſſimum exemplar virginalis modeſtiæ, mutas corda diſcipulorum tuorum adeo mirabiliter, ut rectiſſimo temperamento moderentur oculos ſuos. Poſtquam enim tradiderunt ſe tibi inſtruendos per multas, & varias luctas, extinxerunt vitium curioſitatis, ut jam non libeat eis videre delectabilia mundi, ſed ea tantum, quæ poſſunt excitare memoriam amabiliſſimæ præſentiæ tuæ. Jam tranſiit illa velocitas ad aſpicienda vana, aut inutilia, quibus turbari ſolebat pax, & ſerenitas G pretioſiſſima cordis eorum. Jam ceſſavit appetitus intuendi viſibilia præ magnitudine deſiderii bonorum inviſibilium. Jam quievit illa ſollicitudo timoris caſti, ne fortè oculi ante conſiderationem rationis celeriter aſpicerent, quæ poſtea quamvis involuntaria nocerent. Jam ceſſavit exercitium velandi oculos, quod initio renuntiationis fieri ſolet à timoratis ſervis tuis. Jam iſta ceſſaverunt, & ſubſecuta eſt honeſtiſſima modeſtia firma, & ſtabilis, quæ eſt magna pars decoris domus tuæ. Tranſactis ergo exercitiis multis acquirunt diſcipuli tui, Domine, dominium quoddam ſuper oculos ſuos tanta honeſtate, & gratia plenum, ut ipſos etiam immodeſtiſſimos peccatores moveant ad prædicandas miſericordias tuas. Et quidem, H Clementiſſime Domine, ſervi tui, qui ſic vicerunt ſeipſos, quamvis in hac vita ſemper cautè vivant, jam tamen concedunt aliquantum libertatis oculis ſuis, ut proficiant ſibi, & aliis, ut monet charitas filiorum Dei. Quod enim attinet ad ſe ipſos, dum ex præmeditatione aſpiciunt diverſas creaturas

Juſtorum modeſtia.

Scripta An. 1607. turas tuas, ex omnibus accipiunt occaſionem aſcendendi ad te, auctorem illarum, legentes mirabilia tua in campis & fluminibus, & in cœlis tuis, tanquam in operibus digitorum tuorum, & in Luna, & Stellis, quas tu fundaſti. Quod vero pertinet ad proximos ſuos, charitas, quæ urget eos, inſtruit non ſolum corda, ſed oculos A illorum, ut ſimplicibus oculis columbarum intueantur conſervos ſuos ad captandam occaſionem conſolandi, docendi, aut corrigendi eos: ipſeque modus intuendi ædificat, & compungit illos. Utinam modeſtia ſcholæ tuæ, Domine, repræſentaretur qualis eſt, filiis hujus ſæculi, ut capti decore illius converterentur ad te! Tu Rex Sion, cui placet decor ſponſæ tuæ, amabis gratiam oculorum ejus, in quibus lucet ſuaviſſima pulchritudo tua. Et pro victoria, & mira reformatione iſta recipies chariſſimam ſcholam modeſtorum, & humilium ad ſtrictiſſimos, & ſine fine duraturos amplexus tuos.

CAPUT II.

B *De Reformatione Auditus, quæ acquiritur in Schola Jeſu Chriſti.*

NON ſunt diſcipuli tui, Domine, ex illo genere hominum ſe ipſos amantium, qui à veritate auditum avertunt, & ad vaniſſimas fabulas convertuntur. Sciunt enim ſe habere Magiſtrum, qui eſt Verbum Dei, & qui verba vitæ æternæ habet: & ideo nolunt permittere caſtas aures ſuas profanis, vanis, aut inutilibus verbis, quibus inquinentur pura corda eorum. Et quidem quamvis aliqui eorum, antequam accederent ad ſcholam, quæſiſſent ſibi Magiſtros venditores verborum, prurientes auribus; poſtea tamen quam cœperunt placere illis caſtiſſima eloquia tua, in tantum profecerunt, ut jam non delectet illos ſermonis C elegantia, aut ornatus, quo multi Chriſtiani ſeducuntur, ſed puritas & ſimplicitas verbi Dei, quod prædicatur non in ſublimitate ſermonis, ſed in fortiſſima virtute tua. Si tamen propter neceſſitatem præſentis vitæ cogantur loqui cum proximis ſuis, moleſtiſſimè ferunt ſermocinationes mundanas, & ſine vulnere cordis vulnerantur graviter verbis incompoſitis, quæ repugnant diſciplinæ tuæ. Si verò loquantur cum fidelibus amicis tuis, quorum converſatio in cœlis, & de cœlis eſt, attentiſſimè audiunt eos: & ſermo tuus melle dulcior intrans per auditum tibi aſſuetum, delectat valde ſuſpirantia tibi corda illorum. O Domine, quam longè ſunt iſti à protervia eorum, qui D dixerunt tibi: Recede à nobis, ſcientiam enim viarum tuarum nolumus! Obturaverunt certè diſcipuli tui purgatas igne tuo aures ſuas, ne audiant multiplices quæſtiones filiorum Adam, in quibus non eſt ſalus: & recedunt à colloquiis peccatorum, qui acuerunt linguas ſuas, ſicut ſerpentes habentes venenum aſpidum ſub labiis ſuis. Sed quanto magis recedunt à tabernaculis iniquorum, tanto magis appropinquant congregationi juſtorum, quorum ſermonibus inflammantur ad deſiderandas juſtificationes tuas. Aures cordis aperiunt ignitis eloquiis tuis, quando dignaris loqui eis ad cor: & ibi diſcunt, quomodo debeant uti auribus corporeis cum iis, qui diligunt te, & per quos loquitur Spiritus tuus. E Iſti fortiſſimi victores, Domine, non læduntur jam verbis inordinatis hominum, quamvis illa diſpliceant vehementer. Cor caſtum eorum firmiter fundatum ſupra petram non eſt facile mobile, aut violabile ſagittis verborum incompoſitorum: atque ideo aures eorum non fœdantur aliquo pruritu, qui fit extra diſciplinam tuam. Verumtamen non propter hoc, aut in hoc ſe juſtificatos exiſtimant; ſed in timore filiali viventes, & libertatem ſpiritus cum eo timore conjungentes tranſeunt per viam mortalitatis currentes ad permanſuram civitatem, & patriam ſuam. Ibi pro victoria, & reformatione auditus audient te, Rex Pacifice, dulciſſimè loquentem, & fideliſſima promiſſa reddentem eis: & gaudebunt F ampliſſima remuneratione laborum ſuorum in conſpectu ſereniſſimi vultus tui.

Cor juſtorum non facile mobile.

CAPUT III.

De Reformatione Guſtus, quæ acquiritur in Schola Jeſu Chriſti.

MUlta mirabilia operatur Spiritus tuus, Domine, iis, qui accedunt ad te, ut illuminentur. Nam & homines guloſos, & curioſos inquiſitores ſaporis ciborum, quos ex miſericordia magna vocas ad ſcholam tuam, ita mutare ſoles, ut fere amittant guſtum ciborum præ mortificationis ſtudio, & præ ſapore gratiæ tuæ. Hæc eſt victoria magna & verè digna ſchola tua, quæ paſcitur à te pinguedine terræ viventium, & potatur rore matutino, quem diſtillant G cœli tui. Quis, Domine, è filiis hujus ſæculi credit talia, quod ſcilicet homines voraces fiant adeo temperantes per diſciplinam tuam, ut fere amittant ſaporem ciborum, ſumentes eos cum dolore, ut ſatisfaciant debito ſuſtentandæ naturæ. Profectò, Domine, doctrina hæc ut plurimum longe eſt à palatiis divitum, & à judicio regum terræ: ſed habitat ſecretò in domo tua, & in pauciſſimis amicis tuis, quorum potus & eſca eſt dilectio tua. Toleraverunt iſti fideliſſimi, & fortiſſimi pugnatores longam famem, & ſitim, & contriſtaverunt linguas ſuas artificioſa amaritudine, qua fecerunt inſipidos cibos propter te, & quod eſt mirabilius, biberunt aliquando putredinem H manantem è corporibus leproſorum. Sed jam datum eſt eis, ut nutriantur ſine condimentis adoratorum ventris, ut gratia tua corroborati videantur vivere de ſolo dulciſſimo ſpiritu tuo. O Domine, quam ſanum conſilium eſt, nolle comedere de menſa, & bibere de calicibus Principum terræ ad

Iuſtorum eſca, & potus qualis?

acqui-

Omnia tempus habent.

acquirendam libertatem à ſervitute nimis dura, qua concupiſcentia ciborum torquet novellos ſervos tuos! Omnia tempus habent. Nunc tempus eſt eſuriendi, & ſitiendi in deſerto hujus exilii, in quo fatigamur procul à deſiderata valdè præſentia tua. Neque acquiritur pax ſine bello, neque ſerenitas ſine nubilo; & proinde neque ſatu- A ritas ſine fame, neque potus aquæ puriſſimæ, quæ eſt in ciſterna Bethleem ſine ſiti. Verumtamen illi, qui pugnaverunt valide, & non pepercerunt ſibi propter te poſt agones ſuos, fiunt ſimiles Angelis tuis, qui cibo ſpirituali utuntur, & paſcuntur conſortio tuo. Beati illi pauci victores, Domine, qui cibum animalem parciſſimè, & ſine ſaporis guſtu requirunt! Habent enim jam corpora aſſueta cibo grandium, & prægustant æterna convivia tua. Jam defecit tempeſtas famis, qua torquebantur in ingreſſu ſcholæ tuæ. Jam ceſſavit cupiditas meliorum ciborum, & importuna cogitatio delitiarum menſæ ſæcularis. Jam ceſſavit illa properatio in hora refectionis, qua venter ſatagebat impleri. Jam ſucceſſit pax, & quies, & ſatietas tua, Domine, ſine qua neceſſe eſt B ſemper eſurire, atque ſitire. Tu vera refectio cordis humani, melius quam convivia peccatorum ſuſtentas etiam corpora conſecrata tibi. Nunc reficis ſecretis modis quos nemo amatorum hujus mundi cognovit: ſed revelata facie gloriæ reficies amicos tuos lautiſſimis epulis, quas præparavit ad cœnam ſine fine duraturam ſuaviſſima dilectio tua.

CAPUT IV.

De Reformatione Odoratus, quæ acquiritur in Schola Jeſu Chriſti.

MOllities amatorum mundi, Domine, & ſtudium delectandi ſenſus proprios non C diſcitur in ſchola tua, quæ reliquit omnia mundi delectabilia, ut ſequeretur te. Cupiunt peccatores fallere ſe ipſos, quærentes odores aromaticos exquiſitos, ut non ſentiant fœtorem corporum, in quibus habent animas mortuas, & malè olentes tibi. Et adeo ſtudent iſtis odoribus artificioſis, ut veſtes, & cibos, & omnia, quæ tractant, impleant iſta fallacia, ut tranſeant ſine tædio per mortalitatem ſuam. Filii verò tui, quorum bonus, & caſtus odor implet Eccleſiam, diverſa procedunt via, abominantes ſimulationes iſtas filiorum hujus ſæculi, & gaudentes ſimplicitate rerum, quas creaſti, ut laudareris in eis. Quærunt ipſi certè ſpirare bonum odorem Magiſtri ſui per D virtutes ſolidas, & perfectas, quarum fragrantia delectaris tu Domine, & delectantur, qui habent purgatas nares ad diſcernendum odorem ſpiritus tui. Sed odores materiales, quibus adulteratur ſimplicitas caſta creaturarum tuarum, oderunt tanquam ſignum animæ abeuntis poſt veſtigia gregum ſuorum, longeque recedentes à thalamo tuo. Non tamen per hoc fugiunt odores florum, & herbarum, qui facti ſunt à te, & ubi non habet partem fallacia artificum ſenſualium, qui operantur in terra; ſed purificatus jam odoratus eorum caſtiſſimè movetur his odoribus tuis, & generat ſpiritualia deſideria videndi te, & fruendi decora valdè præſentia tua. Toleraverunt E fœtores multos, & graves ad caſtigandum olfactum, ſi fortè delectatus fuit odoramentis pretioſis, & profanis, & hac ipſa tolerantia acquiſierunt ſenſum mirabilem odorandi flores amœniſſimi paradiſi tui. Unde inter alia pura delectamenta, quibus viſitare ſoles amicos tuos, eſt quædam ſuaviſſima fragrantia diſſimilis odoribus mundi, & ſimilis valdè odoribus ſupernæ Jeruſalem ſponſæ tuæ. Hanc ipſi percipiunt externo etiam ſenſu olfactus, & admirantur, & exhilarantur ad currendam viam vitæ. Atque ita fit, ut in præſenti etiam valle miſeriæ præſentiant te, & trahantur voluptate odoris tui, qui eſt pretioſior omnibus odoribus Indiarum, & omnibus delectationibus, & ſolatiis filiorum Adam. Prudenter agit, Domine, ſchola tua, quæ F ſerviens leproſis, & ulceroſis, & patiens horrores, atque fœtores varios propter te, acquirit odorem tuum, quem exhalat in plateis cum laude maxima divinæ gratiæ tuæ. Et nunc quidem per intervalla inſpirat odorem tuum, ſed poſt curſum vitæ mortalis, qua fideliſſimè ſervit tibi, abundantius reficietur à te, & fruetur ſuaviſſimis ſupra omnem mundi ſuavitatem odoribus æternæ viæ tuæ.

Odoris voluptas qualis in Sanctis?

CAPUT V.

De Reformatione Tactus, quæ acquiritur in Schola Jeſu Chriſti.

DIfficile eſt, clementiſſime Fili Dei, nu- G merare modos exquiſitos, quibus homines ſe ipſos, amantes beſtialem ſenſum tactus, contra leges ſpiritus tui, delectant. Diligentiſſimè ſtudent mollibus veſtimentis indui, & commodiſſimis lectis requieſcere, impatienter ferentes minimas incommoditates, & iraſcentes graviter, ſi aliqua aſperitate offendatur tactus eorum. Quomodo tolerabunt iſti delicati pœnas inferni, quo feſtinant? Non eſt inter eos, qui conſideret noviſſima ſua. Verumtamen diſcipuli tui, Domine, meliore conſilio exercent ſe ipſos amplectentes omnem duritiam & aſperitatem propter regnum cœlorum. Viriliter pugnant contra ſeipſos quotidianis præliis per catenas, & cilicia, & veſtes ru- H des, & duros lectos, & alia multa exercitia digna fortiſſimis militibus tuis. Et auxilio gratiæ divinæ tuæ adeo proficiunt, carnem ſuam odio habentes ut poſt conflictus acquirant mirabilem victoriam ſui, non magis ſentientes cilicia, & lectos duros, quam ſi mollibus veſtimentis, & lectis uterentur. Hæc eſt victoria, Fili Dei, qui jacuit ſuper du-

Scripta An. 1607.

durum, & anguſtum lignum crucis, & pro mundi mollitie curanda durè nimium caſtigatus eſt. Profectò, Domine, omnis qui bene conſideraverit victoriam iſtam, laudabit ſcholam tuam, quæ adeo mirabiliter mutat corda, & corpora hominum, qui ante ſervierant cupiditatibus ſuis. Et in hac A ipſa mutatione cognoſcit virtutem dexteræ tuæ, & fidei Catholicæ, quam profitetur in Eccleſia. Nulla enim ſecta eſt, quæ ſic mutet ſectatores ſuos, quamvis ſtudeat externo aliquo mortificationis genere ſanctior aliis apparere. Certiſſimum eſt enim, interiorem hominem extra ſcholam tuam non poſſe reformari, neque verò exteriorem eo modo, quo ſervi tui fideles animadvertunt ſe reformari caſtiſſima diſciplina tua. Quocirca te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur laus nova in Jeruſalem: quia nova facis omnia, auferens vetuſtatem Adæ terreni, & ſpiritum rectum creans in viſceribus feliciſſimæ familiæ tuæ. Utinam ſapientes conſiliarii Pharaonis, qui dare ſolent conſilium inſipiens, relictis diſciplinis B inanibus, quærerent toto corde profeſſionem Scholæ manſuetorum, & humilium diſcipulorum tuorum, ut viderent mirabiles mutationes gratiæ tuæ! Vani ſunt ſenſus hominum, in quibus non ſubeſt ſolidiſſima, & ſupereminens ſcientia charitatis, quæ animas tibi gratas transformat in te. Beati amici tui, Domine, quibus dediſti cor ſapiens, & intelligens ad opera juſtitiæ tuæ. Brevi tempore pugnabunt, & laborabunt inter exules filios Hevæ: ſed in generationes ſæculi ſæculorum fruentur abundantia divitiarum tuarum: & nomina eorum vivent ſcripta in libro tuo. E duro lecto ſurgent ad thalamum tuum, è veſtimentis rudibus vocabuntur, ut induantur ſtola candidiſſima gloriæ tuæ. Et ex multiplici aſperitate vitæ elevabuntur ad ineffabilem ſuavitatem vitæ, qua remunerantur C fortiſſimi victores tui.

CAPUT VI.

De reformatione Imaginativæ, quæ acquiritur in Schola Jeſu Chriſti.

INcredibile videtur inexpertis, Domine, bellum cogitationum, & imaginationum quas patiuntur ſervi tui, qui quærunt te ſolum diligere, & cogitare die, ac nocte, & imprimere cordi ſuo ſuaviſſimam præſentiam tuam. Videtur quædam conturbatio, & ſonitus aquarum multarum ſicut quando movetur tempeſtas maris, & vocem emittunt nubes. Non poteſt numerari multitudo imaginum ſine ordine, & ſine tempore D ſuccedentium ſibi, niſi à te, qui numeras guttas pluviæ, & multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocas. Profectò, Domine, moleſtiſſimum prælium eſt hoc, quo exercere ſoles diſcipulos tuos, etiam quando diligentiſſimè fugiunt occaſiones diſtractionum, & curant colligere ſenſus ſuos. Et quidem laus tua magna, & mirabilis eſt, quod in iſta pugna moleſtiſſima perſeverent per annos multos videntes, & attentè conſiderantes ſe nullum remedium invenire, immò tantò pejores diſtractiones tolerare, quantò magis ſtudent vacare ſoli tibi. Magna deſolatio eſt iſta, Fili Dei vivi, qui conturbas profundum maris, ſonum E fluctuum ejus. Veruntamen non iraſceris in æternum, & poſt tempeſtatem tranquillum facis. Atque ideò famuli tui diu afflicti, atque probati ex magnitudine bonitatis, & miſericordiæ tuæ videntur ſibi elevati ſuper altitudinem nubium ad quandam regionem ſereniſſimam ubi cœli facies ſine nubilis, aut perturbationibus cernitur, intime lætantes ſola præſentia tua. Jam tranſiit importuna varietas, & confuſio Babylonica, in qua laboraverunt, & quaſi vulnerati gemuerunt filii tui. Jam ceſſavit ventus validus, qui perturbabat undas maris, qui vehementer afflixit amicos tuos. Jam defecerunt multiformia ſpectacula, & monſtra horribilia, quæ auferebant pacem, & conſolationem ſervis tuis. F Jam ſucceſſit pax, & tranquillitas diu expectata, & innumerabilibus ſuſpiriis poſtulata, & attulit lætitiam diſcipulis tuis. Omnia ſub ſole tranſeunt, Domine, & fœlices ſunt fideles ſervi, qui nullis perturbationibus ita concutiuntur, ut amittant ſoliditatem petræ, in qua fundati ſunt. Bene eſt ita turbari, & diſtractionibus moleſtari, ut per ipſas turbationes & diſtractiones acquiratur firma, & ſtabilis præſentia tua; à cujus facie fugiant omnes imagines, quæ non decent pacificam, & caſtam Scholam Fili Dei. Tu, Domine, vulneras, & ſanas, deducis ad abyſſos, & reducis: Tu pauperem facis, & ditas, humilias, & ſublevas: Tu ſuſcitas de pulvere egenum, & de ſtercore elevas pauperem, ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat. Verè, Domine, iſti qui à te ſic G elevati ſunt, ut jam non perturbentur varietate imaginationum, ſed vivat ſola in eis imago tua, ſedent cum Principibus, & ſolium mirabilis gloriæ tenent adhuc in hac regione captivorum, ubi fatigamur longè facti à dulciſſima patria, & æterna requie Filiorum Dei. Utinam contingat mihi ſors hæc, ut ſine turba importunarum imaginationum in pace Sionis conſiderem mirabilia tua! Status hic optabilis valdè, & pretioſiſſimus eſt, à quo amici tui ſurgunt ad perpetuam requiem, & vitam fœliciſſimam gloriæ tuæ.

Omnia tranſeunt ſub ſole.

CAPUT VII.

H *De reformatione Æſtimativæ, quæ acquiritur in Schola Jeſu Chriſti.*

NOn eſt finis, aut numerus cogitationum humanarum, Domine, & fictionum, quibus filii hujus ſæculi repræſentant ſibi utilia, aut nociva, quæ ſequantur, aut fugiant: tota die, & nocte cogitant ama-

to-

Scripta An. 1607.

tores terrenæ vitæ, quæ ſibi prodeſſe poſſe credunt, ut longius, vel commodius vivant & diligentiſſimè vitant, quæ ſibi nocere putant, facti perpetui, & inquieti æſtimatores rerum ſecundum affectum, quo adhærent bonis apparentibus terræ. Et ideò creſcit hoc malum inimicum ſpiritus tui, ut falſa æſtimatione cogitantes aliquid ſibi nocere poſſe, viri etiam, qui putantur ſapientes, & pii, incidant in opera ſupereſtitioſa, & obſervent dies, & Lunas, & pluvias, & ventos; quaſi non cognoviſſent te. Væ infœlicibus, quàm malè utuntur fide tua! Longiſſimè diſtant ab hujuſmodi vanitatibus ſervi tui Domine, qui omne pondus ſuum projecerunt in te. Apprehendunt quidem illi per æſtimativam, quæ decet pietatem, & corrigentes errores ejus, reducunt illam fræno timoris, & amoris tui in Scholam juſtitiæ, ne amplius torqueat illos & divertat à tranquillitate ſua. Et quidem per correctiones plurimas, & eruditionem ſpiritus tui eo perveniunt, ut æſtiment res omnes, quas tu, Domine, diſponis, expedire ſibi: qua cogitatione mirabiliter quieſcunt, atque proficiunt. Non ſollicitantur jam timoribus, & horroribus, quos generat vana æſtimatio mortis, aut vitæ, commodi, aut damni, famæ, vel infamiæ: quia cum hæc omnia contemnant propter ſpem beatiſſimæ fruitionis tuæ, non affligit eos æſtimatio expers diſciplinæ tuæ, quæ implet incertis providentiis palatia Principum terrenorum. Pax multa ſucceſſit amicis tuis, ex quo toto corde, & tota fortitudine ſua dilexerunt te, & protecti ſub umbra alarum tuarum adepti ſunt ſecuritates cuſtodiæ tuæ. Tu, fideliſſime Domine, regis eos; & nihil eis deerit. Tu defendis eos, & proinde nemo poteſt eripere illos de manu tua. Si videantur deſcendere in lacum profundiſſimum, cogitant ſe nihil mali paſſuros, cum ſint in tutela tua: ſicut nihil triſte paſſus eſt à leonibus Daniel fortiſſimus ſervus tuus. Quapropter ceſſantibus jam ſollicitudinibus, & timoribus vanis, gaudent privilegio nobilium, quibus tu propinquus, & propitius es, firmans, & pacificans ſenſus & corda eorum. Ex quo fit, ut tranquilliſſimè vacent, & confiteantur tibi unico & ſummo bono ſuo: & per omnes occaſiones enarrent cum intima lætitia immenſas miſericordias tuas. Hæc eſt pax, & prærogativa quærentium te, & fruentium dulciſſima libertate filiorum Dei.

Daniel.

CAPUT VIII.

De reformatione Appetitus ſenſitivi, quæ acquiritur in Schola Jeſu Chriſti.

QUis loquetur potentias tuas, Domine, & auditas faciet omnes laudes tuas. Tua eſt victoria, tuum regnum hoc, Rex Pacifice, quo gaudent veterani diſcipuli tui, qui vicerunt per te appetitum rebellem, quo tenebantur captivi longè à pace tua. Beati certè ſunt iſti famoſi, qui fortiter bellando mortificaverunt cupiditates ſuas diſciplina crucis, è qua ſalus mundi pependit, oſtendens mundo vitam æternæ vitæ. Omnia genua flectantur tibi, Domine, propter illuſtriſſimam victoriam ſervorum tuorum, qui ſic reformaverunt appetitum ſuum, ut pro captu ſuo jam quærat, & ſequatur te. Omnes beſtiæ ſylvæ te præſente congregatæ ſunt, & collocantur in cubilibus ſuis; ut exeat jam homo liber ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperam. Pauci valdè ſunt victores iſti, Domine, ſed glorioſiſſimi ſunt, & digni qui ſedeant in porta cum ſenatoribus terræ viventium, quia calcaverunt mortem, & infernum. Jam ceſſavit amor inordinatus rerum delectabilium mortalis vitæ. Jam ceſſaverunt vana & nociva deſideria bonorum viſibilium. Jam ceſſavit omnis delectatio quæ placuerat extra Scholam tuam. Jam ceſſaverunt odia, fuga, & triſtitia mala, quæ mortem operari ſolebant. Jam ceſſavit ſpes poſita in hominibus, in quibus non eſt ſalus. Jam ceſſaverunt audaciæ, & iræ inordinatæ, quibus pax fraterna lædebatur. Jam ceſſaverunt deſperationes, & timores, qui erant de patrimonio Adam, qui prævaricatus eſt legem tuam. Hæc omnia ceſſaverunt, & orta eſt abundantia pacis, & regnum Dei intra viſcera ſervorum tuorum fœliciter jam regentium paſſiones ſuas, ut quæ ſervierunt iniquitati ad iniquitatem, ſerviant nunc juſtitiæ in ſanctificationem & in conſolationem inenarrabilem cordis ſui. Mirabile opus tuum eſt, Domine, ut feræ iſtæ paſſionum jam manſuefactæ, ducantur ſub jugum tuum, & moveantur ad nutum dominorum ſuorum, non certe tam fideliter, ſicut in ſtatu innocentiæ, de quo cecidit natura noſtra. Sed tam mirabiliter, ut diſcipulis tuis ſerviant ad facienda opera multa juſtitiæ, quibus acquiritur regnum tuum. Sic enim paſſione amoris & deſiderii utuntur tanquam domini ad amandas & deſiderandas divitias domus tuæ. Sic paſſione lætitiæ utuntur: ut jam non delectentur niſi in te dilectiſſimo Deo ſuo. Sic paſſionibus odii, & abominationis, & triſtitiæ utuntur ut odio habeant, & abominentur iniquitatem & ſalubriter contriſtentur de ſola offenſione majeſtatis tuæ. Sic paſſionibus ſpei & audaciæ, & iræ utuntur, ut in te ſolo ſperent, & propter te audeant pugnare contra hoſtes tuos, & nolentes peccare iraſcantur adverſus vitia, & prævaricationes teſtameuti tui. Sic paſſionibus deſperationis, & timoris utuntur, ut ſperare nolint in hominibus, & timeant ſublimiſſimam altitudinem tuam. Atque ita fit, ut exercitio paſſionum multiplicent merita gratiæ, & gloriæ tuæ, & creſcant ad menſuram grandium omnibus diebus vitæ ſuæ. Hæc eſt mutatio dexteræ tuæ, Fili Dei Altiſſimi, in qua oſtendis, quantum valeat, & poſſit divina gratia tua. Pro hac reformatione, & victoria pauciſſimi illi amici

Paſſiones virtutum cauſae.

Scripta An. 1607.

ci tui, qui aſcenderunt ſuper excelſam terram, cantabunt tibi canticum novum in generationem & generationem anni tui. Non fatigabuntur tædio, qui exonerati ſunt ponderibus cupiditatum, quibus inclinabantur ad terram; ſed indefeſſis cordibus perſequentur laudes infinitæ bonitatis, & A ſuaviſſimi amoris tui. Jam propinquaverunt ad palmam, ad quam aſcendent de deſerto hujus mortalitatis, ut vivant ſine fine in chariſſima libertate patriæ ſuæ.

CAPUT IX.

De reformatione Memoriæ, quæ acquiritur in Schola Jeſu Chriſti.

POſt varias perturbationes, & multiplices imagines creaturarum facti ſunt diſcipuli tui, Domine, templa viva dicata ſoli majeſtati tuæ: neque habitat in eis Deus alienus. Multa paſſi ſunt ſervantes in vaſe memoriæ innumerabiles ſpecies rerum à quibus moleſtarentur, ſi vellent vacare B ſoli tibi. Nati ſunt quippe de ſtirpe Adam, & antequam ſe conſecrarent tibi, fecerunt ſicut cæteri homines curioſè implentes memoriam rebus innumerabilibus, quarum recordarentur, quando vellent. Veruntamen puniti ſunt per hoc ipſum, quia longo tempore quærentes in Schola tua recordari juſtitiæ tuæ ſolius, paſſi ſunt nolentes multos incurſus importuniſſimos rerum, quas in memoria ſervaverunt, quando ſeminaverunt dolores ſibi. Multa certè paſſi ſunt, quæ tu noſti, Domine, qui vides profunda maris pleni reptilibus, quorum non eſt numerus. Sed poſt illos fluctus maris perturbati juſſiſti accedere tranquillitatem magnam, & jam regnas ſolus in memoria amicorum tuorum, ſicut deſideravit anima C tua. Jam tranſiit hyems inquieta, & agitata ventis, & nubibus, & fulgoribus; & venit ver novum veſtitum ſolo ſplendore lucis tuæ. Jam tranſiit regnum Davidis bellicoſi, & venit regnum Salomonis, cujus vultum deſiderat univerſa terra. Gratia ergo tua factum eſt, Domine, ut memoria paucorum aliquod diſcipulorum tuorum qui in domo tua fideliſſimi ſunt, remanſerit quaſi cœlum ſerenum, ubi ſola videtur imago Regis Pacifici, cui ſerviunt corda caſta, & fidelia cœli & terræ. Hi ſunt amici chariſſimi, quos reſervas tibi ſoli, ut converſentur tecum, & fortiſſimè adhæreant tibi, repellentes omnes amores peregrinos, qui vagantur extra Scholam tuam. Beati ſunt, Fili Dei Altiſſimi, qui obliviD ſcuntur omnium rerum aliarum, ut memorentur tui ſolius. Satis divites facti ſunt conſervantes in ſe theſaurum incomparabilem ſine mixtione terræ, ut vivant in æternum de te, qui es vita & virtus eorum. Sed & alii pauci ſunt inter amicos dilectiſſimos, quibus à te datum eſt, ut quamvis gerant gravia, & multa negotia pro gloria tua, ita recordentur rerum variarum ut non obliviſcantur tui. Et quod videtur mirabilius, aliqui fuerunt etiam his diebus noſtris, qui inter multiplicia negotia tam fidelem, & vivam memoriam præſentiæ tuæ ſervaverunt, quam ſi tecum ſoli manſiſſent in ſilentio & ſolitudine. Hoc eſt ſignum copioſiſſimæ miſericordiæ tuæ, & di- E vinæ potentiæ, quæ incluſit in carcere tantam rerum multitudinem, ne turbaret memoriam conſecratam tibi, ſicut ſolet congregare aquas maris, & ponere in theſauris abyſſos. Pro qua ineffabili miſericordia, & quaſi de manu inimicorum fortium liberati, in ſanctitate & juſtitia magna ſervient tibi amici tui, & narrabunt aliis infinitam bonitatem & ſapientiam tuam, quæ non habet finem. Tu verò, Domine, de ſtatu iſto, ad quem elevaſti eos, transfers illos ad beatiſſimam lucem, & fruitionem claritatis tuæ: ut aſpiciant ſine timore inimicorum ſuorum te, quem cupierunt, & lætentur puriſſimo fonte voluptatis tuæ.

Regni Davidis, & Salomonis diſcrimen.

CAPUT X. F

De reformatione Intellectus, quæ acquiritur in Schola Jeſu Chriſti.

NImis fatigantur filii Adam cupiditate ſciendi, atque labore docendi varias doctrinas, neque tamen requieſcunt, poſtquam videntur ſibi aliquid didiciſſe. Sitis enim eſt infinita, quæ non extinguitur cognitione modica rerum diverſarum: ſed magis accenditur ad variam, & inconſtantem inquiſitionem, quæ non videtur habere finem. Hic eſt labor ſapientum, & prudentum, quibus non eſt revelata gloria Scholæ tuæ, Domine. Servi verò tui humiles corde poſtquam multa exercitatione mortificaverunt proprium intellectum, qui in ipſis G rebus ſpiritualibus ſolet quærere vana & inutilia, dono gratiæ tuæ perveniunt ad guſtum ſapientiæ cœleſtis, qui extinguit inquietum ardorem ſciendi alia præter te. Atque ita nihil volunt ſcire, niſi quæ ſunt neceſſaria ad ſatisfaciendum ſtatui ſuo, & te in primis crucifixum, ſcientes ſe intra puram terram humanitatis tuæ poſſe invenire omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Quapropter in hoc ſtudio tranquilliſſimo quieſcentes jam ſine multitudine librorum, ſine ſollicitudine animæ, ſine ſtrepitu verborum, legunt te librum æternæ vitæ & illuminantur mirabiliter ad facienda, & docenda opera immaculatæ legis tuæ. Ex quo fit, ut ſine ſcientia inflante, & ſine ambitione laudis humanæ, paſcanH tur ſapientia tua, & nolint unquam diverti à ſtudio illius. Jam quievit intellectus, quantum patitur conditio hujus vitæ, quæ laborat in ænigmate. Jam receſſit illa immoderata cupiditas diſcurrendi per varias diſciplinas, quæ ſolet affligere novos diſcipulos tuos. Jam adhæſit viſceribus amor

Scientia inflat.

Scripta An. 1607.

unius, & ſolius ſapientiæ, cum qua pariter veniunt omnia bona. Non poteſt explicari pax magna & admirabilis, quæ ſucceſſit ſervis tuis, Domine, qui nihil curant ſcire niſi te. O quam longè abſunt à ſtudio filiorum hujus ſæculi, qui non poſſunt requieſcere, niſi quotidie audiant aliquid A novi, ut nova vanitate delectentur! Hoc ſtudium novitatis quo tenentur ligati in compedibus nobiles terræ, procul diſtat à manſueta familia tua, quæ delectatur in te ſolo Deo, & ſummo bono ſuo. Et ideo ſi forte amici tui chariſſimi, quorum intellectum gratia tua reformavit, audiant iſtas prophanas aut inutiles novitates, odio quidem habent eas, ſed non moventur de ſtabilitate Scholæ tuæ, cujus caſtitas conſtantiſſima eſt. Beatus qui ſcit te ſolum Domine, etſi neſciat alia omnia! & infœlix ille, qui, etſi ſciat alia omnia, ignorat te! Profectò Fili Dei altiſſimi, iſti pauci & electi diſcipuli tui, qui cupiunt noſſe te ſolum, fœliciſſimi ſunt, & jam incipiunt præguſtare futuram beatitudinem, quæ poſita eſt in B viſione tua. Nunc exercentur, & aſpirant ad mercedem beatiſſimam laborum ſuorum, quibus fortiter ſervierunt tibi, expectantes beatam ſpem & adventum gloriæ tuæ. Firmiter ſperant cum pignore ſapientiæ, quæ illuſtrat & inflammat eos, ad contemptum mundi, & altiſſimam æſtimationem æternæ vitæ. Jam præſentiunt gaudia domus tuæ, quæ dulciſſime contemplantur: citoque aſcendent ad inæſtimabilia ſolatia tua.

CAPUT XI.

De Reformatione Voluntatis, quæ acquiritur in Schola Jeſu Chriſti.

MAgna velut mare fuit, Domine, C corruptio voluntatis, quæ à te ſummo, & æterno bono per prævaricationem Adæ ſeparata eſt, & abiit poſt amores terrenos facta ſordida & abominabilis, ſicut ea, quæ dilexit Grande malum eſt hoc, Fili Dei Altiſſimi, ut voluntas creata ad amandum te, qui es infinita bonitas, & pulchritudo adhæreat creaturis tam vehementer ut obliviſcantur tui, & nolit permanere in amicitia tua. Sed licet grande malum ſit, remedium ſanguinis tui majus eſt: & gratia tua poteſt mollire petras, & convertere ſaxa in filios adoptionis tuæ. Quod adeo verum eſt, Domine, ut aliqui ſervi tui, qui antequam vocarentur ad Scholam tuam ardentiſſime amaverant creaturas pluſquam te, mutato conſilio, tam ſtudioſe D adhæſerint tibi, ut amor tuus, qui jam regnat in cordibus eorum, longiſſimè ſuperet amorem impurum, quo adoraverant creaturas. Altiſſima & ſupereminentiſſima charitas tua diffuſa eſt in cordibus eorum per Spiritum Sanctum; qui à te datus eſt eis tam liberaliter & abundanter, ut nihil jam deſiderent, aut quærant, niſi te. Jam ceſſavit amor propriæ laudis, propriæ vitæ, parentum, conſanguineorum, & rerum amabilium hujus vitæ per fortitudinem charitatis, qua ſtrictiſſime uniti ſunt tibi. Et ſecundum magnitudinem tuæ dulciſſimæ bonitatis, qua dilexiſti eos, reſpondent tibi amore fideliſſimo parati ferre tribulationes, & anguſtias, infamiam, contumelias E & irriſiones, & quicquid in mundo amarum eſt, pro te, quem totis viſceribus requirunt. Neque verò pro tolerantia quorumcunque malorum poſtulant aliam retributionem, quam te, cui in æternum non propter ſe, ſed propter te adhærere cupiunt, ut cantent canticum novum amoris nunquam ſeneſcentis, vel amittentis fortiſſimas vires ſuas. O Rex Pacifice, cui tributum dilectionis reddunt omnia corda fidelia cœli & terræ, quam mirabilis eſt hæc reformatio voluntatis, quæ, puriſſimo affectu, quærit te! Quam glorioſa eſt hæc victoria cordis circumciſi circumciſione non manu facta ſed operatione puriſſimi ſpiritus tui. Hæc eſt pars electiſſima Scholæ tuæ, cujus honor, commoditas & voluptas F eſt, placere ſoli tibi, & mira transformatione mutari in te. Vivit fœliciſſima pars hæc familiæ tuæ, Domine; ſed jam non vivit ipſa, ſed tu vivis in ea per transformationem, quam fecit amor. Ex quo fit, ut nihil in hac vita placeat ei, ſed omnia detrimenta reputet, & arbitretur ut ſtercora propter eminentem ſcientiam charitatis tuæ, quæ cum contemptu viſibilium anhelat ad inviſibilia bona, & caſtiſſima gaudia thalami tui. Profectò amabiliſſime Fili Dei, amici tui, quorum voluntatem tam fœliciter reformaſti, ſunt tibi chariſſimi: & placent jam tibi cogitationes, verba, & opera eorum, quaſi pinguiſſima holocauſta jugiter ardentia in altari tuo. Et ideo amantiſſime reſpicis ad eos, & ad munera eorum plena deſideriis placendi tibi, & G celebrandi infinitam magnitudinem dulcedinis tuæ. Hi ſunt, qui ingrediuntur in thalamum tuum per altiſſimam contemplationem, & unionem ſpiritus conjuncti ſpiritui tuo cum tanta ubertate lucis & conſolationis, ut mirabile ſit, quomodo non mirantur in complexu tuo, præ magnitudine fortiſſimi amoris, qui vincit omnia. Sed tu, Domine, qui ſanas contritos & vulneratos corde, corroboras eos, ne impetu charitatis diſſolvantur, ſed vivant ad ædificationem Eccleſiæ Sponſæ tuæ, in qua lucent, tanquam ſydera in firmamento cœli. Iſti ſunt firmiſſimæ columnæ, quæ ſuſtinent orbem terrarum nimis gravatum pondere peccatorum: opponunt enim ſe iræ H tuæ cupientes fieri anathema pro fratribus ſuis, ne deleas eos de terra. Propterea vivunt ſuſpirantes tibi: & ſacrificantes ſe ipſos quotidie augent mirabiliter merita gratiæ & gloriæ tuæ, ut fœlicius coronentur in beatiſſima civitate Jeruſalem, in qua ſcripſiſti eos. Sed tempus breve eſt, & poſt aliquot menſes aut annos exilii ſui aſcendent ad optatiſſimam patriam, ubi regnat

Amor omnia vincit.

gnat

Scripta An. 1607.

gnat amor; & quaſi cervi, qui diu deſideraverunt fontem aquarum, bibent de flumine ſuaviſſimæ voluptatis tuæ.

A

CAPUT XII.

De felici Tranſitu Diſcipulorum Jeſu Chriſti.

FŒlix eſt valde finis laborum, quos ferunt diſcipuli tui, Domine, ſequentes toto corde diſciplinam crucis, quæ in exercitio primo non videtur eſſe gaudii, ſed mœroris. Omnis conſummationis vident finem, accedente depoſitione corporis ſui, quod portavit pondus diei, & æſtus: & in hora tranſitus videtur eis latum mandatum tuum nimis. Cum enim jam dicat eis ſpiritus tuus melle dulcior, ut requieſcant à laboribus ſuis: videntur ſibi ambulaſſe in B latitudine, quia exquiſierunt fideliſſima præcepta legis tuæ. O mitiſſime Redemptor, & vigilantiſſime cuſtos hominum, quomodo lætantur juſti amici tui in hora tranſitus pro diebus, quibus eos humiliaſti, & pro annis, quibus viderunt gravia mala! O quam immenſa lætitia replentur præcinctis lumbis lucernas fidei in manibus tenentes, & expectantes optatiſſimum Dominum ſuum: ut cum venerit, & pulſaverit, confeſtim aperiant ei. Non vexat eos valde ſuprema anguſtia & dolores interni, qui videbantur circumdediſſe animas eorum, quia incipit regnare in eis pax tua, Rex Pacifice, qui in hora illa terribili, quæ conturbat Principes Edom, & robuſtos Moab, corroboras C mirabiliter ſervos tuos. Etenim, Clementiſſime Fili Dei, tam inæſtimabilis eſt ſpes illa firmiſſima, qua in agone mortis animantur amici tui, ut ſolus cognoſcat æſtimationem illius, qui ſic viſitatur à te, & impletur lætitia præſentiæ tuæ. Tunc apparet invicta gratiæ fortitudo adverſus infernum & mortem, & conſtantia juſtitiæ, quæ facta eſt pretioſiſſimo ſanguine redemptionis noſtræ. Tunc apparet victoria tua, Domine, cujus conſortes ſunt fortes pugnatores, qui per vias difficiles ſequuti ſunt te. Tunc ergo juſti, & electi tui pleni fiducia miſericordiæ D tuæ, teſtimonium bonum perhibente illis conſcientia ipſorum, exercentes fortiſſimos actus fidei, ſpei, & amoris tui, ardentiſſimis deſideriis feruntur ad te, invocantes viſcera tua, & ſtrictiſſimè adhærentes tibi. Longè eſt à cordibus eorum ſollicitudo diſponendi res temporales, & ſcribendi nomina ſua in terra: non enim dilexerunt terram, aut quæſierunt honores & divitias E mundi, ſed te veram requiem, & ſalutem, pro qua contempſerunt omnia, & tradiderunt ſe exoneratos, & nudos regendos tibi. Propter quod in hora illa fideliſſimè reſpondes eis ſuſpirantibus ad te, & ſuper tribulantes eos mittis validam manum tuam. O Domine, quomodo lætatur, & dilatatur Iſrael, quando pugnas pro eo contra Pharaonem, & contra omnes bellatores ejus! Verè non eſt alia ſapientia, prudentia & fortitudo, quam dum vivimus, ſervire tibi: ut in hora tranſitus defendas nos, & à facie tua diſſipentur crudeliſſimi inimici noſtri. Sed dulciſſima bonitas tua, Domine, non ſolum apparet in defenſione electorum tuorum, & F terrore hoſtium inviſibilium, ſed in aliis ſecretiſſimis favoribus, quibus conſolaris animas illas, chariſſimas ſponſas tuas. Quis poterit explicare ſenſum intimi refrigerii, quod percipitur ab anima, quando vocas eam, ut ſurgat, & aſcendat de cubilibus leonum rugientium ad coronam? O quam fortiter conatur deponere, & proiicere à ſe impedimentum terreni corporis, tracta voce dilecti ſui! Moriatur, Domine, anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia. Beata anima illa, quæ ornata ſicut ſponſa, & præparata ad caſtiſſimas nuptias Agni Dei, audit te dicentem ſibi: Veni ſuaviſſima electa mea: Veni candidior nive columba mea: Veni dulciſſima amica mea; ponam te in thronum G meum, quia concupivi ſpeciem tuam. Tu ſcis, Domine, quid ſentiat anima feſtinans egredi de corpore ad efficaciſſimam vocem tuam. Tu ſcis: ego vero neſcio ponderare infinitam vim ſecretæ illius victoriæ, qua apprehendis chariſſimam prædam, & partem populi acquiſitionis tuæ: atque ita in ſilentio meditabor illam. Nunc verò pro fine hujus laboris mei, precor te, Clementiſſime Fili Dei, dones mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, quæ mecum ſit, & mecum laboret ante extremam horam tranſitus mei: ut inveniam te propitium, & in H periculoſo prælio tu ſis conſtantiſſima fortitudo, & fœliciſſima victoria mea.

IN SEQUENS OPUS PRAEMONITIO.

Patet eiuſmodi Opuſculum ſcriptum a Ven. Patre an. 1612. *dum Praepoſiti Generalis munere fungebatur; quandoquidem initio anni ſequentis* 1613. *Typis Iacobi Maſcardi Romae primo vulgatum eſt; quo anno ex eodem Typographio plures alios id genus breviores Commentarios edidit; neſcio an pluries alibi ſeorſim recuſum. In poſtrema vero omnium Operun Conlectione Colonienſi exſtabat Tomo tertio, a pag.* 76 *Illud Auctor Imperatori Romanorum Piiſſimo Mathiae dicavit, ut conſtat ex ſubjecta Nuncupatoria Epiſtola, quae cuilibet editioni praefigitur. Quatuor in partes dividitur: in prima praenotiones quaſdam, & partitiones, & veluti theoremata generalia ponit; in altera honoris, in tertia divitiarum, in quarta voluptatum bonum uſum, & contemtum ſuadet, & ſua congenita dulcedine ſuaviſſime inſpirat, divino ipſe ſpiritu, & eloquio conſtantiſſime pleniſſimus.*

INVICTISSIMO ROMANORUM IMPERATORI

MATHIÆ SEMPER AUGUSTO

FRATER JOHANNES A JESU MARIA S.

VETUS AUCTORIS NUNCUPATORIA EPISTOLA.

Salve Cæſar, cui fauſta & excelſa precor. At quid Imperio excelſius? Ipſe temperans, & pius animus, à quo bona honorifica, utilia, delectabilia imperio adnata, vel circumfuſa in amplioris gloriæ momenta vertuntur. Profectò dum ea bona, quæ à mortalibus in orbe terrarum cenſentur maxima, erecto intentoque ad æternitatem animo ſubſternuntur, evadit ille ſublimior; ut bonis ipſis, quibus piè, ac temperanter utitur, ad cœleſte regnum gradum ſibi ſtruere videatur. Huc ſcriptum collimavi, quod tibi, Invictiſſime Imperator, ſupplex offero, ratus id tibi acceptum fore; quod vel ex uno Johanne Godefrido Epiſcopo Bambergenſi, Oratore tuo apud Summum Pontificem, Cæſarea legatione digniſſimo, non leviter conjeci. Ille quippe vir eximius, qui Romam mira prudentia, multa morum ſuavitate; & quod caput eſt, pietate ſingulari mirificè devinxit, omninò pervincit, placere tibi pia conſilia, qualia hoc libro digeſſi. Si enim ille, aliique ſimiles, qui pietatem inſigniter colunt, tuo hærent animo; credendum proculdubio, pia monita facile adhæſura. Utere ergo, Cæſar Piiſſime, ſcripto, quod Imperatoriæ Majeſtati probatum lectorum animis altius imprimetur. Ego vero à Clementiſſimo Deo ſummis contendam precibus, ut ad Eccleſiæ Catholicæ tutamentum, hoſtiumque terrorem, tuum, per annos plurimos, pietate aſſertum decurrat imperium.

PRÆFATIO AUCTORIS.

Honores, divitiæ, voluptates, quædam effrænis appetitus irritamenta ſunt, quæ Chriſtianam diſciplinam labefactant, intellectus aciem retundunt, voluntatis vires enervant: ut pium videri debeat, brevi ſcripto, eorum moderationem, vel etiam contemptum perſuadere: ne ſæviſſimus noſtræ ſalutis hoſtis tam multiplici præda glorietur. Et quidem huc ego incubui, ſcriptumque in partes diſcrevi quatuor: quarum primam prænotionibus, ſecundam honoris, tertiam divitiarum, quartam voluptatum bono uſui, atque contemptui deſtinavi. Utere, Lector, labore hoc, ut ſpretis, vel temperanter acceptis mortalitatis hujus bonis, vera & æterna bona perquiras.

VENERABILIS

P. FR. JOHANNIS
A JESU-MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI
CALAGURITANI

LIBER

DE BONO USU
CONTEMPTUQUE HONORUM, DIVITIARUM, AC VOLUPTATUM,
COMPENDIO SCRIPTUS.

* * *

PARS PRIMA
DE PRÆNOTIONIBUS.

CAPUT I.

Triplicis Boni deſcriptio.

Scriptus An. 1612.

Scriptorum univerſorum conſentio eſt, triplex boni genus eſſe, quo animus hominis permulcetur, A honeſtum, utile, delectabile: è quibus niſi unum ſaltem obſervetur animo, languet ille, & velut exanime quiddam decumbit. Honeſtum bonum eſt, quod hominem, qua homo eſt, facilè decet, qualis vera ipſa virtus, homine ad rationis lineam actus exigente ſuos planè digna, pro qua æquum ſit labores ſummos exantlare, ac interdum occumbere. Bonum utile appellatur, quod alterius boni parandi cauſa perquiritur, qualis B pecunia, quæ perantiquo uſu honorificis, ac delectabilibus bonis obtinendis deſtinatur. Delectabile bonum eſt, quod parit voluptatem, ad cujus illapſum cor laxatur, & quodammodo liqueſcit. Suppetunt exempla creberrima, ex variis mortalium oblectamentis petita, quæ propria in ſede promentur.

CAPUT II.

Triplicis Boni abuſus.

Primum, ac ſanè pulcherrimum orbis terrarum florem non exigua ex parte, C capitalis noſtræ ſalutis hoſtis, imagine veri boni, honeſti, utilis, ac delectabilis graphicè picta decerpit, ac velut arentem ſylvam in tartari flammas detrudit. Quod ut efficiat, è claris natalibus, hæreditariis opibus, ac feſtivis conventibus anſam arripiens, viros quoque Chriſtiana primum diſciplina excultos propemodum dementat, ut vitæ mortalis illecebris capti, ſempiternæque felicitatis obliti eò turpius peccent, quò au- D ctiores honores, ampliora patrimonia, commodioreſque explendæ libidinis occaſiones nacti ſunt. Quod quidem grande malum longè, lateque proſerpſit, ut pium exiſtimetur conſilium, appoſitis ſaltem rationibus ad coer-

coer-

Scriptus An. 1612. coercendum palantem abuſum generoſos animos perurgere.

CAPUT III.

Triplicis Boni comparatio.

Honeſti laus prima eſt, quod immortali A hominis animo congruat, ſervetque decorem ex verarum virtutum actibus ortum, quod bonis aliis, quorum animantes ceteræ conſortes ſunt, longè antecellit. Laus ſecunda boni delectabilis eſt, quod ex rationis præſcripto uſurpatum ad virtutis quoque cultum refertur. Poſtrema laus utili tribuitur bono, quod alterutrum è duobus recenſitis, tanquam ad finem, ac proindè velut ad nobilius bonum collimatur. Comparatio hæc ſpectato triplici bonorum genere profertur, cum tamen ordine præpoſtero utile, vel delectabile bonum paſſim honeſto præferatur, quod mortalium cæcitati, ac fragilitati aſcribendum, & pio ſenſu lugendum eſt.

CAPUT IV.

B

Triplicis Boni, veri, apparentiſque diſtinctio.

Exploratum eſt ſub nominibus ipſis honeſti, utilis delectabiliſque boni latere diſcrimen, quod penitus noſſe oporteat. Viri quippe ſapientes honeſtum, quod decorum; utile, quod ad bonum finem appoſitum; delectabile, quod licita ſaltem oblectamenta parit, appellant: Stulti verò bonum quovis genere honorificum pro honeſto, ſive decoro virtutis; coacervatas utcumque opes pro vero utili; obvia quæque oblectamenta pro delectabili ſincero ſupponunt. Quin etiam, ubi eis germana virtus ſorduit, apertè cenodoxia honeſti, avaritia immodica, utilis, effrænis obſcœnitas, delectabilis boni verum C ingenium refert: qua certè perſuaſione nihil exitioſius, cum præceps animus in vetita bona excuſſo divinæ legis jugo vehementius, quam dici poſſit, belluarum more feratur.

CAPUT V.

Triplicis Boni vera ratio.

Nequit verum hominis bonum eſſe, aut proprie nuncupari, quod adjecta culpa fœdatur, hominiſque naturæ proinde diſſentaneum eſt. Quocirca, quoties in uſu honoris, opum, aut voluptatum homo intemperanter agit, cum eo ipſo rationis arcem D oppugnet, belluiſque potius quam naturæ propriæ conſentiat, nihil veri boni percipere aſſerendus eſt, tametſi aliud ipſe imagine veri boni ſeductos opinetur. Verum quippe bonum hominis intemperantiam excludit, & uſum moderatum rerum honorificarum, utilium, delectabilium rationis lumini congruentem admittit. Si quis ergo trium bonorum, ſyncerum ſignificatum exoptet, appoſitè reſpondebit, qui ea tunc vera hominis bona eſſe protulerit, cum rationi harmonicè conſonant. Quod ſi Chriſtianus demum ſenſus expetatur, vera tria bona cenſebimus, ubi non rationi dumtaxat, quod Athenienſibus, vel Lacedæmoniis ſatis fuerit, ſed Chriſti Evangelio attemperantur. E Hæc naturæ hominis expolitio, & pia provectio, triumque bonorum vera notio eſt.

CAPUT VI.

Triplicis Boni uſus lege divina non interdictus.

Sane ſi verum bonum ab apparenti, moderatum ab immodico ſecernatur, luculentè patebit, honorum, divitiarum, oblectationum uſum à lege divina minimè reſpui, cum ejuſmodi uſus & rationi, & pietati conſentiat. Rationi quidem, ut patet ex ſententia Peripateticorum omnium, qui paſſiones, rationis moderatione temperatas, tanquàm motus ad lineam directos probarunt: *Refert S. Tho. 1. 2. q. 24. art. 2.* ſi enim ejuſmodi paſſiones rationi congruunt, F profecto & moderatus uſus triplicis boni, quod earum quaſi pabulum eſt: pietati verò, cum conſtet & priſcis & recentibus exemplis, viros vitæ ſanctimonia conſpicuos boni nominis, cui honor adnaſcitur, curam geſſiſſe, neque animi oblectamenta, quibus tædia elevarent, & opes, quibus piè uterentur, recuſaſſe: Profectò boni conſulendus uſus, quem affectio nulla turpis à lege detorquet.

PARS SECUNDA.

De bono Honeſto, bonoque honoris parandi modo, & uſu.

G

CAPUT I.

Præmonitio.

Non fert animus honeſtum preſſè, proprieque perpendere; *S. Tho. 2. 2^{a} q. 145. ar. 2.* ſed ex eo leviter attacto ad honorem illi ſummo jure debitum compendio gradum ſtruere quod ſalubrius fore cenſui. Cùm enim honeſti boni ſignificatu virtus ipſa in primis notetur, perſpectumque ſit in uſu virtutum nihil non candidum eminere, contra verò H in honoris uſu graviter plerumque peccari; ipſa ſcriptionis propoſitæ ratio exigit, ut honeſto indicato, & commendato, in opus honoris pertractandi totus incumbam.

CA-

Scriptus
An. 1612.

CAPUT II.

Honeſti ratio.

HOneſtum idem eſt, ac ſpiritualis decor, ſive pulchritudo. Hæc ex virtutum A concinnitate componitur, & perſpicaces ſapientum oculos mirificè oblectat. Honeſtum bonum genere quidem ſuo ingenuum, & præclarum eſt, habetque quandam penè divinam ad flectendos animos energiam, qua plerique non Chriſtiani modo, verum & Ethnici, ut Romani, Lacedæmoniique minime pauci efficaciter allecti, opes, vitamque ipſam profuderunt. Cæterum in hoc genere præſertim claruerunt Chriſti milites, qui honeſti ratione propoſita, ad utilium, & delectabilium bonorum contemptionem, & cæleſtis regni, quod vim patitur, expugnationem, per medios ignes, & infeſtos enſes impetum fecere.

CAPUT III.

B

Honeſto debitus honor.

HOneſtum bonum communi univerſorum hominum ſenſu appellatur, quod eſt honore dignum: ex quo plane conficitur, ex communi ſententia honorem honeſto deberi, bonoſque æſtimatores liquidò perſpicere, quam ſit excelſa honeſti dignitas, cui naturæ ductu ab univerſis mortalibus defertur honos. Res adeò comperta eſt, ut gens nulla tam ſit in orbe terrarum fera, quæ ſponte ſua non fiat honeſto bono vectigalis: imperii quippe, vel militiæ honorem, non niſi viris virtutis laude præcellentibus reddit, ut ex recentibus Indorum occiduorum, & Braſilio- C rum liquet hiſtoriis. Si ergo barbaræ nationes honeſti decorem ſuſpiciunt, & honoribus augent; quis unquam inficietur, honorem bono honeſto deberi, & velut genus quoddam tributi rependi?

CAPUT IV.

Quidnam rei ſit honor?

S. Tho. 2. 2. q. 144. a. 3. ad 2.

HOnor nihil eſt aliud, quam quoddam excellentiæ teſtimonium, quod externis actibus, cæremoniis, ſeu ritibus exhibetur. Habet affinem laudem, teſtimonium ſcilicet verbis redditum, & famam, nominis inquam celebritatem, & gloriam, claram videlicet cum laude notitiam. Et quidem licet nonnihil diſcriminis inter quatuor hæc D verſetur, quod ad praxim tamen, & morum correctionem attinet, ſatius eſt, diſcrimen ejuſmodi minime contemplari: ſed honoris aſpernatores, laudis quoque, famæ, ac gloriæ contemptores cenſere; honoris verò cupidos, laudis, famæ, ac gloriæ avidos exiſtimare, ut ſi juſta ejus appetentiæ ratio ſubſit, inſontes; ſi abſit, ſontes credantur.

CAPUT V.

Honoris æſtimatio.

INter externa bona, honor primo in gradu reponitur, virtutique rependitur, tanquam genus præmii inter mortales porrò maximi, quale Romani ſibi, Auguſtino aſſertore, ad ſalutem propriam Reipublicæ ſaluti poſthabendam propoſuere. Nobilitati verò, ac divitiis neque jure redditur, neque debetur honor, niſi quà conferunt ad obeundos virtutum actus genere quidem ſuo ſplendidos, ac honore juſto repenſandos. Hoc, expenſo rerum genere: at vulgus rudi cenſura nobilitatem, & opes virtuti præfert, honoriſque momenta iniqua partitione diſpenſat.

S. Tho 2. 2. q. 103. ar. 1. ad 2.
E
Lib. 5. de Civit. Dei, cap. 12.
S. Tho. 2. 2. q. 145. ar. 1. ad 2.

CAPUT VI.

Honoris appetentia.

F
S. Tho. 2. 2. q. 129. ar. 1. ad 3. & q. 132. a. 1. ad 3. ubi agit de gloria.

HOnorem ſicut & gloriam inculpatè expeti, quærique poſſe, ſi quis ea præſtare ſtudeat, quæ honore digna ſunt, honoremque ad bonum referat finem, ſapientum conſenſio eſt. Suppetit efficax ratio: ecquis enim non animadvertat, honoris ſtudium ad virtutes colendas intentum, nec ullo turpi fine vitiatum reprehendi non poſſe? Accedit officium juſtitiæ innixum, in iis, qui præſunt, quos ita ſe gerere oportet, ut honore afficiantur. Cæterum in hoc genere affectus, tanquam equus ferox adductis habenis continendus eſt, ne prætextu virtutis, aut officii, non tam virtutis decorum, & officii opus, quam exortum indè honorem exquirat. Degeneres quippe animos deferendus honor acrius, quam explenda virtus extimulat: G eaque de cauſa aliud mortalium oculis obtendunt, aliud intus verſant, & dum pietatem colere videntur, profanum opus moliuntur, & pro antidoto venenum hauriunt.

CAPUT VII.

Honor quomodo quærendus?

EO planè modo quærendus honor, quo à viris magnanimis perquiritur: quorum ſtudium, non in honorem tanquam in finem, ſed in honeſtum, cui honor debetur, bene librato diſcrimine perfertur. Honor nempe à viris magnanimis non tanti penditur, ut ejus gratia generosè agant, cum ab eis parum pretioſius cenſeatur; pretioſiorque vi- H deatur, & excelſior virtus ipſa, qua honore digni evaſerunt, quod ſanctus Thomas altè perpendit. Appoſitus ergo quærendi honoris modus erit, non ille, quo antiqui Romani ordine præpoſtero uſi ſunt, dum virtutis cultum ad honorem parandum retulerunt, quod vitio vertit Auguſtinus; ſed ille potius, quo

2. 2. q. 129. ar. 1. ad 3.
Lib. 5. de Civit. Dei. cap 12.

viri

Scriptus An. 1612.

viri Chriſtiani facilè ſapientes ac pii utuntur, dum aſſueſcunt præ honore æſtimare virtutem, cui honores multiplices velut conglobati tenaciter adhærent. Virtus arbor procera eſt, cui honor velut hedera adnaſci, ac ſerpendo adſtringi conſuevit.

A

CAPUT VIII.

Quibus actibus paretur honor?

COnſtitutum eſt, honeſto bono, ſive virtuti honorem omnium gentium conſpiratione deferri. Actibus ergo virtutum nativo ſplendore lucentibus, ſpectatoreſque ſuos ad venerationem flectentibus honor acquiritur: eodemque ex capite laus, fama, gloriaque promanant, celerrimoque volatu terrarum orbem pervagantur. Etſi verò lectiſſimum virtutum agmen recenſeri hoc loco poſſet, ut honeſti pulchritudo ſeſe avidiſſima ſpectandam & honorandam exhiberet; propoſito tamen ſatis erit, ſelectas nonnullas ſubjecta per capita breviter perſtringere, quarum laus orbe toto percrebuit.

B

CAPUT IX.

Sapientia paratur honor.

Nationum omnium uſus.

NUlla uſpiam gens adeò fuit inculta, quæ viros ſapientiæ opinione claros non coleret, atque ſuſpiceret. Notum eſt antiquos Ægyptios, Chaldæos, Hebræos, Græcos ſapientiæ fama claruiſſe, qui quantis ſapientes honoribus augerent facilè perſpiciet cui ſuccurrerit Ioſeph à Pharaone, Daniel à Nabuchodonoſore ad principatum evectus, Salomon adoleſcens ab Iſraele celebratus, ſeptem Sapientes à Græcia laudati. Texuerunt Scriptores plerique claſſici ſeriem virorum illuſtrium, quorum ingenia perſpicacia C ſuſcepti pro ſapientia comparanda labores Rebuſpublicis velut clariſſima lumina affulſerunt. At laudent alii Thaletem, Solonem, Periandrum, plurimoſque Philoſophos, quos parta labore ſummo ſapientia ab interitu ſempiterno minimè præſervavit; ego verò libentius commendabo Baſilium, Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium, plurimoſque alios divinos Theologos mites, ac humiles, quorum ſapientia puriſſima luce reſplenduit, & poſt acceptos in hac vita mortali honores, æternum decus, repenſa doctrinæ aureola peperit.

SS. Eccleſiae Patres laudati.

CAPUT X.

Pietate paratur honor.

D DEI cultus honores procreat ſanè maximos, ubi creditum eſt viros pios nihil ſpecioſum, opulentum, voluptuoſum admittere, quod cum divinæ majeſtatis cultu ægrè cohæreat. Hinc olim Job fama mirificè aucta. Hinc Conſtatini laus porrò maxima, quam Auguſtinus amplificat. Credo equidem Imperatores ethnicos pietatis imagine ſeductos confictorum numinum cultum propagare, & in Chriſtianos Martyres ſævire auſos, quod hinc honori ſuo apud mortales conſulerent. Tanta quippe fuit apud homines univerſos vel falſæ pietatis ad honores conquirendos appoſitæ perſuaſio. Quid ergo ſi veræ pietatis firmitas ſubſit?

Lib. 5. de Civit. Dei c. 15.

E

CAPUT XI.

Juſtitia paratur honor.

CUltus juſtitiæ, vel quæ in diſtribuendis Reipublicæ muneribus, vel quæ in legum cuſtodia, vel quæ in rerum contractarum fide verſatur, ad hominum exiſtimationem ſummopere conducit. Cui ſanè veritati fidem conciliat parta nominis celebritas à Romanis, quos juſtitiæ cultus orbe toto fecit inſignes. S. Auguſtinus refert ſententiam Catonis juſto Romæ imperio Reipublicæ felicitatem aſcribentis. Nimirum clariſſimus tantæ virtutis ſplendor eſt, quem barbaræ quoque nationes quantumvis excæcatæ mirantur: quemadmodum è contrario juſtitiæ F læſionem deteſtantur, & horrent: quod in fœderibus ſervandis, & in ablatis prædis reſtituendis, ab ineunte mundo ad hunc uſque diem frequentiſſimis exemplis perſpectum eſt.

Lib. 5. de Civit. Dei c. 12.

CAPUT XII.

Fortitudine paratur honor.

FOrtitudo, quæ honeſti gratia mortis diſcrimina minimè formidat, ad honorem perquirendum appoſitiſſima eſt, quod ex Hebræis Macchabæi, è Græcis Lacedæmones, è Latinis Romani pervincunt. Quòd ſi viros in hoc genere ſtrenuiſſimos, vel antiquos, ut Alexandrum Macedonem, Scipionem Aphricanum, alioſque Duces invictiſſimos; G vel recentis memoriæ, ut Indorum occiduorum, ac orientalium domitores meminiſſe libeat; profectò liquebit, bellica fortitudine ampliſſimos, æſtimatione mortalium, honores parari? quod ad perennem celebritatem à fidiſſimis hiſtoricis memoriæ proditum eſt. Porrò ætate hac noſtra pleroſque viros obſcuro loco natos militaris fortitudo ad honores maximos provexit. Si autem ad obeundos fortitudinis actus pietatis firmamentum accedat, plurima nominis claritas, plurimus gloriæ ſplendor exoritur, quod ex piiſſimorum Imperatorum, ac Regum rebus geſtis ad Eccleſiæ tutamentum, & Catholicæ fidei propagationem intentis, evincitur.

Strenui Duces commendati.

H

CAPUT XIII.

Honoris contemptu paratur honor.

OPportuniſſimus ad honorem acquirendum contemptus honoris eſt. Cum enim nemo pie aſpernetur mortalium honorem, niſi immortalis gloriæ ſtudio incenſus, pro-

fecto

Scriptus An. 1612.

fectò eo ipſo, mediis eximiarum virtutum actibus, bonum honeſtum auctiore affectu, & navitate ſectatur. Si autem honeſto ipſi honor adnaſcitur, ut ſuperiùs poſuimus, porro ipſamet ſpernendi honoris magnanimitate efficacius, quàm poſſit exprimi, honorem cumulatiſſimum mundi aſpernator acquirit. A Quod ſi exempla lector expectat, reſpondeat ipſe, quiſnam è mundi ambitoribus honorem tam ſedulò quæſivit, ac Alexius deſpexit? Quis unquam ex ethnicorum proceribus tam efficaciter honoris occaſiones captavit, ac Ambroſius vel Gregorius fuga, vel latebris vitare contendit? Et tamen Alexius, Ambroſius, Gregorius, aliique permulti antiquiores ex prima Jeſu Chriſti cohorte, præter ſempiternum decus, quod honoris deſpectu pepererunt, decretos etiam in Eccleſia honores habent, quos Chaldæorum Perſarum, Græcorum, ac Romanorum Imperatores, quantumvis ab hiſtoricis celebrati nanciſci minime potuere. Finis rerum triſtis, aut lætus alta præmeditatione à viris prudentibus ſpectandus eſt. B Si autem finis ratio præſertim habenda ſit, qualem cenſebimus honorem, quem infamia æterna ſubſequitur? Qualem verò deſpectum, cui ſumma in celeberrimo Dei, Angelorum, univerſorumque hominum theatro laus, & nunquam interitura fama ſuccedit?

D. Alexius. honoris contemptor.

CAPUT XIV.

Bonus parti delatiquæ honoris uſus difficilis.

PLerique antequam honore affici cœpiſſent, virtutis cultu claruerunt, quos tamen delati honoris irritamenta graviter ſauciarunt: quod exemplis aſſeritur eorum, qui ad regnum elati, & quaſi vertigine quadam correpti turpius peccarunt, quam dum ventis parum ſecundis agerentur. C Teſtis locuples David, qui jam rex auſus eſt, quæ dum reflarent venti, minimè tentarat, vel admiſerat, ut prætereamus ſexcentos alios, qui prolapſi cum fuerint, non æquè ac David, obductam honori primo nebulam deterſerunt; ut rarum difficileque credatur, temperanter uti honore, qui, tanquam generoſum vinum immoderatè hauſtum, pleroſque dementat. Hinc efficitur, ut dum honorum circumfluunt, vir quiſque pius oculatiſſimè agere debeat, ne metam excedat, ut mox dicetur.

CAPUT XV.

Honor meritis, aut dignitatis gradu major reſpuendus.

D IN præſcribendo bono honoris uſu, prima præceptio ad proportionem, ſive menſuram pertinet: ut ſcilicet honorem meritis, aut dignitatis gradu auctiorem reſpuat, cui minus honoris debetur. Suppetit præclariſſimum Johannis Baptiſtæ exemplum, qui cum de ſua rogaretur dignitate, poſſetque de ſe ipſo grandia ſane proferre; Chriſti primum paritatem detrectavit, mox inſtantes interrogatores mira animi demiſſione remiſit. *Joan. 1.* Raro id legas, exceptis hiſtoriis paucis virorum apoſtolicorum, qui non majorem modo, ſed ne parem quidem venerationem, niſi officio cogente permiſerunt. E In hunc planè ſelectum refertur numerum S. Bernardus, qui Genuenſem, ac Mediolanenſem, alioſque Epiſcopatus oblatos recuſavit, ſe munere tanto indignum profeſſus, & S. Thomas Aquinas, qui ab Urbano quarto Romam vocatus adduci non potuit, ut honores acciperet, quos procul dubio merebatur auctiſſimos.

CAPUT XVI.

Æqualis honor, nedum major, moderatè admittendus.

TAmetſi qui perfectionis Chriſtianæ opus grande moliuntur, F quemvis honoris gradum, niſi officio cogente, reiicere potius, quam admittere conſueſcant, major tamen eſt numerus eorum, à quibus honor æqualis minimè reſpuitur, quibus moderatio impenſè commendanda: non ſanè ut externum propulſent honorem; cum ex officio nonnunquam exigi debeat, vel ab aliis ſpontè delatus repelli non poſſit; ſed ut affectum coerceant, ne pabulo illo gliſcat, & præſcriptos à ratione fines tranſire geſtiat. Solent qui de interioris hominis cultura ſeriò cogitant, interim dum ſolitis honorantur ritibus, ſeſe internis animi motibus, vel etiam modeſtiſſimis verbis ac geſtibus ſpernere, ac neglectu dignos meditari, atque fateri: quod certè conſilium ad continendum in officio animum ſaluberrimum eſt. Sic Abraham, G cum Deus illum honorificentiſſimè tractaſſet verbis illis: *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum, cum futurus ſit in gentem magnam, ac robuſtiſſimam &c.* *Gen. 18. 17. 18.* Licet animadverteret, quam fidenter cum Deo agere poſſet, nihilo ſecius pro Sodomis precaturus, hoc ſe ipſum modo deſpexit: *Loquar ad Dominum meum, cum ſim pulvis & cinis.* *ibid. 27.* Doctrina hæc altè imprimenda & recolenda eſt.

CAPUT XVII.

Delatus honor in Deum referendus.

SIve virtutis, ſive dignitatis, officiive occaſione quis honoretur, pius, homineque Chriſtiano planè dignus erit uſus, H ſi in Deum totius boni auctorem delatum honorem referat, memineritque non ſibi ſui gratia, ſed cauſa bonorum, quæ à Deo accepit, cultum afferri. Hoc ſi crebrò cogitet penſitetque dum honore afficitur, temperanter aget, more virorum ſanctitate præſtantium, qui honorem velut rem alienam in manus acceptam, Dominoque proprio reddendam admittunt. Sic Petrus, cum claudum perſanaſſet, magnamque ſui excitaſſet admirationem, ſtupentis populi laudem in Chriſtum regeſſit, per verba hæc: *Viri* Act. 3. 12. 13. *Iſraelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute aut* A *poteſtate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus patrum noſtrorum glorificavit filium ſuum Jeſum, &c.* Relatio hæc honoris in Deum, egregium pietatis argumentum eſt.

CAPUT XVIII.

Non facilè aperienda quæ honorifica ſunt.

Pars generis humani certè maxima nimium proclivis eſt ad ea propalanda, quæ ſui admirationem auditorum animis ingenerant. Quocirca arreptis undecunque occaſionibus, quaſi aliud agentes innumeri mortales, ubi minus congrueret, propria B merita ad rem de qua agitur mirificè coaptant, religant, atque contexunt. Occurrit amicus, mediaque in via tanquam ſalutaturus inſiſtit, & dum ſalutem dicit, cœpto ſermoni argutè ſua præconia intexit, aitque ſe habuiſſe obvium principem, qui eum, non grato dumtaxat intuitu, ſed currum quoque imperans ſiſti, colloquio dignatus eſt, quod ille commemoratis meritis aut officiis, quæ familiaritate principis virum dignum efficiant, oratorio more amplificat, ut honore proculdubio dignus exiſtimetur.

Propria laus aegritudo animi.

Ægritudo animi graviter affecti eſt, à qua paucos videas perſanari. Remittit tamen vis morbi, ubi quis intra rationis orbitas ſe continet ipſum, linguamque penè exertam cohibet, ne ad promenda, quæ honorifica C ſunt, licenter exultet: quos viros prudentes, atque magnanimos decet. Jam verò ſi quis non modo celet honorifica, ſed pietatis gratia vilia prodat, porrò inter mundi contemptores plane fortiſſimos celebrandus eſt.

CAPUT XIX.

Honorifica interdum aperienda, & honor exigendus.

Eæ ſanè circumſtantiæ concurrere poſſent, quæ laudem propriam, & honoris ab aliis deferendi exactionem honeſtarent; præſertim ubi pietas alias minuenda, id officium ſuggereret. Huc ſpectat illud Job. 27. 6. Job: *Juſtificationem meam, quam cœpi te-* D *nere non deſeram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Et alia permulta, quibus ſe commendat ipſum. Huc etiam facit illud Apoſtoli: *Ego à vobis debui commendari: nihil enim mi-* 2. Cor 12. 11. *nus fui ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli.* At quotuſquiſque eſt, qui ea cordis puritate niteat, quam laus propria, & repetitus honor minimè obnubilet?

CAPUT XX.

Quænam meditationes conferant ad moderatum delati honoris uſum.

Confert primum ſaucia peccato conſcientia. Si enim, qui vel unjus culpæ mor- E tiferæ conſcius eſt, certò novit, ſe dedecus æternum commeruiſſe, neſcitque culpam expiatam eſſe; quomodo non ſe honore delato indignum cenſebit? Quomodò, dum ſe introſpicit ipſum, affectum honoris non reprimet, ratus præclarè ſecum agi, ſi jam in tartareo carcere infamiæ publicæ non geſtet inſcriptum? Conducit mox ad rem hanc ipſa vanitas honoris, qui adeò eſt infirmus, & mutationi obnoxius, ut modicè propterea expetendus, ac æſtimandus ſit.

Cur honor pavi faciendus?

Hodie mundi ſectator agglomeratis præconiis effertur in aſtra: cras in eodem theatro maledictis proſcinditur, heſternamque claritatem inopinata extinguit eclypſis. Huc etiam ſpectat, quod ſceleſti homines paſſim hono- F re afficiuntur ampliore quam pii, neque ex honore delato firmum virtutis argumentum duci valet. Denique ad rem hanc pertinet altioris ſpes honoris, intenta nimirum æternæ nominis celebritati mens, quæ dum meliora contemplatur, non æque bona lentius appetit.

CAPUT XXI.

§. I.

Honoris gloriæque humanæ contemptus.

Cogitanti mihi de humanæ gloriæ contemptu ſubit imago fragiliſſimi boni, quod à mortalibus diligentius, quam dici G queat, exquiritur. Quæ quidem imago inconſtans, & innumeris caſibus obnoxia refert mihi multiplices cogitationes, quas homo laudis cupidus in aliorum animis excitare ſatagit, ut excelſè de ipſo opinentur, atque loquantur: ut verum ſit, ambitioſum hominem de affectu proprio rogatum reſponſurum, ſi vera proferre velit, torqueri ſe immodica humanæ gloriæ appetentia, eaque urgente contendere, quibus poſſit artibus, atque laboribus, ut vir eximius, ac proindè claris elogiis dignus exiſtimetur, unde honoris, & laudis ſeges multa proveniat. Hoc bonum, quod ambitioſus affectat,

§ II.

H Ut ergo ex infirmiſſimo rei genere ducam exhortationis originem, rogo, quis adeo ſit mentis impos, qui non animadvertat, certò ſciri non poſſe, quid alii mente concipiant, quidve credant, an ſeriò colant, vel honorem ſimulent, cum ſæpe in ſe ipſo quiſque experiatur ſenſum verbis, ac geſtibus diſſentaneum, improbetque ac vituperet animo, quæ probare, prædicare-

que

Scriptus An. 1612.

que cenſetur. Si ergo ambitioſus homo tales ſuorum meritorum teſtes omnino habiturus eſt, qualis ipſe aliorum teſtis, & cenſor eſſe conſuevit, quomodo auram popularem tam cupidè aucupatur, & non potius deſpicit, quod contemptu planè dignum experitur.

A

§. III.

Ambitionis vitium notatum.

CEterum qui gloriæ vanæ cupiditate flagrat, fortaſſe reſpondebit, ſe internos aliorum motus, ac ſenſus minimè introſpicere, ſatiſque ſibi pretioſum videri honorem extrinſecus delatum, & famam communi ſermone vulgatam. Verum Chriſtianum hominem appello, qui quo ambitioſior, eo laude indignior eſt: rogoque, cur tanti faciat externam nominis celebritatem, qua ſe novit indignum? Et ut rem exactius pertractemus, rogo, an mortalium ſermones veris virtutibus, quibus caret, præferat, vel poſthabeat? Eſt parum ſapiens, fortis, magnanimus, & nihil attentat, ut ſapientia, fortitudine, magnanimitate putetur excel-
B lere. Reſpondeat ergo, quid de honore, nominiſque claritate virtuti comparata opinetur. At quorſum ab homine ſententia propria convicto reſponſum elicere cogito, cum perſpectum ſit, illum perpetua hypocriſi laborare, pro nihiloque ducere, quisnam ſit, ſolumque conari, qualis, quam ſcilicet eximius, quam colendus, exiſtimetur?

§. IV.

QUod ſi obiicitur ei ratio multiplex orta à Catholica fide, quæ Deum internæ indignitatis cognitorem repræſentat, judiciaque mortalium divino judicio diſſentanea reſpuit, quid ille integrum, quid pium poſſit expromere, ut ſe conſcientia propria fœdatum expurget? Nihil certè caſtum pro
C feret,, cum totus Deo ſordeat. Si ergo Chriſtianus homo affulgente fidei lumine, novit ſe Deo vileſcere, eumque dumtaxat probatum eſſe, quem Deus commendat; quomodo ſpreto Dei honore in hominum gloriam tam vehementer exæſtuat? Quorſum noctes ducit inſomnes, & cum valetudinis, reique familiaris jactura captat laudis occaſiones, incredibilique ſollicitudine ſeipſum excruciat?

§. V.

AT delirus homo non facilè acquieſcet, ægreque de ſententia honoris ſectandi decedet. Permittamus ergo animo tam
D graviter affecto ampliſſimos mundi honores, quibus Reges, Imperatoreſque mortales claruere, vitaque per annos mille honorata procurrat. Rogo verò nunc, expleto eo annorum numero, quid ſi infamia ſuccedat? Quid ſi homines qui ante prædicabant, conſilio mutato vituperent, ac deteſtentur? Profectò è mediis Regum aulis, viri honoribus cumulatiſſimis elati, tragico eventu, poſt annos plurimos, in ſordidam vitæ conditionem deturbantur, eo præſertim tempore, quo ſe feliciores fore ſperabant, quod antiquis, & recentibus liquet hiſtoriis. Præmeditetur ergo ambitioſus homo, quod aliis mundo, quod ante probarat improbante, contigit, cogitetque in eam ſortem adver-
ſam ſe poſſe devolui. E

§. VI.

VErum meditatio hæc homini honoris cupido inſuavis, & importuna videbitur, neque facile pervincetur, ut credat ſe ex numero eorum fore, quorum elapſa gloria ſuccedente obtenebratur infamia. Suggerit quippe immodicus ſui amor blandum proſperitatis ſenſum, & ſpem inanem conficta dumtaxat firmitate ſubnixam. Ceterum indulgeamus ægro animo commentum, hoc ſperatæ gloriæ nullo caſu adverſo in hac mortali vita delendæ, & uſque ad ſupremum halitum integra, vel etiam aucta decurrat. Inſculpat nomen, & titulos hono-
rificos marmoribus, & virorum illuſtrium F
catalogo ſe ipſum attexat. Rogo tamen, quid laus hæc apud Majeſtatem Divinam, & cæleſtem curiam ponderis habeat? Si nomen ſcriptum non ſit in libro vitæ, quid proſunt ſtemmata, & nimium accurata apud mortales humanæ gloriæ monumenta? Si ad tribunal Chriſti ambitioſus homo æterni dedecoris reus peragatur, è veſtigioque pertrahatur ad flammam; quid obſecro ſolatii è relictis apud mortales titutulis poſſit haurire? Mirum plane videtur Chriſtianos homines harum rationum conſcios dedecus futurum tam ſegniter præcavere: ſi enim decem, aut viginti annorum infamiam incredibili ſollicitudine detrectant, cur non formident æternam?

§. VII. G

JAm verò ſi perpetui dedecoris meditatio lentè moveat, ſubeat ſaltem ſempiternæ gloriæ pia cogitatio, quæ generoſis animis calcar adſtringat. Paranda olim ſummis periculis, ac vulneribus laus fortiſſimos viros procreavit, qui è media Græcia, & Latio erumpentes feros populos debellarunt, & in patrias ſedes victorias clariſſimas retulerunt, id in primis moliti, ut faſtis adſcriberentur. Cur ergo viros Chriſtianos ſucceſſurum in univerſorum Angelorum, & hominum theatro decus non moveat, & reddenda ore ipſius Chriſti laus non demum extimulet, ut veras virtutes arduitate rerum ſuperata
colant, de mundo proculcato trophæum H
erigant, & inter domeſticos Dei, civeſque ſanctorum recenſeri feſtinent? Triumphus curru à leonibus, elephantiſve tracto Romæ agendus, oſtentanda Aſiana, vel Africana ſpolia, & inſcribenda albo victorum nomina viros illuſtres ad ſummos labores exantlandos perpulerunr: quomodò ergo Chriſti

Scriptus An. 1612. cultores cæleſtis gloriæ claritas, honorificentiſſimus in Dei civitatem ingreſſus, inſcriptum libro vitæ nomen, & imponendum coram cæleſti curia diadema regium lentè adeo movet?

§. VIII.

A QUale, obſecro, decus à mundi contemptoribus parabitur, cum in ſupremo judicio, cœleſti ſplendore lucentes, & majeſtate regia ſublimes, à Chriſto ipſo cauſarum cognitore, mundo univerſo ſpectante, ſummo præconio laudabuntur, & bonorum operum, quæ ipſi occulere certarunt, momenta divinis bilancibus expenſa totius generis humani oculis obiicientur? Profectò ſatis exprimi nequit honor ille tartari, & mundi domitoribus acclamatione ſumma deferendus: quod reprobi ipſi inſaniæ ſuæ demum conſcii atque convicti ſera pœnitentia fatebuntur in hunc modum: *Hi ſunt,* Sap. 5. 3. 4. 5. *quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam* B *& finem illorum ſine honore ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.* Quid majus, aut honorificentius excogitetur, quam inter filios Dei, regni ſempiterni hæredes, ſanctoſque divinæ lucis candore ſplendentes recenſeri? Quis adeo ſit cæcus, ut non immenſis laudibus efferat prudentiam planè divinam eorum, qui brevi, levique hujus vitæ deſpectu, velut pretio modico, ineffabilem gloriæ illius dignitatem compendio multo mercantur?

§. IX.

QUid, rogo, monachus taciturnus, inops C in antrum abditus, & in declinanda mundi gloria vigilantiſſimus ſentiet, cum in Angelorum, hominumque cætu frequentiſſimo non à mendacibus vitæ mortalis oratoribus, ſed ab ipſa Dei Sapientia, & Veritate, ab ipſo inquam Chriſto, quæ bona cogitavit, & præſtitit, laudari cernet? An verum non probetur, quod Evangelio ipſo expreſſum eſt in hæc verba; Matth. 10. 32. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo?* Lucæ 12. 8. Et illud: *Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei?* Si ergo è latebris in lucem producenda ſunt bona, quæ nominis æterni claritatem honoris aſpernatoribus adeo conciliabunt, ut mundus univerſus ad ſpectaculum convocatus demiretur, D quid ad parandum decus magis appoſitum, quam honoris fuga, vel contemptio?

§. X.

HInc, credo equidem, qui rerum cœleſtium dignitatem perſpicaciter contemplantur, intimè dolent, ubi honores mundi circumfluunt, ne fortè ſynceri, ac ſempiterni honoris jacturam faciant iniqua commutatione deluſi. Quo quidem in agmine lectiſſimo recenſeri poteſt Alexius Romanorum nobiliſſimus mutata veſte, novaque mundum arte deludens. SS. Alexius & Alexander Carbonarius. Recenſeri etiam poteſt Alexander ille, à conficiendi carbonis E arte cognomento Carbonarius, qui cum eſſet ſapientia tum acquiſita, tum infuſa eximius, arte ſordida ſe mortalibus deſpicabilem exhibuit, ne obrepente humanæ laudis vanitate, ab immortali Deo ſperneretur. Hoc etiam in agmine merito numerentur plerique mundi contemptores, qui generis claritatem, & dignitatum eccleſiaſticarum, vel ſæcularium ſplendorem ſuſpectum habentes, maluerunt veſte monaſtica humillime tecti ſe ſe arridenti mundo ſubtrahere, quam gloriæ vanæ præſentiſſimo periculo credere: quorum exempla nonnulla ad permovendos animos efficaciſſima ætas quoque noſtra perſpexit.

§. XI.

F O Quam errat graviter, qui de honore conquirendo ſollicitus, futurum non præmeditatur, ſed præſenti totus adhæret. Si enim prima ſedes, primus honor, laus prima inter mortales principes ſummopere æſtimatur, nonne extremæ ſtultitiæ genus eſt, ita futuræ gloriæ obliviſci, ut non ſubeat cogitatio ulla ampliſſimæ pollicitationis Chriſti ajentis: Matth. 19. 28. *In regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos, &c.* Quam ſublimis, quam honorifica ſeſſio illa, quæ apoſtolicos viros à mundo neglectos ad ſummum honoris faſtigium evehet, interim dum Pharaones, & Cæſares, quos mundus inter divos retulit, tragico ſpectaculo decumbent, G ad perpetuam inferorum ignominiam, tremendo mox anathemate repellendi?

§. XII.

QUid jam de incredibili famæ propagandæ appetentia ſubtexam? Si Chriſtianum hominem famæ poſt obitum per annos, & ſæcula decurſuræ ſollicitudo vexat, & quid homines de ipſius moribus, & actibus poſt ætates multas opinaturi ſint, anxiè proſpicit; quomodo non ſuccurrit celebratum illud: *In memoria æterna erit juſtus?* Pſal. 111. 7. Fateor certè, hominem humanæ gloriæ avidum, occaſione marmoris, cui ſuum nomen inſculpſit, vel turris, quam extruxit, H ad mortalium memoriam revocandum, quod ipſe ambitiosè expetivit: at qualis putetur laus hominis vita functi, cujus dum ſit mentio, ſubit animum viventium anceps cogitatio, ne fortè qui ſe ipſum extulit, & nomen ad poſteros transferre vehementer optavit, æterno dedecore obſcuretur, & ab

in-

Scriptus An. 1612. ingenua filiorum Dei ſocietate depulſus, infamia nunquam abolenda laboret? Qualis cæcitas, qualis dementia hæc, quæ claritatem nominis brevi extinguendam adeo intemperanter affectat, & gloriam regni Dei, quæ nullo adverſo caſu obliterabitur, minimè curat?

A

§. XIII.

BEati ſanè cenſendi, qui ſpreta mundi exiſtimatione, honores cæleſtes altè contemplantur, & indefeſſa contentione perquirunt. Bene profectò eſt, ut ſicut opes penuria, ita honorem deſpectus antecedat. Lugeant modò Chriſti milites inglorii, caluminiis, & criminationibus impetantur, maleque apud homines audiant; fida tamen memoria ſervent illud. *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.* Pſal. 125. 5. Ne pigeat, dum præterit figura mundi, inter veros Iſraelitas in captivitatem abductos tantillum deprimi, donec ab exilio revertantur in ſupernam Jeruſalem ubi ſplendor eis oborietur æternus. Incedant nunc B demiſſo capite contumeliis, & conviciis pudefacti, qui audituri ſunt: *Reſpicite, & levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Lucæ 21. 28. Redimentur quippe ab improperiis, & luctu, & in clariſſimum gloriæ ſtatum aſſerentur.

§. XIV.

INtueatur jam lector, quem honoris infeſtat ambitio, exemplar noſtrum Chriſtum qui maledictis proſciſſus, & infami mortis genere ab hominibus damnatus eſt. Chriſtus exemplar noſtrum. Conſideretque, quanta ex opprobiis, & deriſionibus gloria ſuccreverit, quam longè ab honore quærendo Redemptor noſter abfuerit, C quantoque proindè honore, devicto jam mundo, tartaroque fruatur. Hæc regia, & militaris via eſt, quam generoſi, atque magnanimi viri, qui ſibi propter regnum cœlorum, vim afferunt, animo verſant, & omninò metiri decernunt. Gloriam ergò mundi fluxam, ſponteque ſua concidentem ſapiens lector proculcet; erectoque animo decus nunquam interiturum, in adoptione filiorum Dei, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, invicta fortitudine, ac ſedulitate conquirat.

D

* * *

PARS TERTIA.

De Bono Utili, bonoque divitiarum uſu.

E

CAPUT I.

Præmonitio.

NON mihi agendum de bono utili, quam latè patet, ſed quà divitias reſpicit, quarum acquiſitio, proportio, & uſus pio ſenſu perpendenda ſunt, ut lector cupiditatis vela contrahat ad legis lineam, qua rectè vivitur.

CAPUT II.

F

Divitiarum genus.

DIvitiæ genere quidem ſuo nec laudi, nec vitio vertuntur, cum in partem utramque materiam ſuggerant, aliiſque virtutis, aliis verò maleficii inſtrumenta ſint. Genus ergo, cum ſit indifferens, ex circumſtantiis varii uſus in vituperationis, aut laudis argumenta cedit. Laudatur dives pius, ac liberalis; impius carpitur, & tenax. Abraham profectò locupetiſſimus fuit, Geneſ. 24. 35. aſſertore ejus œconomo, in hæc verba: *Dominus benedixit domino meo valdè, magnificatuſque eſt: & dedit ei oves, & boves, argentum, & aurum, ſervos, & ancillas &c.* Job item ditiſſimus fuit, ut liquet ex Job 1. 3. verbis illis: *Et fuit poſſeſſio ejus ſeptem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, &c.* G Sed Abraham è tentorii oſtio beneficentiæ occaſiones captabat, ut tranſeuntes non liberaliter tantum exciperet verum quodammodo cogeret. Job item de ſe ſic effatus eſt: Job 31. 32. *Foris non manſit peregrinus; oſtium meum viatori patuit:* Multaque alia, quæ in hunc ſenſum congeſſit. Hinc Abrahæ, ac Jobo opes in encomia verſæ ſunt. E contrario verò Nabal, homini ſcilicet diviti, ſed avaro, ac ſtulto divitiæ in dedecus ceſſerunt, ipſa ejus conjuge aſſertrice, quæ ſic David iratum affata eſt; *Non ponat, oro, Dominus meus rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum* Nabal; *quoniam ſecundum nomen ſuum ſtultus eſt.* 1. Reg. 25. 25. Hoc eſt elogium divitis unius tenaciſſimi, cui alii perſimiles paſſim quoque cernuntur.

H

CAPUT III.

Divitiarum acquiſitio.

CAvendum ne injuſtè parentur, vel accipiantur; nam ſi inculpatè partæ animum

Scriptus An. 1612.

A

1. Tim. 6. 8. 9. 10.

B

mum graviter afficiunt, quid mali non afferent, quæ uſuris, furto, fraudeve extorquentur. Profectò exitioſa ſunt tela quibus anima ipſa perfoditur. Huc reſpexit Apoſtolus, qui cupidos homines à divitiarum ſtudio vehementer dehortatur ſuo quidem exemplo, & malis è cupiditate ortis, in hæc verba: *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas; quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Hæc Apoſtolus, quæ ad retardandum avaritiæ impetum adeo ſunt efficacia, ut argumenta nulla nervoſiora excogitari poſſe videantur. Quid enim fortius ad viri Chriſtiani animum reprimendum, quam ex Apoſtolo noſſe, imminere ſibi Catholicæ fidei amittendæ diſcrimen, ſi cupiditati laxet habenas? Cavendum ergo, ne, dum hinc inde immoderatè corraduntur opes, gravia coagmententur & vitia, quæ obdurentur in callos, quos cordi obductos recidere difficillimum eſt.

CAPUT IV.

Divitiarum quantitas.

C

Prov. 30. 8. 9.

D

NON major copia expetenda, quam quæ ad opera virtutum præſtanda conferat, ut ſcilicet ſuppetat ad juſtitiæ, charitatis, liberalitatis, aliarumque virtutum actus exercendos, quibus Deo, ſibi, ac proximis quiſque ſatisfaciat. Si quis ergo ultra eos fines affectum protendat, culpa minimè vacat, quæ pro exceſſus modo gravior, leviorque cenſebitur. Meta præfigenda eſt. Huc ſpectat, quod Salomon precatus eſt: *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo neceſſaria: ne forte ſatiatus illiciar, ad negandum, & dicam: Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer, & periurem nomen Dei mei:* Hæc Salomon; Qui dum ait, Divitias ne dederis mihi: privati hominis perſonam agere videtur; nam reges oportet opulentos eſſe, ut largius erogent. Obſervanda ſunt capita duo rationum Salomonis, ſaturitas, & egeſtas, quarum prima fatetur illici animum ad Majeſtatem Divinam abnegandam, ſecunda ad furta, & periuria perpetranda: quod paſſim non abſque luctu conſpicimus. Divites enim impii, ſibi ſe ſat eſſe rati, Deum minime colunt: inopes penuriæ impatientes, ut victum conquirant, ſe ad omne maleficium, tanquam venales exponunt.

CAPUT V.

Divitiarum qualitas.

E

Divitum uſus.

F

NAturales divitiæ, quales terra culta, armenta, ſylvæque refundunt, præferendæ artificialibus, quales cambiis, multiplicique contractu parantur. Hæ quippe in varia monſtra graſſante adverſus Dei legem cupiditate, degenerant, facileque intereunt; illæ Dei juſſu proveniunt diutiſſimeque perdurant. Sane divitiæ hominum primævæ naturales fuêre, quæ in Scriptura Sacra paſſim lectitantur: temporis autem excurſu incredibilis ſollicitudo invaluit, quæ ad commentitias formas, multiplicibus laqueis innexas homines impulit: è quorum numero, dolendum, quam multi deficiant, graviterque mulctentur. Quod verò præſertim lugendum videtur, culpa, & remorſus eſt, quo conſcientia iniqua torquetur. Plerique divitiis artificialibus aucti, per annos plurimos, Theologos multos conſulere non deſiſtunt, ut conſcientiam renitentem ſedent, & antequam lites dirimant; triſti præſagio è vita migrant, quod animus horret.

CAPUT VI.

Divitiarum poſſeſſio.

Pſal. 61. 11.

G

In Ecce nos reliquimus omnia.

Cap. 31. 24 25.

H

ITA opes poſſidendæ, ut non hæreant animo, magnive fiant, neque enim cum affectu, æſtimationeque immodica pius, ac liberalis uſus cohærere poteſt. Huc reſpexiſſe videtur divinus Vates, ubi monuit: *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Quaſi planius diceret: Cavete, ne divitiæ cordi hæreant, & affectum moderamini: rarò quippe invenire licet hominem, à quo poſſeſſum aurum, non impenſius, quàm deceret, ametur. Qua de re cum Bernardus ageret, ſic effatur: *Plus concupiſcentia mundi, quam ſubſtantia nocet, & hæc fugiendarum divitiarum cauſa præcipua eſt, quod aut vix, aut numquam ſive amore valeant poſſideri.* Hinc efficitur ut præconio dignus meritò cenſeatur dives, qui opes non magni pendat, qualis Job, ut liquet ex verbis his: *Si putavi aurum robur meum, & obrizo dixi: Fiducia mea. Si lætatus ſum ſuper multis divitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.* Quibus certè verbis Job ſibi malum imprecatur, ſi ita affectus unquam fuiſſet, ut ſpem in divitiis collocaret, aut ex iis voluptatem caperet. Hoc divitibus ad imitationem proponitur.

CAPUT VII.

Divitiarum diſpenſatio.

COmmendatur diſpenſatio liberalis, quæ inter avaram, & prodigam temperatur.

Scriptus An. 1612.

tur. Quì autem à medio illo recedunt, non adeò turpiter peccant, ſi in prodigalitatem, ac ſi in avaritiam propendeant: prodiga videlicet effuſio non ita diſſimilis liberalitati, ac tenacitas eſt. Et quidem ob eam virtutis ſimilitudinem conciliat animos, facileque vertitur in argumentum veræ virtutis: nam qui ſumptus prodigi ſunt, quod non ſubſit cauſa rationi conſona, ad cauſas pias, honeſtaſve facile deſtinantur, animo interim non reluctante, qui ad expenſas pronus eſt. Simile quiddam ſcitu plane dignum inter prodigos, audaceſque cernitur: nam, ut audaces pericula contemnere aſſueti, addito conſilio quo carent, fortes evadunt, quod non ita timidis accidit: ita prodigi, adjecto quoque conſilio, fiunt liberales, quod avaris non adeò pervium eſt.

CAPUT VIII.

Diſpenſationis ordo.

DIſpenſationis ordo congruit ordini divinæ legis, ſcilicet ut alienis primum reſtitutis, ex iis quæ ſuperſunt, quiſque ſibi capiat ea, quibus eget; mox adſit iis, qui conjunctiores ſunt, quales conſanguinei, affines famuli, amici: denique aliis, quos omnes charitatis lege debet amplecti.

CAPUT IX.

Diſpenſationis tempus.

LIcet opes ad ſenectutem uſque reconditæ, in bonos, pioſque uſus reſerventur, non adeò laudandum ejuſmodi conſilium, ac illud, quo viri ſapientes utuntur, dum tempus antevertunt, ut piè divitias erogent: inſtant quippe multa, quæ auxilium præſens requirunt: ſubeſt & periculum mortis, quæ bona deſideria plerumque non ſinit expleri. Suppetunt exempla recentia nobis, quoque nota inopinati exitus rerum non ex ſententia decurrentium; nam quæ bona labore multo parata, & ad pios uſus deſtinata ſunt, obortis poſt teſtatoris obitum, litibus, avocantur in uſus longè diſſimiles: ſatius ergo eſt, tempus prævertere.

CAPUT X.

Sumptus pii.

SUmptus pii ad ſalutem proximorum intenti ad laudatiſſimum divitiarum uſum pertinent. Huc ſpectant hoſpitales domus, templa extructa, & reſtituta, collegia ſtudiis dicata, inopum virginum in ſtatu monaſtico, vel conjugali collocatio, miſſiones ad infidelium converſionem deſtinatæ, & id genus alia, quæ Dei gloriam, & piorum divitum laudem amplificant. Porrò poſt ætates multas, viget honorifica mentio divitum, qui baſilicas, xenodochia, gymnaſia extruxere; progrediturque abſque pietatis decremento nominis claritas, quò non proceſſit ambitio. Accedit perennis totius poſteritatis gratitudo, & precum officium, quod juſta trutina debet expendi.

CAPUT XI.

Quotidiana Eleemoſyna.

ELeemoſynæ erogatio quotidiana, acceptiſſimus Deo uſus divitiarum eſt, & apud homines laudem multam, benevolentiamque conciliat. Domus præterea piorum divitum abundè largientium ſecundis ſucceſſibus proſperantur, ut priſcis, recentibuſque experimentis perſpectum eſt. Habet quippe Deus, ut more noſtro dicamus, intentos oculos, faciemque converſam in homines miſericordes, ut eos locupletet; quod obſervaſſe videtur Tobias, ubi filium monuit in hæc verba: *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini.* Huc refertur ubertas illa, quam Salomon pollicetur his verbis: *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei, & implebuntur borrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Ubi annotandum, loco verborum, *Da ei*, ab aliis legi, *Da pauperibus*; eleemoſynam enim per manus pauperum Deus accipit, quam abundè repenſat.

Tob. 4. 7.

Prov. 3. 9. 10.

CAPUT XII.

§. I.

Contemptus divitiarum.

AEquum profectò eſt, Chriſtianus lector opes aſpernari diſcat, quandoquidem ſalutis æternæ ſtudium cum auri cupiditate difficulter cohæret. Profitetur vir Chriſtianus, ſe in cœleſtes opes aſpirare, fide ſcilicet divina id ſuggerente: quomodo verò geret animum in cælos intentum, qui velut ad effodienda metalla pronus anhelat? Pars certè maxima generis humani terrenos tanti pendit theſauros, ut cæleſtes neque curare, neque cogitare videatur: quocirca timorati eſt animi tam numeroſi exercitus vitare conſortium, ne rapidiſſimo, quaſi torrente correptus, intereat,

§. II.

ET primùm quidem, ipſum divitiarum genus exactè cognitum piis animis ſui deſpectum ingenerat. Ignobile quippe genus eſt, quod animos degeneres, vitiis multis obnoxios, & verarum virtutum detrectatores creat. Nimirum notum, & crebris exemplis teſtatum eſt, hominem ad opes coacervan-

Scriptus An. 1612.

Divitiarum effectus.

vandas inhiantem, eo ipſo puſillanimem, crudelem, vilibusque, ac hominis ingenio indignis actibus addictum fieri; nihil honeſtum, ac ſplendidum animo pertractare, univerſiſque aliis hominibus ſordere. Puſillanimis certe fit, qui fures acquiſiti auri, vel acquirendi præreptores ſuſpicatur: Crudelis, qui ne quid ſibi adimat, inopes fame arentes A ferali repulſa eliminat. Sordidus, qui ne modico quidem ſumptu ſibi neceſſaria providet, unde ſterili menſa, incommodo lecto, obſoleto laceroque veſtitu ſe deſpicabilem exhibet. Cui autem non ſordeat, qui ſe non virtutis, ſed auri amore adeo turpiter deformat? Si ergo divitiarum ſtudio tantopere homo vileſcit, exploratum eſt, opes vilium affectuum, & actuum productrices contemptu dignas eſſe cenſendas.

§. III.

ET hæc quidem lumine ipſo naturæ animum ad opum deſpectum urgere poſſent, tametſi opes jam partæ nullis adverſis caſibus ſubjacerent. At ſi parandi, & con- B ſervandi difficultatem adiiciamus. miſerrimæ ſervitutis imaginem nobis cernere videbimur, ut ex hoc ipſo capite aurum a viro Chriſtiano vilipendendum ſit. Quid, rogo, indignum, ac prorſus abjectum, ſummoque cum labore conjunctum non attentant mortales divitiarum cupidi, ut diteſcant? An vulgatum non eſt, homines claro loco natos, vili, rudique veſtimento tectos, mutato cœlo ad longinquas regiones commeare, ut mechanicis lanæ, mercium, pellium laboribus ingentem tandem pecuniæ vim, vel in ſenectute recondant? Profecto & acquirendi labor major eſt, quam fruendi lætitia, & indignitas major, quam exiſtimatio è divitiis orta.

§. IV.

C

QUÆ quidem veritas non aliorum, quam divitum ipſorum teſtimonio aſſerenda eſſet, ſi vellent illi vera proferre. Licet enim fingeremus, eos quantum auri cuperent, comparaſſe, veritas propoſita ſemper immota perſtaret, faterenturque ipſi labores, ac indignitates non æquo pretio repenſari. Ceterum quid pius lector ſentiet; ſi agmina cupidorum hominum recenſeat, ubi è millenis, qui laborioſe, indigneque vixerunt, ut opes conquirerent, vix unus aut alter opulentus evaſit? Poſſent multi, quos à tartaro abſorptos non leviter coniicitur, è medio inferorum incendio teſtificari, ſe innumeris anſietatibus, laboribuſque confectos, ut pecuniam hinc inde corra- D derent, vel è terræ cavitatibus effoderent, & tamen ſpe fruſtrata nihil auri, ſed ſolas cupiditatis pœnas recepiſſe.

Divitum fruſtrata cupiditas.

§. V.

VErum gratis demus, omines cupidos poſt exauſtos labores denique omnes diteſcere; contemplemurque ſtatum, quem illi fortunatum appellant. Quid, rogo, boni pararunt divites, quod æquo judicio magni faciendum ſit? An quia divites, ideo ſapientes, magnanimi, fortes, ſi ante partas opes, ſtulti, puſillanimes, ignavi fuere? Profectò raro cernas hominem, cui magni conſtitit opulentia, qui non fiat ea ipſa de E cauſa deterior. Quin etiam difficulter invenias, quem ſubſequuta rerum affluentia non torqueat, ut neque animo, neque corpori copia labore parta proficiat. Torquet videlicet perennis amittendi timor, & augendi ſollicitudo, quæ dirum tormenti genus eſt. Sane locus nullus quantumvis voluptati deſtinatus eſt, in quo cupidum hominem auri cura, quaſi ſtimulus animo infixus non infeſtet, & ad actus ſapienti viro dignos torpentem efficiat.

Eorumque ſollicitudines.

§. VI.

HAC certe de cauſa Philoſophi multi opes contempſerunt, rati cum ſciendi, virtuteſque colendi ſtudio divitiarum curam connecti non poſſe: maluerunt quippe opum, F quam virtutum pati jacturam. Si autem animus divitiarum pondere oneratus philoſophicarum virtutum cultui fit hebes, & impar; quam fiet ſtupidus, ac imbecillis ad jugum Chriſti ſubeundum, & conficiendum ſalutis iter? Quomodo æternæ vitæ viam alacriter percurret, qui graviſſimo ponderi humeros ſponte ſuppoſuit? Etenim adoleſcens ille dives. cui Chriſtus opum abdicationem ſuadere cœperat tanto pondere ſe prægravatum, mœſtitiaque tanta oppreſſum ſenſit, ut divino conſilio ad ſalutis viam metiendam appoſitiſſimo minime acquieverit. Porro non oneroſa modo ſed limoſa quoque, ac glutinoſa nimis (ut Bernardus ait) ſubſtantia noſtra videtur, & facile cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret. Hæret vero adeo tenaciter, G ut raro animus opum commoditatibus aſſuetus, multo etiam adhibito conatu, ab eo complexu divellatur. Quocirca Spiritus Sanctus cenſuit virum præconio dignum, qui poſt aurum non abiit, quaſi res proculdubio mirabilis, & plane rara ſit, auro nolle adhærere, vel poſt adhæſionem divortia quærere. Saluberrimum ergo conſilium eſt, nolle iis laqueis necti, quos pauci vitarunt, & paupertatem Filiorum Dei, expedito ad ſalutis iter corde tueri.

Matht. 19.

Homilia in illud Mat. Ecce nos reliquimus omnia.

Eccl. 11.

§. VII

UTinam doctrinam hanc viri Chriſtiani alte impreſſam ſæpe recolerent, neque aſpectabili mundi ſplendore ſe deludi permitterent. H Splendor quippe hic mortalium oculis objectus, vehementer eos afficit, ut veras divitias in cœlo repoſitas neque perquirere ſtatuant, neque meminerint. Temporalia duntaxat ſtrictiſſimo tenent amplexu, à quo ſolus interitus fruſtra renitentes avellit, uti de peccatore divite ſcriptum eſt. *Avellatur de tabernaculo ſuo*

Job 18. 14.

Scriptus An. 1612. *fiducia ejus, & calcet ſuper eum quaſi Rex interitus.* Fiducia divitis eſt ipſa opulentia, quam ab eo invito avellit mors, quæ decumbentem peſſumdat, more regis, qui devictorum hoſtium colla proculcat, quod olim principes exercitus Joſue feciſſe leguntur. *Joſue* 10.

§. VIII.

A SI ergo quicquid divites conentur, poſt periodum vitæ brevem, irrumpens mox interitus opes ablaturus eſt: quis adeo deſipiat, ut inexplebili cupiditate fluxa bona coagmentet, quæ ſtatim eripienda ſunt? Aut vero quis non aſpernetur, quæ non modo ſunt eveſtigio auferenda, ſed quæ in ſupremo agone præſentiſſima æternæ mortis pericula creant? Mirum eſt ſane, quam ſint obtuſi homines ad prænoſcenda mala, quæ ſuo ſibi labore conquirunt! Pauci ſapientes, qui Chriſti ſcholam æſtimare norunt, divitias velut ſpinas horrent: pauperesque apoſtolici voto etiam emiſſo, divitiarum jugum excutiunt, ut in mortis conflictu cum hoſte nudo nudi luctentur, & nullis implexi laqueis B in Chriſti amplexum expedite, ac fidenter animam efflent; & tamen in eo tremendo prælio timore contrahuntur, & pallent: qualis ergo erit ſtatus divitum, quos opulentia gravat, & quaſi truncos informes in flammam inferorum detrudit? Quanto eſt optabilior mendici Lazari inopia, quam exuberantia divitis, qui poſtquam purpura, & byſſo indutus, & ſplendide epulatus fuerat, ſepultus eſt in inferno?

§. IX.

CÆterum, licet inferni timor nullus urgeret ad opes leviter curandas, vel deſpiciendas, deberent profectò viri Chriſtiani, pio quodam mercaturæ genere, veris falſas, C perpetuis temporales permutare. Si enim nemo adeo ſtultus putatur, qui pro defæcato auro æs rude non libenter appendat; cur ita innumeri homines ineptiant, ut cum cæleſtibus theſauris terrenos commutare detrectent? Et quidem ſi auri amor immodicus ita medullis divitum hæret, ut ad auctioris gloriæ lucrum, ſpreto ſæculo, inter apoſtolicos pauperes nolint recenſeri, cur media ſaltem charitate ac liberalitate, inopes fere intereuntes divitiarum ſuarum conſortes non efficiant, ut eo pie diſpenſandi ſtudio minus graventur, & apud Deum infenſum veniæ precatores ſibi concilient?

§. X.

D FAcile, credo equidem, divitias contemnerent opulenti plerique, ſi futuræ vitæ ſtatum prævio fidei lumine præmeditari aſſueſcerent. Illa quippe civitatis Dei ubertas, menſa illa, ubi ad cœnam Agni, mundi, tartarique victores honorificentiſſimo excipiuntur accubitu, veſtis illa nuptialis nive candidior, cæteraque ineffabilia bona, quæ divitiarum contemptu parantur, vel ſaxea corda mollirent. Meditatio hæc plane dulciſſima e mediis mundi commoditatibus florentem juventutem ad monachorum clauſtra, vel ad eremiticam vitam deduxit. Senſit hoc Bernardus, qui expenſurus verba, quibus Chriſtus apoſtolicæ paupertatis *Sup. Ecce nos reliquimus omnia.* E ſectatoribus ampliſſimam æternæ felicitatis mercedem pollicetur, in hunc modum eloquitur: *Hæc nempe ſunt verba, quæ contemptum mundi in univerſo mundo, & voluntariam perſuaſere hominibus paupertatem. Hæc ſunt quæ monachis clauſtra replent, deſerta anachoretis. Hæc inquam ſunt verba, quæ Ægyptum expoliant, & optima quæque ejus vaſa diripiunt. Hic ſermo vivus, & efficax convertens animas felici æmulatione ſanctitatis, & veritatis promiſſione fideli.* Hæc Bernardus.

§. XI.

VErum, tametſi Bernardus ſileret, & tot contemptorum mundi, qui caducas opes ſtudio hæreditatis æternæ ſpreverunt, F exempla deeſſent, una Jeſu Chriſti, Dei, ac Redemptoris noſtri vita, in qua divitiarum contemptus luculentiſſime reſplenduit, pios animos ad opum deſpectum perurgere deberet. Si enim Dei ſapientia inopiam probavit, eoque exemplo mortales inſtruere, & ad perquirendam cæleſtem opulentiam hortari decrevit; neceſſe profectò eſt, pium divitiarum contemptum rem eſſe conſilio divino mirifice conſentaneam, & ad ſalutis opus appoſitiſſimam. Hæreat ergo lectoris animo Chriſti mens illis expreſſa verbis: *Vulpes foveas habent,* A *& volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Cur enim non habuit? An quia non potuit? An quia opes ei nocerent? Minime profectò: ſed G quia cupiditas hominum eo erat exemplo coercenda, ne ad immoderatas opes adeo vehementer æſtuaret.

§. XII.

AT quid nunc attexam? Quid hic depromam, dum cerno non magis exemplo tanto Chriſtianos pleroſque moveri, quam ſi Chriſtus avaritiam commendaſſet? Quot rogo viri, qui ſapientes exiſtimantur, divitiarum ſtudio ſe totos dedunt, quos neque ſenectus ipſa morti contigua, neque morbi, neque caſus adverſi, neque inſtantis judicii timor ab ea cupiditate divertunt? Dicam certè quod S. Gregorius, cum grande hoc malum perpendiſſet, interim, dum H Andreæ Apoſtoli converſionem prædicabat, alto cum ſenſu ſubjecit: *In cælo jam ſedet, qui de converſione nos admonet: jam jugo fidei colla gentium ſubdidit, jam mundi gloriam ſtravit, jam ruinis ejus crebreſcentibus, diſtricti ſui judicii propinquantem denuntiat diem: & tamen ſuperba mens* *Vol.* 1. *Oper. Hom.* 5. *in Evan. n.* 1.

Scriptus An. 1612.

noſtra adhuc non vult hoc ſponte deſerere, quod quotidie perdit invita. Hæc S. Gregorius.

§. XIII.

MIrum eſt hoc tanti Doctoris aſſertum, quod paſſim intuemur, neque tamen niſi à paucis, ut par eſt, æſtimatur, aut A creditur. Beati mites ſpirituque pauperes, quibus puriſſima Chriſti lux affulſit, ut omnem ſæculi ornatum aſpernarentur, & excuſſo bonorum caducorum jugo, ad meliora bona ſuſpirarent. Recordare, lector, eorum divitum, quos tu fortaſſe noſti, qui ubi minus putaſſent, inopinata morte correpti ſunt, Sacramentis Eccleſiæ minime, aut inconſiderate receptis, non condito, vel parum pie diſpoſito teſtamento, de quorum ſalute vehementer ambigitur. Memineris etiam plurimorum pauperum, quos ut conſcientia tibi ſuggerit, exactis jam penuriæ laboribus ad fœliciſſimam terræ viventium regionem, Deus patientiæ cognitor, ac remunerator tranſtulit. Poſtquam vero ſuſpectos tibi divites, fœliceſque opinione tua inopes recen- B ſueris, dic quæſo, quibus annumerari malles, ſi optio tibi daretur? Non dubium, quin reſponſurus ſis, electurum te ſortem inopum, qui famelici cum fuerint, ſatiantur modo ubertate domus Dei. Si ergo reſponſum hoc, urgente conſcientia, reddis, quorſum opes augere, æternæque mortis laqueos tibi nectere pergis?

Divitum, & inopum finis.

§. XIV.

AGE ergo, tempus anteverte, gravatum exonera, & ſperne divitias, quæ a te demum extorquendæ ſunt. Si opes minimè paraſti, ne intemperanter cupias, ne niſi neceſſarias exquiras. Si paraſti, pie utere, & per manus egentium in cœlos transfer, C ubi centuplo auctiores recepturus ſis. Ne aures piis monitis obtures; ne reſipiſcentiam in horam mortis reiicias. Incipe ſaltem modo per arctam incedere viam; quæ pingues beneque nummatos non capit, aut ſuſtinet. Ne fias velut taurus indomitus, qui detrectat aratrum, ſed manſueſce, & ſuavi Chriſti jugo collum ſubde, ut æternarum divitiarum ſtudio, fluxas mundi opes excelsè deſpicias.

Divitiae ſpernendae.

D

PARS QUARTA.

De bono Delectabili, E bonoque licitæ voluptatis uſu.

CAPUT I.

Præmonitio.

DElectabilia bona, quorum excrevit numerus, minimè recenſebo, ſed conſilia nonnulla breviter promam. Præmoneo cor hominis voluptatis cupidiſſimum eſſe, & à perpaucis, uti par eſſet, coerceri; eos tamen paucos frementium paſſionum domitores, inter fortiſſimos Chriſti milites meritò celebrari.

F CAPUT II.

Voluptas quotuplex.

VOluptas altera licita, illicita altera: prima à bono aliquo, ſecunda à malo ducit originem. Licita, altera humana nimium nota, qualis quæ ex cibo, potu, cantu, amicorumque aſpectu percipitur: altera divina, & arcana; qualem viri divinarum rerum contemplationi dediti, hoc in exilio quandoque delibant.

CAPUT III.

Illicitæ voluptatis fuga.

G ILlicita voluptas, qualis ex venere, ebrietate, vindicta, & aliis ejuſmodi exoritur, validè reſpuenda: efficit quippè hominem ignavum, verarum virtutum oſorem, & apud alios infamem: excæcat animum, & ab æternæ vitæ ſtudio torpentem longè dimovet, quo nihil calamitoſius.

CAPUT IV.

Licitæ voluptatis moderatio.

NON quia licita voluptas, licet ea quantumlibet frui, quemadmodum, non quia licitus panis eſus, vel vini potus, iis abſque modo uti fas eſt. Appetitus ergo reprimendus eò vigilantius, quo licitæ fruitionis modum excedere proclivius eſt. Præco- H nio dignus exiſtimatur, qui metam minime tranſilit. Huc ſpectat, quod S. Auguſtinus, poſtquam Abrahæ contientiam cum Joannis Evangeliſtæ caſtitate comparavit, ſubtexuit inducens hominem cælibem ſic loquentem: *Ego vero facilius non utor nuptiis, quibus uſus eſt Abraham, quam ſic utar nuptiis,*

quem-

Lib. de bono Conjugali, n. 27.

Scriptus An. 1612.

quemadmodum eſt uſus Abraham. Ubi cælibem inſtruit, ne ſe Abrahæ præferendum cenſeat, quod Abraham nuptiis uſus fuerit. Conjugalis enim Abrahæ continentia Joannis virginitatem, Auguſtini ſententia, quoad meritum æquavit: quod abſque mirabili planè Abrahæ temperantia in uſu licitæ voluptatis fieri non potuit. A

CAPUT V.

Moderatus licitæ voluptatis uſus virtuti aſcribendus.

UT corpus laſſum quiete, ita fatigatus animus delectatione, quæ animi quies eſt, proculdubio eget. Unde Auguſtinus, *Sapientem decet interdum remittere aciem rebus agendis intentam* Ariſtoteles quoque inter virtutes eutrapeliam (quam S. Thomas jucunditatem interpretatur) repoſuit. Doctrinam hanc (refert Caſſianus) S. Joannes Evangeliſta, aliquid licitæ voluptatis olim capiens, commendavit ſimilitudine arcus, qui ſi perpetuo intendatur, nec interdum relaxetur, effringitur: quo quidem Evangeliſtæ exemplo S. Thomas ad confirmandam, quam protulimus doctrinam uſus eſt. B

Lib. 2. de Muſica cap. ult. n. 26.
L. 4. Eth.
S. Tho. 2. 2. q. 108. ar. 2.
Coll. 24.

CAPUT VI.

Obſervatio erga licitæ voluptatis uſum.

DUO erga moderatum licitæ delectationis uſum obſervanda: unum ne gravitas animi tota reſolvatur, ut monuit S. Ambroſius in hæc verba: *Caveamus, ne dum relaxare animum volumus, ſolvamus omnem harmoniam, quaſi concentum quemdam bonorum operum*. Alterum, ne perſonæ, loco, tempori, & aliis circumſtantiis voluptatis uſus diſſentiat, ut S. Thomas ex Cicerone docuit. C Profectò puerilia oblectamenta viros graves minimè decent, multoque minus in loco ſeriis actibus dicato, iiſque horis, quæ gerendis utilibus negotiis deſtinatæ ſunt.

Li. 1. offic. c. 10.
2. 2. q. 168. a. 1.

CAPUT VII.

Licitarum voluptatum electio.

EA oblectamenta eligenda, quæ ab illicitis longius diſtent, & quæ animum non immoderatè afficiant, qualis amœnitas hortorum, avium cantus, tibiarum concentus, & ejuſmodi alia, quæ virum ſapientem ita delectant, ut interea non prorſus obliviſcatur ſapientiæ. Porro caſta hæc voluptas ad res divinas contemplandas, & amandas viam aperit, quæ aliis ludorum, ſcurrarum, hiſtrionum, choræarum deliciis ſolent intercludi. D

CAPUT VIII.

Spiritualium, ſive divinarum voluptatum genus, & uſus.

SPirituales voluptates, quas in hoc exilio cultoribus ſuis Deus inſtillat, genere quidem ſuo divinæ ſunt, & nihil non purum ingenerant: ſolet tamen humana fragilitas iis parum moderatè frui, unde ſanguinis eruptio, capitis læſio, & totius corporis extenuatio. Quocirca & iis temperanter vacandum eſt. Si ergo ad puram Dei voluptatem hauriendam immodicè ſolet indulgeri appetitui, quis non liquidò perſpiciat, in uſu voluptatis humanæ quantumvis licitæ, appetitui metam præfigi oportere? E

CAPUT IX.

Contemptus & fuga voluptatum.

§. I.

OPorteret ſanè, me à voluptatum ſtudio lectores dehortaturum, efficaciſſima Chriſti virtute præmuniri, ut ſcriptura divino ſpiritu afflata, & velut animata in animum penetraret, flecteretque volentem, quò natura non fertur. Viva certè quadam energia opus eſt, ut quod placet, reſpuatur, & mollia duris permutentur. Quapropter divinæ gratiæ vim humanarum voluptatum expultricem mihi adeſſe opto, quæ frigentium animorum, glaciem reſolvat. F

§ II.

Voluptatis amor validiſſimus.

ET primum ſtatuo, voluptatis amorem eſſe validiſſimum, & eo tenacius hærere, quò voluptas ſuavior eſt, intellectum propterea obtenebrare; eoque plerumque pertingere, ut in amentiam præcipitet, quod intemperanter amantium crebra exempla pervincunt. Quo quidem ex capite ratio naturali lumini conſentanea promitur ad voluptatem contemnendam, & horrendam. Cum enim proprium hominis bonum ſit ratio ipſa, qua cæteris animantibus antecellit; G omnino aſſerendum eſt, & ſpernendam, & fugiendam eſſe voluptatem, quæ rationis uſum vel extinguit, vel extenuat. Cujus certè mali intemperantes homines inſcriptum quoddam geſtare videntur, quod à ſapientibus cernitur, tacitoque cum ſenſu legitur, nihil interea diſcernentibus iis, quorum mores in belluarum abſurditatem degenerant. Fiunt ſcilicet ſtupidi, hebetes, & ad omnem honeſti laudem impares, neque ratione jam utuntur, niſi ad conquirenda irritamenta volnptatis, qua pejus excæcantur.

§. III.

Voluptuoſi ad nihilum idonei.

HInc efficitur, ut qui voluptati indulgere noſcuntur, non inter Chriſtianos tantum, verum inter Ethnicos ipſos, ad Reipublicæ bonum minimè idonei exiſtimentur, H quippè qui nec honeſtum curare, neque dignoſcere poſſe videantur. Et meritò quidem: quid enim boni molientur, qui communia cum pecudibus oblectamenta honeſtati, & candori virtutum præferunt? Exploratum eſt, ejuſmodi homines neque litterarum ſtudiis, ne-

Scriptus An. 1612. neque armorum exercitiis, neque ulli præfecturæ aptos poſſe cenſeri: quin etiam & à viris bonis adeò haberi deſpectui, ut cum eis nullum affinitatis, nullum item amicitiæ genus contrahere velint. Tam exoſa honeſtis viris intemperantia eſt. Si ergo voluptas hominem ita deſpicabilem efficit; quis adeo deſipiat, ut vel habita exiſtima- A tionis propriæ ratione, turpia vel immoderata oblectamenta non averſetur?

§. IV.

QUod ſi intemperantes homines ſegniter moveat ratio hæc, qua conficitur, eos à bonorum virorum conſortio, infami quodam anathemate ſeparari; reſpondeantque, malle ſe ſuis frui voluptatibus, quam bonorum conſuetudine: conſiderent ſaltem, quam ſibi graviter noceant, dum vitæ adverſantur propriæ, quæ inter bona temporalia primo loco ponenda, & expetenda eſt. An non quotidianis liquet exemplis, homines bene firma corporis conſtitutione præditos, B & validos paucorum menſium voluptatibus Eorum mors deſcripta. conſeneſcere ac tabidos interire? Præcedunt acerrimi dolores, intolerabilis fœtor, & quædam æterni cruciatus mox ſucceſſuri prælibatio, quam vel ipſi conſanguinei deteſtantur, & horrent. Ergone credendum eſt. vitam ipſam ab iis, qui mentem humi defixam gerunt, adeò ſperni?

§. V.

REſpondebunt fortaſſe eam ſibi videri voluptatem, ut libenter vitam explendæ cupiditatis cauſa profundant, neque ferendum eſſe appetitus æſtuantis tormentum. Ceterum reſponſio hæc ab homine quoque ethnico futuræ vitæ prorſus ignaro, ſed rationis compote proferretur turpiter, ab homine C verò Chriſtiano futuri judicii conſcio, neque mente concipi poſſe videtur. Si enim infallibili fidei certitudine credit, ſe voluptati ſervientem, paulo poſt in tremendas inferorum flammas demergendum; quomodo brevi, fallaci, ſordida delectatione tam inſipienter ſe ſinit abſorberi? Si durum videtur, exultantem appetitum exiguo temporis intervallo compeſcere, quomodo ſupplicium illud tartareum ferre valebit? Profectò quò quis voluptatibus frequentius aſſueſcit, eo fit mollior cujuſvis modici laboris impatientior: quid ergo ſentiet, ubi à molli culcitra ad horrendum incendium pertrahetur?

§. VI.

D NImis denſa caligo voluptuariis hominibus offuſa eſt, qua obcæcati in ſtupiditatem quamdam inciderunt; quæ perexiguam ſalutis ſpem reliquiſſe videtur. Letargus eſt, è quo non evigilant, niſi acriter torqueantur. Proponitur eis extremi judicii formido, & rependenda oblectamentis mundi tormenta: & incredibili mentis obtuſione rident, appetituique effræni laxant habenas. Nimirum in profunditate abyſſi demerſi ſunt, & immenſis aquarum voluminibus obruuntur. Horum cauſam dum viri piiſſimi contemplantur, mœrore intimo tabeſcunt, quod neque monita ſalubria, neque Sanctorum exempla iis mortifero ſomno conſopitis prodeſſe E perſpiciant: fruſtra quippe eis ſuaderi videtur Chriſti imitatio, & quicquid caret eo genere voluptatis, quam ipſi impenſius amant.

§. VII.

AT ſi tam gravis eſt animi ægritudo, qua laborant; ut nihil ſibi ſuaderi patiantur, quod non ſit voluptatis ferax, cur medio verarum virtutum cultu ad meliores oblectationes non aſpirent? Certum eſt quippè meliora, & homine digniora gaudia è veris virtutibus, quam è pulchris corporibus, vel lautis menſis provenire: &, ut Chriſtiano ſenſu dicamus, omnino compertum eſt, mundi univerſi voluptates cum bonæ F conſcientiæ Dei juſtitiam colentis lætitia comparari non poſſe: quod divinus Vates locupletiſſimus teſtis, ſenſiſſe videtur, ubi dixit: *Juſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda:* Pſal. 18. 9. Quaſi planius in hunc modum effaretur: Mundi bona conficta, & cutanea cum ſint, cuti dumtaxat hærent; Dei vero juſtitia cum ſit verum bonum intus conceptum afficit cor, & viſcera puræ voluptatis amne perfundit. Etenim diſcrimen hoc externæ, internæque lætitiæ, præterquam quod à viris piiſſimis paſſim obſervatum eſt, efficaci aſtruitur ratione. Homo enim Chriſtianus, peccati conſcius, qui ſe ignis æterni reum firmiter credit, quomodo poſſit, vel inter choræas, & pocula ipſa interna lætitia perfrui? Quid veri, internique ſolatii ſubeſſe G queat, ubi ſceleſtus homo meminit, ſe Dei eſſe inimicum, & tremendæ ultioni ſubjacere? Omninò credendum, impios vera pace, lætitiaque carere, pios verò per argumenta contraria, gaudia vera percipere. Cur ergo mortales veram, intimam, puram Dei voluptatem, conſilio mutato non exquirant?

§. VIII.

DIcent fortaſſe, ſe non inficiari, quod aſſeritur, oblectamenta ſcilicet meliora è Dei juſtitia promanare: verum ea paucis contingere; rem dubiam eſſe, an, ſibi ea quoque ſors ſucceſſura ſit, mundi verò gaudia paſſim affluere, ſeque potiri, quoties H libet. Ceterum ſi ipſimet objectores rogentur, utra è duabus ſortibus felicior ſit, animum nempe Chriſtianis virtutibus excultum, licet voluptatis expertem gerere, an ſæculi hujus voluptates haurire, quid jam reſpondebunt? Quid prætexent? Sanè nihil ab eis reſponderi poteſt, niſi quod Catholica veritate ſubnixum eſt, melius ac bea-

Scriptus An. 1612.

Recenter converſi conſolatione affecti.

A

tius eſſe Chriſti virtutibus exornari, quam cœno voluptatis immergi. Si ergo id felicius eſt, cur id non ament, atque conentur? Quin etiam cur non ſperent, ſe neglectis mundi gaudiis, cœleſtia prælibaturos, cum id non adeo paucis accidat, ac ipſi contendunt? Profectò ii, qui ſacras audiunt confeſſiones, & norunt, & mirantur, quam ſæpè clementiſſimus Deus peccatores recenter converſos ineffabili conſolatione permulceat, ut provectorum Chriſti militum gaudia ſileam, quæ omnem mundi eloquentiam facilè vincunt, experientia certè convicti fatentur, Chriſti lætitiam, vel per unum horæ quadrantem ab anima piè affecta perceptam mundi totius ſolatiis per annos mille protenſis præferendam: cujus quidem veritatis aſſertores multos, non antiqua modò ætas, ſed tempeſtas quoque noſtra nacta eſt. Cur ergo ſolatia divina multis teſtibus aſſerta non avidiſſimè quæruntur ab iis, quos impotens voluptatis tenet deſiderium?

§. IX.

B

CEterum hominibus graviter affectis nimis adhuc videtur durum, occultarum delectationum rationibus cedere, & omittere, quæ ipſi liquido conſpiciunt, atque contrectant. Sed ſi, ut Chriſtianos decet agere velint, neutiquam eos movere debet rerum abditarum obſcuritas, ſi adſit certitudo: quid enim de fidei myſteriis reſpondebunt, quæ omnia ipſius fidei obſcuritate velut oppanſo velo, teguntur? An ideo non credenda, quia latent? Reſpondebunt, ſpiritualia hujus vitæ ſolatia non modò latere, verum incertum eſſe, an ſibi obventura ſint, tametſi piè vitam inſtituant: ſe vero parum urgeri ea ratione, quæ cum in commune accepta vera proculdubio ſit, ſingulis tamen viris piis dubitandi campum relinquit apertum: ſibi quoque non prodeſſe aliena gaudia, optareque ex pia ſemente, quæ cum lachrymis ſpargitur, certæ voluptatis ſegetem demetere.

C

§. X.

VErum, ſi certa oblectamenta requirunt, num exploratum non habent, omnes piè viventes, ſi perſeverent, æterna voluptate certiſſimè fruituros? Quam ergo nunc excuſationem obtendent, cum & ipſi omnes piè vivere, & perſeverare queant? An eis ſatis ampla merces ſatis cumulata gaudia non proponuntur, quæ ſitim explebunt? Hæc eſt reqnies illa, quæ humanarum oblectationum contemptoribus ſpondetur, quæ mortalis vitæ curſu fatigatis exitu lætiſſimo ſuccedit. Hæc requies, de qua Evangeliſta Joannes vocem ſuaviſſimam ſcripto conſignandam accepit in hæc verba: *Scribe. Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodò jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis*. Profectò verba hæc juſtorum auribus dulciſſimè inſonant, & ad ſubjugandas paſſiones, temperantiamque parandam acerrrimum calcar adſtringunt.

D

Apocal. 14. 13.

§. XI.

E

Job 14. 5.

AT voluptarii homines rationibus quantumvis validis vix excitati in ſomnum altum remerguntur, prolixaque eis ſterilitas videtur, per totius vitæ mortalis curſum voluptate carere. Ergone, ajunt illi, tamdiu à rebus jucundis abſtinendum eſt? Sed rogo, an vera eis videatur ſententia illa: *Breves dies hominis ſunt*. Rogo etiam, an quotidie non videant homines alios ipſis juniores morte improviſa defungi? Vident ſanè, timent, ac expalleſcunt. Quomodo ergo vitæ prolixitatem cauſantur? Certè homo quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra: qua ergo mente fuga hæc velociſſima, longa putetur?

§. XII.

F

DEmus tamen eis vitam ætati hominum, qui ante diluvium vixere parem, imo & longiorem, dummodo meminerint, conſtitutos eſſe à Deo terminos, qui præteriri non poſſint. Accedamus ergo ad terminos, & ſenectutis occaſum contemplemur, ponam uſque, vitam illam longævam voluptate mundi deſtitutam lectoribus præfigi, ut ea perlapſa, æterno ſolatio anteactus labor repenſetur. Nunc autem ſciſcitor, an bene cum fatigatis agatur, ſi pro ſempiterno, ſummoque bono vitam illam ærumnoſam, ſterilemque ducere jubeantur? Porrò liberaliter ſecum agi cenſere debent, ſi judicio præſtent. Quanto ergo liberalius agitur, & ſi pro breviſſima, quæ nunc decurrit, vita ærumnis, vix delibatis ad vitam beatiſſimam omnium bonorum aggregatione perfectam, feliciter defuncti tranſferantur? Utinam Chriſti veritati protervia humana concedat!

G

§. XIII.

Licitis voluptatibus parce fruendum, & cur?

SED lentus aliquis miles, ignavuſque ſuarum paſſionum domitor obiiciet, rationes huc uſque prolatas ſe libenter admittere, quæ illicitas voluptates oppugnant, ſibi tamen minimè obſtare, qui licitas captat: quocirca velle ſe iis omninò frui, quæ ſaluti animæ non officiunt. Profectò exceptio hæc, ſi cutem ſpectemus, alia: ſi affectum, & praxim, alia longe videbitur: qui enim licitas voluptates profert, nihil abſurdum ſe amplecti velle profitetur: at ſi uſus praxiſque exploretur, raro admodum reperietur, qui oblectamentis ex genere licitis ardenter deditus, pietatis, & rationis metas non tranſiliat. Cum impensè amet, quod delectat, velut in lubrico proclivique loco conſtitutus, facillimè prolabitur, & fœdatur. Licitus eſt vini potus: at quotuſquiſque eſt, qui inter pocula verſetur ſobrie? Porro quod ex genere licitum eſt, dum im-

H

Scriptus An. 1612. immoderatè accipitur, nocet, & quia turpe non geſtat inſcriptum, hærere ſinitur, donec animus quaſi temulentus ad vetitas voluptates licitis ſimiles præceps abripitur. Quomodo ergo viri Chriſtiani tot ſibi genere licita oblectamenta incredibili aviditate conquirunt, neque interim animadvertunt; ſe A ad illicita progreſſuros?

§. XIV.

Eccleſ. 2. 4. 5. 6.

PRofecto Salomon licitas primum voluptates exquiſiiſſe videtur, ubi ait: *Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas: feci hortos, & pomaria, & conſevi ea cuncti generis arboribus: & extruxi mihi piſcinas aquarum, ut irrigarem* v. 9. *ſylvam lignorum germinantium*. Et paulò poſt; *Feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, ſcyphos, & urceos in miniſterio ad vina fundenda*. Hæc Salomonis, qui tamen ex iis deliciis ad illicitas exemplo tremendo prolapſus eſt. Quis ergo ſibi blandiatur, ſecundoſque pietatis ſucceſſus B promittat, ubi cernit columnas ferreas commoveri, fundituſque corruere?

§. XV.

SAne monachi vitæ ſanctimonia eximii, qui ſæcularium hominum comparatione, tutiorem per viam incedunt, temperantiam ſtudioſiſſimè colunt, oculiſque, & auribus licitam delectationem interdicunt, ne ad illicitam ſenſim labantur, lætaque primordia triſti fine concludant. Quid ergo ſentiemus de auſu eorum, qui ſatis ſibi temperantes videntur, ſi obſcœnas tantum voluptates reſpuant, & quicquid alias commodum & voluptuoſum eſt, abſque ulla meta perquirant? Ubi Dei timor? Ubi impendentis peccati fuga? Ubi Tartari formido? Ubi C æternæ felicitatis amor? Præcaveat pius lector grande mortis æternæ malum, & ne ſe periculo certo committat. Licita voluptas illicitæ velut contigua eſt, & qui per licitæ campos excurrit, fomentum igni adiicit, quem gliſcentem extinguat. Sed qui ſcintillam non cohibet, quomodo incendium ſiſtet? Porro ſtultitiæ vertendum videtur, ſi quis ignem, quem ſub initium minimè coercuit, ferventem compeſcere cogitet, & poſtquam propriam domum abſumpſit, parietibus proximis, licet alienis, non adhæſurum confidat.

Licita voluptas illicitae proxima.

§. XVI.

BEati, qui propter Chriſtum ſibi vim af- D ferre decernunt, licitiſque oblectamentis certos fines præſcribunt, intra quos appetitum ferventem contineant. Mortalium voluptates ocyſſimè evaneſcunt, & infixum conſcientiæ ſtimulum relinquunt, quo nihil luctuoſius. Nulla vera conſtanſque lætitia, niſi quæ ſpe cœleſtis regni ſubnititur. Ferat ergo patienter lector præſentem mæſtitiam, quæ ex licitæ etiam voluptatis ſubtractione contrahitur & ad feliciſſima cœli gaudia conſtanter aſpiret.

APPENDIX.

QUÆ hucuſque conſului, communia ſunt univerſis, qui ſalutis viam feliciter E emenſi ſunt, vel emetiri conſtituunt. Debui tamen peculiare quippiam ſubtexere, quod Imperatoriæ Majeſtati, cui liber dicatur, propriè congrueret. Hoc non certè meis, ſed ipſis S. Auguſtini ſententiis, & verbis expreſſum ſubiicio.

Caput XXIIII. libri V. de Civitate Dei.

Quæ ſit Chriſtianorum Imperatorum, & quam vera felicitas.

NEque enim nos Chriſtianos quoſdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios F morte placida reliquerunt, vel hoſtes Reipublicæ domuerunt, vel inimicos cives adverſus ſe inſurgentes, & cavere, & opprimere potuerunt. Hæc enim, & alia vitæ hujus ærumnoſæ, vel munera, vel ſolatia, quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent iſti. Et hoc ipſius miſericordia factum eſt, ne ab illo iſta, qui in eum crederent, velut ſumma bona deſiderarent. Sed felices eos dicimus ſi juſtè imperant: ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium non extolluntur, ſed ſe homines eſſe meminerunt: ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum, Majeſtati ejus famulam faciunt: ſi Deum timent, diligunt, colunt: ſi plus amant illud regnum, ubi non timent G habere conſortes: ſi tardius, vindicant, facile ignoſcunt: ſi eandem vindictam pro neceſſitate regendæ Reipublicæ, non pro ſaturandis inimicitiarum odiis exerunt: ſi eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent: ſi quod aſperè coguntur plerumque decernere, miſericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compenſant: ſi luxuria tantò eis eſt caſtigatior, quantò poſſet eſſe liberior: ſi malunt cupiditatibus pravis, quam quibuslibet gentibus imperare. Etſi hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter charitatem felicitatis æternæ ſi pro ſuis peccatis humilitatis, & miſerationis & orationis ſacrificium Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales Chriſtianos Imperatores H dicimus eſſe felices: interim ſpe, poſtea re ipſa futuros, cum id quod expoſcimus, advenerit.

⁂

ARS VIVENDI SPIRITUALITER

IN QUINQUE PARTES DISTINCTA.

IN SEQUENS OPUS
MONITUM.

Huius Operis natura, & ratio a praeteritis non multum diſtat, niſi quod didaſcalico ſtilo ex propria Auctoris perſona, non Chriſti, aut Animae, perpetuo excurrat. Italice illud ſcripſit, in gratiam praeſertim Iohannae de Auria Columnae, piiſſimae Principis, cui librum dicavit; quem latine donarant noſtri Colonienſes Editores in prima Operum Collectione anni 1622. in qua tertio continebatur Tomo, quemadmodum & in altera ibidem editione anni 1650. a pag. 196. & ſeqq. in quibus tamen praeindicata Epiſtola Nuncupatoria deſiderabatur; quam nos proinde latine verſam, ne quid heic quoque deſit, ſubiicimus, ex eius Italico αὐτογράφου, quod una cum toto ἀρχετύπου MS. prae manibus habemus, nobis ex Romano Archivo humaniſſime commodatum. In eo legitur etiam ad priorem libelli paginam Ordinis Facultas pro Operis impreſſione data a Ven. P. Fr. Ferdinando a S. Maria, tunc Vicario Generali, ab eoque propria manu ſubſcripta, quae ſic ſe habet.

„ F. Ferdinandus a S. Maria Vicarius Generalis Congregationis
„ S. Eliae Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum, probo Artem hanc
„ ſpiritualiter vivendi, compoſitam a R. P. Fr. Ioanne a Ieſu Maria,
„ Procuratore Generali praedictae Congregationis noſtrae, ut typis mandetur, de licentia Reverendiſſ. D. Viceſg. & Reverendiſſ. P. Magiſtri
„ Sacri Palatii. Datum Romae ..... Iulii 1610. „

(In Impreſſo Romae habetur dies 21. Iulii.)

„ Fr. Ferdinandus a S. Maria „

Ex qua patet, Opus ab Auctore exaratum eodem illo anno 1610. Illud autem nihil aliud eſt, niſi praeclara Chriſtiani, ſpiritualiſve hominis inſtitutio, cuilibet ejus ſtatui aptiſſimis praeceptis accommodata.

ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISS. D. D.
JOHANNÆ DE AURIA COLUMNÆ,
MELPHIORUM PRINCIPI, TURRILIÆ, ET CASTRI S. STEPHANI
DOMINÆ, LUCANIÆ COMITI, &c.

FRATER JOHANNES A JESU MARIA S.

VETUS AUCTORIS NUNCUPATORIA EPISTOLA,

QUAE IN PRÆCEDENTIBUS CONLECTIONIBUS DESIDERABATUR
LATINE EX ITALICO NUNC PRIMUM REDDITA.

SÆpius mihi ſum occaſionem auſpicatus, meæ erga Excell. Tuam obſervantiæ labore quopiam ſignificandæ, ut quæ multa tibi debentur cum ab univerſa Familia noſtra, tum vero a me ſingulariter ratione aliqua perſolverem. Quamobrem Viri adeo devincti munus exiſtimavi, hunc ad vitam Spiritualem inſtituendam deſtinatum Librum Tibi conſecrare; id quod Excellentiæ Tuæ percarum fore puto. Quæ ut pie, & ſpiritaliter viveres Tibi tam ſerio conſtituiſti, ſupra Tuam ſæcularium bonorum Celſitudinem æternorum votis Ipſam Te erigens. Quod quidem, una cum cæteris bene multis, iiſque eximiis, quæ ne modeſtia Tua lædatur ſilentio prætereo, me cogeret, ut hoc idem Opus Tibi dicarem, etiamſi ad id me minime impellerent Tua, & Illuſtriſſ. atque Excellentiſs. Principis Conjugis Tui ſingularia prorſus beneficia, cujus perrarus amor, & liberalitas magnæ mihi admirationis eſt, & laudis, eo vel magis utriuſque egregie facta animo pendens meo, quo Veſtra inſignior, clariorve conditio eſt. Excipiat igitur Excellentia Tua quod obfero, non grati animi tantum officium, ſed velut quoddam etiam debitum juſtitiæ; iiſque ſpiritus præceptionibus bene utere, quæ propius ſtatus Tui magnitudinem decent: ut exemplo Tuo plerique alii efficaciter ad id ipſum pertrahantur ad majorem Divinæ Majeſtatis gloriam, quæ Te, ut opto, incolumen tueatur.

Excell. Tuæ

Servus in Domino
Fr. Johannes a Jeſu Maria.

SPES
ET
FIDES
CHARITAS

ARS VIVENDI SPIRITUALITER

IN QUA PRIMO DE REBUS OMNI STATU COMMUNIBUS,
DEINDE DE IIS QUÆ VARIIS STATIBUS PROPRIÆ
SUNT TRACTATUR.

PROLOGUS.

Scopus & intentio Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti in ſua cum hominibus converſatione, quando nimirum in terra illorum redimendorum ergo habitare dignatus eſt, alia non fuit, quam ut à terra corda ipſorum avelleret, & ad cælum eadem ſuſtolleret: ut ſcilicet per ſecundi Adami virtutes homines fierent cœleſtes, cum per culpam primi, redditi eſſent terreni. Tunc vero hocce Domini obtinetur intentum, cum homines ſunt ſpirituales: ita namque, juxta Apoſtolum, fiunt *homines cæleſtes*, ſuam in cœlis converſationem habentes, tametſi corpore in terra verſentur, quin etiam ipſa tandem corpora, quæ ſpiritualiter in terra vixere, & directa ſunt ad beatiſſimam ſpirituum beatorum in cœlo ſocietatem perveniunt. Ad hunc finem ipſe, alios Dei ſervos, qui varios ſcribunt, ad lectores Spirituales efficiendos, libros, imitatus, hunc deſtinavi libellum, quem Artem voco ſpiritualiter vivendi, quod per modum artis & inſtitutionis is compoſitus ac diſpoſitus ſit; per præcepta nimirum, ad pauca redacta capita, methodo adeo facili, ut haud difficulter & comprehendi, & ad uſum revocari queant. In quinque porro hunc partes diſtinxi: quarum quatuor primæ omni hominum ſtatui, ac conditioni communes ſunt, quinta vero variis hominum ſtatibus propria. Prima præcipua aliquot puncta complectitur, quibus lectores ad vivendum ſpiritualiter excitentur. Secunda docet, quænam in quolibet ſint ſtatu erga divinam majeſtatem facienda, ad vitam ſpiritualiter inſtituendam. Tertia ea proponit, quæ in unoquoque ſtatu ſecum facere debet is, qui vivere ſpirituali modo deſiderat. Quarta, quidnam cum proximo ei faciendum incumbat. Quinta, è præcipuis quibusdam conſtat monitis, quæ variis ſtatibus ſint propria; atque hæc Lector, pro varietate ſtatus ac vitæ genere quod ſuſcepit, cum communibus Artis hujus præceptis debet conjungere; ut hoc pacto propriis tum ſtatus ſui obligationibus, ac partibus, tum vero vitæ ſpiritualis perfectioni ſatisfaciat. Divinam ipſe Majeſtatem etiam atque etiam ſupplex rogo, ut lectores ſimul illuminet, atque inflammet, quò vitæ ſpiritualis & honeſtatem, & opulentiam, & excellentiam cognoſcant, deinde eamdem ſeriò colere incipiant, multa ſibi & merita, & ingens gratiæ gloriæque augmentum acquirendo.

J B Jackſon in.

VENERABILIS
P. FR. JOHANNIS
A JESU-MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI CALAGURITANI

ARS VIVENDI SPIRITUALITER.

PARS PRIMA

QUÆ PRIMARIA ALIQUOT COMPREHENDIT PUNCTA, QUIBUS LECTORES AD VIVENDUM SPIRITUALITER EXCITENTUR.

CAPUT I.

Quam parvi à mundanis vita ſpiritualis æſtimetur.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat. A NON ſine ratione de filiis ſæculi hujus, id eſt mundanis, qui omnem ſpem ſuam in tranſitoriis vitæ præſentis bonis collocarunt, dixit Chriſtus Dominus, *Filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt*: (Lucæ 12. 8.) perinde ac ſi diceret, prudentiores ſunt filiis Dei, qui & vera & æterna lux eſt. Graviſſima hæc ſententia eſt, eam tamen veram eſſe, omnino fateamur neceſſe eſt, cum ipſiuſmet Veritatis verba ſint. Si cui B verò durum videatur, peccatores ſuis in rebus prudentiores æſtimari, quam juſtos in ſuis, is, obſecro, horum & illorum ſtatum pauliſper conſideret, & horrendæ hujus ſententiæ ore Salvatoris prolatæ & veritatem, & ſenſum manu quodammodo tanget. Principum terræ aulas ſubeat, & quæ in iiſdem paſſim dicantur auſcultet; quomodo nimirum ut raræ cujuſdam prudentiæ viri habeantur ii, qui per vana & profana ſua molimina exquiſitas quaſdam excogitare norunt rationes & modos ad quodcumque volunt exequendum, & procerum magnatumque animos certis quibuſdam ſolertiæ humanæ artificiis, quibus ſtuporem omnibus movent, in partes ſuas quomodolibet C pertrahendos. Hos pluris aliis nemo non facit, & admiratur; atque hi vulgo dici ſolent digni, quibus regni cujuſdam gubernacula committantur, & fæliciter, quodcumque aggreſſi fuerint, ad exitum perducturi. Si porro ſcire Lector velit quamnam demum magnitudinem per raras adeò & artificioſas induſtrias ſibi aulici hi comparent, comperiet hos, poſt tanta molimina, ac ſudores, non niſi palatium quoddam, D vel vineam, vel mediocre aliquod annuum vectigal, aut paululum inanis honoris, vel demum terrenam aliquam conſolationem conſequi: quæ profectò indigna ſunt, quæ

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

aliquo in numero habeantur, quin potius contemni digna, & quæ in Dei oculis prorſus ſordent, ſi cum æternis bonis, quæ unicum & pretioſiſſimum hominis Chriſtiani ſunt votum, conferantur. Hinc extrema mundanorum colligitur cæcitas, qui cum æternis inhiare deberent bonis, mira quadam aviditate in præmiolum, aut A mercedulam, quæ tamen tantæ prudentiæ quam adhibent, & vafris artibus, quibus ſe miſere cruciant, minimè reſpondet, continuo ſe defatigantes inhiant. Adeo ut, ſi induſtriæ ipſæ cum bonorum tranſitoriorum, quæ harum adminiculo acquiruntur, conquæſtu comparentur, minimè dubitandum ſit, quin majores ſint labores, artificia, & inventiones, quam ea, quæ harum ope obtinent bona: nec erit ullus, ſi modò ſapiat, qui non fateatur, (cum ipſamet res adeò ſit evidens) non tanta debere contentione, tantiſque artibus & induſtriis humanis, bona corruptibilia, tamque vilia, & quæri, & comparari. Si igitur in rerum caducarum adeptione, vitæ hujus mortalis amatores, ad prævidendum ea, quæ ad vana ſua molimina aliquatenus conferre queant, B & ad modos eorumdem exequendorum adinveniendos adeo providi ſint, circumſpecti & cauti; ſequitur in ſua eos generatione prudentes eſſe, cum prudentia in eo ſita ſit, ut invenire quis norit media ac rationes ejus, quem ſpectat finis, efficaciter conſequendi. Inde etiam conſequitur, prudentiores quoque illos eſſe in generatione ſua, quam ſint in ſua filii lucis. Certiſſimum eſt namque (ſi ſingulares aliquot Dei amicos excipiamus) bonos illos Chriſtianos, quos probabiliter credimus in ſtatu gratiæ eſſe, ac divinæ lucis conſortes; non tantum ut plurimum ad æternorum bonorum acquiſitionem diligentiam, ſtudium, & artem adhibere, quantam in terrenis comparandis mundani; ſed lentè adeo, ac tepidè eos C procedere, ut cum ſollicitudine & diligentia eorum qui mundana conſectantur, ne conferri quidem labor horum mereatur; cum tamen, ſi omnis mundi prudentia ac contentio in æternæ vitæ bonis conquirendis impenderetur, leviſſimum quid eſſent propter æternæ retributionis pondus, & tribulationes omnes velut nihilum quid eſſent propter cœleſtium conſolationum magnitudinem. Declaravit id olim hiſce verbis Apoſtolus: *Mcmentaneum & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur*: adeò ut momentaneo opponat æternum, & levi pondus; ut hoc pacto æternæ retributionis abundantiam, & exiguum, qui pro eadem labor aſſumitur, manifeſtet. Siſtat hic pau- D liſper Lector, mihique petenti reſpondeat. Unde fit, ut filii hujus ſæculi prudentiores ſint Filiis Dei? Forſanne ampliorem opulentioremque hæreditatem mundani, quam ſervi Dei exſpectant? An habere forſan bona poſſunt, quæ cordis ipſorum in terra capacitatem adimpleant? Quanta porro hæc cæcitas eſt! Fateri ſanè debent, non ſolum juſti tepidi, verum etiam Catholici peccatores, veram quam habent fidem, ſibi dicere & manifeſtè convincere, numquam ipſos eorum quæ quæritant bonorum poſſeſſione ſaturandos. Cur igitur vero & æterno comparando bono, pari ſaltem prudentia ac ſollicitudine non ſtudent, quali peccatores ad phantaſtica, & imaginaria & fugacia vitæ hujus bona anheli inhiant? E Jam tempus eſt oculos aperiendi, & de vera vita ex animo agendi: hacque de cauſa par eſſet, & ut quemlibet Chriſtianum omnium jam præteritorum pœniteret, & veram deinceps exercere prudentiam inciperet, quæ in modis ſpiritualibus, & inventionibus ſanctis, ad ſollicitè negotiandum beatum vitæ Chriſtianæ finem eumque aſſequendum, & vera animæ quiete, quam præparavit Dominus iis, qui ex omnibus viribus ſuis eum diligunt gaudendum, adinveniendis conſiſtit.

Filii hujus ſaeculi prudentiores filiis lucis.

2. Cor. 4. 17.

CAPUT II.

Quibus ſe modis mundani excuſent, quo minus vitæ ſpiritualis ſtudio ſe dedant. F

AD duo potiſſimum capita revocari poſſunt quæcumque mundani ac tepidi Chriſtiani afferunt, ad excuſandum ſe, quo minus ſpiritualiter vivere debeant. Primum eſt, ſiniſtra quædam vitæ ſpiritualis interpretatio; Alterum, quædam, quam fingunt vitæ ſpiritualis cum ſtatu ſuo, innumeris occupationibus ac negotiis ſæcularibus diſtracto, incompatibilitas ac diſſimilitudo. Quo ad primum, ſe excuſant dicentes, non omnium eſſe ſpiritualiter vivere, ſed aliquorum dumtaxat recollectorum, quales eſſe ajunt Religioſos, & paucos aliquot ſæculares, qui ſibi ſolis vacant, & proprio motu ac propenſione, quibuſdam pietatis operibus incumbunt. Sed quis, tametſi alioquin G non multum in ſpiritu illuminatus ſit, eorum errorem non videat, utpote qui adeo ſtupidus & palpabilis eſt, ut intolerabilem quamdam deformitatem, capitalem nominis & profeſſionis Chriſtiani inimicam, evidenter contineat? Vita ſanè, quam Chriſtus Dominus & Apoſtoli docuere, ſpiritualis erat, nec non carni, & ſanguini, legibus mundi, & inordinatis veteris Adami appetitibus repugnans; neve cum illis, quas *inimici crucis Chriſti* allegant, exceptionibus, gentibus fuit prædicata; quin potius univerſalis quædam omnibus hominibus legislatio fuit & inſtructio: omnes ſiquidem ſpiritu Dei opus habent, cum variæ in Eccleſia ſint profeſſiones, majoris hæc, quam illa ſpiritus: Univerſalem hanc pro omnibus ſimul ſententiam H Apoſtolus protulit: *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Quo loco notandum, *facta carnis* ab Apoſtolo vocari, non modo appetitus parum caſtos, & obſcœnos, ſed omnem etiam inordinatum partis inferioris appetitum, puta avaritiæ, acediæ,

Vana hominum excuſatio.

Phil. 3. 18.

Variae profeſſiones in Eccleſia.

Rom. 8. 13.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

diæ, ambitionis, ac ſimilium, quod omnes illi carni ſint conformes, & mortificandi ſint ab iis, qui vivere ſpiritualiter voluerint. Adeo ut quicunque ſalutem conſequi æternam vult, ſpiritualiter hunc juxta ſtatum ſuum vivere, & vitæ Domini noſtri Jeſu Chriſti ſuam conformare neceſſe ſit, ubi nullum ſtatum excipio, ne quidem mercatorum, A negotiis quam maximè obrutorum. Nec vero hanc à me veritatem pluribus probari opus eſt, cum infra ſatis ea oſtendatur, ubi ſcilicet ſpirituales proferuntur modi, quibus ii uti debent, qui hoc ſe modo excuſant.

Vana hominum excuſatio.

Quoad ſecundum vero caput, id eſt, ordinariam illam virorum gravium excuſationem, qui negotiorum ſuorum producentes multitudinem, nimis quam liberè dicunt. haud poſſe ſe vitæ ſpirituali vacare; velim hi mihi dicerent, quanam in re potiſſimum hæcce impoſſibilitas conſiſtat; num ſcilicet in ipſa negotiorum qualitate, an vero multitudine ſita ſit? Si enim in illorum qualitate hæc conſiſtat, quod nimirum ſpiritu B Dei ex diametro repugnent, modo ſuam ipſi ſalutem tanti, quanti oporteret, facerent, (præſuppoſito à nemine ad hoc genus negotiorum tractandum eos cogi) prorſus eiſdem abſtinere deberent, nam qualecumque demum ſit lucrum aut quæſtus; ſi cum ſpiritus detrimento id conſiſtat, adeo non compendioſum eſt, ut potius infeliciſſimum ſit ac damnoſiſſimum? Si autem impoſſibilitas hæc aut, difficultas in negotiorum ſita ſit multitudine, cur non quoad hoc aliquem terrenis deſideriis terminum ac modum præfigunt, cum verè id & realiter facere queant? Hos ergo negotiis adeo implicatos & præpeditos rogatos ipſe velim, cur hoc negotiorum pelagus tam profundè ſe immergant, in quo tot tantique C ſummum adire diſcrimen ſolent, ac tandem miſerè pereunt? Quid? grave eos non videre diſpendium, quod ſuæmetipſi inferunt conſcientiæ, dum terrenis ea rebus adeo inquinant & involvunt? An non vident, per hæc ſe negotia à lucro, honoribus, commodis, quæ negotioſis hiſce occupationibus quæritant, vi quadam attrahi, itaque cor hiſce adhæreſcere, & illicitis appetitibus etiam in iis, quæ licita alioquin ſunt, inquinari? Quam divinè porro D. Bernardus: *Limoſa ſiquidem & glutinoſa nimis non modo exterior, verum etiam interior ſubſtantia noſtra videtur: & facile cor humanum omnibus quæ frequentat adhæret.* Quod quotidina probatur experientia: multos quippe videmus, qui cum ſuam ſtudiis ac pietatis exercitiis juventutem impenderunt, mox D ut comparata jam ſcientia, & ad dignitatem evecti negotia tractare incipiunt, perſæpe ambitioni, avaritiæ, aliiſque vitiis ad ſtuporem uſque ſeſe dedunt, & ſancta bonaque principia infortunato gravium peccatorum in negotiorum alias ex ſeſe licitorum tractatione propter inordinatas & effrænes paſſiones committi ſolitorum, fine concludunt, & in infelici hoc ſtatu moriuntur. Circumſpecti itaque & cauti ſint oportet illi, qui ſalvari volunt, neve ut glorioſum, & ut quandam excellentiæ ſpeciem habeant, multis implicari negotiis, ſed potius eadem bene cum ſpiritu ac timore Dei pertractare. Atque hoc modo poterunt de ſalutis ſuæ negotio, quod graviſſimum eſt, agere, idque ſine excuſationibus, quæ E viris gravibus ac prudentibus indignæ ſunt; ſibique ab ira Dei caveant, qua verbis hiſce cordis duritiem teſtantibus, *Non poſſum non poſſum, quia varia mihi agenda ſunt*, provocant. Reſpondeant hi: num, ſi hodie viginti negotia præ manibus habeant, & poſtea unum adhuc ad illa accedat, quod vel mediocris ſit quæſtus, ſeſe ab illo excuſaturi ſint, dicendo, *Non poſſum?* Certè, ſi juxta conſcientiæ dictamen, & prout animati ſunt, reſponſuri ſint, dicent, quod non ita ſint reſponſuri, ſed quam libentiſſime illud inſuper, ob mediocre illud lucellum temporale, accepturi, & his omnibus commodè pertractandis ſibi tempus F ſuppetere. Quare igitur ſe excuſant, quando à Dei ſervis commonentur, ut quotidie aliquantulum temporis rebus ad animæ ſalutem ſpectantibus recogitandis, iiſque Chriſto communicandis, impendant? Fieri ne poteſt, omnibus aliis rebus ſemper tempus ſuppetere, ac ſolum id deeſſe cum de animæ ſalute ex merito & prout oportet, agendum eſt? Quid hac de re dicam, neſcio, quam mundanos data opera, & volentes divinæ luci oculos occludere, & eas in quibus vivunt tenebras diligere, nulla vel conſilia, vel adverſus tam periculoſos morbos remedia admittere volentes. Non reſpondebo, hoc loco ingratis illis Chriſtianis, qui ideo à vitæ ſpiritualis ſtudio ſeſe excuſant, quod non oporteat tam exactè ſtudioſeque illud agere, quod ad G ſalutem adipiſcendam neceſſarium non eſt: ac ſufficere, ſi fiat id quod neceſſarium eſt. Hos ipſe rogo: num tria illis, vel quatuor, aut etiam plura, quæ poſſident, aureorum millia, quotannis recipienda ſufficiant, ut juxta ſtatum ſuum ſufficienter vivant? Dicent, (quod id evidentiſſimum ſit) ſufficere hæc; & tum ſibi, tum ſuis majorem, amplioremque cenſum verè neceſſarium non eſſe, ob exiguum illud, quod ſperant ſpatium vitæ. Porrò, ſi hæc ita ſe habeant; cur quotidie tam avidè plures ac plures divitas conquirunt? Si illarum, quas jam poſſident, ſufficientia ad liquidum ipſis oſtendit, hanc magis diteſcendi ſollicitudinem ac curam minimè neceſſariam eſſe; cur non conquieſcunt? Si verò ad hancce rationem etiam ipſa in plurimis viris prudentibus, qui quò H morti viciniores ſunt, eò opibus adaugendis, ac cenſibus multiplicandis magis inſtant ætatis accedat circumſtantia, quis adeo futurus eſt cæcus, qui non videat, mundanis quo ad bona temporalia minimè ſatis eſſe id quod ſufficit, ſed inſatiabili quodam deſiderio id eos etiam concupiſcere, quod ſuperfluum eſt? Cur igitur cenſores hi minorem in ſolis divitiis æternis, quæ per vitam ſpiri-

tua-

Serm. ſuper. Ecce nos reliquimus.

Circumſpectio præcepta.

Humana cupiditas deſcripta.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat. tualem acquiruntur habere hæreditatem volunt, & aliquam eos tædet adhibere diligentiam, ut in ſempiternum magis locupletentur? Quam bene igitur prædixit Jerem. 12. 11. Propheta, *Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt qui recogitet corde quæ Dei ſunt!* Quibus in verbis notandum eſt ly *recogitet*, id eſt, iterum atque iterum revolvat; A ſunt enim hæc tanti momenti ac ponderis, ut ea neceſſe ſit & cogitare & recogitare, quò ea pro merito æſtimemus, & ad eadem generosè perſeveranterque exequenda commoveamur. Rebus itaque ſuis Lector ſeriò conſulat, & videbit, quanti referat ſpiritualiter vivere, & non in ſolis iis, quæ abſolutè ad ſalutem neceſſaria ſunt, conſiſtere.

CAPUT III.

Quam pauci ſalventur, quod rationum parum ſpiritualium dictamen conſequantur.

EX Evangelica doctrina certum eſt, quam pauciſſimos eſſe qui ſalventur. Neque verò ad hanc veritatem probandam figuras B veteris Teſtamenti, vel alias rationes, quæ diverſimodè queant exponi, afferre me neceſſe Matt. 7. 14. eſt. Ipſa ſiquidem Dei Veritas ait, *Arcta eſt via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam.* De via vero, quæ ad perditionem damnationemque conducit, non v. 13. multò ante, eodem in loco planè contrarium aſſeverat. Hæc porro Chriſti Domini aſſertio tantæ auctoritatis & ponderis eſt, nullum ut Chriſtianum dari poſſe putem, qui illi queat refragari: ſimul etiam adeò horrendæ, ut vel valentiſſimis quibuſque terrorem incutiat, eoſque circumſpectos admodum ac diligentes reddat in ſalute ſua in tuto collocanda. Nec ſanè immeritò: ſi enim Catholica quadam certitudine certum eſt, in C univerſali re omnibus ad obtinendum propoſita hominibus, quam pauciſſimos ad eamdem pertingere; quis prudens non ſummæ cujuſdam ſapientiæ conſilium eſſe dicat, extraordinario quodam modo conniti, ut de beato Pauci electi. illo paucorum numero, qui tantam acquirunt victoriam, ſimus? Nec vero dubitandum eſt, quin juſtorum prudentiæ proprium ſit, magna quadam conſtantia contendere per anguſtam illam portam intrare, per quam tauri pingues, qui in terrenis commoditatibus ac deliciis enutriuntur, pertranſire nequeunt. Hac de cauſa dixit Redemptor noſter Jeſus, Luc. 13. 24. *Contendite intrare per anguſtam portam.* Circa quæ verba notandum eſt, tum hæc à Domino dicta eſſe, cum petenti à ſe, *Domine,* Ibid. 23. *ſi pauci ſunt qui ſalvantur?* reſpondit. Si quando in Principum terræ aulis D ſpectaculum aliquod vel ſolemnitas feſtiva repræſentanda eſt, tanta undequaque nobiles & proceres contentione, quò ei præſentes interſint, concurrunt, ut ſæpenumero in ipſo loco, in quo ſpectaculum exhibendum eſt, per portam acceſſu maxima connitendum vi ſit, & ipſæ etiam veſtes interdum lacerentur. Eodem ſanè modo agunt juſti, quos regni Dei dicere nobiles poſſumus, dum ſuum in his viæ contentionibus, & anguſta vitæ porta malè accipiunt corpus, ipſum dilacerant, ſpiritualioreſque fiunt, ut hoc pacto attenuati, ac facti ſubtiliores, per illas juſtitiæ anguſtias tranſire, & in ſpatioſam illam viventium terram, in qua ſine fine requieſcent, penetrare queant. E contra Chriſtiani parum E ſpirituales, qui ſuum reſpicere finem nolunt, & non prout oportet, divinæ juſtitiæ gladium perhorreſcunt; hi ſibi ipſis certis quibuſdam verborum Dominicorum interpretationibus ad commodum ſuum detortis perniciem creant. Taceo hic infideles, etiam quacumque infidelitate laborantes: necnon Chriſtianos peccatis aſſuetos, qui una cum illis numeroſiſſima quædam dæmonum ſunt præda, quos vel nuda rei cogitatio percellit & contremiſcere facit. Prætereo adhæc paucos illos Dei ſervos, qui ſpiritualiter vivunt, & revera de vita æterna anxiè ſolliciti ſunt. Sed de eo hic loquar, quod communiter, aut potius ordinariè Chriſtiani illi faciunt, qui quidem licentiosè audacterque in peccatum non ruunt, ut tamen ſpiritualiter omnino F vivant, in animum non poſſunt inducere; ſed hærent in medio, cum magno per ſuam neutralitatem aut teporem pereundi periculo: qui de vita ſpirituali loquentes non ferunt, ſeque ipſos decipiunt, dicentes ſufficere ſi vel intendant & ſtudeant iis, quæ præciſè abſoluteque neceſſaria ſunt. Hominum error. Qua in re quoad praxin graviſſimè errant. Nam licet verum ſit, ſatis eſſe, ſi vel neceſſaria fiant, non minus tamen verum eſt, eos, qui ſolum id quod neceſſarium eſt ſpectant, ut plurimum etiam rebus, quæ præcepti ſunt & obligationis, (quemadmodum è frequenti colligere experientia eſt) ſæpiſſimè deeſſe. Nam profectò, qui in curia Eccleſiaſtica, prælaturæ cuidam inhiat, non eas ſolum præciſè facit G diligentias, quæ ad hanc dignitatem neceſſariæ ſunt, ſed etiam multò majores; utpote qui ut certiſſimum norit, ſe quod mediocrem habeat dignitatem, neceſſariò magis contendere & eniti debere, pro magnitudine dignitatis ad quam aſpirat, & ſi ea officia tantum faciat & labores qui dignitati, quam quærit, proportionati ſunt, vix ejus ſe compotem futurum, quinimmo potius ad gradum inferiorem aliquem detrudendum. Quotidianis id ſummorum virorum exemplis queat confirmari. In rebus verò ſpiritualibus certiſſimum eſt, Religioſos, qui ſolum rebus ad profeſſionem ſuam neceſſariis faciendis ſtudent, etiam ſæpè ne ad illas quidem pertingere: quin etiam tum à doctrina, tum exemplis ſanctorum norunt, ut quis quæ de neceſſitate ſunt, rite peragat, hunc ad ſupererogatorium reſpicere debere, ut, cum H in viæ Dei progreſſu fervor ille & animoſitas, cum qua incepit deferbuerit, (poſito quod per humanam fragilitatem bene inceptorum pars aliqua omittatur) intermittat quæ ſupererogationis ſunt, & ſaltem in iis quæ obligationis & præcepti ſunt, permaneat, itaque ſalvetur. Si porro tam in tem-

po-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

porali quam ſpirituali ambitu prætenſioneque is qui ſapit, extraordinaria quædam facit, dum interim & ordinaria obſervat, quin etiam plus quam neceſſe ſit facit; quod ſic illi prudentiæ, quæ viro prudenti digna ſit, regula videatur exigere, quid de illis dicemus Chriſtianis, qui cum æternæ vitæ dignitatis & conſolationis candidati, & ſtudioſi
A haheri volunt, vix tamen & ægrè admodum ac faſtidiosè faciunt ea, quæ præcepti ſunt?
Timoratorum dubium Si verò ut exploratum & indubitatum habeamus, numerum illorum quibus ſaltem aliqua ſalutis ſit cura, faciendo & exequendo ea quæ neceſſaria ſunt, exiguum admodum eſſe, & de illis maximè dubitari poſſit, num verè & realiter faciant ea quæ præcepti ſunt; & in iis perſeveraturi ſint, uti allegatæ ante rationes oſtendunt, quid de electorum numero dicemus? Hoc ipſos Dei ſervos mirè torquet & affligit, dum ipſum profundè intimeque recogitant: rationes ſiquidem illis cur dubitent occurrunt efficaciſſimæ, & quidem magis quam credant illi, qui ſolum de neceſſariis agendis ſolliciti ſunt. Ut verò breviter aliquot harum rationum tangamus,
B quid de illa lector parcitate ac tenacitate dicet, in non aliter divinæ majeſtati reſpondendo, quam dumtaxat faciendis illis ad quæ neceſſario tenentur? quis ille affectus & amor eſt? quæ ex hominibus illis accipi conſolatio poteſt, qui ut Deo ſuo & omni bono ſuo ſerviant, non intuentur, num ipſa Domini majeſtati res placeat, ſed an in rigore ad ipſam teneantur, ita ut ſi eam non exequantur, perpetuis omiſſionem ejus pœnis luituri ſint? quiſnam, obſecro, ille procedendi modus adeò ſua commoda ſpectans? Negari ſanè non poteſt, quin parum ille ſit erga Dominum affectus. Et hoc principio poſito, paucula bona illa, quæ hi agunt opera paucam illi conſolationem adferunt. Accedit & ad hanc alia quædam ratio, quod cum qui hujuſmodi
C ſunt ſincerè dicunt quod propria ipſis dictat conſcientia, apertè confitentur, aliud ſe quam terram non quærere, id eſt, honores divitias, voluptates terrenas, conſanguineos filios, &c. Porrò quonam credamus modo illos in cælo libro vitæ inſcriptos eſſe, quorum amor omnis in terra defixus eſt? Unde de illis quam maximè metuere oportet: atque hinc colligere eſt, paucos admodum Chriſtianos eſſe, qui ita mente compoſiti, & erga divinam majeſtatem affecti ſint, quos prudenter dijudicare poſſimus de electorum numero eſſe. Dilatavit itaque infernus ſinum ſuum, atque innumeræ in ipſum animè tum infidelium, tum perverſorum Chriſtianorum deturbantur. Beati pauculi illi, qui per arctam ita gradiuntur vitam, ut ſine reſtrictio-
D ne ulla, nec parcè faciant quidquid poſſunt, ut Domino Deo ſuo ſerviant. Neque enim ſine cauſa ſcripta horrenda illa ſententia eſt, *Juſtus vix ſalvabitur*. Ceterum
1. Petr. 4. 18. qui aures habet, audiat, & tali ſpiritu ac juſtitia vivat, ut certam firmamque ſalutis ſuæ ſpem habere poſſit.

CAPUT IV.

Omnes, quos certò conſtat ſalvatos eſſe, ſpiritualiter vixerunt.

PRincipio hoc admonendum, de adultis nos hic agere, qui nimirum cum acce-
E pta cœlitus gratia cooperando ſalutem conſequuntur, ut parvulos & pueros excipiamus, qui ſine ullo opere proprio, per ſolam baptiſmi gratiam, ſalutis participes redduntur. Ceterum ut de adultis omnibus
Ecclesia a Spiritu Sancto gubernata. loquamur; certum eſt, Eccleſiam à S. Spiritu gubernatam, non quidem de æterna omnium illorum ſalute certos nos reddere, ſed de illorum duntaxat, qui ſpiritualiter inprimis ſuam vitam traduxerunt: adeo ut quivis Chriſtianus interrogatus, certone ſciat illos, aut hos Dei ſervos ſalutem adeptos eſſe? reſpondere debeat, ſe indubitabili quadam certitudine non ſcire, an hi, illive in particulari ſalvati ſint, ſed illos dumtaxat, quos in Sanctorum Catalogum Eccleſia refert, & honore Sanctorum colendos proponit; tametſi
F alioquin conſtet, etiam alios plurimos ſalute donatos eſſe præter eos qui illo Catalogo continentur. Hæc doctrina validiſſimum quoddam eſt argumentum, quo ad ſpiritualiter admodum magnaque animi puritate vitam inſtituendam moveri lectores deberent. Quis enim prudens, cui iter quoddam faciendum eſt, in quo de temporalis vitæ jactura agitur, propoſitis ſibi variis ad id peragendum viis, viam eliget dubiam, quam neſcit, an qui viatores ingrediantur, feliciter ad finem optatum ac metam perducat? & data opera aliam certiorem negliget, à qua ad locum deſignatum viatorem ſecurè deduci certò novit? Neminem fore arbitror, ſi vel aliquam prudentiæ micam habeat, quin periculoſam adeò ſe viam eligere nol-
G le dicturus ſit, præſertim cum ſecuriorem certioremque tum ſibi, tum etiam equis, quibus in via utitur, ad manum habeat. Quid autem de tot hominum dicemus imprudentia, qui cognito vitam ſpiritualem, ſibi à Spiritu Sancto veluti viam ſecuram, & rectà ad vitam æternam deducentem, in Sanctorum canonizatione proponi, imitari ac ſequi nolunt eos, qui huic inſiſtentes viæ ſine dubio ad civitatem Dei pervenere; & illorum adinſtar vivunt, de quorum ſalute maximè dubii ſumus? Quicunque ſapit ac prudens eſt, cum ſibi duæ ad navigandum proponuntur naves, ambæ jam ad iter inſtructæ quarum quidem altera periculum eſt, ac dubium, ne pereat, ac rectores omnes; de altera verò morali quadam certitudine, aut
H maxima probabilitate certus eſt, ſecurè in portum ipſam invehendam; ſecuriorem navem eliget. Unde etiam neſcio, cur tot magni in terra viri vitam ſpiritualem tantopere exhorreant, cum certò norint, illam quam agunt vitam ceu navim quandam vitiatam ac parum tutam eſſe; vitam verò ſpiritualem, quam inſtituere poſſent, quaſi

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

navigium, quod ſpiritus divini accedente flabro, ad ſalutis ſempiternæ ipſos portum conduceret. In quo graviſſimè errant, quod fictæ mendacique vitæ præſentis, quam ſummopere diligunt, dulcedine ſeſe ineſcari, allicique ſinant. Viros quidem laudant A ſpirituales, illorum verbis tenerrimè afficiuntur, & dolent, vitæque illius excellentiam honeſtatemque deprædicant, ſed quid teneritudo hæc proſit, aut hæc bene agendi velleitas? Aliquam quidem Herodes è ſpiritualiſſima S. Joannis Baptiſtæ vita commotionem ſenſit; aliquantulum etiam Pharao è laudabili Moſis converſatione commotus eſt; verum quid hic illis ſenſus profuit, cum Spiritui Dei reſtiterint, & ambo infernalibus mancipati ardeant incendiis? Cogitet ſecum ſeriò Lector, quid faciat, & quid facere proponat; quam poteſt maximè, divina juvante gratia, ſalutem ſuam certam ac tutam reddat, & quam poteſt feſtinantiſſimè ad æternæ vitæ quietem evolet.

Herodis & Pharaonis exemplum.

B

CAPUT V.

Quid ſit ſpiritualiter vivere?

MUlti in vitæ ſpiritualis cognitione errant, dum ſibi ea animo fingunt, quæ nec ſolidi quid, nec veri habent. Sunt quippe nonnulli, qui idcirco ſe ſpirituales credunt, quod multum Pſalmis, Roſariis, aliiſque pietatis exercitiis, temporis impendant: & quo hiſce exercitiis plus temporis dant, eo magis ſe ſpirituales credunt, ac ſublimius de ſe ſentiunt. Alii tota animi contencione & viribus, in carne jejuniis, vigiliis, catenis, ciliciis & aliis id genus rebus atterenda incumbunt, atque interim attentionis ac pietatis nullam aut, parvam admodum rationem habent: & eò ſeſe excellentiores credunt, quò corpus magis atC terunt atque affligunt. Primi orationi intendunt ſine mortificatione; & ſecundi mortificationi ſine oratione. Hancque ob cauſam neque hi, neque illi verè ſpirituales ſunt, ac veris ſunt virtutibus, quæ irrefragabile vitæ ſpiritualis teſtimonium ſunt, deſtituti. Si enim verè vita ſpiritualis eſſet, in ea humilitas, manſuetudo, obedientia, aliæque virtutes, & opera bona eluceſcere deberent. Vita igitur ſpiritualis ita ex ratione ſimul, & mortificatione componenda eſt, ut hæc exercitia ad vitia exſtirpanda, virtutes menti inſerendas, aliaque bona opera ex animo ſerioque dirigantur; omnia hæc ad amorem Dei, & proximi, qui dictorum mediorum finis eſt dirigendo. Hinc qui vitam ſpiritualem definire ac deſcribere voluerit, ſic eam definire poſſit: Eſt apta quædam D actuum orationis ſimul & mortificationis compoſitio ac continuatio, qua motus homo & vitiis evellendis, & virtutibus comparandis, & bonis operibus inſiſtit, ut per hæc tandem Deo ſeſe uniat, eum ſuper omnia, & proximum ſicut ſeipſum, quemadmodum id divina caritas poſtulat, diligendo.

Vita ſpiritualis ex otione, & mortificatione coaleſcit.

Eius allata definitio.

Ex hac definitione ac deſcriptione facilè videre eſt, quam ſint in hac vita pauci ſpirituales: cum certiſſimum ſit, quam pauciſſimos eſſe, qui orationis ac mortificationis, prout oportet, exercitiis inſiſtant: ſimul etiam dicere poſſumus, paucos admodum eſſe, qui non ab hiſce exercitiis, inſigni ſcilicet aliqua E concepta opinione, quam multis etiam viris magnis cacodæmon impreſſit, (dum illo docente credunt, vitam ſpiritualem plenam eſſe amaritudinis & doloris) abhorreant. Unde factum eſt, ut cum multi viri graves, qui bono ſuo alios de plebe ad ſui imitationem exemplo pertrahere poſſent, hanc vitæ rationem fugiant, ipſos non minima populi pars ſequatur, quæ ſeſe exemplo, quod ob oculos habet, excuſat, ac tuetur. Utinam hos ita ad fidem Divina Majeſtas convertat, ut divina accedente luce, vitæ ſpitiritualis divitias ac conſolationem intueri queant, ut & ejuſdem ſeſe exercitiis ex animo dedant, & ad imitationem ſui alios pertrahant.

F

CAPUT VI.

Oſtenditur vitam ſpiritualem non ita inſipidam & amaram eſſe, ut carnalis eſt; immo potius hac ſuaviorem eſſe.

MUltis forſan mirum ac novum videbitur, hanc me demonſtrare propoſitionem velle, vitam ſcilicet ſpiritualem minus inſuavem eſſe, quam vulgo credatur; quin vice verſa ſuaviorem eſſe, quam vitam illam carnalem, quam tot ſectantur. Sed audiant primò rationes, & deinde judicium ferant. Ut verò à ratione, quæ in divina auctoritate fundata eſt, exordiamur, quam qui non credit ſalvus eſſe non poteſt; notum eſt, Chriſtum Dominum de vita ſpirituali, quæ aliud non eſt quam jugum ipſius ferre, vivendo ſcilicet ex ſpiritus præſcripto, & ſecus ac leges carnis dictant, G dixiſſe; *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*: id eſt, qui vivunt uti ego vivo, meque imitantur, voluptatem ſentiunt, & quod ego ſequacibus atque imitatoribus meis, id eſt, iis qui ſpiritualiter vivunt onus impono, leviſſimum eſt. Hic litteralis & genuinus horum Chriſti verborum ſenſus eſt; quibus qui vitam ſpiritualem ut duram habent, dicere nefas eſt ſeſe non credere, ſi modo veræ fidei lumine illuſtrati ſint. Porrò hoc eodem S. Matthæi capite, quo ſuperiora illa verba Dominus locutus eſt, paulo ante præmiſerat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos.* Quorum verborum Lector contextum, & ordinem, quem in iis Dei veritas ſervat, H conſideret. Vocat ad ſe omnes, & quidem ad requiem eos vocat; ait quippe, *Et invenietis requiem animabus veſtris*. Et quamvis hoc Chriſtus modo locutus non eſſet, ipſa exigit ratio, ut ſi oneratos & laborantes ad ſe vocat, non aliter eos vocet, quam ut aliquantiſper eos exoneret, ac requie iis do-

Matt. 11. 30.

Matt. 11. 28. 29.

Ibidem.

do-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

donet ac refrigerium. Porrò, cum eos manifeſte vocet, ut requiem iis ac refrigerium det, & ad hoc refrigerium, medium hoc aſſignet, ſuum ſcilicet in humeros jugum tollere; ſequitur neceſſariò, hanc jugi portationem eſſe quid, quod conſoletur, reficiat, ac refrigeret. Hæc quidem de ratione quæ in divina ſit auctoritate fundata: A at dicent, qui vitam ſpiritualem odere, hanc quidem ſeſe credere, ſed non intelligere; ſibique peregrinum & abſurdum videri in vita, quæ tota in orationis & mortificationis ſtudio poſita eſt, parem quin etiam majorem jucunditatem ac ſuavitatem, ea, quam vita carnalis includit, contineri. Ut huic objectationi reſpondeamus, ſecunda ſequitur ratio, quam hoc modo efformamus: Cogitet parum Lector, ac dicat, quænam, judicio ſuo ſit vita, quæ ut omnium ſuaviſſima in mundo habetur; & hanc ipſam nos cum ſpirituali comparemus: quia ſi oſtenderimus, ſpiritualem ſuaviorem eſſe illa, quæ omnium aliarum in mundo creditur ſuaviſſima, efficacibus rationibus, inde efficiemus etiam cæteris omnibus, quas B mundani ut jucundas, & dulces habent ſuaviorem eam ac mellitiorem eſſe. Nec verò neceſſe eſt, ut diu quænam hæc vita ſit, inquiramus & laboremus: quilibet enim è Lectoribus rogatus, ecquænam ſibi vita omnium videatur dulciſſima ac ſapidiſſima, Principis haud dubiè opulenti, & honoribus ac voluptatibus abundantis vitam cæteris præponet; quod is ea bona temporalia habeat, quæ vitam aliquam temporalem beatam faciant, adeò ut vocari ipſa planè beata queat: quem ſi alicui Dei ſervo, qui Spiritualiter vivit, & hiſce bonis caret comparemus, ambo toto inter ſe cœlo diſtare & diſparati eſſe videbuntur; etſi vita illa beata ſit & habeatur, hæc infelix & erit, & habebitur.

Vita omnium ſuaviſſima in mundo, quae?

Argumentum validiſſimum.

Sed audiat jam lector ipſum rationis pondus. Dives, honoratus, voluptatibuſque affluens princeps hic in C tantum ob hæc bona ſua temporalia haberi nominarique felix poteſt, in quantum iis fruitur: ſi enim iiſdem non frueretur, illi hoc fælicitatis temporalis genus homines non tribuerent. Atqui certiſſimum eſt, ipſis etiam ſponte ultroque id confitentibus principibus, etiam potentiſſimis, hanc ipſos fruitionis ſpeciem non habere: ergo hoc beatitudinis illi genere carent. Eſt hoc argumentum in forma (ut ſcholaſtica loquamur phraſi:) ad cujus vim demonſtrandam ſolum nobis probandum reſtat, ultroneam hanc Principum potentiſſimorum confeſſionem veram eſſe; quam ubi probaverimus, reliqua argumenti pars per ſe ſatis ipſa probabitur, D utpote indubitata. Videamus ergo, quomodo verum id ſit, quod tot prudentes ſapienteſque principes ab eo quod interius in ſe ipſi experiuntur, impulſi fatentur. Et ſanè alia ad hoc probatio non requireretur, præterquam ſola virorum magnorum auctoritas: ſi enim hi ipſi fateantur, & evidentibus ſignis hæc ſibi deſipere, & diſplicere oſtendant, ratio exigit ut iis fidem adhibeamus, cum ſint & digni fide, & in hoc teſtimonio omni falſitatis ſuſpicione vacent. Verum concedamus, quod illi ſincerè quæ ſentiunt dicere nolint; ipſa tamen intellectum ratio convincit, & efficaciter oſtendit, illos parum contentos vivere, & adeo non in gaudio, ut ſumma potius amaritudine repleantur. E Nam, ut communiter Philoſophi docent, tetricis ac triſtibus cogitationibus oppreſſus animus nullum in rebus temporalibus invenire guſtum, qui plenè illi ſatisfaciat, poteſt: adeò ut nec cibi exquiſitiſſimi, non molles lectuli, non horti amœni, non muſicus cantus, afflictos recreare queant animos, quandiu afflictionis non tollitur cauſa. Atqui certum eſt, Principes ut plurimum cum gravibus & triſtibus cogitationibus conflictare, vel quod bella gerant ipſi, vel ab aliis metuant; vel quod non pro eo ac fortè vellent, opulenti ſint, gratia apud ſuos valeant, aut ſatis ab iis colantur: vel etiam quod ad conſanguinitates, affinitateſque, quas ſibi propoſuere, non pro voto queant pertingere, vel etiam alias ob moleſtias, quæ F ipſis quotidie variis in rebus oboriuntur; tum etiam ob innumera quibus diſtinentur negotia; vel denique propter animi paſſiones nimis quam vivas & indomitas, à quibus magis impugnantur & inquietantur, quam fortaſſe conſtet. Quomodo igitur felices ac beati dici poſſunt, cum indiſpoſitos habeant animos, ad bonis temporalibus, quæ poſſident, fruendum? Neque enim æger aliquis, interim dum a febri aut doloribus exagitatur, ſuis fruitur divitiis aut honoribus quos habet, quod ad eiſdem fruendum nequaquam ſit diſpoſitus: ad eumdem modum qui plerumque ægri ſunt animo, etſi mundo longè ſecus videatur, verè vita præſenti non gaudent: at potius ſuis ipſi obſequuntur morbis, eoſque infelici quadam ſervitute fovent.

An Principes feliciter vivant?

At inquies, demus ita eſſe, nonne tamen vel communiter, vel ſaltem G ſæpius, aliqua curarum gaudent intermiſſione, & tunc ſaltem feliciter vivunt? quin aliquando eveniunt caſus, qui eam in ſe includunt lætitiam & delectationem, ut penè major fingi in mundo non queat? ut, v. g. quando vir aliquis illuſtris ad ſummum dignitatis evehitur gradum, vel fortunam ampliorem nanciſcitur, vel optatiſſimas aliquas celebrat ſui, ſuorumve nuptias. In vita verò ſpirituali intermiſſiones hæ non habentur, ſed omnia mæſtitia plena, & continua cujuſdam mortis videntur imago. Ut huic reſpondeamus argumento, hæc tertia ſit ratio. Demus, aliquam in mundanorum vita delectationem, conſolationem &, gaudium eſſe; tamen ſimul etiam ipſe mihi H concedas oportet, lætitiam, vel conſolationem hanc plerumque vanam eſſe, nec ad interiora animæ pertingere, ſed ſenſus dumtaxat exteriores afficere, & rationis judicium pervertere, ut commodè inter veras ac ſolidas, & falſas ac ſuperficie tantum tenus afficientes voluptates neſciat diſcer-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

nere, nec non ſpecioſis quibuſdam nugis, tandem animæ mortem cauſantibus ipſos decipere. Cum autem jam conceſſerimus, mundanos aliqua è moleſtiis intermiſſione alternationeque gaudere, & aliquibus interdum terrenis conſolationibus repleri; jam

Voluptates carnales longiſſime a ſpiritualibus diſtant.

A paulisper diſquiramus, num hæ ipſæ cum vitæ ſpiritualis voluptatibus comparari valeant: ab animæ porro diſpoſitione, quam & mundani & ſpirituales, dum quid patiuntur habent, comparationem hanc exordiamur. Concedo libens, ſpiritualem interdum adverſitatibus, laboribus, moleſtiis premi; premitur & mundanus ſuis. Sed quis non videt, ſpiritualem hæc pati à Deo adjutum, pati ſimul vitam æternam merendo, pati cum certa in cœlis regnandi ac perpetuò ibidem requieſcendi ſpe, pati denique ex amore; ac proinde parvum quid pati, cum proprium amantis ſit, laborem quem patitur, vix ſentire? Quis vice verſa non videt, mundanum pati à diabolo ſeductum & faſcinatum, pati cum animæ ſuæ B detrimento, ut qui quotidie æternæ pœnæ reatum adaugeat, pati cum certa quadam diffidentia & animi abjectione, pati denique intensè & vehementer, timore quodam & affectu ſervili? Dicat jam Lector, uter horum patiendi modorum ſit gravior? Adeo quidem res in ſe evidens & manifeſta eſt, ut de hac judicare controverſia etiam queant illi, quibus vel judicii ſcintilla eſt. Jam ut ad illam intermiſſionem, relaxationemque veniamus laborum; mundanorum conſolationes & recreationes circa res verſantur terrenas,

Conſolationis terrenae, & coeleſtis diſcrimen.

quas ut plurimum ſuggerit diabolus, ut ſpiritualium conſolationes cæleſtes ſunt, & à Deo proficiſcuntur: illæ ſuperficiales ſunt, hæ ipſam penetrant animam; illas ſæpiſſimè imminuunt ac deterunt conſcientiæ remorſus, has bonæ conſcientiæ pax & C teſtimonium adaugent. Ut verò, quod hac in parte movere excitareque lectorem inprimis oporteret, dicam ſæpius me idipſum è multis perſonis ſpiritualibus, quæ primò ſæculum fuerant ſectatæ petiiſſe, teſtor & has magna intimaque animi ſui lætitia dixiſſe, numquam ſe tales in mundo conſolationes ſenſiſſe, quales jam ſentiebant poſtquam vivere vitam ſpiritualem cœpiſſent: immo multos audivi dicentes, numquam ſe credituros fuiſſe, tantas vitæ ſpirituali delicias ineſſe, niſi eas poſt reipſa experti eſſent, ac miratos eſſe ſe quam maximè divinarum conſolationum altitudinem & opulentiam, præ omni eo quod vel mente ſibi fingere poterant, cum toto ante affectu terrena ſectabantur. Verumtamen dato etiam in continuis mundanos agere deliciis, & ſpiri- D tuales è contra aſſiduo dolore & laboribus premi, an non ſanè melior ea eſt vita, quæ requietis ſuſtentatur ſpe ac regnandi, quam vita deliciis redundans, quam infelix mortis ſempiternæ tandem cataſtrophe terminat? Solebat Redemptor noſter Jeſus certis quibuſdam rationibus ac verbis ſuos conſolari diſcipulos; uti, dum illam dixit de muliere parturiente ſimilitudinem, quæ quidem cum triſtitia ac dolore fœtum parit; at ubi dolor hic evanuit, non amplius prioris amaritudinis ob gaudium è prole nata acceptum recordari.

Parturientis exemplum.

Qua denotare volebat, ſpirituales triſtia cum quodam pati fructu, ac poſt E præteritos labores feliciſſimum quemdam natalem ipſos manere: hoc namque nomine ab Eccleſia juſtorum tranſitus & exceſſus nominari ſolet: at de mundanis ſcriptum eſt, *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt* *Iob. 21. 13.* Exclamem igitur; O deſolatorias mundanorum conſolationes! o ſpecioſas terrenæ pulchritudinis fraudes! Proſpiciat ergo ſibi Lector, & conſulat rebus ſuis, atque ſalutem ſuam æternam ex animo, ſerioque diligat.

CAPUT VII.

De firmo, quod concipere oportet, ad ſpiritualiter vivendum propoſito

MUlti excellentis judicii viri, cum de F vita ſpirituali agunt cum iis qui in ea jamdudum verſati ſunt, hoc vitæ inſtitutum velut cœleſte quid & laudant, & admirantur, nec non ejuſdem honeſtatem ac dignitatem perſpiciunt, ſeque ad eamdem interius vocari attrahique ſentiunt. Hanc ob cauſam cum hominibus ſanctis agere converſarique ſtudent, videnturque ad omnem, quæ ſeſe offert occaſionem, vitam in melius commutaturi. Concionibus quoque non rarò interſunt, ſæpe etiam ſacra uſurpant Euchariſtiæ myſteria, & nonnulla ultronea pietatis exercitia colunt, ut vitæ Spirituali reddantur aptiores; ſed non reſolvunt ſe, & animum & affectum à rebus terrenis viriliter non avellunt, ſemper in eodem ſtatu permanent, & iidem qui erant prius: humiliores, aut manſuetiores non fiunt, majorem non præ- G ferunt caritatem, non denique ardentius ad Deum anhelant &c. eò quod ad aliquam vitæ ordinatæ, & ex actibus qui ad veram ſui mutationem faciant, compoſitæ formulam ſeſe redigere, & veteris Adami depoſitis exuviis, novum ac ſecundum, qui Chriſtus Dominus eſt, induere detrectent:

Chriſtus ſecundus Adam dictus.

neque verò id ita intelligo, quaſi hæc ordinata, & ſpiritualis vita in ſolo ſtatu religioſo & monaſtico ſita ſit, cum hæc iſtis, mea omnibus ſerviat etiam conjugatis; ſed ut ſuo unuſquiſque in ſtatu profeſſionis ac muneris ſui actiones ita diſponat & ordinet, ut eas faciat ſpiritualiter, ipſæque ad verarum ſolidarumque virtutum acquiſitionem, & animæ cum Deo unionem comparandam ipſum conducant, etſi vel Juriſconſultus, vel Medicus, vel Theologus, vel Princeps, vel etiam plebejus ſit, &c. Hoc igitur volo unumquem- H que, cujuſcumque demum ſtatus, ac conditionis ſit, firmiter ſecum ſtatuere debere, ita profeſſionis ſuæ actiones ordinare, ut eas cum ſpiritu faciat; neve univerſalis quædam bona intentio illi ſatis ſit, interim magnam multarum divitiarum ſpiritualium, quas ſi cum ſancto quodam procederet artificio, ac fir-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

firmiter apud ſe ſtatueret tanta, quanta poſſet maxima, in ſtatu ſuo perfectione vivere, comparare poſſet, jacturam faciendo. Mirum ſanè eſt, multos, cum facere cum ſpiritu idipſum poſſint, quod ſine ſpirtu ac Dei non recordando, nec ullum actuum interiorum exercitium adhibendo faciunt; atque id non modò ſine ullo ſuo diſpendio, verum A etiam majori merito ac conſolatione ſua facere poſſint; tantummodò quod virorum rerum divinarum peritorum conſiliis non auſcultent, vitam univerſam ſine ullo prorſus fructu & commodo animæ traducere, eaque quæ profeſſionis ſuæ ſunt gentili quodam & profano modo exequi. Ut exempli cauſa, ſi ſtudioſus aliquis Academicus, qui ſeptem octove ſtudio litterarum annos impendit; & inde doctrina & ſcientia comparata digrediens, reliquum vitæ tempus in actibus profeſſioni ſuæ propriis exequendis tranſigit, dumtaxat ut temporales facultates conquirat: ſi hic, inquam, fortè toto illo quc ſtuduit tempore, non alium ſibi præfixum habuit ſcopum, & aliud non intendit, quam ſolum ſcientiam hanc addiſcere; à lectore ipſe peto, B ecquæ ſit hunc inter & Gentilem aliquem, qui Athenis olim eidem ſcientiæ, vel Juriſprudentiæ, vel Medicæ arti, & reliquis comparandis incubuit, differentia? Gentillis ſanè ille, non minus quam hic ſtuduit, ut hanc ſcientiam & facultatem addiſceret: ſi verò ulterius non progrediatur Chriſtianus, nec aliquam harum ſtudii actionum ſpiritualiter faciendarum rationem adinveniat, infinita bona æterna perdit, atque ita de reliquo vitæ tempore, cum ea, quam ſtudendo comparavit, ſcientia utitur, cenſendum eſt: adeo ut verendum ſit, ne plurimi Chriſtiani hac in parte acriter coarguendi ſint, & fortaſſe magis, quam id ipſe queam exprimere. Idem de Principibus illis dixero Chriſtianis, qui in rerumpublicarum C ſuarum adminiſtratione, animum ad ſpritus divini ſublimitatem non evehunt; ſed quibus ſatis eſt, ſi vel finem illum moraliter bonum intendant, quem etiam Ethnici Reges ac Principes ſibi propoſitum habebant, pacem ſcilicet reipublicæ; qui, quod vitæ ſpiritualis arti non incumbant, reliquas actiones ſuas ab omni prorſus merito ſteriles & infœcundas faciunt; cum tamen, ſi doctrina ſpirituali uterentur, eaſdemmet actiones modo quodam ſuperiori ac divino, majori ſuo etiam merito, majorique etiam ad bonum publicum utilitate, facere poſſent. Circa duo hæc, quæ adduxi, exempla rogo, num propterea Princeps, vel ſtudioſus, ille in regendo, hic in ſtudendo, majorem laborem ſubituri eſſent, ſi hæc officia ſpirituali quo- D dam modo obirent? Numquid commodi, honoris, aut voluptatis hoc pacto amiſſuri? Nequaquam immo verò hos ambo labores, multò & facilius, & majori cum conſolatione, & uberiori cum fructu ſuſcipient. Cur igitur illi ſcientiæ Sanctorum auſcultare detrectant? cum & eorum quæ ſpectant & intendunt, nihil prorſus ſic amittant, & aliorum, majorum etiam & cæleſtium bonorum comparandorum ipſis occaſiones offerantur? Ipſe Divinam Supplex Majeſtatem precor, ut tot hominum oculos adaperiat, quò videant nimirum, quanti momenti ſint ea quæ hoc ipſis perſuadere capite velim. Cui rei, quam ipſe expertus ſum, quæque permira mihi viſa eſt, finem imponam: cum enim E aliquos inducere conarer ad quotidianæ profeſſionis ſuæ opera ſpiritualizanda, ut ea nimirum modo quodam ſublimiori ac meritorio agerent, quamdam animi in ipſis alienationem notavi, nec non quamdam extremam imprudentiam & duritiem, adeo ut cum modum horum ſpiritualius peragendorum iis proponerem, non aliter commoverentur, & concitarentur, quam ſi perſuadere ipſis voluiſſem, ut omni ſe laborum ſuorum fructu privarent; cum tamen potius hoc pacto bona cum temporalia, tum æterna uberius multò acquirantur. Pius igitur lector, cujuſcumque demum ſtatus ſit, apud ſe proponat ſpiritualiter vivere, divinæque bonitati confidat; hoc ſe in propoſito ab illa adjuvandum, confortandum, & multo majoribus bonis, F cum pace & ſatisfactione conſcientiæ ſuæ, locupletandum.

PARS SECUNDA.

Qua continentur ea, quæ in quolibet ſtatu erga Divinam Majeſtatem facere oporteat eum, qui vivere ſpiritualiter voluerit.

G

CAPUT I.

Artis ſpiritualiter vivendi diviſio proponitur.

Ut autem aliquem vitæ verè ſpiritualiter ducendæ modum proponam, in tres doctrinam univerſam tractatus dividere neceſſe eſt. Primus ea complectetur, quæ omni in ſtatu cum Dei majeſtate quilibet facere debeat; quod ſecunda hac parte proſequar. Secundus docebit, quid erga ſe cuique faciendum incumbat; quod tertia ſum parte demonſtraturus. Tertius de iis aget, quæ proximo debemus, de quibus in quarta parte H tractabo. Poſtremò denique ea tradam, quæ communioribus ſtatibus ſingillatim propria ſunt, ſua ſingulis monita, profeſſioni propria, ſuggerens; quæ cum hac quæ omnibus communis eſt doctrina conjungenda ſunt, ut eo liquidius ac ſpiritualius procedatur.

Partium diviſio.

Hæc eſt partium artis hujus diviſio vel diſtributio, è qua documentum graviſſimum

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

quoddam Lector colligat, eum ſcilicet, qui ſpiritualiter vivere deſiderat, modum quemdam converſandi eligere debere, qui tres præcipuos habeat reſpectus; primum erga Deum, ſecundum erga ſeipſum, tertium erga proximum. Primum quidem ad Deum timendum, honorandum, & amandum: ſecundum, ad ſui ipſius reformationem, & A quidquid per peccatum luxatum ac diſſolutum eſt, ordinandum ac redintegrandum, denique ad ſolidis ac veris virtutibus ſe perficiendum: tertium ad cum proximo juſte amanterque converſandum, eumque ad inſtar ſuiipſius amandum. Præter triplicem hunc reſpectum ea etiam cura adhibenda, ut officii ſui partes & munia ſpirituali quodam modo quis peragat; quod demum faciet, ſi communium trium tractatuum doctrinam, ſtatui ſingillatim ſuo accommodet; id eſt, Deo ſervire, ſpiritualiter ſeipſum perficere, & proximum juvare privatis profeſſionis ſuæ actionibus ſtudeat; in iiſdem & Deum amare atque honorare, & vitia propria corrigere, ac virtutes acquirere, & quantum quidem fas fuerit, ad proximi ſalutem cooperari B contendendo. Deum optimum maximum precor venerans, ut cordialem quemdam erga ſalutem ſuam affectum & curam lectoribus concedat, ut modicam hanc intellectum & voluntatem iis quæ diximus punctis applicandi, & divinæ gratiæ cooperandi, diligentiam adhibere velint, quo & ſpirituales fiant, & ſalutem ſuam æternam in certo collocent.

Obligationibus faciendum ſatis.

CAPUT II.

De primo artis hujus quoad Divinam Majeſtatem præcepto, interiore circa legis divinæ obſervantiam, cura & vigilantia.

Spiritualiter viventium error.

C Inter errores, in quos multi qui vulgo ſpirituales habentur, etiam de illorum numero: qui in ſtatu religionis agunt impingunt, non poſtremus eſt, imprudentia illa & inordinatio vitæ, ut quidam accurati admodum, & diligentes ſint in iis quæ ſupererogationis ſunt, in iis autem, quæ maxime obligationis ſunt, puta legum ac preceptorum tum divinorum, tum Eccleſiaſticorum obſervatione, non eadem vigilent diligentia ac ſtudio, ut ea tranſgredi religioni non ducant. Hic error damnoſior eſt, quam fortaſſe multi arbitrentur; ad cujus damni probationem ſufficit, neminem ea qua oportet perfectione in ſpirituali vita vivere poſſe, niſi eo in ipſa procedat ordine, quem à nobis, Dei ſpiritus requirit. Certum porro eſt ſuorum D inprimis ipſum à nobis mandatorum obſervantiam exigere, poſt quam deinde conſilia ſequantur Evangelica, aliaque opera ſupererogatoria. Unde quicumque ſpiritualiter vivere deſiderat, tam religioſus, quam ſæcularis, ſibi ut firmum ac certum perſuadeat oportet, prima & præcipua ſe cura debere in divinorum præceptorum obſervantiam incumbere, non quidem communi illo vulgarium Chriſtianorum modo, ſed diligentia quadam accuratiore, quam ipſe interiorem voco vigilantiam, quæ huc tendat, ut non modo quam diligentiſſime, in omni eo quod agunt, avertant, num id aliquam præcepti tranſgreſſionem involvat; E ſed ut ea etiam quæ divinæ ſunt legis, modo quodam altiori ac ſpiritualiori, quam vulgò fit, & faciant & exequantur: qualia, verbi gratia ſunt, feſta ſanctificare, parentibus obedire, proximo adeſſe, ut caritatis præcepto fiat ſatis, & alia ſimilia. Qui ergo artem hanc ſpiritualem in ſuam volet utilitatem convertere, non ſatis illi eſſe debet, ſi ita hæc exequatur, ut dicat illi conſcientia, feciſſe ſe quod debebat, ac ſuæ ſatis obligationi feciſſe; ſed modo quodam diviniori ea faciat oportet, ut in conſcientia ſua hos ſe judicet actus quam poterat optimè, piiſſimè, puriſſimè, ſanctiſſimeque peregiſſe. Ad ſingularia deſcendamus. Conſtat, in feſtorum per Miſſæ auditione, obſervatione diverſos quoſdam gradus eſſe; quorum infimus eſſe videatur qui omnium eſt F communiſſimus, qui vulgò ſufficit: at qui ſpiritualiter vivere deſiderat, aliam quamdam ſacrificio huic aſtandi rationem ſervare debet, cum intenſiori ſcilicet animi applicatione, & actuum directione, & oblationibus eorum ſpiritualibus, adeo ut plus inde fructuum, quam reliqui auditores colligat. Idemmet de amore erga proximum dico, qui in operibus juſtitiæ & caritatis ſatis eſſe credere non debet, ſi ſuæ ſatisfaciat obligationi: at quando ſimiles exercet actus, cum quadam animi elevatione eos faciat, affectum erga proximum excitando, atque omnem illi conſolationem & ſubſidium ex animo afferre deſiderando, ſimul etiam ſaluti ejus cooperari intendendo. E duobus hiſce exemG plis ſatis diiudicari poteſt, ecquæ ſit hunc inter & illum Dei ſervum differentia, ut quamvis ambo in gratiæ ſint ſtatu, & divinis mandatis obediant, maximum ſit inter utrumque diſcrimen, propter excellentiam ſcilicet actuum ſervi ſpiritualis præ actibus illius, qui de iis cum quadam ſpiritus perfectione agendis parum ſollicitus eſt. Hanc porrò perfectionem veri Dei ſervi ſummopere habere intendunt, quemadmodum in magno illo Propheta, & æquo doctrinæ hujus æſtimatore Davide videre eſt, qui in Pſal. 118. quem quotidie ſuo in Officio Eccleſia repetit, intenſiſſimum quemdam erga legem divinam affectum & amorem patefacit, utpote qui varia ei dat nomina, è quibus evidenter colligi queat, H quanti ipſe & hanc, & ſimul interiorem illam vigiliam ac curam, quam ejus obſervandæ habebat, faceret. Hoc nempe declarant verba illa: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea eſt.* Ideſt: In continua quadam vigilia ago, Domine, adeò ut tota ipſe die mecum me-

Ad ſpiritualiter vivendum requiſita.

Fructuoſa Miſſae audita.

Pſal. 118. v. 116.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

meditando examinem, num eo quo debeo modo, eo affectu ac perfectione legem tuam diligam. Neque vero dubitandum eſt, quin multa David opera faceret ſupererogatoria, ſed cura ejus & attentio præcipua circa divina verſabatur mandata. Ex hac doctrina quædam nata diligentia eſt, quam multi viri ſpirituales ac primarii A Theologi, quo ſalutis ſuæ negotium in tuto collocent, uſurpant, quod ſcilicet cum controverſum apud Doctores ſit, quo tempore, & qua occaſione aliquorum primariorum (Actus fidei Spei, & Charitatis quando exercendi?) (puta fidei, ſpei, caritatis) præceptorum exterius actus exercendi ſint, & controverſiæ hujus non uſque adeo certa explorataque ſit reſolutio, ſæpenumero multos interiores fidei, ſpei, & amoris erga Deum, alioſque id genus actus practicent; idque eo præcipuè animo, ut divinis præceptis, non modò pro eo quantum quidem ſatis eſt, ſed eximio quodam modo ſatisfaciant, violenter ſe quodammodo adigendo, ut quam fieri poteſt perfectiſſimè ipſa exequantur & adimpleant. Hanc itaque B virorum ſanctorum ac ſapientium diligentiam & accurationem Lectori commendo, ſimul admonens, ne ampliſſimos vel ignavia vel neglectu theſauros amittat. Hoc igitur caput concludens lectorem etiam moneo, me quamvis hac in parte tractem ea, quæ erga divinam majeſtatem nos facere oporteat, reliqua nihilominus Dei mandata, quorum plurima ad proximum ſpectant, his comprehendiſſe, quod doctrina hæc omnibus præceptis communis ſit, cum rebus ſupererogatoriis omnia, utpote mandata Dei, anteponi, & cuncta excellentiori illo affectuoſiorique modo, de quo ante egi, adimpleri debeant. Quod verò de præceptis divinis dictum eſt, id quoque C in ceterorum eſt præceptorum, vel votorum, vel regularum, poſtquam jam obligare cœperunt, obſervantia ſervandum.

CAPUT III.

De quodam obſervantiæ divinorum mandatorum abbreviandæ modo, ad unum eam punctum, ut primo artis hujus præcepto ſatisfiat, reducendo.

Rom. 13. 10.

VEriſſima illa Apoſtoli ſententia eſt, dicentis, *Plenitudo legis eſt dilectio*. Ex Apoſtolicorum verò verborum contextu apparet, ipſum, dum hæc verba protulit, de proximi eſſe amore locutum: unde ſequitur, idem de amore erga Deum etiam ſentiendum eſſe, qui non modò eamdem D virtutem habet ac robur, ſed majorem adhuc excellentiam, quod primogenitus virtutis divinæ caritatis ſit filius, cujus amor in proximum non niſi ſecundò genitus ſit: adeo ut juxta Theologorum doctrinam, dicere poſſimus, idcirco nos proximum noſtrum diligere, quod amemus Deum; non verò vice verſa: quod tantundem eſt ac ſi dicamus, amorem erga Deum priorem eſſe, & caritatis erga proximum velut cauſam. Dicendum igitur, eum qui divinam diligit majeſtatem, univerſam adimplere legem. Quapropter qui modum aliquem ſui in præcepto illo primo & ſupremo, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. (Matt. 22. 37.) excellenti quadam ratione adimplendo exercitandi invenerint, conſequenter E etiam brevem quemdam & compendioſum vitæ ſpiritualis, quæ ſupra communem ac vulgarem emineat, in divinæ legis obſervantia (quæ primum ac præcipuum vitæ ſpiritualis fundamentum eſt) modum inveniet. Hoc porrò compendium & abbreviatio in divinæ gratiæ cooperando conſiſtit, ut nimirum affectus cum Deo uniatur. Nam (Comparatio) uti ſervus aliquis, vel Principis alicujus cliens, ſuo ſervire & obſequi domino ſingulari quadam ratione, & affectuoſius aliis deſiderans, ante omnia dat operam, ut dominum ſuum magnifaciat, & erga eum, tum ob nobilitatis eminentiam, tum ob raram prudentiam, magnitudinem, &c. affici maximopere incipiat, F adeo ut de domino ſuo ſublime quid concipiat, quo ad ejus nomine & obſequio quidvis faciendum trahatur atque impellatur. Hac porrò, quam de Domino ſuo in animo opinionem efformat, motus, omnes quæ poſtea occurrere poſſent difficultates perfringit, & multo operatur ſublimius, quam alii qui ſine iſtis motivis & incitamentis ſerviunt. Ita faciat oportet, qui in vita ſpirituali omnem legem & mandata divina ad unum vult revocare punctum. Aſſueſcat nimirum ſæpenumero Dei ſui bonitatem, pulchritudinem, magnitudinem, ſapientiam, & opulentiam ad animum revocare; affectum quoque ſuum excitare & extollere, ut Domino adeo G benigno ac ſuavi, quique tot collatis beneficiis creaturas ſuas ab ſui viciſſim amorem invitat, adhæreſcat. Et ſi una cum his cogitationibus & affectibus, Dei ſuccurrente gratia, quoddam Domino placendi in ſeſe ſenſerit deſiderium, infinitas illius bonitati gratias agat, quod optimam quamdam, ad univerſam legem modo quodam quam alii ſublimori & ſpirituali ſervandam, diſpoſitione comparavit. Ad hunc acquirendum finem mirificè illuminabunt piæ de divinis perfectionibus, & beneficiis cum univerſalibus, tum particularibus meditationes, necnon pia circa hæc puncta lectio, & frequens cum Dei famulis de hiſce materiis colloquium. Hactenus de quodam obſervationis legis divinæ per amoris affectum abbreviandæ modo egimus. At quoniam ſunt quibus hic operandi modus bene non ſuccedit, H quique per quoddam timoris & reverentiæ ad Deo in quacumque occaſione obtemperandum, motivum melius exſtimulantur, videant illi qui hujuſmodi ſunt, ne errent, violenter ſpiritum ad id quò non inclinat, pertrahendo; ſed quo ſuam Deo gratiam communicare placuerit modo, eo eamdem in ſuum commodum convertant.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

Dei timor praeceptus.

Pſal. III. 1.

Atque ut primi illi, de quibus locuti ſumus per illum amoris affectum quocumque rapiuntur & moventur, ita hi reverentiali & ſancto hoc acti timore exequi omnia ſtudeant: timoris porrò hujus laudes in Sacra Scriptura decantantur, quod ſolus Dei timor ineffabilium, quibus anima juſti accumulatur, bonorum ſit cauſa. Nec verò illos tor- A queat, quod ſervili quodam timore, procedere dicantur: timor enim, qui continuam quamdam divinorum præceptorum cauſatur obſervantiam, hanc, quam ipſi putant, ſervilitatem haud includit, ſed potius hic caſtus quidam & ſanctus eſt timor, cujus demum excellentiam in futura agnoſcent vita, quando ſua illi retribuetur merces. Vera profectò illa Prophetæ ſententia eſt, *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis*. Duo illa quæ diximus puncta, amoris & timoris, ad cæterarum etiam rerum, quæ obligant, obſervantiam; puta votorum, præceptorum, regularum, conſtitutionum, &c. conducunt, ſicut per experientiam revera hæc cum magno operariorum ſpiritualem vitam profitentium fructu, con- B ducere manifeſtum eſt.

CAPUT IV.

De ſecundo artis hujus erga Divinam Majeſtatem præcepto, ſcilicet Sacramentorum uſu & receptione.

Sacramenta medicamina divina dicta.

QUanti ſit momenti omnimodam in ſanctis Sacramentis magna cum præparatione & puritate ſuſcipiendis diligentiam adhibere, nemo videre poterit ac judicare, niſi qui animæ oculos defæcatos, & clarum videntes habuerit: hinc conſequenter etiam nemo intelliget, quam Chriſtianis damnoſum & noxium ſit, parum ſpiritualiter & accuratè Sacramenta uſurpare, niſi qui divi- C na fuerit luce colluſtratus. Ipſamet certè ratio intellectum convincit, & piorum excitat animos, ad communibus Chriſtianis compatiendum, in quibus hac ex parte quam minimus apparet fructus: cum enim remedia, tum quantum ad ipſorum ſpectat inſtitutionem, tum verò ex natura & conditione ſua ſint efficaciſſima, res ſanè intimi cordis commiſeratione digna eſt, Dei populum tot infirmitatibus ſpiritualibus oppreſſum debilitatumque videre; perinde ac ſi neceſſario ad ſpiritualiter vivendum alimento careret. Minimè verò dubitandum eſt, quin hic languor & debilitas inde ortum habeat, quod non pro eo ac oportet, iis utantur medicamentis & corroboramentis, quæ ipſis à divina ſunt benignitate col- D lata, cum ab ipſis hæc provenire nequeant medicamentis. Et ſanè ſtupenda res eſt, Chriſtianum, qui ſæpè confeſſionis & Communionis Euchariſticæ Sacramenta frequentat, vel Sacerdotem, qui jam abhinc decem annis quotidie ſacra Miſſarum celebrat ſolemnia, hodierna adhuc die ita debilem eſſe, adeo à rebus divinis abhorrentem, adeo terrenis affixum, quaſi Sacramenti Altaris loco hactenus panem profanum comediſſet. Ipſa ſanè hominis miſeria magis exaggerari non poteſt; cum nec Dei tam præſtans remedium, quod ipſamet ſalus & vita æterna eſt, procurantis bonitas ac miſericordia magis & altius nequeat commendari. Equidem fateor ſummopere hoc me pro- E digium demirari: ut enim de cæteris ſacramentis nihil dicamus, Sacramentum ſanè Euchariſticum adeò divinum & eminenter prodigioſum eſt, ut Chriſtianus, qui vel ſemel comunicat, in Seraphinum aliquem converti debere videatur: is tamen quem dixi miſerabilis caſus contingit, ſcilicet, poſt multos Communionis ordinariæ annos, homines nihilominus imperfectionibus plenos eſſe, à paſſionibus æquè vivacibus impeti, & terrenis bonis non minus quam ante affectu adhæreſcere. Qui porrò divinæ quoad hoc ſatisfacere vult majeſtati, elaborare & contendere debet, ut ſancta Eccleſiæ Sacramenta pro eo ac merentur ſuſcipiat, cum magna quidem præparatione, antequam ad eadem ſeſe conferat, cum maxima verò F affectus applicatione dum ipſa Sumit: denique intimam quamdam poſtquam eorum jam factus eſt particeps, gratitudinem oſtendendo. Hoc ſecundum eſt præceptum: ad cujus executionem ſuppono, eum qui hoſce actus ſpiritualiter facere vult, proprium aliquod exercitium, quod ſimul breve ſit, & affectibus plenum, accedente ad hoc Patris ſui ſpiritualis directione, addiſcere & uſurpare debere. De quo ipſe, pro modulo quidem meo, ſcripſi in Iſtructione Novitiorum, in Arte amandi Dei, & Diſciplina clauſtrali. Quapropter aliud hoc loco mihi dicendum non reſtat, quam breve quoddam monitum, ad ſecundum hoc præceptum perfectius exequendum, ſuggerere: nimirum hominem quemlibet ſpiritualem ita G ſe in Sacramentorum frequentatione gerere debere, ut pluris eorum faciat fructum, quam vices & numerum uſurpationis. Ut verò monitum hoc dignè ponderetur, notandum eſt (præſuppoſita naturæ corruptione) rerum ſacrarum frequentiam, ut plurimum exiguæ occaſionem eſſe, non quidem datam, ſed acceptam, æſtimationis; ita quidem, ut & ipſa miracula eos, qui quotidie eadem vident, vel parum, vel interdum nihil prorſus moveant. Unde ipſe etiam, utilius ac ſpiritualius eſſe cenſeo, ut qui ad quotidianam uſurpationem obligatus non eſt (uti multi Sacerdotes ſunt) moderatum Confeſſionum, & Communionum numerum ſibi præſtituat, neu nimis frequenter ſacramenta uſurpet. Ut verò rationem quam- H dam, quæ magni meo judicio momenti eſt, tangam, quoad pœnitentiæ Sacramentum conſtat, viros ſpirituales, in quorum gratiam libellus hic conſcriptus eſt, ſæpe laborare, ut, dum heri confeſſi, hodie rurſus confiteantur, materiam abſolutionis ad ſacerdotem afferant. Nam tametſi præſupponendum ſit, aliquod veniale peccatum

Sacramenta quomodo recipienda?

Quotidiana confeſſio, cur improbata?

in-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat. interveniſſe; ſæpè tamen, determinatè ac certò quale id ſit, neſcitur, & ut plurimum quando determinatè id conſtat, eſt aut verbum aliquod otioſum, aut nimia quædam in oculorum conjectu licentia, vel quid ſimile, quorum non adeo facile eſt, deteſtationem & odium, nec firmum illud non A amplius in res adeo minutas prolabendi propoſitum concipere. Ut enim hæ parum voluntarii in ſe habent, cumque adeo exiguæ ſint, nec tantam deformitatem includant, ut piam quamdam mentem ad cordialem ſui deteſtationem excitent, ſequitur, ſæpius requiri, ut tantò plus conſiderationis & applicationis mentis adhibeatur, quò digna ſpiritualibus viris habeatur diſpoſitio, quantò culpæ in ſe leviores ſunt. Cum verò diſpoſitio hæc quotidiana non ſit, multo videtur ſalutarius, non aſſueſcere continuò & conjunctim, ſed aliquot intermiſſis diebus confiteri; & cum deinde confeſſionis uſurpatur ſacramentum, majori reverentia majori imperfectionum abominatione, & firmiori impo- B ſterum ſibi cavendi propoſito concepto, ad illud ſe conferre. Idem de Sanctiſſimo Altaris Et communio. Sacramento dico; non quod propterea raræ cujuſdam integritatis hominibus, qui quotidie de ſapientum virorum conſilio & ſuaſu ſacras frequentant epulas, certum præſcribere communicandi diem aut numerum velim: quibus nihilominus quotidianam ipſe confeſſionem ob ſupra dictam rationem non ſuaderem. Huic monito finem imponam, ubi illos commonefecero, qui in aliud extremum impingentes, nonniſi rarò admodum vel peccata ſacerdoti aperiunt, vel vivificum Euchariſtiæ Sacramentum adeunt; qui quoad hoc ſatis imprudenter agunt, ac multò ſibi conſulerent melius, & prudentius agerent, ſi ſæpius utrumque Sacramentum uſurparent. Malè etiam agunt, ſi de- C dita opera cæcutientes ſibi perſuadent, eum qui ſpiritualibus hominibus auctor eſt, ut aliquo die Sacramentorum uſum intermittant, quo majori poſtridie cum puritate & fructu eadem recipiant, illorum velificari imperfectioni ac tepori, qui per annum integrum adeo rarò verum ſuum remedium uſurpant.

CAPUT V.

De tertio artis hujus erga, Divinam Majeſtatem præcepto; de orationis ſcilicet ſtudio, tempore certo peragendo.

ILle Chriſtiani, nedum ſpiritualis viri, indignus eſt nomine, qui nolit, quomodo orandum ſit, inſtrui. Cum enim quæ- D rere Chriſtianus debeat, non quæ humana parantur induſtria, ſed per divinam gratiam; Oratio præcepta. ipſa quam profitetur fides, eum obligat, ut orationi inſiſtat: quippe per ſanctum hoc exercitium cum ipſomet tractat Deo, & vera illa quæ efflagitat, bona, per illud ab ipſo impetrat. Mirum eſt, quam quoad hoc graviter errant multi viri graves, quibus quamvis hæc manifeſta ſit veritas, & magis divino opus habeant auxilio, quam alii, qui tanti momenti negotia non habent; nullo tamen modo induci queunt, ut huic exercitio incumbant: & adeo quidem negligenter & ſupinè, ut anni ſæpe multi elabantur, & vix unam horam in- E tegram iis quæ ad ſalutem ſuam ſpectant, conſiderandis impendant. Divinum quidem officium recitabunt, & orationem aliquam vocalem, ſed parva quadam cum animi conſolatione, & cum exigua, vel ſanè nulla interiore recollectione; ſed maximè diſtracti, & importunis de negotiis in quibus animus habitat, cogitationibus alïorſum abrepti. Cæterum ab his impetrari nequit, ut aliquantiſper ſeſe à negotiis, in quiete ſubducant, quò cum Chriſto Domino converſentur, divina attentè meditentur, delictorum à Domino veniam, nec non gratiam ad ea quæ ad ſalutem animæ ſpectent, accuratè tractanda efflagitent: neſcio ſanè, quonam hi modo à paſſionibus ſe ſuis F in adeo noxios pertrahi ſinant errores. Menſes quidem totos, & forſitan annos, impendent ad Principum, quorum temporali gratia opus habent, benevolentiam captandam, ac multas quotidie horas ipſorum in atrio & veſtibulo obambulabunt; & grave illis eſt, Jeſu Chriſto, Regi regum, Creatori ac Redemptori ſuo, vel mediam horam, ad benevolentiam ejus divinam ſibi captandam, dedicare; cum tamen id ita ad ſalutem ipſorum neceſſarium ſit, nec non ad felicem rerum temporalium quæ tractant, ſucceſſum ac directionem mirificè conducat. Sunt, ſcio, ſaltem aliqui, viri graviſſimi, qui quanquam innumeris obruantur occupationibus, tempus tamen aliquod orationi ſuffurantur, & occaſiones commodas, quas prævident præoccupant, ſuntque in ſtatutis horis orando, cumque G Deo agendo ſeduli admodum & accurati. Sed qui fiat neſcio, quod non omnes ita faciant; ſi enim vel ratione ſtatus, vel ob negotia ſua aliquo modo excuſabiles apud Deum eſſent, viri illi, quos modò dixi, forſitan magis quam multi alii, qui ejuſdem cum ipſis ſunt ſtatus excuſabiles eſſent; & tamen hi excuſabiles ſe eſſe non credunt, ſed divinæ majeſtati quotidie fideliter tributum illud perſolvunt, è quo inæſtimabilem quemdam multorum bonorum ſpiritualium fructum colligunt. Quorum, ut taceam alios multos, quos ita olim feciſſe conſtat, plurimos, qui haud pridem vixere, vel etiamnum ſuperſunt, hic nominare poſſem, ſi conſentaneum foret. Porrò qui vitam ſpiritualiter inſtituere volet, ſecum ſine excuſatione ulla, quæ in divino conſpectu H admiſſibilis aut vera non ſit, (qualis forſitan eſſet infirmitas corporalis, vel alius quiſpiam inevitabilis neceſſitatis caſus) ſtatuat, quotidie aliquo tempore cum Deo in ſecreto & abſcondito tractare, modicum illud tempus, juxta Patris ſpiritualis præſcriptum ac directionem impendendo; ita quidem, ut exercitium hoc nunquam inter-

mit-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat. mittat, etſi conſolatione divina gaudeat, vel ariditate mentis laboret; ſe ex animo coram Domino humiliando, ipſum adorando, & miſericordiam ac favorem ab ipſo in gratia ſua & vivendi ac moriendi poſtulando. Cui porro durum ſit, horam integram orationi dare, det mediam; ſi etiam A media nimis illi longa videatur, à quadrante horæ incipiat, modò id firmiter apud ſe proponat, nunquam deſiſtere aut deficere: qui id ita apud ſe ſtatuit, plerumque aliquem in vita ſpirituali faciet progreſſum. Poſſunt ſanè brevi illo tempore multa bona fieri propoſita, tum ad pravos ſuperioris vitæ habitus exſtirpandos, ac veras animo virtutes inſerendas, tum ad imperfectionum occaſiones reſcindendas, ac contra proficiendi in melius captandas, prout quiſque à ſpirituali ſuo directore fuerit inſtructus. Ad tertii hujus præcepti finem rem referam, quæ cuidam amiciſſimo mihi aliquando contigit; ut videat Lector, quanti referat, fideliter deſtinatum orationi tempus obſervare. Erat hic ſæcularis vir, admodum negotioſus, Exemplum B & graviſſimis occupationibus diſtentus; qui cum à Domino internis quibuſdam traheretur inſpirationibus & clamoribus, apud ſe ſtatuit aliquam per diem orationi horam dare, & pium hoc propoſitum ſuum fideliſſimè exequutioni, quoad poterat, mandare. Hic cum non multò poſt cum viro aliquo illuſtri, quem officiosè colebat, colloqueretur, & horæ ad orationem deſtinatæ ſignum daretur, & hinc quidem difficile videretur cœptam converſationem & colloquium abrumpere, illinc verò propoſiti ſui exequendi conſcientia premeret, leges mundanas frangere apud ſe ſtatuit, & ab hoc ſe colloquio ſubducere; hinc animum ſuſtollens ita virum nobilem quo cum agebat, C compellavit: Ignoſcat mihi Dominatio veſtra, aliò hinc abſcedere cogor, magni aliquod momenti negotium pertractaturus, quo dicto protinus ſe ſubduxit, & ad orationis ſe locum contulit. Adeo quidem Domino hæc ſervi ſui fidelitas in humano deſerendo colloquio, quò cum Deo colloqui Fidelitatis remuneratio poſſet, grata fuit, ut vix dum orationem ingreſſus, tanta ſubito hinc contemplatione abſortus ſit, tantaque in ea delibutus dulcedine, favoribus, & deliciis perfuſus divinis, ut Domini quam maximè miraretur dulcedinem, & nimiam illam in exigua gratia remuneranda reciprocationem, & toto vitæ tempore ſingularis hujuſce beneficii memoria illius impreſſa animo manſerit. Beatus ille, qui ſalutis ſuæ negotium terrenis anteponere negotiis, commodis & deliciis novit.

D

CAPUT VI.

De quarto artis hujus erga Divinam Majeſtatem præcepto, vivere ſcilicet in ejuſdem præſentia.

VErbis exequi nemo poteſt, quæ, quantaque viri ſpirituales & illuſtrati tradant, quando de Dei loquuntur oblivione; quæ non in ſæcularibus modo, verum etiam in multis religioſam vitam profeſſis apparet. Hi quidem ob facultates temporales; illi ob ſtatus ſui occupationes; alii ob ambitionem, alii ex amore filiorum, non pauci ob principum ſequelam & cultum; alii alias ob cauſas, adeo ſe profunde vitæ huic E præſenti immergunt, ut ſæpe integros elabi ſinant menſes, quibus Dei ſui, niſi fortè leviter & obiter, non recordentur: adeo ut quas ſibi ſoli Deus crearat, animæ de omnino alia re, quam de Deo cogitent, & ſolum ipſemet domus hujus Dominus, qui tamen eam tantopere concupiſcit, locum in eadem non habeat. Horrendum profectò id eſt, dicat quidem mundus quod voluerit: ſervis ſanè Dei prodigioſum ac mirabile videtur, creaturam divinæ fidei luce colluſtratam, & quæ ad perpetuam quamdam amoris reciprocationem gratitudinemque, idque ob inæſtimabile incarnationis & copioſæ redemptionis per Filium Dei unigenitum peractæ beneficium obligatur, adeo ſe vitæ hujus præſentis rebus intricare, ut Dei vix unquam meminerit. Dic mihi Lector, F anne qui in mare vitæ hujus præſentis ſic immerſi ſunt, ideo forſan creati ſunt, ut ſe innumeris hiſce occupationibus & terrenis prætenſionibus quodammodo in prædam darent? Fierine poteſt, ut ſummi illius boni, à quo bonus omnis prætenſionis ſucceſſus, nec non conſolatio, ac vita omnis dependet, reminiſci detrectent? Vix quippe mane experrecti ſunt, cum innumeræ cogitationes ingenti quodam impetu animum & cerebrum occupant, puta de amicis, rhedis, agris, redditibus, proviſione domeſtica, amicorum viſitationibus, recreationibus, &c. Hui, quænam hæc vanitas & infelicitas eſt! Nullumne capaciſſimæ illæ mentes Chriſto Domino G locum, qui tanto ipſum ardore & deſiderio concupiſcit, concedent? David Rex erat, David. rebus tum pace, tum bello gerendis occupatiſſimus; de oculis tamen ad Deum mane ante omnia dirigendis inprimis ſolicitus erat. Teſtatur id de ſe ipſe: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo*: Psal. 118. 148. Non ait, *venerunt*, ſed, *prævenerunt*; id eſt, ante occuparunt, priuſquam de re ulla alia cogitarem. Atque hanc, quam menti mane inſculpebat Dei memoriam, per totum deinde diem retinere allaborabat: uti hiſce ſignificat verbis: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper.* Pal. 15. 8. Hoc autem quartum hujus artis præceptum eſt, ut qui ſpiritualiter vivere deſiderat, in præſentia Dei continenter verſari aſſueſcat ac diſcat, id eſt, quam poſſit ſæpiſſimè, de Deo, deque rebus ad ipſius cultum & obſequium ſpectantibus cogitet. Doctrina H hæc ita univerſaliter ac nude propoſita, multis quidem difficilis videbitur; ſed modo bene intelligatur, difficilis non apparebit. Conſtat in hac vita neminem poſſe ſemper cor in cœlos ſublatum habere: conſtat adhæc, viros ſpirituales magnas etiam revera mentis evagationes pati, & propter grave cor-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

poris pondus, non uſque adeo diu poſſe mente verſari in cæleſtibus, ſed hunc mentis impetum ſæpe interrumpi: qui tamen mentem ſemper ad Dominum cupit intendere, & pro vitæ hujus fragilitate ſæpe cor ad Deum interruptis quibuſdam & brevibus elevationibus ſuſtollit, & quando horam aliquam elapſam eſſe meminit, qua ſuum hoc A modo cor ad Deum non elevarit, ipſum eodem relevare contendit; ille continuo Deum habere ſibi præſentem dicitur: nam quo illius non recordatur, tempus ipſi minime imputatur, quod præter voluntatem id accidat, at quoties id animo recurrit, id facili illo modo, per jaculatorias ſcilicet, quæ permagnum pariunt fructum, facit.

Dei præſentia præcepta

Reliquum eſt, ut cuidam circa neceſſarias, vel utiles multorum, qui toto prope die nonniſi negotia tractant, occupationes objectioni reſpondeam: utpote quibus impoſſibile videatur, Deum ſibi præſentem fingere, vel illius recordari. Ad hanc ergo reſpondeo, illos qui hujuſmodi ſunt, aliquantulum Dei recordando, hanc dici poſſe ſer- B vare doctrinam: nec non, ſi hæc negotia jam inde ab initio ad Dei gloriam deſtinarint, in illorum deinde progreſſu ad Deum interdum cor elevarint, denique à Deo gratiam ac lucem ad eadem juſte pieque exequenda poſtularint, præceptum hoc modo quodam, qui ſpirituales decet, adimplere. Ne cui vero affectatum quid videatur, ab id genus hominibus, negotiorum mole oppreſſis Dei exigere præſentiam & memoriam, caput hoc hiſtoriæ cujuſdam de rege quodam Orientali, qui noſtris vixit temporibus, noſtrumque incuſat teporem, recitatione concludam.

Exemplum ex Rege idololatra.

Hic, ſicut & cæteri idololatræ, à dæmone deceptus, idolo cuidam adeo perdite & efflictim addictus erat, ut præter alia, quæ illi aſſiduè deferebat cultus obſequia, illius ſemper quam fideliſſimè recordari conaretur; adeo quidem etiam, ut cum pro C tribunali publicè ſederet, popularium ſuorum cauſas dijudicaturus, quod penè quotidie tres aut quatuor integras faciebat horas, ſemper ad latus aliquem è ſuis aſſeclis haberet, cujus eæ ex deſtinato partes erant, ut ſimulacri ſui illi nomen in memoriam identidem revocaret, dicendo, Memineris, Aranganaſſæ, (id idolo nomen erat) Rex. Quoniam verò id nomen toties illi repetere laborioſum erat ac moleſtum, interdum alii ſuggeſtores ſuccedebant, qui priori illo defatigato eidem munus ſubirent. Dicat hic mihi lector, quid de raro illo & inaudito Gentilis illius ſtudio ſentiat; haud dubie ſcio, dicet mirum ſibi videri; quod hic infidelis tanti referre crederet, inanis ſui numinis memoriam ſemper præ oculis habere, etiam D in ipſis populi cauſis dijudicandis. Quæ cum ita ſe habeant, cur affectatum videatur, ſi judex, vel princeps aliquis Chriſtianus, aut alius quilibet etiam occupatiſſimus, minorem aliquam adhibere diligentiam ſatagat, ad illis in actibus veri ſui Dei recordandum, cum miſer ille Rex multo adhiberet majorem in dæmone perpetuo ſibi præſente habendo? Quod huic quis regerat argumento, nihil eſt: quapropter qui vitam vivere ſpiritualem deſiderat, ſaltem aliquoties cor ad Deum mediis illis in negotiis ſuſtollat, ſibi ut lumen & gratiam concedat ad eadem ſancte peragenda: quod & ſuis in confabulationibus, ac recreationibus faciat, per bre- E via intervalla mente ad Deum erecta, ſanctum etiam aliquod adhibeat, ad memoriam excitandam, artificium, quale ut ita dicam foret, chirothecam manu geſtare, vel roſarium, vel chartam, vel quodvis aliud indicium, non aliam ob cauſam in manus acceptum, quam ut hoc ſigno memoria excitetur: atque ita ſine moleſtia aliqua vel turbela ſua expediet negotia, & recreationes ſuas & majori Dei ope, & uberiori animæ peraget.

Ad ſpiritualiter vivendum requiſita.

CAPUT VII.

F

De quinto artis hujus erga Divinam Majeſtatem præcepto: quod eſt interiores actus, qui magis propriè & immediatius ad animas illi uniendas conducunt, exercere.

QUI vitam ſpiritualiter peragere proponit, de internis virtutum actibus, ac de iis præcipuè, qui propriè magis & immediatius ad animum Deo unitum habendum faciunt, inſtrui velle debet. Infeliciſſimæ quippe quædam ſterilitatis ſpecies foret, tot adeoque pretioſis bonis ſeſe privare, ſeſe humiliare, & breviſſimo tempore divinas adeò res tantum afferre fructum & conſolationem natas, qualis haud dubiè eſt actuum interiorum notitia, addiſcere detrectando. Dolendum porrò quam maximè eſt, etiam multos viros graves reperiri, qui cum in rebus politicis ad uſque ipſammet quintam eſſentiam omnia ſpeculando rimentur, quin immo & ea divinando noſſe perhibeantur, quæ aſtutiſſimi etiam mortalium mente co- G gitant; ſi iis dicas, ut aliquem contritionis, vel divini amoris, vel alterius cujuslibet virtutis actum exerceant, incredibilem quamdam præferunt ignoratiam, ac ſtuporem. Ibi publicè celebrati viri, quique omnia ſcire perhibentur, vix prout oportet ad Confeſſionem ſe & Communionem præparare norunt, quia talenti quod acceperunt partem impendere noluerunt, ut per hoc ipſum in rebus divinis erudirentur; itaque oppidis everſis, & ſale conſperſis fiunt perſimiles, adeo ut ſi quis illorum interiora conſideret, civitatem quamdam deſolatam videre ſe crediturus ſit. Neſcit mundus actuum internorum ſublimitatem, pretium, & conſolationem H pro merito æſtimare. At qui ſpirituali vivere modo cupiunt, ſuo mundum agere modo ſinant, & hanc ipſi ſcientiam & praxin omnibus temporalibus lucris anteponant; quin & breviſſimas aliquot actuum fidei, ſpei, amoris erga Deum formulas ediſcant, ſæpe eoſdem repetendo, & operam dando, ut ex cor-

Internorum actuum pretium.

Scrip. An. 1610. Ital, Idiomat.

A

Contritionis actus quomodo eliciendus?

B

David, & S. Petrus.

corde intimo hi enaſcantur. Eſt autem præceptum hoc maximi momenti & ſubſtantiæ: & plerumque, qui hujuſmodi actus exercent, inſignem in virtutibus faciunt progreſſum; cum per eoſdem ſe paulatim animus à rebus terrenis ſuſtollat, & ſummo bono conjungatur vicinius; unde robur ad paſſiones ſuas mortificandas, bona mundi hujus pedibus proculcanda, necnon ad æterna bona & cognoſcenda, & amanda lucem colligit; quemadmodum experientia teſte de pluribus novimus animabus, quibus hocce exercitium mirabiliter conducit. Quis autem horum actuum ſit modus aut forma, hic non dicam, cum tam multa de iis, aliis in libellis ſcripſerim, ac præſertim in eo cui nomen eſt, Inſtructio Novitiorum; & alio qui Diſciplina Clauſtralis nominatur. Contritionis autem actus, Lectorem moneo, ut faciat quam maximè propriè, nec non quam frequentiſſimè; quod hi & utiliſſimi ſint, & maximè proprii iis, qui vitam ſpiritualem ducunt, & in Divinam ſe Majeſtatem peccando recordantur offendiſſe. Ad hæc, quod interdum ſpirituales viri labantur, uti David, S. Petrus, & alii, ac tunc quidem veræ intimæque contritionis uſus, aut praxis inprimis utilis eſt; quæ per divinam gratiam in id genus peccatoribus tanti eſſe ponderis ſolet, ut è ſtatu peccati ad majorem, quam ante habuerant, gratiam reſurgant. Atque hæc demum vera ſapientia eſt.

CAPUT VIII.

De ſexto artis hujus erga Dei Majeſtatem præcepto; atque id eſt, aliquot actus exteriores, qui ad eum honorandum & glorificandum tendant, facere.

C

Eccleſia Chriſti ſponſa dicta.

D

Sancta ſanctè tractanda.

E

F

SI internorum actuum exercitium bene ſuccedat, & per eos anima aliquem erga divinam majeſtatem affectum concipiat, inde ſequitur plerumque, ut etiam exteriora aliqua facere ſtudeat, quæ in Domini Dei laudem & gloriam tendant: hoc è principio varii naſcuntur ritus, & ſanctæ quædam praxes, quibus ſancta ſponſa Chriſti Eccleſia condecorata, & cohoneſtata eſt. Inde quippe ortum habent adorationes, & profundæ proſtrationes, quæ in abſcondito fiunt, divinum cultum publicum aliquibus inſtitutis feſtis, quæ piis ad pietatem excitandam motibus plena ſunt, adaugere; pauperes ad prandium invitare, ut in iis Chriſtus Jeſus honoretur; Pſalmos, & alias quaſdam laudes ſingulari quadam mentis ad Deum ſuſtollendæ intentione canere; quin & artificiali memoria ſigna aliqua exteriora ad id adhibendo, ut affectus erga Deum hoc pacto & conſervetur, & adaugeatur, uti; necnon id genus alia uſurpare, quæ permagnum afferunt fructum, etſi hæc mundus, pro eo atque oportet, æſtimare neſciat. Magnum quid eſt, ad ſummum bonum animo intendere, qui per inventiones quaſdam, quæ interdum etiam inferiorem hominis partem oblectant, maximos ſibi comparat theſauros, eoſque in ſempiternum duraturos. Finem igitur faciens ſpirituales homines exhortabor, ut omnes, qui immediatè ad divinum cultum referuntur, actus; quales ſunt, divinum recitare officium, Miſſæ ſacrificio adeſſe, & oratio mentalis, magno cum affectu peragant; & quæ aliquam cum Deo relationem habent, qualia ſunt templa, altaria ſacræ tum veſtes, tum vaſa, reverenter admodum habeant; & propter hanc relationem & reverentiam magno honore ac veneratione ſuperiores, & præpoſitos quoslibet, qui Domini noſtri Jeſu Chriſti perſonam repræſentant, proſequantur. Hactenus de iis egimus, quæ erga divinam majeſtatem facienda ſunt ei, qui vivere ſpiritualiter voluerit. Poſſem quidem & alia multa afferre; ſed quoniam ea ipſa ad praxin reducenda ſunt, multò credidi utilius, nonniſi paucula aliqua præcepta, ſed ea præcipua & ſubſtantialia (qualia ſunt ea quæ aſſignavi) dare; quod in horum exercitio reliqua omnia incluſa ſint: ſi enim omnia ſingillatim proponerem, nimia ipſorum copia fortè damnum pareret; nam copia plerumque confundit, & nonniſi difficulter admodum, & exiguo cum affectu ad praxin poteſt reduci. Jam ad ſequentem tractatum tranſeamus.

PARS TERTIA.

Quæ continet ea, quæ in quolibet ſtatu facere is ſecum debet, qui ſpiritualiter vivere deſiderat.

G

CAPUT I.

De primo artis hujus quoad ſeipſum præcepto; quod eſt, mortificare, & corrigere ſeipſum.

Adam in creatione perfectiſſima creatura.

H

UT hæc maximi ponderis, & graviſſima reſolutio fiat, non inutile fuerit, paucis lectori originalem labem & deformationem, quam Adami peccatum invexerit, proponere, ut videat nimirum, quid ſibi ad ſui reformationem, & ſe Chriſto configurandum faciendum incumbat. Fuit homo, antequam peccato ſe commacularet, perfectiſſima quædam creatura, ac velut quoddam ſcitè attemperatum à divina ſapientia inſtrumentum, ſuaviſſimam omnium partium ac potentiarum ſuarum harmoniam edens. Anima ejus plena erat gratia, intellectus ſapientia, voluntas puro Dei amore, memoria in divinis rebus firmata, imaginatio optimè ordinata, uti & reliqui ſenſus interiores, appeti-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

tus ſenſitivus quam poterat optimè temperatus, & rationis imperio obſequentiſſimus; ſenſus verò exteriores omnes ad ejuſdem rationis nutum ſeſe flectebant; denique univerſum corpus animæ juſſis parebat. Univerſa porrò hæc mirabilis harmonia inde ortum habebat, quod ſuperior hominis pars uni Deo optimo maximo obtemperabat. Mox A verò contigit hominem peccare, & per inobedientiam illam in infelicem hanc omnium partium ſuarum diſſonantiam, deformationemque incidit: adeò ut anima & gratia & juſtitia originali privata fuerit, intellectus obſcuratus, voluntas obduruerit, memoria à Deo facta ſit alienior, & illius immemor, Poſt peccatum qualis? imaginatio inconſtans, & illuſionibus variis obnoxia reddita, ſenſus alii interiores deſtructi & perturbati; appetitus ſenſitivus rationi ſe oppoſuerit, corpus adverſus animam inſurrexerit, ſenſus denique exteriores mortis quædam feneſtræ, propter originalem ſuam infectionem, factæ ſint. Hæc eſt hæreditas Adami, quæ deinde per proprios uniuſcujuſque actus mirè increvit. Hinc hominis B intellectum videmus in curioſitatem, & inutiles quaſdam ſcientias degenerare, & ſcientiam Dei relinquere: Voluntatem terrena & tranſitoria concupiſcere, relictis æternis: Memoriam creaturarum ſpeciebus & intricationibus plenam eſſe, Creatoris ſui minimè recordari: Immaginationem quoque vanam, fugacem, variamque eſſe, ut piam aliquam imaginem concipere non poſſe videatur: Appetitum ſenſitivum una cum paſſionibus ſuis ceu effrænem quemdam equum eſſe, & quam avidiſſimè delicias carnales velut eſcam conſectari: Senſus exteriores maxima quadam aviditate poſt mundanam vanitatem currere: denique univerſum hominem per originale Peccati originis effectus notati. peccatum, & alia actualia ita deformatum eſſe, ut ſui quamdam commiſerationem ei excitet, qui cum divina quadam luce ipſum contemplatur. Ingenti igitur hoc malo, & C gravi illa rerum turbatione, quam quiſque in ſe experitur, præſuppoſita, is qui ſpiritualem vivere vitam vult, firmiter apud ſe proponere debet, facultates animæ ſuæ, appetitus, & ſenſus omnes mortificare, & eos ad ſecundi Adami, Domini inquam noſtri Jeſu Chriſti, exemplum componere; ita quidem, ut aliud intendere, amare, recordari, velle, videre, & audire non ſtudeat, quam quæ vitæ Redemptoris Jeſu, qui nobis ceu dux quidam divino illo vitæ ſuæ, & converſationis cum hominibus exemplo præivit, conformia ſunt. Mortificatio præcepta. Hæc ſcilicet juſtorum prudentia eſt & fortitudo: hæc vis eſt, quam violenti cœlo inferunt, juxta id quod ſcriptum eſt; Matt. 11. 12. *Regnum cœlorum vim patitur*, id eſt, violenter acquiritur, D *& propterea violenti rapiunt illud*. Circa quæ verba notemus oportet, non ita hæc intelligenda, quaſi vis hæc Regni hujus Regi inferatur; uti dum terrena aliqua civitas impetu quodam ab hoſtibus oppugnatur, qui in eam vi facta, etiam rege illi repugnante, irrumpunt. Non inquam, id ſic capitur; eò quod cœlorum Rex ſuum quam libentiſſimè veris ejus petitoribus, & ambientibus, regnum cedat, atque hi *violenti*, Evangelica quadam loquendi formula, appellantur: accedit ad hæc, quod Regi, qui omnipotens ſit, nulla queat vis inferri. Illorum igitur verborum ſenſus eſt, regnum E cœlorum vi quadam comparari, quam ſibi nimirum divina auxiliante gratia quiſque infert. Violenti verò ſunt, qui appetitibus & Violenti, qui? ſenſibus ſuis violentiam faciunt vi retinendo eos, ne in illicitas voluptates, & objecta vetita ferantur. Atque hi *cœlum rapere* dicuntur, quod raptus vim quamdam & violentiam ſignificet: tum verò quod generoſi milites Chriſti in regno cœleſti comparando & petendo, terrenos imitentur milites, qui cum urbem generoſè expugnarunt, ipſam deinde diripiunt: in qua direptione diligentia quædam, & aviditas admirabilis, in pretioſis ſpoliis, accedente victoriæ lætitia, diripiendis notanda eſt. Quicumque ergo ſpiritualis F eſſe deſiderat, hunc raptum conſideret, & generoſè fortitudine ſe Chriſti armet, ad ſe, eo, quo ſequentibus capitibus dicturus ſum, modo reformandum.

CAPUT II.

De ſecundo artis hujus præcepto erga ſemetipſum: quod eſt, mortificatio intellectus.

UNA è rebus, quam multi quidem ſervi Dei, nulli verò mundani, parum conſiderant, eſt ipſa intellectus correctio, vel mortificatio. Ut enim naturaliter homo ſcire deſiderat, hinc in objecto illo non adeo G clare inordinatio illa notatur, quæ deinde in practica, vel inadvertenter, vel aliqua cum deliberatione contingit, uti fit ſi intellectui majorem det licentiam, quam illi conveniat, & una cum iis quæ bona ſunt, ſtatutos limites excedendo, etiam inutilia, vana, ac profana ſpeculetur & abdiſcat. Quod adeo quidem ſpiritum Dei retardat & impedit, ut non facile id crediturus ſit, qui reipſa non fuerit expertus. Quiſlibet tamen Lector ſequentem hanc rationem ponderet, & dijudicet. Cum Objectum intellectus quale? intellectus objectum ſit veritas, ſequitur, primarium ac præcipuum objectum ejus debere eſſe Deum, qui prima eſt veritas; & hominem, ſi ordinatè velit procedere, & veritate hac ſuprema magis, quam de alia re qualibet laborare, ac ſollicitum eſſe debere. Omnia ergo ſtudia & contentiones, quibus ab hoc primo & principali objecto divertitur, non ſunt intentioni Dei conformes: non igitur bonum ac commodum intellectus ſunt pabulum. Quicumque ergo H ſpiritualiter vivere deſiderat, hanc illam intellectus aviditatem relinquere & refrænare neceſſe eſt, ipſum eò magis primo, altiſſimo, caſtiſſimoque objecto ſuo affigendo. E doctrinæ hujus ponderatione mirabilis quædam in multis Dei ſervis nata correctio & cautela eſt; ut qui in ſuorum ſtudiorum

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat. curſu quam diligentiſſimè curarunt, ne ſuum profanis, aut plus nimio humanis ſcriptoribus lectitandis tempus impenderent, neve illud aliis in rebus inſumerent, quam quas conſcientia dictaret ad gloriam Dei promovendam, animæ propriæ ſanctitatem adaugendam, proximique utilitatem conducere. Hac porrò doctrinæ caſtitate, & A intentionis puritate magnam demum conſecuti ſunt lucem, & gnavi ſalutis proximorum procuratores extitere: quod ipſorummet ego relatu & narratione accepi. Dei porrò ſervus tam in ſtudendo, quam docendo, tum etiam in audiendo, demum in omni aliquid diſcendi occaſione, ſuum refrænet intellectum neceſſe eſt, ne conſtitutos is ſibi terminos excedat. Atque ubi Studia quae ſectanda? adverterit, hanc aut illam ſcientiam, hiſtoriam, diſputationem, aut diſcurſum nec ad Dei gloriam, nec ad animæ ſalutem, tum propriæ, tum aliorum referri, omnia protinus reſcindat & abiiciat oportet, ſi modo ſpiritui divino fidelis eſſe voluerit. Scientias quoque inutiles relinquat, & ſuum B perdere tempus caveat, non modo in lectione, auditioneque rerum vanarum, (quale, verbi gratia, eſſet, omnium gentium mores geſtaque, necnon quintæ eſſentiæ arcana, & futuros aſtrologiæ judiciariæ caſus noſſe velle) verùm etiam eorum quæ non ædificant, qualis eſſet lectio poetarum, aut alia id genus ſtudia: ſed illarum dumtaxat ſeſe rerum ſtudio applicet, quæ ad Dei gloriam, animæ ſuæ ſalutem, & proximi commodum, ſalvationemque referuntur. Confidat vero, Dei ſuccurrente gratia fore, hoc ut pacto veram ſapientiam conſequatur, uti eam rex ille habuit, qui de ſe canit; *Super ſenes* rerum experientia Pſ.118.100. pollentes, *intellexi, quia mandata tua quæſivi*, ibid. 99. paulo ante autem dixerat; *Super omnes* C *docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt*. Illa vero ſapientiæ 1. Cor. 2. 2. arcana Paulus ita de ſe ſcripſit, *Non judicavi, me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum*: perinde ac ſi diceret: ſcio me olim omnia & quælibet ſcire deſideraſſe, iiſque totum me dediſſe, verum ex quo divinus me ſpiritus illuminavit, omnes id genus ſcientias abjeci, & ſoli Chriſto noſcendo me ipſum impendi. Ita ſpirituales viri, qui veri Apoſtoli ſunt imitatores, faciant oportet. Hac porrò doctrina propoſitum non eſt variarum oppugnare ſtudia facultatum, puta Juriſprudentiæ, & artis medicæ, ſi qui iiſdem incumbit, à rebus aliis abſtineat impertinentibus, & ſuam Chriſtiano quodam modo intentionem purificet; neque enim propterea D ſpiritualis eſſe deſinet. Superiori porrò doctrinæ hoc etiam videtur addendum, quod, qui ſpiritualis eſſe vult, ſui judicii nimis eſſe tenax non debeat, ſed potius in ſuo, alieno ſine ulla contentione ſubiiciendo facilis. Permagni hocce momenti eſt, necnon eximium afferre fructum ſolet, & proximum imprimis ædificare.

Concludam hoc caput, obſervationem aliquam huc afferens, quam in multis ipſe magnæ ſanctitatis viris ſedulo notavi. Adverti igitur ſæpiſſime, illos magna quadam cautione in nihil eorum quæ quotidie contingunt, inquirere, neve illorum quidquam ſcire laborare, niſi illa dumtaxat, quæ ad ſtatum, & officium proprium ſpectarent: deinde faciles ſe admodum in E aliorum ſententia judicioque ſequendo ſolere præbere. Atque hoc non in Religioſis ſolum, ſed etiam aliquot ſæcularibus viris obſervavi: quorum, ſi neceſſe foret ad Dei gloriam & obſequium, hic nomina poſſem referre. Hi ſunt, qui vere ſuum intellectum mortificant, ſerpenti primis parentibus noſtris boni ſimul & mali ſcientiam ſpondenti credere nolentes, ſed ſoli Jeſu Chriſto, in quo omnes ſapientiæ Dei theſauros reperiunt, qui ipſos etiam quam cumulantiſſimè remunerabitur, aſſentientes.

CAPUT III.

F *De tertio artis hujus erga ſemetipſum præcepto; de mortificatione ſcilicet memoriæ.*

HOC capite & de memoria intellectuali, & ſenſitiva loquar; quod doctrina hæc utrique & communis ſit, & utilis: etſi autem Memoria duplex. ea quam dedi, duarum memoriarum diſtinctio, paſſim omnibus nota non ſit, parum tamen id refert, modo memoriæ ſuæ, quanta quanta illa eſt, juxta eam quam jam proponam doctrinam, & corrigendæ, & mortificandæ præceptum obſervent. Sancti, quos ut vitæ ſpiritualis habemus magiſtros, nunquam non felicitatis quandam in hac vita ſpeciem eſſe crediderunt, memoriam ita ſerenatam habere, ut ſolum ea Jeſum Chriſtum, & quæ ad illius cultum & honorem ſpectarent, agitaret & volveret. Mundus, ut G excellens quid ſuſpicit & æſtimat, ſi quis Hominum vanitas. innumeris eam nugis vanitatibuſque repleat, adeo ut omnes illa comprehendat & norit domorum & affinitatum nobiliorum genealogias, omnes divitum cenſus ac poſſeſſiones, omnes ambientium & palatinorum ſpes ac deſideria. Neque enim aptus Deo requieſcendi locus illæ memoriæ ſolent eſſe, quas tot vanitates occuparunt, antequam eæ inde pellantur. Unde qui ſpiritualis eſt, videat, ne hac in parte erret, ac fœdo vas illud, quod cœleſti implere balſamo poteſt, cœno repleat; lectionibus quoque, converſationibus, & occaſionibus iis abſtineat, quæ hac rerum inutilium & noxiarum multiplicitate varietateque ipſum perturbent: ſummum potius bonum memoriæ imprimat, H ejuſque adminiculo omnia illa à ſe eliminare contendat, quæ impediunt, quo minus ſæpè de Divina Majeſtate recogitet. Hac autem cura ac diligentia fiet, ut imaginatio, divinæ gratiæ cooperando, in meliorem redigatur ſtatum. Huic tamen doctrinæ, bonarum hiſtoriarum ſtudium, quod vel ad ſcribendum, vel alios docendos, aut prædi-

can-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat. candum, ſimileſve actus refertur, non adverſatur. Multò verò minus contra hanc doctrinam militat, multa, variaque, quæ ad uniuſcujuſque officium ac profeſſionem pertinent, negotia memoriter retinere, elaborare: quod ad conſolationem dico illorum, qui legitimè occupati ſunt. Pii porrò Lectoris ſe examinet conſcientia, videatque diligenter, A num in iis, quæ agit, bonum aliquem finem intendat; quin etiam abjectis inutilibus ac vanis, iis caveat memoriam rebus gravare & occupare, quæ tametſi gratæ ſint ac placeant eas cogitanti, Deo tamen ſolent diſplicere. Finem faciam, ſi ante quoddam Superioris alicujus Monaſterii mihi noti, factum ac cautelam commemoraro: Cujuſdam Superioris cautela notata. hic quò eam, quam dixi, doctrinam ſervaret, Janitori Cœnobii injunxerat, ut quoties aliorum locorum Religioſi illud accederent, ſuo illos nomine moneret, ne quid eorum, quæ foris contingerent, narrarent: nedum ut, (quod præſupponebat) Religioſi adeò reformati noxia aliqua referrent. Superior hic raræ vir erat ſanctimoniæ: qui ſicut dignè prout oportebat, æſtimare poterat, quid eſſet Dei memoriam habere, ita tum à ſe, B tum à ſuis ſedulò excludere connitebatur quidquid illam turbare vel impedire poſſet. Mundanis quidem hoc nimis delicatum & affectatum videbitur: at parum refert; modò qui ſpiritualiter vivere ſtudet, illud, prout oportet, & cogitet, & æſtimet.

CAPUT IV.

De quarto artis hujus erga ſemetipſum præcepto; de ipſa ſcilicet propriæ voluntatis mortificatione.

VErbis exprimi nequit, quanti referat voluntatem & corrigere, & mortificare: ſufficiat lectorem ſcire, ſe, ſi voluntatem reformarit atque ordinarit, infinitum quoddam bonum conſecutum eſſe; ac pri- C mum quodammodo mobile habere, quod reliquas ſecum facultates & partes hominis Quomodo mortificanda voluntas? ad verum bonum pertrahat. Ut igitur voluntas, quæ per peccatum terræ affixa, tepida & ad cœleſtia tarda remanſit corrigatur, duo illi potiſſimum facienda incumbunt; primum eſt, prorſus negare illi, quæ ſpiritui adverſantur: qualia, verbi gratia, fuerint propriæ excellentiæ, ac complacentiæ quæ diligit objecta, necnon rerum exequendarum, tametſi alioquin piarum diſpoſitio; ut nimirum eas facere proponat, non quando aut quomodo ſibi placuerit, ſed quando aut quomodo alius, verbi cauſa Superior, vel Confeſſarius eaſdem faciendas judicaverit. Hanc D ob cauſam, multi ſervi Dei, ac viri pii, qui quidem religioſam vitam profeſſi non ſunt, ſuo ſe Confeſſario penitus in rebus ſpiritualibus ſubmittunt; quamvis pia communicandi, nec non orandi, ac ſui mortificandi ſentiant deſideria; non aliter tamen ea, quam in quantum & quomodo Pater ſpiritualis permiſerit, exequantur. Sic nempe viriliter contra ſuam pugnant voluntatem, & inſignes de eadem referunt victorias. Unde facilè colligi poteſt, quantæ excellentiæ ac perfectionis religioſus ſit ad Relligioſi vita quae? voluntatem mortificandam, & inſignes de ſe ipſo victorias referendas ſtatus; cum univerſa Religioſi vita ſit obedire, & ipſe non ſecundum quod ipſe vult, ſed prout Superior E voluerit, vivat ac dirigatur. Quare primum viri ſpiritualis tam in Religione, quam extra ſtudium ſit oportet, propriam abnegare voluntatem, ad alterius, qui Dei ſupplet vicem, & locum tenet, nutum parendo. Et eſt hoc inprimis notandum, maximique momenti, quo uti per experientiam patet, quam breviſſimo quis tempore ad vitæ poteſt perfectionem pertingere. Secundum punctum, quod etiam permagni ponderis eſt, ſitum in eo, ut operam quis det, uti voluntas erga Divinam Majeſtatem, & quæ ad cultum ejuſdem pertinet, inprimis afficiatur. Hoc per intellectum fit, dum rerum divinarum honeſtatem, excellentiam, pulchritudinemque conſiderat, atque inprimis ſi id à Deo, magno animi ſtudio, contentioneque poſtuletur, ſicut ſanctus ille Rex feciſſe comprobatur, dicens; *Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua*. Pſal. 119. 36. F Secundum hocce punctum utile eſſe poterit, iis, qui nec Religioſi ſunt, nec directorem aliquem ſpiritualem habent, cui pareant: ſi enim facere hi poſſunt, quæcumque voluntas ſuggerit, permagni intereſt, voluntatem eos erga res pias ac ſanctas affectam inclinatamque habere. Verumtamen bonum eſſet, tam hos, quam qui Religioſi ſunt, vel qui ſpiritualem habent Patrem cui obediant, (quia tam ſæpe nemo cum ſuo Superiore vel Confeſſario communicare poteſt; quin multæ illi interim ſint horæ, vel dies, quibus multa ad exercitia ſpiritualia ſpectantia particularibus in rebus proprio queat nutu diſponere) univerſales aliquas directiones à ſuis Superioribus circa tempora intermedia habere; denique G quando neſcitur, quid ſuperior velit, aſſueſcant ordinariè, propriam voluntatem in multis rebus indifferentibus abnegare. Exemplum Exemplum hic referam viri cujuſdam admodum ſpiritualis, quem ipſe novi; qui quamvis eſſet ſæcularis, magni nominis, & quoad exteriora ſe gereret ut ſui æquales, adeo tamen in propria voluntate neganda exactus erat omni in re, ut per urbem incedendo ſi affectu ſe trahi ſentiret, ut per illam plateam iret, per aliam ſemper incederet; ſi palatium aliquod intueri voluntas propria ſuaderet, caput aliò converteret, & ſic de multis aliis hujuſmodi rebus; ita tamen, ut à nemine id notaretur, nec ſua idcirco negotia ordinaria minus accuratè faceret, vel ob extraordinariam hanc propriæ voluntatis H abnegandæ diligentiam, quò Dei negotium ageret, omitteret. Spiritus Dei multas, eaſque mirabiles adinvenit inventiones, & artificia ad templa ſua viva promovenda, etiam in rebus quotidianis & ordinariis, quas qui parum ſpirituales ſunt, leviter per-

tran-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

tranſeunt, non advertentes in illis ſe excellentes quoſdam virtutum actus facere poſſe. Igitur Dei ſervi, quacumque in occaſione ſuam rem ſedulò agant, & negotientur, ſi ſpiritualiter diteſcere velint.

A

CAPUT V.

De quinto artis hujus erga ſeipſum præcepto, quod eſt appetitus ſenſitivi, aut potius paſſionum mortificatio.

CAput hoc magnum undecim mihi paſſionum campum ſuggerit, quæ totidem quodammodo feræ indomitæ ſunt, nullo non tempore infinita militibus Chriſti bella moventes & lites: hæ ſunt inordinatus rerum temporalium amor, fervens harum deſiderium, & quæ ex iiſdem capitur delectatio; rerum bonarum odium, earumdem fuga, & abominatio; dolor qui earumdem cauſa oritur, vana rerum vitæ hujus ſpes, audacia ad illicita exequenda, in rebus bonis ſanctiſque deſperatio, timor quoque carnalis & mundanus, denique ira infrænis & immoderata.

Paſſiones ferae indomitae dictae.

B Undecim hæ paſſiones in appetitu ſenſitivo reſident, & omni hora vehementibus quibuſdam motibus, adverſus rationis imperium rebellantes excitantur. In harum belluarum mortificatione potiſſima fortitudinis juſti pars conſiſtit; ex harum verò victoria gratia divina copioſè acquiritur, necnon magna cum eadem cooperatio. Hæc ſunt ſexaginta illorum fortium Iſrael, qui lectulum Salomonis ambiunt, bella; inſignium, inquam, illorum bellatorum & pugilum Dei, qui ſuper animam ſuam, in qua ſcilicet verus ille Salomon Chriſtus Jeſus requieſcit, vigilant. Si de ſingulis harum paſſionum ſcriberem, plus æquo ac deſtinato ars hæc excreſceret; quamobrem quamdam omnibus paſſionibus communem doctrinam huc afferam, lectorem, C ſi ſingula videre voluerit, ad noſtrum, quem de Novitiorum Inſtructione tractatum edidimus, remittens.

Ad paſſiones mortificandas media.

Dico igitur, eum qui omnes paſſiones ſuas brevi & efficaciter mortificare deſiderat, gratia divina adjuvante, conſecuturum tandem quod deſiderat, ſi ſeriò advigilet, nec inordinatis rerum noxiarum amoribus affectum adhæreſcere ſinat; verbi cauſa: Pulchritudinis corporalis, divitiarum, vel honoris mundani in ſe amorem expergiſci ſentit; ſi ſtatim atque inordinatorum horum amorum motus in ſe advertit, frenum contrahat, affectum ad cœleſtia erigere conando; hoc conatu ac violentia, qua affectum in cælum librat, ipſum ab omnibus illicitis objectis avellit, & ſuum paſſionibus fomitem ſubtrahendo, earumdem D violentiam atque immanitatem adeo non fovet, vel nutrit, ut cicuret potius ac mortificet: atque hæc appetitus ſenſitivi reformatio eſt. Hæc autem paſſionum mortificandarum ratio multò eſt ad practicandum, quam aliæ omnes, facilior; & ſi ex affectu & ex animo fiat, feliciter ſuccedit, & utilitatem incredibilem animæ affert; quod omnium paſſionum hoc pacto radix præſcindatur, quemadmodum è ſequenti ratione & argumento manifeſtè liquet. In Morali Philoſophia axioma iſtud certiſſimum eſt, ſi prima paſſionum non moveatur, nec alias, quæ ab eadem dependent, moveri: cum manifeſtum ſit, neminem aliud quidpiam E deſiderare vel cupere, quam quod amat; neminem alia delectari re, quam ea quam amat; neminem quid abominari, niſi contrarium id ſit ei quod amat; neminem contriſtari, niſi quia privatur eo quod diligit; neminem ſperare aliud, quam quod amat; neminem iraſci, niſi illi qui impedit, quo minus re amata potiatur: atque ita de reliquis eſt paſſionibus ſentiendum. Porrò hoc poſito principio, neceſſaria ſequitur conſequentia, ſervum Dei, ſi ſedulò ſuper ſe vigilet, & gladium mortificationis ſemper paratum habeat; quo inordinatum honoris, opum, voluptatum terrenarum affectum & amorem præſcindat & jugulet, hoc cæteras ſimul omnes paſſiones pacto mortificare, utpote quæ ſine amore ſeſe non movent. Ut porrò utiliſſima hæc doctrina exerceatur, F non incommodum foret, ſi ſeriò ſecum lector proponeret, hiſce illam ſimilibuſvè verbis exercere: Domine Deus meus, firmiter coram divina majeſtate tua propono, continuo aſſidueque ſuper cor meum vigilare, accuratè ad inordinati amoris motus, ſi quando exurgunt, advigilando, eoſque, quam poſſum citiſſimè, divina gratia tua juvante, reſecare, cor meum ad te ſuſtollendo, vimque mihi faciendo, ut ipſum à rebus, quas illicito inordinatoque quodam amore proſequitur, avellam. Atque hoc pacto dignum id tibi thalamum parabo. Deinde ipſa, in occaſionibus praxis his ſimilibuſve verbis continebitur: Sentio equidem, Domine Deus meus, ira me effreni commoveri, quod exiſtimari magnique fieri velim: hic verò non G pro eo atque oportet, facere, aut tractare me ſatis benignè videtur. Cæterum hominum gratiam æſtimationemve parum moror, ſed tuam dumtaxat: hinc curabo, ut mentem meam tranquillem ac quietem. Hoc exemplum etiam ad alios paſſionum motus frenandos ſerviet; intendendo inprimis, ut amoris inordinati, per quem illæ excitantur, motus coerceantur.

Paſſionum origo.

Videndum hic etiam, ut poſt verba hæc inſignis quædam cordis ſequatur elevatio; in qua actus mortificationis conſiſtit excellentia. Porrò circa paſſionum conflictum Lector obſervet, non eſſe ſibi animum deſpondendum, ſi, poſtquam multis illas mortificaverit annis, nondum illas domitas vel manſuefactas comperiat: ſunt enim indomitæ feræque belluæ, quæ- H que non tam citò cicurantur: & tametſi toto vitæ tempore non expugnarentur, non idcirco quidquam perdet, qui legitimè pugnaverit, quin potius ampliſſimas in cælo ſibi coronas comparabit. Ad hæc, admirabili quadam Dei providentia fieri conſideret, in plurimis ipſam paſſionum violentiam diutius vigere, ad majorem ſcilicet merito-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

Iuſti cur paſſionibus obnoxii?

rum ipſorum ſegetem, quibus haud dubiè fruſtrarentur, ſi paſſiones citius ſopitæ quieſcerent. Atque hæc eſt ratio, cur plurimos præſtanti ſanctitate viros paſſionibus maximè videamus obnoxios, ut adoleſcentes etiam ferventes ætate videantur. Facit hoc ad humiliationem ipſorum, & virtutum eorum excellentiam ſub profundæ cujuſdam humilitatis A cinere cooperiendam.

CAPUT VI.

De ſexto artis hujus erga ſeipſum præcepto; quod eſt, exteriorum ſenſuum in communi mortificatio.

Senſuum externorum mortificatio præcepta.

QUicumque domus ſuæ ſupellectilem rite diſponere & ordinare cupit, ille januam occludit, ut quæ ſibi intus facienda ſunt, ſine ullo impedimento faciat. Quiſquis potentias, appetitus & ſenſus interiores reformare, cupit exteriorum ſenſuum portas magna quadam cuſtodia occludet neceſſe eſt, ne quod tanti refert opus facere impediatur. Hinc iis, qui vitam B ſpiritualem vivere ſatagunt, ſemper ſuadetur & præcipitur: ut magno ſenſus exteriores ſtudio mortificare incipiant: & frequenti experientia conſtat, hoc pacto qui facit, eum vitæ ſpiritualis intentum excellenti quodam modo ſibi comparare. Etſi verò hæc me ratio, in hoc de ſui ipſius reformatione tractatu, cogere videbatur, ut eum à ſenſuum exteriorum mortificatione auſpicarem; parum tamen hic ordo refert, quod non ita hæc doctrina intelligenda ſit, quaſi qui vitam ſectari ſpiritualem voluerit, ante omnia ſenſuum exteriorum debeat mortificationi ſtudere; quos cum mortificaverit, deinde ad interiores, ſtrictè ut verba ſonant, primum advertat. C Non ita ſe res habet: niſi enim Dei ſervus intellectum, & voluntatem propriam ſimul mortificare ſtudeat, numquam ſenſus mortificabit exteriores, qui tum moventur, cum homo voluerit. Hanc ob cauſam parum refert, an ſenſuum exteriorum mortficatio primo ponatur loco, an interiorum; cum certum ſit, vere illos reformari, cum voluntas & ſenſus interiores reformantur: quamquam alioquin verum ſit, quantum ad victoriam quæ inde reportatur, ſenſuum exteriorum victoriam priorem eſſe, quam ſit interiorum, quod hæc illa ſit facilior comparatu, quemadmodum è quotidianis patet exemplis. Hanc igitur de ordine ſpeculationem omittendo, & ad documentum, quod potius eſt veniendo, eximium quid eſſe & præclarum dico ſi ſervus Dei, D qui vacare ſpiritui velit, firmiter & in genere in animo proponat, ſenſus ſuos refrænare, nec aliud quid per eoſdem exequi, quam quod ad Dei cultum, animæ ſuæ, aliorumque ſalutem & neceſſarium noverint, & utile. Propoſitum hoc ſæpius renovandum eſt, nec animus deſpondendus, eo quod ſibi, cum ſæpe aliquid vel non videre, vel non audire propoſuerit, poſtea in ipſum relapſus videatur. Hæc igitur eum ratio non deiiciat vel debilitet, ſed humiliet potius, & ſpem fiduciamque ſuggerat, ſe, divina auxiliante gratia, facilè omnia ſuperaturum.

Senſuum mortificatio meritorum fons.

Finio hoc caput, ſi lectorum commonefecero, ut ipſam ſenſuum exteriorum mortificationem permagni faciat, quod meritorum ipſa ſit fœ- E cundiſſima procreatrix, magnam conoſcientiæ adferat pacem, denique innumera auferat impedimenta, quibus interior cum divina majeſtate converſatio interturbetur.

CAPUT VII.

De ſeptimo artis hujus erga ſeipſum præcepto; quod eſt oculorum mortificatio.

EXigua in oculis cuſtodiendis cautela maximarum eſt perturbationum, & graviſſimorum peccatorum principium, uti Scriptura nos divina edocet, ac præſertim in funeſto illo Evæ intuitu, quando nimi- F rum in arboris ſcientiæ boni & mali fructum illos conjecit. (Gen. 3.6.) Et in Davidis oculorum conjectu, quo illam reſpexit mulierem, quæ poſtea eum ad adulterium pertraxit. Verum quid opus è Sacris litteris exempla accerſere, (2. Reg. 11.) cum tot quotidie videre ſit, ut ad eas, quæ è quotidianis ſumuntur lapſibus, quos incauti licentioſique oculorum jactus cauſantur, probationes & argumenta nemo quid queat obiicere? Veritas hæc nimis quam notoria eſt, eique ſuffragantur tum ſpirituales, tum etiam peccatores, idque ob peccata quæ inde coſequuntur. Oculorum igitur mortificatio in eo coſiſtit, ut in continuo quodam Dei timore viventes, cum labendi ſeſe offert occaſio, eoſdem in terram etiam invitos declinemus, violenterque retineantur; primo G quidem ne parum caſta videant, deinde ut etiam à rerum delectabilium conſpectu arceantur. Quoad parum caſta, nulla neceſſe hic eſt adducere exempla, vel rationes; res enim per ſe manifeſta eſt: quoad delectabilia ac recreativa, multis id illuſtrare exemplis poſſum; qualia, cauſa exempli ſunt, retinere ſe à ſplendidis palatiis, ſolemnibus epulis, equitatibus, ſolemnibus Principum in urbes ingreſſibus, haſtili ludicro, comœdiis, aliiſque id genus rebus videndis. Deinde ulterius progrediendo, continere ſe, ne quem in faciem reſpiciat; & quando per plateas incedendum eſt, & rhedarum, aliarumque rerum, ad quas videndas oculi quam celerrime rapi ſolent, & ferri ſtrepitus auditur, ſtare ſu- H per cuſtodiam ſuam, & deliberatè & cum propoſito cavere huc oculos reflectere. Hac è lucta mille ſibi boni Religioſi coronas in cœlo texunt: ut enim occaſiones innumeræ ſunt, & victoriæ etiam innumeræ, neceſſariò, conſequenterque magna etiam eſt merces: quin etiam ii qui etiam in ſæ-

cu-

Oculorum mortificatio quomodo exercenda?

culo ſpirituales ſunt, magnas ſibi per hanc mortificationis ſpeciem coronas & divitias conquirunt, dum rerum pulchrarum amabiliumque in terra conſpectu libenter ſeſe privant, eaſdem in cœlo videre ſperantes. Circa hanc doctrinam notandum, non eſſe A ad extrema deſcendendum, uti faceret, qui data opera nihil omnino videre vellet, ſed oculos ſemper humi dejectos teneret: ratio hujus eſt, quod hoc pacto anima quodammodo ſuffocetur, & anxia reddatur, atque ad multa ad Dei cultum ſpectantia facienda veluti manca & inutilis: tum etiam quod ſepenumero rerum jucundarum, & ad cœleſtium conſiderationem moventium, conſpectus juvare permultum ſpiritum ſoleat; qualis eſt, inſignes, Sanctorum imagines, agros, ſilvas, mare, fontes inſpicere, quæ qui intuetur, periculum adeo non eſt, ut noxias inde cogitationes concipiat ut inde etiam cor dilatetur, roburque colligat, ad in via Domini per ſancta deſide-B ria, & animi elevationem, quam harum rerum cauſare conſpectus ſolet, ambulandum. Atque hæc etiam temperatura ac moderatio proportionate in aliorum ſenſuum eſt uſu adhibenda. Nec vero boni viſus corporalis mortificatores incaſſum laborant; nam præter futura in cœlo præmia, magnam recipere in interiori animæ viſu claritatem ſolent; & ad talem interdum ſui victoriam perveniunt, ut quamvis quidquid in mundo pulchrum eſt ipſis proponeretur, nullo prorſus ad ipſum conſpiciendum deſiderio ferrentur.

CAPUT VIII.

De octavo artis hujus erga ſeipſum præcepto; de auditus ſcilicet mortificatione.

C AUditus mortificatio in eo ſita eſt, ut ſibi quis ab inutilibus, vanis, ac profanis rebus audiendis caveat; magno verò cum affectu attenteque audiat, quæ ſpiritualia ac divina ſunt, qualia ſunt conciones, & ſervorum Dei præcepta, commonitiones, vel correctiones. Quod ab iis qui ſpirituales eſſe volunt, requiritur, id eſt, ut conſtanter & ſcitè ſermones noxios interrumpere & præcidere, necnon ſe eorum occaſionibus ſubducere norint, caſtas ab iis aures conſervando, ſicut egregii ſervi Dei faciunt. Rarum quid eſt, ſeſe oblatis poſſe occaſionibus ſubducere atque eripere: at qui rarum quid & ſingulare agere non intendit, in imo hærebit ſemper ſtatu, & parum is ſpiritualis futurus eſt.

D

CAPUT IX.

De nono artis hujus erga proximum præcepto quod eſt linguæ refrenatio & mortificatio.

Linguae immortificatae damna ineffabilia.

NUlla penitus in mundo lingua eſt, quæ linguæ immortificatæ damna queat explicare: quis porrò innumera, quæ à lingua proficiſcuntur peccata, non admiretur? ſunt hæc quippe velut arena maris innumerabilis. Iis vero qui vitam profitentur ſpiritualem, nemo niſi expertus novit, quantum adferre in via perfectionis detrimenti ſoleat nimia ac ſuperflua, tametſi de rebus bonis, E locutio. Linguæ correctio in eo ſita eſt, ut inutilia loquendi, nedum mala & noxia illi negetur facultas, tum etiam, ut moderata & non nimia ipſa ſit locutio etſi alioquin de rebus bonis. Non eſt autem neceſſe, pluribus hanc doctrinam declarare, quod ejuſdem convenientia nimis quam manifeſta ſit. Poſſem equidem aliquot adducere exempla eorum, qui raro quodam modo ſuam refrænarunt linguam, quæ meis ipſe oculis in ſtatu religioſo vidi, ſed brevitatis cauſa hæc omitto. Poſſem hic etiam magno cum affectu ſtupendam non modo in publicis peccatoribus, verum etiam in viris gravibus linguæ licentiam verbis multis demonſtrare; qui nullum unquam faciunt loquendi finem, de re-F bus tamen divinis non loquuntur. Forſitan dicent, graves ſe culpas loquendo non committere: ſed væ illi, qui innumera peccata venialia parvi facit, quia nunquam in via ſpirituali proſperabitur.

Guſtus mortificatio præcepta.

Ad hoc etiam caput ſpectat mortificatio guſtus; quæ in eo ſita eſt, ut & moderatè cibus ſumatur, & in eo guſtus, qui neceſſarius non ſit, nullus quæratur. Numquam ſolent ſpirituales menſæ accumbere, quin ſemper aliquam, ad exercitium temperantiæ, & ut guſtus refrænetur, atque intra vitæ ſpiritualis mediocritatem retineatur, è ſapidiſſimo cibo buccellam ſibi ſubtrahant.

CAPUT X.

De decimo artis hujus erga ſeipſum præcepto de mortificatione, inquam, odoratus.

G MOrtificatio olfactus in eo conſiſtere perhibetur, ut ab olfaciendis iis ſuavitatibus, quæ ad ſpiritum non faciunt, quis abſtineat; immo verò quæ naribus diſplicent & nauſeam pariunt, non graviter ferat, quin immo olfaciat, ut hoc modo odoratus ſenſum mortificet: quod magno ſuo merito ſervi Dei facere ſolent. Huic tamen doctrinæ non adverſatur flores & alia id genus interdum olfacere, ut ſic animus ad Deum illorum conditorem laudandum ſuſtollatur: qamquam & his odoribus abſtinere, ut per hunc mortificationis actum Deus laudetur, majoris eſſe meriti ſoleat.

H

CAPUT XI.

De undecimuo artis hujus erga ſeipſum præcepto, de tactus ſcilicet mortificatione.

SEnſus hujus mortificationem in eo ponimus, ut tangere caveamus non modo ea quæ impura & caſtitati parum conformia ſunt, ſed etiam ea quæ levia & tactu mollia ſunt, & tacta delectant, qualia ſolent

eſſe

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

eſſe veſtes ac lecti divitum: de qua re plura hic non dicam, cum quæ ad hanc materiam pertinent, ſatis ſufficienterque intelligantur vel obiter indicata.

CAPUT XII.

A *De duodecimo artis hujus erga ſeipſum præcepto; quod in virtutum comparatione, & pravis vitiorum habitibus evellendis conſiſtit.*

Praeceptum

NOtet diligenter lector, illa ipſa hominis reformatione, de qua in undecim partis hujus capitibus locutus ſum, divinæ gratiæ ope, pravos vitiorum habitus evelli, & virtutes è contra inſeri: adeo ut per illos ipſos mortificationis actus & novi virtutum habitus generentur, & contra vitiorum præteritorum habitus, vel deſtruantur, vel deficiant. Quamobrem qui ſuiipſius reformationi ſeriò, & ex animo incumbit, illa confidat fore, ut divino auxilio eradicaturus ſit B vitia, ad quæ pronus fertur, & illas comparaturus virtutes, quas habere deſiderat. Verum ut melius ſublime hoc ejus ſtudium ſuccedat, perutile fuerit, ſi quod ſubnecto præceptum obſervet, quod & ad alia multa præcepta valet, quò una cum vitiorum contrariorum expulſione virtutes acquirantur. Præceptum igitur hoc eſt: Unuſquiſque qui ſpiritualiter vivere deſiderat, examinando ſeipuſm, notet diligenter, in quod ſit maximè vitium proclivis, & qua potiſſimum virtute opus habeat; quod è Patris ſui ſpiritualis conſilio ac directione faciet. Ut ergo primum animæ ſuæ ſtatum ſincerè perſpexerit, peculiari quodam ſtudio & contentione perſeveranter, inſtanterque Divina Majeſtate vitii illius edomationem ac victoriam, necnon contrariæ virtutis impetrationem expoC ſcat. Atque ad hoc iis utatur mediis, quæ Confeſſarius illi præſcripſerit: qualia ſunt, exempli gratia, humiliandi ſui exercitia, ſi ſe magna de ſeipſo præſumptione laborare compererit: carnis emacerandæ, ſi illam refractariam ac rebellem experiatur: temperantiæ & ſobrietatis, ſi gulæ ſe & ingluviei obnoxium ſenſerit; atque ita de aliis prout vitium prædominans, & contraria illi virtus id neceſſarium eſſe judicarit. Si verò generosè ſe & conſtanter in hoſte hoc validiſſimo expugnando geſſerit; divina gratia ſuccurrente, tam de illo quam de aliis minus violentis victoriam referet, & ſimul cum hac alias, quæ ſibi invicem velut concatenatæ & connexæ ſunt, virtutes ſibi acquiret. Hunc porrò ſui exercendi modum, utpote D maximi momenti, & velut quoddam ad perfectionem, quò aſpirat, celeriter perveniendi compendium permagni faciat. Atque in hoc finem facientes ad partem ſequentem tranſeamus.

PARS QUARTA.

Hac continentur ea, quæ erga proximum in omni ſtatu facienda ſunt illi, qui ſpiritualiter vivere deſiderat.

E

CAPUT I.

De primo artis hujus erga proximum præcepto; de affectu nimirum, quo erga ipſum ferri oportet.

F

Proximus quomodo diligendus?

Dilectio proximi magnum mandatum.

PRimum omnium, quod cum proximo faciendum incumbit illi, qui vitam vivere ſpiritualem deſiderat, eſt affectum ritè, legitimeque erga illum ordinare; quod in eo ſitum, ut illum in ordine ad finem, propter quem fuit creatus, (qui eſt, ut Deo in æternum potiatur) amet: adeo ut ſervo Dei bona illa, quæ ordinariè habetur, voluntas, qua unus alterum amat, quod animal ſit ſociale, & ejuſdem conſors naturæ, minimè ſatis ſit; verum etiam ad finem ſupernaturalem cor ſuum elevet, & expreſſos bene illi volendi, & illius, in quantum poterit, adiuvandi propter beatum illum finem, actus faciat. Hic illi affectus incredibiliter conducet, ad faciendum quæcumque lege divina proximo fieri præcipiuntur. Eſt hoc permaG gni momenti mandatum, quod multos Chriſtianos minimè ſervare dolendum eſt, proximum hoc pacto diligere non curantes, qui tametſi multas inutiles ſubtilitates, & argutias norint, forſitan tamen neſciunt, in quo amor ille erga proximum, tantopere, tamque efficaciter nobis à Chriſto Domino commendatus, conſiſtat. Sed faciat mundus prout placuerit, proximumque vel propter voluptatem aliquam delectationemque, quam ex illo capit, vel ob aliquod aliud, quod ab ipſo ſperat, emolumentum diligat: ſed verus Dei ſervus vitæ æternæ intuitu illum amet, quin immo in omnibus quas cum ipſo tractat rebus etſi temporales eæ ſint, hanc intentionem habeat, necnon à divina majeſtate petat, ut nonniſi ad veræ ultimæque felicitatis ſibi comparationem ipſius amicitia ſerviat. Hoc H ſcilicet homines ſpirituales erga proximum affectu ferri ſolent: è quo immenſum quoddam ipſis adnaſcitur bonum, ſcilicet, omni propterea cura illos advigilare, ne quam illi peccati occaſionem dent, ſed potius ad benefaciendum illum excitent, quo ad beatum hunc finem perveniat. Hæc doctrina ſervit omnibus, adeo ut ipſi etiam mercatores,

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

actuarii, miniſtri principum etiam ſæculares ſuis in negotiis affectum excitare. & Dominum rogare queant, ut quibuſcum tractant proximis, propter ſupradictum finem ſerviant. Hoc Lectoribus unicè ſingulariter commendo, quod id maximopere ad ſpiritus profectum conducat, & adeo conſentaneum ſit ei, quod ab omnibus nobis Jeſus Chriſtus A Dominus noſter, in fraterna charitate exigit.

CAPUT II.

De ſecundo artis hujus erga proximum præcepto; quod eſt, inimicos ſincero benignoque affectu complecti.

PRæſuppono eum, qui vitam ſpiritualem vivere decernit, neminem prorſus ut inimicum ducere, ſed potius magnam, quantum quidem in ſe eſt, pacem cum omnibus oſoribus ſuis habere. Verum, quia de vita agitur ſpirituali, ulterius etiam hic provehatur, & multos amoris erga inimicos, erga illos inquam, qui ipſum opere vel verbo exagitant, vel affligunt, exerceat actus oportet, B benevolum ſe illis præbendo, & ex animo complectendo, perinde ac ſi maxima ab ipſis beneficia & obſequia accepiſſet. Hoc dignum diſcipulatu Chriſti Jeſu punctum eſt. Et tametſi pauci admodum ſincerum hunc erga inimicos affectum gerant; nemo tamen animum deſpondere debet, ſed toto ad hanc ſublimitatem affectus conatu aſpirare, quod res ſit pretioſiſſima. Hanc ob cauſam multi ſervi Dei peculiari quadam ſolent pro inimicis & oſoribus Deum oratione obſecrare, quin immo interdum illis famulandi, & quandocunque potuerint, illorum conſolandorum votum concipere; quorum adferre aliquot exempla poſſem, quos ipſe novi. Atque hoc pacto mirabiliter ipſa vitæ creſcit perfectio.

C

CAPUT III.

De tertio artis hujus erga proximum præcepto; de exteriori ſcilicet veræ caritatis & benevolentiæ declaratione.

SI interior hominis ſtatus eo, quo capitibus duobus præcedentibus declaratum eſt modo, compoſitus ſit, exterior ſuavis cum proximo converſatio adeo nihil difficultatis habet, ut etiam naturæ conſentanea & conformis ſit. Sed quia ſæpè variis de cauſis homo interior turbatus eſt, nec tam citò ſerenari poteſt; neceſſarium eſt, eum, qui de vita ſpirituali agenda tractat, amicè cum proximis & ſuaviter converſari conari, id ita exterius prodendo, etſi contrarium inte- D rius in ſe ſentiat. Tum verò id maximè neceſſarium erit, quando cum iis, qui aliquam injuriam irrogarunt, vel in aliquo contriſtarunt, loquendum erit. Hoc è ſigno veri ſervi Dei agnoſcuntur: ad quod lectorem etiam atque etiam exhortor.

CAPUT IV.

De quarto artis hujus erga proximum præcepto: quod eſt illi ſeſe, quantum quidem vitæ ſpiritualis ratio patietur, attemperare.

SPiritualium proprium eſt, proximorum E conditiones & qualitates obſervare, & occaſionibus ſe, quantum quidem vitæ ſpiritualis feret perfectio, accommodare. Hæc accommodatio & attemperatio in duobus ſita eſt: primò ſcilicet, prævidere quid diſplicere aliquo proximis modo poſſet; à quo Dei ſervus inprimis abſtinere debet, niſi aliquod inde vel ſibi, vel aliis ſpirituale detrimentum ſequuturum ſit. Alterum verò, in quo hæc accommodatio conſiſtit, eſt prævidere vel diſpicere, quid proximum conſolari poſſit (eò quod illius id conditioni conforme ſit;) atque deinde idipſum, ſalvis tamen perfectionis punctis, perficere. Ex hac doctrina ſequitur, bene laudabiliterque multos ſpirituales agere, qui quando apud alios verſantur, interdum orationem intermittunt F quando præſertim illa præcepti non fuerit, ſed propriæ electionis; ne converſationem cum proximo abrumpant, utque eum hoc modo conſolentur: interdum etiam ſuum percurrerent roſarium, quod ſtata ejus recitandi ſit hora; id tamen tunc omittunt, ne proximum contriſtent; & ſic de aliis actibus ſimilibus, qui cum ſpiritu & fraternæ caritatis intuitu facti, excellentes quidam virtutum ſunt actus: quinimmo in id genus occaſionibus illorum Dei ſervorum cor divinæ ſolet eſſe majeſtati magis unitum, quam ſi in Oratorio in orationis quiete Deum oraſſent.

CAPUT V.

G

De quinto artis hujus erga proximum præcepto; de ordinata compoſitaque cum ſuperioribus, æqualibus, & inferioribus agendi ratione.

QUicunque ſpiritualis eſt, humanitatis civilitatiſque, prout uniuſcujuſque ſtatus requirit, regulas modo quodam ſublimiori, ac magis pio ſervare debet, quam vulgò alii obſervent. Superiores ſiquidem revereri ac colere debet, quaſi cum Chriſto Domino loqueretur: apud æquales verò ita ſe gerere, ac ſi ſui fratres eſſent: inferiores autem benignè admodum tractare, ac ſi ſui eſſent filii. Omnes urbanitatis formulæ, quæ in iis qui ſpirituales non ſunt, politicæ eſſe ſolent formulæ, in hominibus ſpiritualibus, qui non H alio eas intuitu exercent, quam ut animis proximorum in ordine ad vitam æternam proſint, excellentes quidam eſſe ſolent actus virtutum, cum quibus divina caritas & fovetur & augetur. Aliquæ quidem ſervorum Dei, ipſas civilitatis formulas, vel quod eas non didicerint, vel quod ob nimiam ad inte-

Superior loco Dei.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

Dei ſervi cur aliquando faceti?

Fraterna correctio notata.

teriora attentionem, earum non recordentur, aut aliis de cauſis, non reſpicientium, inurbanitates veniam, toleratæ mœrentur: propterea tamen in hoc imitari eos minimè oportet, ſed potius omnia pro eo quem vitæ ſpiritualis decorum exigit, modo facere. Quoad hanc doctrinam porrò notandum eſt, multos nihilominus Dei ſervos certas quaſdam A aliquibus in occaſionibus facetiarum ſanctarum formulas uſurpare, iiſque alios ad riſum & honeſtam quamdam recreationem inſigni quadam caritate excitare ſtudere, ut qui probè ſciunt, tetricitatem ac melancholiam capitalem vitæ ſpiritualis hoſtem eſſe. Hæ autem facetiæ non parum ædificant eos, qui è quo principio enaſcantur, norunt. Sunt verò alii Dei ſervi, qui, cum apud alios verſantur, videntur ne audere quidem reſpirare; dum metuunt, ne alicubi vel verbo, vel opere aliquo modo impingant. Hi ordinariè in hoc peccant, & tum ſibiipſis nocent, ſpiritum ſuffocando, ſeque ipſos ad caritatis fraternæ actus exercendos & imbecilles, & inhabiles reddendo; tum verò proximis, dum non ea qua oportet hilaritate B comitateque cum iis agere volunt. Ad capitis hujus finem notandum eſt, huic præcepto non adverſari, ſi quis alium, quando id vel juſtitia, vel caritatis obligatio requirit, reprehendit vel caſtigat: ſed horum actuum aſperitas eſt ſpiritu Dei (qui ſpiritus eſt lenitatis, quique certos loquendi & caſtigandi modos, qui adeò non pungunt, ut & compungant & corrigant, ſuggerit) attemperanda & lenienda. Quod notandum ac ponderandum inprimis eſt, ut, dum fraternæ correctionis exercendæ ſeſe offert occaſio, ſuum caritas locum habeat.

CAPUT VI.

De ſexto artis hujus erga proximum præcepto; quod eſt, exterior morum compoſitio & comportatio.

C

Spiritualis vitæ doctrina quoad hoc, eſt, ut Dei famulus in exterioribus ſit modeſtiſſimus; in verbis ſuavis, moderatus, ſimplex; in oculorum conjectu ſincerus & parcus; in inceſſu nec tardus, nec celer; in vultu nec tetricus, nec diſſolutus; ſed gravitatem is hilaritati mixtam, necnon manſuetudinem præferat. Hæc exterior hominis compoſitio, ſpiritum Dei interius commorari teſtatur; hæc omnibus placet & univerſos ad ſe allicit, necnon ad proximum ad virtutem ac bonum pertrahendum potens eſt & efficax. Hanc lectori itaque quam maximè D commendo: novi enim, quantopere aliqui Dei ſervi, qui de exteriore ſui compoſitione reformanda parum laborant, proximo noceant; ſimul etiam eos qui natura diſſoluti & incompoſiti ſunt, commonefacio, ut naturæ ſuæ imperfectiones & vitia, divina auxiliante ope, emendare connitantur; hoc enim modo magnum cum Deo, tum proximo obſequium præſtabunt.

CAPUT VII.

De ſeptimo artis hujus erga proximum præcepto; quod eſt, tum in ſpiritualibus, tum corporalibus illum adjuvare.

1. Joan. 3.17

Eleemoſynæ praecepta.

Diximus quomodo interior erga proximum affectus ſit componendus, & E quomodo exterior ſit ad ſpiritualiter cum eodem converſandum compoſitio ordinanda; reliquum jam eſt, ut de auxilio, quod ejus cum animæ, tum corpori impendendum eſt nonnihil dicamus. Quo ad animam quidem pro ipſo orandum eſt, bona illi prudenter monita danda, à malo ipſe divertendus, inſtruendus, & ad benefaciendum inducendus. Actus hi ad unumquemque pro ſtatu ſuo & occaſionum circumſtantia ſpectant; adeo ut etiam maximè diſtracti ſæculares de proximo juvando ſolliciti eſſe deberent; ea dumtaxat de cauſa, quod is proximus ſit; at ſpirituales majori facere hæc officia perfectione oportet, uti & de facto multi faciunt, Congregationes, & Sodalitates inſtituendo, quarum F ope ſpiritualia ignorantibus, & iis qui in peccati mortalis ſtatu verſantur, remedia provideantur, & ſcandala impediantur, necnon aliis modis, quos unuſquiſque Dei ſervus, vel ipſe ſingillatim, vel ſimul cum aliis exequitur, quò proximum vel ad bene agendum inducat, vel à malo avertat; quod è quotidianis exemplis manifeſtè patet. Quo ad auxilium corporale multa etiam ſervorum Dei exempla afferre poſſem, qui vel ſoli, vel cum aliis bonam facultatum ſuarum partem in egentium, opem neceſſitatemque, magna aliorum ædificatione, & exemplo inſumunt. Si autem in hac materia aliquis Dei ſervus, cum & poſſit (facultates poſſidendo) & temporalem inopum neceſſitatem perſpectam habeat, liberalem tamen ſe erga eos non exhibeat, credere ſanè non poſſum, G eum eo, quo oportet ſpiritu, incedere. Notat id etiam S. Joannes Apoſtolus, cum ait, *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* Circa quæ verba notandum, Apoſtolum, ut explicet, eum qui exiguæ eſt caritatis proximo bene non facere, hanc loquendi rationem uſurpare, *Clauſerit viſcera ſua*; perinde ac ſi dicere vellet, Chriſtiani divitis viſcera ſemper erga pauperem patere debere, & cum eleemoſyna non datur, tunc eadem velut occludi, & oſtendere caritatem ibidem non habitare. Stupenda quoque durities, & inclementia multorum eſt, qui quidem ſpirituales videntur, H Sacramenta frequentant, orant, tenerrimos affectus excitant, & peccata plangunt: qui, ubi de eroganda in pauperem eleemoſyna commonentur, ita indignantur & moventur, ut per exiguam hanc ſtipem ad ſummam redigendi inopiam videantur. Hi quidem poſt Chriſtum currere videntur, revera tamen poſt aurum abeunt & argentum. Diſcant igi-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

igitur qui ſpirituales eſſe volunt, liberales eſſe & hoc ſe charitatis divinæ ſigno conſolari. Hactenus de iis actum eſt, quæ in omni ſtatu facienda ſunt iis, qui ſpiritualiter vitam inſtituere deſiderant; jam tempus eſt ut de diverſis hominum loquamur ſtatibus, aliquot, quibus ad perfectionem ſuam quique pertingant, monita ſuggerentes.

A

PARS QUINTA.

In qua de variis agitur ſtatibus, ac ſua ſingulis monita præceptaque ſpiritualia aſſignantur.

PROŒMIUM.

B

ANtequam de ſtatibus agere incipiam, lectores moneo, non mihi propoſitum eſſe, de omnibus ac ſingulis ſtatibus loqui, ſed de pæcipuis ac magis vulgaribus. Nec minus animus eſt omnia proferre, quæ de horum ſingulis dici poſſent; quia horum aliqui ſunt hujuſmodi, ut librum per ſe ſoli requirerent; & multo cenſeo utilius, pauca quædam primaria & præcipua illis monita dare, quam multa quæ exequutioni mandare vix queant. Rurſus eoſdem commonitos volo, eum qui hac arte ſuo in ſtatu rite uti velit, ſecundam tertiam, & quartam ejus partem ita evolvere debere, ac ſi in ſui ſingillatim ea gratiam conſcripta eſſet; ſed e ſola quinta hac illud ſeligere, quod ad ſuum ſpectat ſtatum, atque hoc cum tribus illis partibus conjungere, ipſumque ad Dei optimi maximi gloriam, atque animæ ſalutem ſuæ exequi contendere.

C

CAPUT I.

De Epiſcopis.

PRæſuppono, Epiſcopo ſpirituali ea quæ muneris ſui ſunt, magna quadam perfectione facienda eſſe, quod ſtatus hic hominum ſit perfectorum.

Epiſcopus verus Eccleſiæ Sponſus

1. Sit igitur verus Eccleſiæ ſuæ ſponſus in eadem commorando, ſicut perſonalis reſidentiæ præceptum atque obligatio id exigit, ſuamque intentionem illorum Apoſtoli verborum, *bonum opus*, intuitu non in temporalium reſpectu purificando.

D

1. Ad. Tim. 3. 1.

& Paſtor.

2. Sit paſtor, & Sacramentorum ac verbi Dei pabulo, & bono vitæ exemplo creditum ſibi populum paſcat.

3. Benignus ſit tam juſtorum, quam peccatorum pater, ſingulis quæ ad vitam ſpiritualem neceſſaria ſunt, pauperibus etiam prout potuerit, temporalia procurans: adeo ut congruè ſeſe de Eccleſiaſticis proventibus ſuſtentans, quæ ex illis ſuperſunt, Eccleſiæ ſuæ vel pauperibus elargiatur, ſicut vere in conſcientia facere obligatur. Solemne Epiſcopis nonnullis eſt, pauperum civitatis cui præſunt, habere catalogum, ut quoties neceſſe fuerit, iis per eleemoſynas ſuccurrant.

E

& Iudex.

4. Sit Judex, memineritque, teneri ſe ſubditorum delicta, non modò paterna quadam ratione, ſed etiam judiciali, per actionem ſcilicet juridicam cum generalem, tum ſpecialem, ſecundum Juris Canonici præſcriptum corrigere.

Princeps ſacer.

5. Sit verus Princeps ſacer, Epiſcopalia munia per ſeſe, in Ordinum collatione, exercendo: videat autem, ut non aliis, quam dignis eoſdem conferat.

Magiſtet, & Doctor.

6. Sit Magiſter, & Doctor, ut vel ipſe per ſe ad ſuas oves concionetur, vel ſaltem de bonis ac ſpiritualibus concionatoribus ipſis proſpiciat; neve illos admittat, qui utiliter non concionentur.

Alia ejus onera, &c.

7. Sit vaſorum ſacrorum, templorum, ornamentorum, & aliorum id genus ſedulus curator, ut hæc & mundè, & debita cum veneratione habeantur.

F

8. In idoneorum miniſtrorum, ut Vicarii, Notarii, &c. electione ſit juſtus, ac fidelis, ut nimirum hi bona exemplarique vita præluceant, & munerum quæ gerunt periti ſint atque intelligentes. Domeſticos vero famulos non alios ſeligat, quam qui vitæ ſint probatæ, quos ad ſpiritualiter vivendum, & utilibus ſtudiis vacandum qua poteſt adhortetur.

9. Conſilii amans ſit; hac de cauſa bonos Dei ſervos, in Theologia & Canonico Jure verſatos, ad ſe interdum evocet, ut cum iis de rebus gravibus pertractet.

G

10. Sit in Synodis celebrandis accuratus, ad eas qui digni quidem ſunt convocando pauca, ſed utilia, ſtatuta condendo, quibus abuſus tollantur, & Eccleſiaſtca diſciplina corroboretur.

11. In bonis Lectoribus, vel magiſtris, qui ſua in Eccleſia neceſſaria, puta ea quæ ad ſacramenta ſpectant, & in uſum Confeſſariorum, caſus conſcientiæ doceant, procurandis ſit diligens.

12. Chriſtianæ doctrinæ edocendæ, rationem inſtituat, quæ & utilis ſit, & recreativa, ut nimirum diſcentes ad ſe attrahat; ſimul etiam per ſe ipſe aliquoties puerili huic inſtitutioni intereſſe procuret, ut hoc pacto ſubditi ſui & melius inſtituantur, & conſolationem inde accipiant.

H

13. Studeat, ut ſuam in Eccleſiam ſanctum orationis mentalis exercitium introducatur: quod ſuaviter admodum ac ſine ſtrepitu fieri poterit, commodum aliquem ad id locum & devotum aſſignando; cujus etiam initium brevi aliqua cohortatiuncula cohoneſtet, quæ meditationi ſecuturæ materiam ſuggerat; necnon breve aliquod tempus, quale, verbi gratia foret media

hora

horâ; ad orationem hanc, ſemel aut bis in hebdomada frequentandam conſtituendo.

14. Conetur Sacramentorum inducere frequentationem, idque ſancta aliqua adinventione, qualis eſſet, ſacrum aliquoties pro aliquo in Oratorio celebrari indicendo, adhibito ad hoc muſico concentu & aliqua ad populum concione, & hiſce de- A votionis attractivæ motibus, quotquot voluerint, ad ſacram Communionem invitando.

15. In Diœceſi obeunda, res Eccleſiaſticas ſedulo ordinare ſtudeat, procurans nimirum, ut Parochi Sanctiſſimum Corporis Domini Sacramentum, necnon vaſa & veſtes ſacras decenter habeant, iidemque populum de doctrina Chriſtiana & Sacramentorum receptione inſtituant.

16. Magna quadam caritatis ſignificatione cum ſuo Clero agat, eum inducendo ut ceremonias ac ritus Eccleſiaſticos, præſertim in Miſſæ ſacrificio, & officio divino ſervari ſolitos, & norit & exerceat. Solent Epiſcopi, qui Zelum habent ac ſpiritum, Clericorum ſuorum omnium nomina deſcripta habere, & uniuſcujuſque do- B tes noſſe laborare; ut cum alicui Eccleſiæ de aliquo eſt Curione & Curatore proſpiciendum, dignos nominatim, etiam nihil minus opinantes, ad eam evocent.

17. Cum Religioſis benigne & ſuaviter ſeſe gerat, eorum qui inter illos bonæ ſunt vitæ & exemplaris, & doctrina præſtant, in concionando, confeſſionibus audiendis, & conſulendo, utens opera: Superioribus verò, ipſorum, quantum quidem fieri poteſt, omnem rei hujus directionem concredat. Experientia ſiquidem conſtat, hoc pacto & rectius omnia procedere, & charitatem melius conſervari.

18. Magnam Sanctimonialium curam gerat, ut ſcilicet bene ſint inſtitutæ, ſuarum norint conſtitutionum præcepta, vivant in quie- C te, & quoad fieri poteſt, in communitate. Utile foret, ſi ipſas ad aliquod orationis exercitum, idque virorum ſpiritualium opera, induceret; quemadmodum magno cum fructu aliquos Epiſcopos feciſſe conſtat; hac enim ratione multò reformantur efficacius.

19. Civitatis ſuæ Laicos benignè amiceque habeat, iis qua poteſt opem præſtando, & placide conſolando, & ſine ullo tamen Eccleſiaſticæ diſciplinæ detrimento.

20. Non ſit in cenſuris ferendis facilis; ſed alia primum media, quando rigore utendum erit, experiatur.

21. In menſa, veſtitu, ſupellectile domeſtica, rhedis, equis, hortis, &c. moderationem non excedat Eccleſiaſticam; memor D ſemper perfectionis, ad quam obligatus eſt, utpote quæ maxima eſt.

Ut porrò ſuperiora, quæ primaria ſunt ſtatus Epiſcopalis munia, Epiſcopus rite exequatur, debet qui ſacro hoc dignus nomine eſſe vult, magno in ſuiipſius perfectionem ſtudio & contentione incumbere: ut ſcilicet ipſe inſigni ſit caritate, miſericordia manſuetudine, &c. alioquin enim vitæ quam profitetur, quæ maximè ſpiritualis eſt, minimè ſatisfaciet. Ut autem in tanti momenti negotio Dominus illi auxilietur, conſultum fuerit, quotidie ipſum ſacra Miſſarum, tum pro ſe, tum pro concredita ſibi plebe officia celebrare, Divinæ ſupplicando Majeſtati: ut gratiam, lucem, prudentiam, ac robur ſibi E ad eamdem rectè gubernandam, & ad vitæ æternæ finem conducendum, ſuppeditet.

CAPUT II.

De Principibus, ac Dynaſtis temporalibus.

PRincipes terræ, ſint vel Reges, Duces, Marchiones, vel alii quilibet, ut ſpiritualiter vivant, hoc præſupponant oportet, ſe, niſi Divinæ Majeſtatis obſequium ac cultum, & animæ ſalutem ſuæ, omnibus mundi hujus dominiis, ac dynaſtiis anteponant, numquam felicem rerum ſuarum ſucceſſum habituros. Hanc ob cauſam quam maximè pii, ac divini cultus ſtudioſiſſimi ſint neceſſe eſt, ſuo aliis ipſi exemplo præeuntes, & ad eum- F dem cultum ſubditos ſuos inducere allaborantes, ſingularem erga gloriam divinam, & proximi ſalutem affectum oſtendendo. Ut autem majori in his claritate, ac diſtinctione procedant, ad monita quæ ſequuntur, advertant.

Eorum munera.

1. Dei majeſtatem vereantur, qui quibus voluerit, principatus, vitam, & honorem dat; & ſæpenumero quoque juſtitiæ divinæ recordentur, ne ob humanam fortè altitudinem & celſitatem ſuperbiant.

2. Secum firmiter ſtatuant, ſuum antè principatum perdere, quam vel unum committere veniale peccatum: hoc enim modo & ſpiritualiter & temporaliter à Domino illorum res proſperabuntur.

3. Primogenitos & alios filios, ac dome- G ſticos ſanctum hoc propoſitum edoceant, necnon timorem Dei, quò eum offendere caveant.

4. Bono aliis exemplo in receptione Sacramentorum, in quotidiana Miſſæ auditione, in perſonarum ac rerum ſacrarum veneratione atque inprimis eximio Sedis Apoſtolicæ, ad veterum illorum præ aliis celeberrimorum Imperatorum, Conſtantini, Caroli Magni, & aliorum imitationem, cultu præluceant.

Conſtantinus & Carolus Magnus.

5. Affectatam nullam præ ſe ferant magnitudinem, vel majeſtatem, ſed eam benignitate temperatam ad ſuos & conſolandos, & bene regendos.

6. Vultum lenem ſerenumque præferant exterius, ne qui ad ipſos confugiunt, ter- H rorem iis, turbationemque ingenerent.

7. Modeſtè quieteque loquantur, ne verbis plus æquo gravibus, vel humiliantibus ſubditos affligant.

8. Veſtes geſtent, non nimis exquiſitas, ſed ornatus ſit qui ſuam deceat perſonam, ac ſine ulla affectatione.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

9. In apparatu domeſtico non ſint plus æquo ſumptuoſi & excedentes, & tabulæ, & ſtatuæ honeſta ſint.

10. In cibo non excedant nimia lautitia.

11. Habeant domeſticos, qui probæ ſint vitæ, & ſuorum muniorum intelligentes, divinum ipſis timorem ante oculos repræſentando.

A 12. Iis quæ à Domino Deo accepere, dominiis contenti vivant, nec alienis injuſtè vel ambitioſè inhient.

13. Bellorum occaſiones quantum poſſunt fugiant, & paci ſtudeant; ad quam proinde ita Reipublicæ gubernationem ordinare debent, ut non in pace illa temporali dumtaxat, (uti Gentilis aliquis Princeps faceret) conquieſcant; ſed ulterius etiam intentionem dirigentes, procurent ſaltem, ut bellorum, & perturbationum temporalium occaſiones ab ſubditis tollendo, ad pacem ac vitam æternam comparandam illos adjuvent.

14. Si quando tamen neceſſariò bellum movendum eſt, quam diligentiſſimè ante examinent & inquirant, num legitima ejus
B ſit inferendi cauſa, Theologis, viriſque doctis illam diſcutiendam tradendo; tum verò omni ſtudio & conatu in ipſum incumbant, & dare operam debent; ut milites ſui timorem Dei præ oculis in omnibus habeant, nulla in vitæ, vel facultatibus proximorum violentiam irrogantes.

15. Iniquis vectigalibus ſubditos non onerent, quin vel æquorum ceſſante cauſa, *etiam illa auferant*, & populum exonerent.

16. Bona ac theſauros Communitatis, ac publicos in rem propriam non convertant, multò etiam minus facultates ſubditorum.

17. Nullum agris, ſylvis, &c. ſubditorum damnum venando inferant, nec in terminis ipſorum ac finibus ædificent.

C 18. Subditos ad ſua ob particulares vel proprios intuitus vendenda non compellant: ſi verò juſta aliqua de cauſa hæc emant, emptionis pretium rectè ipſis perſolvant.

19. Operariorum mercedem non retineant, vel differant, tametſi vel ad pauculos dies.

20. Bonos eligant in tribunalibus & aliis officiis ac dignitatibus miniſtros, illos quoque admoneant, ut juſti ſint, & timorem Dei in tranſgreſſoribus caſtigandis ſemper præ oculis habeant.

21. Officia, quæ juſtitiæ adminiſtrationem conjunctam habent, non vendant, ſed dignis ea gratis conferant.

22. Publica non permittant nec tolerent peccata; qualia ſunt maleficia, duella uſu-
D ræ, &c.

23. Ditionem ſuam à latronibus, aliiſque ſceleratis hominibus, qui itinera infeſta reddunt, expurgent.

24. Pontes & vias publicas reficiant, ne qua inde ſuis, vel etiam conterminis populis ſequantur damna atque incommoda.

25. Suis in tempore opportuno de victu, frumento, vino, magnæ caritatis ſignificatione proſpiciant.

26. Paucas condant leges, eaſque inprimis utiles, atque ex hominum doctorum, piorumque conſilio.

27. Facilem ad ſeſe ſuis aditum dent, patienterque ac benignè eos, pauperes maximè & afflictos, audiant.

28. In publicum interdum prodeant, ſeque ſuis ſpectandos dent, magnum tum erga ſubditos amorem declarando. E

29. Aliqua in populum effundant donaria & ſportulas, tum maximè, cum annonæ caritate & fame laboratur.

30. Immunitatem etiam atque etiam propugnent Eccleſiaſticam. In ipſos etiam Religioſos & Sanctimoniales benignitatem ac ſubſidium temporale conferant, illorum viciſſim orationum ſuffragia expoſcentes.

31. In bene bello ac pace meritos munifici exiſtant, eoſque pro meritis remunerentur, juſtitiæ diſtributivæ ſinglarem rationem habendo.

32. Univerſitates ita curent ac tueantur, ut & in iiſdem litteræ vigeant, & qui in illis vitæ probitate excellunt, eos ad Epiſ- F
copatus & alias dignitates præſentent.

33. Xenodochiis per miſericordiæ opera ſuccurrant; atque hæc dignitatis Principum ſplendor ſunt.

Ut autem ſpiritualiter hæc Principes faciant, tres illos Tractatus, qui omnibus ſerviunt, cum triplici illo, ad Deum ſcilicet, ad ſeipſos, & ad proximos reſpectu conſulant; itaque fiet; ut boni juxta ac ſpirituales futuri ſint principes, ſuoque nomine digniſſimi. Atque ad hunc finem totam ſuam ordinent vitam, ita nempe totius diei opera diſponentes, ut ejuſdem primitias Deo, ſecundam ejus partem bono ſuo ſpirituali, tertiam denique ſubditis, juxta eam quæ ſequitur, aliamve ſimilem ejuſdem diſtribu-
tionem, dedicent. Manè princeps, mox ut G
expergiſcitur cor ad Deum optimum maximum ſuſtollat, illi gratias agendo, quod hac ipſum nocte indemnem cuſtodierit, deinde ſeipſum eidem offerendo; lecto verò ſurgens, (niſi per aliquam indiſpoſitionem in eodem manere cogatur) ipſam ſui directionem faciat, ſeipſum unà cum omnibus cogitationibus, verbis, & operibus ſuis die illo faciendis, Domino Deo, ac Beatiſſimæ Virgini offerens, eoſque roget gratiam præſtent, necubi in his impingat: ſed hæc ipſa juſtè ſancteque cum ad gloriam ipſorum, tum ſpirituale orantis, temporale verò ſimul & ſpirituale ſuorum ſubditorum bonum fiant: hac ſui directione mediam horam, vel quartam ejus partem in oratione poteſt inſumere ſeſe
coram Domino humilians, ipſiuſque gratiam H
pia aliqua meditatione, ex Patris ſui ſpiritualis inſtructione, ſedulò expoſcens. Hoc facto utile foret, eum Miſſam audire, eaque ut cum pro ſe, tum pro populo ſuo celebretur indicere, & in illa interdum ſacram Communionem percipere. Hæc cum peregerit, ſuorum audire negotia, aut alia ad

Rem-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

Rempublicam ſpectantia, tam ante, quam poſt prandium ordinare incipiat, connitendo, ſæpè divinæ majeſtatis recordari; ſicut ſecunda libri hujus parte dictum eſt. Ubi verò populo ſatisfecerit, & honeſta aliqua recreatione animum oblectaverit, & jam cœnaverit; antequam cubitum concedat, ſuam examinet conſcientiam, & per horæ quadrantem cum Deo per orationem agat, peccatorum ab eò veniam necnon gratiam petens, & Angelum cuſtodem roget ut ſe illa nocte cuſtodire dignetur. Si forſan interdum mortalem aliquam noxam contrahat, ipſam quam citiſſimè confiteri conetur, nec in infeliciſſimo illo animæ ſtatu ad quietem nocturnam ſe componat: quod ſaluberrimum conſilium eſt, ut in eo caput hoc finiamus.

CAPUT III.

De Curionibus, aut Parochis.

CUriones qui ſpiritualiter vivere volunt, præter illa quæ ipſis cum aliis ſunt Sacerdotibus & Confeſſariis (de quibus ſuo dicam loco, & inprimis de ritibus officio ipſorum propriis, in quibus ſe juxta ſacerdotale aut Rituale conformare debent) communia laudabiliter facient, ſi ſequentia monita obſervent.

Parochi Epiſcoporum coadjutores.

1. Conſiderent eſſe ſe Epiſcoporum coadjutores, & in multis earum rerum, quas Epiſcopis aſſignavimus, ipſis cooperari.

2. Apud ſuos reſidere fideliter ſtudeant.

3. Doctrinam Chriſtianam quam maxima claritate & brevitate doceant.

4. De templi ſui, vaſorum ſacrorum, ornamentorum nitore ſolliciti ſint cum primis, ac præſertim curent ut hjerotheca, in qua Sanctiſſimum reponitur Sacramentum, decenter mundeque habeatur.

5. Abſtineant ab aliis occupationibus, præſertim temporalibus; tempus verò ſpirituali ſuorum ſubditorum culturæ impendant; ut die nocteque ſint ad iiſdem ſubveniendum, & Sacramenta adminiſtranda parati; non deſpicientes, an ad id eo hoc & illo tempore teneantur; ſed ad id teneri ſe ſibi perſuadentes, quod ad majus ſubditorum ſuorum commodum cedit.

6. Curent ut publici peccatores & ſcandala eorum auferantur; eos dum poſſunt, corrigendo; & quando ita expedire judicaverint, quod nullam hi correctionem admittant, eos Epiſcopo denuntiando.

7. Invicem diſſidentes magna caritate & prudentia ad pacem & amicitiam revocent, inque concordia eoſdem conſervent.

8. Ægros inviſant, non quando jam ſerius eſt, & ad extrema redacti ſunt; ſed cum adhuc tempus eſt de conſcientiæ negociis ſtatuendi eoſque ante diſponant, quam Sacramenta ipſis adminiſtrent.

9. Sacramenta oportunè morbidis adminiſtrent, antequam ſcilicet omnem judicii uſum amiſerint, ut dum illa recipiunt, majora ſibi acquirant merita, multos ſimul virtutum actus exercentes, praxin adhæc norint juvandi morientes, ut hi feliciter ex hac vita decedant.

10. Studeant infirmos in teſtamento condendo ita adjuvare, ut, ad quæ ex juſtitia obligati ſunt, iis ante omnia ſatisfaciant: itaque in eo ſe gerant, ut nullum erga terrena bona affectum præferre videantur. Illos verò qui teſtamentum condiderunt admonebunt, ut ipſum poſt confeſſionem, quando jam illos veriſimile eſt in gratiæ eſſe ſtatu, ratificent.

11. Interdum etiam bene valentes viſitent, illos ſumma cum ſuavitate & monitis ſalubribus ad bene faciendum inducendo.

12. Bonum aliquod orationis mentalis, aut mortificationis; qualis, exempli gratia, foret aliqua certo per hebdomadam die flagellatio, aut quid ſimile exercitium, introducere ſuam in parochiam connitantur.

13. Pro eo ac potuerint, connitantur, ut Sacramentorum frequentia introducatur.

14. Matrimonii Sacramentum dum celebrant, ipſum contrahentes ſalubriter admoneant, curentque ut illum in eo finem ipſi ante oculos ſibi præſtituant, quem Dominus intendit. Saeramentum autem Confirmationis curent ut pueri ſuſcipiant, auc ipſum non differant. In Sacramento denique baptiſmi in tempore & caſu neceſſitatis celebrato, meminerint ritus omiſſos ſupplere, &c.

15. Ditiores ſubditos admoneant, ut pauperioribus magna caritate opitulentur: ſi verò & ipſis facultates ſuppetant, hoc virtutis genus etiam ipſi exerceant.

Hæc aliaque multa parochus faciet, qui non ſpiritu mercenarii, ſed veri ſervi Dei agetur; qui ſcilicet ſpiritualiter excolere ſuos ad divinæ majeſtatis gloriam, & animæ tum ſuæ, tum ſuorum ſalutem intendit: uti etiam poterit monitis iis, quæ Confeſſariis & ſacerdotibus aſſignabimus.

CAPUT IV.

De Confeſſariis.

AD tria revocari poſſunt capita, quæ bono ſunt Confeſſario facienda, præter bonitatem vitæ, quæ præſupponitur. Primum ad rerum moralium ſpectat ſcientiam, quæ partim è libris, partim virorum doctiorum communicatione acquiritur. Secundum ad ea refertur, quæ illi ſunt in audienda confeſſione uſurpanda; ut, nimirum modeſtiam & decentem corporis compoſitionem, (de qua in illius agitur Rituali) tum in eundo ad ſacra ſubſellia, tum in ſedendo, & oculis coniiciendis ſervet, tum ne inſolitos quoſdam & ineptos præferat geſtus, aliaque ejuſmodi. Tertium denique circa prudentiam, & affectum, & modum quo hoc ſacramentum adminiſtrare, & animas conducere debet, verſatur, de qua re qui auctores ſcripſere, etſi ſint pauci, neque adeo diffusè ſcribant, uti de rebus aliis, ſatis tamen uſui ſunt: quanquam nulli hac in parte ſufficere

ac

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

ac ſatisfacere debeant ea quæ ſcripta ſunt, ſed etiam alii peritiores, quos conſulat, conquirendi ſunt. Confeſſarius itaque hanc ob cauſam ſequentibus uti poterit monitis.

Monita.

1. Semper quotieſcunque ad audiendas Confeſſiones vocabitur, ad Deum cor ſuſtollat, rogans, ſibi gratiam det, converſioni pœnitentis illius ſi in peccati letalis ſtatu agat cooperandi; vel ejus ad majorem perfectionem ſi in gratiæ fuerit ſtatu, promovendi.

2. Si verò Confeſſarius ipſe letale aliquod crimen in conſcientia foveat, antè id confiteatur, cum in ipſo requiratur juſtitia, ut alios ipſe juſtificet. Si vero confeſſarii copia defuerit, unum aut plures contritionis actus eliciat, adeò ut probabiliter ſe jam juſtificatum eſſe credat, cum propoſito, ubi primum confeſſarii fuerit copia, confitendi.

3. Firmiter ſecum proponat officium ſuum non mercenariè ac ſerviliter, ſed purè ad Dei gloriam, animæ ſuæ ſalutem & proximorum facere: huncque affectum in ſeſe excitet, cum ad confeſſionale ſe confert.

4. Ubi alicujus confeſſionem audire incipit, & hunc continuò ſibi confiteri velle videt, in animæ ejus ſtatum diligenter inquirat, ut nimirum videat, num ſuperiores confeſſiones ritè ſint inſtitutæ, ne ſuper falſo fundamento ſtruat.

5, Cum alicujus aliquoties confeſſionem jam excepit, non ſatis illi ſit eum, quando ab ſeſe digreditur, abſolvere, uti nonnulli parum ſpirituales confeſſarii faciunt, ſed illius etiam animæ curam ſuſcipiat ac regimen, paternè eam gubernans, necnon media in perfectionis, via progrediendi præſcribens.

6. Temporalibus pœnitentium negotiis ſeſe non immiſceat, niſi interdum id fieri ſuadeat caritas, nec adſit alius, à quo adjuventur.

7. Nullam ob ſanctum hoc miniſterium temporalem mercedem vel ſalarium, maximè in loco ubi confeſſiones excipit, recipiat.

8. Pœnitentibus hilarem ac benignum, quando ad confitendum accedunt, vultum oſtendat; nihil tamen de gravitate, quam officium id requirit, remittendo.

9. Nullum tædii vel impatientiæ ob pœnitentium ſtupiditatem, vel importunitatem præferat ſignum.

10. Paucis ut plurimum verbis loquatur, præſertim cum mulieribus: &, quando neceſſe erit admonere, inſtruere, vel conſolari pœnitentes, vel pluribus cum iiſdem agere, quietè ſine ullo geſtu, vel ſigno exteriori, quæ ſemper in actu illo evitari debent, loquatur.

11. Compaſſionem erga pœnitentes oſtendat, &, tametſi graviſſima audiat peccata nullam propterea indignationem oſtendat.

12. Peccatores confortet, & animos illis addat, ut magnam in divina miſericordia habeant fiduciam, nec unquam illos deſperare, aut animum deſpondere ſinat.

13. Sit in admonendis pœnitentibus ſuavis & efficax, ut non turbentur ſed compungantur.

14. Ubi pœnitentem jam compungi & commoveri viderit, bona & ſalutaria illi monita ſuggerat, necnon ordinem quemdam ad aliquid ſolito amplius in Dei obſequium faciendum præſcribat, ejus, quem habet, ſtatus ratione habita, ne ſcilicet ſtatus ſui deſit obligationibus, nec propter occupationes præſcriptum omittat ordinem.

15. Incipere Confeſſarius a facilioribus debet, ut pœnitentes ad progreſſum in Sacramentorum uſu, in orandi modo, in pœnitentia, in eleemoſyna, aliiſque quibuslibet rebus faciendum inducat: ut nempe ſine ulla difficultate vitam vivere ſpiritualem incipiant.

16. Peculiari quodam modo exemplis & rationibus comparandis ſtudeat, quibus pœnitentes inſtruat, ad timorem Dei, ſpem, amorem, contritionem moveat, necnon conſoletur, corroboret, & reprehendat. Hæc porrò in promptu ſemper habere ſatagat.

17. Tentatis magna compaſſione & caritate auxilium ferat: rationes quoque adverſus ſcrupulos & alia vitia, quæ pœnitentes divexant, ſemper paratas habeat; illis utendo ad hoc libris, qui de virtutibus ac vitiis tractant, nec tentatis aliquam conſolationem adferre gravetur.

18. Iis verò, qui in proxima peccandi occaſione verſantur, ut ſine nota lapſum evitare non queant, bona prudentiaque det monita, idque per certos quoſdam gradus, incipiendo à fortitudinis & conſtantiæ, quam oſtendunt argumentis; ſimul etiam aliqua media præſcribat, quorum ope à peccando revocentur; uti ſunt, non alloqui aliquem, vel ſolum cum ſolo agere; interdum etiam abſolutionem illorum differat, & pro iiſdem oret, donec vel ſine nota ſeſe emendent, vel animæ ſalvandæ ergo occaſiones omnes amputent.

19. Iis quibus reſtituere aliena incumbit, oſtendat, quantum animæ ſuæ, & proximis noceant non reſtituendo; qui ſi nondum ſatisfecerint, etſi alias ſatis ſe ſpoponderint facturos, ſi in præſens poſſint, det operam ut ante reſtituant, quam confeſſionem inſtituant; niſi fortè è contritione, & pœnitentiæ ac doloris ſignis, aliiſque circumſtantiis dictaret prudentia, eos ſine dubio quamprimum ſatisfacturos.

20. Illos qui erubeſcunt verecundantes, ac præſertim fœminas, magna adjuvet dexteritate, leves aliquot interrogationes, quæ ex ipſorum verbis eliciantur, inſtituendo; & quidem interdum, cum moleſtia aliqua & perturbatione: verbi cauſa, *Habuiſtine malam aliquam cogitationem*? Si ſeſe habuiſſe pœnitens dicat, ulterius gradatim ad conſequentium actuum interrogationem procedet; quia hujuſmodi reſponſione, nempe (*Ita*) quod non adeò difficile eſt, ac per ſe omnia ſeriatim referre, ſimiles perſonæ exo-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

nerari ſolent, & abundè conſolationis accipiunt, ſicut experientia conſtat; & ſanè non modicum bonum eſt, Sacramentum hoc ſuave & facile reddere.

21. Si verò nec hac per interrogationes præveniendi dexteritate pœnitens, ad aperiendum ea quæ ſeſe gravant, adduci queat; generales aliquot confeſſarius rationes depromat, declarando ſcilicet, nullum peccatorem ſua erubeſcere debere delicta homini peccatori confiteri; & quænam è ſincera ſui declaratione ac patefactione bona ſequi ſoleant aperiendo.

22. Si verò pœnitens orationi ſit addictus, & extraordinaria quædam dona habeat, cautè admodum confeſſarius procedat oportet, nec in decidenda re aliqua multum præcipitet vel acceleret; immò verò alios rerum interiorum peritiores conſulat, illarum inprimis animarum ſingularum gerens curam, quæ vel à dæmone illuduntur, vel eminenter præ aliis ſanctæ ſunt.

23. Si quod pœnitens cum cacodæmone pactum vel commercium habeat, & converti voluerit, animum illi addat, & confortet quam poteſt maxime: ſolent enim qui ejuſmodi ſunt, graviſſima pati tormenta, antequam malam hanc confœderationem, & pactum diſſolvant: conſulat inſuper alios, qui rerum interiorum ſcientiam habent ac notitiam. Per experientiam enim conſtat id genus pœnitentes ſi quis magnam illis remedii ſpem dederit, mirifice animari ſolere, & divina juvante gratia, omnes difficultates ſuperaſſe.

24. In pœnitentiis autem aſſignandis & imponendis ne nimis ſit rigidus; ita namque pœnitentibus noceret, & à Sacramento frequentando ipſos abalienaret: peccati potius gavitatem oſtendat, & pœnitentes exhortetur, ut in hac ſatisfaciant vita, quo tremenda purgatorii tormenta evitare queant.

25. Videat in pœnitentiis imponendis, ut ſint & pro præteritis ſatisfactoriæ, & futurorum cautio ac præſervativa.

26. Utile erit interdum, aliquot dierum pœnitentiam imponere: ſed perpetuæ ſine graviſſima cauſa, & niſi multæ eas exigant circumſtantiæ & optime ad eas pœnitens diſpoſitus ſit, nullæ imponantur.

27. Opulentiores inducat ut magna cum caritate miſericordes ſe erga inopes exibeant; caute vero id agat, ne, ſi pauper ipſe ſit, pro ſe loqui, & proprio ſtudere quæſtui videatur.

28. Si quando virgines ad perpetuam caſtitatem colendam propendere viderit, eas adjuvet, & in propoſito animando corroboret: at ſi tenue tantum & volatile ſit propoſitum, inſtantiam nullam faciat, ſed ſpiritum divinum agere ſinat. In illarum vero confeſſionibus, ut item in adoleſcentium juniorum audiendis, ita ſuas interrogationes inſtituat, ut per ea in rerum parum bonarum ipſi cognitionem non perveniant.

29. Si adoleſcentium ad religioſum ſtatum vocatorum peccata excipiat, divinam ipſe foveat inſpirationem, nullum vero ſuper hoc eis negotium faceſſat aut moleſtiam creet; ſimul etiam ſuadeat, ut cum probis piiſque Religioſis agant quo illuſtrentur & edoceantur in iis, quæ illis, quo divinæ vocationi reſpondeant, facienda ſunt.

30. Ad confeſſionis finem, det operam ut interim dum abſolutionis formulam pronuntiat, formale aliquot contritionis actus pœnitens eliciat, aliquantulum eum ante ad illos excitandos, ſi forte per ſe ipſe eos excitare non poſſit, adjuvans.

Hæc aliaque plurima ſpiritualis Confeſſarius faciet, ſi orationis ſtudio deditus ſit, ſi libros profeſſionis ſuæ proprios legat, cumque viris doctis & ſpiritualibus familiariter converſetur. Utile quoque fuerit, quotidie eum in Miſſæ ſacrificio à Deo lumen poſcere, ut ſuo perfecte miniſterio fungi poſſit. Bonus confeſſarius de illarum perſonarum eſt numero, quæ Divine Majeſtati ac proximi ſaluti in terra maxime ſerviunt.

CAPUT V.

De Concionatoribus.

CONcionatores, qui ſpiritualiter vivere cupiunt, hæc, quæ ſequuntur ſervare præcepta poterunt.

Praecepta.

1. Vitam agant inculpatam; violentum namque eſt, populum ad vitam ſanctiorem inducere velle, ſi intus dictet conſcientia, talem ſe non inſtituere.

2. Inſignem ac prudentem gloriæ divinæ ac ſalutis proximi zelum præferant: niſi enim hæc duo deſiderent, puram in prædicando intentionem non habebunt, multiſque; proinde meritis fruſtrabunt.

3. Prædicent Jeſum Chriſtum crucifixum id eſt, doctrinam ſanctam, ſolidam & Chriſti cruci conformem, quod tantundem eſt ac ſi dicas, doctrinam mortificationis, contemptus, amoris rerum cæleſtium, & aliam ſimilem.

4. In Oratione ſint aſſidui, ut lucem à Deo accipiant & Apoſtolicorum predicatorum ſpiritum hauriant; perſuaſum habentes hac ſe via & à Deo illuminandos, & idoneos ejuſdem miniſtros futuros.

5. Lectioni ſe dent ſanctorum Patrum ac ſpiritualium librorum, curantes ut ſolidum quid ex illo ſtudio eliciant, illorumque ſpiritum & ſtylum, juxta talentum à Domino acceptum, imitentur.

6. Profana, vana nimiumque humana pro concione non adferant, ſed quæ compunctionem, Dei amorem, & rerum creatarum repudium ac contemptum movere nata ſint.

7. Ordinarium loquendi modum ac phraſin ſervare allaboret, linguæ vero elegantiæ & figuris Rhetoricis ita non ſtudeant, ut

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

ut artificium, & verborum numeros ac cadentiam auditores notent: ita enim & auditoribus nocent, & famæ ſuæ parum conſulunt; cum qui talis eſt concionator, vir parum ſpiritualis haberi ſoleat.

8. Spiritualia dogmata auditorio pro ejus captu & proportione proponant, ita quidem; ut in populo creſcant Dei divinarumque rerum & cognitio. & deſiderium. A

9. Inſignem inter concionandum fervorem oſtendant, ſalutem animarum & magni facientes, & prout meretur, ponderantes.

10. Nullam prædicent novitatem; neve ceu præclarum quid & laudabile ducant, res numquam hactenus auditas proferre; ſed contra, depromant utilia, idque efficaciter, & nova vi ſpiritus?

11. Ita artem & modum prædicandi adhibere ſtudeant, ut ſuam non in eo ſed in gratia & auxilio divino ſpem ponant.

12. Auditores porro ad Sacramentorum frequentationem, ad orationem, ad mortificationem Chriſtianam, ad pugnam vitiorum & virtutum comparationem inducant.

B 13. Modis loquendi aut geſtibus non utantur nimis liberis, ſed gravibus ac modeſtis.

14. Non reprehendant, niſi circumſpectè admodum & cautè: in publicis verò peccatis, quæ aliquam ad principes vel ſuperiores relationem habent, redarguendis magna procedant cum prudentia, quod ejuſmodi reprehenſiones plus obeſſe quam prodeſſe ſoleant: aliis porò convenientioribus formulis hiſce proſpici poteſt.

15. In bonam partem accipiant ſi quando admoneantur, & magna cum humilitate defectus illos corrigant. quorum ipſos viri prudentes commonefecerint.

16. Libenter pauperibus & derelictis verbum Dei annuntient.

17. Eo quo concionandum eſt die, ſolitudinem plus ſolito colant, & ſeceſſum captent, & parum loquantur, ut ſpiritui divino admittendo ſint aptiores. C

18. Cum ad ſuggeſtum adeunt, actum hunc ad Dei gloriam, ſuarum ſalutem animarum, & auditorum ſuorum utilitatem dirigant.

19. Omnem ſpem ſuam in divina majeſtate, non verò in laborioſa ad prædicandum præparatione conſtituant.

20. Hominibus placere non ſtudeant, niſi in quantum id ad fructum aliquem faciendum neceſſe & conveniens.

21. Non deſpondeant animum, ſi conciones eum quem deſtinarint ſucceſſum non habuerint: ſi vero placeant, & pro voto ſuccedant, ſtatim, ſi quæ vanæ complacentiæ & glorioſæ cogitationes ſubnaſcantur, eas conentur eiicere, atque omnia Deo optimo maximo omnium datori adſcribere. D

22. Eo quo concionari debent die, aut pridie, ſolent ſpirituales concionatores aliquam mortificationem ſubire, verbi gratia, flagellis ſeſe cædere, vel horam aliquam orationi impendere, ut hoc pacto à Divina Majeſtate ſpiritum & gratiam ad multum fructum faciendum impetrent.

Hæc aliaque plurima facient concionatores, qui ex animo divinam quærunt gloriam, & animarum ſalutem procurant, & nullum ad honorem vel commodum temporale reſpectum habent. Hanc ob cauſam quærere ſtudeant, quæ perpetuò duratura ſunt. E

CAPUT VI.

De Sacerdotibus.

Sacerdotalis dignitatis altitudo tanta eſt, ut Angelicam quandam puritatem à ſui poſſeſſoribus exigat. Unde ſuam quilibet ſacerdos ita ordinare vitam deberet, ut plane ſpiritualis foret. Hunc in finem facere ſequentia monita poterunt.

Monita.

1. Sedulò curare, ne quod, etiam veniale, peccatum admittat, præſertim ſi quotidie celebret.

2. Magno cónatu incumbere, ut omnia quidem à ſe eliminet vitia, ſed imprimis ea, quæ magis ſunt ſenſualia, qualia ſunt gula, & libido, hæc enim maxime inquinant, & ſacerdotem indigniſſimum reddunt, qui ad altare accedat. F

3. Magno ſe ſtudio, bene ad Miſſam præparare conari, brevem aliquam formulam, ſed affectuoſam, quæque animam ad divinum hoc ſacrificium excitare apta ſit, adhibendo. Similem quoque gratiarum agendarum formulam & methodum habere.

4. Iis, in ſacris celebrandis, ſpiritualibus exercitiis non uti, quæ attentionem & debitam rituum illorum ſacrorum æſtimationem impediant; ſed in eo præcipue devotionem ſuam collocet, ut quam fieri poteſt maxima animi applicatione illa peragantur.

G 5 Optime cæremonias Miſſalis callere easque in miſſa celebranda rite legitimeque obſervare, clare diſtincteque ſingula legendo.

6. Medio quodam vocis ſono & accentu legenda recitare, ita quidem, ut nihil, vel parum ſpirituale, vel affectatum hic redoleat.

7. Devotionis extremitates fugere, quales eſſent, lacrymæ, & ſuſpiria; hanc ob cauſam interiorem ſenſuum impetum reprimere.

8. Angelicam quamdam modeſtiam tum in altari, tum extra illud præferre.

9. Orationi ſæpè vacare, continuo in Dei præſentia agere, mortificationi virtutumque comparationi ſtudere. H

10 Statutas ad orandum & lectionem piam habere horas, ut hoc pacto mens & illuminetur, & inflammetur.

11. Inſignem erga diviniſſimum Sacramentum devotionem præferre, magnique; quidquid ad ejus cultum augendum pertinet, facere; cavendo diligenter, ne ob frequen-

tio-

tiorem celebrationem minoris ipſum facere incipiat.

12. Non animam modò puram conſervare; ſed corporis etiam puritati ſtudere conari, ſine ullo erga ipſum affectu; idque è ſingulari erga ſanctiſſimum Sacramentum reverentia.

Hæc & alia plurima ſpirituales facere Sacerdotes debent: quorum ſanè perexiguus eſt numerus, etſi alioquin ſat magna ſacerdotum ſit copia. Ipſe verò Dominus, ex infinita ſua benignitate, animæ reliquorum oculos adaperiat, quo ſacerdotali ordini conformem conſentaneamque vitam vivant.

CAPUT VII.

De Religioſis.

RElegioſi ſpirituales primò obſervent oportet ea, quæ obligationis ſunt, puta officium divinum, vota, regulas, conſtitutiones: ſecundo verò loco ea, quæ ſupererogationis ſunt. Notent autem Religioſo illum nomine indignum eſſe, qui aliquibus ſpiritualibus exercitiis non intendat, per quæ fiat ut omnes diſciplinæ Monaſticæ actus modo quodam verè ſpirituali, qui & meritis abundet, & cor inſeparabiliter Deo unire, paſſiones edomare, virtuteſque menti inſerere aptus ſit, peragantur. Hunc in finem utile fuerit ſequentia monita obſervare.

Monita. 1. Ad votorum obſervationem neceſſarium inprimis eſt, circumſpecte admodum vivere, necnon fideliter cum ſuo agere Superiore, interdum ipſum adeundo, ut omnium rerum agendarum is ordinem modumque præſcribat; primarium id vitæ religioſæ caput eſt, ipſum ſcilicet ſanctæ obedientiæ exercitium. Deinde ut de rebus temporalibus neceſſariis diſponat, quod ſecuriſſima quædam paupertatis obſervandæ ratio eſt. Denique, ut ad interiorum regimen directionemque conſilium ſuggerat, quod ad caſtitatem tuendam fortiſſimum quoddam munimentum: & omnibus in tentantionibus, animique perturbationibus remedii certiſſimi loco eſſe ſolet. Qui itaque ſibi perſuaſerit Religioſus, omnia in ſuo ſe Superiore bona habiturum, verum jam in ſpirituali via proficiendi modum invenit.

2. Ad regularum porro & Conſtitutionum obſervationem bonum fuerit ſcripto ſigillatim notare ea ad quæ nullus non Religioſus tenetur, relictis iis, quæ ad totius religionis communitatem pertinent; atque eadem in promptu habere, ad ipſa, cum neceſſe fuerit, exactè reverenterque executioni mandanda. Hunc ad finem quilibet Religioſus jam inde ab initio ingreſſus norit oportet puncta, quæ ipſum ad mortale, vel veniale peccatum, vel ad ſolam pœnam obligant: in quo gravis quædam in Religionibus largioribus eſſe ſolet inconſideratio.

3. Circa verbalia Superiorum mandata, quia incerta & varia ſunt, aliud dicendum non occurrit, quam non aliter hæc exequenda videri, quam ea quæ ſcripto commiſſa ſunt, & perinde ac ſi Chriſtus ipſe ea ſcriberet vel loqueretur. Quæcumque autem vel ſcripto expreſſa, vel ore dumtaxat prolata ſunt, quamvis etiam ad nullum ea peccatum obligent, non minori ſpiritualis Religioſus fidelitate exequatur oportet: quam ſi ad mortale peccatum obligarent.

4. In divini officii recitatione, in confitendo, in Communicando, vel celebrando, in oratione mentali, in exercitio præſentiæ Dei, in Capitulo, in refectorio, ac reliquis Religionis actibus, qui ſpiritualis eſt Religioſus, proportionatis quibuſdam ad ſingulos illos actus modis uti debet, ut eoſdem cum ſpiritus perfectione, ac majori merito peragat. De qua re ipſe in Tractatu, cui Diſciplina clauſtralis nomen eſt, ſcripſi; cum certiſſimum ſit, & experientia conſtet, vitæ Monaſticæ actus, niſi aliquo modo ſpiritualizentur, & interioribus actibus animentur, ſteriles eſſe; & unam è præcipuis, ob quas Religiones deficiunt, & primigenium illum florem, ac vigorem amittunt, cauſis eſſe, quod de actibus Monaſticis illo modo animandis, & per illum actuum interiorum ſpritum, & affectus applicationem ad ſeſe, cum Deo ante conjungendum vivificandis parum ſollicitæ ſint.

Ad ſupradictam illam in votorum, regulæ, & conſtitutionum obſervantia curam, & diſciplinæ monaſticæ actuum vivificandorum rationem, aliqua carnis addenda mortificatio eſt, cum Superioris tamen facultate uſurpanda, puta cilicii, vel catenæ geſtatio. Per hunc vitæ ex oratione, & mortfiicatione ſimul compoſitæ contextum, & continuationem ſpiritualiter in ſtatu Religioſo vivitur. Sed dolendum eſt quam maximè, non ſic ubique in omnibus religionibus vitam inſtitui. Beati verò illi Religioſi, qui tum maximè à Domino ad Religionem vocantur, quando ejuſdem adhuc viget integritas, & obſervantia, & fervor ſpiritus nondum refrixit.

CAPUT VIII.

De Magiſtris & Scholaſticis.

MAgiſtri & ſcholaſtici, qui ſpiritualiter vivere, & procedere voluerint, ſequentia obſervare poterunt.

Praecepta. 1. Lectores & Magiſtri doceant Chriſtianè, id eſt, modo quodam pio, qui non modò, ad intellectum illuminandum ſpectet, (quod non minus bene Gentilis aliquis doctor faceret,) ſed qui etiam voluntatem ad Dei amorem excitet. Quod & is facere Magiſter poteſt, qui naturales docet ſcientias, verbi gratia, Philoſophiam: ſi enim boni Chriſtiani rebus naturalibus, qualia ſunt cibus, veſtis, &c. ſupernaturali quodam reſpectu utuntur, quid obſtat quo minus Lector ſpiritualis ſcientiis naturalibus eodem modo utatur? Hinc conſequenter, quinimmo multò melius facere poterit idem, ſi ſacra doceat.

2. Scholaſtici verò & diſcipuli eumdem ſuis in ſtudiis etiam intuitum habere debent necnon intendere, ut ſcientiarum ſuarum, etiam naturalium adminiculo ad Dei cognitionem & amorem pertingant. Quod tanti intereſt, ut ſi ipſum Magiſtri ritè perpenderent, illius ſæpè ſuis in cathedris recordarentur, ut pote rei, quæ ab viris ſacris, ac gravibus conſiderari digna ſit.

3. Lectores vanam eruditionis vel ingenii oſtentationem fugiant: eamdem & ſuis in diſputationibus, & actibus publicis ſcholares declinent; *Scientia*. enim, quæ in animam ſine ſpiritu Dei ingreditur, *inflat*, & non ædificat.

4. Lectores & diſcipuli veritatem ſemper præ oculis habeant, eique ſtudeant & accedant, à nimiis contentionibus, & mordacibus ac parum modeſtis verbis abſtinentes. Scholaſtici porro inprimis dociles ſint, & in opinionem provectiorum, ſine ulla pervicacia vel obluctatione facilè concedant.

5. Opiniones extravagantes & novas neu doceant, neu diſcant, ſed communiores ſicut ſapientes & mites Dei ſervos decet.

6. Tempus, nimias argutias ſubtilitateſque conſectando, non terant, aut iis multum temporis impendendo rebus; è quibus exiguus aut nullus ſecuturus ſit fructus.

7. Sanctos Doctores, & graves ſcriptores maximè in ſcientiis Theologicis ac divinis, honorificè habeant & revereantur.

8. Omni cum puritate vivant: nam è duobus, qui æquali ſunt ingenio, haud dubiè melius proficit, qui purioris eſt vitæ, maximè in rebus Theologicis. Quod etiam naturali lumine, maximè credibile eſt.

9. Nullum dent diſtractioni, aut multiloquentiæ locum: quod etiam D. Thomas conſulit, qui raro quodam cum ſilentio docuiſſe traditur.

10 Lumen à Deo poſcant, ad id dumtaxat ſciendum, quod, ut & ipſi ſalventur, & aliis ad finem hunc conſequendum auxilio eſſe queant, neceſſarium eſt.

CAPUT IX.

De Judicibus.

JUdex, qui ſpiritualis eſſe vult, hæc quæ ſubnecto, puncta obſervare poterit.

Monita.

1. Animæ oculos in ſupremum Judicem Chriſtum defigat, utpote qui de eo, quod alios judicando facit, aliquando dijudicandus erit.

2. Litem criminalem, aut civilem bene pro ea, quam faciet functione, examinet.

3. Si profeſſionis hujus bene gnarus non erit, conſulat & adhibeat alios, qui ejus periti fuerint, quod etiam facere ſemper deberet, etſi optimè ad eamdem eſſet diſpoſitus.

4. Videat, ne quem paſſionibus det locum, & in unam magis partem, quam in aliam propendat, niſi inquantum potiori ratione nitatur.

5. Solum Divinæ placere Majeſtati intendat; alioquin enim ab affectibus, qui juſtitiæ adverſantur, excæcabitur.

6. Nulla admittat dona aut munera contra leges, ut quæ pias etiam mentes interdum excæcare, & pervertere ſolent.

7. Non ſit ad nimis facilè credendm præceps; neminem comprehendi jubeat, vel condemnet, niſi legalibus ante formulis præmiſſis.

8. Secundum allegata & probata ſententiam ferat: at quando privatim aliquam contrariæ veritatis notitiam habet, ſuſpendere ſententiam debet, & omnem adhibere diligentiam, ut veritas tandem pateat, & innocens liberetur; in quo prudenter, ac maturè procedat oportet.

9. Cauſas quam poteſt citiſſimè expediat, eas ſcilicet, quæ talem difficultatem non includunt, ut propterea procraſtinandæ aut differendæ ſint.

10. In reis torquendis nullam crudelitatem oſtendat, quos etiam ſine ſufficientibus indiciis torquere non debet.

11. Si quando ſententiam pronuntiat, in clementiam pronior ſit, quam in rigorem.

12. Exemptos nullos judicet, aut ad ſuum tribunal trahat, & immunitatem revereatur Eccleſiaſticam.

13. Carceres interdum viſitet, & ſi potis eſt, aliquam miſeris incarceratis eleemoſynam eroget, Chriſtianæ pietatis memor.

14. Errores, ſi quos fortè advertenter, vel inadvertenter commiſit, corrigat, damnum paſſis ſatiſfaciat.

15. Si ad officium ſuum legitimè exequendum dotes ſibi deeſſe compererit, maximè ubi exeperientia didicerit occaſionibus quibuslibet oblatis ſeſe impingere, judicis officium deponat. Idem faciat, ſi aut per ignorantiam, aut alias ob cauſas officio ſatisfacere ſuo ſe non poſſe videat.

CAPUT X.

De Advocatis.

ADvocatus qui ſpiritualiter vivere cupit, ſequentia hæc obſervet neceſſe eſt.

Monita.

1. Nullam unquam tueri cauſam, quam in conſcientia ſua non judicet eſſe juſtam: &, ſi in principio ejuſdem id non adverterit, ſed in progreſſu, eam ſeponere ubi primum conſcientia judicare cœperit, eam injuſtam eſſe; à vanitate, propria ſui æſtimatione, & humanis reſpectibus ſibi propter Dei timorem cavendo.

2. Ubi primum juſtam cauſam defendendam ſuſceperit, eidem ſeriò incumbere, idque pura intentione, damnum, ſi quod fortè per negligentiam ſuam notabilem, vel ignorantiam cliens paſſus ſit, præſtando.

3. Fideliter ſeſe gerere in parti adverſariæ ſecretis ſui clientis non aperiendis, præſertim, ſi magni momenti cauſæ ſint.

4. Majus quam par ſit ſtipendium non exigere.

5. Nullum adverſario per terminos, aut mo-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat. modos iniquos, verbi gratia, mentiendo, aut dilationes aliquas prætexendo, quæ ad rem nihil omnino faciant, damnum inferre.

6. Pauperum cauſas propugnare, non eorum modò, qui in extrema, vel gravi neceſſitate ſunt, (quod permagnum ſanè non eſt, ſi ſpiritualiter loquamur,) ſed aliorum etiam pauperum, non attendendo, num neceſſitas illorum extrema ſit vel gravis; quod advocatorum ſpiritualim proprium eſt. A

7. Spirituale aliquod exercitium regulariter facere ſtudere, ſecundam ad hoc, tertiam, & quartam libri hujus partem uſurpando; & quidem eo accuratius, quo in hac profeſſione, ac ſtatu plura ſunt impedimenta, & minora, quam in alio, ad Domini Dei reminiſcendum motiva.

Quod verò de Advocatis dictum eſt, etiam Cauſidicis ſervire, & uſui eſſe poteſt.

CAPUT XI.

De Notariis.

B NOtarii, qui cum timore Dei vivunt, & ſpirituales eſſe deſiderant, fideles ſint oportet in iis, quæ ſui officii ſunt, propter ſacramentum, quod præſtant, utque Deum in quotidianis occaſionibus offendere caveant, ſequentia, hæc obſervabunt.

Praecepta. 1. Veraces, ac fideles ſint in inſtrumentis, ac tabulis ſuis conficiendis, nihil, ut quod verum eſt taceant, vel diſſimulent, quod ad inſtrumentum ſpectet.

2. Nulla ſecreta, ſine juſta cauſa, revelent.

3. Illicita nulla conficiant inſtrumenta, atque inprimis nulla uſuraria.

4. Protocollon, & adverſaria ſervent omnium eorum, quæ conficiunt inſtrumentorum.

5. Fideles ſint ei, à quo creati ſunt notarii.

C 6. Officio ſuo amore, odio, ſpe, aut timore inducti, non abutantur.

7. Neceſſaria inſtrumenta non occultent, nec lacerent, nec cancellent, nec ullo modo depravent falſificantes.

8. Si quando adverſarius aliqua à ſe inſtrumenta poſcat, dent quæ illi dari conſentaneum eſt.

9. Nulla conficiant inſtrumenta, quæ libertati adverſentur Eccleſiaſticæ.

10. Nullum de teſtamento ejus, qui rationis compos non ſit, aut jam judicii uſum amiſerit, inſtrumentum condant.

11. Pauperum, qui opus habuerint, & ſolvendo non ſunt, inſtrumenta gratis conficiant.

D 12. Ob ea, quæ conficiunt inſtrumenta, non plus quam par eſt, exigant, aut recipiant.

13. Divinam Majeſtatem timeant, & faciant ea, quæ advocatis & cauſidicis ſupra num. 7. dicta ſunt.

CAPUT XII.

De Medicis.

MEdici omnes in ſui officii functione, finis ſui recordandi occaſionem opportunam habent, quæ ipſos ad ſpiritualiter admodum, ac piè vivendum obligat; inſuper ſequentia hæc obſervare poterunt. E

1. Repræſentent ſibi in ſingulis ægris Chriſtum Dominum, & hoc illos intuitu inviſant; quod tamen mercedis ſuæ exactioni, ac petitioni non adverſatur: etſi tunc hic Chriſti Domini intuitus, ac reſpectus melius ſuccedat, cum medici pii ſine ulla mercedis ſpe ægrotos pauperes inviſunt. Praecepta.

2. Ad medendum aliis ſe non applicent, niſi ante litteris operam dederint, & quæ neceſſaria ſunt, præmiſerint.

3. Magnam ob occurrentes morbos ſtudendo adhibeant diligentiam: nulla applicent medicamenta, niſi morbi genere, & qualitate bene perſpecta, & niſi ante crediderint ea morbum depulſura: peccant enim, ſi veriſimile ſit, fore ut hæc noceant, vel ſi nonniſi experiundi cauſa, vel, ne ignorantiæ inſimulentur, ea admovent. F

4. Nunquam ullum dent conſilium, quod animæ noceat, quò corpori proſint: multo etiam minus de hujuſmodi rebus coram infirmis ipſis agant, quod illorum è verbis occaſionem ipſi capere poſſent, eadem uſurpandi etſi talia medici non conſulerent.

5. Infirmos adhortentur, ut in tempore confeſſionem delictorum inſtituant, (præſertim quando infirmitas cum mortis eſt periculo conjuncta,) & de rebus ſuis temporalibus, ac domo diſponant, ubi vident illos mori debere.

6. Nullas dent ad aborſum procurandum potiones, niſi fortè fœtum nondum animatum eſſe crediderint, quod facere, tum licebit, quo vita matris conſervetur. G

7. Nemini jejunii frangendi, aut carnium tempore vetito comedendarum, niſi juſta id poſtularit cauſa, facultatem dent.

8. Nullas ſuperfluas præſcribant medicinas, & pharmacopœos moneant, ut quæ neceſſariæ ſunt, corruptas & noxias non præbeant.

9. Curent pauperes gratis, quinimmo aliquam iis erogent eleemoſynam, magna eos caritate conſolando.

10. In ſtipendio ſuo, ac ſalario recipiendo, exigendove ſint juſti.

11. In viſitandis mulieribus caſti ſint.

12. Potentioribus non adulentur, ſanitatem illis, aut vitam diuturniorem pollicendo, quam in conſcientia illos habituros crediderint. H

13. Aliquibus rebus interioribus ad paſſiones, & apprehenſiones rerum ſpectantibus, quæ corpus maximè immutare ſolent, addiſcendis incumbant.

14. Sint in ſecreto, quod infirmi illis ad mali ſui cauſam detegendam communicarunt ſervando inprimis accurati & fideles.

Scrip. An. 1610. Ital. Id.omat.

15. In alloquendis infirmis comes ſint & ſuaves, quò illorum, quantum quidem potuerint, malum aliquatenus allevient & leniant.

19. Si quando morbi graves fuerint & difficiles, alios medicos, vel auxilii, vel conſilii cauſa advocari, ægrè non ferant

17. Quando infirmitas periculoſa fuerit, diligenter ad orationem, & libros confugiant.

18. Quando ad Religioſos viſitandos advocabuntur, ita ordinare ſingula curent & diſponere, nullum ut obſervantiæ diſciplinæ Religioſæ detrimentum faciant.

19. De illis, qui ejuſdem ſecum profeſſionis ſunt, bene cum magna modeſtia loquantur.

Hæc, aliaque plurima ſpirituales medici facere ſolent, divinis ad hoc inſpirationibus, & quotidianis, quas divitum, honoratorum, & doctorum mors ſolet ſuggerere, occaſionibus utentes, utpotè quæ manifeſtè ſatis oſtendit, quam parvi vitæ hujus præſentis bona facere debeamus.

CAPUT XIII.

De Mercatoribus.

CHriſtiani mercatores eo magis ad vitam ſpiritualem aſpirare deberent, quo in minori vitæ juſtæ gradu verſantur. Illorum namque profeſſio adeò illos apta eſt ab amore, & timore divino divellere, ut bene magnam illos ſibi neceſſe ſit vim facere, & diligentiam talem, qualem res magnæ exigunt; præſuppoſito, etiam hac adhibita diligentia utcumque ſatis fore, ſi adhuc pervenirent, ut ordinaria aliorum bonorum Chriſtianorum, præſentis vitæ rebus minus implicatorum, exercitia piè exequerentur. Porro mercatores & negotiatores ſequentia hæç obſervare poterunt.

Monita.

1. Sint juſti, firmo propoſito concepto juſtitiæ terminos, etiam maxima ſpe lucri, & quæſtus temporalis non tranſiliendi.

2. Inordinatos cupiditatis appetitus comprimant, nec plura lucrari ſtudeant, quam quantum ſuorum ſuſtentationi conſentaneum ſit; ne ſcilicet, occaſione inopiæ, aliqua committant peccata, ſed ut quietè vitam præſentem, ſola neceſſaria habendo, traducant; hoc enim Divinam Majeſtatem rogabat Sapiens, ne ſcilicet ſibi, aut ſuperfluas daret divitias, aut paupertatem, ſed quæ neceſſitati ſufficerent.

3. In contractibus, ac ſtipulationibus ſint veraces, nec proximum circumveniant, præſertim in rebus vitiatis divendendis, quæ damnum adferre ementi poſſent, ut ſunt adulterina pecunia, medicamenta vitiata, frumentum corruptum, &c.

4. Nullis rationibus apparentibus, vel parum ſolidis fidant, quibus in materia reſtitutionis ſe juſtificent, ſed viros timoratos, & rerum intelligentes conſulant.

5. Cambia ſicca, & uſuras omni veritate palliatas fugiant.

6. In ſocietatibus ſint fideles, nec nimis ad rem propiam attenti.

7. Abſtineant monopoliis, necnon omni affectata diligentia, ad quibuſdam ſtipulandi formulis, quæ modicam juſtitiam, vel nimiam cupiditatem redoleant, diteſcendum.

8. Furtiva nulla, vel ſuſpecta emant.

9. In contractibus, de quorum juſtitia ambigitur, ineundis ne nimium ſint præcipites, ſed de veritate rei ante ſedulo inquirant.

10. Dent operam, ut contractus, qui ſuſpicionem movere in juſtitia poſſunt, quam citiſſime examinentur: multi namque ejus generis perplexitates corde jam dudum foventes, nec ſeſe aperientes, interim demoriuntur: quod eò fit, quia magnam in reſtituendo difficultatem ſentiunt.

11. Theologos non quærant parum timoratos, vel audaces, quorum opiniones ſequantur; ſed qui inter illos ſanctiores, & ſapientiores ſunt.

12. Si quando Deo dante juſte proceditur, & ipſa familiaris res, & quæſtus creſcit, accreſcant & eleemoſynæ: &, ſi divites ſint mercatores, multa exerceant opera charitatis.

13. Infinitis ſe contractibus & negotiis non implicent: tales enim mercatores in mortis hora tot ſimul negotia diſponere, & ordinare nequeunt, moriunturque cum conſcientia gravata, quia etiam filiorum, aliorumque animas in periculum ſalutis vocant.

14. Si Deo dante, juſtè quæ ſtatui ſuo neceſſaria, & convenientia ſunt lucrentur, à mercimonio omni poſtea abſtineant, ut aliquantulo ante mortem tempore aliam vitæ rationem ineant, in timore ſcilicet Dei, caritatiſque & vitæ ſpiritualis exercitiis viventes.

15. Notent diligenter, pium mercatorem ſpectare debere, non ut quolibet modo lucretur, ſed juſto dumtaxat inhiare lucro debere, ut neceſſaria nimirum ſuppetant ad vitam in Dei ſervitio trahendam; atque hoc filios mercaturæ incumbentes à parentibus commoneri oporteret, ut animum pie & Chriſtiane componant.

16. Affectum auro & argento non affigant, quin potius eum ab eodem avellere conentur: multi quippe mercatores in continuæ cujuſdam idololatriæ ſimilitudine vivere videntur.

17. Sæpe confeſſariis peritis, ac piis confiteantur, illorumque monitis pareant.

CAPUT XIV.

De Militibus.

RAriſſima res eſt, ſpiritualem aliquem militem invenire: ſi tamen ſunt aliqui, (danda porro opera eſt, ut plurimi ſint eo, quo poſſumus modo illos, adjuvan-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

vando) utile fuerit, ut ſequentia monita obſervent.

Monita. 1. Cæco quodam modo, ſolius ſcilicet ſtipendii intuitu, militare non decernant; ſed ante omnia proponant, non ad alias ſe conferre expeditiones, quam quæ juſtæ ſunt: quare prius de iis inquirant oportet. A

2. Propoſitum habeant propter Dei gloriam, & commune Reipublicæ bonum pugnare; & ſæpe propoſitum hoc renovent, dantes operam, ne quem paſſionibus inordinatis, vel vanis, profaniſque reſpectibus dent locum. Huic vero doctrinæ non adverſatur, ad bellum abire cum fortitudinis ſuæ, valoris, ac dexteritatis oſtentandæ intentione, vel ut ad gradus altiores adſcedant, & militiæ honoribus, ſtipendiiſque gaudeant, modo principalis illa bona intentio divinam gloriam, ac bonum Reipublicæ ſpectans ſit conſtans & firma.

3. Si quando pro ſanctæ fidei defenſione, vel cauſa pugnandum eſt, multos quibus ſe ad omne pro eadem vitæ periculum offerant, exerceant actus; & ut ſingulare quoddam Dei beneficium bonam illam moriendi occaſionem, quæ martyrio ſimilis eſt, ducant. B

4. Suis contenti ſint ſtipendiis; nullam cuiquam vim intendant, nec aliena diripiant, præſentim in ſtationibus, ac præſidiis ſibi aſſignatis.

5. Crapulam & impudicitiam, quæ animam juxta, ac corpus debilitant, & milites contemptibiles faciunt, & exoſos, remis veliſque fugiant.

6. Sæpius quidem per annum delicta ſua confiteantur; at maxime quando cum hoſte eſt confligendum, conſcientiam ante in tuto collocando, & Divinæ ſeſe Majeſtati commendando, ut ſibi dare dignetur, quod ad animarum ſalutem expedientiſſimum fuerit. C

7. In quotidiana vitæ ratione ſint compoſiti, humani, & comes, a ludo & converſationibus luxurioſis, quæ diſcordiarum eſſe ſolent ſeminarium, quam maxime fugiendo.

8. Quotidie ſacro interſint, ſi eo verſentur loco, ubi ipſum celebrari poteſt.

9. Roſarium Beatiſſimæ Virginis recitent, necnon alia quædam devotionis exercitia; idque fideliter & perſeveranter.

10. Bene amiceque de commilitonibus ſuis loquantur, ac præſertim de ducibus, eiſque qua poſſunt maxima promptitudine obediant, velut iis, qui Dei ordinatione, ac voluntate locum hunc occupant.

CAPUT XV. D

De Conjugatis.

QUI in matrimonii ſunt ſtatu ſexcentas vitæ præſenti attendendi occaſiones habent, uti conſtat: hanc ob cauſam monitis quibuſdam ſpiritualibus, velut alexipharmacis quibuſdam opus habent, ne Dei amorem, ac timorem omnem quoquomodo obliviſcantur. Sequentia ergo pro commoditate uſurpare poterunt.

1. Dum matrimonium contrahere proponunt, finem ſemper intendant, ob quem matrimonium fuit inſtitutum, qui eſt ipſa ſobolis generatio, non autem ipſa carnalis delectatio. Praecepta E

2. In ſponſalibus, nuptiis, &c. celebrandis abſtineant ab iis, quæ parum caſta ſunt, necnon ſuperfluis ſumptibus; ſed ut pios & timoratos Chriſtianos decet, omnia peragant.

3. Erga ſe invicem conjuges magno amore ferantur, magnam inter ſeſe animorum unionem conjunctionemque ſervare ſtatuentes, non minus ſpiritualem, quam corporalem: atque omnia, ut Divinæ Majeſtati famulentur.

4. Sint invicem in debito conjugali perſolvendo fideles, Dei timorem ſemper ob oculos habentes; nec, quæ per Sacramentum ſibi conceſſa eſt, licentia abutantur. F

5. Copula vero abſtineant, tempore infirmitatis, vel ubi abortus, vel alterius gravis damni periculum eſt.

6. Nocte, quæ ſacroſanctam præcedit Communionem, ſeſe contineant, idque ob Sanctiſſimi Sacramenti reverentiam.

7. Sint in ordinaria & domeſtica converſatione maxime pudici, in verbis, & operibus compoſiti, & modeſtiam ſpirantes.

8. Mutuam ament pacem, ſibi invicem Chriſtiana caritate & manſuetudine, ſi quid peccatum ſit, condonantes.

9. Inordinato erga liberos affectu non ferantur, nec illorum cauſa avare ſordideque diteſcere contendant.

10. Curent, ne facultates ſuas dilapident, ſed eas conſervare, & adaugere allaborent, tametſi ordinariis duntaxat diligentiis, & conatibus, divinæ ſeſe de cætero providentiæ committentes. G

11. Bono ipſimet liberis exemplo præluceant, quoad victum, veſtitum, & recreationes, aliaque moderate ſeſe gerentes & pie.

12. Quantum quidem ipſis poſſibile fuerit, eleemoſynas faciant, ſine ullo prorſus metu, ne hoc pacto ſint ad inopiam redigendi.

13. Si nullum in ſe incontinentiæ periculum adverterint, concubitu aliquando diebus aliquot abſtineant, quò pauliſper orationi vacent.

14. Sacramenta, necnon conciones, aliaſque pietatis adaugendæ occaſiones frequentent.

15. A maleficiis, aliiſve ſuperſtitionibus, vel ad generationem impediendam, vel abortum procurandum deſtinatis caveant, necnon ab alio quocumque actu illicito, inordinatove; at ubi hoc in ſtatu afflictio aliqua occurrerit, ad verum remedium, quod ab oratione, Sacramentis, Dei ſervis, qui bona ipſis conſilia ſuggerant, petendum eſt, confugiant. H

16. Bonæ liberorum educationi jam inde à teneris naviter, ac ſeriò incumbant; curent proinde, ut doctrinam hi Chriſtianam ediſcant,

Scrip. An. 1610. Ital. Idiomat.

ſcant, & Confirmationis Sacramentum recipiant, quo hoc pacto in fide corroborentur à malis etiam conſortiis eos avocent; curent quoque, ut ſuo tempore confiteantur, & Communionis ſacræ myſteria adeant; paternè item eos caſtigent, ita tamen, ut ad indignationem eos non provocent; de neceſſariis quoque iis provideant, idque magna A amoris ſignificatione: ad hæc ad ſtudia illos, honeſta exercitia, vel artes, quæ in conſcientia tutæ ſint, inducant; denique in ſtatus, qui ad divinam gloriam tendat, animæque ſalutem ſecuriorem præſtet, electione, qua poſſunt, adjuvent.

EXHORTATIO.

OMnes mundanorum ſpes vanæ ſunt, omnes eorum labores, ac ſudores ſteriles, omnes conſolationes ſuperficiales. Fatui porro inprimis ſunt, quod in theſauris, quibus poſt dies aliquot privandi ſunt, coacervandis inſudent; cum, Dei auxiliante gratia theſaurizare in cœlo poſſint, ubi veri theſauri in ſempiternum durabunt. Figura mundi B hujus velut umbra præterit: hanc tamen mundani umbram comprehendere & tenere allaborant; neſcientes rem ſe tentare impoſſibilem, ac nullum contra conſilium Altiſſimi prævalere poſſe; qui præſentis & infælicis vitæ hujus proceſſum citò terminare vult; quod etiam penultimis illis Apocalypſeos verbis, *Venio citò*, ſignificavit. Unde Chriſtianus quilibet ſuper ſeipſum excubare, & continuò in magna ſollicitudine vivere deberet omni hora ſupremum judicem, cingulo juſtitiæ quam arctiſſimè ad renes conſtricto, exſpectando, ac velut lucernam manu geſtando, ut fulgor & lux oculos ipſius feriat, ipſumque in terrenis commoditatibus indormire non ſinat. Beati verò ſunt boni, ac diligentes veræ perpetuæque vitæ negociatores, qui in ſummum & infinitum bonum ſemper animum, oculoſque intendunt. Beati, qui omnia ſua vendere conſtituunt, quo regnum C cœlorum comparent, omnibuſque ſe terrenis privant, & rati ſe in terra vivere aliena, continuò ad dulciſſimam patriam ſuam, & regionem vivorum, in qua illorum corda requieſcent, ſuſpirant. Per viſcera porrò caritatis Domini noſtri Jesu Chriſti Lectores obſecro, ne de forinſecus de amaro Babylonis calice bibant, neque à bonorum terrenorum, & gloriæ mundanæ ſplendore, ſub quo venenum latet, quod mortem infert æternam ſibi ſinant imponi. Sana potius ſuaviaque Salvatoris noſtri conſilia reſpiciant, qui opere & verbis vitæ caſtam ſpiritus doctrinam prædicavit, ut nos videlicet à peccati ſervitute liberaret, nosque, ceu adoptivos Patris ſui æterni filios privilegiis ampliſſimis condecoraret: ut per filiationem hanc ampliſſimæ D illius hæreditatis, quæ divitiis & divinis conſolationibus plena eſt, participes redderemur. Breve laboris & ſudoris eſt tempus, & jamjam finiendum: curramus, curramus inquam velociter ad præmia, & de aqua illa puriſſima, quæ lætificat civitatem Dei, plenis faucibus bibemus; & cor noſtrum ſine ullo prorſus faſtidio ſatiabitur, ad hoc ipſum refrigerium perpetuò anhelans & ſitiens, quo non modò ſine ullo illius amittendi metu, ſed cum ſecuritate, & intima quadam hilaritate illius ſine fine poſſidendi, perfruetur.

STIMULUS COMPUNCTIONIS

ET SOLILOQUIA.

IN DUO SEQUENTIA OPUSCULA

PRAEMONITIO.

Quod de mirabili illo Thomae a Kempis libello, de Imitatione Chriſti *inſcripto, celebratum eſt; Opus divino potius afflante Spiritu, quam humano ingenio digeſtum eſſe; id omino de duobus hiſce Venerabilis noſtri Scriptoris Opuſculis & dici merito poteſt, & a pleriſque liberaliſſime prolatum novimus; „ quum procul dubio ſpiritus, quo undique ſcatent, de latere Divinae gratiae prae „ candore Sanctiſſimae vitae exſuxerit Auctor: „ quemadmodum ſcripſerat in Monito ad ſuos Lectores piiſſimus Vir, qui aliam eorum editionem Baſſani curavit anno* 1700. *Scilicet intima quaquaverſus compunctionis ſenſa, ſuaviſſimi pietatis affectus, flagrantiſſimi amoris Divini aeſtus redundant. Nihil ſive concipiendae, ſive confovendae, augendaeque pietati validius, aptiuſque excogitari poteſt; noruntque facile qui haec ſcripta frequenti manu verſant, quantum afflictae deiectaeque animae ſolatii, & adiumenti eſſe ſoleat improviſa etiam, & fortuita paucorum verſuum lectio. Quae tamen, ut pleniſſime, abundantiſſimeque ſuos adferat fructus, ea animi praeperatione omnino fiat, quam Auctor ipſe in Praefatione poſtulat. Divinarum Scripturarum verbis tamquam a Chriſto Domino Animam intime adloquenti prolata, aut viciſſim Animae ad Chriſtum, haec quoqne Opuſcula coagmentata ſunt; eaque anno* 1599 *cadente Vir Venerabilis ſcripſit, dum Romae Novitiorum Magiſtrum agebat, aut forte in aliquo ad Montem Tuſculanum ſui receſſu; deinde anno ſequenti* 1600. *primo Romanis Typis coniunctim vulgata ſunt, Regi Cordium Pacifico Ieſu Chriſto ab Auctore ipſo dicata, & pluries poſtmodum variis in locis recuſa, Coloniae an.* 1610. *Neapoli* 1676. *iterum Romae* 1688. *Pariſiis, Lugduni, Taurini, Baſſani, & ſaepius alibi; ac poſtremis hiſce temporibus, eximio popularium fructu, a Viro Religioſo Ordinis Cappuccinorum Italice verſa, & Venetiis edita; quamquam aliam quoque multo antiquiorem verſionem Italicam prae oculis habeo, quam animo forte eam vulgandi quidam è noſtris Anonymus perfecit; eaque manu eiuſdem Traductoris ſcripta ad Archivum ſpectat noſtrarum Sanctimonialium Bononiae, unde mihi humaniſſime commodata eſt. Stimulum Compunctionis ſequitur Epiſtola dulciſſima Ieſu Chriſti ad hominem peccatorem; cui ignita Animae ſoliloquia nectuntur „ ceu totidem compuncti cordis exercitia „ inquit noſter Martialis a S. Io. Baptiſta in ſua Bibliotheca. Omnia vero haec extabant Tomo ſecundo veteris quoque Colonienſis editionis.*

REGI CORDIUM PACIFICO
JESU CHRISTO INDIGNISSIMUS EJUS SERVUS.

VETUS AUCTORIS NUNCUPATORIA EPISTOLA.

Debetur tibi, Rex Sion, ſermo tuus vivus, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum. Debentur etiam tibi, o Sapientia, inſpirationes tuæ, & ſecreta verba, quæ loqueris ad cor Jeruſalem Sponſæ tuæ. Propter quod, dico tibi, dulciſſime Deus cordis mei, ſcriptum hoc, in quo poſui expreſſos in Scriptura Sacra ſermones tuos, & ſecreta verba, quæ inſtillas cordibus filiorum Adæ, cum ardentiſſimis deſideriis æternæ ſalutis ſuæ. Utinam, o lux beatiſſima, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, medio ſcripto hoc fortiſſima veritas tua emolliat ferrea pectora peccatorum, & acutæ ſagittæ verborum tuorum cadant in corda inimicorum Regis! non certè ut pereant, ſed ne amplius ſint inimici tui. Placeat, oro te, fideliſſime Cuſtos hominum, qualiſcumque labor hic meus, quem direxi ad convertendos peccatores in requiem ſuam, te ſcilicet Deum, Redemptorem, & unicum remedium ſuum. Et quia inter omnes illos, qui offenderunt te, primus ſum ego; per viſcera miſericordiæ tuæ, in quibus viſitaſti nos, precor te, infigas mihi Stimulum Compunctionis, qua liqueſcant viſcera mea, & reſolvantur in lachrymas interpretes cordis mei. Accipe, ſumme Rex pacifice, oblationem meam, non ut antiquas hoſtias taurorum & hircorum, ſed ut opus, quod ſpectat ad novam, & immaculatam legem æterni Teſtamenti Tui: ut qui legerint ſcriptum hoc, ruptis vinculis peccatorum, reſpirent ad auram gratiæ tuæ, & convertantur ad requirendam toto corde ſuaviſſimam amicitiam tuam.

PRÆFATIO AUCTORIS

Accipe, Chriſtiane Lector, Stimulum compunctionis, qui utinam digito Dei, qui eſt ejus Spiritus, infigatur viſceribus tuis. Lege ſcriptum hoc lentè, & accommoda verbis ſacris, quibus abundat, aurem cordis, per quam illabatur Dei veritas in animam tuam. Elige tempus & locum remotum à ſtrepitu negotiorum mundi, ut inſpirationes Dei, quaſi vocem auræ lenis in ſilentio percipias. Si vero ſenſeris te commoveri mollitis ſermonibus, quieſce, & fove calorem illum, poſteaque lectionem reſume. Scopus laboris noſtri eſt cum Dei gratia convertere peccatores ad pœnitentiam, propoſitis rationibus, quibus, quaſi ſtimulis compungitur. Atque ideo liber (Stimulus Compunctionis) inſcribitur. Cui ſubjecta ſunt Soliloquia quæ ſunt ignita compuncti cordis exercitia. Tempus breve eſt: ex quo, ſi prudens eſſe velis, compunctionis ſtudio vacare debes, ad abluendas culpas præteritas, & ſalutem æternam acquirendam. Non te ſeducat vanitas mundi, quæ fugit velut umbra, ut nimis curioſa, & ſubtilia legas, & eloquia Dei ſimplicia, caſtaque relinquas. Sanius quippe conſilium eſt, Dei ſapientiam humilibus verbis abſconditam diſcere, Deique ſenſum aſſequi, quam ſine compunctionis ſenſu altum ſapere, & à Jeſu Chriſti ſchola, quæ manſuetorum, & humilium eſt, aberrare. Certè intima compunctio cordis ex genere illorum ſecretorum eſt, quæ Altiſſimus Deus abſcondit à mundi ſapientibus, & prudentibus, & revelavit parvulis. Propter quod, ſi proficere vis lectione hac, humilis eſto in oculis tuis: & conſilia Dei vel expreſſa in Scripturis Sacris, vel accepta per quotidianas inſpirationes, quæ in hoc libro continentur, amplectere. Utinam muteris in virum alterum, & transfixus jaculis ſermonum Dei, ex intimis medullis convertaris ad Jeſum Chriſtum Unigenitum Dei Filium, & dulciſſimum Redemptorem tuum. Vale.

NON SI
NE LABORE

VENERABILIS
P. FR. JOHANNIS
A JESU-MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI CALAGURITANI
STIMULUS COMPUNCTIONIS

CAPUT I.

DE SENSU JESU CHRISTI DOLENTIS SUPER AVERSIONE PECCATORIS.

Scriptus An. 1599.

EGO Unigenitus Dei Filius, Dei virtus, & ſapientia clamito in plateis, & in medio populi exalto vocem meam: enutrivi enim, & exaltavi filios hominum, ipſi verò ſpreverunt me. Scripſi in viſceribus tuis, o homo, dulciſſimam legem novi teſtamenti mei, & in medio A cordis tui plantavi eam: & tamen diſplicuit tibi lex mea immaculata, convertens animas, & fidele teſtimonium æterni amoris mei. Longè receſſiſti à me cum prævaricatore Adam patre tuo, & abſcondiſti te à me Clementiſſimo Deo, & liberatore tuo, cum ambularem ad auram poſt meridiem. Quid eſt hoc, fili aliene? Quò fugis à facie mitiſſimi Dei, & Redemptoris tui? Nunquid ego crudelis Dominus ſum, quia celeriter fugis me, & quæris meliorem B Dominum invenire? Conſidera quid agas, & quam longè recedas à ſalute tua: gratis enim odio habes pretioſiſſimum remedium, & libertatem tuam. Facta eſt quaſi vidua infœlix anima tua, quæ poſſet, ſi tu divinæ gratiæ cooperari velles, permanere in fide deſponſationis ſuæ, & gaudere privilegiis ſuaviſſimæ charitatis meæ. Et tamen abominata eſt me fideliſſimum ſponſum ſuum, & de ſpoliis ejus inimici ejus locupletati ſunt. Quomodo obſcuratum eſt aurum antiquæ dilectionis meæ, mutatus eſt bonæ converſationis color optimus, diſperſi ſunt lapides templi & ſanctuarii mei in capite omnium platearum! Non placuit tiD bi habitatio Jeruſalem civitatis meæ, quam dilexi: & annumeratus es inter cives Babylonis, quam odivit anima mea. Væ animæ recedenti à me! terrores enim mortis militabunt adverſus illam, & dolores inferni invenient eam. Iraſcentur ei catuli leonis rugientes, ut rapiant, & quærant projectam à Deo eſcam ſibi. Ex quo enim, pro luce gratiæ meæ, poſuiſti tenebras peccati, & facta eſt nox triſtiſſima offenſionis meæ, omnes beſtiæ ſylvæ infernalis pertranE ſibunt, & apertis faucibus feſtinabunt ad devorandam apoſtatricem animam tuam. Ergo ſaltem amodo voca me, & dic: Deus meus, & dux meus es tu: jam non ultra

Adam prævaricator.

tra

Scriptus An. 1599.

tra fugiam te. Erravi, ô dulciſſime Deus, ſicut Cain profugus à facie tua: & ſervivi diis alienis, in quibus non eſt ſalus, aut libertas mea. Ecce revertor ad te de ſervitute nimis dura: requiro formoſiſſimam lucem tuam de tenebris, & umbra mortis, quæ terruit me. Verè cognovi, per experientiam A erroris mei, quia non eſt bonum aliquod extra te amabiliſſimi & altiſſimi Dei Filium, cui conſecro viſcera mea.

CAPUT II.

De ſuavitate Jeſu Chriſti vocantis peccatorem ad pœnitentiam.

UTinam placeret tibi, fili, pretioſior auro amicitia mea, & auribus cordis contriti, & humiliati audires ſubtilem vocem meam, qua ſaxa moventur. Ego quaſi nutritius Ephraim gero curam tui, & cum duritia cordis tui lapidei pugnat magna, & fideliſſima miſericordia mea. Tu ſecundum duritiam tuam, & impœnitens cor reſiſtis B melle dulciori ſpiritui meo: & ego ſecundum divitias bonitatis infinitæ quæro emollire viſcera tua ſecretis, & innumerabilibus inſpirationibus meis. Tu fugis me perſequentem te non odio, ſed tuæ ſalutis deſiderio: & ego tibi fugienti quaſi ex inſidiis occurro, ut expanſis brachiis amplectar te, & vincam feritatem tuam infinita manſuetudine mea. Propter quod cœli & terra mirantur clementiam, & ſuavitatem creatoris ſui tam ſollicitè vigilantis ſuper cuſtodia ingratiſſimi peccatoris, nolentis tollere ſuave jugum meum ſuper ſe. **Cordis humani duritia.** Uſquequò durum cor tuum calcitrabit contra ſtimulum fortiſſimi amoris mei? Nunquid in æternum repugnabis inæſtimabili charitati Dei tui? Ego potuiſſem damnare te per juſtitiam meam, quia impiè egiſti, & confregiſti jugum meum, C & dixiſti: Non ſerviam: & tamen ſuſtinui te in multa patientia, & deſiderio æternæ vitæ tuæ, ſi fortè convertereris ad me, & reconciliareris Clementiſſimo Patri meo. Quid ergo moraris fili dilectiſſime? Cur differs de die in diem reverti ad ſuaviſſimam pacem, & dilectionem meam? Sine, fili, ſine, ut reſolvam glaciem tuam igne ardentiſſimo amoris mei, & reformem deformatam animam tuam ad exemplar unigeniti Filii Dei. O generatio Adæ, quamdiu vos patiar! O rem mirabilem, & abſconditam à mundi ſapientibus & prudentibus, qui obturaverunt aures ſuas, ne perciperent ignitum eloquium meum! Ego Filius Altiſſimi ſto ad oſtium tuum, & pulſo, cupiens introire, & implere bonis ineffabilibus domum D tuam: & tamen durum tibi videtur recipere hoſpitio Deum Redemptorem, & amicum tuum. Certè ſi tu pulſares ſemel portam domus meæ, ad primum ictum feſtinarem aperire tibi, ſicut aperui David ſervo meo ſuſpiranti ad correptionem Nathan prophetæ mei. **Davidis ſuſpiria notata** Placeat ergo tibi, fili dulciſſime, conſilium meum: & opportuna pœnitentia convertere ad me Pacificum Regem tuum: & quaſi mater amantiſſima diligam, & amplectar te, nutriamque infantiam tuam dulciſſimo lacte meo.

CAPUT III.

De bonitate Dei, & facilitate parcendi. E

QUo fugis, filii chariſſime, qui graviter offendiſti me? Nunquid ſolitudo ſterilis factus ſum tibi, quia dicis in corde tuo: Receſſi, non revertar ultra ad te? Nunquid obliviſcetur Virgo faſciæ pectoralis ſuæ, aut ſponſa ornamenti nuptialis ſui? Quomodo ergo anima tua, quam ego deſpondi mihi pretio ſanguinis mei dereliquit me, & oblita eſt mei diebus innumeris? **Deus ipſa bonitas.** Ego ſum ipſa bonitas, quæ ſua dulcedine paſcit omnes creaturas, qua nihil amabilius cogitari poteſt: & tamen incredibili dementia quæris bonum extra me. Conſidera, fili, bonitatem meam, qua petræ molliuntur, & emollire: neque falſis prophetis credas, qui præter me gaudia falſa divinant. Certè ſi ego ſum ipſa ſumma bonitas, neceſſe eſt, quicquid extra me quæris, F bonum tibi non eſſe, quamvis omnia regna mundi, & omnia deſiderabilia oculorum carnalium ſolus poſſideres. Vulgò dicitur: Bonum eſt quod omnia appetunt: & tamen gravi errore ſeductus traheris voluptate bonorum apparentium, verum autem, æternum, & incommutabile bonum nimis ſtultè relinquis. Utinam ſaperes, & intelligeres, & noviſſima provideres! Ne ſequaris deos alienos, fili: certiſſimè enim avertent à vera ſapientia cor tuum; expectabis lucem, & non videbis, neque ortum ſurgentis auroræ. Adhæreat caſta lex mea viſceribus tuis, & percipe ſibilum ſecretæ eruditionis meæ, & Catholicæ fidei, qua illuminavi te. Ecce tu credis ſincera fide, me eſſe infinitam bonitatem, pulchritudinem, G ſapientiam, qua ſola cor hominis ſatiari poteſt: quò ergo properas dum offendis me, niſi ad infinitam malitiam, turpitudinem, & ſtultitiam, qua fœdabitur anima tua? Nonne ſanius conſilium eſt adhærere mihi, & illuminari, atque ſatiari ad uberibus conſolationis meæ, quam inter vagos & profugos inimicos meos neque de ſiliquis porcorum ſaturari? Convertere, fili prodige, in requiem tuam, & ego revertentem de regione longinqua amplectar te: dicamque ſervis meis ſtatim ac videro te: Citò proferte ſtolam primam, date annulum in manu ejus, & calceamenta in pedibus ejus. Commovebuntur quippe viſcera mea ſuper dulciſſimo filio meo, quem genui; lætabor ſuper converſione tua, quaſi qui invenit ſpolia multa. H Delector enim miſerendo: & præ magnitudine bonitatis meæ ad miſeriam, & gemitum pauperum liqueſcit anima mea. Recordare, fili, manſuetiſſimi cordis mei, ex quo diſcere poteris, quam magna ſit multitudo bonitatis, & dulcedinis meæ: lege Sacras Scripturas meas, & miraberis facilita-

Scriptus An. 1599.

Exempla.

tatem miſerendi, & parcendi peccatoribus, & conſolandi afflictos; ex quo intelliges, me bonum Dominum eſſe, & timebis recedere à me, ſicut mors timeri ſolet. Ego nunquam levavi lanceam meam ſuper virum, qui vellet ſervire clementiſſimo Patri meo, quamvis graviſſimè peccaſſet. Semel ſuſpiravit David ſervus meus, dicens: Peccavi; & ſtatim tranſtuli ab eo peccatum ejus. Paucis gemitibus accuſavit ſe Publicanus, qui me multum offenderat: & citò deſcendit juſtificatus, & lætus in domum ſuam. Decem millia talenta debebat mihi ſervus nequam, qui procidens rogavit me: & dimiſi eum liberum, omneque debitum donavi ei. Mulier comprehenſa in adulterio ſtetit timens, & inſtanter accuſata in conſpectu meo: & ſuaviſſimè reſpondens à damnatione eripui eam. Magdalenæ peccatrici oſtendi lætam faciem, & celeriter peperci ei, ita ut Phariſæus, qui me invitaverat, miraretur. Latro qui juxta me crucifixus fuit, verbo uno mollivit viſcera mea: factuſque eſt ſtatim particeps regni mei. Quare ergo bonitas mea tot teſtimoniis probata non placet filiis Adæ, ſed quærunt ſolatia peregrina? Fuge, fili, conſortia peccatorum, & per veram pœnitentiam require faciem meam.

CAPUT IV.

De ſapientia Dei, à qua homo peccando recedit.

Superbi a Deo reprobati.

Deus fons ſapientiae.

O Quam ſtultè receſſiſti à me, fili, cum Adam patre tuo, qui per arborem prohibitam quæſivit eſſe ſicut Deus, ſciens bonum, & malum! Non eſt hæc via ſapientiæ meæ, quæ palato cordis dulciſſimè ſapit. Ego ſapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodivi, ſum lux formoſiſſima, quæ ſplendoribus æternis illuſtro mentes parvulorum qui ſub diſciplina mea requieſcunt. Inflatos autem, & præſumentes de ſe proiicio à facie mea, ut ſedeant in tenebris, & umbra mortis, & neſciant diſcernere inter ſiniſtram, & dexteram ſuam. Væ peccatoribus, quo excæcavit malitia ſua, ne viderent me ſolem juſtitiæ præceptoremque ſapientiæ, ſub quo in momento diſcerent ſecreta cæleſtia, & fierent doctiores, quam ſi ſcirent numerare ſtellas cœli, & arenam, quæ jacet in littore maris. Certè licet peccator, qui à me recedit, ſciret omnes doctrinas, quæ diſcuntur in Academiis orbis terrarum, nihil ſciret, quia neſciret me, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ Dei. Etſi linguis hominum loqueretur & Angelorum, quaſi infans reputaretur in cæleſti civitate mea, quia neſciret verbum Dei, qui linguas infantium facit diſertas. Cum ergo hæc ita ſe habeant, quid cogitas fili, diſcurrens per varias hominum ſcientias, in quibus non eſt ſalus, aut ſatietas? Revertere jam fatigatus ad me fontem ſapientiæ melle dulcioris, & potabo te, & dilatabuntur viſcera tua. In me ſolo poteſt requieſcere intellectus tuus; ne ergo labores, fruſtra quærens magiſtros mendaces, quos ego non erudivi. Fuge de medio Babylonis, & vita innumerabiles ſollicitudines, quibus diſtrahitur cor tuum: & ego ducam te in ſolitudinem, lactaboque te, & docebo bonitatem, diſciplinam, & ſcientiam meam, ita ut ſuper ſenes intelligas, & omnes conſiliarios Pharaonis, & divinatores Chaldæorum tranſcendas. Aufer ſordes mentis, fili chariſſime, & mundare, ut puris oculis aſpicias candidiſſimam lucem meam: daboque tibi, ut fias conſors ſecretorum meorum, & inflammeris amore æternæ ſapientiæ, quæ ineffabilibus gaudiis caſta corda delectat. Guſta ſaporem meum, & aperientur oculi tui ad contemplanda myſteria mea deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & favum. Et exultabunt oſſa humiliata tua, quæ implebo caſtiſſimis delectationibus, quas præparavi pœnitentibus, qui revertuntur de terra aliena in dulciſſimam civitatem Jeruſalem, ubi theſaurizant divitias ſuas.

CAPUT V.

De pace Dei, quæ per peccatum amittitur.

Amor terreſtris deſpiciendus.

EGO Rex Pacificus, qui magnificatus ſum ſuper omnes reges univerſæ terræ, participes facio amicos meos pacis, quæ ſuperat omnem ſenſum. Quando enim homo exiſtit in ſtatu gratiæ, ego habito in eo, tanquam in thalamo nuptiali, ubi omnia pacifica ſunt: & guſtatur ibi pax dulciſſima filiorum Dei, auditurque concentus ſuaviſſimus partium hominis conſpirantium in unam conſonantiam legis meæ: quam bene ſenſit ille, qui dixit: Deus, canticum novum cantabo tibi, in pſalterio decacordo pſallam tibi. Hæc pax eſt auro pretioſior, & omnibus mundi honoribus, divitiis, & conſolationibus amabilior: quam ſi filii hujus ſæculi guſtarent, citò deſpicerent omnes amores terrenos, & ſuſpirarent ad me. Tu ergo, fili conſidera quid feceris, quando receſſiſti à me, noluiſti pacem meam, & elongata eſt à te, & ſurrexerunt adverſus animam tuam innumerabiles hoſtes, qui non dormiunt, & te requieſcere non ſinunt. Exiſtimaſti te habiturum, & poſſeſſurum pacem, ſi ſatisfaceres appetitui, & deſideriis vanis ejus, vivens more Gentilium, qui non cognoverunt me: & tamen nihil pacis inveniſti, ſed ſollicitudines, & anxietates, ſtimulos conſcientiæ, horrores, & timores judicii mei, ſicut Cain, qui egreſſus à facie mea, timuit, ne omnis qui inveniret illum, interficeret eum. Contigit tibi, fili, quod olim accidit populo Iſrael, qui non bene uſus fuit habitatione Jeruſalem civitatis meæ: migravit enim Judas propter afflictionem, & multitudinem ſervitutis, quam peccando incurrit: habitavit inter gentes, nec invenit requiem. O quam graviter errat peccator, qui pacem filiorum Dei à ſe proiicit, & im-

Impii vita infelix.

implicat ſe infinitis quæſtionibus! O quam infeliciter vivit impius, qui fugit nemine perſequente, portans ſecum damnationem mortis, quam operatus eſt! Uſquequò clamabo, & invitabo te, fili ingrate, ad convivium delitiarum mearum, ubi pacificabuntur interiora tua, & lætabuntur conſortio pacis, & amoris mei? Convertere jam, fili, A in requiem tuam, quam per dolores mortis comparavi tibi, & placeat tibi habere mecum cor unum, & animam unam. Faciamus hodie pactum concordiæ fideliſſimæ quæ non habeat finem. Ego parco tibi, dulciſſime amice, neque recordabor culparum, quibus offendiſti me: præbe mihi cor tuum, ut ineamus fœdus amicitiæ in ſanguine meo, quem fudi pro te. Rumpe jam vincula colli tui, captive fili, & reſpira ad libertatem meam; nam quod attinet ad me, ego ero fideliſſimus adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, & egeſtate tua. Ego ſcripſi te in medio corde meo, neque unquam obliviſcar tui. Tantummodo peto, ut revertaris ad me, & in poſterum bene utaris ſuaviſſima converſatione mea: & faciam, ut B oriatur in te juſtitia & abundantia pacis, quæ permanebit cum Sole, & ultra Lunam. Ecce latus meum apertum, & manus clavis perforatas; junge latus cordis tui lateri meo; manuſque tuas manibus meis, & convertere tandem ad pretioſiſſimam pacem Redemptoris, & Amici tui.

Chriſtus Redemptor, & amicus noſter.

CAPUT VI.

De tutela Dei, a qua homo peccando recedit.

EGO cuſtos hominum curam gero ſervorum meorum, quaſi nutrix foveat infantulum ſuum: non enim dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Cuſtodio ego amicos meos, ut cariſſimam pupillam C oculi, neque patior virgam peccatorum ſuper ſortem, ſive hæreditatem juſtorum, ne forte juſti mei nimis afflicti extendant ad iniquitatem manus ſuas. A principio mundi non eſt auditum, quod mater aliqua tam ardenter diligeret, & cuſtodiret unicum filium ſuum, quam ego, qui erga juſtos meos pluſquam mater ſum, & animas eorum diligo, quaſi dulciſſimas ſponſas meas. Non timebunt, qui ſerviunt mihi à frigoribus nivis: omnes enim domeſtici mei veſtiti ſunt duplicibus, quia bonum Dominum ſortiti ſunt. Quare ergo fili, receſſiſti à me, & expoſuiſti te tot periculis & latronibus, qui inſidiantur tibi dicentes: Deus propter ejus peccata dereliquit eum: perſequimini, & apprehendite eum, quia non eſt D qui eripiat. Quis te proteget à vitulis multis, & tauris pinguibus, qui obſederunt te, ſi ſis extra tutelam meam? Omnes beſtiæ ſylvæ properabunt ad mortem tuam, niſi me cuſtodem tuum eſſe ſentiant. Foris vaſtabit te gladius, & intus pavor: vagus & profugus eris ſuper terram. Nonne conſideraſti, qualiter timeant malefactores, qui reges terrenos offenderunt? certe nullibi quieſcunt, ſed timent ad omnem ſtrepitum, quaſi ad umbram mortis, cogitantes ne forte miniſtri regis offenſi irruant repente ſuper eos. Quanto ergo magis ſollicitabit te timor mortis, ſi careas cuſtodia mea, & ut ſervus peccati tradaris perſecutoribus tuis? E mirabile eſt, quam dementes ſint peccatores, qui tradiderunt animas ſuas in manus hoſtium ſuorum, non cogitantes ſe carere fortitudine mea. Revertere igitur, fili chariſſime, ad me tutorem tuum, & ego, qui confregi capita Draconis, defendam te. Ego te ducam per terram deſertam, per locum horroris, & vaſtæ ſolitudinis, ſi fideliter perſeveraveris in timore meo. Ego conturbabo principes Edom; & robuſtos Moab apprehendet tremor, dum per viam vitæ tranſieris ſub tutela mea. Convertere ex toto corde ad me cuſtodem, ductoremque tuum, non requirens infirma auxilia mundi, & ſectatorum ejus: & ego ſolus dux tuus ero, eroque tibi ſicut Aquila provocans ad volandum pullos ſuos & ſuper eos volitans; F & experientia cognoſces, quia melior eſt dies una in atriis, & cuſtodia mea, ſuper millia: & in tempore anguſtiæ liberabo te, eo quod poſueris in me cor tuum munitum firmiſſima fiducia infinitæ bonitatis & miſericordiæ meæ.

Dei amor erga iuſtos qualis?

Humanae iuſtitiae timor.

CAPUT VII.

De ammiſſione gratiæ divinæ, quam peccator incurrit.

OMnes mundi theſauri comparati cum divina gratia mea pulvis ſunt, & cinis, neque ulla æſtimatione digni reputantur. Tanta eſt quippe altitudo; dignitas & pulchritudo gratiæ meæ, ut bonos æſtimatores ad incredibilem admirationem moveat. G Ex quo fit, ut ſervi mei oculos illuminatos habentes intimo dolore, & compaſſione moveantur ſuper proximis ſuis quando à ſtatu gratiæ meæ in ſtatum culpæ mortalis labuntur. Quod ſi tu, fili, bene conſiderares, cito convertereris ad me motus magnitudine calamitatis, quam peccando incurriſti. Erat anima tua, ſuaviſſima Sponſa mea in veſtitu deaurato, circumdata varietate, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirabantur. Tanta erat ejus gratia, cum in fide deſponſationis permaneret, ut oculos meos mirabiliter delectaret. Erat ornata monilibus filia Jeruſalem, ſpecioſa ſicut columba, formoſiſſima luce illuſtrata, & ſuavi valde decore prædita. H Erat conformis exemplari ſuo, cujus comparatione non lucent aſtra matutina. Erat dives valde divitiis veris virtutum mearum, quas neque ærugo, neque tinea demolitur. Poſtquam vero peccavit, egreſſus eſt à filia Sion omnis decor ejus, & à tanta fœlicitate incidit in tam extremam calamitatem, ut cæli ſuper hac mutatione obſtupeſcant.

Anima iuſta Chriſti ſponſa.

Tan-

Scriptus An. 1599.

Turpitudo peccati notata.

Tanta enim eſt, o fili, turpitudo, & ignominia peccati, quod commiſiſti, ut factus ſis leproſus putredine intolerabili horribilis, & vermium ebullientium eſca miſerabilis. Quid eſt hoc? Quomodo diſſipata eſt amœnitas paradiſi mei, & terra fructifera verſa eſt in ſalſuginem à militia inhabitantium in ea? Qomodo anima tua contra fi- A delitatem deſponſationis receſſit à me, & fœdata eſt cum amatoribus multis, qui corruperunt eam? Convertere ergo, fili mi, ad gratiam, & amicitiam meam, & ad ſplendorem faciei tuæ; neque ſis ita delirus, ut in tanta calamitate, & egeſtate deinceps vivere velis. Induere pretioſiſſima & candidiſſima veſte nuptiali, ut placeas mihi, & recumbas in magna cœna, quam præparavi chariſſimis electis meis. Suadeo tibi, emere a me ſine argento veſtem regiam, ut per plateam Sanctæ Civitatis incedas purpura veſtitus inter filios Sion inclitos, & amictos auro primo charitatis meæ.

CAPUT VIII.

B

De participatione Sanctorum, quam homo peccando deperdit.

VÆ ſoli, quia ſi ceciderint, non habet ſublevantem ſe! Beatus autem vir, qui per communionem charitatis particeps eſt omnium timentium & amantium me, & cuſtodentium ſuaviſſima mandata mea. Certè qui mihi per gratiam unitus eſt, unitus quoque manet omnibus membris meis viventibus cæleſti vita gratiæ meæ, quod eſt genus amicitiæ fideliſſimæ, qua nihil amabilius invenitur in terra ſuaviter viventium. Angeli mei, & Sancti homines mihi per gratiam conjuncti, ſunt amici fideliſſimi ſingulorum hominum diligentium me. Et tu, fili, quando placebas mihi, C habebas ſolatia hæc, & privilegia juſtorum omni auro pretioſióra. Eras copulatus Sanctis meis, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ: omniaque illorum bona per communicationem amicitiæ pertinebant ad te membrum vivum meum. Egoque caput Eccleſiæ ſponſæ meæ influebam in te motus vitales charitatis meæ ſimiles illis, quibus moveo corda diligentium me, & quærentium ſormoſam valde faciem meam. Spiritus enim meus urgebat te, & excitabat, & inflammabat, ardentibus deſideriis de terra fruitionis, qua ſatiantur venientes fatigati milites mei. Nunc autem denigrata eſt facies tua peccatis, quaſi carbonibus deſolatus, & jaces infixus in interitu, quem feciſti privatus conſortio Sanctorum, quæ ca- D lamitas extrema eſt. Quos amicos invenies fili, ſi amici mei non faveant tibi? Quæ ſocietas tibi proderit, dum cares Angelorum, & ſervorum meorum ſocietate? Quis te in anguſtia conſolabitur, ſi cum ſcorpionibus habites, & cæli concordia tibi deſit? Revertere ad conſortia civium Jeruſalem civitatis meæ, & ad feſta, quæ celebrantur communione dulciſſimæ charitatis: ut vivas fœliciter, quod reliquum eſt vitæ mortalis, & poſtea tranſeas ad communionem Eccleſiæ triumphantis, ubi dulciſſima pax erit, & unio plena, atque perfecta. Recede à tabernaculis impiorum, qui non diligunt te, neque ſeipſos, nam qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Multò utilius, & delectabilius tibi erit, fili, ſociari E vivis membris, & vaſis electis meis, ut diſcas ſapientiam in ſchola manſuetudinis meæ & creſcas cibo grandium creſcentium ad menſuram dilectionis, quæ altior cœlo eſt. Mundus tranſit, & concupiſcentia ejus: unio verò amoris mei non tranſibit in æternum, ſed conjunget mecum dilectiſſimos ſervos meos, quibus diſpoſui regnum, ut comedant & bibant ſuper menſam meam in convivio delitiarum paradiſi mei.

Iuſtorum Privilegia qualia?

Impius cur oſor ſui?

CAPUT IX.

De inconſtatia, quam peccator incurrit.

F

PEccatum peccavit Jeruſalem: propterea inſtabilis facta eſt, & requiem non potuit invenire. Stultus ut luna mutatur: quocirca cum omnis peccator ſtultus ſit, ſolvit debitas pœnas prævaricationis ſuæ, nunquam in eodem ſtatu permanens, ſed ad horas ſingulas conſilia mutans. Receſſit à firmitate, & conſtantia ſua, quam habuerat in me Deo, & cuſtode ſuo qui non mutor: & propterea vagatur inſtabilis, neſciens quo vadat, & non inveniens, ubi poſſit requieſcere pes ejus. Omnes perſecutores ejus apprehendent eum inter anguſtias: & cupiens ille liber evadere, mutat loca ſine fine, donec fugientem illum mala ſua capiant in interitu. Væ animæ, quæ diſceſſit à me. Ubique inveniet ſtimulos, & die ac nocte ſomnus fugiet ab oculis ejus. Hodie G peccator quærit amicos; cras vitat illos, quia infideles ſunt. Hodie vacat ludis; cras luget, quia vivendo luxurioſè conſumpſit ſubſtantiam ſuam. Hodie quærit honores mundi; cras fugit notatus infamia propter peccata ſua. Quid ergo cogitas, fili, qui ſedes ſuper rotam mundi, quæ ſemper vertitur? Quomodo non converteris ad me, qui ſum ſalus, virtus, & conſtantia tua? Nunquid non didiciſti experientia quotidiana, cogitationes mortalium ſine ordine procedunt uſque in finem? Certò ſcias, fili, te ſine miſericordia mea eſſe paleam leviſſimam & folium ſiccum, quod à vento rapitur, & nullibi conſiſtere poteſt. Nunc eris lætus, poſt horam triſtis; cras dolebis ob infirmi- H tatem, proxima die ſuccedente terreberis metu mortis; modò cura rerum temporalium modò ambitio, modò ſitis, modò fames cruciabunt te, niſi reſipiſcas & jactes in me cogitatum tuum, & offeras te totum mihi in altari cordis tui. Si quæſieris me in toto corde tuo, nihil perturbabit te, neque mors, neque vita, neque mundus, neque in-

Peccati effectus.

Cogitationes quales?

Pœnitentiae effectus.

infernus, neque creatura alia viſibilis, aut inviſibilis. Eris enim teſtimonio conſcientiæ tanquam leo fortiſſimus beſtiarum, qui ad nullius pavebit occurſum. Ego firmabo inconſtantiam Adæ patris tui, & roborabo te firmiſſima dextera mea; dabo te in columnam ferream, & in murum æneum adverſus omnes hoſtes animæ tuæ. Bellabunt contra A te, & non prævalebunt, quia te pœnitentem mutabo in virum alterum participem gratiæ, & fortitudinis meæ.

CAPUT X.

De remorſu conſcientiæ, quo peccator cruciatur.

Fili, niſi redieris ad me in toto corde tuo, arguet te ipſa malitia tua, & averſio tua increpabit te: nam per quæ quis peccat, per hæc & punietur. Juſtum judicium eſt, ut peccator, qui dereliquit me Deum ſuum, ſentiat intra ſe remorſum conſcientiæ, & ſollicitudinem naſcentem ex timore mortis & inferni. Juſtum judicium eſt, ut inter gaudia B mundi prohibita, quibus delectari quærit contra legem meam, pungatur ſtimulo cordis gementis, & prævidentis damnationem ſuam. Terrores mortis militant contra peccatorem, quamvis gaudia quærat: neque poteſt eſſe pax impio, qui arguitur à conſcientia propria, à qua fugere non poteſt.

Remorſus peccati effectus.

Hic remorſus naſcitur ex peccato, quaſi vermis ex ligno, & oſtendit me juſtum judicem eſſe, & peccatorem proditorem fuiſſe, qui parvo pretio vendiderit me. Hæc meditare, fili, & vide, quia malum, & amarum eſt dereliquiſſe te Dominum creatorem, & benefactorem tuum, & non eſſe timorem ejus apud te. Nonne vides omnia tibi infœliciter ſuccedere, quamdiu fugis me, & cum anxietate animi te bibere de aquis turbidis Aegyptiorum, cum C poſſis per gratiam meam reverti in chariſſimam civitatem Jeruſalem, & potari aqua pura Jordanis, ubi poteris lavari, & ſuper nivem dealbari? Quare ergo reſiſtis impulſibus amoris mei vocantis, & invitantis te ad amicitiam meam? Proiice à te, fili, quinque juga boum, quæ ſtulte emiſti, & tolle gratis unum & ſuaviſſimum jugum meum, ubi ſtimulis conſcientiæ non fatigaberis, ſed invenies requiem fatigatæ animæ tuæ. Quære ſerenitatem cæli, & pacem, quæ ſuperat omnem ſenſum: & requieſce ab iſta ſollicitudine [illegible] debo tibi ſubtilibus inſpirationibus meis, quæ gaudia vera generabunt, & ſedabunt commota viſcera tua. Ego te ſolabor, & loquar intus ad cor, ſi convertaris ad me, & confiteberis mihi in directione cordis, cum adeptus fueris libertatem, & quietem, & alia D pretioſiſſima privilegia filiorum Dei.

Mundi conſilia ſpernenda.

Sperne jam conſilia negotiatorum mundi, qui lacerant viſcera tua, & ſequere unicum, & ſaluberrimum conſilium meum: & videbis quomodo ego diſſipo omnes machinas inimicorum tuorum, & creo in te ſpiritum novum, quo renovetur ſicut aquilæ juventus tua, ut fruaris amabiliſſima pace, & ſecuritate mea.

CAPUT XI.

De duritia cordis, quam peccator incurrit.

Juſtus ego ſum, & juſtitiam dilexi: æquitatem E vidit vultus meus. Peccator repulit me, & repugnavit innumerabilibus inſpirationibus meis, quibus ego volebam emollire cor ejus. Et idcirco ego repello eum, & prohibeo pluviam meam, ne ſtillet ſuper illum. Ego invitavi Pharaonem per externa prodigia, quæ feci per manum Moyſi ſervi mei, & per internas inſpirationes, quas ille infœlix peccator ſenſit: ſed cum repugnaret grandi miſericordiæ meæ, permiſi obdurari cor ejus ſupra ſilicem, & ſupra duriſſimas petras, donec perſequeretur Iſrael populum meum, & ſubmergeretur quaſi plumbum in aquis vehementibus.

Saulis reprobatio.

Ego unxi Saul regem Iſrael, cum eſſet parvulus in oculis ſuis, & quaſi puer unius anni ſequeretur me: ſed F poſtquam cœpit & perſeveravit reſiſtere multis motibus, & inſpirationibus meis, projeci eum, donec incumbens ſuper gladium ſuum horribiliter mortuus eſt. Ego tractavi tanquam hominem unanimem & fidelem infœlicem Judam diſcipulum meum:

& Judae.

ſed poſtquam reſtitit dulciſſimis verbis, & inſpirationibus meis, & obfirmavit cor ſuum contra me, dimiſi eum, donec velut diabolus effectus, ſuſpenſus crepuit medius, & effuſa ſunt amaritudine plena viſcera ejus. Quid ergo expectas, fili, qui peccaſti, & receſſiſti à me? Quare perſeveras in ſtatu damnationis obdurans animam tuam, ne vincatur infinita dulcedine, & patientia mea? Nunquid in æternum pulſabo portam domus tuæ, ut miteſcat feritas tua? Revertere, fili, G ad cor, neque coniicias teipſum in extremum periculum duritiæ, ut incurabilis fiat plaga tua. Nonne audiſti, quia cor durum malè habebit in noviſſimo, & quia peccator funibus peccatorum ſuorum conſtringitur? Cave, fili, grande malum hoc, & conſidera, quid à te requiram. Peccator cum in profundum peccatorum venerit, contemnit; ſed antequam contemnat, tangitur, & movetur aliquantum interioribus inſpirationibus bonitatis meæ.

Peccatoris ſtatus.

Poſtea verò paulatim frigeſcit, & minus ſentit impulſus meos, donec lapideo corde inſenſibilis factus, nihil curat admonitiones meas, ſed quaſi equus indomitus currit per prata mundi feſtinans ad æternam flammam. Væ tibi, fili, niſi citò redieris ad me! Recordare ſalutis tuæ, & gloriæ meæ, quam præparavi iis, qui ve- H ram pœnitentiam agentes lavant ſtolas ſuas in ſanguine meo. Utere jam remediis miſericordiæ, ne obdureris, & tradaris in reprobum ſenſum. Si audieris me, ego liquefaciam glaciem cordis tui, flabitque Spiritus meus, & fluent aquæ compunctionis, quibus abſtergantur ſordes tuæ. Amplectere hoc ſanum conſilium Redemptoris tui parati parcere tibi,

Scriptus An. 1599.

bi, & mutare ſortem tuam. Imprimam, ſi convertaris ad me, ſenſum contritionis, & amoris viſceribus tuis: & lætaberis renovatione cordis, ſicut lætantur victores capta præda, celebrabiſque regenerationem tuam; & ſuavis effectus cantabis invictiſſimas, & A ſuper mel dulciſſimas miſericordias meas.

CAPUT XII.

De deſperatione, quam aliquando peccator incurrit.

CONſidera, fili, quia non eſt aliud nomen ſub cœlo, præter meum, in quo te oporteat ſalvum fieri. Noli errare ſpem tuam ponens in rege Aegypti, qui eſt baculus arundineus, ſuper quem ſi quis innitatur, perforabit manum ejus. Ego vici mundum, mortem, & infernum, & propterea qui me offendit, & confugere curat ad B favores & delitias hominum, qui non ſunt conſortes victoriæ meæ, incidit in dejectionem animi, quæ pœna acerbiſſima eſt. Caret gratia mea, quæ generat ſpem vivam æternorum bonorum, & videns ſe nihil dignum æterna vita operari, frangitur, & debilitatur, uſque ad triſtiſſimam deſperationem, quæ ſtatum damnatorum repræſentat. Hic eſt fructus ambitionis quærentis honores hominum, quorum nomina in terra ſcribuntur. Hic eſt fructus avaritiæ, quæ inſatiabili cupiditate in terra theſaurizat. Hic eſt fructus luxuriæ, quæ inebriatur delectationibus carnis, & non cogitat puriſſima gaudia Spiritus mei. Hic eſt fructus iræ, quæ facit veloces pedes hominum ad effundendum ſanguinem, & non curat numerari inter mites C ſervos meos, qui poſſidebunt viventium terram. Denique hic eſt fructus omnium peccatorum, quando malitia creſcit, & anima horret bonum, per quod ad vitam æternam pervenitur. Quid ergo agis, fili? Cur jaces in ſtatu lamentabili inimicitiæ meæ, quæ producit fructum deſperationis, accelerans mortem & infernum? Quomodo non miſereris animæ tuæ languentis piæ defectione virium? Conſidera diſſolutionem tuam, & furorem, quo curris ad flammam, depoſita cura ſalutis æternæ, quaſi non ſuperſit tibi ſpes. Stulte agis, fili, cadens animo, neque cogitans me omnipotentem eſſe, & te de luto fæcis. Proiice de medio tui ſordes & pondera peccatorum, quæ dorſum incurvant, & in deſperationem impellunt, & ſuſpira ad me auctorem ſpei, & redemptionis tuæ: liberaberis à ſervitute nimis dura, qua D opprimeris, & reſpirabis ad auram Spiritus mei, qui vivificabit oſſa tua. Convertere ad me per opportunam pœnitentiam, quæ ſalutarem triſtitiam ſecundum Deum generat, & ſimul lætificat animam in me renaſcentem, & à me recipientem pignus hæreditatis æternæ. Sic ſperabis, & ſollicita anima tua navigans per mare magnum fundabitur jacta anchora ſpei firmiſſimæ, quam ego acquiſivi tibi pretioſiſſimo ſanguine & inæſtimabili charitate mea.

Animi deiectio qualis poena?

Peccatorum fructus.

Poenitentiæ fructus.

CAPUT XIII.

De infidelitate, quam periculum eſt ne peccator incurrat.

E

EGO Altiſſimi Dei Filius ſum lux mundi, & juſto judicio punio peccatorem, qui odit me, interioribus tenebris, quibus obſcuratur intellectus. Quod malum adeo grave & formidabile eſt, ut aliquando infelix peccator multiplicando delicta in tantum à vera luce recedat, ut infidelitatem incurrat. Receſſit a me, & dilexit bona terrena pluſquam me: ex quo fit, ut depravata voluntas ita corrumpat verum judicium intellectus, ut tandem fidem Catholicam amittat. Sic videre poteris, fili, quid acciderit peccatoribus multis, qui cum prius in me crediſſent, aggravando peccata avaritiæ, ſuperbiæ, gulæ, aut luxuriæ, erraverunt F à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Væ illis, qui oderunt puriſſimam lucem meam, qua bonum æternum, & incommutabile cognoſcitur, & bonis creatis anteponitur! Melius erat eis, ſi nati non fuiſſent homines illi: nam extrema infœlicitas eſt à fide mea errare, & jugum meum obſcurato intellectu proiicere. Et tu ergo, fili, conſiderans, quid acciderit aliis ſimilibus tibi convertere ad me: ne forte multitudine peccatorum oneratus, & legis meæ immaculatæ tædio affectus incipias non bene ſentire de bonitate mea, & relaxato corde per amorem bonorum temporalium tradas te vitiis, & concupiſcentiis uſque ad prodigioſam abnegationem fidei meæ. Vide, fili chariſſime, quò tendas dum peccare non deſinis: ne ſis crudelis in temetipſum currens velociter ad interitum. Cave ne parvi G facias admonitiones meas, quibus inſtruo te: ne obtures aures tuas ſeductus amore carnali qui demergit innumerabiles homines in perditionem. Tempus breve eſt: negotiare dum venio redditurus tibi æternam vitam, aut flammam. Si abſtuleris de medio tui peccata, & idola tua, & reverſus invocaveris me Deum, Redemptorem, & Cuſtodem tuum, illuminabo oculos tuos, ne unquam obdormias in morte, cuſtodiam te, & lucerna mea ſplendebit ſuper caput tuum. Et lætaberis formoſiſſima, & beatiſſima luce mea, qua dirigam greſſus tuos in nocte vitæ mortalis, deducens te ad ſplendorem meum per itinera æternitatis. Aperiam oculos tuos radio infinitæ lucis meæ, & quaſi de gravi H ſomno evigilans miraberis quomodo præterito tempore ambulaveris in tenebris & umbra mortis: & ex omni corde tuo diliges me liberatorem tuum, ſacrificioque perpetuæ laudis honorabis me. Surge igitur citò, fili dilectiſſime, ſurge de tenebris, & horrore inferni, ubi jaces, accipeque lumen cæli, quod exhilarabit te, antequam veniat nox ultima, quæ erit pœna noviſſima peccatorum

Errare a fide extrema infelicitas.

Vita mortalis nox dicta.

Noviſſima peccatorum poena quae?

Scriptus An. 1599.

contemnentium præſentes inſpirationes, & miſericordias meas. Nec meditare in ſecreto cubiculo cordis, & convertere ad Orientem, ubi naſcor ego ſol juſtitiæ, qui cupio illuminare te, & implere ſplendoribus Sanctorum dilectam animam tuam.

A

CAPUT XIV.

De infœlici morte peccatoris.

CUrrit peccator, dum vivit, per campos mundi, quaſi taurus, qui impinguatur ad victimam. Non cogitat miſer homo ſe à morte, tanquam à latrone inſidiante capiendum, ut in vincula inferni conjectus reddat uſque ad noviſſimum quadrantem.

Finis peccatoris deſcriptus.

Bibit, comedit, ludit, ridet, jurat, & blaſphemat, & interim dum peccat ſine fræno, irruit ſuper eum infirmitas mortalis, atque vocatur ad judicium. O quam acerbus dolor eſt vocari ad mortem! O quantus tremor, & horror invadit peccatorem, quando videt ſe morte triſtiſſima ſeparari ab omnibus quæ ardenter amaverat!

B

O quam luctuosè dicit in anguſtia illa: Circumdederunt me dolores mortis, & pericula Inferni invenerunt me. Væ impio morienti, ſuper quem omnes fluctus dolorum, & afflictionum repentè irruunt, ut præſentiat Inferni tormenta, qui noluit ſuſpirare ad æterna ſolatia. Jam tranſierunt illicita convivia: jam ludi prohibiti elapſi ſunt: jam conſanguinei, & amici defecerunt: jam divitiæ non proſunt: & quicquid delectaverat, in argumentum deſolationis, & deſperationis converſum eſt. Anima infœlix quæ repulit inſpirationes meas, timet exire de corpore ad flammam, & quantum poteſt retrocedit ſi fortè ſit, qui in anguſtia extrema conſoletur eam. Sed fruſtra reſiſtit, quia inſtat hora moriendi, & ſolvendi omnia deſiderabilia, quæ habuit à diebus antiquis, cum prævaricaretur dulciſſimam legem meam.

C

Mundi gaudia eorumque finis.

Omnia ejus peccata, quaſi exercitia terribilis repræſentantur ei, ut videat, quam triſtem, & amarum finem præterita gaudia ſortiantur. Dæmones, quaſi canes rabioſi, aſtant expectantes prædam ſuam innumerabilibus catenis culparum ligatam, ut trahatur ad pœnam. Noluit ſtultus homo placare me, cum tempus haberet, & in hora ultima non habet, ad quem reſpiciat. Omnes perſecutores ejus apprehendunt eum inter anguſtias, & cupiunt crudeliter ſorbere ſanguinem ejus. Denique prolata ſententia juſtitiæ meæ vas iræ aptatum ad interitum rapitur ad tormenta. Hæc eſt ſors hominis injuſti, quem mala capiunt in interitu. Quid ergo cogitas, fili, qui peccaſti?

D

Quid expectas? Nonne horret animus audire hæc, quæ peccator moriens invitus patitur? Convertere ergo ad Deum tuum, qui poteſt eripere te ab ira ventura, & ſolari exeuntem de hac vita, per infinitam gratiam, & inæſtimabilem miſericordiam ſuam

Dei juſtitia timenda.

Time timore magno iram, & juſtitiam meam, dum vivis; ut moriens ſentias paterna viſcera mea: qui enim me tanquam judicem ſeverum in vita timent, tanquam benigniſſimum patrem in morte inveniunt. Beati qui cuſtodiunt toto corde vias meas memores noviſſimorum ſuorum: non timebunt à timore nocturno, cum loquentur inimicis ſuis in porta, quando ſcilicet egredientur de hac vita, cui ſuccedit æterna nox peccatorum, vel lux æterna juſtorum, quos dilexi.

E

Sequere me, fili, & adhæreat lex mea viſceribus tuis, & non tanget te tormentum mortis, ſed requieſces in ſuaviſſima pace mea.

CAPUT XV.

De ſenſu amariſſimo amiſſæ gloriæ in morte peccatoris.

ATtende, fili, quæ dico: Os enim meum ſemper loquitur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam. Si ſciret peccator, qualis ſit exitus delectationum ſuarum, & aculeus, qui manet infixus in anima poſt commiſſam culpam, horreret peccatum, ſicut infernum, & quaſi à facie colubri fugere illud.

F

Sed quod non ſentit, dum inebriatur dulcedine peccati, percipit in hora mortis, quando jam tranſiit voluptas, & ſolus vivit remorſus conſcientiæ, & reatus æternæ pœnæ. Inter alia verò, quæ miſerrimum peccatorem morientem torquent, ſenſus deperditæ beatitudinis amariſſimus eſt ſupra omnem mundi amaritudinem.

Peccatoris in extremo vitae conſtituti, tormenta.

Conſiderat infœlix homo, quam facilè potuiſſet gaudia æterna bonis operibus comparare; conſiderat in hora illa ſervos meos de corpore egredi victores mortis, & Inferni, & aſcendere de cubilibus leonum, & de montibus pardorum, ad colligendos fructus palmæ, quam meruerunt. Videt ſe potuiſſe numerari inter illos, qui exultant in gloria, & victoria parta lætantur in cubilibus ſuis: propter quod tabeſcit anima ejus intimo dolore, & dejectione, quæ ſi cognoſceretur à viventibus, lapidea corda moveret.

G

Contuens enim peccator magnitudinem infœlicitatis ſuæ, triſtiſſimo ſpectaculo conſumitur abſque ulla ſpe, & dicit: Hei mihi, quam infœlix ſum! Væ mihi, quam citò tranſierunt gaudia mea! quam citò appropinquavi ad portas mortis? Poteram ego ſuavi pœnitentia non ſolum me redimere ab æterna flamma, ſed etiam comparare infinita ſolatia Dei. O quam benè potuiſſem negotiari per opera pia, quibus redditur merces magna nimis! Lætarer ego nunc ineffabili conſolatione, apparente mihi mane illius diei, qui non habet finem. Quis mihi det modò retrocedere, & pœnitentiam agere, ut poſt fletum longum ſuccedat mihi riſus! ad veſperum quippe demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.

H

Quis mihi det vel horam unam veræ compunctionis ad lavandas ſordes animæ meæ innumerabilibus lacrymis, ut inveniam æternam requiem in domo Domini, & in admirabilibus atriis Dei noſtri! Ergone ſemper cariturus ſum civitate Dei viventis, quem gra-

Scriptus An. 1599.

viter offendi, & ad iracundiam provocavi? Heu me, quam celeriter rapior ad cruciatum, quia contempſi æternum refrigerium! Ecce, fili, quibus modis peccator moriens lamentatur amiſſam æternam gloriam meam, à qua excluditur, teſtimonium perhibente conſcientia ipſius, quæ vulnerata eſt A horribilibus plagis, noluitque, dum tempus haberet, meam quærere medicinam. Eſto miſericors tibi, fili, bene utens præparatis tibi remediis ſanguinis mei, quem fudi pro te. Negotiare dum venio, & convertere ad me ſaltem intuitu retributionis, ut vivas mecum in amœniſſimo paradiſo meo. Abluere balneo pœnitentiæ, ut dignus inveniaris habitatione dulciſſimæ Jeruſalem, quæ triumphat in cœlis. Rumpe jam moras, & impedimenta ſalutis tuæ intimo timore & amore meo: & curre velociter per arctam viam, quæ ducit ad vitam, ut ingrediaris ad lætiſſima paſcua agnorum meorum, qui imitati ſunt candorem, & innocentiam meam.

Monita ad peccatorem.

CAPUT XVI.

B

De raptu peccatoris ad æternam pœnam.

BReves dies hominis ſunt, & numerus menſium ejus apud me eſt. Conſtitui quippe æterno conſilio terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Propter quod fruſtra peccator morti proximus retrocedere quærit cum nemo poſſit reſiſtere vultui meo. Statutum eſt hominibus ſemel mori, licet juſti ſint: injuſtis autem ſuperventura eſt ſecunda mors, quam peccando meruerunt, & ideò peccator accedente puncto mortis primæ, deſperatione, & horrore plenus rapitur ad mortem ſecundam, mittiturque in tenebras, & tormenta Infernalia, quæ carebunt fine. Si videres, fili, quam ferociter irruant dæmones in prædam, & morienti inſultent, C tremeres, & horreres valde, & feſtinares converti ad me, ne talia horribilia patereris. Trahitur infælix anima ad locum pœnarum, & demergitur in chaos illud, ubi umbra mortis, & nullus ordo ſed ſempiternus horror inhabitat. Videnſque ſe tandem deſcendiſſe ad ſtatum obſtinationis, & damnationis, iraſcitur & fremit contra me, & contra ſeipſam furioſius, quam cogitare, aut explicare poſſit. Dæmones, quibus obedivit, quaſi lupi famelici inſiliunt ſuper eam, ut calcent creaturam infælicem, quæ calcavit, dum viveret, dulciſſimam legem, & repulit magnam miſericordiam meam. O quot latratus canum infernalium implent aures illas, que noluerunt audire mollitos ſuper oleum ſermones meos! O quam formi- D doloſa ſpectacula terrent oculos illos, qui corporalem pulchritudinem dilexerunt pluſquàm me! O qualis rabies torquet animam illam, quæ noluit gaudere ſuaviſſima familiaritate mea! Ibi conſumitur in ſepulchro pœnarum ſine conſumptione, & moritur ſine fine: non enim ceſſabit manus extenta juſtitiæ meæ torquere inimicos meos, & vertere rotam dolorum & afflictionum in æternum. Propter quod, fili, præmeditare triſtiſſimum ſtatum damnationis in quem peccata tua te impellunt, & revertere ad me, antequam nox accedat; & tradaris unguibus leonum rugientium contra te. Eripe nunc per gratiam meam teipſum à corruptione ſordium, quæ faciunt animam abo- E minabilem, & dignam carcere ſempiterno: & in hora illa tremenda ego eripiam te de manu canis, & ſalvabo te de ore leonis infinita potentia, & fideliſſimo auxilio dexteræ meæ. Ne differas tempus pœnitentiæ, ſed prævenire cura faciem meam intima confeſſione culparum tuarum, & humiliatione cordis contriti; & habebis me adjutorem fortiſſimum, qui humiliabo calumniatorem tuum ſollicitum, & impatientem ſalutis tuæ, quam acquiſivi ſanguine meo. Ego deſidero ſalvam facere chariſſimam mihi prædam animæ tuæ: ne ſis ingratus perſeverans in ſtatu inimicitiæ meæ, ſed convertere ad benigniſſimum Redemptorem tuum, qui expanſis brachiis expectat te. Et odorabor ego ſacrificium cordis tui emol- F liti, & præparati ad capiendas inſpiriationes, & miſericordias meas: placebitque mihi hoſtia tua ſuper vitulum pinguem, & novellum cornua producentem, & ungulas. Non enim manducabo carnes taurorum, aut vitulorum, aut ſanguinem hircorum potabo: ſed ſacrificium laudis, & converſionis tuæ, qua delector, honorificabit me, & deſponſabo mihi in reconciliatione, & reparatione amiſſæ gratiæ meæ dilectiſſimam animam tuam.

Duplex in iuſtis inminet mors.

Poenitentia non differenda.

CAPUT XVII.

De reſurrectione animæ, quæ fit per pœnitentiam.

QUamvis nihil eorum, quæ dixi, te moveret, fili, ad agendam pæniten- G tiam, & quærendam pacem, & amicitiam meam, inæſtimabile ſaltem bonum divinæ gratiæ, ad quam veri pœnitentes reſurgunt à morte peccati, deberet movere te, ut ſtatim convertereris ad me auctorem vitæ, & lucis illius, quæ neſcit occaſum. Tanta eſt enim dignitas, ſublimitas, & decor gratiæ meæ, per quam ego habito in anima juſti, ut abominabilis appareat omnis mundi pulchritudo, & altitudo, ſi cum illà comparetur. Si daretur tibi, o fili chariſſime ſemel aſpicere reſurrectionem illam quæ fit per gratiam meam, omnia mundi bona deſpiceres, ut ſtercora, & venderes omnem ſubſtantiam domus tuæ, ad emendam pretioſiſſimam gratiæ margaritam. Recordare, H fili, quod didiciſti per Sanctas Scripturas, & inſpirationes meas, quomodo corpus meum à peccatoribus deformatum in acerbiſſima paſſione mea, accedente momento reſurrectionis, reformatum eſt, ita ut nivem candorem, & Solem ſplendore ſuperaret. Paulo antè non erat ei ſpecies, neque decor,

Reſurrectio per gratiam notata.

Scriptus An. 1599.

cor, ſed imago mortis, & in puncto reſurrectionis ſuaviſſima pulchritudine, & puriſſima luce præditum apparuit, quaſi corpus Unigeniti Filii Dei. Ad hunc modum debes meditari, fili, reſurrectionem animæ, quæ in peccato mortua fuerat, & per gratiam A reviviſcit. In puncto enim illo ex imagine diaboli horrenda tranſit ad ſimilitudinem Dei, ex tenebris infernalibus ad ſereniſſimam lucem, ex deformitate turpiſſima ad pulchritudinem dulciſſimam, quæ lapides emolliret. Ego ſponſus animæ ab adulterio peccati revertentis ad thalamum meum immemor injuriæ capior amore columbæ meæ redeuntis ad arcam cum ramo virentis olivæ, & recipio illam ad ſtrictiſſimos amplexus meos. Ego in hora illa orno redemptam à ſervitute Pharaonis dilectam meam virtutibus divinis, ut ſe præſentet clementiſſimo Patri meo, & ornata monilibus redemptionis, quæ eſt in ſanguine meo, numeretur inter filias Sion veſtitas purpura Regis, qui gratis amavit, & elegit eas. Conſidera nunc, fili, unde excideris, & age pœnitentiam con- B verſus ad me ex intimis medullis, neque parvi facias tantas, & tam ineffabiles divitias, quæ in ſtatu gratiæ meæ proveniunt. Ne audias conſilia hominum divertentium te a beatiſſima luce mea: ſed ſequere conſilia Sanctorum qui dilexerunt, & exquiſierunt me. Neſcit mundus æſtimare gratiam meam vendens me pro modico fragmento panis, quo non poterit ſaturari. Aperi tu oculos cordis tui, & contemplare ſpecioſiſſimam formam Dei, quantum valet infirmitas tua, & videbis, unum ſaltem gradum Divinæ gratiæ meæ pretioſiorem eſſe, quam univerſi mundi imperium, etiamſi abſque fine duraret. Hæc eſt ſancta & caſta eruditio mea, quæ debet movere cor tuum ad contemnendas omnes conſolationes terræ, & ad quærendam amicitiam meam. Si fueris C fidelis, & audieris me, dabo tibi veſtem novam, qua induuntur reges multi, qui mecum regnaturi ſunt in æternum, & ultra.

Deformitas, & pulchritudo animae.

CAPUT XVIII.

De reparatione amicitiæ divinæ, quæ fit per pœnitentiam.

INæſtimabilis theſaurus eſt amicitia mea, fili chariſſime, quem voco ad reconciliationem, & pacem deſiderabilem ſuper omnia mundi deſideria. Conſidera quid ego poſſim, & valeam, & quam fidelis amicus ſim, & quam perſeveranter jus amicitiæ cuſtodiam. Ego ſum dives in miſericordia in omnes, qui convertuntur ad me, neque pla- D cent mihi viſcera crudelia. Ego ſum Dominus cœli, & omnium, quæ cæli ambitu continentur, & dominationis meæ non eſt finis. Ego fundavi terram ſuper ſtabilitatem ſuam, & extendi cœlum ſicut pellem. Ego fabricatus ſum auroram & Solem, æſtatem & ver, ego plaſmavi ea. Meæ ſunt omnes feræ ſylvarum, jumenta in montibus, & boves: ego ſicut verus Dominus cognovi omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum eſt. Omnia mea ſunt; neque eſt aliquod bonum, quod ſe ſubtrahat ab imperio meo. Cum ergo omnia mea ſint, fili dilectiſſime, & fideliſſimè ſervem legem E amicitiæ, ſi toto corde convertaris ad me, eris dominus rerum omnium, quia amicorum omnia ſunt communia. Neque mireris ſi rem tam mirabilem promittam tibi, fili. Si enim tradidi me ipſum pro te, dedique in manus inimicorum pro ſalute tua dilectam animam meam, quid mirum, ſi tradam tibi quoddam dominium ſuper res meas, quæ cum anima, ſeu vita mea comparari non poſſunt? Crede mihi, fili, quia ſervire mihi regnare eſt: omnis enim qui facit voluntatem Patris mei, ſicut feci ego, efficitur particeps Unigeniti filii ejus, ut ſit Filius Dei per gratiam, ſicut ego ſum per naturam. Quod ſi efficitur filius, certe & hæres per Deum: habet enim quod veri Domini hæredes rerum habent, ut fiat voluntas ejus in univerſo mundo, ſicut cujuslibet F Regis in ſuo regno, qui factus Dei amicus conformat in omnibus voluntatem ſuam rectiſſimæ voluntati Creatoris ſui. Cum ergo hæc ita ſe habeant, fili, cur non properas converti ad amicum tuum, cujus vultum deprecantur omnes divites plebis? Quomodo eligis potius ſervire mundo ſervitute duriſſima, quam regnare per unionem amicitiæ meæ, quam non ſolum res meæ fiunt tibi communes, ſed ego fio veriſſime tuus? Nunquid ego non ſum tibi melior, quam univerſæ mundi amicitiæ, & conſanguinitates, quas requiris? Conſidera jam quid agas, amice chariſſime, & adhæreat anima tua viſceribus meis. Quod ſi ſuavitas, quam percipis in communicatione amicorum tuorum pertrahentium te ad mortem, placet tibi, ne pigriteris propterea relinquere amicos carnales G propter me: Ego enim non ſolum communico cum veris pœnitentibus omnia alia bona, ſed etiam dulciſſima ſolatia mea, cum quibus nulla conſolatio mundi comparabilis eſt. Dilata os tuum, fili, & implebo illud, ſi revertaris ad me. Ego honorificabo, ditabo, & conſolabor te, ſicut mater amantiſſima ſolatur unigenitum filium ſuum.

CAPUT XIX.

De lætitia bonæ conſcientiæ, quæ naſcitur ex pœnitentia.

INcomparabilis eſt lætitia, quam generat vera pœnitentia, fili chariſſime, ſicut noverunt fideles amici mei: qui videntes H ſe eſſe translatos de morte ad vitam, ex reatu æterne flammæ ad jus hæreditatis æternæ ex ſervitute Pharaonis ad civitatem Jeruſalem, quam dilexi non ſatiantur Hymnis, & canticis ſpiritualibus, quibus cantant Comparatio dulciſſimas miſericordias meas, & dilectiſſimam redemptionem ſuam. Certe ſicut corpus, quando convaleſcit à morbo, lætatur val-

valde, quia à malis humoribus, & à periculo mortis liberatum eſt; ita & anima, quando juſtificatur per pœnitentiam, exhilaratur intima lætitia, quia à peſſimis vitiorum humoribus, & ab inſtante morte ſempiterna erepta eſt. A Si autem ſcire deſideras, fili, qualis ſit lætitia illa, ſcito per ſcientiam aut eloquentiam humanam eſſe ineffabilem & inexplicabilem iis, qui eam non guſtarunt, quamvis vanis lætitiis ſæculi ſeipſos tradiderint. Nam lætitia mundi eſt in ſuperficie hominis tranſeuntia bona quærentis: Lætitia verò bonæ conſcientiæ, quam pœnitentia, & reconciliatio mea producit, eſt lætitia intima, quæ penetrat oſſa, & medullas inæſtimabili conſolatione mea. Cor enim juſti, poſtquam à vitiis receſſit, & ad me fortiter converſum eſt, expanditur, & Spiritus Sancti mei motibus movetur ad ſpem futuræ beatitudinis, quæ eſt ſicut anchora animæ firmiſſime confidentis, ſe perventuram ad infinita ſolatia mea. Loquor ego ad cor juſti ſecretis ſermonibus, quos nemo B Principum hujus ſæculi cognovit, & amantiſſime dico: lætare, fili dulciſſime, & jacta ſuper me cogitatum tuum. Ego enutriam te, & deducam per vias rectas juſtitiæ meæ. Ego ero tibi in patrem, & tu eris deinceps mihi in chariſſimum filium: daboque tibi hæreditatem, cum qua omnia regna mundi comparari non poſſint. Eſto fidelis uſque ad mortem, & accipies coronam vitæ in platea ſupernæ civitatis meæ, ubi poſui delitias meas. Ne deficias in tribulatione, quia ego tecum ſum, ut liberem te; ut poſt labores vitæ mortalis conſtituam te ſuper excelſam terram, ubi comedas fructus amœniſſimi paradiſi mei. Hæc & ſimilia verba loquor ego ad cor Juſti, qui deteſtatus gaudia mundi, revertitur, quaſi cervus à venatoribus percuſſus, ad me C fontem vivum, & verum refrigerium ſuum. Si ergo tanta eſt lætitia bonæ conſcientiæ, per quam ego inſtillo ſuaviſſimos ſermones meos, quid eſt, fili, quod durum tibi videtur converti ad me? cur non conſideras grande bonum hoc, quo cares, quamdiu cares gratia, & amicitia mea? Uſquequo aggravabis cor tuum, ſicut aggravavit Ægyptus nolens converti ad magnitudinem inſpirationum, & prodigiorum meorum? Revertere jam, fili mi, à via, per quam erraſti, ſicut ovis, quæ periit, & voca multis gemitibus paſtorem tuum. Et ego benefaciendi, & miſerendi cupidiſſimus exaudiam te, & introducam te ad paſcua uberrima interni ſolatii mei. Tunc afflues, & mirabitur, & dilatabitur, cor tuum, & cognoſcens tanti boni magnitudinem perſeverabis D in intima converſione tua, & in pretioſiſſima gratia mea.

Laetitiae mundi & bonae conſcientiae diſcrimen.

Perſeverantia praecepta.

* * *

CAPUT XX.

De conſideratione patientiæ Dei expectantis hominem ad pœnitentiam.

E MUlta ſunt, & admirabilia beneficia mea, fili cariſſime, quæ te ad compunctionem movere, & interioribus flammis urere deberent. Sed conſidera ſaltem unum ex illis; quod eſt quotidianum argumentum infinitæ bonitatis, & miſericordiæ meæ. Ego ſuſtento te, tribuens tibi vitam, & inſpirationem, & omnia bona, quæ habes: omne quippe bonum à me deſcendit. Ego mitto tibi multas inſpirationes, quaſi nuntios meos invitantes te ad pacem, & vitam; qua nihil amabilius eſt. Ego moveo impulſibus ſpiritus mei interiora tua, etiam dum peccas, & repugnas dulciſſimæ legi meæ. Ego præſervo te peccantem à majoribus malis, præſertim ab extremo malo æterni ſupplicii, quod mereris. Quomodo ergo reſiſtis F tantæ benignitati? Quomodo non movet cor lapideum tuum infinita manſuetudo mea? An ignoras, quod patientia mea ad pœnitentiam te adducit? Cur ergo ſecundum duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in diem iræ, & juſti judicii mei? Ego per ſecretam eruditionem meam, qua tango viſcera tua crudelia, quæro manſuefacere te: & tu per internam duritiam repellis miſericordiam meam. Ego ſto ad oſtium, & pulſo deſiderans habitare in thalamo animæ tuæ, quam redemi: & tu obturas aures, ne ſentias ictus meos, quaſi eſſem fur aliquis, qui vellet furari bona domus tuæ. Non eſt utilis, fili, ingratitudo hæc, quam qui audierit, expaveſcet. Quis enim audivit unquam talia, & tam horribilia, quæ fecit adultera anima tua? Quis credet me Deum, Redemptorem, & amicum tuum tam ſollicitum eſſe ſalutis tuæ, G ac ſi nihil aliud in gubernatione mundi cogitarem; & te è contrario eſſe adeo durum, & infidelem, ut nihil aliud videaris cogitare, quam quomodo reſiſtas divinæ charitati meæ? Ceſſet ergo jam, fili, ſtultitia hæc, qua multiplicas peccata ſine fine, & diſce gratitudinem, & fidelitatem quam debes fideliſſimo Domino, & cuſtodi tuo. Satis expectavi te repugnantem, & anteponentem amores terrenos cæleſti amori meo: convertere ergo nunc ex toto corde, & require me, ut ſalvam facias ab innumerabilibus hoſtibus animam tuam. Tempus breve eſt: ne patiaris tranſire dies iſtos paucos, quos ad negotiandum aſſignavi tibi; ut acquiras bona mercatura æternas divitias regni mei. Si audieris H me monentem, & invitantem, ego ero valde liberalis, & miſericors: & quicquid perdidiſti tot diebus, quibus offendiſti me, reparabis ſuperveniente gratia, & liberalitate mea. Hæc ſit, fili, chariſſime, ſapientia tua: hæc ſit prudentia tua: cave ne nimis proterve provoces me ad iram, & abutaris infinita patientia mea, ſicut ſtulti multi ſe-

Anima peccatrix adultera.

Scriptus An. 1599. fecerunt, quos nunc torquet Inferni flamma. Sequere conſilia filiorum meorum, qui tremunt ad ſermones meos, & præveniunt manſuetiſſimo corde faciem meam: & ego mittam tibi largum imbrem miſericordiæ, & implebo dulciſſima conſolatione fatigata viſcera tua.

A

CAPUT XXI.

De beneficiis divinis, quæ in commune conſiderata movent ad compunctionem.

COR tuum, fili, nimis durum eſt. Cum enim nocte & die non ceſſes accipere nova beneficia mea, quibus vivis, & a malis plurimis præſervaris, mirabile videtur, quod in tantas, & tam enormes legis meæ prævaricationes incurras. Cœli obſtupeſcunt ſuper cæcitate, & ingratitudine tua, quæ homine Chriſtiano indigniſſima eſt: nam, ut taceam naturalia bona, quæ non poſſes habere ſine me, certe ſupernaturalia beneficia, Beneficia ſuper naturalia notata. quæ tibi feci, ut per meam fidem Catholicam credis, deberent tantum ſaltem movere B te, quantum ordinaria beneficia animalia fera movent. Mirum eſt enim, quod urſi, & leones manſueſcant victi à benefactoribus ſuis, & obediant eis, ut catelli enutriti ad delitias; & tu qui rationis uſum accepiſti & luce divina illuſtratus es, nolis mihi ſummo benefactori tuo cedere, & converti ad me. Nonne conſiderabis, quid ego fecerim pro te, quaſi colonus in terra aliena, quæ ſpinas & tribulos germinavit mihi, ut vincatur feritas tua? Quo fugis, fili Adæ, quo fugis à clementiſſimo Deo, Salvatore, & cuſtode tuo? Vellem certe, ut ſaltem requireres faciem meam, ſicut canes requirunt facies dominorum ſuorum, à quibus modicum panem acceperunt. Immò minora peto à te, fili, ſi forte hac ſuavitate mea commo- C veantur viſcera tua. Canes quippe acceptis multis ictibus, & vulneribus, non reſiſtunt dominis ſuis, ſed timent, & (ſi poſſint) recedunt, quouſque quieſcat ira illorum. Statim verò ac vident faciem dominorum lætam, exultant, & ludunt coram eis ſperan- Hominis duritia. tes modicam buccellam panis. Tu vero, fili, nimis dure, non ſolum iraſceris contra me, ſi te exerceam laboribus, & afflictionibus, ſed etiam inſurgis adverſus me, quando dulciſſimo corde, & læto vultu confero tibi magna beneficia. Quid eſt hoc? Uſquequo protervus & ingratus eris, & perſeverabis in ſtatu damnationis, factus non tantum inimicus meus, verum & inimicus animæ tuæ? Quieſce jam, fili chariſſime, ab hac dementia tua, & intima gratitudine memor eſto D bonitatis, & miſericordiæ meæ, qua ſaxa mollirentur. Et conſiderans te omnia perdidiſſe, neque ſemel reſpirare poſſe, ſine infinita potentia, & largitate mea, dic intra te: Ego peregrè profectus ſum, & omnia perdidi, quia offendi benigniſſimum Dominum, Deum, Redemptorem, & Patrem meum. Revertar ergo ad domum ejus, & fuſis lachrymis proſternam me coram eo, ut induat nudum, illuminet cæcum erudiat ignorantem, paſcat eſurientem & ſubveniat creaturæ miſerrimæ, quæ inſipienter receſſit ab eo. Si feceris hæc, fili chariſſime, ego occurram tibi ſuſpiranti ad me, creabo in te cor mundum, & ſpiritum rectum innovabo in viſceribus tuis. Et ædificabo tibi domum fi- E delem abſque tributo in ſancta civitate mea, ut læteris in æternum cum nobiliſſimis civibus, & fortiſſimis victoribus meis, qui venerunt de tribulatione magna, & dealbaverunt ſtolas ſuas in ſanguine puriſſimo Agni Dei. Hæc cogita, fili, atque recogita, & ſine cor tuum moveri ad compunctionem, cantans atque commemorans cum intima gratitudine innumerabilia beneficia mea.

CAPUT XXII.

De conſideratione myſterii Incarnationis.

VOlo, fili chariſſime, qui dereliquiſti me, ut judicio contendas mecum, ſi forte beneficia, quæ tibi contuli, talia non ſint, quæ lapides duriſſimos emollire poſſint. Taceo nunc naturalia bona, quæ deberent im- F pellere vehementer cor tuum ad requirendam amicitiam meam: volo potius ad beneficia ſupernaturalia, & ſupra omnem æſtimationem admirabilia te vocare, ut conſideres, atque recogites illa. Deſolatione enim deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde. Verbum abbreviatum fecit Dominus ſuper terram, quando propter te Verbum caro factum eſt, & re- Verbi Incarnatio. cubui in utero puriſſimæ Virginis matris meæ, quaſi ſponſus in thalamo ſuo. Tunc Majeſtas Altiſſimi ſacco humanæ carnis accincta eſt, & cœpi ego Unigenitus Dei filius pati humana, ut tu, fili dilectiſſime, aſcenderes ad divina, & ſederes mecum ad menſam G meam in ampliſſimo regno meo. Si ſcires, quid ego cogitarem de te, dum abſconditus manerem in utero genitricis meæ, facile videres, quam ingratus fueris, cum peccaveris adverſus Altiſſimum Deum, & chariſſimum fratrem tuum. Ex quo enim aſſumpſi carnem cauſa ſalutis tuæ, non ſolum Deus, & Dominus fui, ſed etiam frater tuus amantiſſimus effectus ſum, quod te plurimum commovere deberet. Quis enim cogitaſſet hominum vel Angelorum, quod Majeſtas mea ſublimiſſima deſcenderet ad conſortia hominum, qui receſſerunt à me? Abſconditum eſt ſecretum hoc, volucres quoque cœli latet. Poſtquam vero fide mea quæ eſt argu- Volucres cœli Angeli dicti. mentum rerum non apparentium, firmiter credis, fili, me non ex operibus juſtitiæ, H quæ feciſti, ſed ſecundum magnam miſericordiam meam veniſſe de ſinu Patris mei ad aſſumendam naturam humanam; utere rectitudine fidei, ut convertaris totis viſceribus ad me, qui ab æterno dilexi ſalutem tuam, & per viſcera miſericordiæ oriens ex alto viſitavi te. Dic intra te fili, cogitans magnitudinem myſterii incarnationis meæ,

Scriptus An. 1599.

Chriſtus amantiſſimus frater noſter dictus.

æ: Quomodo poſſum reſiſtere tam inæſtimabili charitati dulciſſimi Dei mei? Quomodo non reſolvor in lachrymas intimæ compunctionis, & amoris ſciens altitudinem conſilii divini in aſſumenda carne mea, ut fieret Deus non ſolum cuſtos, & nutritius, ſed etiam chariſſimus frater meus? Quid ago A infelix? Quomodo poſſum vel per horam unam jacere in ſordibus peccati reddens tantum malum pro tam ineffabili bono, quod fecit mihi benigniſſimus Deus meus? Utinam dirumperentur viſcera mea præ magnitudine compunctionis naſcentis ex multitudine, & magnitudine peccatorum meorum, quibus iram merui! Hæc & ſimilia debes, fili, cogitare avertens ab iniquitate animam tuam, ut reſpondeas amori infinito, quem oſtendi per infinitam communicationem bonitatis meæ factus homo ſimilis tibi. Offer mihi millia holocauſtorum in ara cordis tui compuncti, & humiliati, & tantæ charitatis ſtimulo incitatus revertere ad gratiam, & amicitiam meam. Ego autem, ut amantiſſimus frater tuus, ſuſcipiam te venientem de terra longinqua, & introducam te in domum Altiſſimi Patris mei. Qui B videns te fratrem meum eſſe, & à via mala receſſiſſe, faciet te participem hæreditatis incorruptibilis, quæ in cœlis conſervatur iis, qui per veram pœnitentiam ex intimo cordis ſuſpirant ad æterna ſolatia paradiſi mei.

CAPUT XXIII.

De conſideratione myſterii Nativitatis Chriſti.

Deus dives in miſericordia.

Hominum ſtultitia.

Et ingratitudo.

Chriſtus primogenitus inter fratres.

EGO Unigenitus Dei Filius primogenitus ante omnem creaturam, fili chariſſime, mirabili myſterio per nativitatem temporalem exii de utero puriſſimæ Genitricis meæ, ut tecum converſarer, & præberem tibi exemplum, quo omnes feræ ſylvarum manſueſcerent. Qualis enim charitas tibi videtur, C quod Altiſſimus Deus, quem laudant aſtra matutina, & cui ſubjacet omnis creatura, abbreviatus corpuſculo infantili exiret ex utero Virginis ad patiendum ab hora illa hominum calamitates propter te? Quis cogitaſſet unquam tantam exinanitionem, qua ego humiliavi me, ut cum in forma Dei eſſem, aſſumpta forma ſervi, naſcerer in civitate Bethlehem, ubi quæ non rapui, affluenter excolui incipiens pati pro chariſſima mihi anima tua? Nunquid non mirabile eſt, quod quem cœli cœlorum capere non poterant, reclinaretur in parvo præſepio, cum non eſſet ei locus in diverſorio? Quæ communicatio divinæ Majeſtati, & tam inauditæ indigentiæ, quam pertuli ego, qui D ſum dives in miſericordia? Conſidera, fili, mirabilia hæc, quæ non ſine conſilio facta ſunt, ſed ab æterna ſapientia directa in ſalutem, inſtructionem, & conſolationem tuam: & vide, quam male uſus fueris tam ineffabili bonitate, & ſuavitate mea. Ego ad hoc veni in mundum, ut naſcerer in corde tuo, & haberem pro mercede paupertatis, quam ſenſi in ſtabulo, delectabile hoſpitium animæ tuæ. Et tamen adeo alienus effectus es à me, ut nolis permittere mihi optatam habitationem domus tuæ. Natæ ſunt in te urticæ, & ſpinæ, genimina viperarum locum invenerunt in viſceribus tuis: & ſolus ego repellor, ne renaſcar in anima tua. O ſtulte, & tarde corde ad credendum, & E quærendum verum, & unicum bonum tuum! Quando aperientur oculi tui, ut cognoſcas, & diligas me, & aperias mihi penetralia cordis tui? Convertere tandem, fili, ad me & ſine, ut per regenerationem pœnitentiæ renaſcar in anima tua. Dic intra conclave cordis tui: Si Altiſſimi Dei Filius ideo natus eſt in mundo, & factus eſt civis unius civitatis terrenæ, ut ego renovarer, & renaſcerer in illo, fieremque civis ſupernæ civitatis, quæ triumphat in cœlis; quomodo jaceo in ſtatu peccati, & repugno infinitis benedictionibus, & miſerationibus ejus? Quomodo non quæro reformari ad formam exemplaris mei, quo nihil eſt amabilius ſive in terra, ſive in cœlis? Qualis duritia eſt, quod ſublimiſſimus Deus factus infans patiatur frigus, & egeſtatem extremam propter me, & F ego vacem commoditatibus ſæculi, quaſi beatitudo mea in terrena ſubſtantia conſiſteret? Parvulus filius datus eſt nobis, qui cum ſit Rex Pacificus, portat principatum ſuper humerum ſuum, ne gravet ſubditos, ſed ferat languores eorum: Et ego ingratiſſimus è plebe ejus non conſidero, quid egerit pro me, quaſi poſſem abſque illo fœlicitatem invenire. Væ mihi, quam ſtulte egi! Ego revertar ad Principem meum, cui dedit Pater æternus ſedem David patris ejus, & compatiar illi, ne fortè excludar à domo Jacob, in qua ille regnabit in æternum. Hæc ſi cogitaveris, fili, & tactus dolore tranſactæ vitæ redieris ad me; ego te iterum parturiam, donec former in te dilectiſſimo conſorte, & amico meo. Et ſic amabit te clementiſſimus Pater meus, qui quos præſcivit, G & prædeſtinavit, voluit eſſe conformes imagini filii ſui, ut ſim ego primogenitus inter dulciſſimos fratres meos, qui quæſierunt, & dilexerunt me.

CAPUT XXIV.

De conſideratione myſterii Circumciſionis.

COnſidera, fili, quam durum ſit, contra ſtimulum infiniti amoris mei calcitrare; opera quæ ego feci pro te, ſtimuli ſunt, quibus ſi reſiſtas, vulneraberis: egoque juſtificabor in ſermonibus meis & proculdubio vincam, cum te judicavero. Quis enim H adeo cæcus & delirus ſit, qui non videat, cor tuum durius eſſe lapidibus, cum non movearis ad compunctionem ſciens myſteria dulciſſima infantiæ meæ? Certe pauper fui ego, & in laboribus ab infantia mea propter ſalutem tuam: non enim tantummodo in extrema paupertate, & derelictione natus ſum, ſed poſt dies paucos fudi pro te

Scriptus An. 1599.

Cor circumcidendum.

pretioſiſſimum ſanguinem meum circumciſus carne, ut tu circumcideres cor tuum, & motus oſtenſione redemptionis meæ diligeres me ex tota fortitudine tua. Mirabile eſt, quod tam citò properaverim exercere officium Redemptoris ad ſalutem, ſolatium, & inſtructionem hominum, & tu properes abuti ſanguine meo, & gratis venundare animam tuam.

A

Numquid non æquum tibi videtur, ceſſare jam à multitudine peccatorum & turpitudine vitæ, & ſaltem offerre mihi juventutem, quandoquidem ego obtuli tibi infantiam, ut operarer opus redemptionis tuæ? Ego cucurri in ſiti abominabilium vitiorum, & tranſeuntibus annis multis, & tu non vis reverti ad me, & circumcidere præputium cordis tui. Væ tibi fili, quam cæcus es, & quam ſtultè agis contemnendo animam tuam, & obdurando cervicem adverſus fortiſſimum amorem meum! Non ſic fecerunt fideles amici mei tenentes gladios ſuper femur ſuum, ut exemplo meo circumciderent corda, & reſecarent quicquid ſentirent diſſentaneum legi meæ.

B

Sic audiſti, fili, multa millia adoleſcentum & puellarum, quas mundus vehementer amavit, tanto deſiderio mei arſiſſe, ut parcè admodum uterentur hoc mundo, ne fortè traderentur in reprobum ſenſum, & perirent de via vitæ. Quid ergo agis fili? Quo curris ſine fræno timoris mei? Quare non reſpicis me rectis oculis, & recedens à tabernaculis impiorum quæris adhærere fideliſſimo Redemptori tuo?

Occaſio ſcandali tollenda.

Ego palam locutus ſum mundo dicens: Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te: atque idem de manu, & pede prædicavi, ut erudirem filios Adæ in Schola ſapientiæ, quæ de cœlis eſt. Omnia quippe illa, quæ ſcandalum faciunt, circumcidenda ſunt, & proiicienda, ne gravent animam aſcendentem in cœlum.

C

Qualis ergo ſtultitia eſt, fili, tradere te vitiis, & concupiſcentiis innumerabilibus, teſtimonium perhibente tibi conſcientia, quod gentiliter vivas, & conculces immaculatam legem meam. Satis deliraſti, fili, diſcurrens per prata mundi ſine memoria mei: revertere nunc ſaltem ad me, & proiice de corde tuo omnia idola, quæ adoraſti. Ne horreas verbum crucis, quod licet iis, qui pereunt ſtultitia videatur, iis tamen, qui ſalvi fiunt, eſt Dei virtus & ſapientia. Accipe gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, ſermo ſcilicet Dei vivus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, ac pertingens uſque ad ſecretiſſimam diviſionem animæ & ſpiritus.

D

Hucuſque vixiſti inter homines animales neſcientes ea, quæ ſunt Spiritus Dei: tempus eſt, ut convertaris ad legem ſpiritualem, qua circumciditur, quod eſt carnale & terrenum, & vivit, quod ſpirituale eſt, non circumciſione manufacta, ſed operatione gratiæ meæ, qua exuitur vetuſtas Adæ, & induitur novus homo, qui ſecundum Deum creatus eſt.

Adae vetuſtas circumcidenda.

Si feceris hæc, fili chariſſime, auferam à te cor lapideum, & converſione mirabili dabo tibi cor carneum, cui imprimatur formoſa valdè imago mea.

CAPUT XXV.

De conſideratione converſationis Chriſti ante paſſionem.

E

SI conſiderares, fili, ut deberes, tempus illud, quo à pueritia uſque ad paſſionem meam vixi inter mortales filios Adæ, non eſſes adeo durus & ingratus divinæ bonitati, & miſericordiæ meæ. Pauca certè ſcripſerunt Evangeliſtæ de converſatione mea in abſcondito tempore illo: ſed nemo eſt inter illuminatos ſervos meos, qui non credat & cogitet magna myſteria latere ibi; quæ ego ſoleo aperire amicis chariſſimis ſuſpirantibus ad me. Et quamvis tu videaris nolle numerari inter chariſſimos, cum ſequaris deos alienos deſidriorum tuorum; ego tamen propter meipſum, & propter ſalutem quoque tuam mitto tibi inſpirationes varias, ut recorderis mei, & conſideres manſuetudinem & humilitatem meam, quæ lucet in ſilentio triginta annorum, quibus tacui propter te.

F

Dic mihi, fili, quid tibi videtur de Filio Altiſſimi per tot annos in terra converſantis, & nihil mundanum quærentis, ſed viventis inter peccatores, & occultantis infinitam magnitudinem ſuam?

Chriſti obedientia, & humilitas.

Quid dicis de Majeſtate unigeniti Filii Dei obedientis pauperi fabro, qui putabatur pater ejus? Quid ſentis de humili veſte, de victu parco, de domo communi, in qua habitavit ſublimiſſimus Creator cum pauperculis creaturis ejus? Quomodo non cogitas ſilentium Verbi Dei, per tot annos non loquentis, ſed abſcondentis altiſſimam Sapientiam ſuam? An putas, quia non poteram venire in Majeſtate, cum multis exercitibus Angelorum & hominum ſervientium magno Regi ſuo?

G

Poteram certè, fili, ſed Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare pretioſiſſimam animam ſuam pro te, ita ut converſatio ejus eſſet ſchola inſtructionis tuæ. Nunc autem mirabile eſt, quod cum ego fecerim tot bona, & paſſus fuerim tot mala propter te, ſis adeo durus corde, ut nolis ad pœnitentiam emolliri. Væ tibi, fili, quam longè diſcrepas ab exemplari tuo! Ego elegi ſummam egeſtatem, & tu quæris divitias innumerabiles. Ego elegi humilem converſationem, tu quæris altior aliis apparere. Ego elegi ſilentium, tu delectaris loquacitate.

Hominum vitia.

Ego fui ſubditus matri, & putativo patri meo, tu odiſti obedientiam Superiorum, quos præpoſui tibi. Ego vacavi orationi per diem & noctem, tu vix per dimidiam horam cogitas de æterna ſalute animæ tuæ.

H

Quid eſt hoc? Uſquequo fugies me magiſtrum & cuſtodem tuum? Deſine jam, fili, delirare, & perdere animam tuam, pro qua laboravi in terra deſerta, & invia; ubi non erat charitatis habitatio & convertere ad me, in quo habes redemptionem & remiſſionem peccatorum, & ſpem hæreditatis, quæ veris pœnitentibus ſervatur in cœ-

Scriptus An. 1599.

cœlis. Rumpe jam catenas occaſiorm, quibus ligatus es, & reſpira ad libertatm filiorum Dei dignam pretio ſanguinis mei. Ne timeas me tanquam durum dominum, qui peccaſti, & conſcientia tibi dictat, te ſupplicio dignum eſſe: Ego enim parcam tibi, & ſtatim ac ſuſpiraveris ad me, omnium iniquitatum tuarum non recordabor. A Vni citò, fili chariſſime, accelera, ut reconcileris mihi: & delectabor ego fructu mitiſſimæ converſationis meæ; doceboque te in abſcondito ſuaviſſimam diſciplinam meam, qua fies particeps tenerrimi cordis mei.

CAPUT XXVI.

De conſideratione prædicationis Chiſti.

NImis ſtultè agis, fili, cum quæris magiſtros prurientes auribus qui prophetent ad beneplacitum tuum, & avertis auditum à veritate mea, quæ corda caſta delectat. Certè ignitum eſt eloquium meum vehementer, ut notavit David ſervus meus, qui toto corde dilexit illud. Ego prædicavi mundo veritatem, neque peperci laboribus & ſudoribus, ut erudirem principes terræ, & ſenes ejus prudentiam docerem. Palam apparui illis, qui me non interrogabant, annuntians eis vitam æternam, & annum remiſſionis, ut pingueſcerent deſerta ſæculorum, & campi replerentur ubertate. Clamavi, præ ſenſu & deſiderio ſalutis tuæ, ſuadens tibi emere à me aurum ignitum charitatis meæ ut fieres dives inter omnes orientales: & tamen plus placent tibi fabulæ, & mendacia peccatorum, quam vivi & molliti ſermones Redemptoris tui. O ingrate & ſtultè nimis fili Adæ, quomodo non aperis aures cordis dulciſſimis & efficaciſſimis verbis meis? Recordare mei, quando in die magno feſtivitatis clamavi: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, & quando quidem ſitis vexat te, bibe jam & refrigerare, ut fiat in te fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Recordare, fili, quid fecerim ego in cordibus auditorum, qui ſenſerunt virtutem prædicationis meæ, & erudire, ut fias ſimilis eis. Certè multi dixerunt: Nunquam ſic locutus eſt homo: ſenſerunt enim fortiſſimam veritatem, & vocem Domini confringentis cedros ſuperborum, & humilia corda conſolantis. Sed tu, fili, aliter ſentire videris cum illis, qui dixerunt: Durus eſt hic ſermo. Si enim non ita eſſet, non curreres tam velociter ad ſolatia mundi affectus tædio ſcholæ meæ. Verumtamen ſatis eſt, quod hactenus obturaveris aures tuas, ne verba mea penetrarent crudelia viſcera tua: humiliare nunc, & convertere ad præceptorem vitæ tuæ, cujus dulciſſimis verbis ſaxa moventur. Ego qui publicè prædicavi; dum eſſem inter mortales, prædicabo tibi ad aures cordis, & Evangelizzabo remiſſionem delictorum, & ſpem firmiſſimam incedentem uſque ad interiora velaminis, quo velatur divinitas mea. Et dabo tibi cor ſapiens & intelligens, ſi acquieſcas ſermonibus meis, quos percipies in ſibilo auræ lenis, quando remotus ab occaſionibus & negotiis ſæculi clamaveris ad me. Fac ergo fideliter, fili mi, aperiens mihi portas cordis tui, recipiens, conferens, & conſervans in eo caſtiſſimam doctrinam meam, ſicut theſaurum pretii incomparabilis, pro quo omnis ſubſtantia terrena juſtè venderetur. Excutere de pulvere, quo excæcatus es fili: exurge à luto fæcis, in quo jaces: reſuſcitare jam à morte peccati ad fortiſſimam vocem meam, qua te ſicut Lazarum à monumento vocavi. Hæc eſt eruditio vitæ æternæ, quam qui ſecuti ſunt, collegerunt fructus ſuaviſſimos prædicationis meæ. Hæc eſt eruditio, quam ſegregavi hæreditati amicorum meorum, qui purgatis auribus audierunt me, & convicti fortitudine veritatis obſervaverunt fidelia mandata mea. Hæc eſt eruditio fortium Iſrael, qui gladio verbi mei abſciderunt carnalia, & mundana deſideria, & totis viſceribus adhæſerunt mihi unico bono & ſolatio ſuo. Hæc cogita, fili, & revertere ad me de via, per quam erraſti: lactaboque te puro lacte melle dulcioris eloquii mei.

David.

B

Hominum ſtultitia.

C

D

E

Lazarus a monumento vocatus.

F

CAPUT XXVII.

De conſideratione noſtræ redemptionis.

QUI attentè conſiderat myſterium redemptionis, quæ eſt in ſanguine meo, fili chariſſime, facilè compungitur, & movetur ad agendam veram pœnitentiam peccatorum, & ad dealbandam ſtolam ſuam in ſanguine Agni immaculati, qui pro peccatoribus occiſus eſt. Res enim admirabilis, & ad convertenda corda efficax eſt, quod Altiſſimi Dei Filius æterno conſilio deſcenderit ad quærendum peccatorem, qui perierat per famem & ſitim, calorem & frigus, dolores & perſecutiones, improperia & mortem amariſſimam. Quis enim unquam audivit talia, quod Unigenitus æterni Patris traderetur ad mortem pro viliſſimo & ingratiſſimo ſervo, qui prævaricatus eſt puriſſimam legem teſtamenti ejus? Certè in hoc commendavit Pater meus inæſtimabilem charitatem, & bonitatem ſuam, quod cum peccator eſſes, fili chariſſime, gratis tradidit me dilectiſſimum filium ſuum pro te, ut ligaret animam tuam vinculo dilectionis meæ. Viſus ſum inter homines quaſi peregrinus, & viator declinans ad manendum, abſcondita divina Majeſtate mea, ut perficerem opus redemptionis tuæ, data ſubſtantia domus meæ. Angeli mei mirati ſunt valdè, ſcientes infinitam altitudinem meam, & ſtupentes quomodo deſcendi ad labores terræ, quam dedi filiis hominum, qui dereliquerunt me. Poteram ego ſine tanto ſumptu afflictionum & irriſionum ſalvam facere dilectam animam tuam: & tamen quia dilexi te uſque in finem, volui talia operari in medio terræ, quæ poſſent duriſſimos lapides movere. Et hæc ratio eſt, propter quam illuminati ſervi mei

Agnus pro peccatoribus occiſus.

G

H

Humana redemptio multimodis a Deo operari poterat.

Scriptus An. 1599.

recogitantes adinventiones redemptionis ſuæ, non ſatiantur offerre mihi ſacrificia laudis, & cantare antiquas miſericordias meas. Ex quo enim egreſſus ſum de utero puriſſimæ genitricis meæ, ineffabilibus modis quæſivi ſalutem tuam, non parcens vitæ meæ, quæ omni pretio pretioſior eſt. Et tamen mirum A eſt, quod adverſus omnes leges gratitudinis pro nihilo vendis animam tuam, quam ego tanti feci, ut pro illa tradiderim vitam meam. Caecitas humana. Incredibilis videtur cæcitas hæc, fili, qua excæcatum & aggravatum eſt cor tuum, quaſi non eſſes unctus oleo, & pertineres ad regale ſacerdotium populi mei. Uſquequo inquinabis animam tuam ſordibus peccatorum, quæ multiplicantur ſicut arena maris? Conſidera pretium, quo empta eſt, & videbis rem deteſtabilem eſſe, tam levibus cauſis deformare illam, & incurrere cum filiis Agar duriſſimam ſervitutem peccati, mortis, & inferni, quo velociſſime curris. Immorare paululum, fili, velox ad perditionem tuam. Immorare, & audi ignea verba mea, ut reſipiſcas, & fias particeps redemptionis meæ. B Nunquid in æternum peccabis, neque ceſſabis repugnare divinis inſpirationibus meis, quæ deſcendunt in animam tuam ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram? Mundi figura praeterit. Noviſſima hora eſt, præteritque figura mundi citius, quam vellet inordinatus appetitus tuus: atque ideo citò evaneſcent illicita gaudia, quibus contra legem meam delectaris. Convertere ergo, fili, ad mitiſſimum Redemptorem tuum, & abluere balneo ſanguinis mei, ut appareas in conſpectu dulciſſimæ Jeruſalem ſponſæ meæ formoſior, quam omnes pueri, qui bibunt de calicibus Regis Babylonis: & ego ſcribam te inter dilectiſſimos amicos meos.

CAPUT XXVIII.

C

De conſideratione Paſſionis Chriſti in communi.

MIrabilis fuit, chariſſime fili, converſatio mea cum hominibus, quando per experientiam laborum hominum quæſivi te: ſed ſumma admiratio debetur paſſioni meæ, quæ univerſas creaturas deberet commovere. Deus impaſſibilis natura ſua. Ego Deus impaſſibilis ex magnitudine charitatis factus homo paſſibilis pertuli multa mala ab illis, quibus feci immenſa bona, ut ſcirent homines ſe habere Pontificem, tentatum per omnia, & conformarentur exemplari ſuo. Hæc eſt meditatio juſtorum, quorum corda liqueſcunt intima compaſſione dolorum meorum, & animantur ad cuſtodiendas vias duras. Hoc eſt prodigium, D quod inflammat fideles ſervos meos ſtupentes, quomodo immortalis Deus invenit modum admirabilem, quo mortem pateretur. Hoc eſt mare magnum & ſpatioſum valdè, ubi ſapientes ſervi mei merguntur uſque ad abyſſos, mirantes quomodo altitudo divini conſilii elegit modum ſalvandi homines, qui nunquam ſatis cognitus eſt à mundi ſapientibus & prudentibus, ſed revelatus eſt parvulis, ut non glorietur omnis caro coram Creatore ſuo. Deus mundi Dominus, & Rex aeternus. Quis unquam cogitaſſet, fili, me mundi Dominum & Regem æternum, cui ſervit omnis creatura, in tantam abiectionem deſcenſurum, ut creaturæ meæ furore infernali incitatæ iniicerent in me manus E violentas & fremerent contra me dentibus ſuis? Cui homini unquam in mentem venire potuit, definito tempore paſſionis meæ in civitate primogenita Jeruſalem cauſam meæ mortis agendam eſſe in tribunalibus peccatorum? Quis unquam dixiſſet futurum diem, quo populus furioſus clamaret adverſus Deum ſuum, & poſtularet mortem ejus, à quo vitam accepit? Mirum eſt, quomodo paſſioni meæ conſideratio negligatur à te, fili dilectiſſime, qui durior petris videris, currens poſt mundana deſideria tua. Nunquid fere potes averſionem tuam, dum audis in Evangelio meo ignitos ſermones, & flammas reſultantes ex hiſtoria paſſionis & mortis meæ? Major effecta eſt iniquitas tua, quam gentilium, quibus non eſt revelatum myſterium Paſſionis Filii Dei: neſciunt enim F quid fecerim ego: Tu verò qui credis caſta eloquia mea, & remurmurante conſcientia fugis me, excuſationem non habes de intolerabili ingratitudine tua. Hominis ingratitudo notata. Revertere ergo, fili, ad me patientem pro ſalute æterna animæ tuæ: & ne graveris fieri particeps dolorum meorum per veram converſionem, & dignam pœnitentiam delictorum tuorum, ut fias conſors reſurrectionis & immortalitatis meæ. Recordare civium Jeruſalem, quam dilexi, quomodo immemores beneficiorum inſurrexerunt contra me, & quaſi leones occurrerunt ad prædam vitæ meæ. Et repræſentabitur tibi imago filii Dei patientis & morientis pro te, atque ementis magno pretio chariſſimam libertatem tuam. Et commovebuntur viſcera tua ad ſpectaculum dolorum, & opprobriorum, quibus ſcis G te fuiſſe redemptum. Si fideliter feceris hæc, & mutato conſilio converſus fueris ad me, odorabor ſacrificium cordis tui, & amabo te quaſi fideliſſimum ſervum, & amicum meum.

CAPUT XXIX.

De conſideratione cauſæ Paſſionis Chriſti.

UTinam cogitares, fili, cauſam acerbiſſimæ paſſionis meæ, ut motus conſideratione tantæ charitatis, qua dilexi te, deſineres iam multiplicare peccata, & perdere pretioſam valdè animam tuam. Ego certè non propter merita tua, neque ad inſtantiam tuam, ſed motu proprio infinitæ bonitatis H meæ in charitate perpetua te dilexi, ideoque attrahere te curo miſerans tui, & avertere te à mortali plaga delictorum tuorum. Ab æterno decrevi viſitare te, cum eſſem in ſinu æterni Patris mei, & exinanivi meipſum formam ſervi accipiens, ut elevarem te ad formam Dei, & efficerem conſortem hære-

di-

Scriptus An. 1599.

Paſſionis Chriſti cauſſa quae?

ditatis meæ. Hæc eſt cauſa illa paſſionis meæ, quæ te plurimum movere deberet ad compunctionem, & admirationem inæſtimabilis amoris mei. Tu vero, fili, parum curas æternam dilectionem hanc, ſed agis mecum tam infideliter, ac ſi ego ſemper fuiſſem inimicus tuus. Mirum eſt, quomodo poſſunt ferre viſcera tua tantam vim ineffabilis miſericordiæ meæ ſine ſenſu contritionis. A Certe per hoc patet, te eſſe nimis protervum, & repugnare pertinaciter inſpirationibus meis, quibus illumino te. Verum ſi æterna charitas mea te non movet, conſidera ſaltem, quid cauſæ habuerint homines ad procurandam paſſionem, & mortem, quam pertuli pro te: & videbis magnitudinem malitiæ & duritiæ tuæ, quæ creſcit ex comparatione amoris mei.

Phariſaei inimici Chriſti.

Certè ſi rogaſſes Phariſæos & alios inimicos meos, qua de cauſa conjuraverint adverſus innocentiam meam, & abſtulerint me de terra; reſpondebunt, quod dixerunt in concilio ſuo: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum. Ecce fili cauſam, quam invenerunt hoſtes mei ad crucifigendum me. Feci eis B multa bona, ſanavi ægrotos eorum, mundavi leproſos ipſorum, ſuſcitavi mortuos illorum, & infinita manſuetudine toleravi odium eorum: & tamen ipſi putaverunt expedire ſibi tollere me de terra, propter ſigna hæc, quæ in medio illorum operabar. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me. Vide ergo, fili, ad quantam calamitatem deſcenderim cauſa ſalutis tuæ, ut ab illis pejora mala ferrem, quibus meliora bona contuleram.

Paſſionis Chriſti cauſa ex parte hominis.

Quod ſi neque ratio hæc movet averſam animam tuam, conſidera ſaltem, quæ cauſa paſſionis meæ fuerit ex parte tui, & invenies gravia delicta, quibus provocaſti iram Clementiſſimi Patris mei. Et certè incredibilis duritia videtur, quod C cum ſcias te non meruiſſe miſericordiam, quam feci tibi, ſed iram, qua te perderem in gehennam, perſeveres tot diebus in averſione, & inimicitia mea. Quomodo in tantum excæcatus es, fili, ut manifeſtiſſimam lucem non aſpicias, & fortiſſimæ veritati repugnes? O fili Adæ, quam longè recedis à ſalute tua, dum reſiſtis dulciſſimæ bonitati meæ! Ceſſet jam, fili, inſania hæc, quam qui audierit, obſtupeſcet ſuper cæcitate tua. Satis luctatus es cum miſericordia mea: cede jam mihi cupienti victoriam hanc qua exultabit tota Jeruſalem ſponſa mea, & amantiſſima mater tua. Ego nihil meriti inveni in te, propter quod te redimerem, ſed inveni peccata tua, quæ reſpexi ex magnitudine miſericordiæ meæ. Utere ergo D liberalitate hac, & convertere infirmus ad benigniſſimum medicum tuum, cæcus ad puriſſimum lumen oculorum tuorum, filius alienus ad patrem tuum. Ego ſuſcipiam te extenſis brachiis, & ereptum de miſerrimo ſtatu inimicitiæ meæ traducam te ad hæreditatem filiorum Dei, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitaliſſimæ vitæ meæ.

CAPUT XXX.

De conſideratione capturæ Chriſti.

Mirabilia paſſionis Chriſti myſteria.

MIrabilia valde ſunt myſteria paſſionis meæ, fili, quæ ſi mutata voluntate conſiderares, anima tua per gratiam meam adhæreret mihi, & in æternum nollet a me recedere. E Tu propter multa, & gravia peccata, quibus provocaſti indignationem meam, merueras capi a lupis infernalibus, & ligatis manibus, & pedibus mitti in tenebras exteriores quæ ſunt extra me, qui habito lucem inacceſſibilem: & tamen ego vera libertas filiorum Dei captus & ligatus fui propter peccata tua indigniſſimis modis, qui nulla ratione decebant Majeſtatem Unigeniti Filii Dei. Quis erit ſapiens & conſiderans hæc, ut intelligat miſericordias Domini? Utinam, fili chariſſime, evigilares a ſomno, quo dormis in cauſa ſalutis tuæ, & quaſi ex loco abſcondito videres, quid paſſus fuerim in captura mea, ut emerem pretio magno libertatem tuam!

Peccati effectus.

Sed cæcitas mentis, quam incurriſti peccando, non ſinit te purgatis oculis aſpicere altitudinem F conſilii divini in furore inimicorum meorum, qui tanquam canes famelici irruerunt ſuper me. O quantus furor, quam feroces animi, quam proterva corda cucurrerunt adverſus manſuetiſſimum Agnum Dei, qui venerat in civitatem Sacerdotalem, ut immolaretur pro te. Nunquid fieri poteſt, fili, ut recordari nolis noctis illius, qua poſt ſudorem ſanguinis pro te fuſi latrones illi crudeles rapuerunt me deſideratam valde prædam ſuam, clamantes, & exultantes ſicut exultant victores capta præda, quando dividunt ſpolia? Ne ſis adeo durus corde, fili, ſed memor eſto mei, & judica quantum amoris & gratitudinis debeas tenerrimo cordi meo. G Tanta enim eſt evidentia miſericordiæ & bonitatis, quæ reſplenduit nocte illa, quando traditus ſum in manus peccatorum, ut quantumvis cœcus ſis, non poſſis judicare aliud, quam te duriſſimum eſſe ſuper ſilicem, qui non movearis infinita patientia & manſuetudine mea. Nonne conſideras, quomodo Judas domeſticus meus, quem dilexi, & honoravi inter Apoſtolos meos, acceſſit ad me conſcius humillimæ converſationis meæ: & non ſolum non repuli illum, ſed dulciſſimis verbis, quæ ſaxa mollirent, reſpondi ei?

Chriſti amor erga peccatores infinitus.

Certe ibi palam oſtendi amorem infinitum, quo diligo peccatores quamvis blaſphemaverint & vendiderint me. Cum ergo tu, fili dilectiſſime, H ſcias me promptiſſimo corde paratum eſſe recipere te, licet graviſſimè peccaveris; quomodo non miteſcis, & converteris ad me ſaltem ob infinitam benignitatem meam? Quomodo manere potes vel nocte una in ſtatu inimicitiæ meæ pugnans contra manſuetudinem Filii Dei? Deſiſte ergo, amice chariſſime, ab hac ſtultitia, qua damnas animam tuam: & reconciliare mihi, hi, ut numerem te inter ſervos meos fideles in omni domo mea, qui timent ſeparari à me vero refrigerio ſuo. Convertere aliquando ad Redemptorem tuum captum pro te à feris inimicis ejus, qui quæſierunt memoriam ejus tollere de terra viventium. A Tempus breve eſt, & dies inclinat ad occaſum: feſtina igitur, antequam veniat nox tenebroſa cooperta mortis caligine, in qua peccatores lugebunt in æternum pro brevi diſſolutione, & vaniſſima lætitia præſentis vitæ. Sine, fili, ut capiam te, & ligem funibus charitatis meæ, qui pro te ligatus fui, & intima converſione cordis propera ad ſuaviſſimam familiaritatem meam.

CAPUT XXXI.

De conſideratione præſentationis Chriſti ante Judices.

Deus Iudex aequiſſimus

Chriſtus alba veſte ad deriſionem indutus.

Peccatores Chriſti Crucifixores.

CAuſa mea, fili dilectiſſime, tanquam hominis impii cauſa judicata eſt, & (quod eſt mirabile) Judex æquiſſimus omnium B creaturarum ab iniquis judicibus reprobatus eſt. Merebaris tu non ſolum ſeverè judicari, ſed in æternum damnari, propter turpiſſimas abominationes tuas, quibus prævaricatus es immaculatam legem meam & tamen, copioſiſſima miſericordia ego pro te coram Judicibus præſentatus, accuſatus, & reprehenſus fui. Ex quo apparere poteſt duritia tua, qui vivis, quaſi nihil morte dignum egeris, & expectaris de die in diem, ſi fortè pœnitentiam agas, neque venit tibi in mentem, quod pro ſalute tua coram Judicibus civitatis meæ Jeruſalem paſſus ſum. Ego certe ſum Altiſſimi Dei Filius, cui non eſt rapina, ſed natura, eſſe æqualem Deo: & tamen quaſi blaſphemus reputatus & accuſatus ſum, quia me Dei Filium eſſe prædicavi. Ego ſum ipſa Dei Sapientia, quæ C cum Patre meo omnia compoſui, & ordinavi in numero, pondere & menſura: & tamen indutus veſte alba, quaſi ſtultus irriſus fui, ut te ad Dei ſapientiam, quam perdideras, revocarem. Ego ſum ipſe candor & innocentia divina; & tamen quaſi publicus peccator indigniſſime tractatus ſum. Quid ergo dicit tibi conſcientia propria, fili, quando legis hæc, quæ mitiſſime toleravi pro æterna ſalute tua? Nunquid ferre potes magnitudinem bonitatis, & miſericordiæ meæ ſine compunctione, & lachrymis innumerabilibus? Quid ſenſiſſes, ſi per urbem regiam me trahi vidiſſes, & audiſſes falſas accuſationes, & latrones illos conſtanter poſtulantes me ad affigendam pretioſam valdè animam meam? Quid feciſſes, ſi vidiſſes ictus, & alapas, & ſputa, quibus facies D Filii Dei deformata eſt, ut ad infamem abjectionem deſcenderet, & ſanaret ſuperbiam tuam? O fili Adæ, quomodo reſiſtis fortiſſimæ gratiæ, & virtuti meæ? Mirabile videtur, quomodo ad recordationem hiſtoriæ hujus fideliſſimæ non reſolvitur glacies tua, & fluunt aquæ expreſſæ ſenſu immenſæ contritionis? Utinam imprimeretur tibi, fili, imago mitiſſimi & modeſtiſſimi Filii Dei, ſtantis coram Judicibus iniquis, ut commoverentur viſcera tua. Certè Pilatus, vir mundo ſerviens, non potuit ſibi perſuadere veras eſſe imputationes illas inimicorum meorum: & inſtitit valdè, ut eriperet me de E faucibus luporum, qui aſtabant, ut devorarent me. Et mirum eſt, quod vir incredulus convictus innocentiæ meæ teſtimonio publicè dixerit, ſe nullam in me cauſam mortis invenire: & tu credens me eſſe verum Deum, in quem culpa cadere non poteſt, multiplicando peccata iterum crucifigas me. Profectò, fili, quantum in te eſt, iterum me crucifigis, & quaſi denuò coram Judicibus incredulis me præſentas, ut moriar; & tamen ego omnia hæc patienter fero, expectans converſionem tuam, & dignam pœnitentiam, qua eripiaris à rigore judicii mei. Revertere ergo, fili chariſſime, ad amicum tuum de averſione & malitia tua, quæ te trahit ad interitum; & ego liberabo te in extremo judicio, in quo diſceptabo cum accuſatoribus, irriſoribus, & crufixoribus meis. F Feſtina, ut eripiaris ab ira ventura, & reparare cura ruinas animæ tuæ in agone mortis poſitæ, antequam fiat inſanabilis fractura tua. Ego invito te, dum tempus eſt miſerendi: curre velociter ad thronum gratiæ meæ, ut facilitate parcendi delecteris, & vivas inter dilectos amicos meos in medio Jeruſalem ſponſæ meæ.

CAPUT XXXII.

De conſideratione flagellationis Chriſti.

Caro Chriſti innocens dicta.

Poenitentia commendata.

NImis graviter, & multipliciter peccaſti, fili, & ego egi auſteram pœnitentiam pro te. Ego ſic vixi inter homines, ut quamvis haberem crudeliſſimos inimicos & calumniatores, nemo tamen potuerit arguere G me de peccato: & tamen quaſi malefactor vita indignus, diriſſime flagellatus fui. Caro illa innocens, è puriſſimo ſanguine dulciſſimæ Genitricis meæ, Spiritus Sancti virtute formata conſumpta fuit diris verberibus eorum, qui oderunt me, qui ſine miſericordia, quæſierunt perdere pretioſiſſimam vitam meam. Utinam, fili, conciperes, dum peccare cogitas, figuram Filii Dei ligati ad columnam, verecundi, & tacentis, & infinita manſuetudine tolerantis ictus flagellantium, qui multiplicati ſunt velut arena, quæ jacet in littore maris! Utinam appenderentur in ſtatera peccata filiorum Adæ; & calamitas, quam ſine culpa pertuli nudus, & expoſitus furori inimicorum meorum! quaſi arena maris hæc gravior appareret. H O quam juſtè damnaberis, ſi toto corde non fueris converſus ad me! Tot teſtes habebis accuſantes conſcientiam tuam, quot flagellorum ictus afflixerunt animam meam. Propter quod, interim dum dies eſt, age pœnitentiam, fili, neque perſeveres multiplicare delicta ſuper capillos capitis tui.

Ne

Scriptus An. 1599.

Ne pugnes contra Redemptorem tuum ligatum, & flagellatum propter te: nam crudelitas hæc indigna eſt homine Chriſtiano, qualem gratis te feci. Intuere exemplar tuum ut diſcas compungi, & ad compaſſionem tantæ calamitatis commoveri. Cogita quid dixiſſet tibi conſcientia propria, ſi affuiſſes in eo loco, ubi caſtigatio mea fuit. Certè acutiſſimo ſtimulo punxiſſet te intuentem carnem meam laceratam, & conſumptam, & ſanguinem meum fluentem, donec carnifices mei fatigati, licet non ſaturati quieſcerent. Nunc verò quamvis paſſio mea jam tranſierit, expedit tibi, fili, illam quaſi præſentem cogitare, ut imprimatur viſceribus tuis, & quieſcas ab iniquitate, quam operaris. Profectò crudeles miniſtri judicis injuſti, timentis, & honorantis Cæſarem magis quam Deum, exercuerunt furorem, quaſi canes rabidi, quos fames in rabiem impuliſſet. Non movit illos Agnus Dei, qui coram ſe tondentibus illum obmutuit, & non aperuit os ſuum. Non pepercerunt Filio Dei proſtrato, cum tamen feræ ſoleant proſtratis parcere: ſed poſtquam fatigati ſunt, me exhauſtum, & horribili deformatione laniatum reliquerunt. Quid eſt hoc? Uſquequò peccator curret erecto collo adverſus patientiam unigeniti filii Dei? Quomodo lapides non clamant; & omnis creatura non poſtulat ferventiſſimis vocibus vindictam ingratitudinis, qua cor peccatoris obduratum eſt? Conſidera, fili, rem iſtam omni mundi pondere graviorem, ut reſipiſcas & intima converſione ſatisfacias mihi, antequam impleatur numerus dierum quibus permitto te vivere ſuper terram. Certè ſancti mei qui contemplati ſunt amariſſima ſpectacula paſſionis meæ, quamvis non reprehenderet illos cor ipſorum de gravibus delictis, memores tamen flagellationis meæ, corpora ſua lacerare ferreis flagellis conſueverunt: & tamen tu, qui peccata commiſiſti ſuper numerum ſtellarum, non ſolum non caſtigas corpus tuum, & in ſervitutem redigis, ſed contra legem meam nutris, & foves illud, diligens carnem tuam, pluſquam me. Revertere ergo, fili, ad cor, & vide quid agas: attende, & conſidera opera mitiſſimi Redemptoris tui, qui factus eſt opprobrium hominum, & poſtrema abjectio plebis. Dirumpe vincula peccatorum, & accede ad me alligatum columnæ, non ut ligeris ad ſupplicium, ſed ut abſolvaris ad immenſum refrigerium, quod invenies in deſiderata valde converſione tua.

Agni Dei manſuetudo.

Chriſtus opprobrium hominum factus.

CAPUT XXXIII.

De conſideratione coronationis Chriſti.

COR tuum, fili, in dies ſingulos magis frigeſcit, & obduratur, quia non recordaris improperia, & tormenta mea. Fugis occaſiones patiendi aliquid propter peccata tua, & ſequeris toto corde vana deſideria honoris, & commoditatis, ut ſis inimicus crucis meæ. Ego certè non ſic feci, quando operatus ſum ſalutem tuam in medio terræ, ſed quæſivi occaſiones, quibus injurias, & dolores ferrem propter te. Quod facile videbis, ſi velis conſiderare ſpectaculum coronationis meæ. Talis quippe corona, quæ ſic cruciaret, & inhonoraret, non eſt audita in hiſtoriis regum terrenorum, ſed inventa à crudelibus inimicis meis, & accepta ab infinita manſuetudine mea. Si ſcires, fili, quam horribilem pœnam paſſus fuerim, cum ſpinæ illæ penetrarent caput digito Dei compoſitum, & ad ſervanda Dei ſecreta deſtinatum; non eſſes adeo ferus, ut compaſſione non manſueſceres. Quod ſi cum dolore acutiſſimo conjungas irriſiones, & improperia Regis per jocum coronati, judicabis, me deſcendiſſe ad abyſſos pœnarum, & opprobriorum, ita ut amplius non poſſem deſcendere. Puteus hic altus eſt. Utinam, fili, cogitares aliquando cauſam meam, quæ directa eſt ad converſionem, & æternam ſalutem tuam! Rogo te, quid cauſæ habuerunt latrones illi, ut me circumdatum doloribus mortis irriderent? Nunquid opera, quæ ego feci, tam vilia fuerunt, ut oporteret inſultare mihi, quaſi ridiculo Regi Judæorum? Quare viliſſimi peccatores tam dirè contempſerunt Dei filium, qui opera mirabilia paulò ante fecerat ſtupentibus turbis? Profectò, fili, ſi rectè conſideres, invenies dolores, & irriſiones non bene reſpondere mirabilibus operibus meis, ſed graviſſimis peccatis, & abominationibus tuis. Et tamen ego egi pœnitentiam pro te, ut inebriaretur amaritudine anima mea, cujus paſſione anima tua liberaretur à morte. Quomodo ergo non recordaris mei, ſed pro tam inæſtimabili miſericordia redemptionis tuæ reddis mihi injurias, & prævaricationes legis meæ, quibus (quantum in te eſt) iterum, atque iterum me ſpinis coronas, & laceras caput meum? Quomodo adeo cœcus es, ut non videas manifeſtiſſimam damnationem tuam, dum talia facis adverſus eum, qui pro te talia paſſus eſt? Quando incipies aſpicere lumen fortiſſimæ veritatis, non ambulans ultra in tenebris cum illis, qui diligunt vanitatem & quærunt vaniſſimum mendacium? Satis irriſiſti me: ſatis inſultaſti mihi, fili: muta jam conſilium, & convertere ad me, ut deleatur macula ingratitudinis, & emundeſis à lepra corruptionis tuæ. Dic intra te: Altiſſimi Dei Filius, quaſi eſſet infamis peccator ab hominibus vita indignis horrenda corona cruciatus, & illuſus fuit pro me indigniſſima ejus creatura: quomodo ergo potero ſine evidenti damnatione illum offendere, & ad iram provocare? Nunquid non credo, eum eſſe infinitam Majeſtatem, magnitudinem, & altitudinem? Credo certè, illum eſſe Dominum rerum omnium, ad cujus nutum columnæ cœli contremiſcunt: quomodo igitur ad tantam calamitatem, & opprobrium hominum humiliavit ſe? Hæc cogita, fili, & ſentire cura, ut liqueſcat anima tua in adulterio peccati deprehenſa, & balneo lachrymarum laveris à ſordibus delictorum, quibus inquinatus es. Diſſolve jam colligationes iniqui-

Eius manſuetudo.

Et opera miranda.

Vanitatis, & mendacii amatores qui?

Chriſtus rerum omnium Dominus.

Scriptus An. 1599.

quitatis, quibus aſtrictus es: recede à falſis prophetis, qui ſeducunt te: quære judicium & juſtitiam: & opportuna pœnitentia ſalva dilectam animam tuam. Certa bonum certamen, quod tibi proponit fides, & curre poſt me, ut apprehendas vitam æternam, & pro corona ſpinea, quæ infixa eſt capiti meo, coronabo te diademate pretioſiſſimo in ſancta civitate mea.

A

CAPUT XXXIV.

De conſideratione oſtenſionis Chriſti ad populum.

Miſericordia mea, fili, ſuperexaltat judicium tuum, quia cauſa tuæ damnationis ad proportionem miſerationum mearum, quibus copioſè redemi te. Si verò velis æſtimare magnitudinem miſericordiæ, pondera magnitudinem, & multitudinem dolorum, quibus acquiſivi populum meum, cum poſſem ſine tam horribilibus tormentis redimere illum. Certè ſpectaculum, quod Pilatus propoſuit populo furioſo dicens: Ecce homo: docebit te, quid ego paſſus fuerim:

B

Pilatus incredulus dictus.

nam ſi tale fuit, ut crederet ille incredulus, ſe poſſe ſatisfacere crudeliſſimis inimicis poſtulantibus mortem meam, deberes tu, qui credis, quis ſim ego, ſatisfacere tibi, viſo afflicto Rege tuo, & non multiplicare peccata, quibus torqueas illum. A ſæculo non eſt viſum, neque auditum tale ſpectaculum, tam plenum doloribus, & illuſionibus: & tamen tu, qui credis majeſtatem Dei latentem ſub improperiis illis, non compungeris, neque conſideras quid fecerint ſcelera tua. Uſquequò patiar te, fili aliene, qui confiteris ore Deum, factis autem negas? Uſquequò multiplicabo inſpirationes, & pulſabo portas cordis tui, nec aperies mihi cupienti requieſcere in thalamo animæ tuæ? Nunquid poſſibile eſt, quod recorderis mei coram populo ſtantis, & cum Barabba comparati, & non fleas peccata tua, donec deficiant lachrymæ?

C

O fili Adæ, quam durus, & inſenſatus es! Non poterat mundus pejus ſentire de Salvatore ſuo, quam hominem ſeditioſum, latronem, & homicidam anteponendo illi.

Chriſtus Barabbae poſtpoſitus.

Quomodo Deus obtexit caligine filiam Sion, plebem ſcilicet ſuam, ut propter multas ejus prævaricationes in tantum excœcaretur, ut anteponeret abominabilem peccatorem Altiſſimi Dei Filio? Mirabile eſt, fili, quod mundus putaret expedire ſibi me de terra tollere, & hominem ſceleratiſſimum vivere: per hoc enim apparet, quod judicio mundi peccatum anteponitur innocentiæ meæ. Si autem hoc prodigium mirabile eſt, vide, &

D

attentè conſidera, te quotidie hoc judicium mundi ſequi, cum anteponas mihi res viliſſimas, & turpiſſimas, pro quibus peccas: & revertere ad cor, ne fortè cum hoc mundo damneris. Neque durum tibi videatur, fili, relinquere delectationes, & commoditates tuas, quæ inebriant te, propter obſervantiam mandatorum meorum, ſine qua non intratur ad vitam: melius enim & utilius tibi eſt, modico tempore contriſtari ad pœnitentiam, cum ſpe æternorum gaudiorum, quam hoc ipſo brevi tempore cum filiis ſæculi vanè lætari ſine ſpe futuræ hæreditatis, quam teſtamento novo diſpoſui chariſſimis electis meis. Incipe ergo, fili, compungi, & animari ad quærendam ſalutem tuam,

E

Iudaici populi obſtinatio, & ingratitudo.

quaſi tibi diceretur nunc: Ecce homo. Intuere me à planta pedis uſque ad verticem capitis vulneratum, & expoſitum miſericordiæ, vel iræ tuæ: & animadverte crudele reſponſum populi ingrati clamantis, Crucifige, Crucifige. Facta eſt certè mihi hæreditas mea, quaſi leo in ſylva: deditque contra me vocem ſuam. Dic ergo, fili, quid ſenſiſſes, ſi audiſſes vocem illam, quæ penetravit viſcera mea, à cujus ſonitu cæli & terra obſtupuerunt? Profectò quamvis peccator eſſes, credens tamen innocentiam meam, & tu quoque commotus fuiſſes admirans feritatem civitatis meæ. Si ergo ego innocens judicio quoque tuo poſtulor ad mortem, & tu ſcis me mori pro te; quomodo audes peccare, & proinde præbere occaſionem, ut moriar, & crucifigar?

Miſericordia duris denegata.

F

Væ cordi duro, quod non movetur ad miſericordiam, dum tractatur cauſa mortis Filii Dei! non inveniet miſericordiam, dum ego venero judicare terram. Accipe igitur, fili, conſilium meum credens Deo, Redemptori, & Cuſtodi tuo, & peccata tua intima compunctione dele. Depone ſordes, & mores Adæ veteris, quos didiciſti ſequens legem membrorum, quibus inimicus eſt puriſſimus ſpiritus Dei: & purgato corde, adhære fortiſſimè caſtæ, & immaculatæ legi ſpiritus mei: egoque remunerabor dulciſſimis ſolatiis brevem exercitationem mortalis vitæ tuæ.

CAPUT XXXV.

De conſideratione Chriſti bajulantis crucem.

G

Emiſti tibi, chariſſime fili, quinque juga boum, quæ dorſum tuum ſemper ad terram incurvant, ut ad cælum, ubi ſunt theſauri mei, reſpirare non poſſis: & ego miſertus tui elegi ita redimere te, ut ferrem pondera tua. Propter hoc poſtquam ingrati cives Jeruſalem fortiſſimis clamoribus poſtulaverunt mortem meam, & conſenſit Pilatus furori eorum, impoſita fuit crux valde gravis humeris meis, ut portarem omnia delicta tua in corpore meo ſuper lignum.

Ieroſolymorum ingratitudo.

Conſidera ergo, quomodo exivit Altiſſimi Dei Filius bajulans ſibi crucem ſpectaculo triſtiſſimo, quo ferrea corda moverentur. O quam juſtè flere deberes cum filiabus Jeruſalem ſequens veſtigia mea, quando exivi, ut immolarer pro te extra portam, quaſi eſſem indignus habitatione dilectæ civitatis meæ!

H

Jam verbera conſumpſerant carnem meam, & ſanguis infiniti pretii rigaverat terram ſterilem, quæ ſpinas, & tribulos germinaverat. Jam vires deficere cœperant præ magnitudine dolorum.

Du-

Scriptus An. 1599.

Crux vitale lignum.

Paſſionis Chriſti fructus.

Peccatorum vincula diſrumpenda.

Et tamen onus grave gravatum eſt ſuper me, ut ſatiaretur crudelitas inimicorum meorum abutentium infinita manſuetudine mea. Durus es, fili, qui protervè repugnas miſericordiis meis: tamen ſi velles, ut decet, meditari iter Filii Dei aſcendentis in montem, A ut moreretur pro te; viſcera tua commoverentur, ut aliquando deſineres peccare, & ſequereris me. Magna eſſet fœlicitas tua, ſi deſideria carnis, quibus vacas, mutarentur in deſideria ferendi mecum vitale lignum Crucis uſque ad montem viſionis, ubi viſa ſunt mirabilia valde prodigia Dei. Beati, qui portant jugum meum effecti ſocii paſſionum mearum, nam fient conſortes reſurrectionis meæ. Beati, qui non horrent, ſed amant iter montis illius, ubi Dei Filius cum iniquis reputatus eſt, quia ex ignominia illa elevabuntur ad gloriam. Non te frangat, fili, imago triſtis Salvatoris tui portantis lignum, non cadas animo conſiderans crura trementia, & conſumptam vitam meam; hæc enim eſt via ligni vitæ, B quam non invenerunt ſapientes, & prudentes mercatores terræ, ſed illi pauci electi mei, qui contempſerunt leges Medorum, atque Perſarum, & magnificentiam regis Babylonis, ut acquirerent vera ſolatia, & veras divitias terræ viventium. Hi ſunt, qui orantes in abſcondito multis deſideriis, & ſuſpiriis comitantur & lamentantur me; & videntur ſibi audire ſtrepitum, & clamores militum feſtinantium ad mortem meam. Tu verò, fili, ſequeris conſilia eorum, qui relicto me fugerunt, & quod pejus eſt, non fugis ſolo metu, ſed odio paſſionis, & mortis illius, qua mundus vivit, & ſine qua omnes homines morerentur. Propter quod hortor te, revertaris ad viam, de qua erraſti ſicut ovis, quæ miſerabiliter periit, ne fortè incidas in fauces lupi illius, qui C ſemper inſidiatur gregi meo. Reſipiſce jam ab errore tuo, fili, conſiderans me ducem viæ, quæ ducit ad vitam: & ſurge fortiter à ſomno, in quo jaces: grandis enim tibi reſtat via. Vide mitem Dei Filium circumdatum à canibus cupientibus abſorbere ſanguinem ejus, & aſcendentem ad locum ſacrificii veſpertini, quo Altiſſimus Pater ejus placatus eſt. Fuge diſcordias hominum diſcrepantium a rectiſſima voluntate Dei, & aſcende ad viſionem pacis, in locum, ubi apparuit arcus fœderis poſitus inter cælum & terram. Quid ergo moraris fili? Quid times aſcenſum, habens me comitem peregrinationis tuæ, & fideliſſimum adjutorem, ſi fortè deficiat virtus tua? Aſcendamus ſimul, & commoriamur in monte ſancto, quem amantiſſimè reſpicit clementiſſimus Pater, D meus. Sacrificemus holocauſta medullata plena dulciſſimæ dilectionis, ut mors perdat amaritudinem, & rigorem ſuum. Hæc meditare, fili, & eſto fidelis, ut fias particeps redemptionis meæ; & liberatus duriſſima ſervitute peccati, quo gravaris, reſpires ad privilegia filiorum Dei, quorum nomina vivent in ſæculum ſæculi. Dirumpe vincula tuorum delictorum, quæ non ſinunt te aſcendere mecum in montem Calvariæ, ut fruaris ſuaviſſimo fructu ſanguinis, quem fudi pro ſalute tua. Tempus nimis breve eſt, & tranſeunt dies multi ſine fructu, immo cum gravi detrimento tuo, quamdiu E tardas converti ad pretioſiſſimam amicitiam meam. Curre ergo velociter, & intima pœnitentia cordis contriti compenſa damnum præteritorum annorum, ut bene tibi ſit in noviſſimo die. Si ſequutus fueris me portantem pondus peccatorum tuorum ego recipiam te in numerum fidelium amicorum, qui permanſerunt mecum in tentationibus meis; quibus datum eſt, ut poſt laborem viæ epulentur mecum in ampliſſimo regno meo.

CAPUT XXXVI.

De conſideratione crucifixionis Chriſti.

Lectus a peccatoribus Chriſto paratus.

Peccator durior lapidibus.

POſtquam crudeles inimici mei cupientes F eradere me de terra viventium, pervenerunt ad montem, ubi Agnus Dei ſacrificandus erat, pro ſalute quoque illorum, qui eum in ligno confixerunt, dici non poteſt, quam dire cruciaverint me, ſi fortè furor adverſus me excitatus requieſceret. Oporteret, fili, te purgatos oculos cordis habere, ut conſiderares, quæ in monte illo facta ſunt. Ego quaſi agnus, qui portatur ad victimam, tacitus & manſuetus tradidi me ipſum in manus carnificum, ut in lecto illo, quem mihi peccando paraſti, reclinaret corpus meum, non ad ſomnum capiendum, qui fugiebat præ anguſtia matris ab oculis meis, ſed ad acerbiſſimos dolores, qui pertranſierunt animam meam. Non pepercerunt proſtrato, ſed violentis manibus torſerunt carnem, & oſſa mea, ut præparatæ, G Cruci tremendo ſupplicio aptarent corpus, quod Spiritus Sanctus formaverat ad operandam redemptionem tuam. Ibi contumeliæ & dolores mortis, quaſi fluctus maris, ceciderunt ſuper me, dum feroces miniſtri ſine ſenſu miſericordiæ clavis confixerunt manus, quæ paulò ante miracula fecerant, & pedes, qui per viam redemptionis ambulaverant: & terribilibus oculis aſpexerunt me. Penetravit horror, & tremor mortis medullas meas, & tormenta innumerabila, qualia nemo hominum pertulit, illata ſunt nervis, & oſſibus meis. Ego verò retrorſum non abii, ſed corpus meum dedi percutientibus, & recubui in lecto illo, quem paraverunt peccatores, ut tu copioſè redemptus ſineres me reclinari in thalamo cordis tui. Verum ex hoc apparet, te duriorem eſſe lapidibus, quod cum ſcias veritatem hanc, quæ jam toti mundo H manifeſtata eſt, non magis moveris ad compunctionem, quam ſi mendacia eſſent, quæ dirigente Spiritu Sancto ſcripſerunt Evangeliſtæ mei. Quid eſt hoc, fili prodige, qui abiiſti in regionem longinquam longiſſimè à gratia, & amicitia mea? Nunquid reſiſtere potes fortitudini veritatis meæ? Quomodo

Scriptus An. 1599.

dum credis myſterium crucis, è qua pependit filius Dei, curris tam velociter per latam viam, quæ ducit ad interitum? Leva oculos cordis tui, & intuere quomodo exaltatur Filius hominis à terra, ut fortiſſimis catenis amoris, & gratitudinis omnia trahat A ad ſeipſum. Aſpice corpus illud pro te in altum elevatum, cujus aſpectu perturbantur inſenſibiles etiam creaturæ, & fac, ne ſis durior petris, quæ ſcinduntur, ac ſi reprehenderent inſenſibile cor tuum. Miteſce jam peccator fili Adæ, dum rumpuntur fontes abyſſi magnæ, & fluit ſanguis meus, quaſi aqua magni maris. Recordare quid tunc acciderit, ſtupente mundo, & ferre non valente mortem Creatoris ſui, ut movearis ad ſenſum compunctionis, & ad abluenda peccata tua in tanta copia pretioſiſſimi ſanguinis Filii Dei. Sol obſcuratus eſt, monumenta aperta ſunt, & velum templi ſciſſum eſt ad ſpectaculum illud: tu ſolus, fili, videris nolle moveri, neque conſiderare quomodò moritur juſtus. Ceſſet ergo ſingularis duritia & ſtultitia hæc, qua pejor videris, quam multi, qui cum eſſent increduli, ſenſerunt in B morte mea virtutem Dei, neque defuit qui diceret: Verè hic homo juſtus erat. Tu autem qui credis me non ſolum juſtum, ſed juſtificatorem hominum eſſe, & mori pro injuſtis, deberes commoveri ad deteſtandam injuſtitiam, qua crucifigis me, & reddendam mihi confeſſionem laudis, quæ debetur innocentiæ Filii Dei. Et quidem quamvis omnia alia myſteria paſſionis meæ non emollirent lapideum cor tuum, hoc tamen ultimum prodigium Salvatoris tui pendentis inter latrones, & inter dolores mortis audientis inſultationes amariſſimas, deberet convertere te, & mutare è graviſſimo peccatore in virum caſtum, & ſanctum, ut ſatisfaceres amori meo. Res enim hæc talis eſt, qualem mundus nunquam C vidit, aut ſenſit, & abominabile peccatum eſt, nolle eam Chriſtiano ſenſu cogitare. Quis enim audivit talia, qualia Dei Filius in hora ſuprema pro te paſſus eſt? Quis unquam præter me crucifixus fuit modo tam horribili, & circumdatus eſt à tot inimicis, qui inſultarent morienti, agitantes caput contra illum, ut implerent felle animam ejus? An non vides, fili, hæc prodigia, quæ viſa ſunt in monte holocauſti mei, ubi defuit mihi miſericordia hominum, & Pater quoque meus propter ſcelus populi ſui percuſſit me? Conſidera me non habuiſſe adjutorium hominum, & caruiſſe omni ſolatio, ut per me conſequereris miſericordiam magnam deletis iniquitatibus tuis, & projectis in profundum maris: & convertere ad me, quem invenies, expanſis brachiis, expectantem reconciliationem tuam. Quod ſi neque tormenta D mea movent animam tuam protervè repugnantem infinitæ bonitati meæ; movearis ſaltem dulciſſimis verbis, quibus oravi pro crucifigentibus me, ut bene uterentur ſanguine, quem fundebant. Moveat te manſuetudo mea, quæ domuit orbem non ferro, ſed ligno, & affer morienti, atque ſitienti non vinum felle mixtum, ſed poculum lachrymarum currentium præ magnitudine compunctionis, quæ naſcitur ex conſideratione morientis amici tui. Feſtina, fili, & adhæreat imago mortis meæ viſceribus tuis: ut intima converſione mihi crucifixo configuratus E ſperes beatiſſimum conſortium reſurrectionis meæ.

Monſtra in crucifixione Chriſti.

Chriſtus percuſſus a Patre.

CAPUT XXXVII.

De conſideratione Reſurrectionis Chriſti.

PEccata tua, fili, diviſerunt inter te, & me, qui ſum auctor pacis, & nunquam deſero amicos meos, niſi ipſi malo conſilio derelinquant me. Facta ergo diviſione hac, horres valde conſortium Crucis, & Paſſionis meæ, quia ſenſus tui, quaſi parvuli ratione uti neſcientes, ducti ſunt in captivitatem ante faciem tribulantis: & idcircò quaſi captivi tenentur in compedibus occaſionum, & delitiarum mundi, duramque timent diſciplinam. Et hæc eſt ratio, propter quam perſeveras in ſtatu damnationis timens converti F ad participationem dolorum meorum. Si ergo tam durum tibi videtur ſequi me patientem, & abluentem ſanguine meo delicta tua, cogita ſaltem ſtatum reſurrectionis, & immortalitatis meæ, quæ omnes labores extenuat, & corroborat animam ad currendam viam vitæ. Momentaneum, & leve tibi videbitur, quicquid patieris in brevi curſu præſentis vitæ, ſi cum æterno gloriæ pondere comparetur. Conſidera me primogenitum mortuorum cum triumpho mortis, & inferni reſurgentem, & vide corpus illud quod paulò ante toleraverat acerbiſſimos dolores, glorificatum, & decoratum ſuaviſſima pulchritudine, & puriſſimo ſplendore, cujus comparatione omnis decor corporum mortalium eſt deformitas quædam abominabilis. G Si daretur tibi, fili, in tranſitu ſemel intueri candorem illum, & dulciſſimam gratiam corporis pro te antea crucifixi, traheperis efficaciſſimè ad me, ſaltem propter immenſam conſolationem, quam perciperes ex aſpectu meo. Tanta eſt enim gratia, & amabilitas cujuſlibet corporis reſurgentis ad imaginem meam, ut ſit inæſtimabilis conſolatio, & delectatio illud ſemel aſpicere. Cum ergo ſtatus reſurrectionis meæ plenus infinito decore, & ineffabili ſuavitate ſit communis omnibus, qui me imitantur, & fœlici morte mecum requieſcunt, æquum erit, fili, ut ſaltem quærens quæ tua ſunt, ſervias mihi, & toto corde convertaris ad me, qui poſſum corpus tuum corruptibile, quod vehementer amas, glorificare, & immenſis ac innumerabilibus delectationibus implere. Conſidera H rem hanc mirabilem, & ſupra omnes mundi theſauros deſiderabilem, & aſpiciens retributionem futuram rumpe vincula peccatorum, quibus ligatus es; & labora cum illis, qui ſeminant in lachrymis, ut in exultatione metant. Pretioſior enim eſt firma ſpes mecum reſurgendi ad campos æterno vi-

Auctor pacis.

Chriſtus mortuorum primogenitus dictus.

Scriptus An. 1599.

Jeruſalem amabilior honoribus mundi.

Bona animæ mundanis maiora.

Corpus animae gravamen.

rore ridentes, ubi guſtantur ſolatia Dei, quam totius mundi voluptas, etiamſi per annos innumerabiles duraret. Amabilior eſt civitas Jeruſalem, quæ ſurſum eſt, affluens delitiis Dei, & innixa ſuper dilectum ſuum, quam totius mundi honores & principatus, quos ambitio humana requirit. Dic mihi, fili Adæ, nunquid extingues lucem fidei meæ, qua A illuminavi animam tuam? Nunquid non credis, magnam eſſe domum Domini, & ingentem locum poſſeſſionis ejus? Certè tu credis minima non ſolum animæ, ſed etiam unius glorificati corporis bona majora eſſe, quam omnia regna, & imperia hominum cum omnibus honoribus, opibus, & voluptatibus ſuis. Quomodo ergo tam infideliter vivis, quaſi deſperaveris pervenire ad inæſtimabilem requiem meam? Nonne ſanius conſilium eſſet, projectis idolis peccatorum, quæ adoras, totis viſceribus converti ad me Deum, Redemptorem, & Adjutorem tuum, & pugnare contra reges Ammorrhæos, ut de terra Ægypti aſcenderes ad terram excelſam promiſſionis meæ, lacte & melle manantem? Vide, fili, quid agas: erras enim nimis graviter malè eligens brevia ſolatia mundi, & B anteponens vitam pauperem ſempiternæ vitæ meæ. Aperi oculos cordis, quos clauſiſti, ne videres formoſiſſimam lucem meam, quæ corda caſta delectat: & recordare terræ viventium, cujus campi repleti ſunt ubertate. Certè non eſt contemnenda tanta pulchritudo, ut non meritò pro illa pugnare debeas. Cogita quid ſenties, ſi ſervieris mihi remuneratori tuo, quando victa morte reſurges, & in hoc ipſo corpore, quod gravat, & affligit animam tuam, percipies talem mercedem, qualem oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis aſcendit. Quando ſcilicet configuratus mihi Regi tuo ſplendebis ſicut Sol, & dulciſſima gratia decoraberis inter filios Sion inclytos, & amictos auro primo. Quid ergo tardas reverti C ad me? Quid times fili? Averte jam oculos tuos, ne videant vaniſſimam mundi tranſeuntis vanitatem, & eleva illos ad regionem vivorum: ut ſpe tantæ amœnitatis Paradiſi mei, movearis ad quærendam pacem, & amicitiam meam. Curre velociter, & aſcende & collige ſuaviſſimos fructus ejus.

Jeſus Chriſtus Rex Pacificus ſupernæ Jeruſalem, homini peccatori ſalutem.

D

CAPUT XXXVIII.

Epiſtola hæc nihil aliud eſt, quam exhortatio peccatoris ad agendam pœnitentiam.

Inſpirationes a Deo.

Poenitentiae repoſita merces.

1. CONſiderans averſionem tuam, fili chariſſime, pro quo advena fui in terra aliena, quam dedi filiis hominum, qui dereliquerunt me, & cupiens reducere te de via Aſſyriorum, ubi bibis aquam turbidam, ad viam dulciſſimæ Jeruſalem, ut potem te aqua pura Jordanis, & afferam tibi in æſtu mundi cœleſte refrigerium, mitto tibi multiplices inſpirationes, quas ſcribo in tabula cordis tui digito ſuaviſſimi ſpiritus mei. Tu E enim ſcis, teſtimonium perhibente tibi conſcientia tua, quam ſæpe pulſem oſtium domus tuæ; & illuminem te errantem in tenebris, & umbra mortis: ut motus magnitudine bonitatis, & miſericordiæ meæ, evigiles de ſomno profundiſſimo peccati, in quo jaces, & convertaris ad agendam pœnitentiam, & requirendam pretioſiſſimam amicitiam meam. Non ceſſavi diebus multis monere, & ſecretis inſtructionibus erudire te, ut conſiderares horrendum periculum, in quo vivis tranſiturus de hac vita ad flammam, niſi ſolvas vincula colli tui, & revertaris ad libertatem filiorum Dei, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ. Tempus breve eſt: & ego veniam citò poſiturus tecum rationem, ut recipias mercedem, ſi pœnitentiam egeris, vel tradaris tortoribus, ſi repuguaveris ſaluberrimis conſiliis F meis. Suadeo ergo tibi, fili, dum tempus eſt, operari bonum, & copioſis lachrymis abſtergere maculas animæ tuæ: ut appareas in conſpectu meo candidus quaſi greges ovium tonſarum, quæ aſcenderunt de lavacro, & ſterilis non eſt in eis.

Gravitas culpae ex quo menſuranda.

2. Ut verò benedictiones Patris mei deſcendant ſuper te, quaſi ſuper verticem Joſeph, & aſpergaris rore cœli, & in pinguedine terræ viventium ſit portio tua; conſidera, fili dulciſſime, qui receſſiſti à me, quis ſim ego, ut cognoſcas magnitudinem peccati, & quaſi fel draconum exhorreas illud. Ego ſum ipſamet altitudo, & majeſtas infinita, cui genua flectunt omnes creaturæ, & ad cujus aſpectum Seraphim velant facies ſuas. Ex quo ponderare poteris magnitudinem offenſæ, quæ creſcit ad proportionem meam. G Si enim offenſio Principum terræ tanta reputatur, ut noſti, eo quod Principes ſint, quid tibi videtur ſentiendum de ſublimiſſima majeſtate mea? Certè quamvis cæcus ſis, quia repuliſti lumen cœli, negare tamen non potes grande malum, quod commiſiſti, quando dereliquiſti me; præſertim cum ſine æſtimatione magnitudinis meæ peccaveris factus abominabilis & inutilis homo, & bibens quaſi aquam iniquitatem. Propter quod animadvertens errorem tuum, fili mi, deberes proſternere te ante thronum gratiæ meæ, & profundiſſimis gemitibus quærere mitiſſimam faciem meam, ut libereris à grandi malo inimicitiæ Regis, H qui magnificatus eſt ſuper omnes reges univerſæ terræ.

Unde poenitentia?

3. Et quidem contemplatio divinæ majeſtatis, quam offendiſti, chariſſime fili, deberet reſolvere glaciem cordis tui, ut fleres, & pœnitentiam ageres delictorum tuorum, quibus provocaſti me, quamvis nullis be-

Scriptus An. 1599.

Euchariſtiae Sacramentum.

beneficiis te affeciſſem. Intolerabilis enim deformitas eſt diſplicere infinitæ bonitati, & ſapientiæ meæ, licet nihil boni cum creaturis communicarem. Jam vero, cum beneficia mea, quibus ornavi te, ſint adeo magna & innumerabilia, immensè creſcit turpitudo tua, fili, dum reſiſtis miſericordiis meis. Feræ crudeles manſueſcunt A beneficiis, ut paſſim vides exemplis urſorum & leonum, qui quaſi canes domeſtici ſequuntur magiſtros ſuos, & tu induraris contra me, & pro nihilo ducis admirabilia beneficia mea. Ego ſine meritis tuis juſtificavi te, & ſignavi ſigno Chriſtianæ militiæ meæ. Ego præſervavi te ab innumerabilibus malis culpæ, & pœnæ, quæ incurriſſes, niſi ſecretiſſima miſericordia protexiſſem te. Ego eripui te à flamma æterna, in qua nunc arderes non expectans vel unam guttam aquæ, qua refrigeraretur lingua tua, niſi cor meum commotum fuiſſet ſuper infinita calamitate filii mei. Ego pavi te ſuaviſſimo paſtu corporis mei in Euchariſtiæ Sacramento, & potavi te flumine vivo ſanguinis mei, ut fieres conſanguineus meus. Quid ergo B ultra debui facere tibi, fili, & non feci? Quid fecit unquam mater amantiſſima erga unigenitum infantulum ſuum, quod ego non fecerim abundantius erga te, quem dilexi, quamvis tu oderis me? Quod ſi beneficia præterita parva tibi videntur, ego adiiciam majora, ut ſi tu velis, reconcilier tibi amore novo, & deducam te inter juſtos meos per vias rectas ad uberrima paſcua divitiæ meæ.

Parce fruendum bonis huius ſaeculi.

4. O fili Adæ, ſi ſcires quid ego præparaverim electis meis, quibus diſpoſui novum, & æternum teſtamentum meum, quam fortiter doleres vicem tuam, & quæreres reparare ruinas delictorum tuorum! O Iſrael, quam magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis ejus! Omnia mundi regna, omnes divitiæ, & theſauri C Principum, omnes delitiæ filiorum hominum calamitas extrema eſt, ſi cum requie ſempiterna unius electi comparentur. Cum ergo tu, fili chariſſime, prævaricando legem meam, non ſis poſſeſſurus niſi partem aliquam minimam bonorum mundi celeriter tranſeuntis, quomodo non conſideras quanta dementia ſit ſpem æternæ conſolationis amittere? Nonne melius & utilius tibi eſt, ſpe futuri regni lætari, & parcè uti bonis momentaneis hujus ſæculi, quam perverſo conſilio ſolatia præſentia vix guſtare, & perpetua luce carere? Certè ratio hæc implevit clauſtra monachis, & deſerta anachoretis. Hæc eſt viva, & efficax doctrina fortiſſimæ veritatis meæ, quæ (niſi eſſes D durior lapidibus) moveret te ad pœnitentiam profundiſſimis ſuſpiriis, & lachrymis redundantem. Deſine ergo, fili, ſervire peccato, quod tibi clauſit oſtia vitæ, & inclina cor tuum ad faciendas juſtificationes immaculatæ legis meæ propter inæſtimabilem, & ſuper aurum deſiderabilem retributionem meam.

5. Quod ſi retributio infinitæ ſuavitatis plena, & fluminis impetus qui lætificat civitatem Dei non movet duritiam tuam, fili dilectiſſime; conſidera ſaltem magnitudinem & horrorem pœnarum, quas incurris. Etſi enim durior ferro ſis, timebis flammam æternam, cujus reatu tenetur corpus iſtud, quod tu amas, pluſquam animam tuam. E Quomodo enim ferre poteris, fili mi, tormentum ignis, & vermem, quo in perpetuum rodentur viſcera tua. ſi nunc ferre non potes jejunium unius diei, aut incommodum lectum unius noctis? Nunquid adeo cæcus es, ut non videas, ſtultam electionem eſſe, impinguare corpus paucis diebus, ut comburatur ſine fine? Ergo ſaltem terrore tormentorum convertere ad me, & ſalva brevi pœnitentia animam tuam, ne deſcendas in lacum profundum expers fructus redemptionis meæ. Nollem enim exercere gladium juſtitiæ adverſus te chariſſimum filium meum.

6. Si autem futura mala, quæ non vides parum afficiunt te nimis amantem apparentia bona, quæ videntur, conſidera præſentia damna, quæ peccando ſuccedunt, & F diſce quærere & diligere me. Nonne vides dum peccas, te fieri inimicum meum, & conſcientiam tuam inquietam, & turbulentam eſſe, amiſſa pace, & ſerenitate Dei, ſuccedente ſervitute peccati, & deformatione horribili animæ tuæ? Paulò ante erat ſpecioſiſſima, & ſuaviſſima ſponſa mea, cujus gratia, & dulciſſima pulchritudo adhærebat viſceribus meis; & in hora qua commiſit peccatum, facta eſt abominabilis, & horribilis ſupra omnem mundi deformitatem. Propter quod mirum eſt, te, fili mi, nolle conſiderare mutationem hanc, quam qui bene ponderat, fugit peccatum ſicut mortem, & infernum.

7. Sed ſi mutatio hæc non movet durum cor tuum, fili chariſſime, contemplare G mutationem contrariam de peccato ad gratiam, & amicitiam meam, & trahat te tua ſaltem voluptas. Si enim bene conſideres, anima tua, quæ peccavit, quamdiu non convertitur ad me, eſt imago dæmonis, quem imitata eſt, & horrenda turpitudine nigreſcit. Si autem tu velis cooperari gratiæ meæ, ſuſpirio uno renovabitur, & ſuper nivem dealbabitur, fietque pulcherrima & jucundiſſima ſupra omnem corporum gratiam, & amabilitatem, placebitque tenerrimo cordi meo. Veſtietur purpura & byſſo, & ad Regis Pacifici thalamum ineffabili cum decore admittetur.

8. Verum ſi renovatio hæc, quatenus ad delitias meas pertinet, non movet animam tuam; moveat ſaltem intima conſolatio, H quæ de vera pœnitentia cum ſpe vitæ æternæ procedit. Spes enim fundabitur, & exhilarabit te, fili, cum intima penetratione lætitiæ, quam æterna vita ſperata producit. Et in iſta ipſa vita mortali guſtabis, & videbis, quam ſuavis ſim ego per experientiam internorum gaudiorum, quæ ex novitate vitæ naſcuntur. Expertis crede, fili,

pre-

Scriptus An. 1599.

pretioſior eſt conſolatio mea præſens, quam totius mundi lætitia, quicquid dicant filii hujus ſæculi, qui longè receſſerunt à diſciplina Filii Dei. Neque audias conſilia hominum, qui horrent pœnitentiam, quaſi vitæ inimicam: neſciunt enim quid dicant, & judicant quod ignorant. Audi potius me, A fili, & vide, & inclina aurem cordis tui: & inſtillabo tibi dulciſſima verba ſalutis, quam requiro.

9. Neque durum tibi videatur agere pœnitentiam pro ſalute, & vita æterna tua, cum ſis peccator, ſiquidem ego egi pœnitentiam duriſſimam pro te, cum ſim ipſa innocentia, & candor lucis æternæ. Immò ex hoc ipſo, quod ego ſum exemplar oſtenſum tibi in monte Eccleſiæ ſponſæ meæ, debet tibi ſocietas jucundiſſima videri, mecum laborare, & tollere ſuave jugum meum ſuper te. Operemur ſimul, amice chariſſime, & vivamus ſimul ſtrictiſſima unione Spiritus mei. Ego adjuvabo, & conſolabor te, ſicut dilectiſſimum filium meum, & extenuabo laborem pœnitentiæ adjunctis viribus meis; B quas tibi ſecretò ſuggeram, ne deficias in via. Et profectò fœlicior eris adjutorio meo, ſi ſedeas in cilicio, & cinere; quam ſi abſque ſocietate mea imperium totius mundi poſſideres.

Poenitentiae veræ effectus.

10. Non te frangat, fili, aſperitas pœnitentiæ depicta, quam horrent ſenſus tui aſſueti delectationibus humanis. Ego lactabo te in ſecreto cubiculo cordis tui, ut dulceſcant tibi pœnæ, quas ſuſcipies pro abluendis ſordibus peccatorum: & videbis quanta, & quam ineffabilis conſolationis plena ſit vera pœnitentia, & quam turpiter errent filii hujus ſæculi infamantes eam, & male loquentes de infinita bonitate, & miſericordia mea, quaſi ego crudeliter tractem peccatores, qui convertuntur ad me. Recordare filii prodigi poſt innumerabilia peccata redeuntis ad C domum meam, & interroga illum, an paſſus fuerit deſolationem, aut ego loquutus fuerim ei verbum aſperum, quando cœpit ſuſpirare, & pulſare viſcera mea. Ego certè, ſi legiſti mellitos ſermones Evangelii mei, converſabar in terra cum publicanis, & peccatoribus adeò familiariter & miſericorditer, ut propter hoc reprehenderer à mundi ſapientibus & prudentibus: ex quo judicare poteris, quam falſum ſit, me nimis ſeverum eſſe erga eos, qui jam non ſunt publicani, & peccatores, ſed incipiunt ſequi me.

11. Propter hoc, fili, hortor te, ne cadas animo, aut credas intolerabilem eſſe viam vitæ, ad quam ſine pœnitentia redire non potes: ſed crede fideliſſimo Magiſtro, D & Redemptori tuo. Rumpe faſciculos delictorum, quibus gravaris, & quære refrigerium. Incipe bene uti remediis Sacramentorum, quæ ſunt quaſi canales, per quos fluit pretioſiſſimus ſanguis meus. Recede à carnalibus amicis, & quære unicam & dulciſſimam amicitiam meam. Claude oſtium domus tuæ, & gemitibus multis ora Patrem meum, ut reformet & efficiat te ſimilem Unigenito filio ſuo. Quære & invenies, pulſa & aperietur tibi, pete confidenter & accipies. Non enim tam brevis eſt miſericordia mea quam tua, quæ eſt ſicut nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens, qui exorto Sole ſiccatur. Ego ſum fons miſericordiæ inexhauribilis, & E glorificor miſerendo. A ſæculo non eſt auditum, quod contemnerem miſeriam inopum, & & gemitum pauperum quærentium incomparabiles divitias meas.

12. Certiſſimè ergo ſcias, fili, ſi convertaris ad me, te habiturum in me uno omne bonum & omne ſolatium. Ego ero tibi pater & mater, frater, & ſoror, & fideliſſimus amicus, paratus ad inſtruendum, adjuvandum, ſolandum, & defendendum te. Propter quod deberes conſtanter aggredi viam vitæ, non timens prælia inimicorum tuorum, cum ego tecum futurus ſim. Ego enim vici mundum, & fies particeps victoriæ meæ, dummodò velis mecum eſſe, neque unquam recedere à conſpectu meo. Dirumpe ergo F vincula tua, fili chariſſime & ſacrifica mihi ſacrificium laudis, quod ego libenter odorabor in expectata valde reconciliatione tua. Da mihi dexteram amicitiæ, quam requiro, ſiquidem ego prior dilexi te. Deſine vagari poſt veſtigia appetituum tuorum, & intimo ſenſu compunctionis, & amoris quære ubi cubem, & requieſcam in meridie; & para mihi thalamum in centro cordis tui, ubi fiet calor meridianus amoris mei. Convertere ad me, fili dilectiſſime, & ego convertar ad te, ut liberem te de ſervitute duriſſima, & elevem ad ſtatum Filiorum Dei, inter quos frueris formoſiſſima luce mea.

G

SOLILOQUIA.

CAPUT I.

De infœlicitate præſentis vitæ.

Vita præſens, qualis?

NImis infœlix eſt vita præſens filiorum Adæ, quos peccatum expulit cum patre ſuo à paradiſo voluptatis, quem plantavit dulciſſimus Deus, ut ibi homo, ſi vellet, fœliciter viveret! Quid faciam infœlix homo operator terræ, ſpinas & tribulos germinantis? Quò me vertam exul tam procul habitans à chariſſima patria mea? Contemplor præſentem vitam plenam miſeriæ, & tenebrarum, quæ inferno contigua eſſe videtur; & tædet animam meam vitæ meæ tædio quodam penè intolerabili. Ego tranſeo per locum horroris, & vaſtæ ſolitudinis, H ubi non eſt charitatis habitatio: & idcirco timor, & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ. Certè nox eſt vita hæc, in qua non valeo intueri lucem candidiſſimam, quam perdidit inſipiens Adam pater meus. Væ mihi, quem operuit caligo culpæ! Quia cum difficultate, & anxietate

mul-

Scriptus An. 1599.

multa ambulo ad lumen fidei, quæ quaſi lucerna lucet in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & lucifer, qui neſcit occaſum, oriatur in corde meo. O terra ſterilis, & vallis lachrymarum, è qua ſuſpiro ad montem Dei, montem ſcilicet pinguem, cujus pinguedine repleatur anima mea. Utinam, A clementiſſime Deus, adeo diſpliceant mihi vincula culparum & pœnarum, quibus hæc vita nimis ligatur, ut quaſi peregrinus non ſatis fidens habitatoribus terræ, & expoliari timens, tranſeam celeriter per ignem, & aquam in optatiſſimum cæli refrigerium! Non enim expedit mihi multum immorari in terra inimicorum, neque fas eſt, dum aſcendere curo ad excelſam terram æternæ promiſſionis, inire fœdus cum regibus Amorrhæis, qui oderunt regionem vivorum, & inſidiantur ſaluti meæ. Quæ communicatio luci ad tenebras, aut quæ pars mihi inter filios Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra eſt? Quid mihi cum mercatoribus Madianitis, & cum Tyro atque Sidone, ubi pro modico fragmento panis venduntur jura primogenitorum civium ſuaviſſimæ B Jeruſalem, ubi vellem recondere theſauros meos? Nonne ſanius conſilium eſt, fugere commercia negotiatorum, qui deſcendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, & quærere firmam ſtationem littoris, ubi non timentur fluctus maris? Profectò vita hæc continua quædam procella eſt, cujus undæ nunc aſcendunt uſque ad cœlos, nunc deſcendunt uſque ad abyſſos, quibus alternationibus anima mea tabeſcit. Timores, iræ, triſtitiæ, diſcordiæ, ambitiones, cupiditates innumerabiles cum aliis perturbationibus abſque numero quid aliud ſunt, quam mare magnum, & ſpatioſum manibus ubi ſunt reptilia, quorum non eſt numerus? Expedit ergo mihi odiſſe vitam hanc, quæ creat mihi tot pericula horribilia, & quærere vitam meliorem, ubi non ſit pereundi formido. Propter hoc, ô Fili Dei Altiſſimi, C futuram civitatem inquiram, & ſuſpirabo ad ſolidiorem terram, ad manſuetorum nempe & humilium hæreditatem; ut tu ſis tota portio mea, dulciſſime Deus cordis mei,

Vita haec continua procella.

CAPUT II,

De fœlicitate vitæ æternæ,

O Vita vitaliſſima, quæ nunquam deficies, quando requieſcam in te? Quando veniet immutatio mea, ut aſcendam de deſerto delitiis affluens, & introducar in campos æterno virore virentes, & fruar aura ſuaviſſima, quæ perflat amœniſſimos hortos Dei. O lux beatiſſima, quæ exhilaras D civitatem primogenitorum, qui induti ſtolis albis incedunt per plateam ex auro mundo, ſimilem cryſtallo, quando fruar te? O regio vivorum, ubi non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque ullus dolor, quando videbo te? Verè vita iſta, qua vivo inter exules filios Hevæ, mors eſt: non enim adeſt candor ille puriſſimus, libertas illa pretioſiſſima, & dulciſſima ſocietas Jeruſalem, quæ ſurſum eſt: cujus gratia deſiderabilis eſt ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulcior ſuper mel & favum. Ibi purgatis oculis cordis videtur elegantiſſima forma Dei, cujus aſpectu corda caſta dilatantur, & inflammantur æternis ardoribus, qui non extinguentur in ſæcula. Ibi requieſcit cor E infiniti boni cupidiſſimum, & potatur torrente voluptatis Dei, qui regnabit in æternum, & ultra. Væ mihi, qui longè abſum ab optatiſſima requie mea, qua multi ante me fruuntur, qui aſcenderunt ſicut hinnuli cervorum in montem Bethel, ut ſatiarentur ab ubertate domus Dei! Uſquequò carebo hæreditate grandium, qui manducant labores manuum ſuarum, & infinita cum exultatione comedunt pinguia medullata? Utinam dirumperetur velum, quo abſconditur portio mea in terra viventium, & hac ipſa hora, qua ſcribo mœſtitia plenus, vocarer ad cœnam candidiſſimi Agni Dei, cujus paſtu dilatarentur viſcera mea! Verè vita hæc præſens umbra mortis eſt: & expedit mihi ſuſpirare in atria Domini omnibus diebus vitæ meæ. Beatus F vir, cui lachrymæ ſunt panes die ac nocte, dum dicit ei cor ſuum quotidie, ubi eſt Deus tuus? Bene enim eſt, ut præſentis vitæ tædio, & futuræ fœlicitatis deſiderio currant lachrymæ uſque in finem. Veniat, oro te, dulciſſime Deus, finis ille, ad quem creaſti me; ut in amplexu tuo vivam ſine timore culparum, & dolorum, quo ſollicitor, & ſollicitabor, donec in lumine tuo videam formoſiſſimam lucem tuam, & ampliſſimam mercedem meam. O merces magna nimis, pro qua laboraverunt omnia corda nobilia fortiſſimorum militum, qui de bello pacem, quæ ſuperat omnem ſenſum, acceperunt! Quis mihi det conſortium tam inæſtimabilis conſolationis, ut aſcendens de terra deſerta & inaquoſa, mergar in abyſſo voluptatis Dei? Ego laborabo clamans, donec aperiatur mihi via ligni vitæ, quam requirit anima mea. G

CAPUT III.

De periculo amittendi Deum.

O Summum, & amabiliſſimum bonum Deus meus, & invictiſſima fortitudo mea, in quanto periculo verſor perdendi te! Advena ego ſum in terra aliena, per quam ambulo, & multi latrones inſidiantur mihi habenti theſarum in vaſis fictilibus, quem porto ad civitatem Jeruſalem, quæ eſt dulciſſima patria mea. Væ mihi, quia occurrunt mihi occaſiones innumerabiles, quibus H ſollicitor ad relinquendam amicitiam tuam, optatiſſime Deus cordis mei! Labores, tentationes, diſtractiones, & multa incitamenta peccandi vexant me, ut cum difficultate conſervem pretioſiſſimam gratiam tuam, & facilè capiar laqueis delectationum, quas generat mundi figura. Quid ergo faciam, vigilantiſſime cuſtos hominum, cupiens ſic tranſire

Ieruſalem patria noſtra

per

Scriptus An. 1599.

per bona temporalia, ut non amittam æterna? Sed jam in ſchola manſuetorum, & humilium, cum quibus eſt converſatio tua, docuiſti me, ut tollerem ſuave jugum tuum & diſcerem eſſe mitis, & humilis corde ad exemplar incarnati Filii Dei. Hæc eſt eruditio tua, Magiſter, qui habes verba vitæ. Hæc eſt A ſapientia parvulorum, qui cum ſint parvuli in oculis ſuis, creſcunt ad menſuram plenitudinis tuæ, & protegente te eripiuntur, ſicut paſſeres, à laqueo venantium, & cuſtodiuntur quaſi pupilla oculi tui. Interim ergo dum timor perdendi te ſollicitat animam meam, memor ero ſcholæ tuæ, ô Fili Dei Altiſſimi, & vivere curabo ſub umbra alarum tuarum, & dicam: Erue à framea inimici Deus animam meam, & de manu canis unicam vitam meam. Salva me, ô Fortiſſime, de ore leonis, & à cornibus unicornium quærentium perdere ſalutem meam. Et quia in me ipſo ſentio aliam legem repugnantem legi mentis meæ, obſecro te, ô potentiſſime, libera pauperculam creaturam tuam à ſeipſa, ne pereat in periculoſo valde B prælio paſſionum ſuarum, quæ quaſi tigres famelicæ currunt ad illicitas prædas ſuas. Si audieris Domine orationem ſervi tui, in qua proſternitur tibi adorans infinitam Majeſtatem tuam, ſacrificabo tibi ardentia igne tuo viſcera mea, & cantabo in æternum ſuper mel dulciſſimas miſericordias tuas.

Membrorum lex legi mentis inimica.

CAPUT IV.

De æſtimatione gratiæ Dei.

SI linguis hominum loquar & Angelorum, ô Fili Dei vivi, & ſapientia æterni Patris tui, non potero digne æſtimare magnitudinem, altitudinem, & decorem gratiæ tuæ. O Domine, ſi dignaretur infinita bonitas tua erudire me ignorantem, ut cognoſcerem C divitias ejus, & amarem formam illam, quæ eſt participatio formæ Dei! Domine ex iis, quæ docuiſti me, balbutiens dicam, quæ utcumque conferant ad æternam laudem tuam. Quid eſt Domine, quale bonum eſt divina gratia tua, niſi candidiſſima veſtis, & corona dulciſſimæ pulchritudinis, qua ornatur anima juſti ſponſa tua? Eſt ornamentum pretioſiſſimum, quo induitur filia Regis, cujus omnis gloria eſt ab intus, quamvis (ut decet Reginam) ſit circumamicta varietatibus. O quam inæſtimabilis decor, qui ſi videretur, omnia corda lapidea peccatorum emolliret! O quam ineffabilis ſuavitas, qua delectatur cor Altiſſimi Filii Dei! Omnia mundi imperia, omnes divitiæ, omnis hominum D gloria, ſapientia, & fortitudo nihil eſt, ſi cum divina gratia tua comparetur. Ego ſcio Domine, me non poſſe dignè loqui de tam ineffabili bono: & propterea deſidero illuminari à te, ut ſaltem intelligam excellentiſſimam dignitatem ejus, quantum mihi ſatis eſt ad quærendam, & amandam totis viſceribus gratiam tuam. Melius enim mihi eſt amare ſpeciem ejus, quam de illa abundanter, vel eleganter loqui. Qua in re vellem, mitiſſime Redemptor, diſſimilis eſſe hominibus, qui quærunt gratiam regum terræ ſuper aurum, & lapides pretioſos. Certiſſimè enim ſcio, gratiam illam non eſſe multo pretio dignam, cum in Principibus illis non ſit ſalus. Gratia verò tua, Rex pacifice, infiniti pretii eſt, cum in te ſit ſalus, & æterna vita mea, E pro qua quilibet bonus negotiator dabit omnem ſubſtantiam domus ſuæ, & quaſi nihil deſpiciet eam. Revela, Domine, oculos meos, & conſiderabo mirabilia magna, quæ ſunt in lege gratiæ tuæ: & anteponam amabiliſſimam formam ejus omnibus amoribus terræ: vigilaboque & laborabo pro conſortio illius omnibus diebus vitæ meæ. Utinam imprimeretur cordi meo æſtimatio juſta gratiæ tuæ, Domine, ut nihil cogitarem, loquerer, vel operarer, niſi quod requirit dulciſſima lex amoris tui!

Gratia Dei pretii infiniti.

CAPUT V.

De imitatione Chriſti.

F O Candor lucis æternæ, Jeſu Chriſte, Rex & præceptor vitæ meæ, quot magiſtri prurientes auribus diſcurrunt per ſcholas hominum, quærentes docere alios, cum ipſi ignorent te, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quomodo audent dicere aliis juſtioribus ſe: Imitamini nos. Ego certè non ſequar iſtos præceptores, qui perdunt animas ſuas, & alienant à te infœlices imitatores ſuos. In conſilium eorum non veniat anima mea, ne fortè ſurda fiat ad ſecretas voces, & inſpirationes tuas. Tu Domine revelaſti mihi verba Patris tui dicentis: Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi complacui; ipſum audite. Cum ergo auctoritas divina major ſit, quam totius mundi ſapientia, ego me ipſum proſterno ante te legiſlatorem, & exemplar vitæ, & eligo G potius imitari te, quam filios Adæ patris mei. Tu enim feciſti me ad imaginem, & ſimilitudinem tuam: & veritas tua exigit à me, ut fideliſſima imitatione ſequar te ducem viæ, quæ ducit ad vitam. Sed quando incipiet nimis dura voluntas mea ſeriò velle, quod intellectus meus illuminatus fide tua dictat eſſe faciendum? Uſquequo morabor, & differam de die in diem imitari te innocentiſſimum Agnum Dei? Nunquid timenda, & non magis amanda eſt manſuetudo tua, qua redemiſti me? Ego certè confiteor tibi, fortiſſime Victor mundi, in Eccleſia magna tua, expedire mihi imitari humilitatem tuam, qua domuiſti orbem ligno Crucis tuæ. H Ita ſentio teſtimonium perhibente conſcientia mea: & idcirco, precor te, fac ambulem per viam, quam oſtendiſti mihi, quando in terris viſus, & cum hominibus converſatus es. Serva me, Rex Jeruſalem, ab hoſtibus meis & tuis, qui ſub veſte manſuetudinis tuæ ſunt lupi rapaces, & quærunt perdere dilectam animam meam. Profiteor me nolle alium Regem niſi te, qui dulciſſimæ cha-

Scriptus An. 1599.

charitatis legibus regis fideliſſimos ſervos tuos,

CAPUT VI.

De contemptu mundi.

A Beatus vir, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Huic certè mundus crucifixus eſt, & ipſe mundo, quem grandi ſenſu tuo contemnit. Cujus contemptus cauſa eſt, ut exiſtimo, quia juſtitiæ tuæ, Domine, ſunt rectæ & lætificantes corda; (Dei iuſtitia recta.) & præceptum tuum lucidum illuminans oculos. Illumina ergo me, ô lux formoſiſſima, cujus comparatione non lucent aſtra matutina, ut videam mundi vanitatem, & figuram citò tranſeuntem, & contemnam illam. Utinam, ô Veritas fortiſſima, quæ vincis omnia, benè caperem ſenſum tuum, ut deſpicerem mendacia filiorum Adæ, qui à te auditum avertunt! Utinam penetraret cor meum vox dicentis: Omnis caro fœnum, & cecidit flos, quia ventus Domini inſufflavit in eo! Hæc eſt ſapientia ſapientum, B & fortitudo fortium, Domine, ut Chriſtiano ſenſu tuo, & altiſſima fide tua ſpernant viſibilia bona honorum, divitiarum, & delitiarum, propter meliorem, & manentem ſubſtantiam, quæ legitimis certatoribus conſervatur in cœlis. O ſubſtantia domus Dei, quam contemptibilia ſunt patrimonia mortalium comparata cum pretio tuo! Profectò ſapienter fecerunt pauci illi amatores tui, qui noluerunt habere hæreditatem in terra morientium, ut hæreditate poſſiderent te! Et ego deſiderans eſſe è numero paucorum, deſpicio omnia deſiderabilia mundi, ita ut ſi honores, voluptates, & divitiæ affluant, nolim cor apponere. Tranſibo ergo, (Homo peregrinus in terra.) quaſi peregrinus futuram civitatem inquirens, & deſtitutus ſolatio in præſenti ſæculo, feſtinabo ad dulciſſimam patriam meam. Imitabor fortes pugnatores, C qui noluerunt ſuſcipere apparentem mundi redemptionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem, currentes ad refrigerium ſuum. Fac, ô ſapientia Dei Altiſſimi, ut contemptus mundi imprimatur viſceribus meis. Fac, ut abominer fructus terræ, ut aſcendam in palmam, & colligam melle dulciores fructus ejus.

CAPUT VII.

De exemplis contemptorum mundi.

Delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum meditabor: in illis inquam operibus novæ creaturæ tuæ, D quam creaſti in operibus bonis, ut ſequens te mitiſſimum præceptorem ſuum, perſeveranter ambularet in illis. Multa feciſti Domine mirabilia nimis, in quibus lucet altiſſima Sapientia tua: ſed illa videntur dulciora, & amabiliora, quæ operatus es in cordibus ſexaginta fortium Iſrael, qui fuerunt ex fortiſſimis ſervis tuis contemptoribus mundi, quos mors, & infernus timuerunt. (S. Alexius.) Ex hoc numero fuit Alexius fideliſſimus amicus tuus, qui deſpiciens Romanam nobilitatem cum divitiis, & volunptatibus, nova mundum arte deludens, tranſivit per viam vitæ tacitus, & incognitus hominibus, E ſed benè cognitus tibi, qui probas renes, & corda: & ſic inventus eſt mirabililer ſcriptus in libro vitæ tuæ. Ad hunc etiam numerum pertinet (D. Paullinus) Paulinus chariſſimus amicus tuus, qui vendidit ſe, ut redimeret proximum ſuum; ſicut tu, Domine miſericordiſſime, tradidiſti te, ut ſalvum faceres populum acquiſitionis tuæ. Propterea Paulinus, quamvis occultavit ſe, ut calcaret gloriam mundi, revelatus eſt à te, qui ſuperbos humilias, & pauperculos à terra ſuſcitas. Hujus numeri fuit (S. Martinus Epiſcopus Turonenſis.) Martinus Turonenſis, qui totis viſceribus dilexit te, & contra leges mundi ſcidit chlamydem ſuam, ut tegeret te, qui in perſona pauperum mendicare ſoles, quamvis ſis dives ſuper omnes reges univerſæ terræ. Et ideo ſic placuit tibi contemptus mundi in Martino ſervo tuo, ut diceres: F Martinus hac me veſte contexit. In numero iſto, Domine, poſſem numerare multa millia ſervorum tuorum, qui exemplo tuo reliquerunt omnia, & in ſpiritu humilitatis famulati ſunt tibi, nihil curantes quid mundus ſentiret. Propter quod ſenſerunt illi virtutem & miſericordiam tuam magnam, quam ego quoque ſentire vellem. Fiat ergo, manſuetiſſime Domine, miſericordia tua ſuper me ſervum tuum, ut fiam de numero illorum, qui mundum vicerunt, & abſconderunt theſauros ſuos in cœlo, feſtinantes ad ampliſſimam mercedem ſuam. Et ſacrificabo tibi primogenitum amorem in ara cordis mei, quod inflammetur, oro, igne puriſſimi Spiritus tui.

CAPUT VIII.

G

De reformatione hominis.

Inter alia verba vitæ, quæ prædicaſti, Domine, filiis Adæ ignorantibus viam tuam, dixiſti neceſſe eſſe, ut renaſcatur in te, qui de Adam infœliciter natus eſt. Et quidem, Altiſſime Fili Dei, ego dono tuo regeneratus fui aquis tuis, quæ in baptiſmo abluerunt originalem culpam meam. Sed poſt grandem miſericordiam tuam infixus ſum in interitu peccati, quod feci, & pro nihilo perdidi divitias tuas. Ex quo facies animæ meæ, quæ erat nive candidior, denigrata eſt ſuper carbones deſolatorios, & ſenſus mei ſine fræno juſtitiæ tuæ militant contra me. O clementiſſime Redemptor, quomodo deformata eſt H anima mea, quam formaſti ad imaginem tuam? A planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt in me ſanitas, & vulnera mea multiplicata ſunt ſuper capillos capitis mei. Propter quod, cum in te ſolo ſit ſalus mea, oro te mitiſſime, ut reformes hanc fragiliſſimam creaturam, & configures illam perfectiſ-

Scriptus An. 1599. ctiſſimæ & amabiliſſimæ formæ tuæ. Adorna, Rex Sion, thalamum animæ meæ ſponſæ tuæ, ut nihil admittat, quod non ſit honeſtum & decorum, ut placeat cordi tuo. Refice Rex Salomon ferculum tuum; fac columnas argenteas virtutum, & reclinatorium aureum charitatis, ut requieſcat ibi Majeſtas tua. Quod ſi hæc ſtructura eget aſcenſu purpureo, bonum mihi eſſet, ſanguine A fuſo, tantas divitias comparare. Utinam totus in te muter, ô Unigenite Fili Dei, ut non ſolum reformetur corpus humilitatis meæ configuratum corpori claritatis tuæ in regeneratione, cum veneris judicare terram; ſed nunc, antequam veniat dies magna & amara valdè, cor meum reformetur ad exemplar cordis tui. O exemplar! quis mihi det Columba felle caret. ut quaſi columba, felle carens, volem ad te, & habitem in foraminibus petræ, & in ſolitaria caverna maceriæ? Ibi contemplabor exemplar meum, & ablata vetuſtate veteris Adam, accipiam novam & pulcherrimam formam tuam, qua ego, qui mortuus fui, fiam in animam viventem de puriſſimo & vitaliſſimo ſpiritu tuo.

B

CAPUT IX.

De reformatione ſenſuum exteriorum.

EXterni ſenſus mei, ô divina libertas mea, abducti ſunt in captivitatem & multipliciter erraverunt ex utero matris ſuæ. O Domine benigniſſime, quomodo facti ſunt in Mors intrat per feneſtras. deſolationem! Intravit mors per feneſtras, & per portas, quæ ſine cuſtodia patent, ingreſſæ ſunt gentes in ſanctuarium tuum, de quibus præceperas, ne intrarent in Eccleſiam tuam. Verè ſenſus mei, quaſi equi ſine fræno cucurrerunt ad ſolatia ſua. Nunc verò, ô cuſtos Iſrael, & fideliſſima tutela mea claude portas hujus creaturæ, quam feciſti tibi, ſicut clauſiſti oſtium arcæ Noe in diluvio C aquarum multarum, ut ſalvaretur ſemen electum in ea. Certè ego novi per experientiam, me indigere cuſtodia tua, ô amantiſſime Fili Dei, qui omnia ſcis & potes & ſervas amicos tuos in abſcondito faciei tuæ. Vigilabo ego ſuper gregem meum, non quaſi ego poſſim præſervare à corruptione ſenſus aſſuetos delitiis ſuis, ſed confidens in te cuſtode meo, qui potes ſubitò honeſtare pauperem & delere omnes abominationes ejus. Quis enim poteſt facere mundum hominem de immundo conceptum ſemine, niſi tu, qui ſolus es? Tu es, Domine, juſtificatio, redemptio, & puritas mea, quæ, obſecro, adhæreat viſceribus meis, ut ſenſus mei fræno timoris tui retrahantur ab exceſſibus, quibus D maculaverunt animam meam, quæ debuiſſet eſſe immaculata ſponſa tua. Satis inquinata eſt Domine: ſed nunc abluatur aqua Iordanis vivi fluminis tui, ut reſtituatur caro ejus, ſicut caro pueri parvuli exiſtentis in innocentia ſua. O innocentia quam pretioſa es! Non adæquabitur tibi topazius de Æthiopia, nec tecum tinctura mundiſſima componetur. Sed jam qui perdidit te, innocens eſſe non poteſt. Ieſus Chriſtus fons innocentiæ. Tu vero Innocentiæ fons Jeſu Chriſte, Fili Dei Altiſſimi, potes hominem peccatorem ſuper nivem dealbare, & ita conformare tibi, ut peccatorum ſordes accepta ab illis occaſione juſtitiæ, ei cooperentur in bonum, ſicut frequenter facis in iis, qui ſecundum propoſitum dulciſſimæ gratiæ tuæ vocati ſunt Sancti. Utinam & ſors hæc mihi E contingat, ut eductus de lacu miſeriæ & de luto fæcis, laver & munder ad formam puritatis tuæ; ut fiam dignus conſortio electorum tuorum, & fruar ſuaviſſima præſentia tua.

CAPUT X.

De mortificatione Paſſionum.

INfoelix nimis homo ſum portans corpus, quod corrumpitur & aggravat animam. Corpus animae gravamen. Væ mihi! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Patior bella innumerabilia, quibus pars inferior oppugnat portionem ſuperiorem meam, deſtinatam cognitioni, & amori Altiſſimi Dei mei. F Aſcendo ad terram promiſſionis, ubi eſt requies & hæreditas mea, & paſſiones indomitæ, quaſi beſtiæ fame incitatæ, importunis præliis vexant me. Hæc eſt ſervitus filiorum Adæ, ut in ſe ipſis ferant domeſticos inimicos ſuos, qui rebellaverunt contra te, Rex Pacifice, qui facis utraque unum. Tua eſt, fortiſſime Domine, victoria tam crudelium inimicorum, à quibus nemo liberatus eſt, niſi per potentiſſimam gratiam tuam. Beati pugnatores illi, quibus eſt auxilium abs te! aſcenſiones enim in ſuo corde diſponunt, facientes quaſi gradus ſcalæ, quæ pertingit ad cœlum, de mortificatis paſſionibus, quas calcant, aſcendentes ſuper ipſas, ſicut tu Domine victor mortis, aſcediſti ſuper occaſum. Homo claudus dictus. Ego verò vir claudus ex utero matris meæ, non valeo G proſternere hoſtes meos, qui naſcuntur ex me, niſi robores fragiliſſimam creaturam armis fidei, & inſuperabilis charitatis tuæ. O charitas omnipotens! O armatura Filii Dei, cui flectitur omne genu! Certè expedit mihi, ô divina virtus & fortitudo mea, armari te, ut non timeam à timore nocturno paſſionum excæcantis oculos mentis meæ; ne videat puriſſimam lucem veritatis, quæ ſyncera corda confirmat. Ego clamabo vim patiens, & implorabo Deum adiutorem meum: ſi fortè imperet ventis & mari, fiatque tranquillitas magna, & pax optatiſſima filiorum ejus. Si ortus mihi fuerit Sol de cœlo, ſicut deſiderat anima mea, omnes beſtiæ, quæ exierant ad prædam, congregabuntur, & collocabuntur H in cubilibus ſuis. Et ego, dulciſſime Deus, cantabo mane miſericordiam tuam, & celebrabo tota die invictiſſimam veritatem tuam. Scio enim Domine, quia pax hæc, quæ de paſſionum victoria procedit, eſt fomentum amoris tui, quo ardent corda quærentium te, & requirentium formoſiſſimam faciem tuam. Et propterea non ſa-

Scriptus An. 1599.

tiantur hymnis, & canticis miſericordiarum tuarum, quarum non eſt numerus: & cupiunt multiplicare laudes operum mirabilium tuorum ſuper numerum arenæ maris. Hæc ſit pars mea, precor te, Deus meus & miſericordia mea; ut de victoria iſta, quam poſtulo, cantem vocibus, & ignitis affecti- A bus in generationem, opus novum fortiſſimæ dexteræ tuæ.

CAPUT XI.

De reformatione imaginationis.

MUlta mala patior, Clementiſſime Domine, ab inconſtantia imaginationis meæ, quæ diſcurrit per innumerabilia loca, & format innumerabiles imagines, quas ego nollem. Quid faciam diſſipatus & diviſus à te, cujus imaginem formare non valeo? Juſta punitio eſt hæc, Domine, ut qui dereliquit te propter figuram mundi, patiatur mille tormenta imaginationum importunarum, neque poſſit figere in formoſa valde humanitate tua oculos cordis, quod B commiſit adulterium. Ego verò ſemper ſperabo: quia licet omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me longo tempore tranſierunt: tu tamen mitis & ſuavis es, & poſt tempeſtatem magni maris, afferes tranquillitatem ſervo tuo. O tranquillitas diu deſiderata, & multis laboribus quæſita, quando venies, ut procella mea mutetur in auram, & ſileant tumentes fluctus ejus. Certè ſerenitas hæc pretioſa eſt valde, quam reges multi cupierunt. Utinam recederent jam à creatura tua, ô fili Dei vivi, omnia ſpectacula deformia, & imprimeretur ei ſola forma tua ſtabilis & conſtans, & à nullis importunis imaginibus impedita! Ego cantarem tibi canticum redemptionis novæ totis viribus & viſceribus, ſicut cantare ſolent, qui C navigant mare turbatum, quando erepti à periculo vitæ deducuntur in portum voluntatis eorum. Recordor, potentiſſime Domine, quando increpuiſti mare rubrum, & exſiccatum eſt, & deduxiſti populum tuum per medium abyſſi, ſicut per deſertum: atque ita ſpero in dulciſſima bonitate tua, quod congregabis ſicut in utre aquas maris, & pones in theſauris abyſſos. Et ego confitebor tibi in vaſis cantici, & pſallam tibi in cithara animæ meæ à te ordinatæ atque compoſitæ, paratus non tacere laudes tuas, & miſericordias antiquas tuas in æternum.

CAPUT XII.

De reformatione intellectus.

D O Veritas & ſapientia Dei mei, cujus paſtu ſolo poteſt ſaturari cupidiſſimus ſciendi intellectus meus, quale tormentum eſt hoc, quo crucior, diſcurrens per diverſas doctrinas, & artes hominum, & non valens requiem invenire! Si numerem multitudinem ſtellarum & arenam, quæ jacet in littore maris, & cognoſcam innumerabiles proprietates creaturarum, non ſatiabor, quia cupio omnia ſcire. Atque ita labor inquietus eſt ante me, qui non ceſſabit, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam omnia, quæ deſidero in noviſſimo ſpectaculo tuo. O ſpectaculum formoſiſſimum æternæ veritatis & bonitatis Dei. E Profectò bene eſt, nihil velle ſcire niſi te, Jeſu Chriſte crucifixe, ut ſublata curioſitate ſciendi multa parum neceſſaria, amem te fortius, & velato intellectu velo fidei tuæ, curram ad montem viſionis, ubi videtur ſereniſſima facies tua. Conſilium hoc placet mihi Domine, quia ſanum & ſanctum & ſuave eſt, velle ſcire & noſſe te, qui es omnis ſapientia, ſalus, & conſolatio mea. Propter quod ego delibero non vagari amplius per Academias filiorum hominum, in quibus etſi multi proficiant, multi tamen fatigantur inquiſitione veritatis, quam non inveniunt. Vacabo ergo tibi veritas Dei, & conſiderabo mirabilia opera tua, neque putabo me aliquid ſcire inter homines, niſi te in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ Dei. F Atque utinam ignorem omnia alia præter te Domine, ut reformetur intellectus meus contemplatione ſolius bonitatis & veritatis tuæ, qua chori Angelorum paſcuntur, & ineffabilibus conſolationibus exultant. Melius eſt enim mihi, non ſolum in futuro, ſed etiam in hoc ſæculo ſcire te ſolum, quam cognoſcere omnia alia extra te. Aperi ergo mihi Domine ſenſum, ut intelligam te, quemadmodum ſolent te cognoſcere chariſſimi amici tui; ut illuminer ſplendoribus Sanctorum viatorum, interim dum ponis tenebras latibulum tuum. Et memorabor juſtitiæ tuæ ſolius, offerens tibi hoſtiam laudis & jubilationis pro univerſis mirabilibus operum tuorum, ſuper quæ omnia aſcendit copioſiſſima miſericordia tua.

Sanum conſilium, quale?

G CAPUT XIII.

De reformatione voluntatis.

SCio Domine, quid primum requirat à me bonitas tua in principio legis tuæ immaculatæ & convertentis animas. Jubes enim ô ſuaviſſime legiſlator, ut diligam te ex toto corde meo, ex omnibus viribus meis, & ex tota fortitudine mea. Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum. Si enim tu es prima & infinita bonitas & pulchritudo, juſtum eſt, ut reddam tibi primogenitum affectum cordis mei. Sed væ mihi; quia ſollicitor valdè innumerabilibus amoribus, qui dilacerant animam meam. Omnia deſiderabilia filiorum Adæ patris mei militant contra me, & paulo minus furantur improvidum cor meum! H Si expellam amorem unum propter te Domine, neſciens per quam portam introierit, invenio intra me amorem alium fortiorem illo: & multiplicatur pugna, & ſollicitudo mea, ſicut guttæ pluviæ cadentis in terram. Hæc eſt ſervitus mea nimis dura, qua crucior uſque in finem: ne-

Dei judicium rectum

que

Scriptus An. 1599.

que ſuppetit remedium niſi in te ſolo, Deus cordis mei, qui potes convertere ad ſolum decorem tuum lacerata viſcera mea ſuſpirantia tibi. Quis mihi det, ut nihil velim niſi te ſalus & libertas mea, ut dirumpantur vincula colli portantis multa juga non hominum, ſed jumentorum? Si digneris, A Domine, reſpicere hanc creaturam tuam poſitam in tormentis, & trahere me poſt te, ut curram ſaltem in odorem unguentorum tuorum, cum adoleſcentulis, quæ dilexerunt te; ego ſacrificabo tibi viſcera mea, & ſurgent quaſi virgula fumi ignita ſuſpiria ex altari cordis mei. O fortiſſime & potentiſſime, vince me charitate tua, & reforma voluntatem iſtam vagantem per creaturas, ut feratur pondere dilectionis ad ſpecioſiſſimam faciem tuam. Si audieris votum meum fideliſſime Domine, ero ſervus tuus emptitius & ſignatus ſigno libertatis tuæ: & non admittet ultra voluntas mea extraneos amores, quibus divertatur ab unico refrigerio ſuo. Faciamus pactum mutuæ dilectionis, ô Rex pacifice, quæ permaneat in æternum, B ita ut per pluviam voluntariam, quam ſegregaſti hæreditati tuæ, fœcundetur anima mea, quæ patet, ſicut terra ſine aqua tibi. Reſpice, obſecro, votum meum, ſicut reſpexiſti munus Abel ſervi tui, & mitte ignem de cœlo in viſcera mea; quæ fiant ſicut lampades ignis, atque flammarum, ita ut aquæ multæ non poſſint extinguere charitatem, nec flumina obruant illam. Hæc ſit pars mea, & præda mea, oro te, Fili Dei ut reformatus ad exemplar amoris tui, totus inflammer æterno, ac dulciſſimo incendio tuo.

Munus Abel notatum.

CAPUT XIV.

De ſtudio virtutum.

Homo floribus comparatus.

HOmo quaſi flos egreditur, paululum vireſcit, & ſtatim conteritur: ex quo C patet, quod nunquam in eodem ſtatu permanet. Et tamen in hac inconſtantia & brevitate vitæ omnia tentat, & peregrinatur, & navigat ſine fine: ſtudii vero virtutum non recordatur, & evaneſcit in quandam dementiam incredibilem. Cæcus eſt, neque requirit lumen: claudus eſt, neque mentem applicat ad ſanandos, & dirigendos pedes ſuos in viam pretioſiſſimæ pacis filiorum Dei. Miror ſtultitiam hanc, qua tenentur filii Adam prævaricatores ab utero matris ſuæ. O quam turpis error eſt quærere diſciplinas hominum, quorum nomia ſcribuntur in terra, & negligere ſapientiam Sanctorum, quorum nomina ſcripta ſunt in cœlo! Beatus vir, qui humilitatem, manſue- D tudinem, obedientiam, & cæteras virtutes Chriſtianas quærit ſicut aurum, ut corona pulchritudinis ornetur caput ejus. Hic eſt ſapientior ſapientibus, & fortior fortibus, cujus nomen vivet in æternum. Non eſt inter mortales gloria ulla, quæ cum anima virtutibus decorata comparari poſſit. O quam delitioſus eſt virtutum paradiſus, quem plantat Jeſus Chriſtus in anima ſponſæ ſuæ, ut delectetur in ea! O amœnitas hortorum Dei, cujus delitiæ ſunt cum filiis hominum. Verè flores iſti ſpirant odorem ſuaviſſimum ad Auſtrum, & fragrantia Dei delectat caſta corda ſuſpirantia in ſtatum immortalitatis, ubi apparebit dulciſſimus decor virtutum, quibus filia Sion coronatur. Certè ſi homines, qui E adorant idola mundi, viderent ſemel choros virtutum ordinatos, & aſſimilatos perfectiſſimæ formæ Filii Dei, citò converterentur ab erroribus ſuis, & ſtudioſiſſime quærerent decorem virtutum. Sed væ mihi; neque enim ego ſatis cognovi, quam ſint amabilia hæc lumina animæ, quæ præparatur ad nuptias Agni Dei. Utinam ſaperem & intelligerem quanta & quam inæſtimabilis ſit honeſtas, & pulchritudo animæ, quæ quaſi filia Regis eſt circumdata veſtitu deaurato. Tu potes, Altiſſime Deus, inſtruere me, & imprimere viſceribus meis ſenſum divitiarum interiorum, quibus adornas ſponſam tuam. Imprime ergo, Domine miſericordiſſime, ſenſum iſtum, & fac, ut vigilem diebus atque noctibus in ſtudio cœleſtium virtutum tuarum F & trahar decore domus tuæ. Et lætabor ego valde ſuper abundantiam dulcedinis tuæ, ſicut qui ſuperatis hoſtibus ſuis invenit ſpolia multa. Eroque fideliſſimus præco miſericordiarum: cantaboque mirabiles victorias tuas.

CAPUT XV.

De ſtudio contemplationis.

BEati ſunt, Rex pacifice, ſervi tui, qui aſſiſtunt faciei tuæ, & remoti à ſtrepitu negotiorum mundi contemplantur mirabilia tua. O quam jucundum, quam ſuave & quam deſiderabile otium illud, in quo G ſilentibus paſſionibus & imaginationibus filia Sion, dulciſſima ſponſa tua requieſcit in amplexu tuo! Ibi fit conſors nominis, & ſuavitatis tuæ decora valdè Sulamitis, quæ unione caſtiſſima dormit in ſinu tuo. Væ mihi, qui tetendi in campeſtribus tabernaculum meum, & audeo loqui de vertice montis Sinai, quem operuit nebula, & caligo Sole ſplendidior. Longiſſime abſum à conſortio tuo, Domine Altiſſime, qui poſuiſti tenebras latibulum tuum. Ego non crevi ad menſuram grandium, qui veſcuntur voluptuosè in lautiſſima menſa tua. Ego laboro valdè in tabernaculis Jacob luctatoris tui; & ſuſpiro ad portas Sion, quas magis dilexiſti: ſi fortè poſt luctam dones mihi benedictionem de rore cœli, cujus ſtillicidia concupivit anima mea. Opto enim, Domine vacare tibi, qui es ſummum bonum, gaudium H & corona mea, in ſilentio curarum & creaturarum, quæ nimis importunè ſollicitant cor ſervi tui. Ego verò dirigo orationem meam ad te, Domine, quaſi ſacrificium veſpertinum, expectans tempus beneplaciti, & ſereniſſimæ faciei tuæ. Portio enim hæc non eſt audita in Chanaan, neque viſa eſt in

Filia Sion Chriſti Sponſa.

Scriptus An. 1599.

Theman: atque ideo non poſſum illam emere à mercatoribus terræ. Privilegium nobilium eſt, qui non laborant in Ægypto, ubi in hortorum morem aquæ Nili per foſſas ducuntur irriguæ: ſed elevatis oculis in cœlos tuos, opera digitorum tuorum, expectant pluviam voluntariam, quæ deſcendit ex conſilio æternæ voluntatis, & ex dulcedine in- A ſinitæ bonitatis tuæ. Hæc ſit oro, pars mea, ſit potus, & eſca mea, & pingue nutrimentum cordis mei.

CAPUT XVI.

De ſtudio ſolitudinis.

ILli ſunt ſervi tui fideles, atque prudentes Domine, qui aut ſemper, aut certis temporibus fugiunt de medio Babylonis, ubi ſunt ſtrepitus & rumores innumerabiles ad ſolitudinem: ubi onagrorum more liberi, & ſoluti à vinculis occaſionum & perturbationum, ingrediuntur ad paſcua tua, & delectantur odore agri pleni tui. Benè eſt illis, quando fugiunt ſocietatem peccatorum, & B negotiatorum mundi, ne fortè inquinentur. Fœlices ſunt, dum quærunt in tranquillitate ſolitudinis ſuaviſſimam ſocietatem & converſationem tuam. Certè licet deſerta ſint ſterilia filiis hujus ſæculi, qui mollibus veſtiuntur, & habitant in domibus regum; filiis tamen tuis loca ſolitaria fœcundiſſima ſunt, quia ſcinduntur eis aquæ in deſerto, & torrentes dulcedinis in ſolitudine. Tu enim, fideliſſime Domine, viſitas amicos tuos, qui reſpuunt hominum commercia, & ſolatia propter te: & venit ſuper capita illorum ſecreta miſericordia tua, ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion. Hæc eſt ſors eorum, qui terga vertunt mundo, quorum anima concupiſcit, & deficit in atria Domini. Non ſollicitat illos ambitio, C aut avaritia filiorum Adæ: quia omnia deſiderabilia mundi vendiderunt propter te Domine, qui es totus honor, & hæreditas illorum. Et quidem ego invideo illis ſortem hanc: non quia velim eos privari hæreditate pretioſiſſima, ſed quia vellem & ego admitti cum filiis Levi ad eam poſſidendam omnibus diebus vitæ meæ. Propter quod expedit mihi, Rex pacifice, non multum negotiari cum Aſſyriis, & Sabæis, ſed per campos floribus tuis veſtitos quærere te, qui lactas animam ſponſam tuam, ducens eam ad ſolitudinem, & loquens ad cor ejus. Recordor ego, Domine, ſervorum tuorum, quos, quaſi patres honorat Eccleſia tua, qui tenebantur intimo deſiderio ſolitudinis, ubi D guſtaverant te, & multiplicaverant ſine teſtibus inæſtimabiles divitias ſuas. Placet mihi valde conſilium hoc, quod prædicavit verbis & exemplis caſta generatio quærentium Deum quærentium formoſiſſimam faciem Dei Jacob. Atque ideo precor te, Fili Dei Altiſſimi, tangas digito ſpiritus tui viſcera mea, ut ſuſpirent ad te gemitibus inenarrabilibus: & præ magnitudine deſiderii inveniendi te fugiant de Ur Chaldæorum ad pacem & ſerenitatem tuam. Pro miſericordia iſta grandi ſupplicabo tibi ad altare tuum in muneribus dilectionis, & in holocauſto pinguiſſimo, quod inſtituit amor tuus. Odorare, precor, ſuave ſacrificium novi teſtamenti, quod hæreditate acquiſierunt chariſſimi filii & amici tui. E

CAPUT XVII.

De vigilia cordis.

BEne intellexit legem dulciſſimæ charitatis tuæ, ô Unigenite Fili Dei, ſponſa tua, quando dixit: Ego dormio, & cor meum vigilat. Qui enim poſſidet te per divinam gratiam, & æternam miſericordiam tuam, habet cor ſollicitum, ne fortè perdat te, & obſcurentur oculi ejus præ magnitudine triſtitiæ. Credo autem Domine, ſollicitudinem iſtam valde placere tibi: nam & fideliſſimus Apoſtolus tuus vivens ſub umbra alarum tuarum, inter opera perfectiſſimæ juſtitiæ, timebat & vigilabat caſtigans corpus ſuum ne fortè reprobus fieret. F Sed & omnes amici tui, Domine, vigilant ſuper cuſtodia cordis, quia peregrinantur per terram inimicorum, qui crudeliſſimo latrocinio expoliare ſolent incautos viatores. Ex quo fit, ut mihi neceſſe ſit à ſomno exurgere, & ſuper cuſtodia mea vigilare, quamdiu ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis. Verè, Domine, filii Adam laborant lethargo mortali, & egent adiutorio tuo, ut excitentur: propter quod fac, Domine, ut anima mea nunquam obdormiat in morte, ſed pungatur ſtimulo charitatis tuæ, quæ non ſinat illam in terra requieſcere. Si enim in terra requiem invenire non poſſit, ſuſpirabit te: uretur æſtu per diem, & gelu per noctem, & recedet ſomnus ab oculis meis. G Utinam ſollicitudo hæc ſemper excitaret cor meum, ut ſemper ferretur ad te, & multiplicaret ſine fine vigilias ſuas! Si enim tu, Paſtor amantiſſime, cuſtodiſti vigilias noctis ſuper gregem tuum pernoctans in oratione Dei, juſtum erit, ut ego non graver ſomno dum agitur de cauſa æternæ ſalutis & interminabilis conſolationis meæ. Vigilabo ergo factus ſicut paſſer ſolitarius in tecto domus meæ, fugiens conſortia peccatorum, & ex loco ſublimi explorans fures, qui per tenebras noctis quærunt ſubvertere ſenſus meos. Non dabo ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inveniam & teneam te, & fruar optatiſſima præda mea. Hoc eſt conſilium dignum ſecreta eruditione tua, H ô ſapientia Dei, quæ fide tua illuminaſti me, ut in vigilia charitatis quæram ſine requie temporali, æternam requiem & beatiſſimam pacem tuam.

Peccatorum conſortium fugiendum.

Scriptus An. 1599.

CAPUT XVIII.

De victoria hoſtium animæ.

OMnes qui de bello pacem tuam inquirunt, Domine, lætantur, quando vincunt obſtinatos inimicos ſuos: lætiſſima enim victoria eſt, quando per fortiſſimam virtutem dexteræ tuæ vir juſtus proſternit mortem, & infernum, & omne quod in corpore mortali adverſatur æternæ legi tuæ. Quando ſcilicet accedit homo ad cor altum & exaltaris in illo per multiplices triumphos miſerationum tuarum, quibus glorificaris inter mirabilia opera tua. Tunc expanditur cor ſine ſuperbia elevatum, & inſultat inimicis ſuis ſentiens adiutricem dexteram tuam, quæ contribulavit capita draconum in aquis. Tunc ſalit ſicut ceruus claudus, & aperitur lingua mutorum ad cantandas victorias tuas. Beatus, vir, qui ſuffert tentationem, & luctatur cum hoſtibus ſuis: quia licet ſeminet in lachrymis, in exultatione tamen metet; & lætabitur pro diebus, in quibus eum humiliaſti, & pro annis, quibus vidit mala. Et exaltabitur ſicut unicornis robur ejus, & ſenectus ejus non erit ſterilis, ſed in miſericordia uberi ſuper omnem ubertatem orbis terræ. O ſenectus non fragilis, ſed matura, non infirma, ſed tuta ſub protectione fortiſſimi Filii Dei! Hæc eſt ætas mentis non annorum numero computata, ſed victoriis multis provecta, & carnis ſenſibus dealbata. Tu ſcis Domine, quam glorioſus ſit ſtatus fortium, quibus inceperunt hoſtes cædere, & quibus cœpit pax tua ſuccedere. Orta eſt in animabus eorum juſtitia & abundantia pacis, quæ ſuperat omnem ſenſum; & non ſolum in futuro ſæculo, ſed adhuc in hac vita dominabuntur cum Pacifico Rege ſuo à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum. Coram illis procident Æthiopes, & inimici eorum terram lingent. Quis mihi det, ut de præliis, quæ quotidie mihi conſtituunt hoſtes mei, ſurgam ad ſtatum excelſum victoriæ tuæ, ô ſumme & potentiſſime triumphator, qui confregiſti capita draconis, & dediſti eum eſcam populis Æthiopum? Ego laborabo pro victoria iſta, armatus galea ſalutis, tectus lorica juſtitiæ, & accinctus gladio ſpiritus tui. Doce, obſecro te, ô fortiſſime, doce manus meas ad prælium, & ſingulos digitos ad bellum, cujus finis ſit optatiſſima & glorioſiſſima victoria tua.

CAPUT XIX.

De ingreſſu animæ victricis in cœlum.

IMpoſſibile eſt, Domine, hominem mortalem explicare ineffabilem triumphum animæ victricis ingredientis in æternam requiem beatiſſimi regni tui. Quomodo ergo potero ego unus è plebe tua exponere, aut intelligere arcana verba, quæ non licet homini loqui? Sed loquar & reſpirabo paululum corpore quidem abſens, ſed corde præſens in platea dulciſſimæ Jeruſalem civitatis tuæ. O lux candidiſſima, & mare ſpatioſum infinitæ ſuavitatis, quomodo anima laboribus terræ fatigata, & ſitibunda ſtatim ac ingreditur in deſideratam valdè requiem & gaudium Domini ſui, mergitur in te, & ſatiatur abundantiſſimo torrente voluptatis tuæ! Statim ac ſeparatur à corpore mortali, & longo carcere ſuo, velociſſimo volatu fertur ad te ſummum bonum & refrigerium ſuum; & niſi debito pœnarum Purgatorii teneatur, celerior quam aquila volat, & penetrat cœlos tuos tota formoſa & ſuavis quaſi columba deargentata, cujus poſteriora lucent in pallore auri. Ad ejus autem ingreſſum exultat tota civitas tua, quæ ſurſum eſt: & innumerabilibus laudibus cantat redemptionem concivis ſuæ provenientem ex antiqua & fideliſſima miſericordia tua. O miſericordia magna, & mirabilis valdè nimis! O beatiſſima conſummatio laborum, qui coronantur requie ſempiterna, & vita immortaliſſima! O ſi daretur mihi ſervo tuo, Rex Pacifice, è loco aliquo ſecreto, quem oculi carnei non viderent, intueri ſponſam tuam, animam Juſti ingredientem, & ſolemniſſima proceſſione deductam ad thronum tuum! Credo certè, Domine, tantam eſſe lætitiam tuam, & ſponſæ tuæ, & totius Jeruſalem triumphantis in hora illa, ut videantur cœli terraque liqueſcere præ magnitudine dulcedinis tuæ. O vita jucundiſſima, quomodo corda illa connexa vinculo vitaliſſimi ſpiritus tui, mutuo junguntur, & adhærent ſibi, ad celebranda ſine fine inæſtimabilia gaudia ſua! Utinam vocer ego ad conſortium tantæ ſolemnitatis, Domine, ut dilatentur viſcera mea, & mergantur in flumine vivo puriſſimæ aquæ, quam ſitivi! Vexat enim me nimis ardens febris in terra deſerta, & inaquoſa, plena laboribus, & anxietatibus abſque numero. Da mihi bibere, Domine, ex aqua limpidiſſima fontis tui, ut non ſitiam in æternum: & multiplicabo laudes tuas ſuper numerum ſtellarum ſuſpirans inceſſanter ad fœliciſſimam civitatem tuam.

Anima Iuſti, Chriſti Sponſa.

CAPUT XX.

De aſcenſu electorum in cœlum poſt judicium.

SAepe recordor, Fili Dei Altiſſimi, Eccleſiæ tuæ magnæ aſcenſuræ in cœlum, ubi percipiet regnum, quod ab origine mundi præparavit ei Clementiſſimus Pater tuus. Recordor glorioſiſſimi triumphi, quando exhibebis ſponſam tuam non habentem maculam, neque rugam Patri tuo, qui regnabit in æternum & ultra. Et videor mihi videre exercitus victorum candidatos, & configuratos tibi, Rex Pacifice, aſcendentes de mundo, quem vicerunt, & de morte, quam calcarunt, feſtinantes per aerem, & penetrantes cœlos tuos, cum tanta majeſtate, & tam inæſtimabili gloria, ut fortiſſime trahatur poſt illos anima mea. O ſuprema victoria, & intima cordium lætitia, quis poterit dicendo aſſequi te? O quam pulchra tabernacula Jacob, quam ſpecioſa tentoria Iſrael, quaſi valles nemoroſæ, & quaſi amœniſſimus paradiſus, quem plantavit Dominus! Qualis erit, dulciſſime Deus cordis mei, aſcenſus ille, quando abſoluto judicio, quod dedit tibi Pater, quia Filius hominis es incipient elevari ſurſum caſtra tua formoſiſſimis corporibus ſplendentia ſuper Solem, & ſuaviſſimo decore celebrantia æternas miſericordias tuas? Beati ſervi tui, Domine, in quibus abſorbebitur quod mortale eſt à vitaliſſima vita tua! Quis mihi det, amantiſſime cuſtos hominum, ut aſcendam ad populum accinctum tuum, qui accingetur non jam ultra ad prælium, ſed ad pacem Regis ſui duraturam ſine fine? Quam fortis, quam ſuavis, & lætus aſcendet populus acquiſitionis tuæ, Domine, ad atria Jeruſalem primogenitæ civitatis tuæ! O gens ſancta, regale ſacerdotium; pars electiſſima & funiculus hæreditatis Filii Dei, qui regnavit à ligno! Memoria memor ero tui, ô dulciſſima Sion, & tabeſcet in me anima mea. Quis enim non capiatur pulchritudine tua, ô filia Principis que aſcendes de cubilibus leonum ad campos deliciarum Dei, veſtita candore puriſſimo, & ornata ſereniſſimo vultu ſponſi tui, qui lucebit in te? O quam feliciter remuneratur labor viatorum, quos fatigavit egeſtas! Jam non erit amplius luctus, aut clamor dolentium, & ſuſpirantium è fluminibus Babylonis ad chariſſimam patriam, & tranquilliſſimam manſionem ſuam. Sed abſterſis lachrymis ab oculis electorum formoſa valde manu tua, implebis corda illa, Domine, caſtiſſimis delectationibus, quas ſervaſti in abſcondito pulcherrimæ faciei tuæ. Dux aſcendentium eris, ô fortiſſime, proſpereque procedes, & regnabis ſpecie tua ſuper electiſſimum populum tuum, qui cantabit tibi antiquas miſericordias totis viribus, & viſceribus abſque fine. Stantes ergo erunt poſt aſcenſum pedes victorum tuorum in atriis ſpecioſiſſimæ Jeruſalem, quæ nunc ædificatur ut civitas: cujus participatio pretioſior & deſiderabilior eſt, quam univerſi mundi imperia, & honores, & conſolationes filiorum Adæ, quanvis durarent in æternum. Propter quod anima mea fertur ad elegantiſſimam formam ſponſæ tuæ, Rex Salomon, cujus vultum deſiderat univerſa terra. Oro ergo te, dulciſſime Fili Dei, cujus miſerationum non eſt pondus, aut numerus, ut poſt labores, quibus vexor in terra aliena, aſcendam tecum & cum beatiſſimo populo tuo ad excelſam & ſolidiſſimam terram viventium, ubi requieſcam in arctiſſimo complexu dexteræ tuæ,

Laus D. N. Jeſu Chriſto, & Beatiſſ. Virg. Mariæ.

STIMULUS SECUNDUS
AD COMPUNCTIONEM
EXCITANS.

SCRIPTUS ANNO MDCXII.

IN SEQUENS OPUSCULUM

PRAEMONITIO.

HUnc alterum eiuſdem argumenti Commentarium Italice ſcripſit tredecim circiter poſt annos Ven. Iohannes, zelo animarum a Chriſti gratia extorrium fragrans, ut eas Domino ſuo modis omnibus lucrifaceret. Stilum in eo exercet a praecedenti diverſum, demonſtrativum ſcilicet, & intime ſuaſorium. Opus Mariae Mediceae, tunc Galliae Reginae, ac Regenti dicavit, ob inſignia in univerſam Familiam noſtram ab ea conlata beneficia, praevia nuncupatoria Epiſtola, quae in caeteris Latinis editionibus deſiderata, heic pro more ex Italico idiomate verſa a nobis ſubiicitur. Illud exaravit labente altero ſuae Generalis Praefecturae anno 1612. *ut in fronte retro praeſignavimus; anno vero ſequenti* 1613. *Romae Typis Iacobi Maſcardi, primo Italice publice paruit. Quamobrem ut ſequens, qui currentibus praelis, ad latera paginarum lapſus eſt annus* 1609. *pro* 1612. *ut benigne a noſtris lectoribus corrigatur, oramus. Deinceps vero Opuſculum iſtud perquam utile latine redditum in utraque Colonienſi Conlectione ann.* 1622. *&* 1650. *Tomo ſecundo inſertum, denique ſaepius alibi cum ſeorſim, tum coniunctim cum praecedenti, recuſum eſt.*

CHRISTIANISSIMAE GALLIAE REGINAE REGENTI.

VETUS SCRIPTORIS NUNCUPATORIA EPISTOLA EX ITALICO AUCTOGRAPHO NUNC PRIMUM LATINE REDDITA.

CUR Majeſtati Tuae hunc librum nuncupem, triplex me cauſſa movet. Prior ipſae Virtutes ſunt, rarae illae, verequae regiae; de quibus ne dicere quidem mihi pro merito fas eſt; aut ſi foret, non auderem, ne ſingulariſſima per me laederetur Modeſtia Tua. Altera ratio eſt Majeſtatis Tuae eximia Pietas, qua ſpirituale totius Regni bonum ex corde optas, praeſertim vero peccantium frugem, cui ſcriptum hoc inſtituitur. Tertia demum illud, quo maxime in Majeſtatem Tuam devincior, grati animi officium ob plurima, quae in erectionem Pariſienſis Coenobii Familiae noſtrae nuper contuliſti beneficia, quae in poſterum nobis ſperare concedis. Hoc ergo munus, quod Majeſtati Tuae Relligioſa ingenuitate obfero, qua ſoles benignitate excipias, non me equidem, cui nulla ſunt merita, ſed Operis argumentum intuens, quod ex Tuae Majeſtatis auctoritate & avidius legetur, & legentium animis altius infigetur; ex quo ampliſſima in Coelis remuneratio adcedet Majeſtati Tuae; Quam Deus pro votis ſoſpitem felicemque faciat.

Majeſtatis Tuae

Servus in Domino
F. Johannes a Jeſu Maria.

PRÆFATIO
AUCTORIS

CUM ſæpe mecum ipſe cogitarim, quam parum ſolliciti ſint non modo peccatores, verum etiam multi, qui eſſe videntur juſti in anima ſua, quæ quodammodo conſopita jacet; & à corporis pondere ceu veterno gravata, excitanda; ut gratiæ adminiculo & à peccato recedat longius, & ad Deum ſuum per veram quandam, ac cordialem converſionem convertatur; rem tum divinæ majeſtati gratam, tum proximo perutilem facturum me exiſtimavi, ſi præſentem hunc tractatum ſcriberem, qui ad veram peccatorum contritionem peccatoribus viam ſternat; primaria ad eamdem motiva in eo lectoribus proponens, eoſque adhortans, ut ad ſuum Creatorem convertantur. Argumentum porro ipſum quod tractatur, omni hominum generi & omni tempore perutile eſt, imprimiſque neceſſarium; at præſertim in iis qui ſequuntur caſibus. Primo, quando confeſſarii copia ad manum non eſt; quod ſæpe iis, qui terra marique iter faciunt; nec non aliis, non eum ſemper, quem volunt, confeſſarium invenientibus, contingit: qui proinde ſi veros quoſdam contritionis actus, cum firmo Sacramenti pœnitentiæ ſuo tempore recipiendi propoſito eliciant, non parum gaudere hoc nomine poſſunt, quod tum per hanc contritionem, tum confitendi propoſitum ad ſtatum gratiæ reſurgant. Secundo, quando mortis pericula derepente ingruunt, & loquendi facultas, & forſitan etiam loquentes audiendi eripitur; quo caſu portæ, per quas auxilium & remedium ad animam ingredi debet, occluſæ ſunt. Tunc vero per magni refert, contritionis actus in vita exercuiſſe; comparata enim jam tum quædam eorum facilitas eſt, & ſe anima ope proximorum deſtitutam videns, ſeſe habilem comperit, ut ſeipſa, divinæ cooperando gratiæ, & in veros contritionis actus prorumpendo, juvet, per quos & propoſitum confitendi (ſi poſſet) ſalvatur. Tertio, quando Chriſtianus jam quidem peccata confeſſus eſt, & alia Sacramenta, vel recte valens, vel in mortis periculo ſuſcepit, ſeque in Dei gratia eſſe ſibi perſuadet, revera tamen non eſt: fieri enim poteſt, ut cum illa recipit, veram contritionem non habeat, neve illam attritionis ſpeciem, quæ una cum Sacramento ſatis ſit, ut ex attrito jam fiat contritus: quod ſane credibile eſt, & ſæpius evenit, quam Theologi, qui interiorum hominis non ſatis magnum uſum cognitionemque habent, exiſtiment. Hoc in caſu permultum ad ſpirituale emolumentum conducit, proprios quoſdam contritionis actus exercere per quos Sacramentorum, quæ informia vocant, damnum reparetur. Tres illi ſupradicti caſus, Theologica quadam ratione examinati, efficaciſſima tria ſunt argumenta, ut hujus tractatus lectionem cuilibet perſuadeam: præterquam quod virorum ſanctorum exercitium, qui ſimilia etiam ſcripta legere ſolent, tametſi pie commiſſorum ſe credant veniam impetraſſe, in argumentum & exemplum ſerviat. Libro porro nomen eſt, Stimulus ad compunctionem excitans; quod Lectores ad compunctionem extimulet. Dicitur autem Secundus, ut ab alio quodam eum diſtinguam Stimulo, quem Latina lingua jam ante evulgavi. Motiva ad contritionem excitantia, quæ trado ſunt decem & omnia quidem præcipua, & digna quæ accurate ſtudioſeque ponderentur; quorum ſingula ſingulis complexus ſum capitulis. Verum antequam hæc motiva proponam, capite uno oſtendo, quid ſit contritio, alio vero, quaſnam ea afferat utilitates, declaro; poſt motiva vero propoſita caput ſubiicio, quo principalia continentur monita ad veros contritionis actus concipiendos, nec non ipſarummet actuum formulæ cum exhortatione quadam pia, atque in hoc librum finio. Clementiſſimum vero Redemptorem noſtrum Jeſum Chriſtum precor, ut in omnium, quicumque librum hunc lecturi ſunt, cordibus veræ contritionis excitamenta imprimere dignetur.

VENERABILIS
P. FR. JOHANNIS
A JESU MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI
CALAGURITANI
STIMULUS SECUNDUS
AD COMPUNCTIONEM
EXCITANS.

◆ ◆ ◆

CAPUT PRIMUM.

QUID SIT IPSA DE PECCATIS CONTRITIO.

Scriptus An. 1609.

Tractaturus de efficaciſſimis ad contritionem peccatorum concipiendam excitantibus motivis hunc, Deo bene juvante, librum à A quadam contritionis deſcriptione vel declaratione auſpicabor; ut norit nimirum pius Lector bonum, quod ſibi propoſitum eſt, & ejus magnitudinem, amplitudinem, & voluptatem agnoſcens, de præteritis commiſſis ex animo doleat, deque divina majeſtate, quam offendit, placanda, ac de Creatore ſibi conciliando agere ſincere incipiat, magnis quibuſdam paſſibus ad veram & æternam vitam, quæ in clara ſummi & æterni animæ noſtræ boni viſione ac fruitione conſiſtit, contendens. B Dico itaque à contritionis me deſcriptione ac definitione rem auſpicaturum; quia multi eam nec in ſe habent, nec quid ſit cognoſcunt; alii vero pretioſiſſimum hunc theſaurum quidem habent, ejus tamen eſſentiam proprietatemque ignorant; alii denique quid quidem ſit norunt, ſed inæſtimabile hoc bonum nequaquam habent. Triplici huic hominum generi utile fuerit admirabilis hujus virtutis eſſen- C tiam proponere ac declarare, cujus honeſta declarata, ac propoſita inſignem in eorum animis, qui antè eam ignorabant, impreſſionem faciet; uti & in iis, qui quamvis eam norunt, eam tamen non amant, ut ſunt Theologi & doctiores peccatores: denique per novam hanc cognitionem illorum eo magis inflammabitur affectus, qui eam quidem poſſident, tametſi ante non cognoverint; quales ſunt multæ mulieres & viri, ſimpliciores illi quidem ſed vitæ, quæ juſtitia Chriſti, D qui juſtitiæ & ſalutis noſtræ eſt auctor, eſt exornata. Cæterum, contritio quidam eſt virtutis pœnitentiæ actus in voluntate con-

Vita aeterna quid?

Contritio, quid?

Scriptus An. 1609.

A

Poenitentiae actus contritio.

B

An veram contritionem, an dolor ſenſibilis requiratur ?

C

D

Doloris ſedes quae ?

ſiſtens, quo de ſuo homo peccato dolet, & ipſum, in quantum divinam majeſtatem offendit, deteſtatur, ad hanc ſe deteſtationem & dolorem per ſublimem quemdam divini amoris reſpectum excitando, per hunc vero ſe reſpectum ad Dominum Deum convertendo cum firmo non amplius relabendi . & iniuriæ commiſſæ ſatisfaciendi propoſito. Adeo ut pœnitentia quædam ſit virtus hominem inclinans, ut pœniteat, contritio autem virtutis hujus quo actualiter homo convertitur, pœnitet, peccatum deteſtatur, & divinam majeſtatem, quam offendit, placare intendit: unde & vindictam de ſeipſo per pœnales quoſdam orationis, jeiunii, eleemoſynæ actus vel exercitia ſumere conſtituit, per quæ aliquatenus debitis, quæ peccando contraxit, ſatisfacere conatur. Hæc porro definitio, (quæ quidem, quantum propoſito meo conducit, ſufficiens eſt) aliquot continet puncta, digna quæ exactè ponderentur. Primum eſt, quod contritio, in quantum quidam dolor eſt vel deteſtatio de peccato, efficiat, ut voluntas ab eo, quo fertur, per quandam ſancti divortii ſpeciem, in quo etiam in æternum perſeverare vult, longius recedat. Secundum eſt, ex hac ipſa ratione ſequi, ut vera ſit contritio, minime dolorem quemdam ſenſibilem, vel lacrymas, vel ſuſpiria requiri; cum deteſtatio quidam voluntatis ſit actus, ac proinde diverſum quid ab omnibus illis aliis rebus ſenſibilibus, quæ ad hujus ſublimitatem non pertingunt. Quod adeo certum eſt, ut vera contritio non ſolum ſine lacrymis ac ſenſibili dolore, verum etiam cum extrema quadam ariditate, & perverſis in peccatum inclinationibus & conſiſtere poſſit, & reipſa etiam ſæpe conſiſtat: quemadmodum per doctrinam quandam Theologicam in recens converſis peccatoribus cernere eſt, in quibus & mali perſeverant habitus, & in vitam præteritam propenſiones, contra quas in via purgativa acriter pugnatur; nec non in aliis multis, qui quidem tentantur & deſolati ſunt, interim tamen raræ cujuſdam puritatis ſunt ac perfectionis. Tertium, quod è præcedenti ſequitur, punctum eſt, ut Theologice & ſolide conjectura fiat, num veram homo peccatorum ſuorum contritionem habeat, ante omnia & maxime voluntatis diſpoſitionem ſpectari debere; adeo ut, ſi veram is peccatorum commiſſorum deteſtationem habeat, ita ut ea nollet, reſpectu Domini Dei ſui commiſiſſe, nec in poſterum eadem amplius, etiam qualibet propoſita utilitate, committere velit, ſatisfacere pro iiſdem, & pie vivere proponat; etſi quidem pars inferior reluctetur, & affectus aridis illis voluntatis actibus videatur contradicere; pie tamen coniicere & poſſit & debeat, miſericordia ſe Dei veram de peccatis contritionem concepiſſe. Quartum denique punctum eſt, dolorem, cum in parte ſenſitiva vel cum lacrymis, vel ſine illis habetur, minime contemnendum videri; fieri namque poteſt, ut à vera is contritione, quæ in voluntate eſt, oriatur: neque etiam nimis hunc magni faciendum eſſe; fieri poteſt enim, ut ab alio quopiam is principio, non autem à vera contritione naſcatur; ſicut in malæ vitæ mulieribus cernere eſt; quæ quidem interdum amarè plangunt & ſuſpirando ingemiſcunt, viſo ſe in peccati ſtatu agere, veram tamen contritionem idcirco non habent. Quatuor hæc puncta ad multorum inſtructionem & conſolationem facient. Næ vero illi beati, quibus firma quædam eſt & ad malum fugiendum, & bene agendum voluntas, ita quidem ut in ſolam divinam majeſtatem oculos coniiciant, nullam vero teneritudinem vel partis inferioris affectus deſiderent, ſiquidem inter beatos illos & generoſiſſimos Chriſti bellatores numerabuntur.

E

CAPUT II.

Inæſtimabile contritionis bonum ponderatur.

F

G

Fines operantis quot?

H

SUuperiori capite ſatis ſuperque Lectori declaravi, quis veræ contritionis ſit actus hoc vero inæſtimabile ejuſdem bonum proponam, ut quem mihi propoſui, finem conſequar, ipſum inquam inducam, ut quod tanti ſua intereſt, ipſum exercere proponat. Ut autem doctrinam hanc à principio deducam, ſuppono non aliter cor hominis ad aliquid deliberate, & cum actibus, quos vocant humanos & morales, faciendum moveri, quam ſi ei bonum aliquod honeſtum, utile, & delectabile, quod quidem communis Philoſophorum & Theologorum ſententia tale eſſe cenſeat, proponatur. Veritatis autem hujus ratio ipſam per experientiam, quam in ſe quiſlibet experitur, notiſſima eſt; cum clare perſpiciat, ſe vel ne quidem paſſum unum deliberate facturum, vel verbum aliquod loquuturum, niſi tantum ob aliquid, quod ipſe vel utile, vel honeſtum, vel delectabile eſſe judicet; adeo ut niſi talia ſibi ipſe proponeret, nunquam ad aliquid, humano vel morali modo faciendum moveretur. Hæc etiam doctrina per ſpeculativam quandam rationem confirmatur, quæ in hac quidem materia quam maxime efficax eſt: neque enim hominem moraliter operari, fingere ipſi poſſumus, niſi id quod agit, ad aliquem finem dirigat; cumque alii fines non ſint, quam tres illi ſupradicti, honeſtus, utilis & delectabilis; ſequitur, eum vel nunquam operaturum, vel neceſſario ob aliquem ſaltem illorum finium operaturum. Porro communi hac doctrina præſuppoſita, non inutile fuerit, ſi pius lector honeſtatem, utilitatem, & voluptatem, quæ in pœnitentiæ actu, quem contritionem vocant, reperitur, conſiderare attente proponat: hoc enim pacto ad illius ſtudium exercitiumque movebitur. Et quo altius ac divinius ſupradicta illa tria bona in excellentiſſimo hoc actu repererit, tanto ipſum, & cordialius diliget, ac pluris faciet. Igitur, ut ad primum bonum & finem veniamus, honeſtum inquam (quod perinde eſt, ac ſi bonum honore di-

gnum

Scriptus An. 1609.

Contritio iuſtitiae actus.

gnum, & dignitati hominis, qui ratione gubernatur, eaque facit, quæ ſua ſint nobilitate digna, proportionatum dicas) quis adeò futurus eſt cæcus, ut ipſam actus contritionis honeſtatem non videat & admiretur; utpote quæ veluti quidam juſtitiæ actus eſt, quo peccati à ſe turpitudinem homo reſcindit, A & de injuria in Creatorem ſuum commiſſa dolens, gladium quodammodo in manus acceptum in ſeipſum ſtringit, ſeque voluntariis pœnis tranſverberat, ut hoc pacto admiſſam in Deum offenſam ulciſcatur? Sane nobiliſſima quædam res eſt, & homini inprimis honorifica, ſemetipſum judicem ſui conſtituere, Domini violati læſique loco, & adverſus ſemetipſum ſeſe judicare, velut reum ad conſcientiæ tribunal, quod Dei cauſam juſtificat, & peccatorem condemnat, vocatum ſententiam ferre. Adeo ut per contritionis actum ſe homo quodammodo in duas partes dividat, & per unam quidem Dei, quem offendit, majeſtati ſeſe coniungat, & juſtam exercere vindictam velit: per alteram vero voluntarie ſe pœnæ ſubiiciat, quod B profecto nunquam faceret, niſi magnam illi pœnitentiæ virtus magnanimitatem conferret, & altum illi, generoſum & legum, quas caro & ſanguis præſcribit, contemnens, ſed ad regnum cœlorum ardenter aſpirans cor induret. Si igitur contritio hominem adeo excellentem, & in omnipotentis Dei conſpectu tali honore dignum faciat, quis de ejuſdem honeſtate dubitet? Quis non à bono ſeſe allici ducique ſinat, quod ei, qui ipſum quærit & poſſidet, adeo honorificum eſt?

Vera contritio divitiis utilior.

Deinde, ſi de utilitate ipſa, quæ adeo quidem efficaciter hominum corda movet, loquamur, certiſſimum profecto eſt, veram contritionem utiliorem eſſe, quàm omnes terrenæ divitiæ: ut enim utile quid dici poſſit, id ejus conditionis ſit neceſſe eſt, ut eo homo ad finem aliquem uti & adhibere poſſit: C bonum namque utile proprie deſiderii hominis finis non eſt, at medium quoddam ad aliud quid longe pretioſius, quod rationem habet finis, in quo homo conquieſcat, obtinendum deſtinatum: quemadmodum ordinario illo auri & argenti exemplo probatur; quæ quidem bona utilia ſunt, non ideo tamen conquiruntur, ut in eis homo penitus conquieſcat, ſed ut per eadem alia bona honeſta & delectabilia, quæ rationem habent finis, comparet.

Exemplum.

Unde ſequitur. proprie tunc aliquid nos bonum utile dicturos, quando eo, velut medio, ad aliud bonum obtinendum uti poterimus. Si itaque vera contritio hujuſmodi eſt, ut eam homo cum ad ſeſe Deo reconciliandum, tum regnum cœlorum comparandum adhibeat; ſequitur D bonum quoddam eſſe, quod infinite ſit ſuper omnem utilitatem terrenam utile. Nec vero eſt, quod mihi Lector obiiciat, hanc ab illa, quam homines magni faciunt, multum diſtare: quod enim diverſa ſit, inde non ſequitur, quod non ſit vera utilitas: ſicut quod amor Dei ab hominum amore diſcrepet, non efficitur, quod verus amor non ſit.

Quod ſi & ob alium reſpectum contritionis utilitas & altior ſit, & majora commoda afferat, concludi & poteſt & debet, eam bonum quoddam utile eſſe infinitis partibus majus quam omnia bona utilia, quæ inferioris ſunt qualitatis, ut ſunt omnia bona mundana.

Contritio utile bonum.

Dicet fortaſſe legentium aliquis, hoc E ſeſe myſterium minime capere, eo quod bonis utilibus terræ, quæ viſibilia ſunt, tractandis aſſueverit. Sed hæc objectio animo Chriſtiano parum digna eſt, utpote qui ex divina debet fide, quæ inviſibilia detrectat, certiora tamen alioquin quam ea quæ corporeis oculis cernuntur, gubernari. Et hæc illi ſufficere veritas debet: etſi, etiam juxta rationis, quam ipſe quidem intelligit, vim loquendo, neſciam quamobrem illud, ut bonum utile, habeat, per quod dignitatem aliquam aut munus in republica ſibi comparat, id autem, quo regnum cœlorum acquiritur non multo cenſeat & habeat utilius?

Cæcitas peccatoris.

Magna ſane peccatoris cæcitas eſt, qui ut de commiſſis doleat, & ad Deum convertatur, minime laborat. Sed ad tertium jam veniamus F caput, voluptates & delectamenta inquam, quibus hominis converſio maxime impeditur, quod adeo attractiva ſunt, & ejus conditionis, ut aliis bonis cum utilibus, tum honeſtis ſemper unita ſint, quæ etiam homini ſatisfacere plane non videntur, niſi aliqua in iis voluptas atque oblectamentum inveniatur, ſicut experientia in multis hominibus tenui ac paupere natis loco videmus; qui interdum à principibus, ut ad ipſorum curias tranſeant, ubi plus boni tam honeſti quam utilis eſt, invitati, induci non poſſunt, ut in civitates ampliores commigrent, quod ſibi non tantam in his, quantam in ſolitis ſuis converſationibus habebant, habituri voluptatem videantur: quod perinde eſt, ac ſi aperte dicerent: etſi in Principum palatiis pluribus ſint rebus tam honeſtis G quam utilibus abundaturi, non iis tamen ibi ſe voluptatibus & delectationibus recreandos, quæ menti ſatisfaciant.

Exemplum

Atque idcirco voluptatis amor aliorum bonorum amori longe præponderat. Negari hæc experientia non poteſt, & concedamus neceſſe eſt, boni delectabilis vim ad hominum corda attrahenda efficaciſſimam eſſe. Juxta hanc itaque doctrinam à peccatore ipſo peto, verè ſibi perſuadeat, delectationem cordis, in quo vitæ æternæ ſpes dominatur, majorem eſſe ea, quæ ex tranſitoriis terræ bonis naſcitur? Rogo item, num animæ, in qua Deus habitat, pax & ſatisfactio major ſit, quam ejus, in qua habitat dæmon? Aliud certe reſpondere mihi ipſe non poſſum, quam vivam vitæ æternæ ſpem, & Dei in H anima commorationem, lætitiam incomparabiliter majorem ea, quæ ex omnibus mundi bonis enaſci poteſt, producere. Si itaque, cum aliquis ad Deum per veræ contritionis actum convertitur, ipſo in momento, ſecundum Sacræ Scripturæ teſtimonia & univerſaſalem Sanctorum doctrinam, divina majeſtas per novum quemdam gratiæ modum in

Scriptus An. 1609.

ipſo habitare incipit, & vivam ibidem gloriæ ſpem generat: quis adeo futurus eſt demens, qui non fateatur, à vera de peccatis contritione, etſi ſacco videatur veſtita, & cooperta cinere, in cordis tamen penetrali incredibiles quaſdam conſolationes progigni? Neceſſe ſane eſt Chriſtianum veritati Chriſti A credere, & in animum inducere, ſe, ſi fœdum peccati ſtatum relinquat, & cordiali quadam contritione ad Deum convertatur, multo omne bonorum genus reperturum copioſius, quam ſi omnia mundi, quæcumque amari poſſunt, bona poſſideret. Sed jam ad efficaciſſima ad contritionem ſtimulantia motiva veniamus.

CAPUT III.

Motivum primum ad contritionem excitans, ex offenſa, læſaque ſcilicet Dei majeſtate proveniens.

UT ejus motivi ad contritionem excitantis, quod ex offenſa divinæ majeſtatis B provenit, vim perſpicere pius lector poſſit, infinitam is Dei optimi maximi magnitudinem attente perpendat neceſſe eſt, in quantum ſcilicet nobis, non niſi per rerum humanarum ſimilitudinem divinas comprehendentibus, poſſibile eſt. Principes honore proſequendi. Ab his itaque incipiendo, nullam in mundo adeò barbaram nationem eſſe præſuppono, quæ non aperte cognoſcat, quantum principibus ipſa ſuis neceſſario honorem debeat, adeo quidem, ut, quamvis barbaræ & immanes eæ ſint moribuſque pravis, ſæpe tamen cum in Principum ſuorum conſpectu verſantur, paſſionum ſuarum impetum coerceant, & inſignem quamdam venerationem & modeſtiam præferant: ut è modernis gentium barbararum, quarum converſioni Chriſtiani noſtri incumbunt, hiſtoriis evidentiſſime patet. Et hic C fuiſſe communiter jam inde ab omni antiquitate approbatus videtur ſenſus, uti colligere eſt ex iis, quæ jam olim Job, qui verus quidam fuit princeps, de hac ipſa reſcripſit; Job. 29. 8. 9. *Videbant me juvenes, & abſcondebantur, & ſenes aſſurgentes ſtabant. Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo*, invicem innuentes, ut è reverentia conticeſcerent. Sic gentiles illi, lumine quodam naturali docente faciebant, quo dictante ſcilicet intelligebant, quo in honore ſuos habere principes deberent. Sed fidem prope ſuperat, quod quoad hunc cultum in partibus ſeptentrionalibus remotioribus, quas barbaræ feræque incolunt gentes, hac noſtra etiam ætate fit, utpote quæ ſibi gloriæ ducunt Principes ſuos honorare, & lethales D vel ipſorum etiam Principum manibus, vel ab alio quolibet, Principe ita iubente, ſine ulla prorſus tergiverſatione vel repugnantia plagas accipere: idque dumtaxat, ut ſuam hoc pacto fidelitatem teſtentur, hominibuſque declarent, quantopere erga ſuos ipſi dominos afficiantur. Vita prae divitiis amanda. Mirabile profecto eſt hujuſmodi mentibus talem terrenorum dominorum, etiam cum vitæ, quæ præ reliquis ejus bonis amari ſolet, contemptu reſpectum innaſci & reverentiam. Eſt hoc argumentum ab hiſtoria petitum; quod quamvis in exceſſum cum vitio degeneret, intellectum tamen convincit, & manu quodammodo tangere facit E naturam humanam, temetſi per Adæ peccatum depravatam, & ab ignorantiæ tenebris obſcuratam: Natura humana a peccato depravata. videre nihilominus & fateri magnum Principibus reſpectum & honorem deberi, quod & res ipſa per ſe ſit honeſtiſſima, & ea, in qua fundatur doctrina, prorſus irrefragabilis. Ratio porro hæc incomparabiliter creſcit, ſi ad eam lumen gratiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti acceſſerit. Ceterum ſi hæc veritas adeo certa & notoria ſit, ſequitur per argumentum à contrario, (quod validiſſimum eſt) naturam ipſam ab omni erga Principes irreverentia & offenſa quam maxime abhorrere, velut à re; quæ naturaliter ſit deteſtabilis. Si igitur Principis alicuius terreni offenſa naturaliter horrorem moveat, dic mihi Chriſtiane lector, quid de Majeſtatis Dei, qui omnium regum Rex & F Dominus eſt, offenſa & injuria ſentiemus? Quis ita ab omni erit ratione alienus, qui non cenſeat abominabile quid & deteſtabile eſſe, magnum illum Dominum dominorum offendere, & magnitudinem illam infinitam, ad cujus præſentiam faciem ſuam cooperiunt & velant Seraphini, & cœli columnæ contremiſcunt, reverentia minime dignari? fierine poteſt eum peccatoribus animum eſſe, altiſſimam illam ut offendant majeſtatem; cum qua Reges omnes & Imperatores mundani comparati, nonniſi viliſſimi vermiculi ſunt? Reges terreni ſummo Regi comparati. fierine poteſt, hominem, ſi quando ſe altitudinem illam omnium maximam & ſummam offendiſſe conſiderat, non confundi & erubeſcere, atque ob rem adeo fœdam & tantopere à ſua ipſius conſcientia accuſatam & reprehenſam non dolere? G Quam merito autem ob hanc irreverentiam per Malachiam Prophetam expoſtulat Dominus dicens: Cap. 1. 6. *Filius honorat patrem, & ſervus dominum: ſi ergo pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Hunc etiam divina majeſtas amplificare poterat locum non per ſolos patris ac domini, ſed etiam Regis & Imperatoris infinite magni & potentis titulos quorum ſingulorum nomine infinita dignus eſt reverentia ac honore. Videmus tamen majori quodam honore terræ hujus patronos affici, quam qui eamdem condidit, Dominum. De qua præpoſtera deformitate quid aliud dicam neſcio, quam maximi doloris cauſam mihi eſſe, quod à ſuiſmet creaturis Creatorem ipſum videam contemni. H Peccatorum amentia notata. Hanc igitur peccatorum amentiam, pie Lector, conſidera, & ſi ipſe in peccati fueris ſtatu, illum poſt hac deſine contemnere Dominum, qui te creavit, & intima quadam contritione, & firmiſſimo quodam illius honorandi, & ſine fine laudandi propoſito ad ipſum convertere. Manſuetiſſimus ille Dominus tam difficilia & moleſta à te non exi-

Scriptus An. 1609. exigit, quam gravia peccatores ipſi ſubeunt, ut cacodæmoni ſerviant & honorent, quod forſitan tibi mirum videatur: ſed in mentem, obſecro, revoca, quid ſacerdotes Baal in idoli, per quod eos dæmon faſcinabat, honorem facerent. 3. Reg. 18.28. *Incidebant ſe juxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine*. A Hæc porro inciſio apud eos ſolemnis & frequens erat; & hanc ob cauſam ſacer textus habet: *Juxta ritum ſuum*. Si hanc autem veritatem expreſſius in Sacra Scriptura declaratam videre vis, audi Pſ. 105. 37. Prophetam dicentem: *Immolaverunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis*. Si ergo talia in terra aliquando viſa ſunt prodigia, ut ſanguine ſuo homines effuſo & propriis etiam mactatis filiis diabolum honorarent; cur tu, cum, quanta Deum verum affeceris contumelia, recordaris, ad ipſum, non ſanguinis effuſione, vel eorum, quos caros habes, interfectione, ſed intima quadam compunctione, per quam veram etiam vitam acquires, honorandum non converteris? Veni igitur, B homo mortue, veni, & ad vocem Chriſti Ieſu, qui apertis te brachiis exſpectat, & ad pacem per ſuavem quamdam pœnitentiam te invitat, reſurge.

CAPUT IV.

Motivum ſecundum ad contritionem excitans ex acceptis à Deo opt. max. beneficiis petitum.

CErtiſſimum eſt, nec non quotidianis exemplis & experientia confirmatum, magnam beneficiis ineſſe ad hominum corda emovenda efficaciam: cujus rei quiſlibet fidele dare teſtimonium poteſt, ſi modo conſideret ea, quæ in ſe ipſe ſentit, poſtquam C ab aliis vel opibus, vel honoribus fuit donatus, ſi præſertim hi viri ſunt illuſtres & graves, & ipſe id è contra parum promeritus. Non eſt porro neceſſe pluribus hanc me veritatem rationibus probare: eas namque ſuperfluas eſſe, forſan Lector mihi dicet; cum nimis quam ſatis omnibus nota ſit, & paſſim in foris ita uſum & locum obtineat in beneficos gratitudo, ut cum hanc ſervi Chriſti conſiderant, non poſſint non Comparationes. erubeſcere. An non, qui ante ære erat alieno gravatus, ubi ſe ab eo per alium ſolutum cernit; eum qui carcere clauſus gemebat, & poſt in libertatem aſſeritur; eum qui inter Turcas captivus erat, & ſe redemptum videt; eum qui in vitæ amittendæ verſabatur periculo, ab alio ſe fuiſſe propugnatum; eum, qui in infimo repebat ſtatu, alterius cujuſdam beneficio ad altiora evectum D; an non inquam hos omnes emptitios quodammodo ſervos, ac benefactorum ſuorum fieri videmus mancipia, eoſque ſibi perſuadere, multis ſe eſſe ad his obſequendum, & honore afficiendos nominibus obligatos; brutalis cujuſdam ſtuporis ſpeciem ratos, vel minimum benefactores ſuos offendere, & omni gratitudinis genere illis viciſſim non reſpondere? In multorum Principum terrenorum aulis ea locum res habet, in quibus plerumque & gratitudo coli, & ingratitudinis nota ac probrum maxime caveri ſolet; ut quam & mundani homines, quique parum ſpirituales ſunt, ſugillant. Hinc ortum habet aſſidua illa aulicorum in Principum veſtibulis obambulatio, & quo- E dammodo excubans præſentia, adeo ut & atrii, qui beneficium aliquod receperunt, gratitudinis catenis ad benefactorum ſuorum januas vincti fixique videantur: Hocque non apud Chriſtianos tantummodo, ſed & Turcas Mauros, Judæos, alioſque infideles, conſenſu quodam admirabili, locum obtinet; adeo ut qui apud eos gubernant, & ſubditorum animos in partes ſuas pertrahere ſatagunt, ac devincire ſibi, communiter beneficia in eos conferre ſoleant, rati tum demum ad ſeditionem ſubditos non concitandos, nec ullam adverſus dominos ſuos proditionem molituros, ſi ſe beneficiorum pondere præventos & gravatos viderint. Hanc ob cauſam ſeniores, prudentioreſque regni conſiliarii F Roboamo Regi, qui ſubditos velut ſervos & mancipia habere volebat, conſuluere, ut quod ab eo hi petebant beneficium & gratiam, haud invite ipſis concederet; *Si petitioni eorum ceſſeris, & locutus fueris ad eos* 3. Reg. 12.7. *verba lenia, erunt tibi ſervi cunctis diebus.* Verum quid hominum ſapientium conſiliis afferendis inſiſto, cum omnes ſine exceptione ulla, non minus indocti, quam docti, in doctrinam hanc irrefragabilem quam propoſui conſentiant; & naturalis ipſorummet animalium ratione carentium inclinatio, & propenſio eamdem confirmet, quorum mira in benefactores ſuos gratitudo eſt, & ſtupenda adeo, ut niſi quis eam coram ſuis oculis videret, vix fidem ea inveniret? Quis G enim ignorat, quid ordinarie in herorum ſuorum gratiam faciant canes, à quibus tamen vix fruſtum panis aridi, quo vitam ſuſtineant, recipiunt? Canis fidelitas erga Dominum. quanam ipſis fidelitate ſerviunt? quam illos animoſe propugnant? quam denique oſtendunt triſtitiam, quando ab illis diſiungi compelluntur? Apud pium ipſe Lectorem fatear neceſſe eſt, ad conſiderationem ſæpe me interiorem & compunctionem commotum fuiſſe, quod canes quoſdam magna doloris ſignificatione viderem ſuis dominis non inventis vlulantes, adeo ut nullis blanditiis, immo nec cibis quidem melioribus multo iis, quos heri dare poterant, projectis, deponere dolorem poſſent; fidaque hæc animalia tantum mœrorem & languorem præ ſe ferrent, perinde ac ſi vita ipſis deficeret, donec ab aliquo compaſſione moto tandem domum remitterentur, ut hoc H ſaltem pacto aliquatenus recrearentur. Quid ſibi ſtupendus hic, & mirus adeo ſenſus vult, niſi quia accepta ab heris beneficia horum animalium affectum ita benefactoribus ſuis agglutinant, ut horum præſentia vel parum carere, aut ab ea ſeparari, mortis quædam iis ſpecies videatur? Nec eſt, quod canes quis dicat animalia eſſe domeſtica, & cum ho-

hominibus habitare ſolita; quia & in feris animalibus ſimilia, quin etiam multo mirabiliora videre eſt: uti reipſa ſequenti in exemplo cernere eſt. Eques Hiſpanus loco nobili natus quadam die per quemdam Africæ agrum petranſiens, incidit in leonem, qui cum immani quodam dracone confligebat, & à quo arctiſſime in horrendo illo conflictu ſtringebatur. A Eques ut ſummo in periculo leonem conſpexit, ex equo deſcendens draconem haſta, quam manu geſtabat, tanta vi trajecit, & tam certo ictu, ipſum ut confecerit, itaque leonem à ſummo mortis diſcrimine eripuit.

Exemplum admirabile.

Cum ergo Eques inde digredi pararet aliud ultra non cogitans, ecce leo eum pone ſequitur, tanta amoris ſignificatione, perinde ac ſi domeſticus fuiſſet canis. Stupendum id Mauris Africanis viſum ſpectaculum eſt, quod leo ille illico adeo cicuratus nulla vellet ratione à benefactore ſuo recedere. Ubi ergo equitem in Hiſpaniam traiicere oportuit, nullatenus ab illo potuit leo divelli, adeo ut ſumma eum dexteritate occulte neceſſe fuerit in navim inſilere, ne à leone videretur. Hæſit igitur B ferum animal in littore ſummi doloris ſigna oſtendens, quod à domino ſe ſuo divelli, ac ſeparari cerneret; utque primum navis à littore ſolvi & in altum provehi cœpit, eum quem in corde fera premebat dolorem, rugitibus horrendis etiam exterius teſtari cœpit: donec tandem hanc avulſionem ferre non valens in aquam ſe coniecit, & natatu ad navem pertingere pro poſſe conata eſt, quoaduſque defatigata, & ab undis maris ſuperata & merſa mortem obiit, quæ intimam illius erga dominum ſuum gratitudinem teſtabatur. Quid de admirabili hoc caſu dicam? Quid hic mihi reſpondebit lector, qui Dei ſui beneficia, tam quæ jam ante ab eo accepit, quam quæ omni hora accipit, conſiderat? Quomodo hominibus cor non di- C ſrumpatur, divinam ſe recordantibus offendiſſe majeſtatem, quæ tantam cum ipſis miſericordiam fecit? Deberet profecto peccator in animum ſuum revocare, quæ homines erga benefactores ſuos facere ſolent, quæ ſi fortaſſe nimis multa illi videantur, id ſaltem facere eum oporteret, quod feræ, immaneſque faciunt belluæ, quæ ipſa beneficiorum violentia & potentia miteſcunt. Cur igitur in tua, ô peccator, duritie perſiſtis, nec miteſcis? cur tuum non ſequeris benefactorem & Dominum, qui ſibi te tanta inæſtimabilium bonorum copia ac multitudine devinxit?

Peccatoris duritia, & ingratitudo.

Cur ad ipſum non converteris, à quo te creatum, & deinde ex infernalis draconis, qui æternam tibi mortem minitabatur faucibus ereptum noſti? Memineris, quam- D nam in aliorum peccatorum cordibus divina beneficia impreſſionem faciant, & noli adverſus divinas miſericordias indureſcere. Graviſſime quidem deliquit David, & ecce Nathan Propheta Dei miſſu ad eum venit, acceptaque cœlitus beneficia illi in mentem his verbis revocavit, *Ego unxi te in Regem ſuper Iſrael, & ego erui te de manu Saul & dedi tibi domum domini tui, & uxores domini tui in ſinu tuo, dedique tibi domum Iſrael & Juda, & ſi parva ſunt iſta, adiiciam tibi multo majora. Quare ergo contempſiſti verbum Domini, ut faceres malum in conſpectu meo?* Hæc ad Davidem cum Propheta dixiſſet, tantæ in corde illius fuere efficaciæ, ut illico in *Peccavi Domino* cordialiſſimæ cujuſdam contritionis actu, proruperit, divinorum E beneficiorum vim ferre non valens.

2 *Reg.* 12. 7. 8. 9.

Ibid. v. 13.

Quare igitur tu, ô peccator, beneficiis etiam majoribus, quam ſuperiora illa in Davidem collata, quæ nonniſi temporalia fuere bona, à clementiſſimo Domino ditatus, non emoveberis, ut cum pio illo Rege intima quadam pœnitentia ipſe dicas. *Peccavi Domino*? Quid hæres, & exſpectas, frater chariſſime? An non ſanctum baptiſma, candidam divinæ gratiæ veſtem, quam tunc induiſti, regium Euchariſtiæ panem, Unigeniti filii Dei paſſionem & mortem, majora eſſe cenſes beneficia, quam Davidi fuerit, ad regnum temporale evectum fuiſſe, terrenaſque opes & honorem habuiſſe? Introrſum itaque poſt hac ad te ipſe convertere, tuumque benefactorem agnoſce, per cujus unius gratiam vivis & tui opportunitatem habes cum ipſo reconciliandi; ſine quo vera nec conſolatio, nec veræ vitæ ſpes haberi poteſt.

Panis Euchariſticus notatus.

CAPUT V.

Motivum tertium ad contritionem excitans: ipſa ſcilicet Dei, qua peccatores admittit, benignitas.

Nihil divinam magis bonitatem commendat, & nihil ad corda etiam adamante duriora emollienda eſt aptius, quam benignitas illa, qua peccatores ad ſe confugientes Dominus Deus excipit. Quod profecto ſummam quamdam admirationem meretur, G ſi Theologico quodam modo conſideretur injuria, quam peccando prævaricator in divinam majeſtatem irrogat; nec non quam facile delictis ſuis veniam impetret, ſicut è ſequenti videri diſcurſu poteſt. Commune Philoſophorum, nec non Theologorum dogma eſt, injuriæ gravitatem creſcere pro ratione magnitudinis ac dignitatis illius, in quem peccatum eſt. Verbi gratia: alapa inflicta homini plebeio aliquo modo quidem gravis habetur injuria; nobili vero viro paulo gravior; principi autem graviſſima: quia licet una & eadem materialiter ſit alapa, ejus tamen formalitas, injuria ſcilicet, è majori vel minori ejus, qui eam accepit, excellentia metienda eſt. Unde ſequitur, cum divina majeſtas infinitæ ſit excellen- H tiæ, injuriam peccati quid habere in ſe infiniti; ut bene intelligunt & ponderant illi, qui à Deo illuſtrati, & in interioribus animæ rebus verſati ſunt. Ad ingens hoc malum accedit & aliud inprimis ponderandum, ſcilicet peccatorem, quantum quidem in ſe eſt, non modo divinæ majeſtati honorem eripere; ſed ſi mortem ſubire Deus poſſet,

Philoſophicum, & Theologicum Dogma.

Scriptus An. 1609. fore ut & vitam illi eriperet, quia cum mortaliter homo peccat, alium quemdam ſibi præſtituit finem, quem pluris Deo facit: ſi vero juxta peccatoris mentem & affectum rerum fieret conſequentia, quoddam Deo ipſo ſuperius & majus bonum daretur, ac proinde divina Maieſtas bono huic ſubjecta eſſet, nec divinam dignitatem, quæ tamen A ſuprema eſſe debet, & conſequenter, nec vitam, nec eſſe divinum. Hoc profecto iis, qui oculos ſpiritualiter illuminatos habent, horrorem, & abominationem movet, tametſi peccatores de hoc nihil cogitent, neque ipſum, prout meretur, expendant. Hac doctrina ſuppoſita nullus adeo futurus eſt ſtupidus, qui non intelligat quam juſta de cauſa peccatoris injuria Deus exacerbetur, cum præter enormitatem injuriæ peccati, ejus etiam Eſſe, quantum quidem eſt ex parte ſua, ipſam Dei vitam & Eſſe deſtruat. Inſinuare & innuere id Scriptura Sacra in Geneſi videtur, quando de Deo graviter à peccatoribus exacerbato & læſo ſic loquitur: Gen.6.6. *Tactus dolore cordis intrinſecus*. Perinde ac ſi clarius multo hiſce verbis dixiſſet, peccati B injuria non in qualicumque parte Deo cauſata dolorem eſt, ſed in intimo corde, quod tantundem eſt, ac ſi diceret: Natura divina doloris quidem omnis incapax eſt; peccatum tamen natura ſua hujuſmodi eſt, ut, ſi ejus ipſa capax eſſet, dolorem & conſequenter mortem ei cauſaretur. Quid igitur de peccatoribus frequenter peccantibus dicemus, quibus voluptati quodammodo eſt, venenatis Domini cor ſagittis petere, ut ſæpe verum efficiant illud: *Tactus dolore cordis intrinſecus?* Quam merito igitur Deus Opt. Max. adverſus eoſdem indignari, & pro meritis eos caſtigare poſſet? Poſſet certe id quidem facere, & vindicativam juſtitiam exercere: ſuæ tamen ipſe injuriæ videtur obliviſci, & intimam quandam præferre voluptatem, ſi quando peccator C convertitur. Sicut multis Dominus in Evangelio parabolis ſignificavit, præſertim ovis errantis, & dein à paſtore inventæ, & drachmæ à muliere quærente repertæ; poſt quas addidit, quantum paſtoris & mulieris amiſſa ſua reperientium ſolet eſſe gaudium; tantum, immo maius in cœlo gaudium eſſe ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Sane ſi Gaudium in coelo ex peccatoris poenitentia. cœlum gaudeat, dicamus oportet, primariam gaudii partem ad ipſum cœli regem derivari, ad cujus nutum tota illa aula cœleſtis conformatur. Cum porro certum ſit, illa, quæ lætitiam aliquam cauſantur, magna cum facilitate, quin etiam aviditate recipi ſolere, ſequitur cum peccator ad Deum creatorem Filius prodigus peccatoris figura. convertitur, quodam ineffabilis dulcedinis modo, & benignitate infinitæ Dei D bonitati proportionata eum ab ipſo admitti. Expreſſe hoc Chriſtus Dominus in ſupra allegato Lucæ loco, in quo ſuaviſſimam illam de filio prodigo, qui peccatoris eſt figura, parabolam proponit, declaravit, de quo ſequentia Lucæ.15.20. refert verba: *Cum autem adhuc longe eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum*. Quæ verba tam ſublimem in ſe ſenſum tamque benignitatis & dulcedinis plenum continent, ut quamvis totus orbis plenus eſſet libris illum ſatis ſufficienterque exprimere non poſſent. Si ergo è verbis his Evangelicis ſuaviſſimum & tenerrimum modum evidenter colligamus E quo peccatores Dominus excipit, quis adeo futurus eſt rationis expers, qui tam ineffabilem benignitatem non admiretur? quis viſceribus miſericordiæ Domini reſiſtere poterit? Ecquod dari motivum, ut debitor aliquis magna cum fiducia ad ſuum creditorem veniat, poteſt efficacius, quam certiſſimo noſſe, ſe, ſi veniat modo, & veniam poſtulet, gratiam impetraturum, eamque facile admodum & maximi amoris demonſtratione conſecuturum? Nequam ille ſervus decem talentorum millia debens, mox ut ſe proſtravit, & remiſſionem petiit, eam obtinuit, ut colligere eſt ex illis Evangeliſtæ verbis. *Miſertus autem Dominus ſervi illius, dimiſit eum* Matt. 18.27. *& debitum dimiſit ei*. Deinde Publicanus, quamprimum dixit, *Deus propitius eſto mihi peccatori*, Lucæ 18. 13. 14. illico gratiam adeptus eſt, F *& rediit juſtificatus in domum ſuam*. Eadem quoque Mariæ Magdalenæ fuit fœlicitas: eandem quoque, quod magis mirandum, in momento crucifixus latro non ſine ſtupore omnium illud attente conſiderantium eſt conſecutus. Sed quid in re adeo univerſaliter manifeſta tot me neceſſe eſt exempla adducere, cum nullus umquam peccator ex toto corde ad Dominum ingemuit, cum præveniente Dei gratia cooperans, quin ſtatim hic miſericordiam illi fecerit, ob nullam delictorum ſive multitudinem, ſive magnitudinem factus alienior. Dicat mihi, ſi quis poteſt, num jam inde à mundi huc uſque principio in peccatore ullo, tametſi ſceleratiſſimo difficilem ſeſe divina majeſtas præbuerit, aut miſericordiæ illi ianuam occluſerit? Si Cain G ac Judam forte obiicere voluerit, ante conſideret, quæſo, quibus illos blandimentis & lenociniis Dominus ad pœnitentiam pellexerit; quæ hoc ipſe loco aſſerenda non putavi, ne in re, quæ omni dubio vacat & certiſſima eſt, probanda ſim diffuſior. Si igitur Domini noſtri benignitas, & in condonando facilitas tanta ſit ac tam univerſalis; cur tu, ô Chriſtiane peccator, qui hanc veritatem noſti, ad pœnitentiam non converteris? quare ad magnam compunctionem non emoveris, & cum eadem ad creditorem tuum non accedis, ut à debitis tuis, quibus gravatus es, & à quibus ad profundum inferni deorſum traheris, abſolvaris? Non eſt quod timeas, vel dubites, quamlibet maximus omnium ſis peccator: licet enim ſtrictum jam juſtitiæ mucronem in manu Deus H haberet, ut eo te percuteret; ſtatim ac te proſtratum videbit, & humiliatum, eum in vaginam recondet, teque arctiſſime complectetur, ac ſicut filium dilectiſſimum diliget. Utinam hanc graviſſimi peccatores veritatem intelligerent, & benignitatem hanc, & am-

Scriptus An. 1609.

Ierem. 2. 31.

A

B

ampliſſimam miſericordiam pro eo ac debent æſtimarent ac ponderarent! Ægre fert Dominus, tam iniquam hac in parte peccatores opinionem de ſe concipere, ſicut per Jeremiam de populi ſui ingratitudine expoſtulans, hiſce verbis ſignificat: *Videte verbum Domini: Nunquid ſolitudo factus ſum Iſraeli, aut terra ſerotina? Quare ergo dixit populus meus, Receſſimus, non veniemus ultra ad te?* Perinde ac ſi diceret, Ego non ſum ſicut terra ſolitaria & deſerta, quæ ſterilis eſt, nec ſicut terra male conditionata, quæ quidem colitur, ſed fructum ſuum reddit ſerius: in miſericordia enim erga omnes ſum ditiſſimus; nec eam facere differo; vix enim me invocatis, quin ipſe quamprimum clamori veſtro reſpondeam. Quid igitur, ô peccatores, à me receditis, & ad me converti renuitis, quaſi promptiſſimam & liberaliſſimam facere vobis miſericordiam non poſſem? Quid ad haſce benigniſſimi creatoris ſui interrogationes miſer reſpondere peccator poteſt? vere ſeſe is excuſare non poteſt, neve aliquid in ſui purgationem reſpondere. Non poteſt enim juſtum eſſe bellum quod adverſus ipſam geritur juſtitiam. Ei igitur ſeſe ſubmittat, & reali & cordiali contritione, ac firma quadam deſideratam miſericordiam obtinendi ſpe ad fideliſſimum Dominum ſuum convertatur.

CAPUT VI.

Motivum quartum ad contritionem excitans: Dei ſcilicet patientia in peccatoribus tolerandis & exſpectandis manſuetudo.

Dei patientia erga peccatores.

C

Eſth. 7. 9.

D

INgens quidem ad compunctionem motivum eſt id, de quo ſuperiori actum eſt capite, ſed non minus eſt, quod in hoc proponitur, Dei patientia ſcilicet & manſuetudo in peccatoribus exſpectandis, dum illos indemnes tolerat, & prout juxta ipſorum demerita facere poteſt, vindice in eos flagello non animadvertit. Ut autem magnum hoc, quod præ manibus habemus, motivum bene intelligatur, terrenorum conditionem & ſtylum præſupponere Principum oportet, qui ſtatim atque iniuriam aliquam accepere, de offendentibus acre quamprimum ſumere ſupplicium conſtituunt, nullum iis ad pœnitendum tempus indulgentes; ſicut in Amano Regis Aſſueri intimo ac familiariſſimo videre eſt. Ut enim primum ſiniſtrum illius molimen ac machinatio patuit, etiam una cum Rege & Regina ad menſam in ſplendidiſſimo quodam epulo aſſidens, illo ipſo in loco hiſce verbis ab irato Rege morti adjudicatus eſt, *Appendite eum in ligno, quod Mardochæo ipſe paravit:* quod extemplo juſſum executioni mandatum eſt. Atque idipſum ſtrictiſſimè apud omnes orbis nationes ſimilibus in caſibus obſervari ſolet, adeò ut Principes injuria affecti, quam poſſunt citiſſimè de medio auferre contendant eos, à quibus eam acceperunt. Illorum adhæc & multitudinem & enormitatem peccatorum præſuppono, quæ in plateis & vicis paſſim committuntur ac præſertim illa, quæ maximè horrenda ſunt, qualia ſunt blaſphemiæ illæ hæreticæ, quæ innumeris peccatoribus jam redditæ ſunt familiariſſimæ, nec non veneficia, & initæ cum cacodæmone pactiones; quæ aſſiduè magis magiſque ſerpunt, & maximopere invaleſcunt, ut nimis quàm frequenter manifeſta quædam & horribilis inter peccatores & diabolos, juratos & notorios divinæ majeſtatis hoſtes jam introducta ſit amicitia. His ſuppoſitis; altiſſimum quemdam patientiæ ac manſuetudinis in magno hoc Domino & Creatore gradum videre eſt, cum injurias multò atrociores iis, quæ Regibus terrenis & fiunt, & fieri poſſunt, quam patientiſſimè toleret. Et quibus in caſibus & offenſis hi nullum pœnitentiæ locum dant vel tempus, immò ne vel horam vitæ, in illis clementiſſimus Dominus omnia intuens tacet & diſſimulat, & ea quidem bonitate adeoque eminenti, ut ſtuporem moveat iis, qui ipſam dignè perpendunt. Hac de cauſa hiſce verbis exclamat Abacuc Propheta: *Quare reſpicis contemptores, & taces, conculcante impio juſtiorem ſe?* Fuit hæc viri cujuſdam pii interrogatio, cui ob aliquas quidem rationes æquum & fas fore videbatur, ut in inſolentiam peccatorum Deus vindex quamprimum animadverteret: ſed ſi rationes alias ſuperiores in divinæ bonitatis abyſſo fundatas conſideremus, reſpondere Prophetæ poſſumus; Divinam quidem majeſtatem omnia videre; at per infinitam miſericordiam ſuam tacere & diſſimulare, peccatoribus tempus concedendo, ut convertantur, & pœnitentiam agant & maluiſſe per tot ſæcula, & in omni ætate cum tam innumerabili hominum ingratorum numero tacere & gerere ſe, quaſi ſi nihil videret, quam ſubito illos caſtigare, invincibilem ſuam hoc modo patientiam oſtendens. Mirum profectò eſt, peccatorem, cum capitalis ſit Dei inimicus, atque in ſtatu ultioni ſubjecto perſeveret, & propria illi dictet conſcientia, juſtitiam juſtiſſimas habere rationes, ob quas quam juſtiſſimè tremendo in ſeſe ſupplicio animadvertat, quin etiam manifeſtè videat, adeò ſe non percuti, ut benignè ad pœnitentiam potius vocetur, de ſe tamen convertendo non agere vel laborare. Meritò ergo ab hujuſmodi peccatore percontatur Apoſtolus, *An dvitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ſua.* Hæc Apoſtolus alto quodam ſenſu de longanimitate & patientia Dei loquitur. Si verò ita ſe res habeat, dic mihi peccator, quid de adeò ineffabili miſericordia ſentias? Quid in poſterum facere decernis? Semperne Domini & Creatoris tui abuti vis clementia? Eſſene vis Pharao quidam, toties & tam ſæpè exſpectatus, & tandem obſtinatus & reprobatus? Quamobrem animæ

Peccata enormia enumerantur.

E

Cap. 1. 13.

F

Dei miſericordia in peccatores.

G

Rom. 2. 4. 5. 6.

H

ocu-

Scriptus An. 1609.

oculos in cœlum non ſuſtollis, & non advertis te juxta præſentem juſtitiam, inſanabili cuidam ictui obnoxium eſſe, & non times, ne ſagitta aliqua de cœlo derepente miſſa vitam corporalem in momento amittas, & A in perpetuum damnatorum carcerem coniiciaris? Vide, quomodo iræ ſuæ impetum Dominus cohibeat, tibique ignoſcat; cur igitur tam admirabilis te dulcedo non movet? Saul, & David. Saul peccator quidem erat duriſſimus, Davidis tamen patieniæ ac manſuetudini reſiſtere non poterat: cur tu igitur divinæ reſiſtis? Cum enim Saul cum tribus armatorum millibus in deſertum Ziph veniſſet, ut innocentem David interficeret; David prudenti quodam Saulem ſtratagemate eludere, & ſaxeum illud cor emollire ſtuduit. Secretò namque caſtra Saulis, comite aſſumpto Abiſai viro fortiſſimo, ingreſſus eum in ſuo tentorio dormientem offendit, nec non haſtam ad latus Saulis terræ infixam. Abiſai itaque occaſione adeò opportuna inimici jugulandi utendum ratus Davidem hiſce verbis compellavit: 1. Reg. 26. 8. B *Concluſit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas: nunc ergo perfodiam eum lancea in terra ſemel, & ſecundo opus non erit.* Ut hæc David verba audiit, adeò non necem hanc permiſit, ut Abiſai impetum verbis hiſce imperioſis compreſſerit: *Ne interficias eum*, acceptaque lancea inde diſceſſit. Ut ergo ſatis magno à caſtris abfuit intervallo, alta inclamavit voce, quæ & dormientes excubitores expergefecit, & ad uſque cor Saulis penetravit, indicans eis, ecquo verſatus jam jam fuiſſet in periculo. Saul itaque cum videret, & manu quodammodo tangeret, Davidem, cum ſibi necem inferre commodè potuiſſet, ſibi peperciſſe, adeò corde commotus fuit, ut & ipſe in vocem hanc clamando proruperit: Ibid. 21. C *Peccavi, revertere fili mi David: nequaquam enim ultrà tibi malà faciam, eo quod pretioſa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quod ſtulte egerim, & ignoraverim multa nimis.* Hæc Saul animo ſatis emollito & teneris affectibus commoto cum dixiſſet, abiit in locum ſuum confuſus & humiliatus. Sed quamobrem mollitus eſt? quis enim humiliavit, quis pœnitere fecit? an non tria ſecum hominum habebat millia? cur non facit, ad quod faciendum venit? Reſpondeo, Davidis manſuetudinem manus quodammodo & cor cum Sauli, tum univerſo ejus exercitui ligaſſe. Si itaque hominis cujuſdam patientia & manſuetudo perverſi cujuſdam peccatoris (qualis erat Saul) cor & manus vinxit, eumque mirabili quadam converſione D dicere fecit, *peccavi*, eò quod illi vitam parcendo condonaſſet; cur divina cor tuum patientia, cæce peccator & ingrate, non movet, teque unum *peccavi* ex intimo corde profectum dicere compellit; cum omni, quo in peccati ſtatu agis momento, dignus ſis morte, & juſtitiæ lancea cervicibus quodammodo tuis impendat, cujus impetum unica divina cohibet miſericordia? Revertere itaque nunc, fili aliene, revertere ad domum patris & domini tui; & de præteritis dolens commiſſis per veram illi pœnitentiam ſatisfacere ſtude.

CAPUT VII.

E

Motivum quintum ad contritionem excitans: ſingularis ſcilicet honor & favor, quo proſequitur Dominus eos, qui toto ad ipſum corde convertuntur.

Dignis ſat verbis exprimi non poteſt Dei in peccatorum cauſis bonitas; ea namque amoris argumenta & indicia erga veros pœnitentes & exhibuit ſemper, & modo exhibet, eos honoribus & eminentioribus quibuſdam favoribus proſequendo, perinde ac ſi magna quadam cum puritate, & innocentia quadam ſingulari vixiſſent, adeò ut peccatum commiſiſſe non modò Domini Dei animum à peccatoribus non abalienet, ſed F mira etiam ratione eum ſibi devinciat, quod ſanè non niſi infinitæ cuidam bonitati, quæ infinitè ſuiipſius communicativa eſt, attribuendum eſt. Ut vero hanc à principio veritatem deducam, præmitto: etſi iis ſeſe Dominum communicare, à quibus nulla injuria affectus, & provocatus ad iram non fuit, ſummæ cujuſdam (ut humano noſtro more loquar) bonitatis ſit gradus; non tamen adeò Tres bonitatis gradus enumerantur. is altus eſt, ut, dum ſe communicat iis, qui ipſum offenderunt. Diſcrimen hoc è communi Philoſophorum & Theologorum, tres eſſe dicentium bonitatis gradus, doctrina colligitur. Quorum primus ſit, benefacere ei, qui bene tibi facit; atque hæc ordinariæ gratitudinis & reciprocationis ſpecies eſt: ſecundus, benefacere ei, qui nec bene tibi facit aut malè; is altior quidam bonitatis eſt gradus: tertius denique, benefacere illi, qui tibi injurius eſt; atque is bonitatis & charitatis gradus eſt omnium ſublimiſſimus. G Hanc porro graduum diſtinctionem ipſe innuere videtur Apoſtolus ad Romanos ſcribens! hiſce verbis: Rom. 5. 8. 9. 10. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis; quia cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multo igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius.* His è verbis efficere vult Apoſtolus & probare, credendum videri, ſalutem ac veram vitam juſtis a Deo communicandam, cum & ipſos peccatores juſtificarit; quod multò fuit admirabilius, majoriſque charitatis ſignificativum, atque idcirco argumentum format, quod à majori ad minus vocant, hacque formula utitur, *multo magis*; tamquam ſi diceret, ſi divina bonitas fecit, quod H majus eſt, ergo etiam, quod minus eſt faciet: ſi ſalutem & gratiam ſuis communicavit inimicis, ergo multò eam facilius ſuis elargietur amicis. Hic quidem verborum Paulinorum ſenſus eſt. Si verò me roget quis, ecquod à parte Dei in variis hiſce ſui communicandi gradibus ſit diſcrimen: reſpondeo intrinſece quidem in natura divina, quæ ob infinitam perfectionem ſuam mutari variarique minimè poteſt, nullum eſſe; quoad ipſos tamen effectus, hoc inter ſe differre, Inimicorum dilectio commendata. quod divinæ bonitatis intentum in ſuperiorum gradum tertio altiori quodam modo A eluceſcat, quam aut in priori aut ſecundo. Atque hæc illa charitatis Dei erga inimicos commendatio eſt, quam tantopere paſſim celebrat Apoſtolus; cum qua etiam egregiè D. Thomas admodum doctrina D. Thomæ conſonat, docentis filium Dei incarnandum minime fuiſſe, ſi homo non peccaſſet: tamquam ſi diceret, ipſum in gradu quodam, qui infinitam bonitatem & charitatem ejus indicet, ſe communicaſſe, dum bene ſuis fecit inimicis. Hanc quoque doctrinam Redemptor noſter Jeſus, in terris dum viveret, ita opere præſtitit, ut in iis, quæ in ipſo carpebant Phariſæi, id non poſtremum eſſet, quod nimis cum peccatoribus familiariter ageret; unde & à diſcipulis illius hi quærebant: Matt. 9. 11. *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magiſter veſter?* Cui objectioni Redem- B ptor quam benigniſſimè reſpondit, peccatorum ex intimo corde partes tuendas & propugnandas aſſumens, velut proprias ſibi, & unicum officium, ob quod de cœlo in terram deſcendiſſet. Hac doctrina ita ſtabilita, jam poſita, à peccatore ipſe ſciſcitor, ecquod ad converſionem ſui dari illi motivum queat efficacius, quam noſſe, manſuetiſſimum Dominum ſuum non præterita ſolum commiſſa illi indulturum; verum etiam infinitæ cujuſdam charitatis argumenta erga ipſum, velut amicum chariſſimum exhibiturum? Quid igitur converti differt! quin quam poteſt citiſſime reſipiſcit? an forte juſtitiam perhorreſcit? ſane non tantum eam timere debet, ut propterea converſionem differat; C præſertim ſi de ad Deum convertendo agi conſideret. Si quis aliquam alteri injuriam intulit, etſi is vel pater, vel frater ſit, ſemper inferens ſibi ab eo metuit, nec de venia habita ſecurus eſt, licet apud eum quem offendit ſeſe humiliet. In hiſtoria Joſephi filii Jacob id videre eſt, cujus fratres jam patris orbatos præſentia (ut qui jam expirat) non parum legimus timuiſſe, ne male à fratre ſuo injuriarum memore exciperentur, ut è ſacris verbis colligere licet: *Quo mortuo timentes fratres ejus, & mutuo colloquen-* Gen. ult. 15. *tes, ne forte memor ſit injuriæ, quam paſſus eſt, & reddat nobis omne malum quod fecimus.* Hæc quidem fratres Joſephi metuebant, ſed ipſe ut vir ſecundum cor Dei, quando eos coram ſe proſtratos vidit, lachrymatus, ſæpius iiſdem ſpopondit: *Ego* D Ibid. 21. *paſcam vos, & parvulos veſtros.* Hæc figura ſunt eorum, quæ cum peccatoribus clementiſſimus Deus facere ſolet: utpote quibus non modo bene facere, quaſi juſti fuiſſent, ſed etiam ſingularibus quibuſdam honoribus per fideliſſimæ cujuſdam correſpondentiæ modum afficere ſingulari quadam ratione contendit. Graviter quidem peccarat David, ſed converſus eſt, hinc (notate rem miram) quotieſcunque honorandi ejus ſeſe offerret occaſio, honorificam poſtea ſemper ejus mentionem Dominus, ſancta quadam, & irreprehenſibili ſingularitate faciebat; uti, cum Salomoni, cujus regnum ob peccata enormia dividere & diſtrahere volebat, dicebat; 3. Reg. 11. 12. *Verumtamen in diebus tuis non fa-* E *ciam propter David patrem tuum*, & multis poſt annis Ezechiæ: *Protegam urbem hanc* 4. Reg. 19. 34. *& ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum.* Propter quæ verba hoc ipſe modo petere à Deo poſſem: Quis, obſecro, ille favor eſt, infinitæ majeſtatis Domine, quis honor, quis cultus, quem Davidi exhibes? peccatorum ejus, quæ quondam admiſit, non recordaris? oblitus ne es adulterii, homicidii & ſcandali, quod ſanctæ civitati dedit? Fuitne David vir innocens, ut tam inſolita eum ratione honores, tibi ipſum in Jeruſalem defenſione parando Ibid. & ſimul nominando hiſce verbis: *Propter me, & propter David ſervum meum?* Ecquis ille eſt erga ſcelerum graviſſimorum rerum affectus? Sed huic interrogationi re- F ſponderi queat, infinitæ Dei bonitati admodum conſentaneum & conveniens eſſe, pœnitentes ſublimi quodam modo honorare; utpote quibus ſuperiora crimina minimè nocent, quando poſt illa realis intimaque ſequitur converſio. Quod liquido in S. Petro patet, qui quamvis Redemptorem Chriſtum Peccatores converſi maximis favoribus a Deo decorati. negaſſet, non idcirco minus poſt converſionem ab eo & amatus fuit, & altiſſimæ cujuſdam dignitatis honoribus condecoratus. Sed veritati huic manifeſtiſſimæ probandæ diutius immorari minime oportet, cum & Paulus prius perſecutor; & S. Auguſtinus infamis antea peccator, aliique plurimi, intimi cariſſimique poſtea Dei amici facti ſint. Si igitur tantis peccatores divina majeſtas honoribus & favoribus adobruit, cur ô fra- G ter mi, qui in peccato agis, vilem & infelicem hunc ſtatum non deſeris, teque tuo reconciliare Domino ſtudes? Quid quæſo, in peccati vilitate & ſterilitate quæris, quod tibi ſatisfacere queat? Verum tuum deinceps bonum quærito, priorum te criminum pœniteat, novamque vitæ rationem ordire, qua aptus fias, qui à Deo honoreris, & gratias accipias ampliſſimas.

CAPUT VIII.

Motivum ſextum ad contritionem excitans: modus videlicet, quo ad pœnitentiam Dominus peccatores invitat.

H UT aliquam tantum eorum, quæ præſens hocce motivum multa continet, particulam exprimam, præmitto, cum à divina Peccatores ad pœnitentiam vocantur. majeſtate ad pœnitentiam invitamur, rem id eſſe ex ſe ſummè admirabilem; tametſi tot aliunde exquiſiti modi, quos immenſa Dei Optimi Maximi propter noſtram ſalutem caritas adinvenit, velut circumſtantiæ ad eam etiam non accederent. Si enim Theologica quadam ratione ipſa peccatoris ad gratiam invitatio conſideretur; euidenter profectò patebit, aliud eam non eſſe, quam inimicum quemdam ad reconciliationem invitare, quod revera ineffabilis cujuſdam caritatis actus eſt, tum quod inimicus adeò vilis ſit, adeoque miſericordia indignus; tum verò quod cum Dominus ipſa ſit magnitudo, primus ipſe tamen invitet, ſeque amicitiam inire velle ſignificet.

A

Dei amicitia qualis?

Amicitia profectò ſublimiſſimæ hujus majeſtatis talis eſt, ut ſi ſine ejus gratia præveniente haberi poſſet, ita quidem ut homo offendens primò de ſe reconciliando agere inciperet; tamen, licet vel denis millibus annorum miſericordiam poſcere deberet, & licet totidem annis omnes pro illo Sancti, qui in cœlo ſunt intercederent; inæſtimabile quoddam beneficium eſſet ſi poſt tantas præmiſſas diligentias Deus Optimus Maximus, qui offenſus eſt, tandem placaretur, peccatoremque in gratiam admittere dignaretur.

B

Sed ipſummet Dominum, quì injuriam accepit, primum inimici ſui animam vocare & inuitare, res eſt, quæ nec humanis poteſt linguis, nec angelicis ſatis digne exprimi. Juxta doctrinam hanc eſt ipſa peccatorum vocatio ponderanda, utpote in qua tenerrimum ardentiſſimumque quemdam erga ipſos Dominus affectum oſtendit, ſicut videre eſt in ſequentibus illis Jeremiæ Prophetæ verbis, in quibus ſub metaphora mulieris à viro ſuo recedentis, & cum aliis amatoribus fornicantis, de peccatoribus populi ſui Deus loquitur: *Vulgo dicitur; ſi dimiſerit vir uxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eam ultrà? Numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me.*

Dei amor in peccatores notatus.

Jerem. 3. 1.

C

Quoniam vero infinitam hanc caritatem ſuam, quæ in peccatoribus vocandis & ad amicitiam ſuam invitandis conſiſtit, notam omnibus eſſe cupiebat, hæc mox ad Jeremiam verba loquitur: *Vade* Jeremia, *& clama ſermones iſtos contra Aquilonem, & dices, Revertere averſatrix Iſrael, ait Dominus, & non avertam faciem meam à vobis: quia ſanctus ſum ego, dicit Dominus, & non iraſcar in perpetuum.*

Ibid. 12.

Hanc voluntatis ſuæ declarationem publicationemque ſolenniter & palam fieri voluit motu proprio, adeo ut de propoſita ſupra quoad infinitæ bonitatis & charitatis & invitationis peccatorum ad gratiam commendationem doctrina dubitare nefas ſit, in quo magnus quidam ad compunctionem ſtimulus eluceſcit.

D

Quis enim corde adeò præfracto futurus, ut tam amica audita vocatione ad dolorem concipiendum, quod tantæ clementiæ, ac benignitatis Dominum offenderit, non concitetur? Sed ut ad particulares, quibus peccatores ipſe invitat, modos veniamus, prædicti motivi pondus inde etiam augetur, quod peccatores Chriſtiani probe norunt, quam multis affectuoſis inventionibus ipſorum Dominus corda emollire contendat, perinde ac ſi omnis ſua ab inimicorum ſuorum converſione vita dependeret. Stat nimirum ad oſtium, & tam variis inſpirationibus, tot tantiſque motibus ipſum pulſat, ut prodigio ſimile videatur, tantæ poſſe benignitati peccatores reſiſtere,

Deus diverſa induit ſchemata.

E

Diverſa quoque induit ſchemata & figuras, modo patris, modo matris, modo amici, modo hoſpitis, quo in hominis cor ingrediatur, ipſumque ad ſe pertrahat.

Actor. 9. 4.

Damaſcum Saulus olim properabat, ſpirans minarum & cædis in innocuos diſcipulos Domini; & ecce, manſuetiſſimus ille Agnus Dei ſeſe illi in via ſpectandum offert, & ait: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Qui peccatores ad pœnitentiam invitandi modus adeo quidem mirabilis eſt, ut comprehendi penitus nequeat, & ejus, qui ipſum attentè conſiderat, animum in ſtuporem rapiat. Quid? effræni cuidam peccatori ſatis non erat, gravibus ac tremendis verbis ad gratiam invitari? An non etiam ſingulare quoddam fuiſſet beneficium, ſi vel terroribus inferni propoſitis Deus ipſum converteret, oſtendendo illi aliquo modo ſummam ſuam majeſtatem, ac potentiam nihil niſi terribile continere? maxime.

F

Cur porro leo ſit agnus? cur tanta patientia & manſuetudine de Saulo velut plangit dicens: *Quid me perſequeris*? Ideo id factum eſſe reſpondeo, ut illo placide & benigne vocandi modo eo elatum Sauli cor potentius edomaret. Quid autem de aliis ejus invitandi modis, quos ad doctrinæ hujus, in qua glorificari imprimis Dominus ipſe vult, confirmationem Evangeliſtæ referunt, dicam? Quoties enim in peccatorum ſeſe ultro ingeſſit contubernia, & familiaritates, ut quas quærebat, eorum ad ſe pertrahendorum occaſiones inveniret? Quæcumque quidem hoc in genere Redemptor præſtitit, ab Evangeliſtis omnia ſcripta non ſunt; ex iis tamen, quæ conſcripta ſunt, bona quadam conſequentia alia ſimilia eliciuntur & colliguntur.

G

Chriſti cum Samaritana conloquium notatum.

Quis adeo futurus ſtupidus & bardus, qui, cum in Evangelio ſuaviſſimam illam Salvatoris Chriſti cum Samaritana communicationem & colloquium legit, non ſtatim intimum illum perſpiciat affectum, quo ad puteum Chriſtus ante acceſſit, aquam ab ea popoſcit, ac tandem manifeſte illi, ſe Salvatorem mundi eſſe declaravit?

Abraham, Iſaac, & Iacob Dei amici.

Abraham inſignis prærogativæ loco duxit, vel eminus aliquam Chriſti figuram videre, uti & Iſaac & Jacob, Dei amici fideliſſimi; ipſi quoque Prophetæ velut immenſum quoddam interpretabantur beneficium, Meſſiam aliquando venturum noſſe: & ecce peccatrix quædam mulier plane manifeſteque ab ipſomet inſigni quodam favore audit: *Ego ſum*: quod ſanctorum etiam illuminatiſſimorum animos in admirationem rapit.

H

Ecquæ inventiones adeo novæ, & adeo attractivæ ſunt hæ! Quid dicere mihi peccator de hiſtoria hac Evangelica poteſt? Reſpondebit fortaſſe, ſi & ipſe eo vocaretur modo, quo Saulus vel mulier illa Samaritana, ex corde ſe convertendum. Sed quare ſic reſpondet? An non fortaſſe ſatis illi eſſe debet,

Scriptus An. 1609.

Peccator perſecutor Chriſti. A

eundemmet Chriſtum, qui Saulo ſemel dixit: *Quid me perſequeris?* idem ſibi ad cor ſuum loquendo, non ſemel, ſed ſæpius dicere? An non ſufficere illi debet, quod qui Samaritanæ ſemel dixit, *Ego ſum*, is toties ſibi idem per internas inſpirationes & motus dicat? Ecquæ illa, ô ingrate peccator, durities eſt? quis ille, ô Chriſti perſecutor, furor, ut interim dum peccas, & violenter Creatorem tuum oppugnas, ipſe te ineffabili quadam dulcedine ad pacem invitet? Cede deinceps, teque redde Deo, ac manſuetiſſimo Redemptori tuo ſincere te reconciliare contende.

CAPUT IX.

Motivum ſeptimum ad contritionem excitans: quantum ſcilicet homo, dum peccat, ſibi malum conſciſcat.

B

Comparatio

C

Gratia participatio quædam naturae Divinae.

D

HOC capite, cum de malo, quod peccando peccator incurrit, loquendum mihi ſit, ante præmittendum eſt, quantum homo, dum in gratiæ verſatur ſtatu, poſſideat boni: neque enim benè paupertatis intelligi malum poteſt, niſi quod abundantia & opulentia includunt bonum, cognoſcatur. Chriſtianus itaque Lector norit oportet, hominem, in gratiæ ſtatu, eſſe velut palatium pretioſiſſime exornatum, & condecoratum, in quo Divina Majeſtas incredibili quadam cum voluptate commoretur. Nam juxta Divi Thomæ doctrinam, in animæ eſſentia habitus gratiæ conſiſtit, per quam nimirum homo divinæ naturæ fit particeps, cum excellentiſſima illa qualitas, quam gratiam vocamus, mirabilem quamdam illi cum Deo optimo maximo, quæ totius mundi nequit eloquentia exprimi, ſimilitudinem communicet, cum nullum in hac vita homines propriè bonum cognoſcant, quod cum illo comparari mereatur, etiamſi aliquis omnes terræ divitias, delectationes, & regna ſolus per aliquot annorum millia, nec non omnem, quæ in mundo reperitur, proſperitatem & conſolationes poſſideret. Poſito itaque, nullum omnino dari bonum poſſe, quod ad immenſum gratiæ bonum cognoſcendum ſufficiat, ſequitur id nobis ineffabile eſſe, & ſufficere nobis debere, ſcire, quod (uti dictum eſt) ipſa quædam ſit divinæ naturæ participatio, vel conſortium: quo loquendi modo altitudo & dignitas quædam veluti divina deſignatur. Ad hunc autem habitum & pretioſiſſimum eſſentiæ animæ ornatum accedunt poſtea virtutes, quæ inſeparabiles quædam gratiæ ſunt comites, nec non ipſa Spiritus ſancti dona, ad animæ potentias componendas & ſpiritualiter diſponendas, quo excellentes quoſdam producant actus, qui ingens gratiæ ac gloriæ augmentum promereantur; quorum adminiculo anima & ditiſſima, & oculis Dei gratiſſima reddatur. Si autem hanc ſuis in hac terra exilii opulentiam & pulchritudinem oculis videre homines poſſent, tales quidem bonum hoc in ipſis ſui amores excitaret, ut omnium, quæ terra habet, amabilium facile obliviſcerentur, eaque velut lutum, aut ſi quid aliud vile & contemptibile eſt, aſpernarentur. Sequitur ergo hominem divinæ naturæ per gratiam factum conſortem, Dei amicum & vivum Chriſti membrum conſtituit, & aliquam cum omnibus, qui divinam charitatem modo quodam divino poſſident, correſpondentiam habere, & magnis quibuſdam paſſibus ad ſummi & æterni boni fruitionem contendere. Hæc quidem boni, quod juſtus poſſidet, deſcriptio pio lectori ſatis erit, utpote qui plura majoraque credere debet, quam verbis exprimi queat, juxta fidei rationes ſeſe dirigendo. Omnis porro hæc ſpiritualis animæ felicitas ac bonum unico peccato in momento amittitur: eſt id namque ceu rapidiſſimus quidam torrens, qui amœniſſimum hortum pertranſiens, omniaque ſecum deſtruendo raptans, illum cœno & uligine plenum & deſolatum relinquit, ut videnti horrorem moveat, & commiſerationem. Anima itaque per peccatum inæſtimabili illo gratiæ bono, & virtutibus, quæ ejus ſunt comites, nec non Spiritus Sancti donis & chariſmatibus orbatur, figuramque & formam induit turpiſſimam, ut cacodæmoni perſimilis videatur: adhæc Dei perdit amicitiam, & communicationem Sanctorum, jus item ad æternam gloriam, ſubitoque feralem privationis divini conſpectus, atque horrendæ perpetuæque pœnæ ſenſus in inferno ſubeunda reatum incurrit. Nulla deſolata & ſale conſperſa civitas, & nulla per terræ motum & fulgura everſa regio inveniri poteſt, quæ cum animæ in peccato mortali hærentis deſolatione, vaſtatione, ac clade queat comparari. Ut civitatem ſanctam, deſtructam, ac crudeliter, & ignominioſe ab inimicis tractatam vidit Hieremias, amare planxit, & inter alia ſic lamentatur: *Filii Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?* Quibus verbis indicare Propheta voluit Hieroſolymitanos, qui ante aureis amicti erant indumentis, magnique ab omni populo fiebant, & honoribus colebantur Chaldæis venientibus ludibrio & contemptui fuiſſe, nec non profligatos & confractos, perinde ut luteum vas confringi ſolet. Quod ad litteram Hieroſolymis factum eſt, ſpiritualiter id in ea anima contingit, quæ ante civitati ſanctæ erat ſimilis, poſtea per peccatum inquinatur & profanatur: prius namque hæc primo charitatis auro, aliiſque multis ornamentis pretioſiſſimis erat induta, & à populo Dei colebatur & diligebatur; & ecce unico à Chaldæis, id eſt, dæmoniis, momento omni illa ſplendore interiore ſpoliatur, & everſa, profligata, & hoſtili furori expoſita manet. Neque vero eſt, ut Chriſtianus peccator ſeſe excuſet dicendo, hanc ſe ſtragem non videre, voluptatibus ſe ſuis dumtaxat intendere, nec aliud curare. Etſi enim vere deſtructionem hanc, quæ inviſibilis eſt, non videat, certiſſimo tamen

Homo per gratiam divinae conſors naturæ. E

F

Animæ peccatricis ſtatus.

Thren. 4. 2. G

Chaldaeorum figura. H

Scriptus An. 1609. eam credit; & hac fide ſuppoſita verum eſſe nego quod ſuas ſolum ſe dicit ſpectare voluptates, aliud non; illi enim velit nolit, divinæ contingunt inſpirationes, à quibus introrſum affligitur, & voluptates & gaudia ejus interturbantur. Continget enim peccatori, poſtquam mane unum, aut plu- A ra peccata mortalia commiſit, poſtea cum multis aliis mundanis menſæ accumbenti, etiam in voluptates ſeſe totum effundere geſtienti, de repente inſpirationem quandam veluti ſagittam incidere, ei hanc cor medium traiicere, & his velut verbis coarguere. Imminere tibi jamjam videbis, infelix peccator, divinam juſtitiam: modo ipſe rides, ſed irremediabilibus mox lachrymis planges: conſidera, habere te hoſtem potentiſſimum, & jamjam ad judicium vocandum eſſe. Hæ aliæque id genus inſpirationes peccatoris cor tranſadigunt, Balthaſar Chaldæorum Rex, corpore quidem ipſo menſæ aſſidebat, lautiſſimo ſatrapis ſuis epulo inſtituto, ſed cum in eo multa ſcelera horrenda committeret, *Dan. 5. 5. 6.* hunc habuit res exitum: *In eadem hora ap-* B *paruerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ: & rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Tunc facies regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad invicem collidebantur.* Inſolitæ hujus perturbationis cauſa fuit mortis, quam illa ſcriptura, etſi tum quidem eam ipſe non intelligeret, comminabatur, timor. Quomodo igitur ipſi credamus veram poſſe peccatori, ſi adverſus ſeſe in profanis voluptatibus ſuis verſantem mortis ſententiam à juſta manu Dei conſcribi, conſcientia dictet, voluptatem & ſinceram defecatamque lætitiam obtingere? Siquidem id vera voluptas non eſt, ſed gravis error, & quædam ſummæ hebetudinis ſpecies, cujus auctor dæmon, C ne ipſos conſcientiæ ſcilicet aculeos & remorſum ſentiat, peccatorem Chriſtianum hoc ipſe loco rogatum velim, ne ſuperficie tenus duntaxat hoc obiter videat, ſed rei medullam introrſum inſpiciat, ſeque ſecundum ea, quæ fide divina credit, dirigat. Novit namque in dæmonis ſe poteſtate verſari, & inimicum hunc omni ope conniti, ut in malo hoc eum ſtatu intercipiat, ac velut prædam poſſideat; quomodo igitur quieſcere, ſibique perſuadere poteſt & vult, veras ſe in terra conſolationes habere poſſe? Sanè, ſi, à quibus circuncingitur, inimicos videre poſſet, opinionem haud dubiè mutaret, & ad ſeipſum rediret. Dei nomine Jeremias Propheta de populo prævaricante conqueritur, & poſt querelam hæc ſubnectit D expoſtulans: *Nunquid ſervus eſt Iſrael, aut* *Jerem. 2. 14. 15.* *vernaculus? Quare ergo factus eſt in prædam, ſuper eum rugierunt leones, & dederunt vocem ſuam, poſuerunt terram ejus in ſolitudinem* Hæc quidem reipſa ſenſu litterali populo Iſraelitico ingrato evenere, ſpiritualiter vero eadem in ſe experitur peccator: etſi enim, cum in ſtatu eſſet gratiæ, Dei fuerit Filius, poſtea tamen per peccatum factus eſt mancipium, & infernales leones horrendos emittunt rugitus, ut eum habeant in prædam, & ad extremam inferni deſolationem redigant. Unde fieri non poteſt, ut peccator, qui in hujuſmodi incidit manus vero perfruatur gaudio. Quod ipſum idemmet Propheta haud multò poſt priora verba E hoc modo manifeſtè ſignificavit: *Arguet te malitia tua, & averſio tua increpabit te.* *Ibid. 19.* *Scito & vide quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te.* Quæ in peccatoribus illis Iſrael divina Majeſtas olim reprehendit, quadrant etiam illis, qui modo ſunt, & ad mundi uſque finem futuri ſunt: omni quippe ſæculo certum eſt hanc ipſorum malitiam ipſis cor pungere, torquere, & quibuſdam conſcientiæ remorſibus reprehendere, Peccatorum remorſus. nec non timoribus mortis & inferni, à quibus exagitantur, lancinare: atque idcirco dicit, non modo malum, ſed & amarum eſſe, peccatum ipſum corde fovere: *Scito*, inquit *& vide, quia malum & amarum eſt.* Si peccatum igitur animam deſtruit, ſi tales tamque F horribiles parit effectus; ſi tam ſtupendam cauſatur deſolationem, & præterquam quod ſpiritualibus ac divinis divitiis ac conſolationibus hominem privet, animam ſimul & Peccati effectus enumerantur. corpus conturbat, impeditque penitus, ne verum hac in vita habeatur refrigerium, quid miſer peccator in adeo infortunato ſtatu perſeveras? Ecquæ illa tua cœcitas & averſio? Fierine poteſt, te ob Dei & gratiam & amicitiam, nec non inæſtimabiles animæ divitias amiſſas non dolere? Mercatores terreni, qui in naufragio aliquam rerum ſuarum, quas in mare coniiciunt, jacturam faciunt, iniquo ſatis animo eam ferunt, & conſolationem nullam admittunt, neve ante quieſcunt, quam ingeminata diligentia Comparationes. damnum hoc reſarciant: tu verò qui cœleſtes divitias abjeciſti, non doles, eaſque quam G potes citiſſime recuperare ſtudes? Malefici, qui ob ſua ſunt maleficia ſupplicio corporali adiudicati, continuo in angore & ſollicitudine agunt: tu verò, qui ſecundum præſentem juſtitiam æternæ animæ ſimul & corporis mortis reus es, tam horribili te periculo eripere non curabis? Animæ ergo jam aures divinis inſpirationibus aperi, tuamque ruinam & miſeriam plange. Cordis tui januam veræ contritioni aperias, magnoque quodam dolore ad Domini te pedes ſupplicem proſternas, qui per infinitæ charitatis ſuæ viſcera novum in te ſpiritum creabit.

CAPUT X.

Motivum octavum ad contritionem excitans: bonum videlicet, quod ſibi peccator acquirit, dum ad Deum convertitur. H

CUM ſuperiori capite magnum peccatori declararim malum, quod per peccatum incurrit; non incongruum futurum eſt, ſi hoc capite id illi proponamus bonum,

quod

quod ſibi, dum ad Deum convertitur, comparat. Etſi enim ſuperius aliquid de ſummo hoc dixerimus bono, ut ita malum contrarium, vel potius privationem boni ponderaremus; tanti tamen momenti res hæc eſt, ut aliquam, in majorem Lectoris utilitatem, appendicem ad priora nos facere neceſſe ſit.

A Cæterum animæ quæ peccavit deſtructionem, fœditatem, & horrorem præſuppono: de qua dicere illud ipſum poſſumus, quod de Jeruſalem, ſub nomine filiæ Sion, dicit Ieremias *Thren. 1. 6.* *Et egreſſus eſt à filia Sion omnis decor ejus.* Mox enim ut anima peccat, Deus optimus Animae deformitas ex peccato. maximus, & cum eo interior ornatus, qui ipſam reddebat pulcherrimam, ab ea recedit, & ſicut ſupra declaratum eſt, extremè deformis manet. Rem hanc illuſtrabit magis à corpore exanimi petita ſimilitudo, quod mox ut anima deſtituitur, & hæc facta ſeparatio eſt, horrorem intuenti movet, omnis eſt vigoris expers, ac ſine ullis motibus vitalibus; denique exanimis ut etiam chariſſimi quique ab eodem fugiant, ipſumque amplius videre non ſuſtineant, præſertim cum ejuſdem B putiſcentia & graveolentia nares ferit; & malum, quod mortis eſt cauſa, fœdum & inhoneſtum eſt. Ponamus autem quoddam hoc in ſtatu corpus, ſubitò per divinam operationem in perfecta ſanitate, colore, vigore, & pulchritudine ſua reſurgere, ipſumque ſi- Comparatio ſtatur illis, qui eidem jam ante morienti adfuerunt; minimè ſanè dubitandum eſt, quin ad id ſpectaculum omnes in admirationem rapiendi ſint, quemadmodum in univerſalis judicii die futurum eſt, & in multorum aliorum factum fuit reſurrectione, quos Redemptor Jeſus à mortuis reſuſcitavit, & præ- Lazari excitatio notata. ſertim illa Lazari, ad quam univerſa Hieroſolymorum civitas rei miraculo excita concurrit, videntes, enim corpus, quod paulò ante fœtidum, à morte occupatum, & eſca verminum erat, jam redivivum, integrum, C vegetum, vitaleſque operationes quam perfectiſſime exequens, in admirationem ac ſtuporem rapiebantur. Erat hoc figura ſpiri- Et cuius figura. tualis reſurrectionis animæ, quæ paulò ante peccato erat mortua, & coram Dei oculis abominabilis, quæque horrorem moviſſet iis quicunque eam in infeliciſſimo illo ſtatu videre potuiſſent: ſed quæ per unicum ſuſpirium, ad quod vera de peccatis accedit contritio, & per confitendi propoſitum quamprimum & formoſiſſima & pulcherrima redditur, nullis ut hæc pulchritudo queat verbis exprimi. Nam fit quodammodo ferculum illud, quod fecit ſibi Rex Salomon, columnas *Cant. 3. 9. 10.* habens argenteas, & cujus reclinatorium aureum: columnas inquam divinarum virtutum infuſarum, à quibus ſuſtinetur, nec non divinæ charitatis reclinatorium, quod ceu le- D Chriſtus verus Salomon ctulus eſt, in quo verus Salomon, Redemptor noſter Chriſtus quam ſuaviſſime acclivis requieſcit. Redditur ad hæc non modo ſana, ſed & vegeta & potens, idque robore quodam divino; vitaleſque facit operationes ad veram & æternam vitam directas, idque ex corde fideli, filiali, & ad cum mundo & dæmone, regni cœleſtis obtinendi ergo, pugnandum animato. Fit quoque ſponſa Chriſti candidiſſima veſte gratiæ, & virtutum ornamentis, ad quas nec ſcientia, nec eloquentia terrena, ſed ſola fide, quæ cor ſincerum in rebus intellectum noſtrum excedentibus firmat, pervenitur amicta. Denique creatura redditur adeò ſplendida, pulchra, E & amabilis, ut divina eam majeſtas velut delitiarum ſuarum paradiſum habeat; cum ſuaviſſima illa Dei verba, *Prov. 8. 31.* *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*, maximè in habitatione per gratiam locum habeant. Si itaque per unum veræ contritionis actum ad tam ſublimem excellentiam, & ad ſtatum tot ineffabilibus bonis redundantem homo ſuſtollitur, quare tu, ô Chriſtiane peccator, qui hanc perſpectam veritatem habes, ad pœnitentiam non converteris? cur tam crudelis tui ipſius adverſarius es & hoſtis, ut cum Deo dante ad talem evehi felicitatem poſſis, de eadem quærenda, etiamſi plurima ſubeunda eſſent martyria, minime labores? Dices mihi fortaſſe, te ſpiritualia hæc non intelligere, quod ad vitam quandam aſpires animalem, illa F Apoſtoli tibi verba accommodando: *1. Cor. 2. 14.* *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur.* Porrò equidem tibi libens conceſſero veritatem hanc te non intelligere, ea tamen conditione, ut mihi ipſe viciſſim concedas hanc te credere. Si quidem mihi credere nolis, aliis ſaltem crede tui ſimilibus: qui cum & ſtatus gratiæ & ſtatus peccati diſcrimen experti fuerint, interdum tamen eam, quam tibi propono doctrinam, veram eſſe aſſerunt. An non meminiſti eorum, quæ in parabola illa de filio prodigo Redemptor ait, qui cum recordaretur, quantum domus paterna opulentia ab inopia, in qua agebat, G diſtaret, exclamans ait: *Luc. 15. 17.* *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo* in terra aliena? Minimè autem dubitandum eſt, quin hæc verba cum de bonis ſpiritualibus, quæ in ſtatu gratiæ habentur, tum de ſtatus peccati ſterilitate queant intelligi. Dices fortaſſe, filium prodigum jam peccando defatigatum fuiſſe, & circa finem tandem reſipuiſſe; & variarum ante per voluptatum delitias oberraſſe, quam ad talem converſionem pervenerit. Sed exceptio hæc falſa eſt: neque enim parabola per partes explicanda eſt, ut ipſe quidem aſſeris, ſed ejuſdem ſpectanda ſubſtantia & finis eſt; qui circa duo potiſſimum puncta verſatur; Peccator ad reſipiſcendum divino indiget auxilio. primus eſt, peccatorem divino auxilio infelicem ſtatum ſuum inſpicere, & de eodem dolere; ſecundus verò, eundem, ut perſpicit gratiæ ſtatum meliorem eſſe, per Dei gratiam ad eum ſe convertere. H Ut verò videas non in fine modo, ſed & in principio veritatem hanc peccatores agnoſcere & confiteri, memento eorum quæ Cain & ſenſit & dixit, cum à Domino recederet; *Gen. 4. 14.* *Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus & profugus in terra*

om-

Scriptus An. 1609. *omnis igitur qui invenerit me, occidet me.* Quibus in verbis Cain ſic argumentatur, cujus Argumentum Cain. argumenti hæc eſt ſubſtantia: Ego peccavi, & à Deo recedo; igitur nullibi jam inveniam requiem, nec bonum ullum, ſed pericula mortis plurima. Si ergo Cain hanc veritatem confitetur, adeoque grave credit à Deo ſegregari, jam inde ab erroris ſui principio utriuſque ſtatus diſcrimen agnoſcens; A cur tu, miſer peccator poſt tot errores jam & delicta, quæ admiſiſti, ipſum non agnoſcis? cumque firmiter credas, ſtatus gratiæ bonum immenſum eſſe, cur ad Dominum converti, & veram facere pœnitentiam non ſatagis? Non poſſum, ô peccator adulter, credere, quin aliquo ſaltem tempore, in ætate diſcretionis exiſtens, in ſtatu gratiæ fueris, & bonum, quod tunc (ſicut piè credendum eſt) poſſediſti, conſideraris; cum verò jam in ſtatu peccati agas, credere, inquam, non poſſum, quin & tu ipſe idem Conſcientiæ teſtimonium in peccatorem. ſentias, propria contra te ita teſtante conſcientia. Et certus ſum, ſi modo hæc ſeriò perpendere velis, ſimiles tibi cogitationes & affectus Deo dante oborituros, quales filii B Iſrael in Babylonicam captivitatem abducti, & cum non procul à barbaræ illius telluris fluminibus commorantes, lamentabantur, olim habuerunt, animo volventes, quanto terra illa profana, & terra ſancta promiſſionis invicem diſtarent diſcrimine; quemadmodum in perſona illorum Propheta olim præcinuit. *Super flumina, Babylonis illic ſedi-* Pſal. 136. 1. *mus & flevimus dum recordaremur Sion.* Memento igitur, eſſe te velut in terra aliena, interim dum in peccati agis ſtatu; memento etiam feliciſſimi ſtatus gratiæ, & ex corde intimo eandem amiſſam plange. Ad Regem Sion, ad Chriſtum Jeſum Clementiſſimum Dominum, libertatis tuæ auctorem ſuſpira, ut te in patriam reducat, teque peccati catenis exſolvens, & ſervili ſchemate exuens, C inclyta purpureaque filiorum Sion veſte, gratia inquam ſua te induat, tibique ad plenam libertatem & beatam æternæ gloriæ fruitionem ius concedat.

CAPUT XI.

Motivum nonum ad contritionem excitans: vita nimirum, paſſio, & mors Jeſu Chriſti.

SI vitam, paſſionem, & acerbam Redemptoris noſti Jeſu Chriſti mortem peccator animo volveret, efficaciſſima ad veram concipiendam contritionem motiva inveniret ſuaque uti redemptione, ſine qua haberi Nulla Salus ſine redemptione ſalus nulla poteſt, contenderet. Sed ipſe piiſſima hac ſe meditatione occupare adeo non curat, ut eandem animo excludere & ab- D dicare potius ſatagat, & rebus vanis ac porfanis cogitandis malit inſiſtere, magno quodam impetu & effrænatè per perditionis viam currendo. De ea tamen cogitandi occaſionem illi dabo, ſi modo hic ad manum illius liber veniat: ut vero ordinatius hic ac fructuoſius procedam, ſuppono Redemptorem ita ſalutem noſtram operatum eſſe, ut quamvis pro omnibus in genere hominibus laborarit ac paſſus ſit, ita tamen pro unoquoque illorum ſingillatim paſſus ſit, ac ſi propter illum ſolum veniſſet & pati & mori. Et eſt id de infinita Chriſti caritate, ac perfectiſſimo quem habuit ſalutem noſtram E operandi modo credendum. Hoc ſpectaſſe videtur Apoſtolus, cùm dixit: *In fide vivo* Gal. 2. 20. *Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Qui & alio loco ſic ait: *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro no-* Epheſ. 5. 2. *bis.* Horum porro duorum locorum, quorum unus loquitur in communi, alter verò in particulari, inter ſe ſimilitudo in eo ſita eſt, quod in ſecundo Apoſtolus redemptionem ſpectarit, ut omnibus communem & univerſalem, in primo verò ita totam ſibi ſoli datam, ac ſi pro ſe ſolo inſtituta eſſet. Permagni porro refert, ut talem de Chriſti amore, qui vera ſua redemptio eſt, Lector opinionem concipiat. Præſuppoſita hac boni noſtri magnitudine & pretio, Lectori vitam Domini noſtri Jeſu in memoriam revocare Vita Chriſti qualis? incipiam; quæ ita pauper, humilis, & ab F omnibus rebus conſolatoriis, quas propinat mundus, deſtituta fuit, ut quiſquis eam ſeriò meditatur & penderat, non mirari non poſſit. Quicumque enim divina veritatem incarnationis fide credit, certiſſimoque novit, filium Dei hominem factum, modo quodam vivendi abjectiſſimo, & ab omni humana conſolatione remoto inter homines converſatum eſſe; & mirabilem hanc divinæ providentiæ diſpoſitionem, nonniſi ad ſuam ſalutem & liberationem peragendam ſpectaſſe, plane obſtupeſcat neceſſe eſt, uti & olim Jeremias hoc modo Meſſiam venturum interrogans: *Expectatio Iſrael, Salvator ejus* Jer. 14. 8. 9. *in tempore tribulationis, quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus, ut fortis, qui non poteſt ſalvare?* G quaſi diceret: Maximopere admiror, ipſum mundi ſalvatorem in terra habitare, non velut ejuſdem creatorem & Dominum, ſed inopem quendam operarium & colonum, Chriſtus pauperum more vixit. qui eandem magno cum labore ac ſudore excolere allaboret; vel velut viatorem, qui poſtquam de via defatigatus eſt, diverſatur ubicunque potuerit; ac denique ut erronem vagabundum, qui cum proprias non habeat ædes per alienas regiones oberrat, qui quamvis fortiſſimus ſit, tantam tamen potentiam ac fortitudinem non oſtendit, ut alios adiuvare queat. Hic in terra vivendi modus Jeremiæ viſus eſt penitus mirabilis, ut qui optime ſciret, ecquæ perſonæ unigeniti Filii Dei eſſet dignitas, & ad quid in terram deſcenſurus eſſet. Tu igitur, Lector, ingens H hoc myſterium conſidera; & cum Chriſtum Dominum è Judæa tendentem in Galilæam aut per alias regiones diſcurrentem videris, tibique is quodammodo peregrinari videbitur, quære ex eo quid quærat, & tibi haud dubie in corde reſpondebit, quod olim Joſeph oberrans per agros, & ab alio quo-

Scripta An. 1609.

piam inventus, & quid quæreret rogatus, reſpondit dicens, *fratres meos quæro:* reſpondebit, inquam, Chriſtus:

Gen. 37. 16.

Te quæro, frater mi, propter te huc veni & honoribus commoditatibus, terreniſque voluptatibus tui cauſa carere, vitamque pauperrimam & humillimam ducere volui, ut te quærerem, meque velut mendicum tuum conſtituere, quo te, ut ad me in corde tuo (in quo requiem inveniam) diverſari permitteres, inducerem.

Fratres ſuos quaeſivit.

A

Quid ad hanc Chriſti derelictionem & paupertatem, quæ ad ejus redemptionem ac ſalutem referebatur, reſpondere peccator poterit, ſi non intimè moveatur, & ad ipſum convertatur? Quando Chriſtum dicentem audit:

Matth. 8. 20.

Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet; quomodo non conpungitur, infiniteque ſeſe obligatum ſentit, ut ad Redemptorem ſuum ex toto corde convertatur, ac ſeriò eum quærat, qui tam anxiè tanque laborioſè ſeſe quæſivit?

Peccatorum caecitas, & ingratitudo.

O ingentem peccatorum cæcitatem & ingratitudinem. Certiſſimum porro eſt perexiguam in hominibus gratitudinem poſt tanta beneficia à Salvatore reperiri, & nimis quam ſæpe vera eſſe illa Evangeliſtæ Joannis verba:

B

Joann. 1. 11.

In propria venit, & ſui non receperunt eum. Atque ut illum Judæi à ſe eiecerunt, ita Chriſtianos peccatores magna cum ignominia & probroſe eum cordibus ſuis excluſere. Verum ad SS. paſſionem & mortem ejus, quæ vitæ laborioſæ & ærumnoſæ terminus ac cataſtrophe fuit, tranſeamus & videamus, quomodo diriſſimis Redenptoris ſui doloribus & improperiis peccator reſpondeat. Mecum, Lector, Calvariæ montem aſcende, & in triſte illud ſpectaculum, quo omnes cum cæleſtes, tum terreſtres creaturæ commotæ ſunt, oculos defigito; mihique dicito, num certo credas hominem illum ſupplicio extremo affectum, quem furibunda plebecula ad crucem magna contentione clamando depopoſcit, verum eſſe Deum?

C

Dices quod ſic; eò quod veram habes fidem. Ulterius mihi dic, num etiam credas pro te eum paſſum eſſe? Etiam hoc mihi ejuſdem fidei lumine dictante fatebere. Si porro hunc verum, æternum, immensum, omnipotentem credas Deum, & hunc ipſum præterea ad uſque improperiorum abyſſos humiliatum, & afflictum, & ſub amaritudinum & dolorum fluctibus propter te quodammodó ſuffocatum cernas; quomodo fieri queat, in peccati te ſtatu vivere? quomodo non compungi & ad ipſum converti?

Monſtra in morte Chriſti operata.

Sol inobſcuratur, elementa turbantur, velum templi ſcinditur, petræ, Agno Dei patiente & moriente, finduntur, & tu, cum unici boni ſui inimicis, cruci illum affigere contendis? Ecquæ crudelitas hæc eſt?

D

Cur, ô fatue peccator, aliam mentem non induis? cur ad lignum illud vitale, in quo vita tua pendet, non accedis? cur ſubtus Redemptoris tui pedes non volveris, ut pretioſiſſimi ſanguinis illius pluvia te irriget & abluat? Audi efficaces & penetrativas illas Filii Altiſſimi voces, quibus in hoc acerbiſſimorum dolorum profundo derelictum ſeſe cernens, ad patrem ſuum clementiſſimum inclamat,

Matt. 27. 46.

Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Ad intimum & altiſſimum expoſtulationis hujus innocentiſſimi Agni Jeſu Chriſti ſenſum pertingere quidem nullus poteſt; dolores tamen ejus & ærumnas reliquorum hominum doloribus & cruciatibus majores & intenſiores fuiſſe judicare & poſſumus & debemus, adeò quidem, ut ſtuporem moveant iis, qui divina quadam illuſtrati luce eoſdem conſiderant.

E

Eius dolores quales?

Pater eum deſerit, inimicorum rabies incrudeſcit, quidam adhæc publicæ juſtitiæ actus tot tremendis circumſtantiis conveſtitus in eum exercetur, ut mirum non ſit, ad eundem cœlos ſimul & terram concitari. Quis tantam, tamque atrocem unquam preſecutionem vidit, ac fuit illa, quam adverſus Chriſtum Dominum Scribæ & Phariſæi moverunt? Ubinam unquam tanta viſa immanitas & barbaries, quanta fuit horum; qui quamvis nullum crimen, vel ullius ſuſpicionem adverſus Chriſtum verè produci poſſe cernerent, tanta tamen, tamque extrema allaborarunt contententione, ut ei vitam eriperent?

F

Nulla ſanè unquam ſimilis in terra viſa vel audita feritas eſt. Cum vero tantopere innocentiſſimi Agni mortem ſitirent, unde fit, ut ne tunc quidem quieſcant, cum illum etiam in extremis emori doloribus vident; ſed venenata mordacium improperiorum & calumniarum, ea in ipſum hora, qua exſpirat, ſpicula jaciant? Quid? ne ſatis quidem illis eſſe illum mortem oppetere & victoriam in manu jam habere, ut ne vel minimum compaſſionis ſenſum ſua in corda admittant? Quid tu, ô Chriſtiane peccator, de inaudita hac crudelitate cenſes? tu, inquam, qui & crucifixi innocentiam noſti, & beneficia, quæ in inimicos ſuos contulit, nec non vitæ doctrinam miracula, patientiam, manſuetudinem, quid de efferatis illis fameliciſque lupis dicis, qui tam immaniter in prædam irruunt?

G

Diceſne, mirum id tibi videri, & mirari te, quomodò crudeliſſimi illi carnifices hic ad compaſſionem commoti non ſint? Si tuum id de aliis judicium eſt, perpendas velim, in eodem te prædicamento eſſe, & Jeſu Chriſti te inimicum, & nullas illi quam peccato graviores infligi plagas poſſe?

Peccator Chriſti inimicus.

Cur ergo non emoveris, & in compunctionis lachrymas non reſolveris? Reſpice, obſecro, tandem piiſſimum illum Dominum, qui te vocat, & noli ſemper obdureſcere. Ne ingratam illam ſequaris Jeroſolymam; quæ ad inſtar mulieris adulteræ conjugem ſuum contempſit: adeò ut non immeritò dicere illius Salvator queat quod olim per Jeremiam dixit:

Jerem. 3. 20.

H

Quomodo ſi contemnat mulier amatorem ſuum, ſic contempſit me domus Iſrael. Noſti, inquam, hoc conſilium ſequi, ſed illud, quod non multo poſt priora illa verba omnibus peccatoribus Dominus ſuggerit, dicens;

Ibid. 22.

Convertimini filii revertentes, & ſanabo averſiones veſtras, id eſt, vulnera veſtra. Hoc etiam conſilium peccatoribus quotannis ſancta mater Eccleſia

ſug-

Scriptus An. 1609. ſuggerit, quando ſponſi ſui paſſionem & mortem recolit: & animæ oculos in crucifixum, & in illud ſanguinis cum divinæ charitatis incendio ebullientis diluvium defigens, de peccatorum ſalute & liberatione ſollicita, Prophetæ Jeremiæ lamentationes hiſce verbis A concludit, in quibus & ego deſinam: *Jeruſalem Jeruſalem convertere ad Dominum Deum tuum.*

CAPUT XII.

Motivum decimum ad contritionem excitans: Venerabile nimirum Eucharistiæ Sacramentum.

OMnia amoris argumenta, quæ toto vitæ ſuæ mortalis ſpatio Redemptor exhibuit, maxima quidem ſunt ad compunctionem motiva, cum ob horum quælibet fideliſſima hujuſmodi Domino ſervitus debeatur, & inhumanitatis feritatiſque brutalis quædam ſpecies appareat, talem tantumque benefactorem peccando offendere: negari tamen B non poteſt, quin Venerabile Sacramentum Altaris, hæc inquam mirifica amoris nobiſcum habitare & converſari maximopere deſiderantis inventio, ſingulariſſimæ cujuſdam ſit ad juſtos in juſtitia conſervandos, & peccatores ad pœnitentiam convertendos potentiæ motivum. Quod ad liquidum colligi poteſt è communi, quam viri prudentes, dum illorum, à quibus vel non amantur, vel odio excipiuntur, ad ſe trahere affectum conantur, uſurpant, conſuetudine: hi enim mirabilem quandam blandis lenociniis, muneribus conviviiſque in illorum animis impreſſionem facere ſolent. Significavit hoc Apoſtolus, quando ſic ad Rom. 12. 20. Romanos ſcripſit: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit potum da illi: hoc enim* C *faciens carbones ignis congeres ſuper caput ejus*: id eſt, tuæ calorem charitatis illum ſentire facies, iſque tecum reconciliabitur. Ille quidem Apoſtoli fuit ſenſus, qui ita manifeſtè verus & humanæ conditioni conformis eſt, nullum ut dubitandi locum relinquat. Hanc hominum conditionem & naturam ipſe horum creator optime perſpectam habebat: cumque toto vitæ Euchariſtiae Sacramentum Convivium appellatum. ſanctiſſime ſuæ tempore inæſtimabiles erga illos miſericordias declaraſſet, tandem ſimul omnes quodam in convivio eas velut compendio dare, in eoque ſummum illis bonum elargiri voluit. Ut verò ſibi inimici reconciliarentur arcteque ſecum unirentur, magnam illam Cœnam Evangelicam, quæ ſemper omnibus ſua in domo, id eſt, ſancta Eccleſia ſponſa ſua publicè expoſita patet, inſtituit; atque aſſiduo peccatores invitat, D ut alienas ſtatus peccati cœnas deſerant, & ad menſam ſuam lautiſſimam properent, in qua infinitæ ſuavitatis comeditur manna, & proprio in fonte ſpiritualis deguſtatur dulcedo. Clarè autem patet, hunc vitæ cibum Dominum idcirco potiſſimum inſtituiſſe, ut inimicorum ſuorum affectum ad ſe pertraheret; quandoquidem illum inſtituit, *pridie quam pateretur*, & cum ſui inimici magis ſæviebant, & efferaſcebant; cibum unitivum diviſioni opponens inimicitiæ, & vitæ cibum obiiciens morti, ut viverent nimirum, qui ipſi vitam eripere geſtiebant. Digne nullis nec hominum, nec Angelorum E linguis hæcce amoris divini celebrari inventio poteſt: nec ulla in hiſtoricorum libris vera narratio, multò verò minus aliqua in Poetarum ſcriptis fabula ad affectum alicuius reconciliandum & uniendum deſtinata invenitur, quæ cum menſæ, quam unigenitus Dei Filius præparavit, veritate comparari mereatur. Et non modo nihil huic ſimile reperitur, etiam fictum quid; verum etiam, licet plena & ampla intellectui cuilibet excitato & ſolerti, fingendi quidlibet licentia daretur, nihil unquam adeò affectuoſum & attractivum reperiret, atque eſt panis vinique ſubſtantiam in carnem & ſanguinem ſuum convertere, ſeque manducandum & bibendum propinare, ut invitatum ſibi configuraret, & vitam quandam F divinam illi conferret. Dicat, obſecro, lector, an quid vel legerit, vel cogitatione unquam ſibi finxerit, quod amorem ita alicujus ſignificet, aliquid quod ita uniat, aliquid quod ita ſit ad amorem ſui ingenerandum efficax, & tantum omnes hominum adinventiones tranſcendens; ipſe ſanè mihi perſuadeo, nunquam hujuſmodi quid reperiendum. Nam etſi cibos reperturus ſit, & pocula amatoria, quibus comedens & bibens ad porrigentis amorem incitetur; nunquam tamen inveniet eum, qui hujuſmodi philtra reperit, ſeipſum in cibum vivum ac vitalem dare, ut in amati viſcera deſcendat, & tam admirabiles effectus, & quemdam è vita animali in ſpiritualem & divinam immutationem producat. Hoc ſi G quando per Dei lumen attentè perpenditur, & petras duriſſimas emollit & lupos in manſuetiſſimos agnos convertit: nam cum quis peccare, & pecuino more vivere aſſuetus, Deo dante magnalia & prodigioſa mirabilia, quæ propter ſe Creator & Redemptor ſuus operatus eſt, pio quodam ſenſu perpendere & ponderare incipit, videtque hæc non ſolius affectus tantum, ſed veri effectus eſſe, & revera horum ſe participem, ſi quando voluerit, reddi; ſummopere commovetur, & de erratis ſuperioribus intimo quodam ſenſu, & ardentiſſimo amore, ut aliquatenus reciprocè gratum ſe exhibeat ei, qui tantum ſeſe exhibeat ei, qui tantum ſeſe dilexit, compungitur; denique ita ſe diſpoſitum ſentit, ac talem in ſe affectus teneritudinem experitur, qualem in ſe magnus olim Auguſtinus haud H multo poſtquam ad Deum converſus, & ſancto tinctus lavacro fuit, ſentiebat, quando intimis animæ ejus penetralibus Jeſu Chriſti inſculpta & impreſſa veritas fuit, uti hiſce ipſe de ſe verbis teſtatur: *Nec ſatia-* Lib. 9. Conf. cap. 6. *bar illis diebus dulcedine mirabili conſiderare altitudinem conſilii tui ſuper ſalutem generis humani. Quantum flevi in hymnis & canti-*

Scriptus An. 1609.

ticis tuis ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ, vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis. Hi ſcilicet erant effectus, quos in corde illo antea obdurato, & poſtea
A molliſſimo ipſa divinorum conſiliorum & inventionum ad hominum ſalutem excogitatarum conſideratio producebat: adeò ut primis illis converſionis ſuæ diebus Auguſtinus ſine lacrymarum effuſione Incarnationis & paſſionis veritatem, & Euchariſtiæ Venerabile myſterium meditari non poſſet; efficaciſſimum namque quoddam illi motivum divina, quam myſteria hæc continent, veritas videbatur. Tu porro peccator, qui Auguſtino, antequam converteretur ſimilis es: cur non etiam eumdem in converſione tui & duritie tua per miſericordiarum divinarum conſiderationem frangenda ſequeris & æmularis? fierine poteſt, te, cum templum quoddam ſubis, & divinum Euchariſtiæ panem in tot ſacerdotum, qui ipſum diſpenſant, teque
B tacitè, ut accedas, & cibum hunc vitaliſſimum manduces invitant, manibus vides, non excitari, ut peccati ſtatum egrediaris & per pœnitentiæ Sacramentum purificeris, quò tanti boni deinde particeps fias? Quomodo caritatis Domini tui qui te invitat, & quodammodo rogat, ut pacem ſecum ineas, & ad convivium hoc cordium unitivum, quodque veram vitæ æternæ ſpem generat, accedas violentiæ & magnitudini reſiſtere potes? Tempore Eliſæi Prophetæ Reges Syriæ & Iſrael ad invicem inimicitias habebant: Propheta porro Dominum deprecatus eſt, ut Syriorum milites cœcitate percuteret, & ita quidem poſtulatorum is factus compos eſt, ut illi a Propheta ſeſe quocumque conduci ſinerent, qui eos
C inſcios in civitatem Samariam, in qua ipſorum regnabat inimicus, conduxit. Porro Rex Iſrael ſui vindicandi de hoſtibus opportunam habere ſe occaſionem ratus, à Propheta petiit: *Numquid percutiam eos pater mi?* Cui Propheta: *Non percuties: ſed pone panem & aquam coram eis, ut comedant & bibant.* Quamobrem Propheta ſuggerente, *Appoſita eſt eis ciborum magna præparatio.* Mox verò textus ſacer ſubjungit: *Ultrà non venerunt latrones Syriæ in terram Iſrael.* Perinde ac ſi dixiſſet. Tam potens ad militum hoſtilium animos immutandos ratio fuit, quod ſe loco mortis, quam ſibi inter inimicos verſantibus infligendam putabant, amicè cernerent regio excipi epulo, ut ad priora amplius non redierint maleficia, & inſignem cum hoſtibus pacem inierint. Si
D itaque ſic ſe res habet, cur tu, ô cœce peccator, qui Chriſti es inimicus, inque ejus civitate, juſtitiæ illius enſem cervicibus tuis impendentem habens, verſaris; videas deinde adeò te ab ipſo non caſtigari, ut etiam menſæ te ſuæ convivam faciat, quò te ſuum amicum conſtituat, tam ineffabili caritati minimè cedis? Quas Syri illi milites pœnas non promeruiſſent, ſi poſt tantam Regis Iſraelitarum benignitatem hocce convivium ejus repudiaſſent, in hoſtilitate priore perſeverare cupere ſe oſtendentes? In eodem & ipſe errore verſaris, in eo perſeveras: ſed errare poſthac deſine, & vera quadam converſione mitiſſimo Redemptori
E tuo te ſubiice. Cum ob præteritam dolendo duritiem, tum vitam inire piam incipiendo, in qua ad finem uſque mortalitatis hujus quoad exſpires, perſeveres, & ad æterni animæ tuæ boni fruitionem pervenire merearis.

4. Reg. 6. 21. 22. 23.

Peccator Chriſti inimicus.

CAPUT XIII.

Actuum contritionis praxis.

UT quem hoc libro fructum ſpecto, conſequar, ultimo hoc capite de contritionis actuum praxi nonnulla dicam, quos quotidie exerceat oportet, qui aliquem in via Domini facere progreſſum, & in naturalis vel violentæ repentinæquæ mortis occaſionibus legitimè munitus inveniri voluerit.
F Ut verò Lector propriè & expeditè eoſdem exerceat, neceſſaria quædam ad hoc illi monita ſuggeram ac deinde ipſorummet actuum formam & praxin proponam.

Ad Contritionem monita.

Primum monitum ſit, divinam ſibi proponat majeſtatem, necnon eam, quæ nobis ejus & amandæ & colendæ juxta ſuperiora motiva incumbit, obligationem: ſibi adhæc in mentem revocet ipſam peccati deformitatem & fœditatem, idcirco ipſum abominari ſtudendo, quod divinæ majeſtati adverſatur: adeò ut ex hiſce duabus conſiderationibus actus pœnitentiæ, & ſimul in poſterum non amplius peccandi propoſitum enaſcantur.

Secundum, reſolutiſſimam quamdam habere voluntatem ſtudeat, quæ tum ad
G præterita, tum ad futura reſpiciat; id eſt, quæ efficaciter nolit antè peccaſſe, & firmiter proponat non peccare in poſterum, cum firmo propoſito quidvis potius faciendi vel patiendi, quo fidem hanc Domino ſuo ſervet, adeò ut pluris faciat non peccare, vel nullum habere peccatum, quam qualecumque mundi bonum aut conſequi, aut poſſidere.

Tertium, hos proprios actus ſtudeat facere non in modum recitantis, quod nemo non facere poſſet, ſi modo animum applicare voluerit, ſed eoſdem vivificare & animare, id eſt, affectum ſuum applicare contendat, ut is revera verbis vocalibus aut mentalibus quibus ipſi actus concipiantur, reſpondeat. Verbi gratia quando vocaliter
H & mentaliter quis dicit, *Pœnitet me peccatorum, Domine, quoniam ea tibi adverſantur; & propono in poſterum non peccare amplius;* interim dum hæc verba profert, ipſe interius adjuvet, & divinæ gratiæ cooperando peccatum deteſtari, ipſiuſque diſplicentiam necnon firmam non amplius in ipſum recidendi voluntatem concipere fatagat,

Scriptus An. 1609. gat, detque operam, ut ad hanc deteſtationem, diſplicentiam & propoſitum emendationis ſolo Domini Dei ſui reſpectu & amore moveatur. Subſtantialiſſimi hujus moniti ratio hæc eſt; quia niſi hoc pacto hi actus peragantur, non jam contritionis erunt actus, ſed quædam actuum contritionis recitatio A vel repræſentatio, uti dum in comœdia vel tragœdia Rex aliquis aut Imperator geſtibus dumtaxat & verbis, ſine ulla perſonæ repræſentatæ ſubſiſtentia vel realitate repræſentatur.

Quartum, quando motiva non contritionis ſed attritionis ſolum repræſentantur, qualia ſunt pœnæ inferni, & ipſa peccati fœditas quod naturaliter deforme eſt; in iiſdem motivis pedem non figat, ſed iiſdem ceu ſcala quadam utatur, quibus cor ſuum ad divinam majeſtatem ſuſtollat, per ſublimem hunc reſpectum ad dolorem de peccatis, & eadem non amplius admittendi propoſitum ſeſe excitare conando.

Quintum, ſi quando ad compunctionem, B vel lacrymas ſeſe commoveri ſentiet, ſi moderata ſit motio, eam non reprimat, præſertim ſi ſolus cum ſolo Domino fuerit; at ſi emotio vehemens ſit, & lacrymæ magno quodam ingruant impetu, eaſdem temperare conetur, ſufficiatque illi habere verum illud, nolle peccaſſe, & nolle peccare propter Deum & Dei amorem: hæc enim vera eſt contritio, quæ in voluntate ſita eſt, nec unquam ullum animæ vel corpori damnum infert; at doloris ſenſibilis exceſſus cum corpori obeſſe ſolet, quod ipſum debilitet & enervet; tum animæ, quod hominem ineptum ad in mentalibus actibus Dei præſentiæ, & orationis ſtudio ulterius progrediendum reddat.

Sextum, curet ut actuum contritionis praxin perfectè calleat, quotidie multos cum C tempore orationis, tum extra ipſum variis in occaſionibus actus exercendo: nam præter fructum præſentem, ingens quoddam aſſequetur bonum, ipſam videlicet in iiſdem faciendis & intelligentiam & facilitatem: quod perutile eſt, maxime in mortis hora.

Septimum, quando ad confeſſionem ſeſe præparat, ſingulari quadam enitatur diligentia, veram ut habeat contritionem, multos infra ſubjectorum actuum, aut alios id genus formando; nec ſatis eſſe putet, ſi ut peccatorum ſuorum recordetur, eaque confeſſario aperiat, aliquam diligentiam faciat, in quo gravius quidam errant, quam fortaſſe putent.

Actuum contritionis praxis.

D DOmine mi, infinito amore & honore digne, pœnitet me divinam tuam offendiſſe majeſtatem; & firmiter ſtatuo non amplius te offendere, tametſi mihi hanc ob cauſam mors eſſet oppetenda.

Suaviſſime & amabiliſſime Domine, præterita peccata deteſtor & execror, nec peccabo in poſterum, etſi omnes mundi labores mihi patiendi eſſent.

Diſplicent mihi ſummopere, ô infinitæ magnitudinis Rex, ſuperiora peccata: ipſe me tibi ſacrifico, meque ſtatuo in æternum divinam majeſtatem tuam non offenſurum.

Doleo, ô altiſſime Creator mi, ob ſummam ingratitudinem meam, omneſque mundi & carnis leges potius perfringam, quam E quid committam, quod tibi diſpliceat.

Deteſtor, ô vitæ meæ auctor & aſſertor omnia mortua peccatorum meorum opera; eò quod tibi tuæque voluntati diſplicent: & firmiter decerno, nullius commodi aut boni alicuius creati gratia ullum peccatum committere.

Ego ſum, fideliſſime patrone & magiſter mi, infidus quidem proditor morte dignus, eò quod peccavi, cujus me ſummopere pœnitet: abſtinebo itaque à peccando, daboque operam, ut ex totis viribus meis à gratia tua adiutis tibi ſatisfaciam.

Nollem, manſuetiſſime Domine, toties à me offenſe & ad iracundiam provocate, propter omnes mundi theſauros in te injurius F extitiſſem: quare nullam deinceps tibi injuriam irrogabo, etſi atrociſſimum & duriſſimum aliquod martyrium mihi ſubeundum foret.

Quam graviter erravi, ô infinitum & æternum animæ meæ bonum, cum me à te longe ſubduxi, & à te receſſi; cujus me quam maximè pœnitet. Non declinabo poſthac à te Domine mi benigniſſime, ſed omni tibi fidelitate & obſequio ſerviam.

Peccata mea maledico, abominor & deteſtor; eoquod tibi, ô infinita bonitas, diſplicent: malim contemni, imò à carnificum manibus contrucidari, quam Creatorem meum peccando offendere.

Utinam tuam, Domine mi deſideratiſſime, legem tranſgreſſus non eſſem. Non revertar amplius ad peccati vomitum, ſed G omnem excogitabo tui placandi, tibique ſatisfaciendi rationem.

Ad actuum horum exercitium corporalis aliqua addi poteſt pœnitentia, idque juxta confeſſarii conſilium & directionem.

Concluſio exhortatoria.

HÆC eſt, Lector Chriſtiane, qui de tua es ſalute ſollicitus, actuum contritionis praxis, in quibus eſſe deberes verſatiſſimus, & callentiſſimus. Mundanis curioſitatibus addiſcendis intendant & ſtudeant illi, qui ſub duro tam diri tyranni gemunt jugo quique in adeò duræ ſervitutis præmium ſempiternas in inferno luituri ſunt pœnas; at tu qui ſuave Chriſti jugum ferre cupis, quod H æternum manet refrigerium & conſolatio, de compunctione ſollicitus eſto & lacrymis, quæ omni terrena conſolatione multo ſuaviores ſunt. Velociter & cito pertranſit omne quod cruciat, & perpetuum & perenne eſt quod delectat. Utile eſt ſeminare in lacrymis, ut in gaudio meſſis fiat, ut jam olim Propheta inſinvavit, *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.* Ipſum pœnitentiæ

Scriptus An. 1609.

tiæ ſtudium, quod vivam æternæ vitæ ſpem generat, grave ac tædioſum non ſit. Noli figuram mundi hujus intueri, quæ in momento & ictu oculi præterit ſuoſque amatores infamia & opprobrio plenos deſerit; ſed ſpei tuæ finem reſpice, atque teipſum A ad ardua quælibet pro regni cœleſtis conſecutione ſuſcipienda aggrediendaque exſtimulabis. Inſtat, & in proximo eſt illa hora, quæ omnibus mundi laboribus redimenda & emenda ſit, illa inquam, qua Procuratori ſuo paterfamilias dicet, *Voca operarios, & redde illis mercedem.* *Matth. 20.8.* O mercedem ampliſſimam! O beatiſſimum parvarum & momentanearum veri Chriſtiani ærumnarum finem! O vera & plena cordis humani ſatietas! O abundantia domus Domini, & voluptatum divinarum torrentes! Quando Chriſti ſponſa Eccleſia pro defunctis, quos pie in ſtatu gratiæ ex hac vita deceſſiſſe credit, ſacra Miſſarum officia celebrat, ab affectuoſiſſimis B illis eadem verbis exorditur: *Requiem æternam dona eis Domine*: perinde ac ſi diceret Magnas in legis tuæ obſervatione moleſtias ſubire, Domine, & voluntarias aſſumere pœnas, ad cum tua gratia pro peccatis ſuis ſatisfaciendum, & æternam requiem conſequendam, grave illius non fuit; iam tandem juſtiſſime judex & clementiſſime pater, advenit hora, qua puriſſimam fontis vitæ aquam illis animabus propines, quæ te tantopere ſitierunt. Hora nunc eſt intrandi in amœniſſimum illum deliciarum tuarum paradiſum, C in quo nullus defatigationi eſt, vel fuit locus, nedum ullis exilii hujus pœnalitatibus aut ærumnis. Nunc tempus eſt comedendi de fructu arboris vitæ, ſine ullo mortis vel peccati, quod eam progenuit, timore comedendi. Hora jam eſt, ut candidiſſima gloriæ veſte illas animas induas, quæ corpus corruptibile adhuc indutæ ad tuorum domeſticorum & nobilium ſupernæ Jeruſalem civium amictum & veſtimentum inceſſanter adſpirarunt. Jam denique dies advenit, qua libertatis filiorum tuorum, qui in libro vitæ ſcripti ſunt, privilegiis fruantur. Quocirca, fideliſſime remunerator, *Domine, requiem æternam dona eis.* In hunc igitur finem tuos, lector, D quicumque ſalutem tuam ſpectas, oculos dirige, mundique leges, & carnis illicia contemnens, per viam vitæ quam velociſſime currito.

Eccleſia Chriſti Sponſa.

EPISTOLA CHRISTI AD HOMINEM

IN SEQUENTEM EPISTOLAM
PRAEMONITIO.

PRaecedentibus hanc Ven. Scriptoris Opellam nectimus, quæ in antiquis editionibus duobus aliis Scriptis mediantibus ab iis diſiiciebatur ſub eodem Tomo ſecundo; & quod idem ferme argumentum reſpiciat; hominem nempe a terrenis divellere, & ad Coeleſtia, dulciſſimo Jeſu Chriſti Servatoris eloquio pellicere, paratiſſimoque itinere manuducere, & quod idem tempus, anno circiter 1609. *Scripta fuerit, quo maxime piiſſimus Auctor videtur ardentiſſima in Proximum caritate aeſtuaſſe; ac propterea forte, ut communior omnibus eſſet, hanc quoque Italico Sermone exaravit; quam deinceps latine reddiderunt, cum aliis pleriſque, priores ejus Operum Conlectores Colonienſes, eamque Secundo Tomo inſeruerunt. Prior ſeorſim eius editio Romae facta eſt eodem, vel ſequenti anno* 1610. *quam me vidiſſe memini tenui libello in* 16. *dum Senis morarer. Caetera, quae ad adparatum hujus Operis faciunt, ſequens Auctoris Prologus edicet.*

PROLOGUS AUCTORIS.

HÆC Domini noſtri Jeſu Chriſti ad hominem Epiſtola, aliud non eſt, quam multarum veritatum, ac rationum ipſiuſmet Chriſti Domini in unum conglobatio; quarum quidem aliquæ Sacra in Scriptura continentur, aliquæ vero ipſis hominum cordibus per divinas inſpirationes, quibus ad vitam æternam obtinendam illos incitat, inſculptæ ſunt. Loquitur hic Chriſtus, ut qui doctrinæ, quæ in hac Epiſtola continetur, auctor eſt, ut hoc eodem pacto efficacius multo, ac profundius Lectorum animis (ut non raro fit) imprimatur, quod e longa multorum virorum ſpiritualium & gravium obſervantia & experientia perſpectum eſt.

Hæc porro Epiſtola in duas dividitur partes: in ejus prima, primaria aliquot proponuntur motiva, quibus ad vitam æternam ambiendam homo permoveatur. Secunda vero præcipuæ continentur virtutes, quarum ope & adminiculo ea queat comparari. Deum Opt. Max. ſupplex oro, ut hic labor meus Lectores ita permoveat, ut per eum ad regnum feliciſſimum vitamque beatiſſimam quæ finem neſcit, ſincere, & ex animo expetendam inflammari incipiant.

VENERABILIS
P. FR. JOHANNIS
A JESU-MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI CALAGURITANI

EPISTOLA CHRISTI AD HOMINEM

QUA VARIA AD VITAM AETERNAM EXPETENDAM EXTIMULANTIA MOTIVA, NEC NON VIRTUTES EIDEM ACQUIRENDAE NECESSARIAE CONTINENTUR.

PARS PRIMA

DE PRIMARIIS ALIQUOT MOTIVIS, QUIBUS AD VITAM ÆTERNAM EXPETENDAM HOMO EXCITETUR.

CAPUT PRIMUM.

DE SOLLICITUDINE, QUA AD VITAM ÆTERNAM TENDERE HOMO DEBERET.

⁂

Scripta An. 1609.

A

Tempus velut umbra tranſit.

B

Chriſtus unica redemptio.

C

Apoc. 22.12.

D

Aperi oculos cordis tui, cariſſime fili mi, & ſecreta excipe verba, quæ ipſe ex infinito quodam amore, ut iis te illuminem, accendam, & ad ſalutis animæ tuæ rationem habendam excitem, tibi dico. Tempus ipſum breve eſt, & tranſit veluti umbra: adeo, ut non pauci Chriſtiani, qui acceptis a benigniſſima bonitate & miſericordia mea beneficiis ſunt ingrati, cum ad vitæ finem jam venerint, de graviſſimo æternæ ſalutis ſuæ negotio nondum incepiſſe quidem tractare comperiantur. Suaviſſimas hi inſpirationes meas, quibus loquor ad cor Jeruſalem, ut eam excitem, conſoler, & corroborem, quo per viam vitæ ambulet, audire nolunt & menſes integros, imo & annos elabi & pertranſire ſinunt, ut ne ſemel quidem mei qui ipſorum ſum Redemptor, & unica redemptio, recordentur, mea etiam interdum conſilia explodunt, & tanta quidem cordis duritie & animi inſenſibilitate, ut ſervi mei, quorum mens illuminatior, non parum, quando hoc attente conſiderant, obſtupeſcant. Dixi cariſſimo Diſcipulo & Evangeliſtæ meo Joanni: *Ecce venio cito, & merces tua mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua:* interim tamen hi rident, & vivunt, perinde ac ſi nunquam ad tremendum illud ipſe venturus eſſem judicium, ac me de inimicis meis vindicaturus. Ingens hæc cæcitas eſt. Deberent profecto ingrati hi ex corde ſuo conteri, ac pœnitere, & veræ vitæ ac ſalutis opera ſedulo exequi, in itinere ſuo ſedulos viatores imitando; hi enim magnos faciunt paſſus, vel etiam currunt, & ne una hora quidem quieſcunt, quo civitatem, quam petunt, ingrediantur,

Scripta An. 1609.

quod periculum ſit, ne ab hoſte intercipiantur, & portæ tempeſtivè occludantur, antequam nocturnæ eos tenebræ comprehendant Viatorum exemplum. & obruant. Nolunt hi viatores in diverſoriis diu hærere, & ne unam quidem atque alteram cum ſapore buccellam comedunt, quod ſolicitè anxiequè timeant, ne fortè clauſis civitatis portis foris manere cogantur quam cum ingreſſi fuerint, & commodius habebuntur & lautius. Confundi deberes, A fili mi, & erubeſcere, cum hanc mortalium diligentiam, & ſollicitam in rerum terrenarum acquiſitione anxietatem intueris; non quidem ut animum triſtior deſpondeas, ſed ut aliquantulum feſtines, quò in civitatem Dei vivi, & regionem illam opulentiſſimis conſolationibus & gaudiis plenam, quam clementiſſimus Pater meus præparavit diligentibus ſe ſeſeque ex omnibus viribus ſuis & conatu quærentibus, ingrediaris. Beati porrò illi, qui ſolliciti in operando ſunt, & regni mei portas apertas inveniunt, uti dilecto meo diſcipulo jam olim ſtatim Apoc. 22.14. poſt illa verba: *Ecce venio citò*, dixi: *Beati qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni, ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per* B *portas intrent in civitatem*, quaſi dicat, Beati, qui è ſanguine ſibi meo velut balneum conſtituunt, ut in eo ſeſe à culpis ſuis abluant, ac juſtitia mea dealbent, ut hoc pacto queant de ligno vitæ comedere, & per portas in civitatem Dei ingrediantur. Adeò ut beati ſint illi, qui ita hic ſe gerunt & operantur, ut in civitatem meam per illas intrare queant portas, quæ non multò poſt occludentur, eò quod ipſe ſtatim venturus ſim ad mundum judicandum. Quocirca conſultum fuerit, chariſſime fili, rerum terrenarum te onus & ſarcinam ex humeris abiicere, teque cœleſtibus affectibus, ac deſideriis alleviare, ut quam velociſſime ad patriam tuam curras: hæc enim velocitas adeò tibi utilis & quæſtuoſa eſt, ut ob nul- C lum ea terrenum commodum tibi ſit negli- Iuſti ſollicitudo. genda. Juſtus aut tam eſt de bonis operibus accumulandis ſolicitus, ut illi ſemper defuturum videatur tempus ad operandum uti ſignificant illa à me dictata verba! *Con-* Sap. 4. 13. *ſummatus in brevi explevit tempora multa.* Etſi enim breves vitæ illius fuerint dies, tanta tamen ejus diligentia fuit, ut uno id ipſe perfecerit die, quod alii ne multis quidem feciſſent menſibus, & quod, ſi in partes fruſtillatim divideretur, integris menſibus reſpondere poſſet. Et hac de cauſa ſoleo juvenes nonnullos in flore ætatis conſtitutos ad æternam requiem vocare; quod nimirum tam bene ſe hi in amore & ti- D more meo exercuerunt, ut pauculis annis, & uno interdum anno, cum ſingulari quadam divinæ gratiæ meæ commendatione tantum præſtiterint, quantum maturiori ætati obſequio meo impenſæ ſufficeret. Cujus rei multa in religioſis ordinibus, in quibus regularum viget obſervantia, videre exempla eſt, in quibus videlicet nonnullos electos meos, poſt pauculos initæ religionis, mundi derelicti, & pulcherrimi floris caſtitatis & corporis ſui, & animæ mihi conſecratæ menſes videre eſt emori. Longam hi & otioſam peccatorum, quos ipſe patienter ad pœnitentiam exſpecto, vitam condemnant, uti in Sapientia ſcriptum eſt: *Condemnat juſtus mortuus vivos impios, &* Sap. 4. 16. *juventus celerius conſummata longam vitam injuſti*: quaſi dicat, juvenis juſtus, qui exiguo ſpatio ſollicitè laborioſeque operatus eſt, longam peccatoris coarguit vitam, qui E diu quidem in eadem commoratur, de bene autem operando vivendoque parum ſolicitus eſt. Vide itaque, fili mi, ut juſtè Iuſti repoſita merces. recteque vivas: ſine peccatores facere, ut lubuerit, tu ad me ex omnibus viribus & conatu tuo venire ſtude, & ampliſſimam ego tibi pro laboribus, quos mea auxiliante gratia & fideliſſima cuſtodia ſuſcepiſti, mercedem rependam.

CAPUT II.

De vitæ æternæ pretio & exiſtimatione.

F SI vitam meam æternam pro eo, ac oportet, fili mi, ponderare ſcires, hæc tibi appretiatio exiſtimatioque perpetuum quoddam eſſet calcar, quod & tibi ſomnum, veternumque excuteret, nec inertem ſegnemque te vitam agere pateretur, ſed optabili quadam te excitaret violentia, & ad veram requiem tuam te faceret currere. Conſidera Mundanorum ſollicitudines reprobatae. quæſo, quid pro vita temporali mundani non faciant atque hinc videbis, quantum te pro æterna facere oporteat. Res ſanè adeò certa ac notoria eſt, ut nec ignorari queat, nec negari. Ipſi namque mundani tanto vitæ corporalis ſtudio & amore tenentur, ut omnium aliorum bonorum temporalium jacturam, ad eandem protegendam, tuendamque, facere non vereantur: vide enim ut in naufragio avari mercatores, qui auro & lucro tamen animam poſtponunt, ſi quando G in præſentiſſimo ſe vitæ temporalis amittendæ verſari periculo conſpiciunt, niſi navim mercibus pretioſis, quas inde uſque ab extrema India convehunt, repletam exonerent, hos ipſos theſauros tantis laboribus comparatos in mare deiicere grave non putent, ne ſuam fortè vitam amittant. Pauperem, inopem, multiſque obnoxiam miſeriis vitam exinde ducendam quis iis tunc proponat; eam tamen qualem auro hos, & gemmis pretioſis, omnibuſque terræ divitiis anteponere videbis. Si itaque hoc illi facere non dubitant, ut infeliciter vivant, cur tu, cariſſime, veram, beatam & æternam vitam H meam pro eo, atque oportet, non æſtimabis? Fierine poteſt, ut, cum divinæ fidei lu- Electorum vita, quae? mine animam ego tuam illuſtrarim, tuque ipſe per certitudinis infallibilis revelationem inæſtimabilem gloriæ felicitatem credas, quæ æterna electorum vita eſt, de inculpatè recteque vivendo non laborare; deque rebus tuis ſolicitum non eſſe? Terrenorum affectuum & bonorum, fili mi, à te onus excute,

te,

Scripta An. 1609. te, & ſedulò ſoliciteque allabora; ut in domo mea dives inveniaris. Memento divinorum promiſſorum ac verborum meorum, quæ & ſuaviſſima ſunt, & ad petras etiam duriſſimas emovendus efficaciſſima, ac ſerio tecum perpende, quid demum ſit æterna A vita gaudere: & hujuſmodi cogitationibus confortaberis, ut animoſè & fortiter ambules, & ſereniſſimam Regis tui faciem conquiras. Ipſe olim fideliſſimo Apoſtolo meo Paulo in raptu vitam æternam, propter quam ipſum crearam, oſtendi: tantus porro inde illi ſtupor & admiratio inceſſit, ut ſcriptum de ſe, velut de alio quodam loquens, ipſe 2. Cor. 12. 4. reliquerit: *Raptus eſt in paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*, quod tantumdem eſt ac dicere, didiciſſe ſe myſteria adeo divina & ineffabilia, ut nefas ea ſit, de ipſis loquendo, inobſcurare: conſtat namque verba ſat digna, & eis explicandis paria dari nulla poſſe, ut non modica æternorum bonorum dignitati irrogari B videatur injuria, cum tam inſufficienter de iiſdem quis loquitur. Dic mihi, cariſſime fili, quid non tibi in anima operari debere videtur viriditatis illius, & æternæ amœ- Paradiſi voluptatum amoenitas. nitatis paradiſi voluptatum ac deliciarum memoria? quid non flumen illud aquæ vivæ, quod lætificat civitatem Dei? Qualem nobiliſſima illa electorum, gloria coronatorum & immortalitate amictorum ſocietas in animo producere tuo exiſtimationem? Quos non affectus in anima tua excitare continua illa coram me præſentia, ut ſimul certus ſis, te ſine fine domus meæ dulcedine & conſolatione finiturum? Quibus, putas, cariſſime, oculis te Pater meus æternus intuebitur, ubi te mihi configuratum, ac redemptionis & abundantiſſimæ gratiæ meæ participem factum C conſpiciet? Quanam cor tuum conſolatione perfundetur, quando te, ceu mortis & inferni domitorem, mearumque victoriarum participem celebrari & deprædicari videbis? Quid etiam gaudii ſenties, quando ad veræ & immortalis vitæ arborem manus poteris extendere, & hunc deliciarum divinarum fructum carpendo mecum cœnabis, ſimul cum Regis caeleſtis menſa, & dapes. rege tuo menſæ accumbendo, deque regio ejus cibo guſtando? Denique puriſſimi amoris ardores tua, ſine ulla tamen læſione viſcera tunc adurent & conſument, ubi te à ſummo videbis bono amari, & in caritatis ejus incendio perpetuò victurum? Hæc tibi conſideranda ſunt, ut vitam æternam, propter quam creatus es, pro dignitate æſtimes, ut hac nimirum magnifactione ac dignitate exſtimulante mundi figuram ac vanitatem contemnas, atque ad laborem pro beatiſſimi re- D gni mei coronæ acquiſitione ſuſcipiendum animeris.

CAPUT III.

De iis, quæ fecerunt Sancti, ut ad vitam æternam pertingerent.

PErpende adhæc, fili mi, quid Sancti mei, quo vitam æternam acquirerent, fecerint. Et quamvis nonniſi modicam in anima tua lucem habueris, nihilominus dices, planè confiteri te debere, culpa te non vacare, quod tam lentè ac ſegniter in ea progrediaris, cum tantæ, tamque ingentis ſapientiæ viri tantopere in via vitæ feſtinent. Revolve hiſtorias Sanctorum, & res planè videbis E admirabiles, eaſque à prudentia mundana, & erroribus filiorum hujus ſæculi quam maxime alienas. Quis tales unquam ad bonorum terrenorum acquiſitionem adinventiones in mundanorum aliquo vidit, qualem fideliſſimus ſervus meus Alexius Romanus tempo- S. Alexius ralis proſperitatis, & deliciarum in nuptiis humanis ſitarum cotemptor egregius olim adhibuit, utporè qui ſponſam deſerens adhuc intactam, in ſumma inopia eaque ſpontanea per orbem peregrinari non dubitavit, ac deinde paternas ad res revertens, tanto tempore ignotus delituit, mirabili quadam & inaudita arte mundo inſultando. Quis ex omnibus ſæculi amatoribus tot tantaque F unquam, ut votorum, ſuorum deſideriorumque compos redderetur, præſtitit ac dilectiſſimus ille famulus meus Alexander, Carbonarius cognomento, Alexander Carbonarius ſingulari quadam vir præditus ſapientia, qui ut à mundo exſibilaretur, carbonibus conficiendis operam navabat, & vili in ſchemate ac ſordibus in foro apparere & conſpici gaudebat, ut majori ditiſſimum hoc pacto gratiæ meæ theſaurum conſervaret ſecuritate, vitam ſibi æternam propter hunc mundi contemptum certiſſimo dandam ſperans? Quis Regum terrenorum adeo unquam liberalis exſtitit, ut ſe miſeri mancipii redimendi ergo in ſervum venderet, uti Paulinum, Epiſcopum Nolanum, dilectiſſimum ſervum meum, & negotioſum vitæ æternæ mercatorem feciſſe conſtat? Me- G mento, fili mi, eorum, quorum Apoſtolus meus ad Hebræos ea, quæ illi inſpiravi, ſcribens catalogum texit, cum enim nominatim plurimis ferventiſſimis ſervis meis tractaſſet, tandem in epiphonema ſubiungit: *Alii vero ludibria & verbera experti, inſuper &* Hebr. 11. 36. 37. 38. *vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus; in ſolitudinibus errantes, in montibus, in ſpeluncis, & in cavernis terræ.* Hæc electorum meorum quædam enumeratio eſt; qui cum ſuos in æternam remunerationem oculos coniicerent, ad eam per enſes, opprobia, martyria, variis excogitatis ab impiis cruciatibus tranſire voluerunt, ingentem ſe, tametſi ad ungulas & dentes leonum, ac fornaces igneas damnarentur, quæ- H ſtum facturos rati; tanti vitam temporalem non facientes,, ut perpetuæ detrimentum ejus de cauſa vellent facere, uti idemmet Apoſtolus meus ante verba illa ſuperius allegata de quadam Martyrum ſpecie hoc modo loquens dixit: *Non ſuſcipientes redemptionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem*, Ibid. 35. corporum ſcilicet. Mundus, ſi quem ſervorum meorum ſolicitum videt, ut benè ope-

Scripta An. 1609.

retur, ut ſeſe mortificet ut imitatione mei quid patiatur, quoddam videre ſe credit mancipium ergaſtulo & catenis mancipatum, eique velut commiſerans vitæ hujus commoda, & honores, ceu quamdam redemptionis ac liberationis à duriſſima ſervitute ſpeciem promittit. Sed qui veram redemptionem ac lytrum, quod in reſurrectionis ſtatu habebunt (quando nimirum omnes vitæ præſentis pœnæ ceſſabunt) ex æquo ponderare & æſtimare norunt, mundanas has redemptiones repudiant, & ad firmam immortalitatis & æterni refrigerii, quod ipſis promiſſum eſt; ſpem ſolum reſpiciunt. Da operam fili mi, ut de beato hoc ſervorum meorum numero ſis; & conſidera ſerio, quid hi & egerint & paſſi ſint, quo ad civitatem meam pertingerent, in qua ſine fine regnabunt. Ego tibi hic auxiliator, & dux futurus ſum, nec non fidiſſimus cuſtos, neve te unquam deſeram, ſi modo divinæ legi & occultis inſpirationibus meis exactè obtemperes.

CAPUT IV.

De Bonorum Terrenorum vanitate.

Pſal. 41, 1.

Divitiae parvi faciendae.

Deliciarum mundanarum vanitas.

Eccleſ. 1. 2.

Eccleſ. 2. 10.

Ibid. 11.

Divitiarum effectus.

TErrena gloria & conſolatio adeò vana eſt, & in promiſſis ſuis adeo fallax, fili mi, ut ſufficere illæ nugæ, in quibus mundani ſpem collocant, deberent, ut ſervi mei rebus omnibus temporalibus deſpectis, noctu & interdiu ad æternas aſpirarent. quemadmodum amicus meus David faciebat, cum diceret: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Erat ipſe quidem Rex & honoribus, opibus, commoditatibus, atque adeò re omni, quæ in terra deſiderari poſſet, affluebat; ſed cum bonorum horum vanitatem quodque mortifera quadam falſitate foris oſtendunt, quod revera non ſunt, intime perſpectum haberet, animum adeò iis non affigebat, ut eadem ceu lutum viliſſimum deſpiceret, & ad me, qui verum, genuinum ac ſupremum bonum ejus eram, ſuſpiraret. Et ſanè ſi rex talis ita faciebat, majori multo tu ratione ea quæ poſſides contemnere ac parvi facere deberes; ut quæ, ipſo etiam mundo judicante, & revera, cum regis alicujus divitiis & deliciis conferenda non ſunt. Sed dato, tam te, quam alios mortales omnes regi illi Hieroſolymitano potentia ac proſperitate temporali pares eſſe; ideò tamen contemnere etiam hæc ipſa deberes, quod ex ſe vilia & contemptibilia ea ſint, ſi cum beatiſſimi electorum meorum regni felicitate comparentur. Dic mihi, fili, an non ſæpè fieri vidiſti, ut qui heri erat opulentiſſimus, & magna rerum tranſitoriarum abundantia gloriabatur, hodie, quod ab alio quodam mendaci & impoſtore decipiatur, in extremam labatur inopiam & ignominiam, ut & ſolum præ metu & infamia vertere, & noctu & inter diu lictores & apparitores eum fugere oporteat? An non vidiſti multos, qui cum ante à mundo veluti adorarentur, quod apud Principes terrenos gratia valerent, non multis poſt diebus eadem gratia, leviſſima de cauſa excidiſſe, & ipſos etiam imæ plebeculæ, ludibrio & riſui fuiſſe? Deliciarum mundanarum & carnalium vanitatem non conſideraſti, in quibus tamen peccatores adeò excæcantur, & ob quas priuſquam moriantur, graviſſimis doloribus, & infernalibus conſcientiæ remorſibus divexantur? Quam porro habere in bonis adeò fallacibus hi conſolationem poſſunt, qui Catholicæ fidei veritatem credunt, noruntque nullum extra me verum bonum eſſe? Mundi vanitas adeo quidem evidens eſt, ut nemo non eam confiteri debeat, non modo quod talem eam fidei veritas eſſe oſtendat, verum etiam quod talem eſſe experientia conſtet: uti olim de ea manifeſtè Salomon hiſce verbis teſtatus eſt. *Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Ut vero gravis hujus ſententiæ intelligatur ſenſus; cum capite ſecundo ſingularem ſuam in auro argentoque colligendo hortis conſerendis, famulis congregandis, opibus coacervandis, delitiis conſectandis ſolicitudinem commemoraſſet, paucis inde verbis omnia, quæ in terris & pretioſa & amabilia ſunt, complexus eſt dicens: *Et omnia quæ deſideraverunt oculi mei non negavi eis.* Quod è ſacra Regum hiſtoria, in qua magni hujus regis temporalis deſcripta felicitas eſt, facilè intelligetur; cujus tamen deſiderio univerſa terra nequaquam ſatis erat. Is tamen poſtea de ſe liberè confitetur, *Cumque me convertiſſem ad univerſa opera, quæ fecerunt manus meæ, & ad labores, in quibus fruſtra ſudaveram; vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Publica hæc ſapientis illius Regis confeſſio, ſapientia mea dirigente & impellente, idcirco ſcripta eſt, ut tu, cariſſime, mundi hinc intelligeres fallaciam, meamque veritatem indagares. Intimam itaque boni eſſentiam attentè conſidera & intuere, tibique ab inani ejuſdem ſpecie imponi minimè ſinas: hæc enim decipiet te. Divitiæ ſiquidem, honores ac mundi deliciæ hominem ſapientiorem, fortiorem, prudentioremque, quam ante ſit, non reddunt, quin potius eumdem depravant, & in cauſa ſunt, cur veram animi dignitatem, prudentiam, & fortitudinem amittat. Quamobrem vana ſunt hujus mundi bona, quod per eadem verum bonum, quod animæ hominis (quæ mei, qui ſupremum ejus bonum ſum, capax eſt (proportionaliter reſpondet, minimè acquiratur. Mundi igitur vanitatem ſperne, fili mi, nec in bonis quæ te beatum reddere, ac cor tuum ſatiare nequeunt, conquirendis tantopere te crucies: quin potius ad bona æterna & cœleſtia, quæ tibi præparavi, mentem attolle, tuos ita affectus ordinando, ut juſtitiam meam perpetuo & eſuriant & ſitiant. Atque hoc pacto fiet, ut vera in ſocietate electorum meorum, qui de Babylone fugiunt, & ad cariſſimam patriam ſuam Jeruſalem cœleſtem properant, ſatietate repleantur.

Scripta An. 1609.

CAPUT V.

De bonorum interiorum animæ excellentia.

PRetioſiſſimi haud dubiè ſunt theſauri, quos à divina gratia mea adiuti juſti in interiori animæ ſuæ reponunt & colligunt. A Sunt hi deſiderabiles ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, ſuper honores, voluptates, & vitam omnem temporalem, multiſque partibus & intervallis omnem mortalium æſtimationem excedunt. Nullus in terra dari hortus deliciarum poteſt, vel in maxima conſitus culturæ diligentia & arte, quamvis eum aquæ limpidiſſimæ rivi circumquaque intus & foris irrigent, quamvis vernantiſſimorum eum florum varietas & fructuum cohoneſtet (quales habuit paradiſus ille voluptatis, quem in terra plantavi;) qui cum interioris divinæ gratiæ ac virtutum mearum paradiſi pulchritudine & divitiis, quæ omnem eloquentiam & intelligentiam hominum ſuperant, queat comparari. Hoc in horto maximè & cordialiter me oblecto: unde ejuſdem B etiam evidentiſſimè perſpicere dignitatem potes & credere, fidem ſcilicet adhibendo, cum tuus huc intellectus nequeat pertingere. Verum, quoniam rationes, quæ in experientia fundatæ ſunt, intellectum hominum, & voluntatem magis movent, roga fili mi, ſervos meos, qui bonorum interiorum ſuavitatem deguſtarunt, ut tibi dicant ſincerè, quod de ea ſentiunt. Utque efficaciſſimum formetur argumentum, dicant tibi ſolum, quanti vel minima bona interiora faciant; atque inde facilè de aliis bonis majoribus ſublimioribuſque formari conjectura poterit. Unum ſanè de minimis bonis meis interioribus eſt ipſe rerum divinarum guſtus, qui in inferiore hominis parte, ac proportione ſentiri ſolet. Quod quamvis inter reliqua C ſpiritus & interiora bona divitiaſque adeò exiguum ſit, tantam tamen in ſervorum meorum animis impreſſionem & operationem ciet, ut licet totius illis terræ imperium, cum omnibus honoribus, divitiis & conſolationibus ejuſdem daretur, eodem tamen, horum omnium intuitu, carere ac privari nollent: quod omnia mundi magnalia, & mirabilia cum hoc guſtu meo collata, ceu putiſcens quidam menſtruatæ pannus videantur. Non pauci ſervi mei id ita ſibi initio converſionis ſuæ contingere ingenuè fatebuntur; quippe qui cum ſervitio, ac famulatui ſe meo primum dare incipiunt, ſuaviſſima quadam ſe violentia ſentiunt attrahi, meamque bonitatem, ac miſericordiam maximopere demirantur dicentes: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* D Hic minimi cujuſdam boni, quod in ſua ſervi mei anima ſentiunt, ſenſus ponderatio, atque exiſtimatio eſt. Quod ſi ita ſe in minimis habet, quanti ergo majora bona interiora facienda ſunt, qualia ſunt, v. g. vera & profunda cordis humilitas, ſincera & fideliſſima obedientia, firmiſſima regni ſempiterni ſpes, ac puriſſimus Dei amor? Beati vero illi, qui lumine meo ad illorum verborum: *Omnis gloria ejus filiæ regis*, id eſt, animæ, *ab intus*, ſenſum conſiderandum ac debitè ponderandum ritè utuntur. Hæc namque anima deliciarum mearum locus eſt, veri Salomonis reclinatorium ex auro puriſſimo fabricatum. Vide igitur, fili mi, E ne apparentia tantum bona permagni facias; quin potius affectu & fidei divinæ oculis in interiorem juſti animam ingredere quo ad illud decus, candorem, ſplendorem & ſuaviſſimam illam ſponſæ, quæ ad thalamum in domo Patris mei illi à me præparatum conducenda eſt, pulchritudinem diligendam pelliciaris; ac divinæ gratiæ adminiculo connitere, ut veris illis & cœleſtibus divitiis, quæ ſine fine duraturæ ſunt, locupletari merearis.

Voluptatis Paradiſus notatus.

Divinarum rerum guſtus in interiori hominis parte ſentitur.

Pſal. 30. 20.

Bona interiora majora quae?

Pſal. 44. 14.

CAPUT VI.

Quanta eorum felicitas, qui orationis & communicationis cum Domino Deo ſtudioſi ſunt.

F BEati illi, qui potiſſimam temporis partem orationi ac communicationi mecum qui unicum ipſorum ſum bonum, impendunt recipient ſiquidem impreſſiones divinas, ſingularibuſque quibuſdam auxiliis ac privilegiis donabuntur, ad in via vitæ expeditè & celeriter progrediendum. Recordare fili mi, quibus condecorari ſoleant privilegiis aulici ac proceres illi, qui in terrenorum Principum conſpectu ac præſentia aſſiduè verſantur; vide ut hi plus reliquis honorentur, præ aliis illuſtriores, opulentiores & cariores ſint: tibique perſuade multo eſſe majores gratias ac favores, quibus fideles ego famulos meos, qui coram me aſſiduè verſantur, condecoro. G Has enim animas divinæ lucis ſplendoribus adimpleo, ſimul etiam robur iis & animum addo ad illuſtres quaſdam ſpirituales victorias referendas; dulciſſimæ quoque caritatis igne eaſdem accendo, & excellentiſſimis gloriæ, qua in æternum donabuntur, meritis illas juvo, ut velociter & feſtinanter pergant. Quin & ab oratione hilares, magnanimi, conſtantes redeunt, & pulcherrimum quoddam Eccleſiæ meæ decus fiunt & lumen. Hanc ob cauſam veteres illi ſancti mei, etiamſi animarum curam haberent, vulgari & ordinaria quadam oratione & communicatione illa præſentiæ meæ, ad quam omnes functiones ſuas Eccleſiaſticas referebant, non contenti, interdum in loca ſolitaria ſe abdebant, ut mecum & diutius & inſtantius majorique ardore, ore ad os loquerentur, H hanc negotiationis & mercaturæ divinæ ſpeciem permagni facientes. Memento SS. Hieronymi, Auguſtini, Martini Turonenſis, Gregorii, aliorumque amicorum meorum intimorum, & inſatiabilem quamdam in animabus illis ſitim, ad mecum in ſecreto, procul à mundano ſtrepitu ac negotiis & rebus ſuis converſandum perſpicies.

SS. Hieronymus, Auguſtinus, Martinus, Gregorius.

Bea-

Scripta An. 1609.

Beatæ vero illæ religiones, in quibus ipſa legum viget obſervantia, & quæ orationis ſtudio imprimis deditæ ſunt, & in quibus jam inde ab initio ingreſſus diſcunt & aſſueſcunt novitii continuo ad me ſuſpirare, quæ à cæleſti rore tempore ſuo viſitabuntur, & à gratiæ abundantia, & liberaliſſima miſericordia A mea impinguabuntur. Equidem magnam quamdam viciſſim in hominibus invenire velim reciprocationem ac correſpondentiam, cum iiſque familiariter, clementiſſimi Patris mei divitias illis communicando, tractare: ſed non aliter ipſi me fugiunt, ac ſi de morte iis inferenda tractarem, atque ideo ſuas hi conſolationes quærunt: at bonitas mea, ne ſua illa ad bene faciendum inclinatione quodammodo defraudetur, eò ſe ipſam pauculis illis, qui converſionem & correſpondentiam ſuam amant & quærunt, communicat liberalius. Hanc ob cauſam debes te, cariſſime, mihi conſecrare, & ſancti exercitii orationis imprimis ſtudioſus eſſe, nunquam ut tædioſum tibi ſit vel grave mecum B agere, quo non aliter diſpoſitus & animatus fias, ac propheta ille meus, qui dicebat: Pſal. 26. 8. *Tibi dixit cor meum; Exquiſivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Faciem autem meam exquirendi, ac requirendi modus eſt, ſi ex corde mihi communicare, teque à rebus terrenis avocare, & ad cœleſtes ſuſtollere ſtatuas, cum cœleſtibus civibus aſſiduè converſando, prout quidem poſſibile tibi in hoc vitæ mortalis ſtatu fuerit, & in quantum carnis, quam geſtas, pondus permiſerit. Atque hoc modo vires tibi verſus beatiſſimæ requietis tuæ patriam, in qua cum electis meis regnabis in æternum, currendi comparabis.

CAPUT VII.

C

De bonæ conſcientiæ quiete & gaudio.

NON poſſunt filii hujus ſæculi veram in laboribus ſuis, multò etiam minus in conſolationibus ſuis pacem, ac quietem conſcientiæ habere. Quod enim cor purum, ac mundum non habeant, & in operando ad bona æterna non reſpiciant; hinc eſt quod propriæ conſcientiæ remorſum ſentiant, quæ anxia de ipſis expoſtulat, & aſſiduè voluptates, quas è bonis haurire tranſitoriis geſtiunt, interturbat. Atque hinc eſt, quod Miſerae mundanorum vitae origo. miſere vivant; & ipſæmet voluptates illis in tormentum vertantur, nimirum ob interiorem illum cogitationum conflictum, & continuos conſcientiæ remorſus; quemadmodum olim meus de Gentilibus, legem naturalem in corde ſuo Scriptam habentibus loquens, D hiſce verbis dixit Apoſtolus: Rom. 2. 15. *Oſtendunt, gentes, opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.* Si autem ita ſe res habet in corde gentilium, quid de Chriſtianorum cordibus dicendum, quibus ipſe, præter naturalem, ſpiritus mei digito ſupernaturalem novi teſtamenti legem inſcripſi, multo copioſius illos illuminando, & certius obligando, ut ad Patris mei æterni præſcriptum, & voluntati ejus conformiter viverent? Certiſſimum eſt, nullam hos pacem in conſcientia ſua habere poſſe, ſed ſeverum eos judicem ſemper ſecum circumferre, E qui perpetuis continuiſque eos cruciatibus adjudicet. Sed juſtus, qui ſuos in bona cœleſtia oculos fixos habet, & ad veram perpetuamque felicitatem ſincerè aſpirat, maxima conſcientiæ tranquillitate gaudet: caret is namque conflictibus illis interioribus, aculeis, & remorſibus; nec non placida filiorum Dei pace gaudet, quorum interiora ſemper tranquilla & pacata ſunt, quod ſecundum legem meam vivant. Aperte id ſignificavit, atque in ſeipſo expertus eſt amicus meus David, ac poſteritati ſcriptum reliquit, dicens; *Pax multa diligentibus legem tuam; & non eſt illis ſcandalum.* Pſal. 118. 165. Quod in multis ſervis meis videre eſt, qui etiam plurimas inter tribulationes & contumelias mirabilem F quamdam in animo ſerenitatem præferunt, & de exteriori illo mundanorum tumultu nihilum laborant. Hæc te pax, fili mi, & quies efficaciter emovere deberet, quo meo te ſervitio, boniſque æternis comparandis ex toto corde & animo dedicares, frivolis vero rerum mundanarum nugis neutiquam crederes, neve tibi à ſpecioſa calicis Baylonii forinſecus deaurati, interius verò tetrum venenum continentis apparentia, ac ſplendore imponi ſineres. Veram autem Vera laetitia quaerenda. lætitiam quærito, meiſque conſiliis, quæ ſanè ſaniora multo & fideliora ſunt, quam tua, totus acquieſcito. Vitæ puritatem ſectare, & illam conſcientiæ tranquillitatem ſecuritatemque ſenties, quæ omnibus mundi theſauris opulentior eſt, cum certiſſima quadam ſalutis æternæ obtinendæ ſpe.

G

CAPUT VIII.

De Dei erga ſervos ſuos providentia & cura.

FAmis & ſterilitatis tempore populus quidem turbatur, & nulla aliunde conſolatione affulgente non parum affligitur: at Principum clientes & aſſeclæ, quibus nunquam commeatus, atque alimenta deſunt, nullam famis tempore moleſtiam aut deſolationem ſentiunt. Certiſſimum eſt, multas Juſti & injuſti in tribulatione diſcrimen. impiis æquè ac piis & juſtis tribulationes evenire; ſed in iiſdem peccatorum plebecula & vulgus graviſſimè affligitur & turbatur; aut juſti, cognito habere ſe in cœlo divitem & liberalem Dominum extremas H illas peccatorum afflictiones non ſentiunt; ut tam in ſpiritus adverſitatibus in graviſſimis inquam tentationibus, quam in neceſſitatibus temporalibus, quando ipſis vel calix aquæ frigidæ videtur defuturus, adeo non animum deſpondeant, ut etiam intrepidè dicant, Equidem unum hoc ſolicitus ſum, ut Dei mei majeſtati ſerviam: aliud non ſpecto,

Scripta An. 1609.

Pſal. 54. 23. A

Dei providentia in iuſtos.

Matth. 7. 11.

B

Panis animae notatus.

C

cto; quam vitam æternam, quam mihi ipſe pollicitus eſt: ipſi erit haud dubie cura de me; & ſi ad ſalutem meam panis corporalis neceſſarius futurus eſt, illum mihi ab eodem dandum certus ſum. Hæc ſcilicet omnium juſtorum ſententia & ſenſus eſt, prout Propheta meus ſcripſit: *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Neque eſt quod ſervi mei de neceſſariis bonis temporalibus ſollicite laborent, quod per meos ipſe Evangeliſtas illis promiſerim me à parte mea minimè defuturum, ſed ſedulo de omnibus ipſis proſpecturum. Adeo ut qui clementiſſimi Patris mei conditionem perſpectam habuerit, nulla ei dubitandi de me ſit anſa futura, ſicut per Evangeliſtam meum Matthæum ſignificavi dicens: *Si vos cum ſitis mali noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis pater veſter, qui in cœlis eſt,* quique omnium dator & ipſa bonitas eſt: *dabit bona petentibus ſe?* Et ſi tantam ipſe Iſraelitarum curam geſſi, ut miraculoſe eos tot annis in ſterili ſolitudine ſuſtentarim; quomodo credibile ſit, me hac in parte Chriſtianis, ac præſertim ſervis meis, quos oculis, immo & anima mea cariores habeo, defuturum? Ego ipſis vitam dedi, meque ipſum illis in Altaris Sacramento, velut animæ panem, comedendum, nemini me ſubtrahendo propoſui, quomodo ergo panem corporalem negem ei, qui mihi famulatur, ac mihi confidit? Mihi itaque te crede, cariſſime fili, ac benigniſſimæ providentiæ meæ te committe, quæ adeo certa ac fidelis eſt, ut vel hoc ſolo nomine tibi ipſi deberes diffidere, mihique ſervire, & regnum meum æternum quam ardentiſſime & ſummo ſtudio quærere. Patiar quidem interdum tentari te & corporaliter affligi; at tu viriliter confide, in mediis illis te tribulationibus, non ſecus ac pupillam oculi mei à me cuſtodiendum, ac minimè paſſurum me, ut ab infirmitate, pauperie, tentationibus interioribus tum perſecutionibus exterioribus, aut alia qualibet pœna opprimaris, niſi id ad majus animæ tuæ bonum futurum ſit, & hac ſis via ad vitam æternam conducendus. Noli cor tuum bifarium dividere, & mihi unam partem tantum dare, & alteram tibi reſervare, quo nimirum timidis & incertis mortalium providentiis & curis nitaris. Sed da mihi id totum, & ingenti id ipſe tibi donum fœnore compenſabo, ipſe inquam, qui ipſa ſum liberalitas, meque ipſum pro te liberaliter totum obtuli ac tradidi.

CAPUT IX.

D

De Victoria, Quam Dei ſervi de vitiis obtinent.

Inordinatorum motuum origo.

E

1. Cor. 2. 14.

F

Et vitiorum.

G

H

SS. Auguſtinus, & Maria Magdalena.

E Precipuis, quibus ad vitam æternam comparandam incitari deberes, ſtimulis eſt ipſa vitiorum victoria, quam de iiſdem regni mei, quod præ omnibus mundi mirabilibus maximè admirabile eſt, competitores & candidati referunt. Innumeros, ſcio, motus inordinatos pravoſque ſentis, qui tibi à vitiata veteris Adami natura innaſcuntur. Aliud quippe præter terram amare, deſiderare, ac quærere non noſti; de rebus cæleſtibus tractare tibi moleſtum eſt; ad obſequium & famulatum meum tardus es; at ad profana vanaque mundi negotia quam promptiſſimus; inſatiabili quoque corporalium commoditatum ac deliciarum appetitu æſtuas, denique animalis totus factus es, *qui*, teſte Apoſtolo meo, *non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei*. Quod adeò quidem verum eſt, ut vitiis mens humana illiciatur, & a rerum æternarum ſtudio quam maximè alienetur: adeò ut & ſtultitiæ quoddam illi videatur genus, illorum meditationi conſiderationique tempus aliquod impendere. Quid verò de permultis ſervis meis dices; qui cum primò vitiis omnibus toti aſſueviſſent, & ad inſtar pecorum ut homines animales vixiſſent, ut non aliter iis data videretur anima, quam ut ab ea corpus vegetaretur & paſceretur, uti & à ſua anima equus; poſtea tamen ad regnum cœleſte aſpirantes, cum de illius divitiis fando multa ab aliis accepiſſent, divinæ gratiæ meæ cooperando, crapulam, luxuriam, accediam, avaritiam, ſuperbiam aliaque, quæ in ipſorum mentibus dominabantur vitia, expugnarunt; non ſine maximo ipſorummet ſtupore, quod jam ſe temperantes, caſtos, in divino obſequio ferventes, liberales, humiles, denique in alios ſe & novos homines univerſali quadam ſui reformatione tranſiiſſe cernerent? Antea illis impoſſibile videbatur, continenter vivere: poſtea verò per ipſam in ſe viderunt experientiam, ſinceros ſe caſtitatis & amatores eſſe & cultores. Antea intolerabile ipſis videbatur vel unum jejunare diem, & poſt ſolo pane contenti vivunt & aqua, multis etiam ſeptimanis jejunantes non ſine magno animæ ipſorum nutrimento. Antea tantumdem ſibi tolli putabant ſanguinis, cum pauperi quid elargiendum eſſet: poſt ſuiſmet ſe ſpoliant veſtibus, quo pauperes & nudos tegant. Mirabilem igitur hanc mutationem conſpicientes, non parum ſe obſtupeſcunt, meas celebrant miſericordias me ſine fine glorificant, ac divinæ gratiæ meæ ope adeptas victorias nunquam non deprædicant. Immò verò quam maximè eos pœnitet, quod non jam inde à primis annis mihi ſervire cœperint: quocirca præterita vitia ceu quidam illis ſunt ſtimuli ad perfectionem, & vitæ cujuſdam angelicæ in terris ducendæ motiva, ut videre quam maximè tibi in Confeſſionibus fideliſſimi famuli mei Auguſtini, & in vita cariſſimæ ſponſæ meæ Mariæ Magdalenæ licet. Cœleſtis hæc mutatio emovere te debet, ut vel aliquem ſaltem, tum mea, tum tua cauſa laborem ſuſcipere non verearis; mea quidem, ut hoc pacto glorificer; tua verò, ut duram ſic Pharaonis ſervitutem à te excutias, à præteritorum vitiorum onere te allevies, & quam velociſſimè per viam

vitæ

Scripta An. 1609.

A

Pſal. 125. 5.

vitæ curras. Mihi credas velim, cariſſime, generoſos athletas & bellatores non in patria modò cœleſti, verum etiam in hac lachrymarum valle ineffabilibus quibuſdam conſolationibus ſolere perfundi ubi nempe gratiæ meæ vim & efficaciam primum experiri incipiunt. Non ergò te pigeat cum aliqua hic moleſtia ſeminare ac mœſtitia, quò fœcundam uberemque alibi colligas meſſem. Satius multò eſt ſocium eſſe eorum: *qui ſeminant in lacrymis, & in exultatione* poſtea *metent*; quam per inertem ſegnitiem, & timorem carnalem ad regnum meum aſpirare nolle ſed ſemper ſub gravi vitiorum pondere & tyrannide gemere. Da operam potius, ut ex homine animali in ſpiritualem tranſeas; & ſpiritu meo aſpirante, ad fertiliſſimam promiſſionis terram, ubi vera tua futura libertas & conſolatio eſt, te conducam.

CAPUT X.

B

De Chriſti Domini Benignitate & facilitate in ignoſcendo, ſi quando ſervos ſuos labi contigerit.

NEC eſt verò cariſſime fili, quod animum deſpondeas dicens, multum eſſe homini ſuſcipiendum moleſtiarum ac laboris, ut ad regnum meum perveniat, per medios illi eſſe enſes penetrandum, tot hoſtes ſuperandos; ac proinde vereri te, ne interdum prolabaris; itaque omnes labores tuos ſemel cadendo fruſtra impenderis. Nam ut taceam non paucos ſervos meos, ut primum ſincerè ad me converti cœperint, ad mortem uſque, ab omni peccato mortali, gratia & auxilio meo ſuccurrente, abſtinere, & ſperare ipſe poſſis, de illorum te eſſe numero, tametſi alioquin ad peccatum graviter tenteris & affligaris; at poſito te per fragilitatem interdum in adeò gravibus certaminibus ſuccumbere & labi, non propterea unquam cordis mei januam tibi occludam, quinimmò ad te recipiendum, peccatorumque tuorum obliviſcendum ero ſemper paratiſſimus, quotieſcumque divina auxiliante gratia ad me confugeris; & non minus quoad hoc futurus ſum liberalis & fidelis, quam ſemper fui: cum jam inde ab orbis principio nullus ad me unquam ex corde clamarit, gratia mea, quam ad me invocandum ſuggerebam, utens, erga quem meam non oſtenderim miſericordiam. Quin etiam, quamvis ſæpius in peccatum rueres, tam in te erigendo promptus ero in ultimo lapſu, quam fui in primo, nullum animi alienioris, aut averſioris erga te ſignum oſtendens: ſum ad ignoſcendum propenſiſſimus; hic enim actus divinæ naturæ, ac bonitati meæ convenientiſſimus eſt: quamobrem noli timere, quaſi ipſe tibi ſim, ubi te videro in vitæ hujus mortalis conflictu proſtratum, defuturus. David quidem & Petrus, integerrimi amici mei lapſi ſunt; at ſi ſacram legas hiſtoriam, comperies, me non ſolum in ipſis compatiendo fuiſſe benigniſſimum, verum etiam iiſdem poſtea opitulatum eſſe, & ad majorem ſanctitatem & gloriam, quam ante peccatum habuerant, evexiſſe: nunquam deinde ſuum illis errorem improperavi vel exprobravi; immò eos ceu cariſſimos filios meos, dilexi & complexus ſum. Eamdem in me ipſe benignitatem & clementiam invenies, ſi te in me contingat peccare: hic ſanè te ſtimulus vehementer & acriter incitare deberet, ut regnum meum, ad quod ipſe te voco, quò te ſemper penes me habeam, acquirere ſtudeas. Tuæ ſum ipſe conditionis probè conſcius nec punctilla illa & minutias, quas terreni Principes obſervant, ſervare ſoleo: hos enim ſi ſemel vel leviter offenderis, nullo eos queas modo vel arte tibi reconciliare; eò quod exiguæ ſint miſericordiæ. Ego autem ipſa ſum bonitas & miſericordia; & ut peccatores ſalvos facerem, in mundum veni; quin immò eo ipſo, quo carnem è ſtirpe & progenie Adam accepi, ſimul etiam peccatorum juvandorum, eorumque rem & negotia agendi, & veniæ illis ex infinita caritate procurandæ ſedulò ſuſcepi. Revoca itaque in mentem, cariſſime, verba illa Apoſtoli mei, dicentis: *Non habemus Pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris.* Pauca quidem dicit ſed multa ſatis magna cum emphaſi innuit: nam non modò Pontifex auſterus, immitis, ſine ulla compaſſione non ſum, verum etiam præter bonitatem mihi innatam, ad faciendam miſericordiam paratiſſimam, ipſis me hominibus, in laboribus & pœnis ferendis, aſſimilavi, ut eo meam erga illos miſericordiam copioſius exercerem; ut idem meus de me ait Apoſtolus, *Debuit per omnia fratribus aſſimilari ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.* Quæ cum ita ſint, fili mi, non eſt quod timeas, ſed generosè decerta, ut bravium accipias & palmam, & in omni mortalitatis tuæ eventu ſecuriſſimum me refugium habebis.

Ad peccata vitanda, Dei auxilio requiritur.

C

D

Deus ad ignoſcendum propenſus.

David & Petrus.

E

Regis cœleſtis, & terreni diſcrimen.

F

Heb. 4. 15.

Chriſtus Pontifex ad faciendam miſericordiam paratiſſimus.

Heb. 2. 17.

CAPUT XI.

G

Quomodo Servi Dei Honorentur.

PErſuaſum habent peccatores, honoribus mundanis inhiantes, hominem, eo ipſo, quo mihi ſervire proponit, contemptibilem & vilem fieri, eumque ab omnibus abiici & vilipendi. Verum errant quam graviſſime: quoniam, cum certiſſimum ſit, honorem veræ virtuti deberi, eo ipſo, quo homo virtutibus meis divinis ſtudere incipit, honore omni redditur digniſſimus. Quod ipſi etiam Principes, quam maximè ab omnibus in terra honorati, non ignorant, quin immò tum verbis, tum reipſa profitentur. Hanc porrò veritatem non modò Principes pii, qualis fuit ſervus meus David, cum diceret, *Mihi autem nimis honorati ſunt*

amici

Vera virtus honore digna.

H

Pſal. 138. 17.

Scripta An. 1609.

amici tui Deus, fatentur; verum etiam alii parum pii, qui in extremis ſuis neceſſitatibus, quando nec potentia, nec divitiæ, nec deliciæ, nec prudentia mundana illos juvare poſſunt, ad ſervos meos auxilii cauſa confugiunt, eoſque invocant, & enixiſſimè contendunt, ut apud me pro ſe intercedant. Reges id & ipſi Imperatores, in graviſſimis belli periculis, morbis & adverſitatibus à quibus opprimuntur, facere ſolent. Quocirca velim, fili mi, ut ſervorum meorum honorem parumper conſideres. Dic mihi, cur in ſuis Imperatores afflictionibus & neceſſitatibus ad ſervos meos in ſpeluncis abditiſſimis deliteſcentes & à mundo honorari, magnique fieri ſubterfugientes confugiant? Quam ob cauſam recurrunt ad eos, qui nullam habent potentiam humanam, non divitias, nec ſæculi callent prudentiam? Nemo ſanè alterum invocat, ut ab eo adjuvetur, niſi ab illo ſeſe juvandum credat. Unde fit ergo, ut magnates & potentes terræ paucos, humiles & manſuetos ſcholæ meæ diſcipulos inclament, quò ab iiſdem opem accipiant, cum non ignorent humanam ipſis deeſſe potentiam, a qua juventur? Rei hujus ratio eſt, quod perſuaſum habeant, aliam quamdam ſublimiorem ſervis meis ineſſe potentiam, & in gradu quodam altiori, quam proprius ſit, ideò hos eſſe conſtitutos, quod ſint amici mei: & plus hos opis ſuis à me precibus obtinere ſibi poſſe, quam omnes terræ potentes & proceres conferre queant. Hac confeſſione tum ore, tum reipſa, ſatis ipſi Reges terræ oſtendunt, quanto ſervi mei honore digni ſint, qui omnem terræ honorem pedibus proculcant. Acer hoc eſt ad mihi ſerviendum, & ad regnum meum contendendum ſtimulus: ſi enim jam tum in terra ſic à magnatibus & prudentibus ſæculi amici mei honorentur, quo eos, cariſſime, putas in regno æterno, quando ipſorum apparebit gloria, & quando eos non modò electi mei, ſed egomet ipſorum Dominus & creator coram Patre meo cœleſti laudabo & honorabo, honore afficiendos? Certus namque eſto hoc me promiſſum meum, ſcilicet: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, impleturum. Adeo ut egomet tuus ſim, fili mi, præco & honorator futurus, ſi purè pieque vivas, & ex animo ad feliciſſimam cœleſtis Jeruſalem habitationem, ubi amor regnat æternus, & ineffabiles conſolationes meæ abundant, anheles.

A

Dei ſervi quaeſiti.

B

C

Matt. 10. 32.

CAPUT XII.

D

De Vitæ Perfectione, ad quam ſervi Dei perveniunt.

SI mundi amatores illam vitæ perfectionem perſpicerent oculis, ad quam ſervi mei, potentiſſima gratiæ meæ ope, perveniunt; non mediocri admiratione percellerentur, meaque opera obſtupeſcerent. Verum ad hanc ipſi ſe non reflectunt, ſed aliquot dumtaxat hinc inde humiles ac mites diſcipuli mei, qui jucunda quadam & ſuavi violentia ad bonorum ſe æternorum deſiderium prætenſionemque pertrahi ſentiunt, dum ſummam illam vitæ admirantur perfectionem, quæ hic obtinetur. Quod ſi pro eo, atque oportet, ponderes, fili mi, non exiguam id tibi eſt utilitatem allaturum. Pertingunt ſiquidem ſervi mei ad quamdam animi magnitudinem ad conſcientiæ ſinceritatem ad mentis fortitudinem, ad rerum terrenarum contemptum, ad æternorum bonorum affectum, & ad quemdam amorem mei adeo excellentem & divinum, ut nulla hominum vel lingua exprimi vel cogitatione queat comprehendi. Perveniunt item eò, ut in me quodammodo transformentur; qualis illa transformatio fuit Apoſtoli, cum de ſe diceret. *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*. Adeo ut ego, qui ipſamet vita ſum, mirabili quadam ratione in magnorum ſervorum meorum, qui per gratiam divinam affectu in me toti mutati ſunt, cordibus vivam. Per admirabilem porrò hanc unionem magna quædam & mirabilia operantur, digna ſanè iis, qui ad vitam æternam aſpirant. Ceterum, cum tu, cariſſime, ad tam ſublimem pertingere gradum ac divinum poſſis, ex corde toto mihi ſerviendo, rerumque cœleſtium ſtudio totum te applicando; quin manum admoves operi? quid tergiverſaris? quid dubitas? Vitæ mortalis laqueis, quibus illaqueatus es, te jam extrica: & altitudinem & opes, quas in domo mea potes acquirere, reſpice. Illiciis & blanditiis carnis aures occlude, & per anguſtum callem ad vitam ingredi allabora: quem cum ingreſſus fueris, in ampliſſimum patentiſſimumque conſolationis campum pervenies, poſtquam ſcilicet generoſè adverſus animæ tuæ hoſtes decretaris; & ad eam vitæ perfectionem pertinges; aliud ut tibi poſt hac non ſapiat, quam unicæ legis meæ obſervatio, in qua omnigenum te reperturum bonum credes: & dilatabis cor tuum, ratus ambulare te in regione, quæ animæ tuæ ſpatioſa ſit & delicioſa; ſicut id de ſe ſervus meus David teſtatur, dicens, *Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſivi*. Cum autem juſtus provectus, & multis annis in domo mea exercitatus ita ſentit, ut ſibi in via quadam ſpatioſa patentique ambulare videatur; certiſſimum id argumentum eſt, jam ad ſummam quamdam perfectionem eum perveniſſe, cum omnis ejus in eò ſita ſit voluptas; ut voluntatem meam, quæ illi per legem eſt indicata, faciat. Statum hunc bene perpende, fili mi, qui quædam beatitudinis cœleſtis in hac vita inchoatæ ſpecies eſt, quæ deinde in altera, cum ſumma juſtorum perfectione, & ſummo gaudio, continuetur. Noli timere, ego enim tibi adero, & quemdam ex anima & corpore tuo thalamum ac templum, in quo cordi meo complaceat, efficaciam, in-

Servorum Dei perfectiones.

E

Gal. 2.20.

F

Via vitae arcta.

G

Pſal. 118. 45.

Iuſti voluptas, quae?

H

Scripta An. 1609.

inque te non ſine magna utilitate tua, requieſcam, ſpiritualibus habitationem meam bonis, qualia ſunt illa, quibus in fertiliſſima viventium terra, in qua ſine fine commorabuntur, beati gaudent, repleturus.

CAPUT XIII.

A

De interioris hominis ordinatione & compoſitione, quam in Dei ſervis gratia operatur.

Filii Adam à die, quo primum in hanc lucem editi ſunt, pacem non habent; eo quod cum in peccato & concepti & nati ſunt, per magnam quamdam appetituum & potentiarum ſuarum deordinationem, aſſiduum & crudele in ſe bellum ſentiunt, ut in continua quadam morte vivere videantur. Bellum hoc, quando ad me homo converti incipit, adeo non ſopitur, ut poſt etiam multò vehementius inſurgat, & longè moleſtius ſit; unde Apoſtolus meus de ſe ſic loquitur: *Video aliam legem in membris meis*, B id eſt, legem carnalem, aut perverſam quamdam in parte mea inferiori, *repugnantem legi* ſpirituali *mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in* corpore *& membris meis*. Hæc membrorum lex, vel concupiſcentia, vel inclinatio ad peccatum, grave quoddam tormentum eſt, ſervos meos non parum affligens & crucians; adeo ut idcirco continenter & aſſiduè ad me ſuſpirent, quo à dura hac ſervitute & mala corporis ſocietate liberentur, uti poſt illa verba idem Apoſtolus meus ſubinfert: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Hoc ſcilicet modo gemunt & lamentantur juſti, & ad interioris hominis compoſitionem & ordinationem anhelant, illius partes omnes ita componere & ordinare C deſiderantes, ut in operibus juſtitiæ exequendis pars inferior cum ſuperiore concurrat, & menti adeo non repugnet, ut illi potius famuletur & ſerviat. Magnum quid eſt hoc, & admirabile planè gratiæ meæ opus: adeo ut humana & fortitudo, & dexteritas & prudentia ad opus hoc ſtupendum impar ſit & inſufficiens; ſolaque divina gratia ad hoc ſufficiat, ut idem teſtatur Apoſtolus; qui cum dixiſſet: *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ſtatim ſubnectit: *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*, ejuſque merita, adeo ut per Dei gratiam homo reformetur, & ordinetur, & ab illa affectuum & motuum inordinatorum, qui mentem ejus adeo vehementer oppugnant, ut nullam ei quietem indulgeant, depravatione liberetur, D idque adeo verè, ut ſervi mei, qui divina adjuvante gratia, illos paſſionum, quæ in parte inferiori ſentiuntur, impetus & violentiam refrenare ſatagunt, ad ſerenitatem quamdam admirabilem interdum perveniant: ita quidem ut cum eadem motiva incidunt, quibus antè paſſiones commoveri ſolebant, jam ſe nullatenus moveri, aut concitari ſentiant ſed magna quadam pace, quæ exſuperat omnem ſenſum, potius gaudere, mirenturque talem in animo ſe ſuo affectuum ordinationem & moderationem, qualis civium cœleſtium eſt, experiri. Pars namque ſuperior ab inferiori non turbatur, ideoque ſuo ſe divinitus attemperat objecto; intellectus ſuaviſſimo veritatis meæ cibo paſcitur; memoria cœleſti quadam ſerenitate potitur; adeo E ut, nullis creaturarum imaginibus importunioribus interrupta me ſemper ſibi præſentem fingat; voluntas porro puri cujuſdam amoris, qui ſupra omnem terrenam dulcedinem dulcis ſit, flammis inardeſcit: pars vero inferior mirè pacifica eſt, & mentis imperio parere ſolita, ſine ulla refragatione & reſiſtentia ad opera ſe juſtitiæ facile trahi ſinit. Ipſa etiam caro ita ſe ſpiritui accommodat ut ſumma quadam lætitia mihi dicat juſtus: *Sitivit in te anima mea*, vel potius ſpiritus, *quam multipliciter tibi caro mea.* Hæc inchoata quædam beatitudo eſt, quæ in ſtatu immortalitatis perficietur. Porro ſi, etiam in hoc exilio, ſervi mei interdum tam inæſtimabile bonum acquirunt, cur tu ad bonum F illud, fili cariſſime, non anhelas, & id non concupiſcis? cur te totum mihi in holocauſtum non offers, idque pia quadam æmulatione, qua ſanctis meis invideas, aſcendendo & evolando in palmam, quo ſuaviſſimos ejuſdem fructus deguſtes? Sanè ſi vel ſemel interioris concordiæ ſuavitatem deguſtaſſes, tametſi vel breviſſimo tempore: omnia haud dubiè regna terræ, & quidquid in eadem unquam filii Adam vel invenire vel excogitare amabile potuerunt, haud gravatè contemneres. Quocirca viriliter pro regni mei corona decerta, & ab ipſamet veritate manifeſtè convictus, divinæ gratiæ mirabilia non poteris non confiteri, atque ad æternæ iter vitæ peragendum multo fies potentior & animoſior.

Rom. 7. 23.

Concupiſcentia membrorum lex dicta.

Ibid. 24.

Ibid. 25.

Juſti interna compoſitio, & pax.

Pſal. 62. 2.

Interior ſuavitas qualis?

G

CAPUT XIV.

De juſtorum in mortis articulo gaudio & hilaritate.

Ipſi mundi ſectatores non parum contremiſcunt & conturbantur, ubi ſe jam ætate provectiores eſſe, & prope diem hinc, prout ordinariè contingit, emigraturos, & brevem ſuam commorationem fore conſpiciunt. Quoniam enim omnem ſuam in terra ſpem collocarunt; hinc dum neceſſario à vanis ſuis ſe voluptatibus brevi vident avellendos & ſua ipſorum conſcientia domeſtica teſtis in alia vita præter graviſſima tormenta aliud ipſis non ſpondet; infernalem quemdam in H animo dolorem ſentiunt, & talem ſpiritus dejectionem & angorem, quali ipſi in inferno damnati torquentur. At juſti, qui toto vitæ tempore ſemper ad beatiſſimum regnum meum aſpirarunt, & certò ejus ſe compotes futuros ſperant, ubi jam ætatem ſuam inclinare conſiderant, & vires corporis ſenſim deficere comperiunt; maximo interius gaudio perfunduntur, laborum ſuorum præmio

Impiorum timor in morte.

quam

Scripta An. 1609. quam certiſſime donari & deliciarum divinarum torrente brevi ſatiari quam ardentiſſimè cupientes. Et iuſtorum gaudium. Ubi ergo felix illorum hinc emigratio inſtat, ipſa videtur anima ad me geſtire evolare, & corporis ſarcinam excutere conari, idque certis quibuſdam cordis elationibus, quæ certiſſimæ cujuſdam fiduciæ & amoris mei actus ſunt. Tunc ſcilicet locum habet illud, quod in Proverbiis Ego Prov. 28. 1. dixi: *Juſtus quaſi leo confidens in me, abſque* A *terrore erit*. Quod, cum magna circumſtantium conſolatione, in aliquorum ſingularium ſervorum meorum, gratiæ & juſtitiæ meæ armis armatorum, & in mortis hora ita confortatorum, ut rideant, & interius, cum magno animarum ſuarum gaudio exultent, obitu cernere eſt. Hic ſuaviſſimus quidam bonæ vitæ fructus eſt, & acre ad bene agendum calcar, quo ipſi etiam lapides emolliri deberent. Quamobrem, cariſſime, reſpice finem, & ſerio eum meditare: conſidera, inquam, quantæ tunc tibi futurum conſolationi ſit & refrigerio quod verus fueris vitæ æternæ amator & deſiderator; quando tibi bona tua conſcientia dicet: Euge ſerve bone & fidelis, quia jam appropinquat æterna merces tua! Ecquæ divitiæ, honores, B conſolationes terrenæ & humanæ cum optabili illa conſcientiæ pace, in tremenda illa hora, conferri poterunt? Quamnam admirationem concitaret, ſi beatorum illorum, amicorum meorum aliquis eam hominibus prædicaret & declararet conſolationem, quam in amaro illo tranſitu experitur, ut pote qui jam reipſa novit, quam ſit gratia mea copioſa, & auxilium fidele! Auxilium ſane meum quod ſervis meis in illa hora confero, tantum tamque evidens eſt, fili mi, ut non ſine ratione id omnibus, qui in mundo tolerantur, laboribus ac moleſtiis comparari mereatur. Tunc quippe fidelis operarii auribus inſonat grata illa Patris mei vox, qua domus ſuæ Matt. 20. 8. diſpenſatorem compellans, ait: *Voca operarios, & redde illis mercedem*. Ceterum, ſi C ego diſpenſator ſim, & tui cauſa ex intima quadam amicitia & dilectione homo factus ſim, quid non tui cauſa facturum me tunc putas, fili, ubi hora illa venerit, qua ad remunerationem, mercedem, & coronam tuam tranſibis? Sane, ſi nulla alia motiva præter hoc unum forent, quibus ad obſequium pertrahi meum deberes, omnia tibi propter me, pio quodam fœnore, è quo maximus & infinitus tibi eſt quæſtus proventurus, derelinquenda & abneganda eſſent. Mundi itaque conſilia & ſuaſiones ſperne, & credere noli illi, qui te ſalvare nequit; ſed mihi Salvatori tuo crede, qui idcirco & paſſus & mortuus ſum, ut hæreditatis cœleſtis tibi ius, & D æternum clementiſſimi Patris mei regnum compararem.

PARS SECUNDA.

Quamdam continens inſtructionem & exhortationem ad virtutum, quarum adminiculo regnum Dei obtinetur, uſum vel exercitium.

E

CAPUT I.

De humilitate.

ANimam tuam illuminare volo, fili mi, & rationes ac media illi ſuggerere, quibus ad beatiſſimum regnum; & gloriæ meæ requiem pervenire F queat. Fruſtra ſiquidem tibi varia produxerim motiva, quibus tibi civitatis Dei amorem ac deſiderium ingenerare ſum conatus, ſi ipſa media nolis amplecti, & per vias ad æternitatem dirigentes, per virtutes inquam quæ in ſchola mea edocentur, ambulare detrectes. Equidem omnes filios Adam, qui ſub gravi mortalitatis onere gemunt, vocavi dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis* Matt. 11. 28. *& onerati eſtis, & ego reficiam vos*: utque eos ad verum & æternum refrigerium & quietem conducerem, omnes ſum, ut à me humilitatem & mauſuetudinem diſcerent, exhortatus hiſce verbis: *Diſcite à me, quia* Ibid. 29. *mitis ſum, & humilis corde*. Divino quodam id feci conſilio, fundamentales quippe fabricæ ſpiritualis, quæ in templum Dei vivi aſ- G ſurgere debet; virtutes hominum cordibus imprimere volui. Unde, cum ego te chariſſime docere vellem viuum qnoddam in te templum conſtruere; ante omnia humilita- Humilitas, unica diſcipulorum Chriſti nota. tem à te exegi, ut quæ proprium & unicum diſcipulorum meorum ſignum eſt & nota. Uirtus hæc meritis ampla eſt & ad æterna in cœlo bona theſaurizanda cumprimis efficax. Unde, ſi vero ipſe cœleſtis vitæ deſiderio flagres, neceſſe te ex toto corde tuo humilitatis incumbere exercitio; duo potiſſimum capita ſpectando, in quibus virtutis hujus conſiſtit perfectio; ut primo ſcilicet tui ipſius vilitatem perſpectam habeas, quod ad intellectum ſpectat; deinde hominum vitu- H peria & contemptum æquo animo feras, quin & diligas, atque hoc ad voluntatem refertur. Adeo ut ſi te ipſe divinæ gratiæ cooperando, & vilem & contemptibilem æſtimes, & ut talis ab aliis haberi gaudeas tunc verè pretioſiſſimam hanc humilitatis gemmam, quæ omnibus, quæ in terra amari

Scripta An. 1609.

queunt, rebus dignior eſt, compararis. Conſidera, dilectiſſime, quid in te ipſo experiaris, & notes; magnam ſane quamdam in te reperies, maximè rerum divinarum, ignorantiam.

Hominis inconſtantia notata.

A

Infinitos etiam motus inordinatos ac vanos, qui ſi palam omnibus aperirentur, rubore proculdubio ſuffundereris; extremam quoque inconſtantiam luna ipſa mutabiliorem, tantam quidem, ut ne paucis quidem diebus in uno permanere poſſis ſtatu & eſſe; invenies adhæc fragilitatem quamdam incredibilem, & ad omnia opera ardua & heroica, præſertim ea, quæ ad obſequium meum ſpectant, impotentiam, nec non quamdam affectuum omnium corruptionem, qualis in ipſis gentibus, quibus Evangelium meum nondum innotuit, perſpicitur; quin etiam nimium quemdam & effrenem erga carnis delicias & commoda affectum & amorem; avaritiam quoque inſatiabilem, quæ ne univerſo quidem Indiarum auro queat expleri; ambitionem adhæc Luciferianam, adeo ut ad regios etiam evehi honores ac thronos velles & ab omnibus coli, etſi nulla tibi dignitati huic merita paria ineſſe certò ſcias;

Atque vitia

B

quamdam etiam in cibo potuque intemperantiam, ut nullum appetitui tuo & ingluviei terminum ſcias præſtituere; nec non probroſam quamdam ac turpem ad opera virtutis exercenda inertiam; denique miſeram quamdam in te reperies ad peccandum proclivitatem, ut & peccatum omne parvi facias, animam juxta ac corpus tuum, ſine ullo majeſtatis meæ intuitu commaculando.

Et ad peccatum tendentia.

Jam vide & conſidera, quænam ſint ea, è quibus cum tuam ipſe vilitatem perſpicias, & ob quæ te deſpicere diſcas, tum ab aliis deſpici gaudeas. Hoc autem ſcias velim, te, etſi vel unum duntaxat tota vita tua lethale crimen admiſiſſes, æternam ob id infamiam & opprobrium promeruiſſe, & neſcire, an ab hoc infelici reatu ſis liberatus;

C

cur igitur te non humilias, æternam illam redimere humiliationem per temporalem ſatagens, præſertim cum & hac veræ humilitatis occaſione jus ad gloriam & honorem æternum acquirere poſſis?

Humilitas praecepta.

Ingredere, fili mi, ſcholam humilitatis, & inæſtimabilia in ea tibi bona acquires, quæ modo neſcis cognoſcere & ponderare. In veritate tibi dico, etſi nec iis quidem, quas modo produxi ad humiliationem tui, rationibus obligareris, propter ipſam ſaltem virtutis hujus amabiliſſimæ honeſtatem id facere deberes. Certiſſimum & notiſſimum omnibus eſt, eo ipſo, quo ſervus meus ſeſe humiliat, multos eum honorare & colere ſatagere; utpote qui in humili illa anima attractivam & pellacem quamdam virtutem vident,

D

à qua tam potenter ad amandum & efficaciter attrahuntur, ut cœlico quodammodo dominio & imperio verus humilis omnium animis dominetur, eoſque poſſideat. Tale quippe is in aliorum affectus dominium obtinet, quale ego in feſto palmarum exercui; quando nimirum humili & manſueto ſchemate Jeruſalem ingrediens, omnium civium animos magna quadam ſuavitate ita ad me attraxi, ut clamare, & plaudere eos, ac gloriam meam canere compellerem. Quin etiam in hac vita; *Omnis qui ſe humiliaverit, exaltabitur.*

Matt. 23.12.

D. Ambroſius, & Gregorius.

Memento Ambroſii, Gregorii, aliorumque amicorum meorum, qui ſe ipſos deſpiciendo, & dignitate indigniſſimos arbitrando, ſeſe abſcondebant, & ab urbibus ſubducebant; & illos ego viciſſim, in hac etiam vita, exaltavi,

E

eos ad ſedes Paſtorales evehendo, & per univerſum terrarum orbem nomen eorum divulgando.

D. Franciſcus.

Recordare amantiſſimi mei Franciſci, qui quo intra humilitatis ſe abyſſum deiiceret profundius, eo illuſtrius & glorioſius, etiam in hac vita nomen acquirebat. Ego ſum ad benefaciendum donandumque promptiſſimus; ſed ipſa mihi reſiſtit ſuperbia, quod ſuos illa clientes vento repleat & inflet, nullus ut ſpiritui meo infundendo locus relinquatur: at humiles ab omni ſeſe vanitate evacuant, quoque ſe magis inaniunt, eo ampliorem mihi dant locum, ad eos gratia, & miſericordia mea adimplendos.

Humiles pleni ſapientia.

F

Hanc ob cauſam pleni ſunt ſapientia & luce divina, & Eccleſiam ſponſam meam incredibiliter illuſtrant. Meum magna quadam vehementia humilis anima cor ad ſeſe attrahit, quod cariſſimæ matri meæ, in cujus corde humillimo jucundiſſimam quamdam animæ meæ quietem & delectationem inveni, ea ſit perſimilis. Si itaque, fili mi, bene rem tuam agere mecum, æternaque donari à me gloria & honore velis, humilia te cum ſubmiſſe de te ſentiendo, tum vilis ab hominibus haberi deſiderando. Noli turbari, etſi tibi difficile ſit interdum ab aliis deſpici, & contemni moleſtum: ſi enim viriliter & animoſe certes, non idcirco merito tuo fruſtraberis; & perſeverando fiet, ut poſtea tibi etiam diſpliceat, quod ita contemnaris & deſpiciaris, ut mundanorum improperium nullam tibi afferat moleſtiam;

G

ſed per divinæ gratiæ & conſolationis, qui in animam tuam penetrabit, influxum gratum & jucundum tibi ſit potius ab aliis deſpici & rideri. Præterea, quamvis toto vitæ hujus tempore in perpetuo humiliationis exercitio vivere deberes, tam alta atque excellens tamen humilium futura in judicio meo coram omnibus, à quibus deſpecti & irriſi ſunt, eſt gloria, ut forte ſua merito queant eſſe contenti. Dicent quippe tunc illorum irriſores, ſero pœnitentes & furentes: *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum & in ſimilitudinem improperii: nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam & finem illorum ſine honore; Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt.*

Sap. 5. v. 3. 4. 5.

H

Ad æternum illum itaque honorem oculos tuos converte, chariſſime, quo animatus, animosè per humiliationes omnes temporales pertranſibis, & ego tuus honor futurus ſum & corona.

CA-

CAPUT II.

De Manſuetudine.

EGO Redemptor tuus, fili mi, in hunc mundum veni, ut injurias & ignominias
A
æquanimiter paterer, nec me ulciſcerer, quippe qui pacifico quodam dominio in hominum animis regnare propoſueram, mundumque mihi non ferro, ſed ligno ſubjugare, quo infinitam meam in hac victoria manſuetudinem declararem. Quamobrem quicumque
Manſuetudo præcepta.
reddi victoriæ particeps meæ deſiderat, de ferro, vel vindicta cogitare non debet, ſed mitis eſſe, iramque tum ſuam, tum proximi manſuetudinis meæ potentia ſuperare. Idcirco cum meos ipſe diſcipulos per orbem armatos mittere poſſem, ad ſpiritualiter mihi mundum ſubigendum, non ferro, ſed unica manſuetudine eos armavi, dicens:
Luc. 10. 3.
Ite, ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos. Proinde eo etiam admirabilior illorum
B
fuit victoria, cum non reſiſtendo, ſed tolerando, & per dulcedinem manſuetudinis Chriſtianæ faciendo, ut in agnos lupi commutarentur, mundum expugnarint. Victoriæ
Paulli converſio notata.
hujus vim tum ſenſit Paulus, cum illi Damaſcum proficiſcenti, & iram & minas in diſcipulos meos ſpiranti, ego qui ſum Agnus Dei, & omnis manſuetudinis exemplar apparui; cumque de tam gravibus vindictam ſumere peccatis illius poſſem, adeo de eo me ultus non ſum, ut eum etiam verbis hiſce, animum mitiſſimum teſtantibus, ad me
Actor. 9. 4.
vocarim: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Quibus ille motus è lupo rapaci agnus mitiſſimus factus eſt, & in ſeipſo didicit, quo ira ſit modo expugnanda, noſcens, veram ejus ſuperandæ rationem eſſe, ſeſe mihi conformare, atque hiſce armis de efferatis homi-
C
num cordibus victoriam referri. Saul homo
1. Reg. 24. 5.
immitis & ferox ad Davidem venerat interficiendum, ira jam æſtuans: viſo verò, Davidem ſervum meum veſtis illius tantum, nulla corpori, in quod tamen ſecure ac tutò ultionem illi exercere tunc licebat, irro-
Chlamys a Davide Sauli præciſa.
gata injuria, laciniam præcidiſſe; innocentis hujus viri, quem ipſe tam efflictim perſequebatur, & contumelioſè habebat, manſuetudinem miratus, mollitus eſt & lachrymatus, victuſque ad propria reverſus eſt. Si hunc porrò manſuetudo effectum in corde adeo immiti & duro fecit, quas non impreſſiones in aliis non adeo obduratis operabitur? Omnis ſanè durities manſuetudini illico cedit, ut quæ optima eſt & efficaciſſima ad
Manſuetudo humilitatis germana.
regnandum ratio, uti & humilitas, quæ germana ejus eſt ſoror. Quod ipſum etiam
D
Saul idem, etſi à paſſione effræni in tranſverſum actus perſpectum habuit. Ut enim primum mitiſſimum hunc Davidis animum notavit, in illa prorupit verba: *Et nunc, quia*
Ibid. 21.
ſcio, quod certiſſime regnaturus ſis: perinde ac ſi diceret: Dotem quandam & donum habes, (quod jam ſatis etiam ego perſpexi) quod Regibus proprium eſt; quandoquidem me, qui etiam rex ſum, & rex quidem rabie & furore percitus, ſuperas; atque idcirco ſine dubio rex Iſrael es poſt me futurus. Adeo ut manſueti, uti etiam humiles, iram in ſe ipſis frenando, non ſuarum modo paſſionum Domini fiant & reges, verum etiam cordium proximi. Hæc etiam ſuaviſſima virtus, ut taceam mirabilem illam efficaciam,
E
quam iam dixi, hominem tum interiorem, tum exteriorem ita componit, ut, poſtquam iræ feritatem immanitatemque expugnarit, interior quidem planè ſerenetur, & aquæ cuidam lympidæ ac defæcatæ ſimilis efficiatur, in quo me non ſine ſumma quadam voluptate contempler; exterior verò ita miteſcat, & proximo gratus reddatur, ut nulli non ipſa manſuetorum converſatio arrideat; utpote quorum geſtus & motus ſunt ordinatiſſimi, & gratia, omnes quam maximè alliciente, pleniſſimi. His itaque rationibus præſuppoſitis, fili mi, à pulcherrimæ hujus virtutis dulcedine capi & ineſcari te ſine, cumque aliquam iræ in te paſſionem velle ſenſeris cornua exſerere, illius honeſtatem ad animam revoca,
F
Iræ vis compeſcenda.
& hujus amore inflammationis illius cordis impetum compeſce, ne tam ingentium & inæſtimabilium theſaurorum jacturam facias. Quod ſi feceris, divinæque gratiæ meæ coopereris, ſingularem cordis pacem & interiorem ſerenitatem tibi comparabis, quæ nullis ſit iniuriis aut iræ incitamentis interturbanda; ſed ſubtus te impetus omnes & contumeliæ redigentur, uti ſub cœlo fluere nebulæ ſolent, quæ nullis elementorum perturbationibus ac viciſſitudinibus commutatur: quemadmodum in excellentibus aliquot ſervis meis videre eſt, qui incredibili quodam animorum ſuorum gaudio & exultatione ad cœleſtem quandam tranquillitatem pervenerunt. Ergo vide, cariſſime, ne ullatenus turberis: vide, ut inimicis tuis benefacias:
G
reſpice me, qui adinſtar agni coram tondentibus me obmutui; calicem injuriarum viriliter ad fundum ebibe, & tuam ego animam interioribus divitiis cumulabo, ac deinde ad cœleſtem gloriam meam te conducam.

CAPUT III.

De obedientia.

QUI ab inobedientia Adami illatum damnum reſtaurare voluerit, ex animo ſe
Adæ inobedientia notata.
& ſincere excellentiſſimæ illius virtutis, obedientiæ ſcilicet ſtudio dare debet, ſuo ipſius judicio & voluntate, quæ multos in abyſſos infernales deturbat, non nitendo. Ego Filius Altiſſimi excellentiſſimam illam virtutem in terra mirabili quodam modo tum exercui,
H
cum generis humani ſum ſalutem operatus, adeo ut ſervi mei non parum obſtupeſcant, quando divinam majeſtatem meam & carne veſtitam, & creaturis ſuis obedientem vident, ſicut Apoſtolus meus ſatis bene intellexit, dicens: *Et quidem cum eſſet Filius Dei,*
Hebr. 5. 8.
quem omnibus par erat imperare, tamen di-

Chriſti obedientia notata.

Vita mortalis periculis plena.

Vitae ſpiritualis ductor eligendus.

didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam, non ſecus ac in ſchola diſcere ſolet diſcipulus. Hæc obedientiæ meæ commendatio omnem humanæ & angelicæ obedientiæ exaggerationem longè excedit. Fuit enim haud dubiè pulſquam mirabile, me Creatorem & infinitæ magnitudinis Regem, matri & patri A meo putatitio in minimis etiam rebus obediviſſe; qualem mihi obedientiam omnes in æternum creaturæ non exhibent. Exemplo hoc meo lectiſſimus ad clauſtra religioſa terræ flos pellectus eſt; ideſt, multi nobiles, ſapientes & fortes, qui divitias, commoda, delicias & honores mundanos contemnentes, meo ſe ſervitio devoverunt, quod ad regnum meum cœleſte impetrandum inprimis neceſſarium putabant in obedientiæ ſtatu vivere, ut ſcilicet me imitarentur, qui jam inde à præſepio ad uſque crucem obedivi. Et ſanè quamvis hoc ipſe mei exemplum non haberes, ex toto corde tuo nobiliſſimæ huic virtuti colendæ deberes incumbere, idque ob inæſtimabilia, quæ ſecum trahit bona. Certiſſimum eſt, vitam hanc mortalem plenam eſſe periculis, ne ego, qui ſummum bonum ſum, B amittar, necnon vera & æterna illa vita quam electis meis præparavi, & homines qui proprio reguntur judicio & voluntate, per ancipites & periculoſas vias, plenas ſcopulis & præcipitiis, in nocte quadam tenebroſa ambulare. Quid autem ad ſalutem in tuto collocandam magis optabile eſt, quam ductorem nanciſci te aliquem, qui medias inter tenebras te illuminet, vias complanet, & ſcopulos & offendicula quælibet removendo, per admirabilem quemdam & complanatum tramitem ad meum te regnum conducat? Magna profectò cæcitas eſt, rationem hanc efficaciſſimam nec magni pendere, nec ponderare. Negari porrò non poteſt, quin homo interim dum in vita hac mortali agit, ſæpè perplexus & anceps hæreat, prorſus ut ne- C ſciat, quid ſibi in gravibus ſit tentationibus, quid in appetituum ſuorum mortificatione, quid in verarum virtutum comparatione, quid in honore, conſolatione, ſanitate, vitaque propria faciendum. Dic mihi autem, fili mi, quid hujuſmodi homini dari queat præſtantius & optatius, quam alium meo loco hominem nanciſci, per quem ego illi loquar, reſpondeam, & in omnibus hiſce dubiis, adeo moleſtis & afflictivis, illi, quæ mea ſit voluntas & beneplacitum ſuggeram? Quod deeſſe illi queat bonum, quod nocere malum, qui ita à me dirigitur, ut ſemper quotieſcumque ab obedientia ſe dirigi & gubernari ſinit, conſilium ſequatur, & optimum & ſecuriſſimum, quod illi in hac vita dari queat? Etſi mors illi tum ex improviſo ſuperingruat, nullum illi inferre damnum po- D terit. Oret, bibat, comedat, dormiat, ſi dormiat, id illi ſuperiore injungente; ſi rideat, eodem jubente, ecquod illi ſequi inde malum poteſt, ſi tum emoriatur, cum in actuali voluntatis meæ executione, & beneplacito meo, perfecto quodam, & incomprehenſibili modo ſeſe conformando emoriatur? Ingens bonum, ac magnam ſecuritatem & conſolationem ſervo meo adfert ipſum obedientiæ exercitium, quæ ſcilicet virtutes omnes arctiſſimo quodam nexu ſibi connectit. Hanc ob cauſam multi ſervi mei, qui in Religione juſtis quibuſdam de cauſis vivere nequeunt, juxta confeſſariorum ſuorum, ſpiritualium ac ſapientum virorum, con- E ſilia directionemque ſe dirigunt; idque quam exactiſſime, & in minimis etiam præceptis. Perſuaſum quippe habent, quod, niſi ita faciant, nullo non tempore in gravia ſint plurimaque peccata prolapſuri; vel quod uſu jam noverint, quomodo ſibi, dum ſuo ſe regunt judicio & conſilio, eveniat; vel quod re ipſa videant, in quos alii plurimi errores impingant, qui proprio ſeſe regunt arbitrio. Quamobrem, fili chariſſime, ſi errare nolis tuo ac proprio noli niti judicio, ſed aliorum ſervorum meorum, qui illuminati ſunt, nutui te ſubiiciendo, fideliter exequutioni mandare ſtude, quæcumque tibi illi ſuaſerint. Inprimis operam da, ut voluntatem tuam corrigas & intellectum; voluntatem quidem, ut omnimodis velis, non quod illi arridet, F ſed quod ab alio illi ſuggeritur; intellectum vero, ut piiſſima quadam is ignorantia excæcetur, & quæcumque obedientia injungit mandata, ante curioſè non excutiat, ſed hæc ceu divinas quaſdam ordinationes, quæ ſapientiæ meæ conformes ſint, eſſe arbitretur. Quod ſi ita te in obediendo geſſeris, etiamſi in principio aliquam difficultatem & repugnantiam ſenſeris; per victorias tamen, quas per gratiam meam obtinebis, verus obediens fies, & quæcumque ſuperiores injungent, magnam tibi prudentiam ſpirare & cœleſtem quamdam dulcedinem videbuntur. Nolito timere, quia ego ero tecum: noli amoris proprii, & aliorum animæ inimicorum ſuggeſtionibus auſcultare: per fidem quoque te dirige cum perſeverantia, & ego te ad G beatificam viſionem, & vitam meam æternam perducam.

Obedientiæ exercitium tutiſſimum.

Intellectus, & voluntas corrigendæ.

Amor proprius animæ inimicus.

CAPUT IV.

De Caſtitate.

PUlcherrima virtus caſtitas, genuinus eſt, & particularis novi teſtamenti, & dulciſſimæ legis gratiæ, quam Spiritus mei digito hominum viſceribus inſcripſi, fructus: ſicut olim per Prophetam meum Jeremiam promiſi, dicens: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Divina hæc Scriptura mirabilem quamdam in multis virginum & adoleſcentum florentiſſimorum manipulis operata eſt mutationem: H utpote qui carnis delectationes repudiando magno quodam & ardenti erga puritatem tum ſpiritualem, tum corporalem ſtudio & affectu ſeſe mihi dedicarunt. Revolve, fili, hiſtorias Sanctorum, & clauſtra reſpice Religioſorum, in quibus millena ſervorum meorum nive candidiorum & puriorum millia vixerunt; ac quoſdam tibi Dei vivi exercitus,

Cap. 31. 33.

tus, quorum ductor ſit ipſe filius Virginis, caſtitatis triumphum celebrantes, Angelis & cœli civibus æquales videre videberis. Odorare liliorum meorum fragrantiam, quæ omnem terrenam voluptatem longe tranſcendit: & hæreditatis hujus, nec non ampliſſimæ A portionis, quæque dulciſſimus redemptionis & ſanguinis mei fructus ſit, candorem, ſplendorem, pulchritudinem & ineffabilem ſuavitatem intuere. Si hæc ipſe conſiderare pro merito ſcires, cœleſtem caſtitatis virtutem pro eo ac meretur magni faceres, dignamque eam cenſeres, cujus cauſa viriliter ab omnibus certetur. Ipſa ſanè virtutis hujus gratia & excellentia ita notoria eſt, ut quamvis pauci ſint, qui eam modo cuſtodiunt, eam tamen omnes, ipſi etiam infideles, admirentur. Etſi enim à contrarii vitii ipſi paſſione victi ſint, confiteri tamen coguntur, ſublimiſſimam quamdam hanc virtutem eſſe, & hominem, qui divino ſuccurrente auxilio, carnis impetum compeſcit, cœleſtem quemdam hominem, ſapientiæ arcam, ac divinorum ſecretorum participem atque archivum B fieri. Quod revera ita ſe habet, ut colligere potes ex ſingulari illo, quo caſtas mentes proſequor, amore, cum non in animis illorum dumtaxat, ſed & in corporibus ardentiſſimæ caritatis ſigna imprimam. Cujus rei evidentia teſtimonia ſunt immaculata integraque multarum virginum corpora, amoris mei notis & characteribus non ſine miraculo ſignata, uti nemini non notiſſimum eſt. Fuerunt hæc templa viva, & thalami delitioſiſſimi, in quibus reperi, quod animæ meæ beneplacitum erat. Cum id genus animabus familiariſſime ipſe converſor, eas ceu cariſſimas ſponſas habendo. Si itaque hiſce fructibus, qui tanta æſtimatione digni ſunt, frui ipſe velis, viriliter pro caſtitate & puritate decerta; C fuge occaſiones fœdas, à quibus inquineris, oculos refrena, carnem mortifica, orationi & Sacramentorum frequentationi intende: & ad me, per pretioſiſſimam hanc margaritam, aſpira: & ipſe eam tibi dabo, te conſortem meum faciendo, & chariſſimam animam tuam arctiſſimè mihi uniendo.

Caſtitatis excellentia notata.

Chriſti Sponſa caſtitas.

CAPUT V.

De Paupertate.

PRO dignitate æſtimare mundus paupertatis Chriſtianæ opulentiam non poteſt, quam ego mihi in ſponſam, quando in terra habitabam, & humani generis redemptionem operarer, æterna memoria digniſſimo delegi. Novi optimè, quanto eſſe ad D regnum meum obtinendum divitiæ ac poſſeſſiones terrenæ impedimento ſoleant: ideoque ita pauper eſſe volui, ut verba illa cordi tuo profundè imprimenda de me paupere dixerim: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos*, in quibus requieſcant; *Filius autem hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet*. Hoc exemplum ſecuti ſunt plurimi regni cœleſtis competitores, perſuaſum habentes, permagni ad bona æterna comparanda referre, de temporalibus opibus ſollicitum non eſſe. Hanc ob cauſam multi ſancti inſigni quadam ſapientia acti, ſuas vendidere facultates, quin & ſuis ſe veſtibus interdum ſpoliarunt, quò me nudum in E via vitæ præeuntem ſequerentur. Quod ut facerent, divino eos actos fuiſſe conſilio veriſimile eſt: quomodo enim nudum me & ad currendum expeditum ſequi ipſi potuiſſent commode veſtiti, & bonorum terrenorum pondere gravati? quomodo corda ad cœleſtem aſpirare patriam rerum terrenarum abundantia, à quibus ad terram affectus trahitur, oppreſſa? Concedo quidem illuſtres aliquot ſervos meos divitiis abundaſſe, & ab illis ſuum, divinæ gratiæ meæ vi juvante, affectum avellentes, laudabiliter illas beneque impendiſſe; ſed paucorum admodum id fuit robur, atque adeo nemo de ſe ipſe præſumere debet, ſed timere, quo ſalutem ſuam in tuto collocet: ut taceam, quod quamvis Chriſtianus multas opes poſſi- F dendo ſalvari queat, altior tamen & perfectior quædam imitationis mei ſpecies ſit, univerſa relinquere, & omnibus animi viribus in unum collectis, de me uno dumtaxat, qui unus tota hominis ſum opulentia, magnitudo ac beatitudo, ſollicitum vivere. Et verò, licet ipſi pauperes ſpiritu ampliſſimum illud, non reſpicerent præmium, quod in cœlo ipſos manet, at ſolum bonum illud, quod per gratiam meam etiam in terra poſſident; tanto tamen id majus eſt omni eo, quod mundus dare poteſt, ut unumquemque ad beatæ amorem & exercitium paupertatis pertrahere deberet. Quid autem veros pauperes imitatores mei, habere boni putas, fili mi? quid tibi videtur eſſe omnibus ſeſe rebus ſpoliare? Si ſcires, quidnam G ſub veſtibus pauperibus, & in ſancta mendicitate lateat, magnopere ipſam pauperum ſortem & felicitatem demirareris. Generoſitatem ſiquidem inſignem habent, qua univerſa terræ pretioſa pedibus per contemptum proculcant. Habent item filiorum Dei libertatem, quod nihil omninò in mundo perdere vereantur. Habent conſtantiſſimam quamdam in me fiduciam, perinde ac ſi chirographum quoddam mea ſubſcriptum manu haberent, qua certi reddantur, nihil ſibi unquam, nec ſpirituale, nec corporale, quod quidem ſibi ad ſalutem æternam comparandam neceſſarium ſit, defuturum. Mentem item habent ad bonorum ſempiternorum, quibus certiſſimo ſeſe ſperant potituros, contemplationem elevatam. Puram item habent conſcientiam & hilarem, utpote qui jam reipſa fideliſſimam meam ſæpius ſuis in H neceſſitatibus providentiam experti ſunt. Exempti quoque ſingulari quodam & nobili modo ſunt à plurimis pœnis & gravi illa ſervitute, cui divites hujus ſæculi per opum quas poſſident ſollicitudinem, per earum amittendarum timorem, per earum adaugendarum anxietatem, aliaſque moleſtias

Atque paupertas.

Matth. 8, 20.

Chriſtus hominis opulentia dictus.

Pauperum ſtatus felix & cur?

Divitum vero infelix & anxius.

Scripta An. 1609.

ſtias, quæ vitam miſeram & ſervilem quodammodo efficiunt, obnoxii ſunt. Unde diſpicere tecum ipſe potes, quam immenſum pauperes etiam in hac vita bonum poſſideant. Si ita ſe res habet, cariſſime, quid quæris, quid intendis? An non multò eſt melius, opibus te meis, quæ in æternum durabunt, diteſcere, quam bonorum præte- A reuntium negotiationi & incremento tanto cum periculo, ne in laqueos incidas avaritiæ, tam perditè incumbere? Beati illi, qui cum Apoſtolo meo Petro dicere poſſunt: Matt. 19.27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* In immenſum porro veri voluntate pauperis cor dilatatur, quo æternum bonum meum capiat & comprehendat. Optimè veritatem hanc intellexit fideliſſimus ſervus D. Franciſcus. meus Franciſcus, quando à patre juſſus omnibus ſibi fortunis & bonis temporalibus cedere, ſuas illi etiam ultrò dedit veſtes. Si itaque ampliſſimam & locupletiſſimam in regno meo hæreditatem velis, fili, fac ut ſpiritu pauper ſis: noli illas in veſtibus, cibo, lecto, aliiſque vitæ mortalis neceſſi- B tatibus ſuperfluitates, ſed duntaxat quod neceſſarium eſt, cum Chriſtiana quadam moderatione quærere: etiam in bonam partem accipiendo, ſi quid etiam de eo, quod neceſſarium videatur, tibi aliquando defuerit, ſicuti boni Religioſi, qui meam ſectantur paupertatem, faciunt. Terrenorum ergo bonorum onere te exonera, & ipſe te cœleſtibus, maxima animæ tuæ conſolatione, adimplebo.

CAPUT VI.

De Patientia.

QUanti momenti ſit Chriſtianæ patientiæ exercitium & uſus, intelligere, fili mi, non poteris, niſi ſingularem ad hoc C ipſe tibi gratiam & lucem ſuppeditem. Inæſtimabiles ſanè ſunt theſauri, qui per eam comparantur, & magna ipſa vitæ Patientia vitae perfectio. perfectio, ad quam ſervi mei laboribus graviſſimis & tribulationibus exercitati perveniunt. Grave & durum ſæcularibus videtur pati; eò quod crucem meam exoſam habent: at virtutis hujus excellentiſſimæ honeſtas & præmium tanta ſunt, ut quo tantum bonum acquiratur, quidquid cum caro, tum mundus ſuggerit, libenter deſpiciendum ſit. Conſidera verò, quid & quantum ipſe paſſus ſim; quod dum ſervi mei ad mentem revocant, non poſſunt non maximo ſtupore compleri: & cogita hanc paſſionum & tribulationum mearum multitudi- D nem de neceſſitate abſoluta non fuiſſe; perinde ac ſi mundum, minora quædam ſubeundo tormenta, redimere non potuiſſem: haud dubiè id non incommodè facere poteram; ſed idcirco id à me factum, ut per- Chriſtus patientiae magiſter. fectus fierem cunctis patientiæ magiſter, & imbecillioribus in vita æterna comparanda animos & robur adderem. Unde factum, ut tot generoſorum pugilum ac bellatorum poſt me agmina traxerim; qui nec per perſecutiones, nec per morbos graviſſimos, nec per tentationes horribiles, immò ne per mortem quidem ipſam à ſuo divulſi ſunt propoſito, nec generoſum illum & ad omnes mundi adverſitates per me ſubeundas obfirmatum animum exuerunt. Quod adeò admirabile divinæ gratiæ & potentiæ meæ opus fuit, ut non id cœleſtes modo, ſed & inferi non pa- E rum obſtupuerint. Cum enim ſæpiſſime tam viros quam fœminas teneras & imbecilles ſumma cum perſeverantia & vitæ innocentia & extremam inopiam, & diuturnos morbos, nec non cruciatus acerbiſſimos, famem, ſitim, frigus, calorem, & quidem longo tempore; adhæc interiorem mœſtitiam & derelictionem ſpiritus, quin & importunas, & moleſtiſſimas ad annos plurimos tentationes tolerantes, ita quidem ut cœlum & terra adverſus eos coniuraſſe viderentur; & nihilominus interritos & infractos eos in hiſce malis ſtare cernerent, neque gravibus ullis interim culpis in me peccare, quin & nobiliſſimos tunc virtutum actus exercere; cum inquam hæc attentius conſiderarent, nega- F ri non poteſt, quin hanc maximopere conſtantiam demirati ſint. Hi ſunt generoſiſſimi exercitus mei milites, quorum ego ſervitium & conſtantiam in meam cedere gloriam confiteor. Hi veri ſunt unitatis Dei competitores, qui mei cauſa nihilum de commodis, ſanitate, ac vita temporali laborant. Hi ſunt ſinceri & intimi amici mei, quos in gratiæ meæ divinæ laudem & commendationem maximis periculis & tentationum incurſibus obiicere ſoleo. Unica fidorum ſervorum meorum gloria hæc eſt, regni mei æterni comparandi ergo moleſtias, labores & anguſtias graviſſimas excipere. Audi, cariſſime, vocem illam juſtorum, armis patientiæ armatorum: *Poſuiſti*, inquiunt, *tribu- Pſal. 65. 11. 12. lationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper G capita noſtra, qui nobis dominarentur. Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Potuiſſem quidem ipſe bellatorum meorum ac pugilum vel gravamina imminuere, vel eorum pœnas multis partibus alleviare; ſeu ingens, quo in eos feror, amor in cauſa eſt, cur eos præliis & conflictibus obiiciam, quo nimirum præclariſſimas ſibi coronas majori gloria ſua & gaudio compararent. Dic mihi, fili, quanto Davidis victoria de Goliath notata. majori Davidi amico meo fuerit gloriæ & gaudio, in duellum cum Goliath deſcendere, & in conflictus hujus anguſtias ſeſe coniicere, quam ſi ſubmiſſo de cœlis Angelo, immanem hunc populi Dei hoſtem profligaſſem. Non vides, quanto illi & quæſtuoſius & illuſtrius fuerit, cum gigante pu- H gnaſſe, eum expugnaſſe, & deinde cum ejuſdem capite reciſo ad ſuos, univerſo Iſraele in ejus occurſum properante, & lætis acclamationibus & canticis victoriam ejus celebrante, revertiſſe? Quando juſtus aliquis longo pœnis graviſſimis exercitatus tempore in regnum meum ingredietur, quanto majori futurus erit illi laudi & gloriæ, ho-

Scripta An. 1609.

Ad patientiam exercendam motiva.

norificus ille cæleſtis Jeruſalem occurſus & plauſus, à qua ejuſdem celebrabuntur victoriæ, quam ſi eum ſine certamine & pulvere nulliſque debellatis hoſtibus, inglorium coronis meis donarem? Quanta tunc anima ſuavitate intus perfundetur, quando ad vitæ arborem manum ſuam extendet, & dulciſſimum illum ex ea fructum decerpens, A ut eum deinde menſæ meæ accumbens comedat dicet: Vitaliſſimum hunc cibum multis mihi ipſe laboribus & ſudoribus comparavi, oblatæ mihi à Domino Deo gratiæ cooperando. Efficaciſſima hæc ad patientiam exercendam motiva perpende fili, & gratum tibi accidat & dulce, tentari, interdum, ac velut aurum in fornace adverſitatibus te probari. Si enim mecum compateris, mecum etiam pariter glorificaberis, beatiſſimæ gloriæ meæ redditus conformis.

CAPUT VII.

De Pœnitentia.

Dei egra peccatores miſericordia

UNA de præcipuis, quas erga peccatores declarare ſoleo, miſericordiis, B cariſſime fili, eſt quod eos, mox ut in me peccatum aliquod admiſerunt, infernalem carcerem non detrudam, ſed tempus eiſdem reſipiſcendi, & ad pœnitentiam eos expectem. In quo infinita bonitas mea manifeſte elucet: quod, cum ad juſte in eos animadvertendum ſim provocatus, adeo tamen eo rigore non utar, nec in eos, à quibus graviſſimis affectus ſum injuriis, juſtam vindictam exerceam, ut etiam incredibili quadam benignitate iis benefaciam, diverſas illis inſpirationes immittendo, modo quidem via timoris, modo via amoris, & ad mecum ſeſe reconciliandos, & amicitiam meam eos amiciſſime invitando. Adeo ut nullus meus procedendi modus mihi ſit gratior quam ut hi in gratiam mecum redeant, & C præterita damna & injurias reſarciant, & ſuum ad æternam gloriam, ad quam eos creavi, jus recuperent. Nollem ſane, ut ſua me duritia & obſtinatione cogerent ultionis gladium in manus accipere, quem in eos ceu pervicaces & obduratos maleficos, benignitate ſe mea & clementia indignos oſtendentes, evibrarem. Hic procedendi modus tantam dulcedinem ſpirat, ut duriſſimum etiam peccatorem ad cordialem pœnitentiam de delictis concipiendam excitare deberet ſicut etiam Apoſtolus meus ſenſit, dum ſcribit: *An, ô peccator, divitias bonitatis* Dei, *& patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Rom. 2. 4. Et ſane, ſi per hanc benignitatem meam, quæ gratuitæ cujuſdam benevolentiæ D ſpecies eſt, quam erga filios Adam exibui peccator non emolliretur, ſaltem per graviſſimum illud damnum, quod ſibi peccando attulit, ad ſinceram quamdam contritionem eum oporteret permoveri. Erat enim ante adoptivus Dei Filius, & per unum crimen lethale factus eſt diaboli mancipium. Habebat quoque candidiſſimam & pretioſiſſimam divinæ gratiæ veſtem nuptialem, & hanc ſibi in momento exuit, & infeliciſſima quadam nuditate nudus manſit. Habebat jus ad hæreditatem æterni regni mei; & ſempiternorum in inferno cruciatuum reatum incurrit. Erat adhæc anima divino meo ſplendore & rutilantiſſimis virtutum mearum luminibus pulcherrime luminoſa; &, ecce, E turpiſſima, fœdiſſima, & oculis meis intolerabilis facta eſt. Magnam cum Sanctis & cœli incolis habebat familiaritatem, & divinæ caritatis cum vivis corporis myſtici Eccleſiæ ſponſæ meæ membris unionem; & omnium factus eſt inimicus, illud deteſtans, quod illi amant, & illud amando, quod ipſi abominantur. Ambulabat per viam vitæ: & poſtea per viam perditionis currit, cum peccata multiplicando, tum ſuum omni momento remedium atque ereptionem difficiliorem reddendo. Sub mea habitabat protectione & cuſtodia; & ſenſum ſuum mutando, inquietam ſub peccati & diaboli tyrannide vitam trahit. Vide ergo, fili mi, quænam hæc tragœdia ſit, quamque merito peccatorum te tuorum penitere debeat, F & ipſe ad me tuæ ſaltem utilitatis & conſolationis cauſa converti: ſi id propter me & mei gratia facere nolis. Verum eſt illud Prophetæ mei Jeremiæ: *Peccatum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt*, nuſquam reperiens, in quo firmiter conſiſteret. Thren. 1. 8. Homo peccat; & à me, qui vera ſum requies, centrum & firmitas animæ ejus, recedit, & quantocumque ullum extra me querat labore refrigerium, fruſtra laborat & contendit, nec feliciter illi ſuccedit. Una vero illi quietis inveniendæ ſuppetit ratio, ſcilicet ad me reverti. Si quando aliquod in corpore humano os loco motum & luxatum eſt graviſſimos homo patitur dolores, & quæcumque mollia ſuperapplicantur medicamina, quæcumque uguina, quæcumque demum hominum induſtria adhibentur, G nihil aut parum omnino proficitur: nullum quippe aliud doloris tollendi remedium eſt, quam ſuo ipſum os loco reſtituere, etſi id ſummo cum dolore futurum ſit. Ne te decipias, fili mi: ſi peccaſti noli in illo ſtatu perſeverare; in eo namque dolores patieris mortis, ſed quam primum potes, ad me revertere, & quietem invenies. Ego te infinita quadam cum benignitate percipiam, quamvis peccata tua ſuper numerum arenæ maris multiplicata ſint. In me offenſum eſt, & ego te prævenio, & ad reconciliationem invito: quid ergo cunctaris? quid metuis? aliud præter me timere non deberes, qui ob commiſſa te ſcelera perpetuæ poſſum damnationi addicere: at cum ut H certiſſimum præſupponendum ſit, non aliud quærere me, quam ut ſalutis te participem reddam, teque amicum cariſſimum efficiam, te ſubtrahere minime debes, cum non timoris cujuſdam ſervilis, ſed amoris filialis tibi ad hæreditatem te meam adſciſcendo, occaſiones offeram. Quamobrem peccati ſervitute, à qua opprimeris, egredere, & ceu fi-

Peccator Diaboli mancipium.

Animae requies, & centrum, Deus.

Comparatio

Scripta An. 1609.

Dei miſericordia in peccatores.

filius quidam prodigus, univerſa ſubſtantia tua dilapidata, ad Patris tui domum revertere; qui ſtatim ac te deformatum ac nudum videbo, tui commiſeratione tangar. & ut primum ad me ex corde ſuſpirare cœperis, nova te veſte donabo, & cœlicorum gaudiorum, ob recuperatum filium meum cariſſimum, convivium inſtituam. Peccatum A itaque deteſtare, ipſumque in te puni, & anima tua novam induet formam; ſpes & gaudium cordis mihi uniti renaſcentur, & quam velociſſime per æternæ vitæ viam & expeditus curres.

CAPUT VIII.

De Gratitudine.

Etſi omnes arborum frondes in linguas, ſingulari ad hominis conceptus exprimendos eloquentia præditas, tranſirent, ineffabilibus tamen beneficiis meis, quibus eum præveni, eumque ad me in æternum diligendum & colendum obligavi, pro dignitate B explicandi minime ſufficerent. Ut enim naturalia taceam beneficia, quo gratiis, quæ majorem gratitudinem exigunt majoriſque ponderis ſunt, coſiderandis plus inhæream; quamvis aliud tibi, fili, beneficium non contuliſſem quam quod ab æterna te damnatione, in quam hoc momento vel ob unum peccatum mortale conjectus eſſes, eripuiſſem adeo tamen id ſublime, eximium, & ingens foret, ut ob hoc unum mihi in ſempiternum ſervire deberes, etiam quamvis perpetuo te carcere detinerem, & eam quotidie a te ſervitutem, exigerem, quam filii Iſrael in Ægipto graviſſime oppreſſi ſerviebant. Tam enim hæc ſervitus, quam alia quælibet vitæ hujus pœna, nonniſi blandum quoddam exercitium eſt, ſi cum cruciatu & tormentis, quæ modo in infernalibus flammis patereris, comparentur. C Hæc ſummæ & cordialiſſimæ gratitudinis ratio in fide divina fundata eſt; & noſti, ſi vel unius delicti mortalis te conſcientia inſimulet, eam adverſus te certiſſimum dare teſtimonium, teque irrefragabiliter convincere.

Puerorum abſque baptiſmate decedentium poena.

Poſito vero, actualiter te ita in me non deliquiſſe, pœnam tamen damni incurrere potes, quandoquidem in peccato te originali emori ſinere potuiſſem, ſicut plurimi alii pueri in eo demortui ſunt; itaque meo conſpectu tibi in æternum carendum fuiſſet. Sed hoc ipſe minimè ſum paſſus, quod ſuaviſſimæ miſericordiæ oculis te infinita bonitas mea gratuito reſpicere dignata ſit. Quid igitur de ſingulari hoc beneficio dices, cariſſime? quam poſt tam immenſam caritatem mihi gratitudinem debes? Si jam D apud inferos ſempiternis in ignibus arderes & à facie te mea æterna quadam abominatione & excommunicatione jam repuliſſem, quid tibi futurum eſſet? Plura profecto hic non afferrem, ſi ſatis tibi lucis ad validiſſimam hanc rationem ponderandam foret. Sed ut ad mirabile Patris mei, quoad redemptionem tuam, conſilium deſcendam, tanta tamque excellentia, quæ te, ut gratum te ei exhibeas, violenter quodammodo compellunt, hic invenies, ut, niſi ad ardentiſſimo quodam affectu mihi ſerviendum accendaris, & movearis, ſaxis & adamantibus ſis durior. Ego tui cauſa humanam carnem aſſumpſi, tametſi alio te modo ſalvare potuiſſem: ſumma in paupertate pro te & natus E ſum & vixi, ſummam majeſtatem meam copioſiſſimæ miſericordiæ, quæ ad tuam ſolummodo conſolationem & felicitatem referebatur, adinventionibus velando. Graviſſimas pro te paſſus ſum injurias & dolores in paſſione & morte mea amariſſimos, ut ſcilicet iis in ſalutem te aſſererem, teque æterni Patris mei adoptivum filium efficerem.

Sacramenta cur a Chriſto inſtituta.

Admirabilia quoque ita remedium & reparationem tuam inſtitui ſacramenta, atque inprimis cœleſtem illum & vitalem Euchariſtiæ panem, quo ejus adminiculo arctiſſime te mihi connecterem. Ordinariis adhæc & ſecretis inſpirationibus te viſitavi, quo tibi regni mei amorem iniicerem, perinde ac ſi tuo ipſe opus haberem conſortio, & ſine te F regnare neutiquam poſſem.

Angelorum tutela notata.

Angelorum item tibi cuſtodiam, ac Beatiſſimæ Virginis Matris meæ protectionem aſſignavi; ſanctorum addidi interceſſiones, & Eccleſiæ ſponſæ meæ ſanctiſſimæ, quæ ſalutis tuæ non mediocrem curam gerit, preces. Fidus tibi adhæc auxiliator adſum adverſus dæmonem, mundum, ac paſſiones tuas confligenti, quo permultas de iiſdem referas victorias, ipſeque tibi tandem coronam dem juſtitiæ. De bonis temporalibus item ad vitam trahendam neceſſariis tibi quam liberaliſſimè proſpicio, in quantum illa tibi ſunt ad vitæ æternæ conquiſitionem neceſſaria. Denique dona & miſericordias meas inceſſanter in te depluo, etiam tum cum actualiter in me offendiſti, paratus ſemper tibi, quoties gratia mea præſtimulante G ad me recurres, manum auxiliariam porrigere. Quomodo igitur in lacrymas totus non reſolveris, cur me vita & anima tua cariorem non habes, cum multo me erga te liberaliorem ac fideliorem, quam tu erga teipſum, oſtendam? Non itaque abs re de te queri poſſem, uti olim per Prophetam meum de ingrato populo meo Iſrael: *Numquid* ut ſterilis *ſolitudo*, quæ fructum niſi culta non profundit, *factus ſum Iſraeli, aut terra ſerotina*, fructum quidem, ſed ſerius proferens? Minimè gentium, ſum enim in gratiis & beneficiis cœleſtibus adferendis fertiliſſimus. *Quare ergo dixit populus meus: Receſſimus à te, non veniemus ultra ad te?* Jerem. 2. 31. Mirum ſanè & ſtupendum, id eſt, fili, quod cum per divinæ fidei lucem noris, non habere te patrem, matrem, ſponſam, immò H nec animam, quæ mecum queat in gratia tibi & miſericordia exhibenda conferri, non magis ad me per veram quandam gratitudinem accurrere feſtines. fidelitatiſque mihi te velis ſacramento obſtringere. Hiſtoricorum fide dignorum relatione conſtat, feras etiam immaniſſimas beneneficiis cicurari & manſueſcere; ipſos etiam leones interdum ob dem-

Ferae beneficiis cicuratae.

demptam è pede ſaucio ſpinam, vel ob ipſos è conflictus cum draconibus diſcrimine liberatos, aliaſque feras belluas erga benefactores ſuos, catellorum inſtar; mites & manſuetas ſe, vel quolibet locorum eos comitando, vel ab eorum pedibus nunquam recedendo, oſtendiſſe.

A

Noſti (quod quotidianum id ſit) domeſticos pauperum herorum canes ob fruſtum aliquod panis mucidi atque aridi, quod interdum ab ipſorum accipiunt manu, tam ardenter erga hos affici, tantamque gratitudinem declarare, ut ſi quando eos aliquando ex oculis amiſerint, continenter, magni doloris dando ſigna, ululent; immo ne tum quidem quieſcant, & ſuo benefactorem ululatu requirere deſinant, cum ab alio quolibet benignè blandeque habentur, & meliores ſapidioreſque, quam ab hero ſolebant, cibos recipiunt. Quomodo igitur à me ipſe abeſſe potes? quomodo non doles me amiſſo? quomodo te tot tamque eminentibus ac raris beneficiis, quæ à me accepiſſe te noſti, pertrahi non ſentis?

Chriſtus fons aquae vivae dictus.

Noli, fili, aquæ vivæ fontem derelinquere, noli tibi ciſternas in dura vitæ mortalis ſilice fodere aut quærere. Ego te creavi, redemi, guberno, & regio menſæ meæ cibo enutrio.

B

Ego mea te cauſa non quæro, ſed ut mea tibi continenter & aſſiduè communicem bona, quæ etſi continuo ex infinita liberalitate, quam erga homines, quos amo, & ad clementiſſimi Patris mei hæreditatem perducere connitor, exhibeo, non idcirco minus affluunt. Offer itaque mihi hoſtias laudis, ac divinas miſericordias in æternum decanta, teque quam maxime obligatum agnoſce, qui perpetuus mihi ſis ſervus: & ego te viciſſim beatiſſima Jeruſalem cœleſtis, quæ Dei vivi civitas eſt, libertate donabo.

CAPUT IX.

De Abſtinentia & Sobrietate.

C

EX quo primi parentes tui de vetito cibo comederunt, in gulam & ebrietatem humana natura ſemper prona propendit, & ab arboris veræ vitæ fructu reddi cœpit alienior: hæcque effrenis paſſio ita exinde in hominibus excrevit ut de ea compeſcenda nunquam fuerint ſoliciti; atque adeo in extremam quamdam mentis cœcitatem ea duce prolapſi ſint, meque quadam cordis duritie, quæ ſedulò conſiderantibus admirationem moveat, negare auſi ſint. Populum ego meum per deſertum deducebam, eumque ceu filium primogenitum cibo alebam cœleſti; at ipſe aliis magna quadam ingluvie cibis inhiavit: cumque iis habitis incraſſatus & oppletus & gravatus eſſet, à meo cultu obſequioque deſcivit.

D

Crapulae effectus.

Quin & hac ipſa ætate noviſſima multæ nationes, nimis quam gulæ & crapulæ addictæ, magno Eccleſiæ meæ ſcandalo, fidei Catholicæ jacturam fecerunt. Cujus mali ratio eſt, quod cum corpus cibis diſtenderent, eoſque lautiores ſemper appeterent, & nimio vino hauſto mentem, judiciumque opplerent, pecuini ac brutales facti ſunt; cumque ſenſuali huic delectationi jam aſſueſſent, eam tandem ut bonam ore defenderunt, intellectuque exinde obſcurato, voluntateque infirmatâ, in multos errores deteſtabiles prolapſi ſunt.

Deut. 32.15.

E

Non ſine ratione olim de populo illo veteri ſcriptum eſt, & de non parva novi portione reperi poteſt: *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Venter oppletus & cibo diſtentus ingenii mentiſque vivacitatem obtundit, atque impedimento eſt, quo minus cœleſtia contempletur: ipſe hominem pecuinum reddit, & de ſolum appetitui ſuo ſatisfaciendo ſollicitum, divinarum ac ſpiritualium rerum creat nauſeam; ad carnalia verba colloquiaque linguam provocat; hominem denique juratum crucis meæ hoſtem efficit.

Phil. 3.18.19.

Intellexit id probè Apoſtolus meus, ipſumque cum lacrymis declaravit, ſic loquens: *Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt.*

Guloſi idololatrae ventris ſui.

F

Adeo quidem, ut guloſi ventris ſui quodammodo ſint idololatræ, quem non aliter colunt, ac ſi ipſorum eſſet Deus. Non poteſt intemperantiæ malum & peſtis magis exaggerari. Hanc ob cauſam amici mei, quibus morte ipſa videtur gravius ac pernicioſius à me deſciſcere, vitium hoc remis veliſque fugiunt, atque illuſtriſſimas de ſeipſis referunt victorias: hinc ſobriè ac parcè comedunt & bibunt; non aliter ſcilicet quam ut corpori ad mihi ſerviendum vires ſufficiant. Et tunc quidem non lectos exquiſitoſque ſectantur cibos, ſed ſecundarios, ſimplices & ſimpliciter accommodatos. Si quando menſæ accumbunt, animum ab eſcis divertunt, ne ullam ex iiſdem voluptatem hauriant. Non rarò etiam diverſas adhibent induſtrias ad naturalem ciborum ſaporem imminuendum, ſicut vitæ ſpiritualis magiſtri à me, qui temperantiæ exemplar ſum, inſpirati, ſcriptis & ore tradiderunt.

G

Si autem ſcire velis, chariſſime, cur hi continuam hanc adverſus gulam luctam ſuſcipiant, reſpondebunt, eum, qui cibos deguſtare & comedere cælicos volet, ſe in terra eſcæ terrenæ ſumptione mortificare debere; & animam delitiis intendere cœleſtibus minimè poſſe, ſi cibo gravatum corpus eam deorſum trahat, & ad delectationes terrenas rapiat. Juxta hanc doctrinam caſtam & ſanctam Religioſi ordines, in quibus regularum floret obſervantia, magnam in ſuis refectionibus, ad primorum Patrum & vitæ monaſticæ fundatorum, qui gratia & auxilio meo adiuti res ſanè fecere admirabiles, exemplum, moderationem adhibent.

H

Unde ſi ad regnum cœleſte aſpirare velis, & meam etiam in terris deguſtare ſuavitatem, effrenem gulæ ebrietatiſque licentiam ſequi noli; ſed tuum quotidie aſſueſce & diſce guſtum mortificare: & ut tui ipſius Dominus menſæ accumbe, tibi imperando, & ex Sanctorum meo-

Mortificatio guſtus praecepta.

Scripta An. 1609.

rum, quorum famem & ſitim ſuavitate & ſatietate mea ſatis amplè compenſavi, diſciplina te dirigendo. Noli imitari Eſau, qui vili quodam edulio & eſca primogenita ſua divendidit; ſed fideliſſimum ſervum meum Danielem, qui ciborum à Babylonio rege oblatorum deliciis inquinare ſe noluit; & ego tibi in conflictibus robur & animos ſubdam, & ad ſuaviſſimam ſapidiſſimamque familiaritatem meam te admittam; & poſt relatas de teipſo victorias, guſtumque expugnatum ad fructum arboris vitæ manducandum, & ut conſolationum divinarum torrente inebrieris, aſcendes.

Danielis abſtinentia.

A

CAPUT X.

De Modeſtia, atque imprimis oculorum.

VEri ſervi mei, ad exemplar ſe ſuum, virginali quadam in omnibus actionibus ſuis modeſtia componunt; seriò caventes, ne quid in verbis, inceſſu, in ſtando, in ſeſſione, aliiſque actionibus omnibus faciant, quod vel meos, vel proximorum oculos offendat: maximam tamen in oculis cuſtodiendis induſtriam & artem adhibent, per quos nempe interdum in animas parum cautas mors ingreditur, uti in Evam olim ingreſſa eſt, quando ſuos in arborem ſcientiæ boni & mali conjecit, & intuendo ad præceptum meum prævaricandum pellecta eſt. Hanc ob cauſam, qui ſpiritui incumbunt colendo, oculos demiſſos habere ſtudent, nihil ut incaute incircumſpecteque, timorem meum animo excludentes, reſpiciant: uti iis in Religioſis Ordinibus videre eſt, quibus diſciplina monaſtica integra conſtat, in quibus oculorum cuſtodia, velut primaria diſciplinæ monaſticæ pars, novellis ſervis meis quam maximè induitur. Quod non ſine divino quodam fit conſilio, ut nimirum hi oculos comparent interiores, qui eo eſſe ſolent & perſpicaciores & defæcatiores, quo ſunt exteriores, magis mortificati: quemadmodum non pauci de famulis meis per experientiam norunt; qui propter me, amabilium ſeſe rerum conſpectu ſponte privant: quibus alia longè pulchriora, & viſui delectabiliora in intimis cordis penetralibus revelo & retego, per quorum viſum interius valde illuminantur, corroborantur, & ad heroica quædam, propter gloriam meam ſuſcipienda opera habitum & conſuetudinem acquirunt. Hoc porrò modeſtiæ exercitium multorum meritorum fœcundum eſt: ut enim impingendi per oculos occaſiones innumeræ ſunt, ita etiam bonorum & generoſorum bellatorum victoriæ plurimæ ſunt. Multa rara quoad hoc in vitis ſanctorum meorum legere exempla eſt, quos etiam boni ferventeſque Religioſi imitari geſtiunt: hic ſiquidem aliud videre non avebat, quam quantum erat neceſſarium, ne in terram inter incedendum prorueret: ille, nullum, quicum loquebatur, in facie reſpiciebat: alius nunquam feneſtram in hortum proſpectantem aperiebat: alius denique ab aliis rebus licitis, quas ſine culpa intueri poterat, videndis abſtinebat. Hoc ad cautelam & progreſſum in vita ſpirituali mirificè facit, cum ut interior animi quies, & tranquillitas conſervetur, tum autem rerum vanarum imagines, quæ licenter intuentis mentem diſtrahere ſolent, excludantur. Hi ſervi mei multa mihi quotidie gratiſſima offerunt ſacrificia, quæ quamvis à mundo coram non videantur, ſua tamen propterea laude non fruſtrabuntur, quia hæc in judicii mei die palam omnibus aperiam. Hæc imitari tu deberes, ſi rerum cœleſtium vacare, cordis puri & ſereni oculis, contemplationi velis. Ut verò monitum aliquod & motivum efficaciſſimum, quæ Sanctorum omnium & Virginum puriſſimarum modeſtiam tranſcendit, tibi dem, conſideres velim, ad oculos tuos refrænandos, quem de me, cum in terra inter homines converſarer, notarunt & conſcripſerunt Evangeliſtæ; ſcilicet oculos me meos, nonniſi graviſſima exigente occaſione, in altum ſuſtuliſſe, ſed eos humi defixos, ad exemplum & imitationem tuam, tenuiſſe. Quid ſenſiſſes, ſi me, dum in terris converſarer, per plateas & vicos Jeruſalem magna quadam modeſtia, & ea exteriori corporis compoſitione, qua Virginem, & Virginis Filium decebat, incedentem vidiſſes, oculos ad ea, quæ gerebantur ab aliis, neutiquam deflectentem; etſi, quamvis oculos quocumque liberè conjeciſſem, nullum inde in anima mea detrimentum accepiſſem; ut taceam intuitu me meo miram omnibus, quos aſpiciebam, modeſtiam ingenerare ſolitum? Hoc conſtat, exquiſitam hanc modeſtiam meam minimè fortuitam aut temerariam fuiſſe, ſed ſumma ſapientia & conſultò admodum à me adhibitam, ut nimirum te inſtruerem mihique ſimilem redderem. Cum itaque, fili mi, tantas à viſu licentiore plagas accipias, firmiter tecum propone (quod ad vitam ſpiritualem permagni intereſt) temerè huc & illuc tuos magna cum licentia oculos non coniicere, ſicut amicum meum Job feciſſe conſtat, qui de ſe ſic ait, *Pepigi fœdus cum oculis meis*, ne incautè hinc inde evagarentur, *ne* parum caſtæ hinc in corde cogitationes orirentur, & *cogitarem de virgine*. Adeo ut hic, quò cor purum & haberet & conſervaret, neceſſarium ſibi cenſeret hoc cum oculis ſuis fœdus pangere, ne temere evagandi ſibi licentiam aſſumerent. Da operam, cariſſime, ut in hoc conflictus genere illuſtres de te victorias referas; noli aliquas è rerum terrenarum & corruptibilium viſu aſpectuque delectationes captare, ſed ad cœleſtes & incorruptibiles aſpira, & præmium, quo divinitatem interioribus animæ oculis à gloriæ lumine illuminatis videre dabitur aliud tibi præmium, oculis illis corporeis proportionatum, conferam, quam ſcilicet pulcherrimum corpus meum coram cernes, cujus pulchritudo quidquid in terra pulchrum eſt, longo ſuperat inter-

B

Mors per oculos intrat, *Gen. 3.*

C

D

Exempla ſanctorum ſectanda.

E

F

Sic notat D. Thomas.

Chriſti veſtigia ſectanda.

G

Job. 31. 1.

H

val-

vallo; & Regis tui conſpectu anima tua & corpus maximopere recreabuntur.

CAPUT XI.

De Silentio.

A QUI mihi eſſe familiaris cupit, cum hominibus parum admodum loquatur neceſſe eſt, & arcæ cuiquam clauſæ ſigilloque meo obſeratæ fieri debet ſimilis. Simul Loquacitas improbata. non conſiſtunt loquacitas & mea interior communicatio. Nam, ut quotidiana evidens ſit experientia, nimia locutio multarum eſt imperfectionum occaſio, & in cauſa eſt, cur pretioſiſſimum devotionis & recollectionis interioris balſamum effundatur, ac diffluat, animaque veluti publicum quoddam fiat forum, in quo tumultus & ſtrepitus cordis paci, & quieti contrarios audire ſit. Interiori ſanè is pace & lætitia carebit, qui diſſolutè ac liberè loquitur, neque ſapientiæ meæ liquorem qui in vaſis pertuſis & undique perfluentibus nequit contineri, excipiet. B Hanc ob cauſam ſervi mei, eo ipſo, quo vitæ ſeſe ſpirituali applicant, & divinæ ſapientiæ acquirendæ incumbere proponunt ad ſtrictum adeò ſeſe putant ſilentium obligari, ut de rebus neceſſariis vix loquantur, veriti ne ab illis paulatim ad ſuperfluas dilabantur. Ab hoc timore, & familiaritatis ac communicationis meæ deſiderio ortum habet ſancta illa aliquorum induſtria & artificium, qui quò ſanctum & caſtum ſervare ſilentium meminerint, lapillum aliquem ori velut frænum inſerunt, aut funiculum brachio, vel catenulam corpori circumdant. Eius remedia. Ego ſanè, quamvis Verbum, vel ſermo eſſem Dei, & quamvis me in mundum veniente, humana doceri à me, qui æterna & infinita ſum ſapientia, natura C maximè opus haberet; triginta tamen annis tacui, & nonniſi tribus ſum locutus, adeò ut decuplò plus temporis ſilentio quam locutioni, etiam verborum vitæ, impenderim. Quid verò de hoc Patris mei conſilio dicam, fili? An verba mea vitaliſſima mundo in primis & quam maximè neceſſaria non erant? Anne periculum, ne ipſe cum hominibus agendo, vana & inutilia loquerer? Chriſtus lux Mundi, & Magiſter. Nonne ego magiſter eram & lux mundi jam inde à primo ortu meo? Nihil minus, quomodo ergo Pater meus tanto me voluit tempore ſilere, & tam pauca loqui? Ingens hoc profunditas & abyſſus eſt, in qua ſapientiſſimi & illuminatiſſimi quique ſervi mei conſideranda abſorbentur. Quod enim doctrinam me cœleſtem proponere vident, æquiſſimum & convenientiſſimum cenſent, D ſi ſe magiſter à diſcipulis audiri faciat, atque hominum auribus verbum Dei inſonet; ſed hocce verbum à nullo audiri, ipſam ſapientiam Dei obmuteſcere, & tot annis ſilentium ſervare, adeò id eis myſterium videtur impenetrabile, ut quid ad hoc dicant non habeant, & non poſſint non ſummopere admirari. Atque hac cum admiratione ſimul ſeſe humiliant, & confitentur, cum hocce meum ſilentium ab æterno fuerit à Patre meo decretum & approbatum, neceſſariò dicendum, hanc meam tot annorum taciturnitatem ad hominum inſtructionem permagni momenti videri; nec minus Redemptoris & doctoris mundi officio hocce E meum ſilere dignum eſſe quam verba vitæ æternæ protuliſſe. Quod colligere manifeſtè ex eo licet fructu, quem in eximiæ ſanctitatis viris, quos ſpiritu ſapientiæ & intellectus replevi, ſtupendum hocce ſilentium mundo peperit. At ſi ulterius, cariſſime, meum excutere ac ponderare ſilentium velis, Eius ante praeſides ſilentium. memento temporis illius, quo jam à morte non procul aberam, quando graviſſima vitæ meæ cauſa in hominum tribunalibus diſceptabatur; & perpende, quomodo coram Judicibus obmutuerim, ſummamque modeſtiam prætulerim. Rabie quadam dæmoniaca adverſarii me mei accuſabant, cumque omnis illis mortis meæ dilatæ mora quam longiſſima videretur, ſumma idcirco contentione inſtabant, & Pilatum urgebant, F veriti ne ipſorum manus evaderem. Ego autem ad omnia ne verbum quidem in defenſionem meam reſpondebam; unde mihi Pilatus ipſe ait: *Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia?* Matt. 27.13. 14. Quin etiam ad hæc tacui, ut Evangeliſta meus dicat, *Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præſes vehementer:* Si ergo Gentilis & infidelis meum demiratus ſilentium eſt, cur id tu, cariſſime, non conſideras? cur non ſiles? cur non exactus ſilentii es obſervator? Ego tacui non quidem in caſu communi & ordinario, ſed in eo, in quo vita mea in diſcrimen vocabatur, cujus cauſa tum diſceptabatur: tu verò etiamſi vel de oboli jactura agatur, licenter loqueris, & interdum etiam nulla ſpe lucri affulgente, G quin etiam magno animæ tuæ damno. Quando autem ad teipſum converteris, quando ad cor tuum intrabis, quando ad conſcientiæ remorſus, quos inordinata quæ loqueris verba generant, advertes? Dico tibi in veritate, etſi nec exemplum te meum, nec tot Sanctorum qui meum ſunt ſilentium imitati, huc invitare deberet, ipſam ſaltem animæ inquietudinem, quam poſt Silentii cultura praecepta. verba inconſultò effuſa ſentit, præſertim quando mecum actura ſeceſſum captat, ſilentii tibi debere amorem ingenerare. Omnem quippe illam quietem, quam ſpiritualibus multorum dierum compararat exercitiis, uno ſæpè perdit verbo inordinato, & interioris ſerenitatis, quæ inhabitationis ac præſentiæ meæ ſignum eſt, facit jacturam. Et ſi nec interiori hac pace moveris, aliorum ſaltem hominum reputatione & H æſtimatione moveare; cum mundani etiam homines tacitos parumque loquentes magni faciant & extollant, eos ut cordatos & prudentes, ut quotidiana conſtat experientia, habendo. Si itaque, cum ob divinos, tum humanos intuitus, tanti tua interſit tacere, fili, terrenas poſt hac familiaritates

de-

Scripta An. 1609. derelinque, & cœleſtibus te diſpone. Ego tuam converſationem & conſortium volo: ergo ſolitudinem capta, & mecum in locis ſecretis orationi habendæ deſtinatis loquere: ibi invoca me, & ego tibi reſpondebo, & plus tibi proderit, majoremque recreationem afferet unicum verbum meum, quam ſi omnes, A qui in terra ſunt eloquentes, multo tecum te tempore, recreaturi & conſolaturi agerent. Eſto fidelis uſque ad finem, & tua ego remuneratio, ſalus, & vita ero.

CAPUT XII.

De Reſignatione.

GRaviſſimè errant filii Adam, dum me ſuæ obſecundare voluntati volunt, meæ autem ipſi ſeſe conformare nolunt. Statuunt ipſi vendere, emere, negotiari, navigare, aliquò aſpirare, omniaque diſponere, non quidem indifferenter ſeſe habendo, ac divinæ ſeſe voluntati reſignando, ſi forte aliquid ſecus eveniat, quam deſiderent; ſed B ſuum determinatè affectum ei, quod ſibi convenire exiſtimant, applicando. Ad hoc & ipſi me orant, & à ſervis meis orationes fieri petunt; nec non alias ea de cauſa adhibent diligentias, quæ ipſis & ſalutares & piæ videntur. Unde ſi deinde quod præſtituerant non eveniat, ita deiici animo & contriſtari ſolent, nulla ut ratione leniri & conſolari queant; expoſtulant quoque de me, quaſi adeo ipſos non amem, ut etiam odii, & abominationis cujuſdam ſigna erga eos oſtendam; ſeque infelices dicunt, quod temporalia ſibi ad votum, ac prout vellent non ſuccedant. Ingens hæc miſeria & cæcitas Caecitas humana notata eſt, & Chriſtiano homine, cui tot ego in rebus majoribus dignioribusque amoris & miſericordiæ argumenta declaravi, prorſus C indigna. Anne credendum, eum qui ſervo ſuo aurum puriſſimum procurat, ei de luto, ſi id ipſi utile foret, non proſpecturum? Si ego divina bonorum ſpiritualium beneficia Chriſtiano contuli, eique ad divitias æternas comparandas jus dedi, quomodo veriſimile ſit, me in carnali aliqua affinitate, in aliqua frumenti, ferri, alteriuſque rei negotiatione, auxilio & ope mea illi non adfuturum, itaque rem non directurum, ut quod propoſuit, feliciter ſuccedat, ſi modo ad bonum animæ id conducat? Quando ô generatio adultera & incredula de infinita bonitate mea rectè probeque ſentietis? Quo enim erga homines ſum amore, tam magnus eſt, ut haud dubiè res omnes temporales ad votum eorum fluere ſinerem, ſi ad ſalutem D hæ ipſorum conducerent; at cum ego optimè norim, has non raro illi adverſari ac minimè convenire, & longè conducibilius eſſe id, quod voto ipſorum ex diametro repugnat, ita omnia diſpono, prout verum ipſorum bonum & ſalus exigit, etſi alioquin aliqua afflictio vel temporalis adverſitas ſimul illis Juſti tribulationibus probati. ſubeunda ſit. Agnoſcunt & norunt id ſervi mei, quos morbis, tentationibus, aliiſque ſoleo tribulationibus exercere, cauſam, cur id fiat à me, curioſè non inquirentes; ſed univerſum meæ voluntati & mirabili providentiæ committentes: hancque reſignationis doctrinam tam fideliter apprehendunt, ut ſive anni tempeſtas ſterilis ſit, ſive fertilis, ſive peſtilentia ſæviat, ſive bene omnes valeant; ſive honorentur ab aliis, ſive contemnantur. E ab illa animi conſtantia & filiali in me affectu ne latum quidem unguem recedant, nec minus ſibi perſuadeant à me ſeſe diligi, quando ad inopiam redacti ſunt, quam dum opibus circumfluunt. Unde conſequitur, ut magnam & incredibilem quamdam in animo pacem ſentiant: adeo ut, ſi optio ipſis daretur eligendi ſibi aut proſpera, aut contraria, numquam aliud eligerent ab eo, quod ſibi accidit, quod beneplacitum meum permagni faciant, & de bonitate mea certi ſint; nimirum magis me de ſuo ipſorum bono eſſe ſollicitum, & fidelius id illis velle, quam ipſi ſibi vel facerent, vel optarent. Hanc doctrinam cum probè intelligunt, intelligunt item verba illa amici mei Job, quæ, viſo ſe in momento & uno tempore omnibus F ſimul bonis temporalibus ſpoliatum, & variis graviſſimiſque afflictionibus oppreſſum, ad uxorem, à qua ad mihi maledicendum, deque me expoſtulandum incitabatur, protulit, dicens: *Quaſi una de ſtultis mulieribus lucuta es: ſi bona ſuſcepimus de manu Dei, mala*, id eſt, adverſa, *quare non ſuſcipiamus?* Job. 2. 10. Si hæc interrogatio mundi amatoribus proponeretur, reſponderent haud dubiè non parum inter ſe differre temporales à me favores recipere, & pœnas: at Job, & alii ſinceri amici mei nullam prorſus rationem inveniunt, ob quam alio longè ſit affectu ab ipſis adverſitas, quam immiſſa à me proſperitas admittenda: quia ei, qui verè me amat, utraque ab uno eodemque principio G ſors dimanat. Hoc porrò præſuppoſito, fili mi, omnia tua mihi remitte; nihil ama, quod non ante noris, num tibi futurum ſit bonum; noli præeligere id quod non præſcias, an meæ ſit voluntati conforme; ſed placeat tibi omne id quod facio, etſi alioquin tuo appetitui quam maximè repugnet. Voluntatem liberam habes, quæ per gratiam meam mihi conformari, etiam in rebus duriſſimis, poteſt: ergo cura, ut nobili hac potentia non aliter, quam in bonum utaris & non contriſteris, ſi aliquam in parte tua inferiori, evenientibus adverſis, contradictionem & repugnantiam ſentias: ſi enim legitimè certes, plurimas tibi coronas comparabis. Et veniet ſanè tempus, quo per meam gratiam tantum tibi placebunt adverſa, H quantum proſpera; idque ex amore meo, qui etiam per reſignationis hujus exercitium in dies augebitur. Omnis quoque voluptas tua erit, ut purè meum fiat beneplacitum; cumque ipſe certiſſimò noris, id ſolum, quod ipſe ſtatuo & volo, eventurum, & non aliud, ſemper ampliſſimam gaudendi & ex corde exultandi occaſionem habebis: Divitiæ æquè ac paupertas, non minus fama quam

in-

infamia; morbus juxta ac valetudo; tam mors quam vita, æqualis tibi conſolationis futura ſunt occaſio; & in hoc ſumma ſita perfectio eſt, per quam ampliſſimam mercedem & æternam gloriam meam adipiſceris.

A

CAPUT XIII.

De Oratione.

Beatus ille, qui familiaritatem meam & converſationem quærit, ſeque mihi dedicat, omne ſuum tempus in læta Dei facie, & unico bono ſuo inquirendo impendere gaudens. Beatus, qui negotioſæ & mercimoniis deditæ Tyri ſtrepitum deſerit, & in ſuaviſſimum montem Sion, ubi regnat pax & ſilentium, confugit & ſecedit, in quo cum attentione ſuaviſſimæ illius Divini Spiritus mei auræ flabrum percipiat. Si ſcires, fili, quam pretioſum ſibi comparet bonum ille, qui divino orationis exercitio intendit, ſapientem & providum illum imitareris in B Evangelio negotiatorem, qui omnem ſuam divendidit ſubſtantiam: quo pretioſam illam, quam invenerat margaritam, compararet. Memento veterum illorum ſolitariorum, illuſtrium fama & ſanctitate virorum, nec non eorum, qui noſtro hoc ſæculo floruerunt: quorum ſi vitæ ſeriem inſpicias & notes, continuo dices orationis ſtudio præcipuam beatitudinis ipſorum partem adſcribendam videri. Guſtarunt ſcilicet lac & mel meum, & viderunt quanti ſua intereſſet mecum per orationem agere: atque hac de cauſa nocturnum captarunt ſilentium, & ſolitudinis latebras, ob hoc vitæ genus beatos ſeſe exiſtimantes, quanvis ipſum alioquin cum tanta foret aſperitate & pœnitentia conjunctum, ut ſui amatores in admirationem rapiat. C Exercitii hujus cœleſtis manna abſconditum eſt; at pœnitentiam publica; atque ideò mundus timore eorum quæ forinſecus videntur deterritus fugit, & theſaurum latentem & qui non videtur quærere detrectans, ad carnales ſeſe rationes dirigit & gubernat; cum tamen Chriſtianus juxta rationes fidei ſeſe regere ac vivere debeat. Ne credas quibuſdam Chriſtianis delicatioribus, qui quod, vitam ſectari ſpiritualem incipientes, ſtatim abſconditum illud manna non invenirent, magno animæ ſuæ detrimento, ac proximi ſcandalo, retro redierunt Mirum ſanè, delicatulos hos, dum honoribus ac voluptatibus corporalibus habendis inhiant, licet ſæpius repulſam paſſos, nihilominus perſeverare, & poſt novarum ſemper difficultatum victorias D ſperare votorum ſeſe ſuorum compotes futuros: cum vero mecum agere ſtatuunt, ſi eos vel modica mentis ariditate, vel interior deſolatione probare voluero, ſtatim omnem patientiam perdere, & à bono quod inceperunt deficere? Anne gratiæ meæ influxus ita vilis, & ſuavis ille cœli ros tam exoſus, ut hiſce parum illuminatis difficile quid & durum videatur, aliquem ejus cauſa laborem ſuſcipere? Non ſic fecere veri ſervi mei, quibus verſiculi illius Davidici ſenſus permultum placuit, *Deus meus orabo & clamabo per diem, & non exaudies; & nocte, & non ad inſipientiam mihi*. Perinde ac ſi diceret: Optimè novi, ipſum orare, tametſi id cum aliqua probatione vel repulſa, fiat, inſipientiam non eſſe, ſed inſignem quamdam, prudentiam: poſt has quippe probationes E deſiderata ſequitur lætitia, & donorum cœleſtium abundantia. Incede itaque, fili mi, per aridum & ſterile deſertum, quamdiu mihi placuerit; poſtea namque tibi in terram promiſſionis ingredi videberis, ubi comedes fructus ſuaviſſimos; lucem quoque cœleſtem, animi robur, plurimaque gratiarum mearum ſubſidia recipies, quibus anima tua corroborabitur.

Solitarii antiqui notati.

Pſal. 21. 3.

Juſti ariditate probati.

CAPUT XIV.

De Devotione.

Intende, fili mi, devotioni, ut voluntas ad faciendum ea, quæ ad cultum & obſequium F meum ſpectant, promptè feratur, quo promptitudini & alacritati, qua tuam ego ſalutem ſum operatus, aliquatenus reſpondeas; ut nimirum omnibus viribus & conatibus tuis gratiæ meæ coopereris, ſemper cor tenerum ac filiale erga me habeas, magno cum affectu ad ea quæ mihi placuerint moveri ſatagas, ac nullis carnis ac ſanguinis rationibus, quæ terram perverterunt, locum des. Hac de cauſa, magna quadam diligentia & piiſſima curioſitate, notanda tibi ſunt ſedulo ea, quæ ad devotionem cum excitandam, tum fovendam faciunt, eiſque utendum, ſicut olim miniſtri tabernaculi mei puriſſimum habere procurabant oleum, quo lucernas coram me collucentes perpetuo foverent. Ita faciunt multi ſervi mei, qui ubi ſe ad ſervitium G meum tardos ac ſegnes eſſe animadvertunt, privatim de rebus divinis, data opera, cum aliis, quos devotos & ferventes credunt, tractare ſtudent; & licet in ſanctæ hujus converſationis familiaritatiſque initio aliquam partis inferioris difficultatem aut tædium ſentiant; ubi tamen in eadem pergunt ulterius, paulatim magis accenduntur, & miram ad ea, quæ ſervitii mei ſunt, facilitatem ac promptitudinem acquirunt. Alii eadem de cauſa librum aliquem ſpiritualem legunt, qua lectione ita inflammantur, ut poſtea promptè ea exequantur, quæ ante ipſis gravia erant. Alii aliquam mei in manus accipientes imaginem, ad cantica & hymnos ſpirituales ſeipſi excitant, mirabiliterque H inde inflammantur. Hæ autem Spiritus mei inventiones, uti & aliæ, quas ſervi mei à ſeipſis uſurpant, magnæ ad animum dilatandum, & per viam vitæ celeriter currendum, ſunt efficaciæ & momenti. Id intellexit amicus meus David, cum mihi caneret, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*: perinde ac ſi diceret: cor meum ex ſe lentum & anguſtum erat,

Lectionis ſpiritualis effectus.

Pſal. 118. 32.

erat, at mox ut devotionis acceſſit influxus, ipſum dilatatum eſt, magnamque promptitudinem & alacritatem ſenſit ad in divinæ legis via currendum. Non quod David, aut reliqui ſancti in ſenſibili devotione perfectionem ſitam arbitrarentur, cum principa- A lis devotio etiam cum portionis inferioris queat tædio conſiſtere: ſed quia, cum devotio pura eſt, & à me immiſſa, etſi in portione inferiore conſiſtat, ſuperiorem adjuvat, totuſque homo velociter ac proruptè verſus me emovetur non ſine magno tum ſuo merito, tum proximorum ædificatione; ſiquidem cum hunc generosè & alacriter ea, quæ ſervitii mei ſunt, obire vident, non mediocriter accenduntur.

Hoſtes devotionis capitales qui?

Mundus, caro, diabolus capitales ſunt devotionis hoſtes, animamque aridam reddunt, & claudam; quo in ſua ad vitam æternam contentione ſegneſcat, & claudicet. Quamobrem cave, cariſſime, ne prorſus claudus reddaris & aridus, ſed ad fontem aquæ vivæ accedere, & magnam in rebus ſalutis tuæ hilaritatem & gaudium mentis præferre ſatage: B oleo lætitiæ inungi ſtude, conſcientiæ vultum expurga, quæ te contriſtant imperfectiones, procul à te elimina, oculos ad quietiſſimam illam Jeruſalem, beatiſſimam illam viventium regionem, æterno & immarceſcibili virore conveſtitam converte; & per paſcuorum illorum vitalium ſpem ac deſiderium agilis & promptus fies, & in via vitæ hujus nunquam defatigaberis.

CAPUT XV.

De Timore Dei.

BBatus, qui divinam majeſtatem meam atque horrenda mea de peccatoribus judicia metuit: in perpetua namque cordis C vigilia, ad divinam legem meam, quæ æternæ vitæ via eſt, obſervandam vivet.

Lex Dei via vitae.

Ingens profectò peccatorum cæcitas eſt, qui cum iu damnationis ſe eſſe ſtatu norunt, & ſi in eodem emori contingat, omnem ſibi ſalutis eſſe ſpem præcluſam; ſecuri tamen tempus tranſigunt, comedunt, dorminut, de ſui mecum reconciliatione ne vel minimum cogitantes. Meam hi juſtitiam non perhorreſcunt, cum hominum tamen juſtitiam ita metuant, ut, ſi fortaſſe crimen aliquod morte dignum admiſerint; terra marique, armati, & multiplici cuſtode ſtipati, & quotidie habitationis locum mutando fugiant, ne cogniti comprehendantur; immò vix unquam cum quiete dormiant, aut comedant, ſed, mille timoribus circumſepti, ad omnem quem audiunt fragorem & ſtrepitum, lictores & juſtitiæ miniſtros ſibi imminere arbitrentur: corporis adhæc & vigorem & D colorem amittant, ut quædam mortis videantur imago: nullam denique in ſe invenire pacem queant, tametſi à magnis principibus defendantur, inque eorum protectione in arcibus inacceſſis & multis januis ferreis occluſis verſentur.

Flagitioſi magis humanam quam divinam timent iuſtitiam.

Univerſa ſcilicet hæc humana præſidia & adjumenta ab hoc ipſos timore liberare nequeunt; quinimmo, licet ita tuto aſſerventur, tamque ſecuris eſſe liceat, ſæpè tamen, media nocte & aliis horis, ad minimam occaſionem, immo etiam ſine ulla occaſione, dumtaxat quod ipſa ſolli- E citudo & inquies cordis nullam ipſis quietem indulgeat, expergeſiunt. Si vero eos roges, fili, cur tot circumdati muris, intra ferreas portas occulſi, ab hominibus quam accuratiſſimè ad omnem incurſum cuſtoditi metuant; dicent, ſe, cum dignum morte facinus admiſerint, variæque hominum artes ſint & vafra molimina, non poſſe non timere, ne aliquo forſan artificio, quod ipſi quidem ignorant, incautè ex improviſo comprehendantur; atque idcirco à peccati ſeſe conſcientia exagitari, & timoris paſſionem exſurgere, atque adeo ſe vel, quieſcere, vel horam unam ſolidam gaudere minime poſſe. Si itaque juſtitiæ corporalis timor (qui cum animæ ſalute, & corporis ipſius reparatione, quando ſcilicet illud reſurget, poteſt conſi- F ſtere) tales in peccatoribus operatur effectus; quomodo divinam juſtitiam, quæ humana longè terribilior eſt, non reformidant?

Divina iuſtitia terribilior humana.

Si, quod regi alicui terreno ius eſſe temporalis ipſis mortis inferendæ norint, tam eos anxios & ſollicitos reddat, cum tamen ipſius manus, & procul recedendo, & mare tranſeundo, & habitando ubi rex ignorat, & quo potentia & juſtitia ejus non pertingit, revera evadere queant; quomodo Regem non vereantur æternum, quem & peccando offenderunt, & cujus ſe ex fide divina norunt manus & enſem evadere non poſſe? quid argumento huic validiſſimo replicari & oggeri queat? quid hic dicent peccatores? Dicent ipſorum nonnulli, non tanta ſe cæcitate laborare, quin hanc manifeſte veritatem perſpiciant; ſed eſſe me majori quam G Reges terrenos clementia, ſeque ſuo delicta tempore ſacerdoti aperturos, itaque meam in gratiam redituros. Sed quam abſurdum eſt, mea abuti velle miſericordia, ad non tam citò peccati mortalis ſtatu egrediendum, & divinæ majeſtatis inimicitiam diutius fovendam? Hem! quænam hæc inſenſibilitas, noſſe nimirum hominem ſe in æternum pereundi verſari periculo, minimè tamen, ut quamprimum eodem eximatur, laborare, ſed in aliud & aliud tempus differre! Inſenſatos hos rogatos velim, undenam ſe futurum illud pœnitentiæ tempus, quod ſibi imaginantur, habituros norint? Si periculum præſens ſit & certum, quare remedio & futuro & incerto nituntur ac fidunt?

Temporales peccatorum poenae.

Non ignorant, plurimos id genus pec- H catores improviſa eſſe morte abreptos: cur ergo infelicem hanc ſortem, quæ ipſos etiam manere queat, non perhorreſcunt? Dicent raro contingere, & fore, ut ſibi non eveniat: ſed in utroque hoc graviter errant. Neque enim adeo id rarum eſt, ut illi ſibi fingunt; quod è plurimis horrendis exemplis, quæ in ſacris litteris leguntur, videre poſſunt: ubi legere eſt, multas civitates inte-

Scripta An. 1609.

tegras, nedum homines privatos, quæ in ſecuritate ſumma agebant, ſubitò & inexſpectatò, cœleſti ultione deperiiſſe: ſicut, verbi gratia, tempore diluvii, orbis univerſus, & deinde Sodoma cum vicinis civitatibus, & Populus Iſraeliticus in deſerto: de quo ſcriptum eſt: Pſal. 77. 30. 31. *Adhuc* carneæ, quas deſideraverant, A *eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum*. Deinde cum variis in caſibus laſcivientes adoleſcentes, ambitioſi & avari, in mediis ſuis deſideriis ac votis ex improviſo emoriantur, quis adeo cæcus, ut non videat, terribile id judicium meum eſſe? Hic ſæpe nulla mortis in iis invenitur cauſa, & ipſi medici, ſedulo ſerioque inquirentes, nullam reperire queunt; quia non febris eos, non frigus, ſed ira mea abſtulit Pſal. 57. 10. ſicut olim ſervus meus David ſcripſit; *Sicut viventes, ſic in ira* Deus *abſorbet eos*. Eos ſcilicet imitatus, qui cum longa confecti ſint fame, dum expectare nequeunt, ut cibi parentur & coquantur, animalia B etiam viva devorare & ingerere ſolent. Adeo ut, cum præſumptuoſam peccatorum audaciam & arrogantiam, nec non eorum in peccatis gravibus perſeverandi propoſitum adverto, ſubita perverſam illam vitam morte reſcindere ſoleam, non aliter in aridos illos ſtipites irruendo, quam in ſtipulas ignis, ad eaſdem in momento conſumendas & devorandas. Verum ut demus id ita non fieri, & caſtigationes has quam rariſſime evenire, dic mihi fili, undenam hi peccatores, qui converſionem ſuam tamdiu differre ſatagunt, ſe de paucorum horum numero minime futuros ſciunt? Licenter admodum ipſi vivunt, deque me placando non magis laborant, quam ii, quos ego repentino illo indignationis meæ igne devoravi: quomodo ergo ab ea ſe C excipiendos ſperant, cum excepti non ſint illi, quorum adeo facti ſunt ſimiles? Quare propter hanc ipſam rationem de paucorum illorum, quos producunt, numero eſſe promerentur. Væ peccatoribus, qui vel die uno extra meam ſunt gratiam. Tu cæcorum & inſenſatorum horum conſortia ac contubernia declina, fili, meaque judicia conſidera. Amen, amen tibi dico; quod, quamvis ex omnibus filiis Adam unus dumtaxat damnandus eſſet, omnes nihilominus ut arboris folium contremiſcere deberent, & unuſquiſque ſibi dicere: Quis ſcit, an infelix illa ſors in meum ſit caput prolapſura? Vide itaque, ut me honores ac reverearis; nec unquam in peccati mortalis ſtatu, quoties id te incurriſſe animadvertes, lectum dormiturus pete; ſed quamprimum D ad ſacramenti pœnitentiæ medicinam accurre, meamque gratiam fac & amicitiam ut recuperes. Nec ſatis tibi ſit, ob pœnas me & ſupplicia infligenda timere, ſed ulterius etiam progredere, ut etiam ex affectu filiali me verearis offendere. Quod ſi feceris, te Ego ceu dilectiſſimum filium meum cœleſtibus donis adimplebo.

Peccatorum præſumptio & audacia notata.

Eorum conſortia fugienda.

CAPUT XVI.

De Obſervantia, vel Cuſtodia præceptorum.

INgens id juſto bonum, & inæſtimabilis quidam theſaurus eſt, ſi toto ad legis E & præceptorum obſervationem corde connitatur. Cum enim ſic quamdam ſuis in operibus regulam habeat, quæ voluntati meæ per omnia reſpondeat, quæque recta eum per viam vitæ dirigat, non poteſt non eſſe quam ditiſſimus, tot opera meritoria, è quibus tota vitæ ejus ſeries contexitur, ſibi colligendo. Hac de cauſa veri ſervi mei ac præſertim illi, qui in Religionibus, in quibus floret obſervantia, vivunt, quam poſſunt accuratiſſimè connituntur, ut ita juſtè & legitimè in omnibus ambulent, ut non modò ea, quæ ad divinam legem pertinent, ſed etiam minimum regulæ ac conſtitutionum ſuarum punctum parati ſint obſevare, ante mortem oppetituri, quam ipſum vel F in minimo tranſgreſſuri. Hinc tam exacti legis omnis cultores ſunt, ut audientes, *Scriptum eſt*, omnibus mundi rationibus oculos occludendo, velut infantes ſeſe habeant, leges & ſtatuta nec interpretari, nec eorumdem rationem audentes exquirere: ſed ea ceu oracula mea excipiant, iiſque ſe, cujuſdam cordi meo gratiſſimæ reverentiæ ſpecie, & magno ſuo ſpirituali bono ſubmittant. Hac veneratione & æſtimatione animo concepta, ad ſtatutorum ſuorum executionem tanta deinde fidelitate, generoſitate & perſeverantia feruntur, ut angelicam quamdam in terris vitam ducant, & cælitibus imprimis ſint ſimiles. Hi ſunt validi mei bellatores, quorum ego robur & animi promptitudinem non ſine maxima mea voluntate ſpecto, ſpiritualibus eos bonis, G quæ in æternum duratura ſunt locupletare, & ditare paratus. Sunt hi nobiliſſima quædam peculii mei & populi electi, quem meo mihi ſanguine acquiſivi, pars. Sunt denique eximii perfectionis Chriſtianæ æmulatores, qui ſe decori domus Dei zelo vehementer & acriter ſuccendi & excitari ſentiunt. Congregatio juſtorum, quæ in communi vivit, & per ſuaviſſimam concordiam, & unanimem legum ſuarum cuſtodiam per viam vitæ incedit, eſt Cant. 6. 9. *ſicut caſtrorum acies* ex arte & præceptis militaribus *ordinata*; amicis quidem ſpectabilis & jucunda, inimicis autem *terribilis*: adeo ut eam & metuat infernus, & ea gaudeat cœlum, & in nova Jeruſalem, Eccleſia inquam Chriſtiana ſponſa mea, nihil ea oculis meis evenire poſſit jucundius. Putant quidem H ſæculi hujus ſapientes, bonos Religioſos, qui in conventibus & ſimul agunt, nullius numeri homines eſſe, quod ea ab illis edi opera non videant, quæ ipſi ut magna ſuſpiciunt. Neque enim palatia conſtruunt, temporales divitias non coacervant, de civitatum aut regnorum gubernatione ac do-

Scripta An. 1609.

minatu non agunt; Prælaturis aliiſque id genus rebus, quæ magnæ & eminentes apparent, non inhiant; immo neque in his Congregationibus ſuis ut illuſtres ſe concionatores, lectores, ſcriptores haberi volunt; ſed ſolidi legum ſuarum & regulæ obſervatores & exacti executores eſſe ſatagunt. Hi A amici mei, omnis mundanæ gloriæ contemptores, pluris eò à me fiunt, quò minus eos mundus cognoſcit & æſtimat: illuſtriſſimas namque verè de ſe ipſis victorias referunt, & ſpirituale Religionis edificium ſuffulciunt, nulli mea cauſa labori parcendo. Da operam, cariſſime, ut ſollicitos & ſedulos hoſce operarios imiteris, & à domus meæ decore comedi, & emoveri ſine. Minimos ſtatutorum tuorum apices ſcriptis commiſſos magni facito, utpote per quos mea tibi voluntas & beneplacitum innoteſcit. Id item exequere, quod meam eſſe noveris voluntatem, mundumque exſibila. Ego tua futurus ſum merces ac remunerator, non mundus. Quid falſis ejus expoſitionibus ac deceptionibus fallacibus auſcultas? Sacrifica mihi ſacrificium juſtitiæ, vivendo legitimè, & firmiter in B me ſpera: ita ſiquidem magnum ſolidumque ſpei fundamentum & incitamentum habebis. Conſcientia, quæ ad legum normam attemperatur ac vivit, leoninam omni quidem tempore præfert fortitudinem, præcipue tamen in mortis articulo, quando mercedis ejus ac præmii hora inſtat. Fideliter cum legum obſervatione & zelo operare, & te ad illuſtriſſimam in cælo gloriæ coronam recipiendam diſpone.

Proborum Religioſorum vita, quae?

Bonae conſcientiae fortitudo.

CAPUT XVII.

De Clementia.

NE ſis, fili mi in corripiendis vel caſtigandis delinquentibus crudelis: ſed C clementer & benignè eos habe, & caſtigationem moderando, & magis in benignitatem ac dulcedinem, quam in rigorem, ac ſeveritatem propendendo. Noli adverſus malefactores, ac reos iraſci vel ſuccenſere, uti mundani judices ſolent, qui data à me potentia abutuntur, & in tyrannicam quamdam in delinquentibus morti adjudicandis ſpeciem degenerant, perinde ac ſi ipſi coram tremendo tribunali meo omni prorſus culpa vacarent. Unde conditionis humanæ immemores, duri & crudeles fiunt: cum tamen peccantes, ſine hac inclementia, ſed Chriſtianam compaſſionem præferendo potius, & afflictorum afflictionem hoc pacto alleviando, caſtigare poſ- D ſent. Non ſic porrò veri ſervi mei, quando ratione ſtatus & officii, quo funguntur, juſtitia illis eſt aliqua adminiſtranda, facere ſolent; ſed caſtigationem quam poſſunt maxime emolliunt & mitigant, memores mei, & ſpiritus, quem ipſis communicavi. Huc autem omnes invitat Apoſtolus meus ſcribens. *Fratres ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis,* in *hujuſmodi* rigorem nolite exercere, *ſed inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Perinde ac ſi dixiſſet, ſpiritualium proprium eſſe, in errantes immoderate non efferaſcere, vel crudelitatem exercere; ſed benignitatem compaſſionemque erga eoſdem oſtendere. Quod E non modò iis, qui privatim correctionem fraternam exercent, verùm etiam ſuperioribus, qui ratione muneris alios corripiunt, vel caſtigant, ſervandum incumbit, ita tamen ut ſubſtantia juſtitiæ, ad quam etiam tenentur, & quæ clementiam non excludit, integra perſtet. Et ſane tam ad correctionem peccantium, quam ad innocentium ædificationem, multò eſt ipſa clementiæ temperatura efficacior, quam rigores, quos parum ſpirituales exercent; bene ſeſe & timoratè agere rati, ſi ſemper enſem ad feriendum exerant, & (ut dicitur) ad ultimum uſque quadrantem ſolvere debitorem compellant. Valde emoveri ac flecti peccator ſolet, dum erroris (utpote manifeſti nimis) convictus, & apertè ſeſe pœnas promeritum videns, ipſam tamen pœnarum illationem à ſuperiore quam fieri F poteſt maximè, temperari & has etiam, quas infligit, (quas ſcilicet ſine juſtitiæ violatione omittere non poteſt) maximo quodam compaſſionis affectu ac ſigno videt infligi. Ad hanc autem juſtitiæ moderationem & clementiam comparandam permultum faciet meminiſſe eorum, quibus ipſe in me deliquiſti, quomodo tamen ipſe tecum agam, nunquam ut in eo defatiger aut deficiam. Timor mei, majeſtatis meæ memoria, & propria conſcientia quoddam tibi erunt frænum, ut juxta ſanctorum doctrinam in juſtitia exercenda te componas, utpote qui miſericordiæ & compaſſionis plena habuere viſcera, ac multò ipſe ſecurius, per hanc correctionis moderationem, juſtitiæ præmium, juxta dulciſſimæ gratiæ & novi te- G ſtamenti mei legem adipiſcens.

Judicum abuſus.

Gal. 6. 1.

Errantes benigne corripiendi.

Juſtorum miſericordia notata.

CAPUT XVIII.

De virtute Religionis, vel Latriæ.

LAtriæ virtus, cariſſime fili, quæ divinæ majeſtatis meæ cultum & venerationem ſpectat, ſingularem quemdam in corde tuo motum ciere deberet, ut quibuſcumque potes modis, me honorare ac venerari ſatagas, ac non modò ſacrificio altaris, vel cœrimoniis Eccleſiaſticis ad meum cultum inaugendum deſtinatis, verùm etiam exercitia aliqua adorationis, & interiores & exteriores quoſdam virtututum actus, qui ad me Dominum & Creatorem tuum agnoſcendum & venerandum referantur, de tuo addendo. Si ve- H rò efficaciſſimum quoddam ad excellentiſſimæ hujus virtutis exercitium motivum & excitamentum habere velis, conſiderato tantum, quid infideles & pagani, idola adorantes faciant, & non poteris non obſtupeſcere, ubi ſacrificiorum ſuperſtitioſorum

Cultus latriae Deo tributus.

mul-

Vani Paganorum ritus, & caeremoniae notatae

Iuſtorum erga Deum cultus.

Iſa. 6. 3.

multitudinem, adorationes, vanaſque cæremonias, quibus eadem venerari ſeſe arbitrantur, perpenderis. Nuperrimas dumtaxat & modernas evolve hiſtorias, ut ad veteres neceſſe non ſit recurrere, & in iis ſolemniſſimas reperies ſupplicationes, ſumptuoſa delubra, magnum ſacerdotum, & A ſacrificorum numerum, nec non ſacrificiorum, luminum, & vaniſſimorum rituum, atque obſervationum copiam: quæ dum ſervi mei, ad eaſdem gentes proficiſcentes, quo ad me verum & unicum Deum ſuum ipſas convertant, coram vident, non poſſunt non ſummopere admirari. Si autem dæmonis fraus & impoſtura tot ubique gentes ad ſuperſtitionum inanias tam potenter pertrahat, cur eamdem divinæ veritati vim & robur abrogemus? cur hæc ſervos meos ad divini cultus exercitium, magna pietate, & interioribus & exterioribus actibus frequentatis, non pertrahat? Rationis & argumenti hujus vim, veri ſervi mei optimè intelligunt, qui per vivam divinæ majeſtatis meæ, quæ nullo non loco præſens eſt, B memoriam, ſibi perpetuò in amplo quodam templo verſari videntur, multoſque adorationis interioris actus exercent, interdum etiam, dum ſoli ſunt, exteriores, modò corpus incurvando, modò genua inflectendo, modò coram divina præſentia mea ſeſe provolvendo; hiſque actibus divinæ naturæ ſublimitatem, magnitudinem, æternitatem, aliaque ejuſdem attributa profitendo. Subinde etiam hoc eodem mei honorandi propoſito totos ſe mihi offerunt; vota, quæ olim emiſere, renovant, hymnos cantant, & Domini ſui majeſtatem modo quam poſſunt optimo exaltant. Cumque nec hoc ſufficere exiſtiment, in omnibus etiam quæ agunt operibus, divinitatem meam venerari ſingulari quodam modo nituntur, omniaque quæ cultui meo dicata ſunt, uti templa, vaſa ſacra, ſacerdotes, aliaque id genus, magni C facere, ſpiritualia ſacrificia plurima aſſiduè offerentes. Hoc tibi imprimis & etiam atque etiam commendo, fili, quod nimirum multorum eſt meritorum fœcundum, & ad præcipuarum virtutum quæ me velut objectum & finem ſuum directè magis reſpiciunt, exercitium mirifice facit. Ut verò hoſce actus perfectè facias, altiſſimum quemdam & mirabilem imprimis de divina majeſtate conceptum formes oportet, mentem quantum potueris ſuſtollendo, tibique perſuadendo, omnes quas animo fingere potes aut concipere, altitudines longè eſſe ſublimitate mea inferiores. Ubi autem in hac te veritate fundare, & ad inacceſſibilem hanc altitudinem reſpicere cœperis, tua erga me D admiratio & reverentia accreſcet, majorique me perfectione, ac merito tuo ampliori honorare incipies. Recordare admirabilis illius viſionis, qua me Iſaias Propheta meus ſublimi, & elevato in ſolio confidentem conſpexit, ac duos Seraphinos, majeſtatis meæ magnitudinem demirantes, clamantes ad invicem audivit, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum: plena eſt omnis terra gloria ejus.* Hic clamandi modus, & triſagium illud, & confeſſio, quod terra omnis plena eſſet gloria mea, è profundiſſima quadam procedebant reverentia, qua divinitatem meam venerabantur. Sic & te facere oportet, cariſſime, beatos illos ſpiritus imitando; ad quorum beatiſſimam ſocietatem pervenies, ſi me perſeveranter honores, & illuſtriſſimum vultum meum aſſiduò requiras. E

CAPUT XIX.

De Magnanimitate.

Dolores Chriſti in paſſione innumerabiles

Generoſi bellatores Chriſti, qui

EOS ego unicè complector ſervos meos, qui omnem in me ſuam fiduciam collocantes, magna & heroica quædam (qualia nimirum nobiliſſima virtus ſpectat magnanimitas) aggredi proponunt, neve mediocribus & vulgaribus in obſequio meo operibus contenti ſunt. Novi enim, paucis contentum eſſe nolle, ex ſummo quodam F amoris & gratitudinis affectu, necnon è viva quadam eorum, quæ ipſorum cauſa & feci & paſſus ſum, conſideratione procedere. Non enim ſatis mihi fuit, exiguo quodam labore & tenui impendio illos redimere; ſed tormenta & dolores ſuper me, ceu ſtellæ cœli, multiplicata ſunt, omnem quoque meum ſanguinem effundendo impendi, Patrique meo, illorum ergo, pretioſiſſimam vitam meam ſacrificavi. Quorum è conſideratione, nata in eiſdem eſt generoſa & virilis quædam reſolutio ad magna quædam, quò regnum meum obtineant, aggredienda, non ea modò quæ de neceſſitate & obligatione ſunt, ſed etiam ad ulterius progrediendum, & ad ſublimem quemdam in omnibus virtutum materiis gradum perveniendum. Adeò ut, ſi de humilitate agatur, quam profundiſſimè ſe ad unum uſque G humilient; ſi de obedientia, cæci & oculis clauſis obedire contendant, inſigni quadam fide concepta juſſa exequentes; ſi de charitate, vel animam ſuam proximo dare pervelint. Hi ſunt, ſcilicet, generoſi & validi bellatores mei, qui per virtutum ſtadium currentes, ſummum earumdem gradum, & apicem præ oculis habent; nec ſatisfeciſſe ſe, niſi ad hunc pertingant, nec debiti ſui partes omnes expleviſſe putant. De electo & regio hoc manipulo illi ſunt Religioſi, qui arctiſſimum ubiqe ſervant ſilentium, virginalem præferunt modeſtiam, nec non angelicam quamdam continentiam, ita quidem ad cœleſtia animum elevantes, ut trans nubes ipſas evolare videantur, quin H etiam regio quodam dominio omnibus terrenis dominantur, utpote quæ magna quadam conſtantia contemnunt & proculcant. Cum hiſce generoſis ſervis meis duces militares, qui hoſtiles exercitus profligant, validiſſima valla & arces ad terram deiiciunt, & humanis celebrati ſunt hiſtoriis, minimè digni ſunt qui conferantur. Mihi

Scripta An. 1609.

porrò, illorum Regi, volupe inprimis eſt videre, quam ſeſe generosè in oblatis occaſionibus gerant & periculis, mihique ſummæ gloriæ duco, tam ſtrenuos in caſtris meis habere bellatores. Si itaque me tu glorificare velis, & aliquatenus reciproce multis iis, quæ pro te ipſe feci; reſpondere ac par referre, noli in operando parcus eſſe, A nec paucis paurviſque contentus eſto; ſed ad ardua & heroica facinora cor ſuſtolle, eaque aggredi propone, divinæ gratiæ meæ, quæ tibi non deerit, ope certiſſimò te adjuvandum confidens. Ne des ullum puſillanimitati locum mente languens & deficiens, ac virtutis difficultatem pertimeſcens; ſed vim tibi aliquam adferens, illarum honeſtate & decore incitatus, earum ergò generosè decerta. Quem enim ego juvo, nihil creatum metuat oportet: cum omnium & conditor ſim & Dominus. Ego vici mortem, mundum & infernum: talem etiam fidis famulis meis opem præſto, ut cor ſuum & confirment & dilatent, ſeque ipſos ad magna & virilia concipienda, B proponenda, ac ſtatuenda animent, firmiſſima ſpe feliciter ad exitum perveniendi concepta. Cor ſiquidem illis dicit, *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*. Argumentum hoc invincibile eſt; ſi enim dubitare quis poſſet, num omnis per gratiam meam difficultas ſuperari & expugnari poſſet; aliquis etiam locus & excuſatio puſillanimitati admittendæ eſſe poſſet: at cum non dubium, ſed certiſſimum ſit, per gratiam meam nihil non arduum effici poſſe; & à parte tua ipſe præſupponere debeas, hanc tibi gratiam adfuturam; nulla eſt ratio, qua te à rebus excellentibus & heroicis ſuſcipiendis, & ad perfectionis virtutum ſublimitatem aſpirando excuſes. Reſpice finem, cariſſime; & adverte, quomodo magnis operibus magna etiam reſpondeat gloria, & fervens C dilectio mea: atque à puſillanimis quibuſdam ſervis meis, quibus jam animo fixum ſedet, quam pauciſſimis contentos eſſe, & ratiunculis quibuſdam parum ſpiritualibus, virtutum, qui divinæ majeſtati & bonitati meæ debetur ſpiritui & præſtantiæ inimicis, alios tepidos, & puſillanimes reddunt, declina. Quin potius iis te familiarem redde qui in domo mea magni, & in rebus ad meum obſequium ſpectantibus præſtantes habentur; hos inquam imitati ſtude, & diviniſſimæ illorum coronæ particeps eris.

Puſillanimitas abiicienda.

Phil. 4. 13.

Gratia Dei arduum neſcit.

CAPUT XX.

De Diligentia.

D PRæterit paulatim tempus, fili mi, & mortis hora appropinquat, hominemque opprimit nihil minus quam de ea cogitantem, prudentia ipſa exigit, ut, poſito ad regnum te cœlorum aſpirare, inertiam ac ſegnitiem omnem, utpote paupertatis & miſeriæ ſpiritualis matrem, fugias. Chriſtiani de meo ſervitio parum ſolliciti, diverſas ſectantur oblectationes & recreationes, quibus animum recreent, perſuadendo ſibi eas & eſſe æquiſſimas & licita, modo nihil agant quod aperte malum ſit: atque hinc eſt, quod ſe excuſent, quo minus in graviſſimum ſalutis ſuæ negotium ex animo & ſedulo incumbant. At veri ac genuini ſervi mei haſce E recreatiunculas non ſecus ac mortem & peſtem fugiunt, ſibique perſuadent; tempus omne, quo novos gratiæ ac gloriæ gradus non acquirunt, perditum eſſe; ita quidem ut ſi fortaſſe vel media aliqua ſibi hora inadvertentibus elabatur, qua non aliquid boni agant, ingentem quemdam in animo dolorem ſentiant, & aculeum quodammodo in corde ſuo pungentem, ac dicant: Media hæc hora jam elapſa eſt, & facere nequeo, ut tempus idem denuo redeat, quo ipſum bene impendam. Hicque cordis, quem ſentiunt, remorſus vehementer ipſos excitat & extimulat, ne in hanc temporis jacturam de novo prolabantur, utque poſthac majori opera ſua peragant diligentia, F quo ſuperius hoc damnum reſarciant. Nec immerito ſane ita ad bene agendum omni ex parte accelerant ac feſtinant. Tam enim ratione damnorum, quæ parit acedia, quam bonorum, quæ à diligentia promanant, non ſine ratione bonum illud, quod hodierna die operari poſſunt, in craſtinam differre nolunt. Piger, vice verſa, tum plus patitur moleſtiarum, tum pauxillum illud quod agit boni minori facit merito: quando enim ipſum jam faciendum eſt, tædio & nauſeabundo animi corporiſque languore oppreſſus eſt; & conſequenter animæ vires non intendit, ut cum perfectione opera ſua exequatur; quæ idcirco imperfecta ſunt, exigui ac ſæpe etiam nullius prorſus meriti. Unde acedia ſpecies quædam lepræ eſt opera bona inficiens & deturpans. G Qui autem ſic vivit, in vitæ fine admodum ſe inopem comperit, eo quod innumera perdiderit merita, quæ iis quæ fecit operibus ſibi comparare potuiſſet, ſi modo animum applicuiſſet, eumque, eadem viva quadam ratione & ſpiritui meo propria faciendo, excitaſſet. Sed bonus ac fidelis ſervus meus qui ſuper talenta accepta alia etiam ſuperlucrari vult, ea quæ ſervitii mei ſunt, magna cum vivacitate, robore, & ſollicitudine peragit, qua declaret, quanti ſit momenti ſpirituale aliquod lucrum acquirere, & quanti ampliſſimum hunc ipſe theſaurum faciat. Hac ipſe pia anxietudine omnem à ſe excutit ſomnolentiam ac languorem, ita quidem facile, ut tempore illo, quod piis peragendis exercitiis deſtinatum eſt, & H multo minores difficultates ſentiat, quam pigri & tardi, & plus quam illis ſibi promereatur. Beatus ille, qui Dei opera peragit diligenter, hac enim ratione incredibiliter diteſcet, & operum priorum ac lucri præcedentis experientia, & delectatione illectus fiet diligentior, & eo quo alii dormiunt tempore, negotiari diſcet: ſicut de mu-

Inertia, & ſegnities fugienda.

Tempus citiſſime labitur.

Acedia ſpecies leprae.

Opus Dei diligenter agendum.

Scripta An. 1609.

Prov. 31. 18.

Ferventiorum Religioſorum ſtudium.

muliere illa forti & in rebus domeſticis procurandis negotioſa ſcriptum eſt: *Guſtavit, & vidit, quia bona eſt negotiatio ejus*, ideoque *non* dormiet, nec *extinguetur in nocte lucerna ejus*, ut ad lumen ejus operetur. Ad eumdem modum bonus & ſollicitus ſalutis ſuæ operarius, guſtato, quanti interſit bene & diligenter operari, nullam corpori A indulgere quietem vult, ipſumque ad lumen lucernæ fidei, quando alii non tantum ſolliciti ſtertunt, & quieſcunt, excubare facit. Videre id eſt, cum magna proximorum ædificatione, in religioſis ordinibus primævum fervorem adhuc conſervantibus, in quibus ardentes pefectionis monaſticæ obſervatores ſua in ſilentio noctis mecum negotia agere ſolent: ut quibus ſatis non eſt vulgaria communiaque omnibus ex regulæ præſcipto opera agere, ſed ſomnum ſibi & quietem corporis ſuffurantur, quo orationi & lectioni ſanctæ incumbant, flagris extraordinariis in corpus ſæviant, extra tempus lacrymentur, ſuſpirent, humiliter ſeſe proſternant, pectus tundant, nec non alia id genus ſacrificia ſpiritualia peragant; B quorum adminiculo, ceu ſolliciti & quæſtuoſi mercatores, ineſtimabiles animæ ſuæ divitias mirabiliter adaugent. Stude diteſcere, fili mi, & paupertatem ſpiritualem deteſtare; bonaque opera multiplicare ſatage: ſi enim terreni mercatores tantam in bonis temporalibus adaugendis diligentiam adhibent, quorum tamen cauſa vitam animæ amittunt, & æternam ſibi damnationem accerſunt, nefas ſane eſt, durum tibi videri, aliquem ad bona ſpiritualia comparanda, quorum ope veram tibi es vitam, & beatiſſimam gloriæ lucem comparaturus, laborem ſuſcipere, ac diligentiam adhibere. Ego adſum te videns, curre diligenter & tandem in caſtiſſimarum ac perpetuarum deliciarum mearum thalamo requieſces. C

CAPUT XXI.

De Fortitudine.

Vita mortalis periculis expoſita.

Juſtorum fortitudo.

Pſal. 65. 10.

Dei praeſentia, & auxilium vires addit.

Jacob Iſrae adpellatus.

Vita hæc mortalis, fili mi, multis iiſque gravibus expoſita periculis eſt, adverſus quæ fortitudinis meæ armis communiaris neceſſe eſt, non tam ut in quibuſlibet vitæ diſcriminibus & conflictibus generoſe te geras, victorque evadas, quam ut in periculis mortis, tum corporis, tum animæ, divinæ gratiæ cooperando, quò adverſus timores mundi, & inferni prævaleas, & victoriam referas. Adeò ut, ſi mihi ſervire, prout teneris, & regnum cœleſte tibi acquirere D velis, filios Iſrael te imitari oporteat de Ægypto in terram promiſſionis aſcendentes: cum enim in via in multos, vi armata occurrentes hoſtes inciderent, arma ipſos in manus ſumere neceſſe fuit, & gravia antè pericula confligendo ſuperare, quam in terram, ad quam contendebant, pertingerent. Sæpiſſimè quidem tentaberis, atque in maximas te anguſtias redactum videbis, & ſolum quodammodo in acie undique atrociſſimis hoſtibus circumdatum, te ſtare oportebit; quo è diſcrimine unica evadendi eſt ratio quam fortiſſimè decertare, cum vel vincere, vel occumbere hic te neceſſe ſit. Propone tibi ob oculos tot generoſos bellatores meos, quorum alii occultis graviſſimarum E tentationum conflictibus; alii publicis perſecutionum ac tyrannorum exagitationibus divexati, admirabilem quamdam fortitudinem declararunt; adeò nunquam periculis ſuccumbendo, ut ea perruperint, & illuſtriſſimas ſibi per eadem coronas compararint: ſpiritus tui oculos in tot Confeſſorum agmina coniice, qui noctes & dies juſtitiæ meæ gladium aſſiduo manu vibrarunt; & quamvis aſſiduè, nulla conceſſa quiete, per multos annos in ſolitudinibus, vel in Religioſorum congregationibus tentarentur, adeò non defecerunt hoſti ſuccumbentes, ut ipſos inſernales exercitus, & legiones intrepidè repulerint, & probroſè fugere coegerint. Nemo mortalium novit, quantam hi pugiles mei fortitudinem exercuerint; ſed ego ſolus id novi, qui ſpectator F aderam, videns, quam ſeſe animoſè gererent, ut eos deinde in judicio meo univerſali & publico, pro eo quod privatim & in occulto fecerunt, coronarem. Propone tibi tot non modò virorum, ſed etiam mulierum millia, diverſimodè exagitatorum; illorum quidem in fide mea confitenda, harum verò in caſtitate ſua propugnanda: & invictam martyrum & virginum, qui modo interminabili altiſſimæ gloriæ præmio perfruuntur, conſtantiam ac robur obſtupeſces. Perpende univerſalem illam juſtorum omnium vocem & confeſſionem, dicentium, *Probaſti nos Deus, igne* tentationum *nos examinaſti, ſicut* igne materiali *examinatur argentum*. Adeò ut qui militiæ meæ ſacramentum G dixit, eum ad anguſtias redigi, & per graves tentationes probationeſque tranſire oporteat ut inde virtutum fulgorem & ſplendorem ſibi colligat. Noli timere, cariſſime; ego enim tecum futurus ſum: armis te meis obarma, uti Apoſtolos & alios regni mei candidatos feciſſe conſtat. Cum autem afflictum te, & abs ſpiritualibus hoſtibus circumdatum, vel in aliquo mortis corporalis periculo conſtitutum comperies; me tibi præſentem adeſſe finge, meaque præſentia & auxilium tibi vires addat. Non eſt quod Reges Chananeæos metuas, quando ſub vexillo meo ad fertiliſſimam terræ viventium regionem tendis: atque ut certiſſimum habe, ſervos meos, qui pericula non reformidant, & ſtatim atque aliquis ſeſe gigas H illis in via vitæ opponit, ad manus cum ipſo conferendas ſe accingunt, ſumma me voluptate perfundere. Ita ſi feceris, fili mi, idem eveniet tibi, quod olim magno ſervo meo Jacob, qui poſt contentioſam cum Angelo luctam & nomen Iſrael ſibi promeruit, & ampliſſimam benedictionem meam in ſe devocavit. Beatus ille, qui dulciſſimæ Je-

Scripta An. 1609.

ruſalem ſponſæ meæ pulchritudinem ſibi comparaturus generosè decertat; quia immenſa poſt conflictum conſolatione & Dei vivi deliciis donabitur.

CAPUT XXII.

De Juſtitia.

A EGO juſtus ſum, & juſtitiam diligo; cujus pulchritudo & ſplendor tantus eſt, adeoque omnibus manifeſtus, ut non Chriſtiani modo, quibus per fidei lumen interior oculus longè clarior eſt, & defæcatior, verùm & Gentiles illuſtriſſimam hanc virtutem magni faciant, & honorent. Luci & rationi naturali id adſcribendum, quæ actuum juſtitiæ tam diſtributivæ, ejus inquam, quæ bona Reipublicæ, & munia cuique pro meritorum magnitudine diſpertitur & diſtribuit, quam commutativæ, quæ privatorum eſt, & cuique ſuum dari præcipit, honeſtatem manifeſtè demonſtrat. Unde ipſis etiam infidelibus, politicè quidem viventibus, & civiliter turpiſſimum videtur, ſuis proximum facultatibus exuere, promiſſa non præſtare, B vel quæ ipſius ſunt, illi non reſtituere. Si qua verò gens eò venit barbariei & incivilitatis, ut actus juſtitiæ parvi faciat, beſtiarum ea potius, quam hominum congregatio habenda. Unde colligere eſt, quam intolerabile ſit & probroſum, Chriſtianum hominem adverſus juſtitiæ jura peccare, præſertim cum pauperes opprimuntur, & affliguntur, & ditiores potentia ſua, quam habent, per nefas abutentes, pauperum ſudorem retinent. Peccata hæc in cœlum ad me, qui afflictorum ſum protector, clamant, & divitum injuſtorum animas coram oculis meis abominabiles reddunt. Hac de cauſa ſervi mei tam ſunt in actibus juſtitiæ fideles, ac tam ſollicitè cavent, ne eam vel in minimo transgrediantur, ut ſæpe ipſi magis ſint in debitis reddendis, quam creditores avidi & C avari in eis exigendis ſolliciti. Et ſi quis ſeſe offert ſcrupulus, num ſcilicet ſint, nec ne ad reſtituendum obligati, ſuo ſe privare malunt, quam ut importunum hunc conſcientiæ ſcrupulum ferant, ne fortè in aliquo contra juſtitiam peccent. Conſcientiæ ſiquidem delicatæ & timoratæ, & divitiarum æternarum percupidæ has circa divitias & lucra temporalia tentationes & angores ferre nequeunt: cumque juſtitiæ omnis honeſtatem ex corde diligant, quacumque demum in materia, tam in lucris, quam in promiſſis præſtandis, & in debito proximis honore deferendo, ſervi mei ſunt in unicuique rebus ſuis & honore debito reddendis diligentiſſimi, ſemper ſe ſuiſque auribus illam D intonantem vocem audire credunt: *Juſtus Dominus, & juſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus*, eam approbando. Hoc excitati ſtimulo non ſolum propriè dictæ & arctè ſumptæ juſtitiæ nituntur ſatisfacere, ſed omnibus etiam in genere virtutibus, quæ cum quadam juſtitiæ ſimilitudine exercentur, uti ſunt illæ, quæ ad tractandum cum proximo requiruntur; veracitas, inquam, fidelitas, obſervantia, & reverentia eorum, qui in altiori quodam conſtituti ſunt gradu, & vivunt, juxta illam Apoſtoli mei ſententiam dicentis; *Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem*. Quam caſtam & irreprehenſibilem doctrinam ſervantes ſervi mei, in magna quadam vivunt pace, E & proximos ædificant, eos ita ex æquo honorando & reverendo, ut nullam hi vel indignandi, vel de iis conquerendi occaſionem habeant. Sic nimirum cum proximo converſari te oportet, fili mi, ſi juſtitiæ habere virtutem velis: utque verò ſis ſecurior, in eam te non peccare, da operam, ut ſemper in plus dandum potius, quam in minus, vel in rigore debitum ipſum, & nihil amplius præſtandum propendeas; adeo ut quid magis ei des, quam in rigore juſtitiæ dare tenearis, præſertim in honore & reverentia deferenda, in quo juſtitiæ Chriſtianæ cultus perficitur, Si autem ſic erga hominem ad perfectionem juſtitiæ te gerere debeas, quid non erga me te facere oportet, me inquam, F qui te creavi, redemi, conſervo, & innumera tum ſpiritualia, tum corporalia in te beneficia confero, quorum nomine mihi debes totum quod es, quod facis, & multo etiam plus, quam facere tenearis. Sanè te ceu mancipium quoddam emptitium credere debes, tibique perſuadere, tantum te mea cauſa nec facere, nec facere poſſe, quin plura facere tenearis; tametſi ego ex infinita miſericordia mea arcta quadam obligatione legis te ad alia obſtringere noluerim, quam ad ea, quæ fragilitas tua, gratia mea juvante, proportionaliter præſtare queat. At cum non ignores, plura à te me ad cultum meum ſpectantia exigere potuiſſe, præſtare ſanè debes quam potes plurimum, quaſi ſtricto quodam juſtitiæ præcepto id tibi præcepiſſem. G Sic nimirum faciunt ferventes & ſinceri ſervi mei, qui beneficiorum à me acceptorum magnitudinem ac pondus perpendunt; hos tu imitari procura, & ampliſſimam mercedem & conſolationem in omne ævum duraturam accipies.

Iuſtitia etiam ab Ethnicis culta

Iniuſtitiae peccatum intolerabile.

Pſal. 10. 8.

Rom. 13. 7.

Homo mancipium quoddam.

CAPUT XXIII.

De Prudentia.

EGO in numero, pondere, & menſura omnia, ſecundum altiſſimum æternæ ſapientiæ meæ conſilium, condidi: & propterea qui mihi eſſe conformis voluerit, ſenſatè prudenterque ſuis in operibus procedere H debet, ac præſertim in duobus punctis; primo ſcilicet in fugiendo extrema; deinde in mediis & modis, quibus in vera ſanctitate proficiat, & plus gratiæ, & gloriæ meæ acquirat, idque modo quodam eminentiori, & pio: ſed qui tamen filiorum ſæculi hujus, mille adinuentiones, & modos ad opes, & honores ſuos adaugendos excogitantium, mo-

Omnia condita in numero, pondere, & menſura.

modum ac diligentiam imitetur, conquirendis. Quantum autem ad primum ſpectat, ſi, ô fili mi, prudens eſſe velis, ex aliorum te magis illuminatorum directione ac nutu vivito, qui tibi nimirum dicant, qualis ſit exercitiorum, quæ facere te oporteat, ſervanda mediocritas & moderatio, ne in ſcopulos vel ob nimiam lentitudinem, vel vehementiam immoderatam impingas. Senum & longo uſu pollentium conſilia exquire: & tibi ipſi noli fidere. Quantum vero ad ſecundum, ipſam inquam piarum inventionum ad ſanctitatem comparandam excogitationem, ſpectat, vocationis tuæ ſcopum, nec non vitæ inſtitutum, ad quod ipſe te vocavi, conſidera, & vide ut exercitia invenias, quæ tuo ſint ſtatui conformia, ita ut cum primò atque ante omnia ſatisfeceris iis, quæ ſunt præcepti, & obligationis, deinde ad ea, quæ ſupererogationis ſunt, progrediaris, quæ & ad augmentum ſpiritus, & mortificationem comparandam, & quæ obligationis ſunt, multo peragenda perfectius conducant. Ne verò in hiſce mediis conquirendis erres, ſapientum ac ſanctorum conſilia exquire: ſi verò in Religione vivas, Superiores tuos conſule; cum bonus Religioſus aliam ſequi prudentiam non debeat, quam Superioris ſui ac Prælati. Tuum quidem eſt multos ſollicitè modos inquirere, quibus ſpiritualiter diteſcas; ſed horum electio & executio ſine aliorum conſilio non fiat. Da operam, ut omnia, quæ vides & audis, tibi ad majorem in dies perfectionem conparandam, & cor tuum à creaturis avellendum, ipſumque mihi arctius uniendum ſerviant, & ancillentur. Actus devotionis interiores multiplica, non ita tamen ut pectori, aut capiti tuo vim inferas, ſed ex affectu ſincero, & reali, quo ſemper totus meus eſſe queas. Quælibet peccata quam diligentiſſime caveas, etſi alioquin leviſſima; & ipſam puritatem conſcientiæ, ceu theſaurum quemdam pretioſiſſimum, conſervare ſtude, ſuper cordis tui cuſtodiam quam vigilantiſſimè excubando. In omnibus quas tibi offeram, mortificandi tui occaſionibus, & diverſarum virtutum exercitiis multa tibi accumulare merita enitere & conare. Unde ſi ad ea, quæ tibi propoſui capita, reſpicias, primò quidem veram prudentiam Chriſtianam, deinde aliarum virtutum omnium directionem habebis. Beatus ille, qui primò reſpicit finem, dein media eligit huc conducentia. Chriſtiani quoque parum pii, & de bonis æternis haud multum laborantes, finem, quem ipſis fides proponat, vitam eſſe dicunt ſempiternam, & in hoc quidem Chriſtianè ſentiunt & loquuntur, cum hunc ego omnibus in genere hominibus univerſaliter finem propoſuerim; quis tamen gravior dari & cogitari error queat, quam ut quis eum ſe dicat finem habere, quem Sancti mei habent, tam diverſè tamen & differenter ab illis vitam inſtituere? ſancti ſiquidem ſollicitè admodum media conquirunt, quæ beato fini ſuo conformia & paria ſint; ſed mundani quamvis fide profiteantur ad eum demũ omnino ſeſe finem tendere, aptiſſima tamen ſectantur, & quærunt media, quibus ad damnationem ſuam ferantur. Sunt itaque hi haud abſimiles filiis Agar, de quibus hæc ſcribit Propheta meus Baruch: *Filii Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra eſt, negotiatores terræ, & Theman, & fabulatores, & exquiſitores prudentiæ, & intelligentiæ*, graviſſimè errarunt, *viam autem ſapientiæ neſcierunt*. Mundus hic hujuſmodi negotiatoribus plenus eſt, qui in adinventionibus ſubtiliſſimis, ad finem longè alium, quam ad quem ego eos condidi, conducentibus excogitandis ſagaciſſimi ſunt. Sed hos, tu cariſſime, ſtultos relinque, & à peccatorum te contubernio ſequeſtra; vide autem ut piè prudens ſis, ſpiritualia quædam uſurpando media, quibus quam potes citiſſimè ad ſupernam & dulciſſimam patriam tuam pervenias

A Moderatio ſectanda,

B Atque ad eam acquirendam media.

C Peccata cavenda etiam leviſſima.

D

E *Baruch.* 3. 23.

Peccatorum contubernium vitandum.

CAPUT XXIV.

De Fide Divina.

SAtis tibi eſſe non debet, fili chariſſime, divinæ fidei myſteria, quæ tibi revelavi, nude credere, & Theologicam hanc virtutem ita otioſam ſinere, ut nullum ex eadem fructum colligas. Sed omni ea modo tibi eſt exercenda; ita quidem, ut non modò ad divinarum tibi ſerviat veritatum aſſenſum, verùm etiam ad magis te in eodem corroborandum, bonos mores inde hauriendos, & totam vitæ Chriſtianæ directionem hinc accipiendam, cum ad omnes illos effectus ipſa mirifice conducat. Revoca aliquando in mentem invincibilem veritatis Catholicæ firmitudinem, & in eadem te maximo quodam gaudio, & conſolatione, fidei quam profiteris credibilitatem videns, corroboraberis. A myſterio vitæ meæ incipe, cum quo omnia alia fidei myſteria potes conjungere; atque hoc mirabile quid tibi videbitur, ac dignum, ut pro ejuſdem confeſſione, coram tyrannis, qui eamdem negant, mille mortes ſubeantur. Ego Dei vivi Filius humanam carnem aſſumpſi, & myſterium Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ, fundationis Eccleſiæ, remiſſionis peccatorum, & aliorum dogmatum, quæ in Eccleſia mea docentur, tanta docui efficacia, & tam irrefragabilibus argumentis ſtabilivi, ut qui cedere iis & ſe ſubmittere detrectat, nihil omnino ad ſe excuſandum adferre queat: quod magnæ attente rem conſideranti conſolationi eſt. Ut verò hujus ipſe reddaris aliquatenus particeps, ipſius divinorum horum myſteriorum ac veritatum credibilitatis confirmationes perpende. Hæc ego myſteria prædicavi, eaque mundo tam efficacibus argumentis propoſui, ut efficaciora nec ipſe potuerim afferre, neu quid unquam homines crediderint, quod ſolidius haberet, quam hæc, ad credendum fundamentum. Igitur vel mihi mundus credat oportet, aut ſi non credat, damnationem æternam incurrat ne-

F

G Catholicae veritatis firmitas invincibilis,

H Fidei dogmata firmiſſime ſtabilita.

ceſſe

ceſſe eſt. Porro ad argumenti hujus efficaciſſimi probationem, nota id quod ſequitur. Quando Doctor aliquis magna quædam & incognita prædicat, ut cum prudentia & mature quis iis credat, efficaciter hæc ab eo probari & confirmari neceſſe eſt, ut audientis inducat intellectum ad aſſerendum hæc, quæ audit, eſſe rationi conſentanea, ac proinde fidem illis adjungendam videri. Sic ego, cum myſteria prædicarem diviniſſima & altiſſima, eo illa quo ſequitur modo probavi, qui è tot irrefragabilibus probationibus compoſitus ſit, quot ſunt capita quæ attingam. Dixi eſſe me verum ac naturalem Dei Filium, ac proinde Deum veraciſſimum, quinimmo ipſammet veritatem: cujus principii credibilitas ſi adſtruatur, omnium quæ deinde prædicavi myſteriorum, confirmata & adſtructa manebit credibilitas, cum ipſamet veritas mentiri nequeat. Ut vero ab ipſa nativitate mea ducam exordium, vulgo omnibus notum fuit, quomodo paſtoribus apparuerint Angeli, meam in excelſis cantantes gloriam, quomodo hos ad me, ceu communem ipſorum omnium Dominum (ita namque me nominavit Angelus, *Criſtus Dominus*, ſupremus & abſolutus) adorandum invitarint. Tota deinde Jeroſolyma divulgatum fuit; tres ex Oriente Reges ad me adorandum, inſolito quodam & mundo hactenus inviſo modo veniſſe. Nam ut taceam Herodis turbationem & civitatis totius commotionem, Reges illi dixere admirabilem quamdam ſibi viſam eſſe ſtellam, & ejus ſe ductu in Judæam tetendiſſe: quod magnam inſolitamque proculdubio in omnium qui id intellexere animis novitatem ac motum excitavit. Adhæc Sacram Scripturam tunc excutientes Doctores & litterati, in Bethlehem nativitatem meam futuram palam omnibus declararunt. Denique ipſi tandem Reges adfuere, & me ſupplices adorarunt. Eſt hæc hiſtorica & litteralis probatio, quæ ſuam, cum conſideratur attentius, efficaciam demonſtrat: circa quam ſic te rogo, fili mi: Quando unquam in mundo, naſcente aliquo Rege, apparuerunt Angeli, ceu ſervi aut miniſtri Regis nati, deſcendentes? Ipſe ſane Angelus puerum hunc ut Dominum agnovit & vocavit; ac propterea dicendum, fuiſſe illum pluſquam hominem; cum autem homine majus & dignius nihil ſit, quam aut Angelus aut Deus; & cum ipſimet Angeli eum Dominum vocent, eique miniſtrent; dicendum omnino, hunc eſſe plus quam Angelum, ac proinde neceſſario conſequi, Deum hunc eſſe: Cumque inſuper notorium ſit, eum eſſe hominem, ſequitur, Deum ſimul eſſe & hominem. Si autem hoc argumentum vel probatio adeò tibi evidens & perceptu facilis non videtur, quod in ea creaturæ mere ſpirituales, id eſt Angeli, interveniant; ulterius ad hoſce Reges tranſi, qui meri fuerunt homines, & petam abs te: Quando unquam in terra viſum, ut Reges aliquem terreni alterum adoratum venirent, niſi ipſorum forte is ſit Imperator, qui ſuperioritatem hanc vel hæreditate, vel electione habeat, vel alio quopiam modo humano ſibi compararit? Talia nec in ullis leguntur hiſtoriis, nec à Regibus terrenis vulgo fieri ſolent: quinimmo honori ſibi ducent potius, eoſdem vel fugere, vel abominari. Si itaque me Reges illi adorarint, dicendum ſanè, dignitatem quamdam regiam & excellentiam pluſquam humanam in hac illos mea infantia agnoviſſe: ſi autem excellentiam agnoverunt pluſquam humanam, neve ulla alia hac ſuperior ſit quam aut Angelica aut divina; ſequitur divinam illos cum humana quam videbant natura conjunctam credidiſſe: quemadmodum & illis ſatis declararunt donis, quæ mihi obtulerunt. Deinde ut cum reverentia, quam mihi exhibuerunt, quaque divinam illam excellentiam proteſtati ſunt, ipſius etiam ſtellæ, cujus ductu ad me venerunt, apparitionem & famulatum conjungamus, dicamus oportet, credidiſſe illos, ſtellam hanc mihi veluti Domino ſuo ancillatam, & virtute mea motam fuiſſe. Quod divinitatis cujuſdam indicium eſt. Hæc itaque adoratio tot à cœlo circumſtantiis & favoribus conveſtita, publica quædam deitatis meæ fuit probatio. Deinde ut ulterius ad ætatem meam adultam progrediamur, quando jam per prædicationem Evangelii, & miraculorum patrationem mundo me magis declarare cœpi: publicè notum fuit, meam me divinitatem prædicare, unde adverſarii mei inſimulandi & obtrectandi etiam occaſionem hauſerunt. Atqui ſi me verum eſſe Deum ſum proteſtatus, & vera in proteſtationis hujus declarationem miracula ſum operatus: ergo erat ea vera & certa, cum vera miracula veri Dei ſint ſigilla, & id genus ſigilla falſa eſſe nequeant. Rationis hujus vis & robur eo etiam evadit majus; ſi conſideres, propria me in miraculis hiſce patrandis auctoritate uſum fuiſſe, leproſis mandando, ut mundarentur, cæcis, ut viderent; mortuis, ut ad vitam redirent: mari, ut quieſceret, &c. In quo magna quædam inter me & ſanctos ſervos meos elucet differentia: cum enim aliquod ipſi facerent miraculum, id ceu ſervi mei faciebant, ego vero ut illorum magiſter, & communis ſanitatis & morbi, vitæ mortiſque Dominus. Ne vero hic aliquid in exceptionem quis adferat, perſonæ meæ, juxta hominum ſapientium opinionem, perpendenda qualitas eſt, niſi enim advertatur, qualis ſit is, qui miracula patrat, dicere Infidelis aliquis poſſet (uti ſæpiſſimè de meis dixere Matyribus) apparentia dumtaxat & falſa, non vera hæc fuiſſe miracula, & quamvis vera miracula evidentia, & certa veritatis ſint ſigna, non ita tamen de falſis & apparentibus cenſendum. Hæc autem, fili, concidit objectio, ſi infinita vitæ meæ conſideretur prefectio & puritas. Si enim ambitioſus fuiſſem & honoris percupidus, qui Deus haberi voluiſſem, revera tamen non fuiſſem; tantam certè vitæ innocentiam non prætuliſſem, ut ne inimici quidem mei, quamvis & malignitate eſſent perverſiſſimi,

&

A

Chriſtus verus, ac naturalis Dei Filius.

B

Magorum adoratio, & Herodis turbatio notata.

C

Chriſtus Deus, & homo.

D

E

Munerum Magorum ſignificatio.

F

Vera miracula veri Dei ſigilla adpellata

G

H

Scripta An. 1609.

Chriſti vita nculpata.

& magna accuratione & ſubtilitate aliquid in vita mea culpandum inquirerent, unquam tamen aliquid ipſo etiam Pilato teſte (qui manifeſtè cognovit, omnem illorum ad mortem mihi inferendam conatum non tam à culpa aliqua mea, quam à mera ipſorum invidia proficiſci) reperire potuerint. Eſt autem certiſſimum, ſi nonniſi purus homo

A

fuiſſem, & adhæc graviſſimus peccator, quoad ambitionem ſane, per univerſam vitam meam, quæ è tot conſtabat operibus, & in quam tam curioſè, & acutum, & diligenter æmuli inquiſierunt, quo in me alicuius criminis labem invenirent, minimè defuturum aliquid fuiſſe, quod adverſarii capitales ſugillarent. Quæ enim in uno crimine perverſa eſt anima, fieri non poteſt, quin multa alia inſuper committat. Si autem fuerim innocens, & ut talem etiam me graviſſimi peccatores habuere: tam horrendum igitur ſcelus non conſcivi, ut divinum mihi honorem arrogarim, & falso Deus haberi voluerim. Si autem vita omnis culpæ fuit expers, ſequitur non tam gravia me com-

B

miſiſſe peccata, uti fuiſſent falſa illa miracula, præſertim ad falſam quandam divinitatem adſtruendam. Sequitur ergo miracula mea vera fuiſſe.

Et eius miracula quae?

Cumque in deitatis meæ teſtimonium hæc facta ſint, ſequitur me eam admodum credibilem feciſſe; adeò ut qui eam haud credit, nullo ſit pacto excuſandus. Et ſanè aliquot miracula mea tot fuere circumſtantiis divinam meam veritatem ſignificantibus conveſtita, ut nihil in eiſdem æmulantium lingua invenerit, quod culparet. Teſtimonio ſit miraculum excitati à mortuis Lazari, in quo magna quadam voce in modum imperantis ſepulto inclamavi: *Veni foras*.

Ioann. 11. 43.

Ita porro omnium ſunt hoc animi commoti, tanta id omnium celebratione diuvlgatum, & ita omnes in admirationem rapti

C

ſunt, videntes hunc ſecum jam converſari & agere, ut plurimi de eo minime dubitarint, & in me propterea crediderint: ut interim taceam, ipſos inimicos meos ejus cauſa malignum quoddam conciliabulum coegiſſe, cumque veritati apertæ reſiſtere non poſſent, invicem adhortatos eſſe, ut ipſum propria coarguente conſcientia ſugillarent, & ei obſtreperent, dicentes: *Qiud facimus? quia hic homo multa ſigna facit: ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum.*

Ibid. 47. 48.

Ingredere mente, fili mi, concilium illud malignantium, atque hinc videbis, miracula quæ feci certiſſima eſſe, & fidem quam profiteris maximè credibilem. Si autem ſupradictis hiſce probationibus veteres adiungas, quæ de me prælocutæ ſunt, prophetias nec non

D

effectus à me jamjam referendos, qui tum in morte mea, tum poſt eamdem ſecuti ſunt; maxima quadam circa divinas veritates conſolatione perfunderis. Quid enim de ſignis illis tremendis cenſes, quando tuam me redemptionem operante, & vitam in cruce amittente, ſol eſt obſcuratus, terra tremuit, petræ diſciſſæ ſunt, velum templi à ſummo uſque deorſum ſciſſum, mortui ad vitam redierunt, ſepulcra ſunt aperta?

Monſtra in morte Chriſti operata.

Quis adeo futurus eſt cæcus, ut non videat, inſolitam hanc creaturarum commotionem, evidens eſſe indicium, eum qui moritur, juſtum eſſe, uti Centurio & qui cum eo erant, de me moriente teſtati ſunt: *Vere Flius Dei erat iſte*; quibus verbis apertum de Innocentia mea dederunt teſtimonium.

Matt. 27.54.

E

Si itaque mortuus ſim ut juſtus, de me moriente id ſenſerunt alii, quod ipſe in vita prædicavi, eſſe ſcilicet me verum Deum; ſequitur verum me & æternum Deum eſſe. Vide dein & reſurrectionis meæ effectus; in qua tantam inimici mei cæcitatem oſtenderunt, ut cuſtodibus ſepulcri mei magnam argenti promiſerint vim, & inſigni cum mendacio ſibi dormientibus furto me à diſcipulis meis dicerent ablatum eſſe; ſpondentes iiſdem ſe, ſi quam militibus propterea litem Pilatus ac difficultatem moveret, haud difficulter hanc illi fabulam perſuaſuros, quo ipſos hoc pacto cuſtodes indemnes abire ſineret. Quid de hac veritatis meæ claritate videtur, quam ipſum ſceleratorum hominum mendacium etiam multò illuſtriorem reddit?

F

Tranſi ulterius ad aſcenſionem meam, utpote qui, tot hominibus inſpectantibus, manifeſtè ac palam in cœlos aſcendi, propria me virtute ac potentia, ceu cœli terræque Dominus, è terra ſurſum evehendo. Revoca item in mentem promiſſionem Spiritus Sancti, quæ fideliſſime tanta à me eſt evidentia & certitudine adimpleta, ut illo deſcendente Apoſtolos meos variis ac diverſis, inſpectantibus & audientibus tam multis, quæ Jeroſolymis tum verſabantur, nationibus, & univerſa civitate illa ſtupente, loqui fecerim linguis. Quis ad hanc aliud addi demonſtrationem poteſt, quam eum, qui mirabiles hoſce producit effectus, verum & omnipotentem Deum eſſe? Si autem incredulus quiſpiam obiiciat, ſe quidem omnibus, quæ hactenus à

G

me illata ſunt, facilè convincendum & pertrahendum eſſe, ſi modo vera eſſent, ſed ignorare ſe, verene ac realiter ita, uti narravi ea contigerint; reſpondere illi potes, certo te ex Evangelico & Actibus Apoſtolorum ſcire, hoc eodem modo contigiſſe; hiſtoriarum autem harum ſcriptores adeo ſunt ob ſuam ſanctitatem & miracula, quæ patrarunt, fide digni, ut nulli unquam hiſtorici tantam ſcribendo fidem promeruerint; præſertim cum ſciat mundus (quod ea res ad hodiernum uſque diem nota ſit) admiranda, quæ in illo convertendo hi fecerint prodigia: ut taceam, omnes quæ in mundo ſunt, ſectas multo minori credere fundamento iis, qui olim ſuorum res geſtas conſcripſerunt, etſi hi homines eſſent & parum

Evangeliſtarum auctoritas.

H

docti & ſancti. Vide inſuper Eccleſiæ, quam fundavi, progreſſum, & adverte, quo Apoſtoli & diſcipuli mei modo mundum hunc converterint; ipſi quidem nulla præditi erant potentia nullis opibus & eloquentia inſtructi; mundus vero potentia, auro, & eloquentia armatus: ipſi paupertatem, mortificationem, mundi contemptum perſuade-

Scripta An. 1609.

Ecclesiae hierarchia notata.

Pſal. 92. 5.

Fides iungenda operibus.

bant: mundus vero attonitus & obſtupeſcens, illorum cedebat prædicationi, ſuiſque opibus, honoribus & voluptatibus valedicebat: ipſi patiebantur & moriebantur: mundus tyrannorum opera eos affligebat & in mortem rapiebat: ipſe nihilominus mundus victus & ſubactus eſt, & illi ejuſdem A expugnatores fuere & ſubiugatores, ſicut in eorum de Romano Imperio, quod ceu aliis potentius, omnia alia terræ imperio ſub ſuam potentiam redegerat, victoria licet videre. Circa quam victoriam dic mihi, cariſſime, quis adeo futurus ignarus & ſtupidus, qui non perſpiciat, prædicationis hujus, & ſpiritualis orbis terrarum ſubactionis auctorem ipſammet eſſe fortitudinem ac virtutem Dei? cum enim illius miniſtris rationes & induſtriæ humanæ deeſſent, talem tamen in eodem mutationem, fecerunt, ut nobiliſſimæ portionis terræ incolarum animos ad auſteram ſuam, quam docebant, doctrinam pertraxerint. Quid dein de tot Martyribus ac Virginibus tenerrimis dicens, qui delicias, B honores, etiam vitam ipſam contemnentes, me verum Deum eſſe confeſſi. omneſque veritates meas amplexi ſunt? Quid de tot illuſtribus Doctoribus, altiſſima quadam præditis ſapientia, qui quidquid olim docui, unanimi & admirabili quodam conſenſu confeſſi ſunt, etſi alter alterum non noſſet, & licet in diſiunctiſſimis ab invicem regionibus agerent, idem tamen ita ſenſerunt, ut ne in una quidem propoſitione Catholica à ſe mutuo diſſentirent? Quid tibi de continua illa Pontificum videtur ſucceſſione; quid de Eccleſiæ ſponſæ meæ hjerarchia; quid de ſancta ejus doctrina & Sacramentorum uſu, qui poſt tot ſæcula, quamvis à tot hæreticis, & infidelibus hactenus acriter ſit impetitus, integer & ſincerus, in una ademque C fide, quam fundavi, perſeverat? Si denique incorrupta ſanctorum meorum corpora, & miracula, quæ per eoſdem ad præſentem uſque diem operor, conſideres; quid aliud dicere poteris, quam fidei veritates & teſtimonia nimis quam credibilia eſſe, uti olim de eiſdem Propheta meus cecinit: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*, id eſt, veritates, quibus de te ipſe teſtimonium perhibes? Poſito vero, hancce te credibilitatem, nec non tot argumentorum & rationum fortiſſimarum, quæ ad te in divina fide, quam tibi dedi; confirmandum faciunt, veritatem evidenter perſpicere, gaude & exulta, dum hæc tecum ipſe, ad gloriam meam, & conſolationem tuam ſubinde recogitas. Hæc quidem de ipſo fidei aſſenſu dicta ſufficiant: porro quod ad virtutis hujus uſum & exercitium attinet, quo nimirum per fidem D bonos mores acquiras, tentationibus reſiſtas, gloriam mundanam deſpicias, & virtutum ſtudio incumbas; dare operam debes, ut in iis quæ ſe tibi offerent occaſionibus, utaris iis quæ te fides docet; atque ipſa magni facias, viſibilia cuncta & tranſitoria generoſe deſpiciendo. Si enim te mundanus honor, vel opes, vel corruptibilis pulchritudo alliciat, tuum ad cœleſtes honores, opes, & æternam pulchritudinem, quam fides tibi promittit, cor ſuſtolle, & temporalibus illis cogitationibus reſponde, eſſe te Chiſtianum, & ad meliora longè bona ac perpetua adſpirare. Ad hæc conſideranda animum tuum elevere ſtude, perque tam inæſtimabilis E felicitatis amorem ac deſiderium magna quadam conſtantia & animi robore omnes, quæ ſeſe offerunt difficultates, perfringes, atque ad æternam requiem tuam properabis.

CAPUT XXV.

De Spe.

Deus ipſa bonitas.

TOT tamque efficaces ſunt, fili mi, rationes, quas, ut in me ſpem tuam coniicias, habes, ut nullis humanis queant verbis exprimi. Sed cum divinam habeas fidem, quæ te illuminat, & haſce rationes proponit, eas ſæpius in mentem revocare & expendere, tam ad gloriam meam, quam conſolationem tuam debes; cum tantæ eæ ſint efficaciæ, ut ad quemcumque F animum languidum & imbecillem confortandum, & veræ vitæ amorem illi ingenerandum mirabiliter conducant. Ego ipſamet ſum bonitas, quæ bonorum ſuorum infinito quodam modo communicativa eſt; adeò ut ſicut ignis naturaliter ad calefaciendum & incendendum propendet; ita ego naturaliter ad bene ſum faciendum proclivis. Et conſequenter, uti ignis eo magis naturalem ſuam inclinationem ſequitur, quo magis calefacit & incendit, ita bonitas mea tum ſe magis ſibi credit ſatisſacere, quando plura & majora aliis communicat bona. Unde, cum peccatoribus, qui mihi malefecerunt, quam quidem potuerunt maximè, benefacere modus quidam benefaciendi ſit altior, & majoris G beneficentiæ ac bonitatis index, ſequitur in hoc me communicationis modo, humanitus loquendo, plus delectationis invenire: ut ſi in divinam majeſtatem meam, aliquod exultationis cadere incrementum & augmentum poſſet, magis ipſa exultaret, quando peccatoribus benefacit ingratioribus; quam aliis; ſicut ſi aliquis igni eſſet ſenſus ac velle, longe illi foret jucundius ſilvam viridem, quam ſtramenta arida adurere. Hæc æterna mea inclinatio & natura eſt; quæ etiam talis eſſet, qualis eſt, quamvis tua carnem mortalem cauſa non aſſumpſiſſem. Si autem ita ſe res habet, quidnam à me demum ipſe peteres, quod quidem ſaluti tuæ expediret & conſentaneum foret, quod non libentiſſimè tibi præſtarem, etiam ſi propter ſalutem tuam homo factus non fuiſſem? Quid boni tibi à me depoſceres, H quod non impetrares, etiamſi innumeris in me peccatis deliquiſſes? Nihil à Rege quodam offenſo peti poſſe videtur majus & impetratu difficilius, quam ut offendenti in ſe ignoſcat: alia quippe, quæ poſt datam veniam beneficia conferuntur, jam ei ut amico conferuntur, vel Regis gratiam adepto, in quo tanta non eſt repugnantia vel diſproportio. Ceterum ſi enormium peccatorum tuorum condonationem meæ eſſe noveris naturæ conformem, & magnam tum mihi voluptatem afferre cum nullis ea terminis circumſcribatur; quid non tibi de me promittas, ſi infinitam & dulciſſimam bonitatem meam conſideres?

Adae filii caeci, & fatui dicti.

Huic autem A rationi & argumento meo reſpondere aliud non potes, quam filios Adam & cæcos eſſe, & fatuos, cum confidenter & fiducialiter mecum non agant. Si verò ad hanc rationem etiam aliam validiſſimam adjungas, ſcilicet non aliam ob cauſam me hominem factum eſſe, quam ut infinitum tibi per infinitam hanc ineffabilis bonitatis meæ communicationem bonum adferrem, quid de ſpei motivis, quæ tibi ſuggeſſi, ſenties? Dic mihi, fili, quis me ad carnem humanam accipiendam impulit? quis me movit, ut deſcenderem paſſurus pro te, & pretioſiſſimo ſanguine meo te redempturus? Certiſſimum eſt, ſuaviſſimam illam me voluntatem, quam ab æterno habui, patiendi pro te, à me ipſo, ut dici ſolet, ac motu proprio, & non alterius alicujus inſtinctu impulſuque B habuiſſe, præſertim cum hic nondum à me mundus creatus eſſet. Ego te per viſcera immenſæ caritatis meæ, jam tum ab illa hora, etſi nemo tuum patronum apud me ageret, dilexi: incarnari volui, & non modò Deus Pater, Creator, & Dominus, verùm etiam cariſſimus frater tuus eſſe. Proprio hoc motu etiam pati & mori volui, ut ſalvarem te, æternorumque bonorum participem redderem. Si ergo per anticipationem alienum à me ipſe non exiſtimavi, miſericordiam tibi exhibere, idque quodam communicationis adeò mirabilis & ſtupendæ, qualis ſcilicet eſt humanam pro te carnem aſſumere, modo, cum alioquin te ſalvare potuiſſem hominem non induendo; C & hac etiam de cauſa ſanguinem & vitam impendi, quomodo de mea dubites bonitate, vel quomodo non eſſe queas ſecuriſſimus, omnigenum te à me bonum accepturum? Quid times? quid dubitas? non eſt quod metuas:

Chriſtus Deus Creator, frater, & Redemptor noſter.

habes quippe fratrem, qui Creator & Deus infinitæ ſit caritatis, qui te amavit, mortis ſudoribus quæſivit, & à ſervitute toto divitiarum ſuarum pretio impenſo coemere & redimere dignatus eſt. Invoca me, quia ego reſpondebo, tibique adero: ſi enim te quæſivi me non invocantem, quomodo me credere potes per conſolationem non adfore tibi, ubi me invocaveris? Nec eſt quod animum deſpondeas, quod imperfectus ſis, aut in multa peccata relapſus; niſi enim copioſiſſimas præſtare D homini voluiſſem miſericordias, ampliſſimum hoc tam incomparabilis pretii medium, quale proculdubio fuit ſanguinem meum effundere, ac pretioſiſſimam vitam pro te impendere non elegiſſem. Modicæ fidei, cur infinitam bonitatem meam ad conditionis filiorum Adam ulnam metiri ſatagis? Nimis quam certum eſt, eſſe vos homines crudeles & immites, cur ergo miſericordiam meam abbreviare & decurtare vultis? Audite potius Prophetam meum loquentem: *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* *Pſal. 144. 9.* Quid ad hoc dicis, fili dure? quid ſentis? Recordare chirographorum, quæ tibi velut à propria manu mea ſubſcripta tradidi, recordare inquam promiſſorum, quæ Evangeliſtis ego meis dictavi, E quibus bene me promiſi facturum omnibus, quotquot me inclamarent, eaque in Evangeliis expreſſa evidenter eſſe volui, ut duritiem & timorem tuum per oppoſitam benignitatis & miſericordiæ meæ abundantiam oppugnarem, & expugnarem. Omnibus quippe dixi: *Petite & dabitur vobis: quærite & invenietis: pulſate & aperietur vobis.* *Matth. 7. 7.* Quamobrem ſi adeò divitem promiſſionem ſponſionemque habeas, tibique divina Veritas ſuggerat, ut regni ejus portam pulſes, ſeque tibi aperturam polliceatur, quid times? quid exſpectas? Dicet forſan modica fides tua, eſſe te peccatorem, ac proinde ejus te clementiæ conſortem & compotem non futurum, cujus participant alii.

Peccatores ab eo quaeſiti.

Sed graviter quoad hoc erras: neque enim peccatores ſolos ab univerſali hac promiſſione excluſi; F immò verò eoſdem ſimul comprehendi, & non alia de cauſa in mundum veni, quam ut eoſdem quærerem & ad me reducerem; atque ut nemo parum fideliter ea, quæ ex Evangeliſta meo Matthæo produxi verba, interpretetur, illico ſubjunxi: *Omnis qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulſanti aperietur*: *Ibid. 8.* invitavi ſcilicet omnes, neminem excludens; ita quidem, ut, ſi peccator, qui etiam decem talentorum millia Domino debet, coram me ſe proſternens veniam roget, eam fit quamprimum habiturus; uti in Publicano, Maria Magdalena, aliiſque plurimis videre licuit.

Publicani, & Magdalenae iuſtificatio notata.

Neque volo, ut quoad hoc homines ullo modo de me ſordide avareque ſentiant. G Clementiſſimi quippe Patris mei gloria eſt & laus, benignum ſeſe erga Peccatores exhibere; nec non mihi ſingularis quædam voluptas eſt, non modò benigne amiceque eos excipere, verùm etiam amplecti & ſtringere, perinde ac ſi me nunquam offendiſſent, quin & honoratiſſimum in æterno regno meo illis locum dare. Non recordaris, dilectiſſime, quomodo inimici me mei calumniabantur obtrectantes, quod cum peccatoribus & publicanis familiariter agerem, & illorum partes defendendas ſuſciperem, proque iiſdem reſponderem? Conditionem meam modò non mutavi, neque altiſſimum illum miſericordiæ gradum amiſi. Cor itaque tuum eleva, & in me ſpera, non modò ut tua H tibi peccata condonem, verùm etiam ut in Chriſtiana te perfectione adaugeam, à quacumque te anguſtia & tentatione eripiam, omniaque quæ ad ſalutem tuam ſint conducibilia, quam liberaliſſimè elargiar.

Dei benignitas in peccatores.

Tam ſublime porrò te de mea ſentire volo bonitate & miſericordia, ut animum deiicere non peccatum modò eſſe credas, ſed etiam homine Chriſtiano indignam ſtupiditatem, etſi

Scripta An. 1609. quis tot ſolus peccata commiſiſſet, quot mare habet arenas. Divinorum ecce tibi Sacramentorum remedia præparavi, ut tecum amicitiam, quotieſcunque peccatorum te tuorum pœnitebit, gratiæ meæ cooperantem inirem, utque ad majorem gratiam & A ſanctitatem ſecundum unjuſcujuſque Sacramanti vim & inſtitutionem te promoverem. Ordinariis adhæc ego te viſitationibus viſitabo, tuique curam non aliam geram, quam unici ac dilectiſſimi filii ſui gerit mater. Da operam, cariſſime, ut juſtè vivas, & certiſſima quadam ſpe in me, qui tuus ſum cuſtos ac Redemptor, ſpera, & per nobiliſſimæ virtutis hujus robur ad beatiſſimam patriam tuam feſtina & curre.

CAPUT XXVI.

De Amore erga Deum.

QUam maximè, fili mi, te mihi, qui ſummum bonum tuum & æterna ſum fœlicitas, deſidero conjungere. Hac de cauſa B dulciſſimum illud & primum legis præceptum tibi dedi: Luc. 10. 27. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota animá tua & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Quibus verbis gratiſſimum quoddam deſignare volui ſacrificium, mihi à te ex omni eo quod es & potes, in infiniti illius amoris, quo erga te feror, compenſationem offerendum. Ut vero hoc mihi debitum, quod inprimis à te requiro, reddas, omnia illa honeſta motiva conſidera, quibus ad cujuſlibet creaturæ amorem pertraheris: & hæc ipſa modo quodam excellentiori, & infinities perfectiori in me invenies; & gratiæ meæ cooperare, teipſum ad ſummum bonum, à quo bona animæ, quæ tibi in terra amabilia apparent, derivantur, diligendum inclinans. Certiſſimum C eſt, omne quod in terra diligis, cor tuum per aliquam pulchritudinis, gratiæ, nobilitatis, divitiarum, magnitudinis, aliarumque id genus proprietatum excellentiam attrahere: ſiquidem hæ omnes aliquid attractivum habent. Si itaque has ego perfectiones modo adeò excellenti contineo, ut omnes infinita quædam in me ſint perfectio participatarum illarum perfectionum, quas creaturis meis ſecundum ſapientiæ meæ conſilium communicavi, operatrix; ſequitur, eadem te ratione, qua erga aliquam creaturam ob quamcunque harum perfectionum afficeris, tuum ad me cor ſuſtollere debere, & immenſæ illius diſtantiæ meminiſſe, D Deus pulchritudinis fons, & origo. cordi tuo dicendo, ſi hæc te creatura allicit, quod pulchra ſit, quanto magis divinæ gratiæ auxilio ad pulchritudinem divinam, à qua omnis creata hæc pulchritudo non aliter procedit, quam una aquæ gutta à mari infinito, amandam propendere debes? Eodem etiam modo aliis creatis perfectionibus ad cor tuum ad me elevandum, & infinitam nobilitatem, altitudinem, magnitudinem, ſapientiam, majeſtatem & gloriam meam diligendam uti debes; hoc tibi ut certum perſuadendo, & credendo, quidquid in cœlo & in terra amabile eſt, indignum eſſe, mecum ut cnmparetur, adeo ut ſi omnem gratiam, ſapientiam, & pulchritudinem hominum ſimul & Angelorum in unum idcirco conglobares, tantumdem E efficeres, ac ſi unum arenæ granulum cum infinito quodam mundo comparare velles. Dei attributa notata. Ego lux ſum candidiſſima, altitudo ſubliſſima, pulchritudo pluſquam ſuaviſſima, amor puriſſimus, divitiæ pretioſiſſimæ, potentia fortiſſima, ipſum denique ſummum & æteruum bonum & primum & efficaciſſimum divini amoris, quo ſeraphini cæleſtes ardent & flammeſcunt, objectum: ex infinita hac amabilitate mea dijudicare potes, cariſſime, quot ſis nominibus ad me ex intimo corde tuo amandum. perpetuoque mei recordandum obligatus, quo paria & digna magno hoc debito, quo gravaris, opera præſtare ſatagas, univerſam animam tuam in me, qui unicum bonum, refrigerium & gaudium tuum ſum, transferendo, ita quidem ut omnia apparentia, & inania, à quibus te allici ſentis, F contemnas, quo eorum loco veram & beatiſſimam felicitatem tuam, quæ in ſereniſſima facie mea videnda, amanda eaque in perpetuum potienda conſiſtit, obtineas. Hoc ſane motivum tam eſt ad te incendio divinæ caritatis inflammandum potens, ut propter hoc aliud quærere non deberes, homo quippe in creatura aliqua amanda aliud quærere non ſolet, quam ut digna ea ſit, quæ ob pulchritudinem, nobilitatem, &c. ametur, & ejus potiundæ & habendæ ſpes aliqua affulgeat; immo vero ſæpe etiam ſine ſpe hac ardentiſſime ea amari ſolet, ut paſſim & vulgo notum eſt. Quamobrem cum infinitam amabilitatem tu meam certo noris, ſpem adhæc perpetuo me fruendi habeas; cor mihi G tuum magno quodam affectu coſecrare deberes, ut in illo in perpetuum regnem. Sed ulterius ad ea motiva amoris deſcende, quæ tibi per dulciſſimum myſterium Incarnationis, vitæ, paſſionis & mortis meæ tradidi, quæ etiam feras immaniſſimas manſuefacerent, & adamantem emollirent. In veritate tibi dico, ſi alius quislibet homo, tibi ſimilis, vel etiam Angelus, milleſimam pro te partem præſtitiſſet eorum, quæ tua ego cauſa præſtiti, illi te in ſervum perpetuum addicere deberes. Cum autem me hominum & Angelorum Creatorem eſſe, meque tibi pluſquam patrem, matrem, ſponſum, & pluſquam ipſammet animam tuam fuiſſe conſideras; quid de infinito tuo mei H amandi, mihique ex omnibus animæ tuæ viribus ſerviendi debito dices? Minimum quid à Rege magno donatum magni fieri ſolet, & velut pretioſiſſimum haberi, quod donum ſit regium. Porro, cum tibi ipſe non jam minimum quid, ſed ipſummet ſanguinem, vitam & animam meam dederim, quem non erga me affectum declarare deberes? Noſti multis me annis in ſumma paupertate vixiſſe, contemptum

fuiſ-

Scripta An. 1609.

fuiſſe, & exagitatum ab omnibus; noſti laboraſſe me, vigilaſſe, ſudaſſe, denique pro te cruci affixum fuiſſe, quomodo ergo me non ardentiſſimo quodam & conſtantiſſimo amore proſequeris? Tua Ego cauſa feci, quod hactenus alius nec fecit, nec facere potuit; quamobrem ergo aliorum omnium recordaris, & mei unius ſolum es immemor? A Si alius quislibet, tametſi barbarus, tibi fame preſſo panem det, magno cor tuum erga ipſum amore & affectu ferri ſentis; & belluina quædam tibi videtur durities affectum reciprocum, & amorem erga illum non oſtendere. Quo ergo modo ad me amandum & deſiderandum non moveris, cum me indubitate noris tibi in cibum meipſum in diviniſſimo Altaris Sacramento; in quo æternæ caritatis meæ elucet incendium, dediſſe? Si autem aliquando fuiſſem in tibi benefacendo defatigatus, aliquam ſaltem intepeſcendi fragilitas tua habere occaſionem videretur; ſed cum antiquas etiam miſericordias ulterius velim extendere, & extendam, novis te beneficis indies comulando, & novis inſpirationibus, ut ſincerus & B intimus mihi amicus fores, excitando, quo te tandem ad beatiſſimam civitatem, in qua mecum regnares, conducerem; prorſus incredibile videtur, vel minimæ te ingratitudini, atque animi tepori locum dare poſſe, & in clariſſimæ lucis meæ medio caligare. Noli tam ſtupide errare, fili mi, amores terrenos, qui mortiferi ſunt poſthac deſere, & uni amori meo vitaliſſimo intende. Ego tibi in reciproco amore exhibendo fideliſſimus ero, & quidquid deſiderare potes boni, in me invenies, & quidem honeſtiſſimum, & utiliſſimum & jucundiſſimum: nec non veram & perfectam in me requiem & intimum animæ tuæ gaudium habebis. Dexteram mihi porrige, & C æternæ cujuſdam unionis pactum inter nos ineamus, & Dei vivi concordia, & caritas vivat.

CAPUT XXVII.

De Charitate, vel amore erga proximum.

IN novo & dulciſſimo teſtamento meo, fili mi, caritatem mutuam diſcipulis meis etiam atque etiam commendavi, velut proprium ſcholæ meæ ſignum proinde dixi: *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi diletionem habueritis ad invicem.* (Ioan. 13. 25.) Bene id intellexit chariſſius meus Evangeliſta Joannes, reciproci in proximum amoris præceptum toties repetens, ſatis ut oſtenderet, ipſum ſe cordi, velut quid mihi gratiſſimum, & ad divinam legem meam ſer- D vandam potentiſſimum, inſcultum geſtare. Sic & te facere oportet, cariſſime, tenerum & compaſſivum erga proximum cor habere ſtudendo, & non aliter in ejuſdem rebus te gerendo, ac ſi eſſent propriæ, nunquam ut in illo tolerando, conſolando & omni voluntatis promptitudine inſtruendo defatigeris aut pigreſcas. Memento quomodo cum meis me geſserim Apoſtolis, qui quamvis eſsent pauperes & indocti, infinita tamen quadam benignitate & manſuetudine cum illis ſum; illorum conſortium ut grave non ducendo, converſatus, & ad mortem uſque eos perſeveranter, & inſtruxi, & ſum conſolatus. Hoc ipſe ſequi exemplum debes, & noctu diuque intueri, E quot occaſiones quotidie occurrant; in quibus aut magnum in lucris ſpiritualibus pati detrimentum, aut perfectionis magnum acquirere theſaurum potes, ſi magna quadam vigilantia & cordis ſollicitudine fraterno amori colendo attendas. Conſidera, quonam Sancti mei & Religioſorum ferventium Congregationes hanc doctrinam modo obſervarint in quibus ſi cui vel è minimis dolet caput, reliqui omnes illum dolorem in ſe ſentiunt, compatiuntur, ægroque magna quadam ſuaviſſimæ caritatis demonſtratione famulantur, quod mihi inter omnia, quæ in toto orbe terrarum fiunt, & jucundiſſimum & cariſſimum eſt. Illa enim animi ad ſerviendum & ſe mutuo conſolandum promptitudo: ille laborum pro alio ſuſceptorum contemptus, & incommodorum perpeſſio, F quò aliis commodetur: illa hilaritas animi, quam quiſque, dum frater ſuus benè habet, dum ſpiritualiter proficit; dum per confeſſionem & prædicationem in ſpiritu progreditur, declarat; dolor item ille, quem vice verſa experitur, cognito fratrem tentari; vel quolibet alio modo affligi: ſollicitudo illa, ne quid à ſe fiat, quod alium offendat: illud animi gaudium, quod oſtendunt, quando invicem ſuavi & ſancta quadam communicatione & benevolentia, quæ amoris mutui ſit fomes, vident, aut viſitant: necnon aliæ multæ diligentiæ, ardenti quodam divinæ charitatis adaugendæ ſtudio peractæ, ceu holocauſta mihi ſunt medullata, & magnam benedictionum cœleſtium pluviam ſuper illas depluere Congregationes ſoleo, quæ charitatis meæ vinculo inter ſe unitæ & arctè colligatæ ſunt. G Singulari quadam conſolatione & voluptate mea inter illos commorabor, ac ſpiritualibus bonis illos, ut cariſſimos filios meos ditabo. Si itaque, fili mi, placere mihi velis, ac perpetuò duraturarum divitiarum tibi copiam comparare, non affectum bonum tantum erga proximum habere ſtude, nec communis illa bene volendi ei voluntas tibi ſufficiat; ſed ad ſingularia deſcende, & proximi tui infirmi, pauperis, tentati, ac deſolati neceſſitates reſpice, atque illum opere, & vera quadam amoris demonſtratione conſolari, & adjuvare ſtude; ita quidem ut, proximo in afflictione conſtituto, ipſe non H quieſcas, neve comedas, vel bibas unquam, quin proximum, qui cibo potuque indiget, participem tui cibi, ac potus efficias. Niſi enim ad opera ſingillatim deſcendas, pius ille affectus, quo multi erga fratres ſuos feruntur, non poteſt non eſſe ſuſpectus. Si amor verus eſt, non eſt otioſus; ſed ita ſe erga proximum gerit, ut erga ſeipſum: at-

Charitas erga proximum commendata.

que

Scripta An. 1609.

que hoc modo propriè ac perfectè charitatis præceptum adimpletur. Fac viſcera induaris miſericordiæ, & reſpice me, cujus intuitu, ac nomine proximus tibi diligendus eſt; corporale illi, ac ſpirituale auxilium afferto, atque operam da, ut ad beatum illum finem, vitamque æternam, propter quam ipſum creavi, perveniat. Efficaciſſima ſemper in me ad eumdem amandum motiva invenies, tametſi parum alioquin ipſe ex ſe ſit amabilis: ego enim, propter quem illum amas, ſum amabiliſſimus, & noſti ſummam te mihi, per hoſce caritatis actus voluptatem adferre. Vide, ut pro eo ores, illum modeſte ac ſuaviter alloquaris, nulla illum moleſtia afficias, illius conditiones ac mores patiaris, illum exhilares, confortes & ad vitam ſpiritualem perducas: ut ſimul tecum ſe mihi uniat, ac tandem ad veram & æternam vitam, in qua ſuaviſſima regnat dilectio, & ineffabilibus amoris divini voluptatibus amici mei perfunduntur, perveniat.

CAPUT XXVIII.

De Perſeverantia.

PArvum quid eſt, bene incepiſſe, fili, ac felicem ſemper progreſſum feciſſe, niſi ad finem uſque vitæ perſeveretur. Angeli omnes inceperunt benè; & me in puncto, quo primum ipſos condidi, dilexerunt: at poſt amorem illum Lucifer, ac multi illum ſecuti lapſi ſunt, & ſine ulla redemptionis ſpe in æternum perierunt. Ex hominibus quoque, qui naturaliter inconſtantes ſunt, conſtat, multos, qui ferreæ quædam columnæ videbantur, in æternum non movendæ, infeliciter mutatos, retroſpexiſſe, ac bona ſua principia peſſimo & infortunato exitu concluſiſſe. Beatus ille, qui viriliter certat, nullum humanis conſiliis, profanis, & carnalibus locum dando. Beatus, qui ita vivit, ut quotidie ſeſe incipere credat, & in illo boni ſui principii propoſito permanere procurat. Beatus, qui hactenus ſuo ſe minimè putat officio perfunctum, ſed quotidie eo in poſterum melius ſe perfuncturum proponit. Beatus denique ille, qui eorum, quæ hactenus fecit, obliviſcitur, (etſi raræ cujuſdam ſanctitatis ſint opera) & ad vocationis finem animum extendit, uti dilectiſſimus Apoſtolus meus Paulus feciſſe ſe ſcribit: *Quæ retro ſunt obliviſcens, ad ea vero, quæ ſunt priora, extendens me ipſum ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.* Ante quæ verba præmiſerat: *Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe:* quaſi diceret: Etſi quidem per Dei gratiam magna quædam præſtiterim opera, meum tamen in iiſdem pedem non figo, vel hæreo, quaſi qui ad metam jam pervenerim, nec quid, quod operæ pretium ſit, & quod maximi mea refert, feciſſe mihi videor, quamdiu viæ, quam ambulo, finem ac terminum non attingo. Ita ſcilicet Apoſtolus meus, & quotquot Apoſtolici ſunt viri ſentiunt. Unde, cariſſime, ſi de beato illo eſſe velis numero, retro noli reſpicere, & necdum te id exiſtimes feciſſe, quod pluris tua intereſt: nam ſi ad finem non perſeveres, omnia ſimul amiſeris. Da operam, ut per Sacramentorum, orationis, lectionis piæ, conſiliorum à ſervis meis ſuggeſtorum, aliarumque id genus rerum ſubſidia rem tuam agas: hæc enim ad tentationes, puſillanimitatem, animi languorem, ac faſtidium, aliaque viæ, quam iniſti, offendicula ſuperanda incredibile tibi robur addent. Et quoniam actualis perſeverantia gratuitum quoddam donum eſt, à me dari ſolitum, præter multa illa propoſita, ac reſolutiones, quas facere debes, ante ſcilicet moriendi, quam retroſpiciendi; ingens hoc donum inſtanter aſſiduoque à me poſce, quia tibi auxiliator adero. Itaque noli deficere, aut animum deſpondere, cariſſime; qui namque à me juvatur, quamcumque ſibi ſpondere victoriam poteſt. Noli imitari ingratos illos, qui dum à me in terram promiſſionis deducerentur, viæ longitudinem & id quod patiebantur pertæſi, deficiebant ac murmurabant. Terræ viventium fertilitatem magni te facere oportet, & hac exiſtimatione animatus ſteriles deſerti hujus regiones alacriter pertranſi. Recordare dulciſſimorum ac vivorum illorum verborum, quæ meis ego diſcipulis propoſui: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Quocirca perſevera, cariſſime, in vita bona, quam incepiſti, & ſi quando te defatigari & affligi ſenties, delitioſiſſimum illud epulum, à me tibi præparatum, conſidera. Lautiſſima hæc menſa non eſt mundanis, vanis, aut carnalibus, carnes Ægypti deſiderantibus, ſed validis, conſtantibus, & perſeverantibus bellatoribus meis, qui me in paſſione & aliis perſecutionibus meis comitantur, & generoſa quadam conſtantia, nequidquam propria frendente carne, difficultates omnes, pia quadam violentia (qua ſcilicet regnum meum cœlorum acquiritur) ſibi illata expugnant, præparata. Armata manu, cariſſime, ad jucundiſſimam illam Jeruſalem aſcende, nec ante quieſce, quam gratia & forti brachio meo juvante Reges Amorrhæos & Chananæos, id eſt, immanes ſalutis tuæ adverſarios ſuperaveris. Illuceſcet aliquando dies, dies inquam, nocte & umbra mortalitatis carens, in qua perſeverantiæ tuæ, graviſſimis quidem ante afflictionibus exagitatæ, at ampliſſima jam gloriæ corona remuneratæ, recordaberis. Tum demum perſpicies ingens tribulationum emolumentum, & quantum profit, in inconſtanti præſentis vitæ mutabilitate ſolidum ac conſtantem permanſiſſe; atque ineffabilis quædam & delicatiſſima in Deum vivum exultatio cor tuum penetrando occupabit. Curre itaque, & legitimè decerta, quia te exſpectant juſti ſcripti in libro vitæ.

Angelorum lapſus notatus.

Phil. 3. 13. 14.

Luc. 22. 28 29. 30.

Amorraeorum, & Chananaeorum ſignificatio.

ARS
AMANDI
DEUM

Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea: faciem tuam,
Domine, requiram. Pſal. 26. v. 8.

IN SEQUENS OPUS

SCRIPTUM ANNO MDCVIII.

PRAEMONITIO.

HOC quoque praeclariſſimum Opuſculum, feliciſſima Divini amoris experientia ſatum, Italice a Ven. Auctore ſcriptum eſt an. 1608. *eodemque Neapoli per Tarquinium Longum, deinde Venetiis per Bernardum Iunctam, & Socios editum; quod ex ſubiecta Ordinis facultate, his editionibus praemiſſa, patet : „ F. Ferdinandus a S. Maria Praepoſitus Generalis Congregationis S. Heliae Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Diſcalceatorum, Libellum hunc* de Arte Amandi Deum *a R. P. Fr. Ioanne a Ieſu Maria praedictae Congregationis Sacerdote Profeſſo compoſitum, & a probis Theologis perluſtratum, & commendatum, probo, ut de conſenſu Superiorum Typis mandetur. Datum Neapoli die 8. Maii* 1608 „

Quare obſecro, ut benignus Lector corrigere dignetur errorem, qui in praefixam ad marginem Chronologiam, uſque ad paginam 346. *inrepſit. Caeterum hoc Opus latinitatem donatum Tomo ſecundo inſeruerunt Colonienſes Conlectores, tum vero Ciſtercienſis quidam Monachus illud Hiſpanice vertit, & Caeſarauguſtae vulgavit an.* 1633. *Illud ſequenti perſimilis argumenti Commentario, quamquam longe ante exarato, heic praeferimus, quod iſtud ab Auctore ipſo praeferatur, & illius refecta quaedam, maturiorque tractatio ſit. Huic adnectitur ex Scriptoris diſpoſitione Appendix, quae quatuor amplectitur Epiſtolas anagogicas ad Chriſtum; quibus aliae conſequuntur praxes Chriſtiani hominis Deum ſummopere diligentis; tandemque coronidem Operi imponit induſtrioſum illud* Reſpirationis, & Inſpirationis Exercitium, *quod ex eius Vita retulimus Tom. I. Cap. XXXII. pag. XXX.*

VETUS AUCTORIS NUNCUPATORIA EPISTOLA

ILLUSTRISSIMAE, ET EXCELLENTISSIMAE D. D.

CONSTANTIÆ SFORTIÆ

SORÆ DUCI

NUNC PRIMUM EX ITALICO LATINE EDITA.

QUÆ Tuæ Excellentiæ inſident merita ſatis multa, quæ tamen ſilentio me Modeſtia Tua ſingularis præterire cogit, necnon quæ Tibi cum univerſa Congregatio Noſtra, tum ego imprimis, innumera debemus beneficia, ea ipſa ſunt, quæ me multis de cauſſis, præſertim vero grati animi titulo impellunt, ut Librum hunc meum Nomini conſecrem Tuo; quod ſane mei erga Excellentiam Tuam ſtudii obteſtandi mihi occaſio eſt, Tibi vero, ac ſub validiſſimo Patrocinio Tuo, pleriſque etiam aliis, qui Divinam amare cupiunt Bonitatem, calcaris inſtar futurum confido, ut ipſe Dei amor in dies proficiat & augeatur. Tenue igitur munuſculum hoc meum ea, quæ ſoles, humanitate excipias, & aliquot legendæ Opellæ tribuere horas digneris, ut quem mihi in ea præſtitui finem uberius conſequar; ſcilicet, ut legentium animi cum Dei corde vinciantur, qui te diu ſoſpitem, atque incolumem ſervet, ut opto.

Excellentiæ Tuæ

Servus in Domino
F. Johannes a Jeſu Maria.

PROLOGUS
AUCTORIS.

QUod ſervi Domini noſtri Jeſu Chriſti eum per animarum acquiſitionem converſionemque (qua re infinitæ caritati ejus nihil accidere poteſt jucundius, & qua, qui ipſum recreare vult, nihil credit præſtantius) glorificare ſummopere deſiderarent; hinc factum eſt, ut diverſis ſeſe ſtudiorum generibus applicarint, ut non modo per ipſam rerum ſubſtantiam, verùm etiam per earumdem diſpoſitionem, quin & per ipſos ſcriptorum ſuorum titulos talem in proximo fecerint fructum, ut Lectorum animos ſimul ad lectionem attraxerint, & delectarint. Quod uni ſapientiæ divinæ ac providentiæ, quæ animas cum fortiter, tum ſuaviter ad ſeſe trahit, quo eas ad finem, ob quem ab ipſa conditæ ſunt, conducat, ſuavitati acceptum referendum. Etſi àutem hæc Spiritus Dei dexteritas è plurimis virorum ſanctorum ac ſpiritualium, qui de variarum virtutum pulchritudine, & excellentia tractant, ſcriptis erui queat; nullus tamen eorum, qui leguntur librorum adeo virtutem hanc manifeſte declarat, atque illi, qui de amore tractant Divino; cujus rei ratio maximè eſt evidens. Omnis ſiquidem de rebus amatoriis diſcurſus communiter hominem attrahit: ergo cum de amore, qui præ reliquis amoribus & fortis & ſuavis eſt, diſcurritur, mirum non eſt, hìc magis quam alibi, Lectorum animos allici. Qua de cauſa, cum meæ unius, tum & Lectorum meorum animabus, pro modulo meo, quem ſentio, quàm ſit exiguus, cupiens prodeſſe, huic Tractatui conſcribendo animum applicui, confidens fore, ut divina bonitas ferreo & duro inſtrumento, ad amoris ſui aurum in multorum, qui ipſum amare volunt, animabus purgandum utatur; hoc autem ut fiat, eos neceſſe comprimis eſt methodum atque inſtructionem aliquam habere, quæ ipſos & illuminet, & ſimul ad in amore divino ulterius progrediendum vehementius inflammet.

Libri titulus & nomen eſt, Ars amandi Deum; non quod Dei amor arte comparari queat, utpote qui per ſolam Dei gratiam acquiratur, cùm charitatis, quam ipſe animæ infundit, ſit actus, per ſpeciale Dei auxilium, & concurſum etiam productus. Dicitur autem Ars, propter methodum ipſam, & præcepta, quæ ad amoris Dei perfectionem comparandam traduntur, qui amor per hujuſmodi præcepta & adminicula, poſt primam habitus caritatis infuſionem perficitur. Præſens itaque Tractatus, & Ars ad perfectum amorem conſequendum lucem præferet; qua re nihil in hac vita majus, dignius, ac ſublimius homo ſpectare, aut deſiderare poteſt.

Hac de cauſa à Lectoribus peto, ut animum vere Chriſtianum (hoc namque Chriſti imitandi deſiderium, ac propoſitum ad illos emovendos ſufficere queat) huc afferant, quo cum magno quodam amandi deſiderio hæc legant, ut jam inde ab ipſo lectionis initio divina iuvante gratia, Artem amandi Deum exercere incipiant.

VENERABILIS
P. FR. JOHANNIS
A JESU-MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI
CALAGURITANI
ARS
AMANDI DEUM

CAPUT PRIMUM.

DE AMORIS DEFINITIONE, ET QUID SIT AMOR.

Scrip.An. circ.1612. Ital. Idio.

CUM de nobiliſſima, juxtà & ſuaviſſima re nobis agendum ſit, de amore inquam divino, quò ante omnia ſubiectum & argumentum, de quo loquemur, Lector norit; non abs re futurum eſt, ſi ejus definitionem vel deſcriptionem
A praemittamus; in qua, ceu in tabula atque ſpeculo, quam fieri poterit attentiſſimè, amoris divini lector imaginem poterit contemplari.

Quæ me autem huc potiſſimum impellit ratio, eſt, quod ipſum amoris nomen communiſſimum quidem ſit, at ejuſdem cognitio rariſſima. Unde permultos videre eſt; qui cum amare ſe profiteantur & dicant, ac nihil non norint & ſciant, verum tamen amorem prorſus neſciunt, utpote cujus eſſentiam penitus numquam potuere cognoſcere, quod
B eam, quam oportuit, ejus cognoſcendæ ergô diligentiam ac ſtudium adhibere noluerint.

Amoris natura multis impervia.

Ingens ſanè hæc deceptio eſt: quoniam partim per effrenem naturæ corruptæ appetitum, partim ex cacodæmonis inſtigatione falſus quidam in mundo paſſim amor invaluit, eique eſt dominatus; qui magna quadam vi animas ad immortalem Dei pulchritudinem vero amore amandam creatas impulit, ut ſe ſenſuali corporum terrenorum amori in prædam darent: eſtque hoc, velut quoddam adulterium, quod tum admittit anima, cum infinito ſe intervallo ab amoris divini veritate ac puritate ſequeſtrat.

Hanc igitur ob cauſam graves ſcriptores, C
qui in ipſo tractatuum ſuorum exordio, & limine ante omnia ſubiecti, de quo pluribus poſt acturi erant, eſſentiam declararunt, imitatus; paucis, quid ſit amor, oſtendere conabor: præſertim quod ſciam, fore, ut vel hæc ſola cognitio, auxiliante Dei gratia, quam is liberaliter admodum communicat ei, qui ſincere & ex animo illum amare nititur, eum quem intendo fructum, ex parte cœptura ſit operari.

Itaque ut à definitione auſpicer, ſic amorem definio: Amor eſt quædam complacentiæ impreſſio vel motus, quam rei cujuslibet vel bonitas, vel pulchritudo in amantis D
anima cauſatur: Adeo ut hæc motio, excitatio, vel inclinatio, quam impreſſionem vocavi, vel complacentiam, quam res aliqua bo-

Amoris definitio.

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

A

Amor concupiſcentiæ notatus.

bona vel pulchra in anima producit, amor ſit. Unde ſequitur, quemcumque amorem ſemper rerum vel bonitatem; vel pulchritudinem reſpicere; atque hic proprius ejuſdem ſcopus & intentum eſt; etſi hic magna ſit facienda diſtinctio, quæ non mediocrem adfert lucem, tum ad verum amorem à falſo diſtinguendum, tum ipſam amandi artem addiſcendam. Diſtinctio autem & diſcrimen eſt hoc, quando res bona vel pulchra animæ placet, non tam ex eo quod in ſe eſt, quam propter voluptatem, ac delectationem, quam in ea anima invenit, vel inventuram ſe ſperat, purum hunc & propriè dictum amorem non eſſe, ſed quamdam proprii commodi ac ſuiipſius in materia voluptatum, honorum, ac divitiarum ſectationem, quam Philoſophi, ac Theologi amorem dicunt concupiſcentiæ: Sed illum ſolum verum, & propriè dictum amorem eſſe, quando res non ob delectationem privatam inde percipiendam, ſed ob bonitatis & pulchritudinis quam continet perfectionem, amanti placet.

B

Et impurus

Ex hac doctrina ſequitur, corporalis pulchritudinis amorem, qui diluvio terrarum orbem perire fecit, purum & ſincerum amorem non eſſe, ſed quoddam pecuinæ delectationis deſiderium (atque ita de pecuniæ amore, in homine avaro; & de honoris, in ambitioſo;) quod rem amet, non quidem propter ſe, ſed ob voluptatem, quam in eadem reperit: quæ ſi abeſſet, parvi faceret & res & perſonas, quas ſeſe amare oſtendit, Denique pars eſt amoris illius proprii, quo nimio quodam erga ſeipſos homines amore feruntur, omnia ad proprium quæſtum & commodum convertentes, de alieno bono nihilum laborantes.

Amicitiæ amor, verus.

C

D

Verus porro amor eſt ille, quem Philoſophi & Theologi amorem vocant amicitiæ, qui unicum rei amatæ bonum reſpicit, ſui vero prorſus obliviſcitur, Quod profectò & nobiliſſimum quid, & pretioſiſſimum eſt; & fructus, non terræ, quæ nonniſi ſpinas profert & tribulos; ſed paradiſi, quem in lege gratiæ ſecundus Adam, ex immenſa ſpiritus ſui ſuavitate, plantavit. Licet enim tam in lege naturæ, quam in ſcripta permulti generoſi fuerint homines, qui ex omnibus viribus ſuis dilexerunt; ille tamen ſpiritus, non tam illarum legum fuit, quam ſuaviſſimæ legis gratiæ, & æterni teſtamenti Jeſu Chriſti proprius. Unde manifeſtè colligere eſt, multò minus verum ac purum fuiſſe amorem illum, quem in amicis arctiſſimè invicem diligentibus, & in amore mutuo ad mortem uſque perſeverantibus profani celebrant ſcriptores; qualis fuiſſe traditur amor Pyladis & Oreſtis, Euryali & Niſi; verene autem res contigerit, an ſecus, parum refert. Corrupta ſiquidem natura nunquam eo pertingit, ut puro ſolius virtutis intuitu aliquid amet (uti in amicitia honeſta contingit,) ſed ſemper aliquod amoris proprii illicium vel occultè, vel manifeſtè admixtum eſt; ac propterea actus illi amoris amicitiæ, quos deprædicant Ethnici, (ut demus aliquam eos virtutis moralis ſpeciem habuiſſe) nunquam ad veri amoris, qui rei amatæ honeſtatem dumtaxat reſpicit, & illius bonum tantummodo quærit, puritatem pervenerunt.

Purus amor, divina charitas.

E

Hoc porro ſolum hic ſupereſt dicendum, purum hunc & verum amorem, de quo agimus, divinam caritatem eſſe, quæ infinito digna pretio judicanda, ardenter deſideranda, & ſumma animi contentione, quin & commodorum, honoris, ipſius etiam vitæ impendio comparanda: cum hæc ſola verus ſit amor amicitiæ, quæ arctiſſimam illam inter creatorem & creaturam unionem faciat; qualis nec inter duos fideliſſimos amicos haberi ſolet. Quod quanti faciendum ſit, evidentiſſimè Redemptor noſter Jeſus in Evangelio declaravit, illos in variis ejuſdem locis amicos ſuos ineffabili quadam ſuavitate vocans, qui divinæ caritatis, quam poſt hic deſcribemus, leges obſervant, declarans illam verum propriè dictum amorem eſſe.

F

Caritas quid?

Caritas altiſſima quædam qualitas ac virtus eſt, quam in intellectu præditarum creaturarum) quales ſunt Angeli & homines) voluntatem Deus Opt. Max. infundit; quam proinde ceu flammam quamdam ac lucem puriſſimam concipere & repræſentare poſſumus; qua voluntas ita ſupra omnia creata ſuſtollatur & elevetur, ut aliud nihil ei ſatisfaciat, quam ſolus Deus. Atque (ut verbo complectar omnes, quas humana adinvenire eloquentia exaggerationes poteſt) divina altitudo & majeſtas dulciſſimam quamdam affectuum, cum voluntate illa Dei, qui totus eſt charitas, ſchemate veſtita habet familiaritatem,

Virtus nobiliſſima dicta.

G

H

Nobiliſſima hæc virtus voluntatem modo quodam, qui omnem naturalem ordinem tranſcendat, diſponit; atque efficit ut quando fides, quæ in intellectu conſiſtit Redemptorem Jeſum illi proponit vel repræſentat, illam in ſeipſa erga divinam bonitatem aut pulchritudinem impreſſionem, excitationem, motionem, vel complacentiam recipiat, quæ verus amor eſt, uti ſupra diximus. Adeo ut animæ, præclariſſimæ hujus virtutis adminiculo quam gratiſſimum ſit, & maximè placeat, Deum Opt. Max. eſſe id, quod eſt, id eſt, maximum, altiſſimum, pulcherrimum, nec non omnibus aliis perfectionibus divinis frui, pluriſque hoc ſui, divinæ majeſtatis ejus intuitu, bonum faciat, quam ſi univerſi mundi imperium ſibi daretur, immo etiam incomparabiliter pluris, quam ſemetipſam, idque eo affectu & amore, ad quem omnis Angelica natura, ſuis nec potentiis, nec perfectionibus naturalibus unquam poſſet pertingere.

Amoris ſedes.

Excellentiſſimus porro hic amor in ipſa voluntate conſiſtit, etſi alioquin nulla in anima ſentiatur conſolatio; quinimmo is tunc eſſe ſolet perfectior, quando graviſſimis hæc opprimitur deſolationibus. Quod cumprimis notandum eſt; non quidem quam inter Theologos perplexa hæc & obſcura ſit quæſtio (nam admodum id facile & clarum eſt,)

ſed

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

ſed quia multi in hac re, in vero ſcilicet Dei amore diſquirendo dijudicandoque, graviter errant, & cum magno ejuſdem diſpendio anxiè ſeſe torquent.

Duplex caritatis actus.

Verum ut eum, quem quærimus amorem planè cognoſcamus, conſideremus oportet qualitatem illam aut virtutem divinam, quæ A caritas vocatur, quamquæ in flammæ ac lucis puriſſimæ imagine ſpectandam dedimus, duos è ſe producere actus, qui duo quodammodo ſunt fratres uterini, ſupra quam homo deſiderare queat, pulchri; amorem ſcilicet Dei, & amorem proximi: quorum primus divinam bonitatem & pulchritudinem in ſe ſpectat, & in eadem magis ſibi complacet, quam in omni bono ſuo: alter vero proximum reſpicit in ordine ad hanc ipſam bonitatem & pulchritudinem, illique quam maximè placet, ut illius proximus ſit capax, & hanc, ut tandem poſſideat, deſiderat: in quo verus illius amor conſiſtit. Quod imprimis notatum oportuit, ut ſic amoris erga proximum intelligatur proprietas, quo illius actus, qui ſumme neceſſarii ſunt, quoti- B die exerceri & practicari queant.

Amoris divini definitio ab effectibus.

Sed ne à duorum horum fratrum primogenito, amore inquam divino, recedamus, ſcire paucis volenti, quid ille ſit, aliud hunc non eſſe reſpondeo, quam lætari ac congratulari in eo, quod Deus ſit is qui eſt, eumque pluris quam reliqua omnia creata facere, nullum ei vel honorem, vel vitam, vel mortem potiorem ducendo; adeò ut pluris faciat aliquam ei voluptatem afferre, quam omne bonum tum temporale, tum æternum; eum verò offendere magis metuat, quam omne malum, tam temporale quam æternum incurrere, &c. Quicumque autem per Dei gratiam ita efficaciter cenſet ac vult, (in quo ardens quoddam conſequenter includitur deſiderium, quo velit, ut omnis honor, gloria, & omnium creaturarum cul- C tus, &c. Deo Optimo Maximo deferatur) etſi alioqui in extrema verſetur ariditate & derelictione, ac licet ab aliis, parum caſtis, amoribus undique impetatur, graviſſimeque tentetur, verum is, purum, ac ſincerum Dei amorem habet. Nullus autem hujus comparatione dari in mundo affectus poteſt, etiam in illis, qui (ut profani tradunt ſcriptores) præ nimia amoris vehementia in furorem & inſaniam verſi ſunt, qui verus dici amor queat; ſed nonniſi viliſſima quædam negotiationis ſpecies, excellentiſſimo illo amoris nomine prorſus indigna, ut colligere ex antedictis licet.

E veri & proprii amoris Dei cognitione, clariſſimum quoddam, ad multas, tam D illorum, qui ab amore Dei nimis quam procul abfuerunt, quam eorum, qui ad eum ſe quidem exterius oſtendunt accedere, purè tamen eum & ſincerè non quærunt, res dijudicandas lumen oritur. Scriptores quidem veteres, qui de amore ſcripſerunt, atque ut divina quædam ab omnibus habiti ſunt oracula (inter quos principem facilè locum tenet Plato) certum eſt, multa eaque egregia & præclara, quæ verò amori quadrent, dixiſſe; ſed hi ipſi quæ dicebant, planè perfecteque non intellexerunt, quod Jeſu Chriſti caritatem, ſine qua verus conſiſtere amor non poteſt, non habuerunt, uti nec fidei lumen, ſine quo nulla vera ejus haberi poteſt ſcientia, vel cognitio. Ideoque E ſatis ipſis fuit imperfecto quodam modo eum noviſſe, ut imprimis auctor ille parum fœlix, qui ſic amorem deſcripſit;

Plato.

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Ovid. Heroi. Epiſt. 1.

Quod ut demus verum eſſe; non is propterea tamen planè dixit, vel intellexit, quid ſit amor, ut ex iis, quæ ſuprà diximus, manifeſtum ſit. Ac tam ſcriptor ille, quam omnes, qui Chriſtum non cognovere, illegitimos ac laſcivos amores verbis, ac ſcriptis deprædicarunt, qui cum hac Arte noſtra nihil commune habent.

Adoleſcentularum amor qualis?

Cant. 1. 2.

Ibid.

Etſi imperfectus, non tamen contemnendus.

Quod ad illos verò, qui aliud ſcire, & ad verum ſe amorem tendere oſtendunt, ſpectat; quiſquis ſuprà dicta intellexit, facilè videbit multos, qui ſpirituales videntur, non ipſum amorem, ſed ipſam, quæ amo- F rem ſequi ſolet, fruitionem quærere. Rem ſiquidem amatam ſibi ipſis quærunt, ut ſcilicet ea potiantur, (quod aliud non eſt, quam ipſam fruitionem quærere) ſed purum illum intuitum non habent, quo nimirum velint, ut rei amatæ bene ſit, & fruatur, id eſt, gaudeat bono, nihil ut de ſeipſis ſolliciti ſint. Hi revera planè perfecteque purgati non ſunt; ſed de illorum ſunt genere, quos Spiritus Sanctus in Canticis Adoleſcentularum nomine deſignat dicens: *Adoleſcentulæ dilexerunt te.* Delectationem, & voluptatem Chriſti ſub olei, aut potius unguenti fragrantiſſimi effuſi ſymbolo antè ſignificarat, dicens: *Oleum effuſum nomen tuum*; deinde animarum incipientium, quæ à Chriſti ſuavitate attrahuntur, affectum per G illa verba: *Adoleſcentulæ dilexerunt te*, quæ ſubjungit, oſtendit. Doctrina hæc quidem veriſſima eſt; hic tamen amor imperfectus non omnino contemnendus eſt, qui paulatim purior, & liquidior fit, donec anima tandem eò perveniat, ut Deum propter ſeipſum amet.

Ut autem amoris divini ſubtilitatem puritatemque prout ſuprà propoſita definitio exigit, oſtendamus, ejuſdem puritatem in eo dicimus conſiſtere, ut anima de facto & reipſa omnem de bono ſuo, tam temporali, quam æterno, à ſe curam abdicet, itaque Dominus ei placeat, ut bono infinito, quod ipſe poſſidet, contenta ſit, atque illud ſicut ſuum proprium ita ducat, ut nun- H quam quid aliud extra ipſum quærat. Nulla vero re magis purificatur, & omnis deceptionis, quæ intervenire poſſet ſuſpicio magis aufertur, quam quod labores, infamias, & quodcumque mali genus pati deſiderat, quò hoc pacto aliquam Deo conſolationem adferat; nullum ut aliud præmium quærat, quam perpetuò illi aliquam conſolationem afferre.

Hoc

Scrip. An. circ. 1612.

Dei amatorum ſignum. A

Hoc nimirum divina illa caritas & amor eſt, quam mire deprædicavit Apoſtolus, dum eam operibus prodigioſiſſimis, nec non exquiſitiſſimæ ſapientiæ, quin & omnibus, quæ animo concipi darique queant, magnitudinibus præfert. Hoc eſt ſuaviſſimæ Jeruſalem, civitatis Dei viventis, conſtructio. Hoc ſignum Tau illorum inſcriptum frontibus, qui libro vitæ inſcripti ſunt. Hoc ſplendidiſſimus palatii Salomonici, è cedris Libani conſtructi, apparatus. Hoc reclinatorium ex auro puriſſimo, quod ſibi Filius Altiſſimi comparavit, dum ſeſe in præſepio ſivit reclinari. Hoc denique pretioſiſſimus theſaurus eſt, quem ſibi pauci illi ſapientes in terra morientium habitantes, omnibus rebus ſuis divenditis, comparare ſatagunt quò deinde in veræ & æternæ vitæ regionem ingredi mereantur. Hac de cauſa, qui eum, quem debet, è primo hoc capite fructum ſibi colligere vult lector, antequam ad ſequens deſcendat, aliquot elicere actus curet, quibus & Dei amorem magni faciat, & omnibus tum cœli, tum terræ divitiis eum præponat; quibus conceptis affectibus deinde ad ſecundum caput ingredietur.

B

CAPUT II.

De Primo Artis Deum Amandi præcepto, id eſt, de rei quæ amanda eſt electione.

Quid amandum?

JAM ſatis ſuperque declaravimus, quid verus & falſus ſit amor; primum autem artis amandi præceptum circa primum, quod in eo faciendum eſt (circa objecti ſcilicet, quod amandum eſt, electionem) verſatur. Eſt ſanè id permagni momenti, ſummamque mentis applicationem ac ſtudium exigit, ut quam fieri poteſt maxima perfectione fiat.

C

Hic ergo agitur, ut anima, cognito intellectoque jam quid ſit amare, eligat eum, quem amare vult, & hæc electio mature circumſpecteque fiat, quod ab hac omne animæ ipſius, tum bonum, tum malum dependeat. Hanc olim Elias Propheta Iſraelitis electionem proponebat hiſce verbis, *Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſi Baal, ſequimini illum;* quaſi dicat; Tandem aliquando electionem veſtram facite, *uſquequo claudicatis in duas partes?* ſtatuite utrum amare velitis Deum, & quidem ſine mora: neque enim diu hic hærendum, aut nutandum eſt. Gravis quippe quidam error eſt, ut ſuum homo ſuſpenſum cor teneat, nullum eligendo bonum, cui ſe totum & ex animo applicet. Sciebat haud dubiè Propheta, Baal Deum non eſſe, & aliud eos præter verum Deum Iſrael piè Numen eligere non poſſe; hac tamen propoſitione eos compellere voluit, ut ſinceram & cordialem electionem facerent, uti etiam poſt fecere.

3. *Reg.* 18. 21.

D

Multis Chriſtianis nutantibus & vacillantibus non malè hujuſmodi proponi propoſitio poſſet; Quouſque hæc durabit neutralitas, ut nec bene mundo, nec Deo ſerviatis? omnibus quidem vultis ſatisfacere, nemini tamen facitis ſatis, & in ſummo pereundi vivitis periculo, quod bonam, & quæ corde humano digna ſit, electionem neutiquam faciatis.

Amatoris ſapientis, & inſipientis diſcrimen. E

Ex hac autem electione magnum, quod inter amatorem ſapientem & inſipientem diſcrimen eſt, videre licet: ſapiens quippe rei dignitatem momentum ponderans, notanſque amorem primogenitum animæ eſſe filium, id eſt, primarium ac principalem ejus affectum a cujus nimirum bona directione ceterorum affectuum, & actuum ſuorum bonum dependet; maturè rem omnem perpendit, & quamvis à multis bonis & pulchritudinibus exterioribus ſollicitetur, non idcirco præcipitanter ab iis & improvidè ſeſe attrahi ſinit; ſed cautè rei finem reſpicit, & honeſtatem conſiderat; ne poſtea, cum in ipſo errarit principio, maximam jacturam incurrat & ſero plangat. Sic ſancta feciſſe legitur (ut quidem ſcriptores aliqui prodidere) Petronilla: cum enim illi ſponſus offerretur, humanitus loquendo, ſatis pulcher & amabilis, aliquot ad deliberandum petiit dies: videns autem, ſatius multò eſſe immortalem ſibi ſponſum deligere, ita in eo ſe propoſito geſſit, ut non multis poſt diebus eam ad ſe Dominus Jeſus evocaret, antequam animam illam, ab amore Jeſu Chriſti ſponſi ſui jam præoccupatam, alius quiſpiam amor occuparet. Idipſum & de S. Agnete dici poteſt, cui, cum electio ejus ſponſum quem mundus offerebat (etſi adoleſcentem illuſtriſſimum,) conſideraret, is, cum Chriſto Domino unico bono ſuo collatus, pabulum mortis viſus eſt. Idem de S. Alexio legimus, qui quod ſummo erga Chriſtum Jeſum amore ferretur, ipſa nuptiarum nocte, ſponſam intactam relinquendo, & temporalem nobilitatem & magnitudinem proculcando, Roma ignotus digreditur, ad loca ſancta profectionem inſtituens, plurimaque præſtitit mundo incognita, quod aliud non amaret, quam Jeſum Chriſtum. Id denique de omnibus virginibus pulcherrimis & adoleſcentibus lectiſſimis dici poteſt, qui cum per pulchritudinem carnalem, honores, & divitias temporales ad Dominum Jeſum negandum, & ad leges mundanas ſectandas provocarentur, altiſſimo quodam divinæ cujuſdam ſapientiæ conſilio maluerint vel naturalem per martyrium, vel civilem per ingreſſum in Religionem, mundique contemptum, mortem ſubire.

S. Petronilla. F

S. Agnes.

S. Alexius.

G

H

Humana imprudentia notata.

Eſt hoc conſilium virorum ſapientium, atque adeo corde hominis ad gratiam illam infinitam, & pulchritudinem divinam amandam creati digniſſimum: ſed ſtulti & inſipientes adeo in amando incoſiderati, & præcipites ſunt, ut prudenter non ſeligant, ſed ſine ulla electione in apparens & fucatum terræ bonum temere imprudenterque ferantur. Veritatis hujus teſtes ſint duo illi judices, judicio omni carentes, qui caſtiſſimæ matronæ Suſannæ ſtruxerunt inſidias: nec

Dan. 13.

non

Scrip. An. circ. 1612. Ital. idio.

non infortunatus ille Aſſyriorum imperator Holofernes, diaboli typus, qui, ut ſacræ commemorant litteræ, mox ut *ſandalia* Judith conſpexit, *rapti* ſunt *oculi ejus & pulchritudo illius captivam fecit animam ejus*. Et juſto Dei judicio factum, ut feminæ moreretur ſervus & mancipium: verè namque ad innumeram militum regendam multitudinem **A** ſatis judicii non habebat, qui tam cito, inconſulto imprudenterque, corporalis venuſtatis amore ſeſe ineſcari ſineret. Sanguineis autem lacrymis plorandum eſt ſtultorum id genus amatorum, & omni conſilio deſtitutorum, etiam inter Chriſtianos infinitum eſſe numerum; qui & eo errant gravius & intolerabilius, quo ad prudentiſſimam quamdam electionem faciendam majus à Deo lumen accepere.

Judith. 16. 11.

Stultorum amatorum copia.

Cum itaque ſtultorum amatorum tanta ſit copia, & è contra tanta prudentium raritas, credamus oportet, bonam quamdam electionem facere, rem eſſe excellentiſſimam, (uti & omnia rara ſunt) in materia adeo ſublimi ac divina. Hanc ob cauſam dare operam lector debet, ut de paucorum illorum **B** ſit numero, ſi in amore eſſe magnus velit; utpote quo nullum unquam majus excellentiuſve deſiderare bonum poteſt. Ut autem quam ſuaviſſime id fiat, tria notet capita vel puncta neceſſe eſt, que ad bonam alicujus, quem amare vult, electionem faciendam requiruntur, pulchritudinem ſcilicet, gratiam, ac ſuavitatem: primum ipſius perſonæ eſt; ſecundum in moribus vel actionibus; ſitum eſt tertium in verbis: ſi quis enim in tribus hiſce ſapienter eligat habebit quod intendit. Tria hæc puncta perſonam aliquam amabilem & eligibilem reddunt, ob id quidem quod in ſe eſt: aliud in ipſa electione notandum punctum, (quod erit quartum, ac de quo capite IV. tractabimus) ſcilicet ipſius perſonæ merita, eam **C** amabilem reddunt ob id quod cum aliis facit. Ob duos quippe reſpectus quis amabilis eſt, vel ob id quod in ſe eſt, vel ob id quod facit: & ad duo hæc capita quodlibet meritum reducitur.

Cap. 4. de divin. nominib.

Boni pulchrique definitio.

Ceterum primum quod eligendum eſt, ipſa eſt pulchritudo, que ab antiquis Theologis, atque inprimis à S. Dionyſio Areopagita, ipſamet credita bonitas eſt; quia, ut Philoſophi docent, *Bonum eſt quod omnia appetunt*; qua definitione ipſius boni vel bonitatis natura ſatis exprimitur: atque ideo dicendum eſt, vere id pulchrum eſſe, quod omnia appetunt. Et hinc facile apparet, quoad hanc partem, idem de pulchritudine, quod de bonitate, formandum eſſe judicium: **D** cum nemo non in ſe experiatur, quomodo ab ipſà pulchritudine attrahatur; utpote cui eadem ettractiva vis ineſt, quæ ipſi bonitati propria eſt. Tametſi autem certum ſit, multos ſæpe ſingulari quadam pulchritudine corporali donatos eſſe, qui animæ tamen bonitate carent, quinimmo interdum nequiſſimi ſunt; nihilominus verum eſt, ipſam etiam in his bonitatem vel perfectionem corporalem nihil aliud eſſe quam pulchritudinem: qua donati ſunt: qui etiam quoad animam pulchri eſſent, ſi eſsent boni. Adeo ut, ſi detur corporalis pulchritudo, etiam detur corporalis bonitas; ſi ſpiritualis detur pulchritudo, etiam detur animæ bonitas, cum, uti dicemus poſtea cum de Chriſti Jeſu pulchritudine tractabimus, pulchritudo non ſit aliud, quam partium, **E** virtutum aut qualitatum, quæ rem quamdam conſtituunt, proportio: ita nihil aliud eſt bonitas, quam quedam rerum ita conjunctarum, nulla ut illarum pars, aut circumſtantia, quæ ad integritatem vel plenitudinem ipſarum requiruntur, deſit, proportio.

Pulchritudo unde?

Ex hac doctrina manifeſte colligitur, pulchritudinem, & bonitatem idem quid eſſe: niſi quod pulchritudo neſcio quam magis animam delectantem attrahentemque ſuavitatem includat; atque hanc ob cauſam hic potius pulchritudinis utor nomine quam bonitatis. Porro ſi ante omnia & præ cæteris pulchritudo eligenda eſt, animæ autem liberum ſit, quamcunque voluerit, eligere; **F** quis non videat, extremæ cujuſdam dementiæ genus eſse, maximam omnium quæ inveniri poſsunt, pulchritudinem non eligere? Ita vero ſe res habet: cum certiſſimum ſit, pulchritudinem hanc unum quid cum bonitate eſse; adeo ut, ſicut extremum, foret malum ſummum, cum poſſis, bonum non eligere, ita extrema quædam ſtultitia foret, maximam cum etiam poſſis pulchritudinem non eligere. Unde efficio cum ſola Jeſu Chriſti Domini noſtri pulchritudo in ſummo perfectionis ſit gradu, & reliquæ omnes pulchritudines, tam hominum quam Angelorum, infinitis partibus eas inferiores ſint, ſequi, animam ſapienter alium ſponſum, quam Jeſu Chriſtum eligere non poſse.

Chriſti pulchritudo ſola perfecta.

Hoc autem verum eſse, id eſt, non **G** modo pulchritudinem divinam, ſed ipſam etiam corporis Jeſu Chriſti pulchritudinem, ſupra quam verbis exaggerari queat, pulcherrimam eſse; è quadam colligi poteſt manu, quam ipſe B. Virgini Tereſiæ de Jeſu Carmelitarum, & Carmelitanarum Excalceatarum fundatrici oſtendit; quæ, prout quidem illa, cui ſingularem hanc gratiam præſtare Dominus dignatus eſt, judicare potuit, ſumma quædam eſt illarum partium, quæ ad manum adeo perfectam, & ad candorem tam ſuavem, ut cor illi tam potenti imperio abſtulerit, ut nulli mundani oratores verbis id explicare valeant, componendum concurrunt, proportio. Porro ſi vel una manus; in qua vulneris à clavo inflicti illa adhuc rubedo apparebat, **H** & quæ ſupra pyroporum & rubinorum ſplendorem effulgebat, tantam, ob pulcritudinis ſuæ exceſſum, in anima una ſuſpenſionem cauſata eſt, quos non reliquas cauſaturas effectus putamus glorioſiſſimi illius corporis partes? quos non immenſam animæ ſuavitatem & pulcritudinem? quos non ineffabilem illam formam divinam? Non ſine

Viſum S. Matris Tereſiae.

ra-

Scrip. An. circ. 1612. Ital. idio. ratione igitur Altiſſimi Filio dicitur, *ſpecioſus forma præ filiis hominum*. Et merito Rex ille, ſecundum Cor Dei factus oravit, ut ampliſſimum quoddam inſtitueret regnum, Pſal. 44. 3. non quidem potentiæ, quæ homines conſternet ac terreat, ſed pulchritudinis, quæ attrahat & delectet. Hoc nempe inſinuant Ibid. v. 5. verba illa ſuaviſſima: A *ſpecie tua & pulcritudine tua, intende proſpere, procede & regna*. v. 4. Paulo ante dixerat, *Accingere gladio ſuper femur tuum potentiſſime*: id eſt: Jam, o potentiſſime Dei Fili, tempus eſt ut prælium ineas, gladium accingas, quo nempe hominum corda expugnes. Deinde exponens, quid ſignificare per *gladium* cupiat addit *ſpecie tua*: id eſt, gladius, de quo loquor, quo ſcilicet animas ferias & penetres, tua pulchritudo, & ſpecies eſt, & proinde cum ea, quam adeo non fugient, ut etiam ſuas ab ea vulnerari animas ſummopere deſideraturi ſint, *intende proſpere*, *procede*, perge ulterius, & *regna*.

Hæc modo ſufficiant, quoad doctrinæ de pulchritudine quæ eligenda eſt, ordinem, atque id è tribus illis punctis ſupra aſſignatis B primum eſt, ſed de eo in capite tertio pluribus agemus, & exactius.

Sequitur jam ſecundum, de gratia ſcilicet quæ eligenda eſt: per hanc autem intelligenda venit bona actionum vel geſtuum proportio, quæ à ſcriptoribus decorum appellari conſuevit & honeſtas: quia ſicut pulchritudo apta membrorum eſt proportio, ita Gratia unde? gratia proportio eſt actionum. Atque inde aliquem dicere ſolemus gratioſum, quando quæ agit, tanto agit decoro, & convenientia, ſive moveatur, ſedeat, ſive oculos coniiciat, &c. ut nullus aliquam in his diſproportionem, ſed magnam notet conſonantiam. Et talentum hoc, quod quibuſ- Quid? cumque libuerit, Dominus communicat, vulgo gratia dicitur, quod omnibus gratum C ſit, placeat omnibus. Nec aliquod inveniri excogitarique nomen poterat aptius, ad rem adeo ineffabilem, & amabilem ut quidam divinitatis eſſe videatur radius, ſignificandam, quæ ab intellectu creato viſa, illi minime poteſt diſplicere. Hæc itaque gratia, quæ etſi ſingularem nullam rem in qua conſiſtat inveniat (ſicuti pulchritudo, quæ partes aliquas corporis certas & determinatas habet) actionibus tamen eam quibuslibet, Dominus communicat, eique robur tam mirabile confert, ut ſi ipſa pulchritudini deſit, ad operandum hæc manca Amabilis valde. & frigida ſit, & è contra multi non pulchri, ſolum ob eam, quam in actionibus quas agunt, puta riſu, inceſſu, benevolentiæ, & amoris declaratione habent gratiam, D aliorum cordibus velut reges dominentur.

Porro ſi ita ſe res hæc habet, ut ipſa declarat experientia, quis non videt, Jeſu Chriſti gratiam, cuilibet gratiæ, etſi infinitis partibus perfectiſſimæ, quam inceſſu, ſeſſu, converſatione cum hominibus, intuitu, in amabilitate, majeſtate, ſublimitate, oſtendenda, & in qualibet alia actione ſua monſtravit præcellere? Hæc ſcilicet ſunt jacula & ſagittæ quas David celebravit, & laudavit, dicens *ſagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum Regis*. Pſal. 44. 6. Id eſt, Quam es, o Dei altiſſimi Fili, infinite Chriſtus infinite gratioſus. gratioſus! actiones tuæ & opera acuta quædam ſunt jacula, quæ corda inimicorum Regis patris tui convulnerant: ſpondeo, & aſſero tibi, populos ſub te caſuros, id eſt, E tibi ſe, ſuaviſſima gratiæ tuæ vi captos ſubjecturos & ceſſuros. Interdum magni alicujus Regis filius primogenitus, aut per feneſtram quamdam proſpectans, aut extra civitatem eques deambulatum concedens tantam in ipſa equitatione, locutione gratiam præferet, ut hunc tota civitas in januis, vel feneſtris ſuis ſpectet attonita, & omnium rerum ſuarum curam negligat, ſolo iuvenis illius heredis regni aſpectu intuituque oculos paſcens. Quemadmodum illuſtres in Aegypto filias foras prodiiſſe, & per feneſtras aſpectaſſe, graves quidam auctores prodidere, Joſepho per plateas tran- Nic. de Lyra in Gen. 49. ſuper illa verba, filiæ diſcurrerunt. ſeunte, quo extraordinariam illius gratiam & pulchritudinem coram intuerentur.

Si verum id eſt, certe Chriſtus Dominus F digniſſimus eſt, qui ab anima quapiam ob gratiam eligatur, quæ in omnibus, quas facit actionibus elucet, per quas ſcilicet monſtrat id, quod, quia ineffabile, ſilentio involvendum eſt.

Nondum erat Chriſti corpus glorificatum; & tamen ſuis converſandi, reſpiciendi, ignoſcendi, amplectendi, ſanandi, conſolandi modis, integros illud ad ſe populos attrahebat, qui ſuarum facultatum obliti, & domorum, eum etiam per deſertum ſequebantur. Nec eſt quod miremur: etſi enim homines vel ſaxei fuiſſent, cum tamen magna ſua conſolatione actiones illas graviſſimas vidiſſent, quibus univerſæ terræ Chriſtus Dominus dominabatur, emolliti fuiſſent, & ar- Chriſti adlectamenta. G dentiſſimè cum eo agere cupiiſſent: quin verò ſummopere demiror, quomodo ab illo vel abeſſe poſſent cum ſcirent quid faceret. Ut verò ad immediatas rationes deveniam; dic mihi, rogo, quis non amaſſet, ſeque attrahi ſiviſſet ab eo, qui modo per modum imperantis mari turbulento furentique indicebat ut quieſceret, & quod ſubito ad vocem ejus obſequebatur; modo ceu vitæ Dominus, & mortis; tam multos ad vitam jubebat redire, qui etiam confeſtim ad eamdem reſurgebant: modo tot paralyticos, leproſos, cæcos, tam eoſdem tangendo, quam non tangendo, ſuaviſſimis & humaniſſimis quibuſdam modis ab omni ægritudine liberabat?

Tunc Theatra fauſtis clamoribus reboant, quando gladiatorum aliquis inſigne ſtratagema facit, H & quodam fortitudinis actu omnium ſpectatorum animos ad ſe attrahit. Neſcio ſanè qui fiat, ut, cum Chriſtiani omnes illas fortitudinis, virtutis, majeſtatis Chriſti Domini actiones norint, & fidei oculis perſpiciant; ab ipſo tamen ſeſe pertrahi minime ſinant. Vidit Jonathas Davidem cum 1. Reg. 18.

capite & gladio Goliadæ in urbem revertentem; & aſpiciens qua juvenis ille generoſus gratia & elegantia procederet, ita ſubdito in ejus amorem ferri cœpit, ut eum, teſte ſcriptura, *dilexerit ſicut animam ſuam*. Ut vero ſuum teſtaretur ab illo cor violenter ablatum & ereptum eſſe, ſuis ſe veſtibus exuens eaſdem Davidi circumdedit, ut ex ipſis Jonathæ veſtibus pateret, illius animam in Davidis animam tranſiiſſe. Velim hic aliquantiſper lector hæreat, ſecumque recogitet, quid feciſſet, ſi corporeis Chriſtum Jeſum oculis videre meruiſſet, vel inferni potentiam compeſcentem dum iis ipſum animabus deſpoliavit quas captivas detinebat; vel, quia hæc ignota & abſcondita ſunt, ſi dicentem illum Lazaro audiſſet: *Lazare veni foras*; vel haud procul ab oppido Naim ad viduæ filium inclamantem, *adoleſcens tibi dico ſurge*, vel Jeruſalem velut Regem pacificum ingredientem, & tantam hominum multitudinem poſt ſe, ſuaviſſimo quodam imperandi modo attrahentem, cum omnes illi ut filio David acclamarent & applauderent. Si vero ulterius ſeſe ſuſtollere velit, cogitet quid ſenſiſſet, ſi eum in cælos cum nobiliſſima illa animarum præda, Angelorum miniſterio ſubvehi conſpexiſſet; deinde in hac ipſa majeſtate pluſquam altiſſima, quam ipſi cæleſtes Seraphini reverentur, & tremunt; necnon cum quodam affabilitatis, quæ inæſtimabilem erga quaslibet animarum, quæ ipſum ex corde dilexerunt ſuavitatem includat modo confidentem videret?

Ibid. v. 1.

A

Joan. 11. 43.

Lucae 7. 14.

Matth. 21.

B

Neſcio ſanè quid ad hæc addi amplius queat, niſi quotidie decantata illa verba *filii hominum uſquequo gravi corde?* Humanorum cordium durities & gravitas inde maxime exaggeratur, quod cum homines infinitum quoddam ad amandum motivum, & perſonam habeant gratioſiſſimam, infinita gratiæ perfectione donatam, ad terrenos tamen amores conſectandos eligendoſque ſeſe applicent. Melius revera eſt illud ſponſæ conſilium, dicentis, *Dilectus meus mihi, & ego illi*: id eſt, ut ipſe propter me eſt, & pro me ſeipſum dedit, ita ego me illi fideliſſima quadam reciprocatione, & amoris correſpondentia conſecro, & dico.

Pſal. 4. 3.

Cant. 2. 16.

C

Tertium, quod ad bonam electionem faciendam conſiderare oportet, ipſa loquendi ſuavitas eſt, & talentum, quam proinde eloquentiam, vel gratiam verborum appellare poſſumus. Si enim hæc cuipiam dos deſit, etiamſi ſummæ alioquin ſit pulchritudinis, & ſuis in actionibus operibuſque proferat ſingularem gratiam amoris hæc proportionem non mediocriter elidit & minuit: cum enim nullo non momento lingua agere debeat, ſanè niſi loquendi quædam adſit gratia & verborum, quid eſt hoc aliud, quam pulchritudinem, & operum gratiam vel decorum cinere quodammodo infuſo reſpergere? at qui ad duo illa talenta priora ipſam ſuavis, & gratioſi ſermonis dotem adjunget, næ is omne ad electionem de qua agimus faciendam, motivum habet. Suavis autem hujus locutionis perfectio, quam auctores *leporem* dicere ſolent, in particulari quadam, quæ animos quocumque voluerit ſuaviter attrahit, violentia, conſiſtit.

D

Lepor hic adeo rara dos eſt, ut non immerito Principes, ſi quem ea dotatum comperiunt, eum ſemper penes ſe habeant, & ceu oraculum quoddam colant; idque ob magnam, quam ex illius converſatione hauriunt, voluptatem & delectationem. Et præſtantiſſimi oratores quos unquam mundus habuit, hanc ſemper dotem plurimi fecere. & hac ipſi tum Reges terræ, tum eorum regna integra, in ſuam ſententiam & opinionem pertraxere. Denique lepos hic, & eloquentia non minori pollet in animis eorum, quibuſcum agitur, movendis efficacia, quam in animis militum, tempore conflictus, tympana, & tubæ, quæ ita eos erigunt, excitant, accendunt, & exhilarant, ut ſe etiam in præſentiſſimum mortis periculum, magna animoſitate magnanimitateque coniicere non vereantur.

Lepor rara dos.

E

Ad movendum efficax.

Hac porro veritate ſuppoſita certiſſimum eſt, neminem umquam tantam eloquentiæ perfectionem in mundo attigiſſe, quantam Redemptor Chriſtus habuit: utpote qui animos eorum, quibuſcum converſabatur, tam mirabiliter rapiebat ac ſuſpendebat, ut eos emolliret, inflammaret, eoſque ad ea facienda exſtimulando corroboraret, quæ omni ſua terreni oratores gratia eloquentiave nunquam illis perſuadere potuiſſent. Certiſſimum porro id eſt, ipſa Jeſu Chriſti, divinæ eloquentiæ Coryphei, verba, etiam tum cum inter mortales mortalis ageret, longè majora potentioraque effeciſſe, quam mundus ab aliquo fieri poſſe vel ſperet. Unde etiam nonnulli ſic de eo dicebant. *Numquam ſic locutus eſt homo*; alii uti D. Petrus, teſtimonium de iis darent omni exceptione majus: *Verba vitæ æternæ habes:* Et ſponſa in Canticis, dum rudi quodam & imperfecto modo dicit (*vox dilecti mei*) perfectiſſimè declaravit, eam ſponſo ſuo Chriſto vocem eſſe, quæ ceu gnomon ſit, cujus adminiculo majeſtatis & ſuavitatis ejus magnitudo perſpici queat. Hinc ſi quis eo, quo ex hoc mundo jam diſceſſurus erat tempore ex Apoſtolis quæſiſſet, cur tantum ac tam cordialem magiſtro ſuo abeunte dolorem ſenſumque præferrent, ſine ulla hæſitatione haud dubiè reſpondiſſent, interiorem illam, quam ſentiebant cordis amaritudinem, nonniſi è mira dulciſſimi magiſterii ejus ſuavitate proficiſci, utpote qui dulciſſimum divinæ dulcedinis mel in loquendo præferret. Hanc quoque veritatem ipſa teſtari potuiſſet Magdalena, quando ad Redemptoris Jeſu pedes ſedens, non aliter timebat ne inde eam ſurgere juberet, quo ſororem ſuam Martham miniſtrantem juvaret. quam ab aliquo timeri ſolet mors. *Quomodò putamus*: inquit Auguſtinus, *eam timuiſſe, ne diceret ei Dominus, ſurge & adjuva ſororem tuam?* & rationem dat, *quia mira ſuavitate tenebatur*. Hanc denique teſtari veritatem illa poterat mulier,

F

Chriſti eloquentia notata.

Joan. 7. 46.

Joan. 6. 69.

G

Magdalena, & Martha.

H

Luc. 10.

Serm. 27. *de verbis Domini.*

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Ido.

Luc. 11. 27.

quæ medias inter turbas, infinita illa violentia, quam Chriſto loquente in ſe experiebatur, agente exſurgens, exclamavit, *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti.*

B. Tereſia.

Quis vero ſecreta illa complectatur & enarret verba, quibus Rex ille pacificus jam immortalis, animas introrſum alloquitur? Sed in hoc nemo ſacrarium ingredi ſine magna A Dei luce poteſt; de me porro ipſe ingenuè profiteor, hac me eſſe luce deſtitutum: unum tamen illud dixero, quod & dicunt illi qui aliquam leporis illius divini, nec non ſuaviſſimæ illius violentiæ experientiam habuerunt, ſcilicet quamvis in tenebris palpabilibus anima agat, quamvis à turbulentiſſimis tentationum undis abſorpta ſit, quamvis etiam omni robore ac virtute interna amiſſa langueat, adeo ut truncus quidam, ſpiritus & vitæ expers, videatur; eam vel unum ſuave leneque Filii Virginis verbum audiendo, divina quadam luce irradiari ſerenitatem quandam cæleſtem, ampliſſimam de tentationibus victoriam, ac robur & conſtantiam talem acquirere, ut quædam reſurrectionis videatur ſpecies, haud diſſimilis ei, qua à mor- B tali nos vita, ad immortalem aliquando reſuſcitandos ſperamus. Univerſa porro, quæ hoc dicta ſunt capite, in unum ut colligam dico, ſi ad prudentem electionem, quam ejus, quem amare vult, anima facere debet, faciendam tria potiſſimum conſideranda ſint, pulchritudo ſcilicet, gratia, ac verborum ſuavitas, & nullus ſit vel eſſe poſſit, qui quoad hæc eligibilis magis ſit, quam ipſemet Redemptor Jeſus, & omnes creaturæ ſimul ad eum perfectionis in tribus hiſce capitibus gradum, quem ſolus ipſe poſſidet pertingere non valeant, ſequi, eum qui amare aliquem proponit merito, & ex æquo, alium, quem diligat, præter ipſum ſolum eligere non poſſe. Verum, quia horum trium capitum, aliquem amabilem & eligibi- C lem facientium, unum dumtaxat, ipſa inquam pulchritudo, nonniſi paucis indicatum eſt, & de eo pluribus agere, & per ſe ſtatuimus, ut eo nempe magis eluceſcat quantum quo ad hanc partem Redemptor noſter Jeſus amari à nobis mereatur, ſequenti capite latius exponemus.

CAPUT III.

De Jeſu Chriſti pulchritudine.

Chriſti pulchritudo infinita.

NON eſt conſultum, infinitam Jeſu Chriſti pulchritudinem cum aliis rebus non ita eminentibus confundere; cum ipſa fundamentale motivum ſit, quoad electionem anima, quam facere proponit, faciendam D excitetur; ideoque de hoc puncto methodicè & ordinatim agam. Et quoniam ipſa eſſentiæ pulchritudinis cognitio ad hoc inprimis neceſſaria eſt, (etſi ſuperiori eam capite in tantum deſcripſerim, quantum quidem ei loco ſatis erat) idcirco ejuſdem definitionem hic reſumam, quo eam accuratius declarem.

Communis pulchritudinis definitio.

Definitio ergo illius communis hæc eſt, *Pulchritudo eſt membrorum partiumve proportio cum quadam ſuavitate coloris.* Quod tantumdem eſt, ac ſi dicamus, ut aliquid pulchrum ſit ac dici queat, partes omnes neceſſe habeat bene ordinatas & diſpoſitas, & quidem ea proportione quam ipſum requirit, ita ut nullus in eo ſit vel exceſſus vel defectus, nulla quantitatis poſitioniſve inconſonantia, vel inconvenientia; inſit E adhæc ei certus quidam ſplendor quo fiat, ut hoc bene proportionatum corpus cæleſte quodammodo appareat, oculiſque omnium intuentium placeat, quandam neſcio quam per medium viſus ſuavitatem inſtillando.

Hæc ita explicata definitio, univerſalis planè eſt, inque omnibus rebus, tam animatis, quam inanimatis, corporalibus, juxta ac ſpiritualibus, veriſſima eſſe comprobatur: tametſi ejuſdem perfectio incomparabiliter ſit in rebus animatis major, quam in anima deſtitutis, multo etiam major in ſpiritualibus, quam omnibus corporalibus. Atque ideo, ut à rebus minus excellentibus ad alias in ſupremo excellentiæ gradu conſtitutas tranſitum faciamus, ab inanimatarum rerum pul- F chritudinis diſquiſitione incipiemus, lectorem ſemel in genere præmonentes, ut omni prorſus in re conſideret quid ipſum in ea attrahat, & delectet; qui comperiet, non aliud id eſſe quam omnium, quas conſpecturus eſt, rerum pulchritudinem.

Pulchritudo architectonica.

Inter res inanimatas, in quibus major elucet proportio, principem facile locum occupant opera architectonica; ita quidem, ut non raro vir prudens & gnarus rerum, palatium quoddam regium ingreſſus, & eo quo minus putabat loco, pulcherrimam fabricam & ſtructuram inveniens, præ admiratione quodammodo extra ſe rapiatur, & integras eidem contemplandæ & recontemplandæ horas ſine ullo faſtidio impendat. Qui ſi ro- G getur, quidnam hic demirans reſpiciat, reſpondet: fabricæ hujus pulchritudinem ſpecto, columnas benè ſciteque formatas, collocatas, politas, arcuatas teſtudines, æqua undequaque ſpatia, aream adeò bene quadratam, necnon feneſtrarum ipſarum numerum, proportionem, altitudinem, latitudinem & longitudinem, tam artificioſè ſymmetriceque compoſitam, quin etiam ſtructuræ artem, albedinem, &c. Vide ut nihil hunc ſpectatorem hic aliud rapiat, & ſuſpendat, quam ipſa partium ædificii proportio & ſplendor, id eſt, albedo, vel picturæ ejuſdem, & verbo ut dicam, ipſa fabricæ pulchritudo.

Et horrorum

Idipſum de bona ſcitaque hortorum diſpoſitione dici poteſt, H in quibus, juxta agriculturæ præcepta & artem, arbores æquo ab invicem ſpatio conſitæ ſunt, & æquali ſingulæ altitudine & latitudine excreſcunt, accedente bona & ordinata reliquarum plantarum ac fruticum diſpoſitione; addendo ad hæc, veluti horti membra & partes, ipſam viroris ſuavitatem & jucunditatem. Hæc

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

hortorum eſt pulchritudo, à qua nemo non ſeſe attrahi & rapi ſentit.

Exercituſque ordinati

A

Similiter in exercitu bene ordinato, ipſa partium proportio, ex diſciplina & arte militari, in apta acierum ac turmarum diſpoſitione, in militum eiſdem armis armatorum collectione, in ſuſtollendis, dimittendis, ad dextram vel ſiniſtram convertendis bellicis tormentis, exonerandis bombardis, atque in rebus aliis militiæ propriis conſiſtit: & ad hæc omnia, ipſum colorem, id eſt, vexillorum & armorum, puta clypeorum, & enſium fulgorem addentes, ipſam ex his exercituum pulchritudinem colligemus, quæ inter corporalia oculos delectantia & recreantia non poſtrema eſt.

Pulchritudo unde?

Tria hæc exempla evidenter oſtendunt id quod in ipſis dici pulchritudo poteſt, aliud non eſſe quam proportionatam partium ſymmetriam, & earumdem ſplendorem aut colorem: atque ipſum de qualibet alia re pulchra dicendum eſſe. Quod, juxta hanc doctrinam, unuſquiſque per ſe perſpicere in omnibus, quæ ſibi repræſentabuntur rebus poterit; quia hæc viam illi quodammodo ſternent, qua ad infinitæ pulchritudis, quam quærimus, intelligentiam perveniat.

B

Corporis humani pulchritudo deſcripta.

C

Ut autem ulterius procedamus, notandum eſt, trium ſupradictorum exemplorum, & aliorum id genus plurium pulchitudinem propriam adeo non eſſe aut genuinam, eo quod vita careant, ut tamen viva & propria intelligatur, conferre. Ut vero de hac nonnihil dicere jam incipiamus; tunc demum corpus aliquod humanum pulchrum eſt, & dici poteſt, quando integrum id eſt, nullum ut ei membrum aut pars deſit, & debitam quantitatem habeat, id eſt, nec nimis parvum ſit, nec nimis magnum, membraque habeat bene proportionata; adeo ut in ſitu & loco naturali invicem hæc convenienter apteque reſpondeant, ut nempe hoc illo non ſit altius, nec demiſſius, nihil diſtortum, aut alio quomodolibet modo extra locum, & modum, quem bona & ordinata naturæ compoſitio requirit, collocatum. Hoc impuri amoris, quo homines ardent, ſolet eſſe objectum, etſi ex ſe alioquin id ſit ad animam emovendam, & ad purum divinæ pulchritudinis amorem ſuſtollendum peridoneum; ſed effrenis appetitus à præſenti objecto ita ſe rapi ſinit, ut ipſi amatores mundi quidam velut idololatræ videantur, dum exceſſivo erga pulchritudinem corporalem amore feruntur.

D

Unde hominum amor impurus.

Affectus hic vitioſus in cauſa fuit, cur multi ſcriptores mira quædam & extraordinaria de corporibus, maximo animarum damno ſcripſernit. Cum enim ſua Altiſſimus providentia, in concupiſcentiæ humanæ remedium, feciſſet, ut nulla omnino invenirentur corpora, in quibus omnis illa pulchritudinis, quam ſupra declaravimus, perfectio inveniretur; ſuis ipſi ſcriptis & fictionibus quaſdam pulchritudinis hactenus numquam in mundo viſæ imagines depinxerunt, infinito quodam erga eas amore ſe rapi, atque earumdem velut mancipia ſe factos eſſe, declarantes. Nec modo illi ſcriptores, verum etiam non modica nobilium hujus ſæculi pars hoc affectu inſanivit, ſibique honori duxit, & gloriæ, ad alias tametſi inferioris conditionis creaturas ea dumtaxat de cauſa, quod corporali pulchritudine dotatæ eſſent, litteras & verſus mittere.

E

Mirabile profecto eſt, quantum pulchritudinis hujus corporalis in hominum corda ſit imperium; cum, ut innumeras prætereamus hiſtorias, quæ nimis quam notiſſimæ ſunt, multæ mulieres, quæ numquam ſeſe ſperabant evehendas, ob ſolam pulchritudinis dotem in Reginas aſſumptæ ſunt; quibus in caſibus mundus ipſe ſatis declarat, quam ſit corporalis venuſtatis mancipium. Neque vero mirandum eſt, hujus ſe illum imperio ſponte ſubmittere, cum eam ipſe ut quid pluſquam mundanum, ac potius ut cæleſte quid æſtimet, uti in pictura communiter fieri videmus. Siquidem artificioſiſſimi quique pictores, aliquam vitæ immortalis perfectionem depingere volentes, aliam ejus exprimendæ rationem commodiorem, aptioremque non reperiunt, quam pulcherrimum quoddam corpus, omni quam ferre pictura poteſt arte efformare: quo declaratur, nihil pulchritudine ipſa dari poſſe in omnibus rebus creatis aptius, ad ineffabiles cæli res, objectaque intelligenda, ac conſequenter eam cæleſte quid eſſe. Nihil porro ejus vim vehementiamque magis indicat, quam quod Spiritus Sanctus in Canticis indicare volens quo in ſponſam ſuam, id eſt animam, Deus Optimus Maximus amore feratur, quamdam corporis pulchri figuram, cui etiam ſuaviſſimi reſpondeant affectus, elegerit, quam interiorum divitiarum, erga quas divina ejus majeſtas incredibiliter ſe affici declarat, imaginem, & exemplar quodammodo conſtitueret; quaſi corporalis pulchritudo divinum quid ſit ad immortalem excellentiam, qua cor Dei attrahatur, deſignandum aptiſſimum.

F

Pulchritudo quid cæleſte

G

Beatorum quanta?

Viatorum imperfecta.

H

Hac conſideratione uti lector poterit, ut videat, quanta ſit corporum immortalium pulchritudo futura, cum etiam mortalis toti mundo dominetur, eique Reges omnes, & Imperatores terræ, partim ſuavitate, partim vehementia imperii ejus attracti, adeo ut nemo illi reſiſtere velit, faſces ſubmittant. Argumenti porro hujus vis hoc modo perſpicietur. Experientia conſtat, terræ hujus potentes, ſapientes, & fortes quoſdam pulchritudinis corporalis ſervos eſſe, & mancipia, quæ tamen in hac ſpecie ſua abſolutè perfecta non eſt, at potius multis imperfectionibus, interdum etiam notabili aliquarum partium deformitate permixta, atque interpolata. Quid autem eſſet, ſi corpus aliquod gloria donatum, ac conſequenter immortali quadam pulchritudine, quæ Dei civitate digna ſit, (quæ haud dubiè eſſet perfectiſſima, proportionatiſſima, & infinitè per ſplendorem Dei attrahens) dotatum homines viderent? Crediderim ſanè, laſcivos & impudicos, qui in carnales voragines ſeſe

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

præcipitant, omnem quamprimum carnalem gratiam repudiaturos, & corporis illius reformati, & ab ipſius Dei manibus condecorati pulchritudine inflammandos.

Si ergo corpus aliquod glorioſum, etſi omnium quæ in Dei civitate agunt in pulchritudine minimum, A repente univerſos homines ad amorem cœleſtem inflammaret, & infinitum iis terrenorum corporum, etiam pulcherrimorum, odium, ob nimiam ſuavitatem, & ſplendorem ſuum ingeneraret; quid de exemplari illo pluſquam perfectiſſimo, Redemptoris inquam noſtri Jeſu Chriſti corpore, dicemus? quis ulterius queat aſcendere? Porro inde uſque à corpore minus glorioſo, ad uſque ipſius Regis cæleſtis corpus, tot tamque infinita corporum glorioſorum interjecta ſunt millia, quibus ſi cœlum comparetur, ipſum tenebroſum futurum eſt, & ſol obſcurus, vaſta quoque pulchritudinis ſpatia; ut, dum de iiſdem vel cogitamus, vires nos deficiant, & verba. Qamvis autem tot non ibi eſſent virginum, & juvenum amabiliſſimorum agmina, B qui ceu vernantiſſimæ hortorum Dei vivi roſæ, & lilia, ad æternas delicias illius plantata, immenſi amoris incitamentum ſunt; utque tot alias Beatorum turmas, quæ omnem humanam intelligentiam tranſcendunt, omittam; quid de filia Sion, de illuſtriſſima Virgine Maria dicam, quæ *in veſtitu deaurato*, Pſal. 44. 10. juxta thronum Altiſſimi conſidet? Quam pulchrum ſit oportet corpus Reginæ illius Jeruſalem, quod univerſam *civitatem Dei lætificat*? Pſal. 45. 5. Omnes dimenſiones mathematicæ, omnes quoquæ arithmetici numeri huic pulchritudini explicandæ deficiunt; unde, quia ſublimiſſima quædam illius altitudo, & dignitas eſt, magnum ſane ac mirum non foret, ſi Lector infinita quadam admiratione ſtupeſceret, ſibique perſuaderet, majorem ſe admirationem concipere non poſſe. C Nam ut vere quod res eſt dicam, **Pulchritudo Mariae.** pulcherrimi illi Dominæ mundi totius oculi, & ſereniſſima illa frons, totius illius patriæ cœleſtis corda, & animos inæſtimabili quadam dulcedine ad ſe attrahunt, & æterni viroris campos, per quos tot Reges, & Imperatores, quot nimirum cœleſtis Jeruſalem, & delitioſiſſimi voluptatum divinarum loci incolæ ſunt, obambulant, ſuaviſſimo manna replent.

Exiguæ porro, & paucæ illæ pulchritudinis corporis beatiſſimæ Virginis laudes, magna auctoris ipſius, qui eaſdem deſcribit (quod mihi à clementiſſima illa cœlorum Regina ex corde rogo ignoſci) imperfectione indicatæ, tot capita complectuntur, tamque exacte ponderari, & excuti merentur, ut omnis ad has exponendas, concipiendaſve D terrena ſapientia impar ſit; & neceſſe foret, ut, quò de eis diceretur, quod revera dicendum eſt, ipſe qui tam perfecti operis, & creaturæ ſuæ dignatus eſt eſſe filius, oratoris, vel ſcriptoris partibus, & officio fungeretur. Quod cum ita ſit, quis noſtrum **Et Chriſti, omnium pulcherrima.** oculos intendere queat ad exquiſitiſſimam corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti pulchritudinem conſiderandam, quæ ipſam corporis Virginei pulcritudinem tanto antecedit intervallo, ut (quò clara ſatis ſimilitudine rem exprimamus) qui utramque inter ſe componere voluerit, ſplendidiſſimum cum parva candela vel lucerna, qua in terris utimur, E ſolem ſit collaturus. Quis credidiſſet unquam fore, ô ſapientia divina, ut in corpore carne, & oſſibus conſtante tanta pulchritudinis vis, tanta majeſtatis altitudo, tanta gratiæ immenſitas inhabitaret?

Qui itaque de Regis pacifici corporis pulchritudine loqui voluerit, **Et ineffabilis.** ante omnia confiteretur neceſſe eſſet, nihil ſe dicere ſcire, vel poſſe, quod tanto ſit dignum ſubjecto; & multo fore ſatius, & ſibi expedientius de ea tacere, & ſolum eam amare, niſi infinitæ hujus gratiæ laudandæ debitum, & obligatio, ejuſque declarandæ deſiderium, ipſos etiam balbos ad de rebus divinis loquendum compelleret. Atque id me hic facere profiteor, lectoremque exhortor, ut quod proteſtor, attente conſideret, ſcilicet, nihil planè ſcire me dicere, F ſed ſummopere dumtaxat ineffabilem pulchritudinem, quæ in Jeſu Chriſti corpore relucet, admirari. Quis enim dignè nobiliſſimam illam, quæ Patris æterni unigenam deceat, præſentiam: quis gratiam illam majeſtate, necnon ſuavitate plenam: quis oculos illos ſupra omnem cœli claritatem clariſſimos; quis pectus illud ſplendoribus æternis conveſtitum, in quo januam illam, & cavernam maceriæ videre eſt, in qua ſemper nidus, in quo columbæ à moleſtiarum **Eius pectus columbarum nidus.** terrenarum diluvio ſeſe ſubducentes, requieſcant, paratus patet: quis manus illas, ad divini amoris normam factas, rubris dulciſſimæ caritatis ſigillis ſignatas, quæ omnem cœli terræque nobilitatem ſub imperium amoris redegerunt; quis univerſas illas pulchritudinis Regis Salomonis in eburneo illo conſidentis ſolio, partes: quis inquam alias plurimas, quas tacere cogimur, pro dignitate, G & prout revera ſunt, æſtimare, & eum, quem merentur amorem illis perſolvere poterit?

Dicat Lector, ſi aut ſciat, aut poſſit, quoſnam, quando univerſa civitatis Dei aula, ardentiſſimi cujuſdam amoris deſiderio icta, oculos in ſpeculum illud puriſſimum figit, & veli illius, quo divinitas cooperitur, candorem perſpicit, cordialiſſimæ conſolationis ſenſus habitura ſit? quoſnam, quando horum glorificatorum corporum ſingulis, in laborum præmium dabitur hanc amoris prædam non modo videre, verum etiam tangere, & amplecti? O Iſrael quam magna pulchritudo, & gratia domus Dei! quam fœcunda & pinguia ſunt æternæ vitæ paſcua! Cur, ô corporalis pulchritudinis amatores, H & ſuperficialis gratiæ corporum adoratores, tam turpiter, & tanta cæcitate aberratis, ut puram, limpidamque Jordanis aquam relinquatis, quo turbidam, cœnoſamque fluminum Babyloniornm aquam obbibatis? Cur pecuinos veſtros appetitus non refrenatis; **Appetitus refrenandi.** præſertim cum noveritis, quam vobis quæſtuo-

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

ſum, & utile ſit, hiſce in furoribus patientiam & conſtantiam præferre, & ad veram pulchritudinem corporalem gloriæ aſpirare? Veſtrorum ſaltem vel corporum capiat miſeratio, ſi animæ vos non emoveant commoda: ac certi eſtote, ſuo veſtrum erga corporalem pulchritudinem affectum pabulo minimè defraudatum iri.

A

Sed ulterius in noſtro diſcurſu progrediamur. Dicet mihi aliquis forſitan, An ulterius, & adhuc aſcendere poteris? An non jam omnia dicta ſunt? & non omnis eloquentia deficere ſe hic ingenuè ſupra confeſſa eſt, etiam quo ad ea quæ jam ante dicta ſunt? Fateor quidem, ne ipſum intellectum, nedum linguam, huc vere pertingere poſſe; veriſſimum nihilominus eſt, quidquid hactenus dictum eſt, nihil quodammodo eſſe reſpectu ejus quod dicendum reſtat. Hoc tamen inter utraque diſcrimen eſt: ſcilicet de rebus ſupra indicatis aliqud commode dici potuiſſe, quod corporales ſint, & aliquam ipſi corporum notitiam habeamus; at de iis quæ reſtant, omnino nos non poſſe, niſi cum maxima imperfectione loqui, quod ſpirituales ſint, neque ea noſtra ſit capacitas, ut ea in hac vita mortali, prout revera ſunt intelligamus. Divina tamen gratia adjuvante noſtri ſequemur diſcurſus filum.

B

Supponendum hic, omnem corporis Dominici pulchritudinem à nobis hactenus declaratam, minimam eſſe ejus quæ in ipſo eſt partem; ſicut corpus omnium quæ in ipſo reperire eſt, ignobiliſſimum eſt. Supponendum adhæc, pulchritudinem interiorem, univerſaliter loquendo, ſine ulla comparatione, exteriori omni majorem, digniōremque eſſe: adeo ut non ſine ratione de filia Regis dicatur; *Omnis gloria ejus filiæ leges ab intus*: id eſt, omnis gloria & pulchritudo ejus, qui per gratiam divinam ad Dei filiationem adoptatus eſt, interior eſt; etſi enim exterius multa habeat, quæ corporalem pulchritudinem excedunt, omne tamen decus, & honeſtamentum exterius nihil eſt, ſi cum interiori pulchritudine comparetur. Præterea ſupponimus, pulchritudinem interiorem ad modum exterioris figurandam, & concipiendam eſſe; ſi enim aliter declaretur, non tam facile ea poterit comprehendi atque adeo, ſicut pulchritudinem corporalem quamdam eſſe diximus membrorum proportionem cum quadam ſuavitate coloris; ita ſpiritualem virtutum proportionem cum quadam ſuavitate divini ſplendoris eſſe diximus. Anima enim, cum pulchra eſt, id eſt, in ſtatu gratiæ, ceu ſpeculum quoddam eſt, in quo ſe ipſe Dominus qui ipſa lux eſt, contemplatur & conſpicit, atque ita animæ ſpeculum hunc ſplendorem reflectendo emittit, ſicut ſpeculum cryſtallinum radios ſolares, cum iis expoſitum eſt.

Pſal. 44. 14.

C

Corporalis, & ſpiritualis pulchritudinis definitio.

D

Hac è definitione & declaratione obiter paucisque indicata videri poterit, quanta ſit ſpiritualis pulchritudinis præ corporali dignitas & excellentia, & quod inter utramque diſcrimen. Quod enim virtutes infuſæ & præſertim gratia divina, ac virtutes Theologicæ, divini cujuſdam generis, & conditionis ſint, ac velut quidam divinitatis radii, neceſſario dicendum eſt, omnem corporalem excellentiam ac gratiam iis longè inferiorem eſſe. Quod adeo quidem verum eſt, ut non ſolum omnis corporalis, omnium quæ in terra vel cœlo ſunt corporum, verum etiam omnis naturalis, cum animarum, tum Angelorum pulchritudo; omnis, inquam, tam ea, quæ in naturæ humanæ corporibus, quam, quæ in omnibus animabus, (quantum quidem ad naturalem pulchritudinem ſpectat) & in univerſa natura Angelica (etiam quo ad eorum naturam, tametſi perfectiſſima ſit) invenitur ad unius animæ, tametſi inter eas omnes, quæ divinæ gratiæ & pulchritudinis Dei participant, minimæ, pulchritudinem non perveniat. Eſt hoc profecto eximium quid, & dignum quod mature accurateque perpendatur. Cum enim veriſſimum ſit, ſolam naturalem animæ pulchritudinem univerſæ corporum adeo in terris celebratorum pulchritudini præſtare; atque (ut ad Angelicam naturam veniamus,) minimum Angelum quamcumque naturalem animarum pulchritudinem excedere; ac deinde, ut per illos omnium hjerarchiarum ordines aſcendamus, donec poſt longum intervallum & ſpatium ad ultimos & ſupremos Seraphinos veniamus, in quibus tam excellens pulchritudo naturalis elucet, ut ſi homines vel unum intueri poſſent, omnium terræ amorum obliviſcerentur, & præ ſuo erga nobiliſſimam hanc creaturam affectu veluti ſuſpenſi hærerent; cum inquam veriſſimum ſit, in ipſa natura tam innumeros tamque mirabiles pulchritudinis eſſe gradus, quos divina ſapientia perfecit, mirabile profecto eſt, quod poſtquam omnem hanc pulchritudinem ſimul comprehenderimus, & in unum conglobaverimus, nec non ad hanc deinde omnem corporum glorificatorum, quam ſupra in tantum extulimus, pulchritudinem addiderimus, ac dein vel cum una ſola anima, quæ divinam gratiam & pulchritudinem ſupernaturalem habet, omnem illam comparemus; anima hæc, divinæ conſors naturæ facta, longe præſtitura ſit. Hic vero ſtupor augebitur, ubi ipſa pulchritudinis conſummatio, quam recipit anima, quæ in gratia erat, dum gloria coronatur, conſideratur. Proh quanti, quamque inæſtimabiles ſapientiæ divinæ ſunt theſauri! quantique refert, eos in vivis creaturarum, maximè intellectu donatarum, (quæ gloriæ Altiſſimi profunditatem, longitudinem, latitudinem, & altitudinem cantant, & declarant) libris legere! Davidi olim viſi ſunt, ipſi cæli corporei gloriam Dei enarrare, (*Cœli enarrant gloriam Dei*) & vere quidem: at quis non videt, quam infinitam cœli illi ſpirituales, de quibus loquimur, multo enarrent ſublimius?

E

Naturalis animae pulchritudo quae?

F

Varii pulchritudinis gradus in Angelica natura.

G

Pſal. 18. 2.

H

Poſtquam verò jam animæ, quæ in gratiæ & gloriæ ſtatu eſt, pulchritudinem ex parte conſideravimus, lector velim ſeſe con-

for-

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

fortet, & columbæ vel aquilæ à Domino pennas petat, quibus per illos animarum glorificatarum exercitus evolet, ſuaviſſimæ & delicioſiſſimæ illi ſocietatis Beatorum aliquando ſe adjungendo, & præ pulchritudinis magnitudine, nec non præ inæſtimabili conſolatione, quæ ab eadem ad ſe promanat, alta voce inclamando. Egrediatur itaque, & de choro in chorum, de hierarchia in hierarchiam, domus Dei & decorem, & ordinem, & conſonantiam admirando, evolare ſtudeat: ac Reginam Saba imitetur, cui dum palatii Salomonici apparatum & decorem ſingillatim contemplabatur, ſpiritus deficiebat præ ſtupore, quem terrena illa mirabilia conſpecta in ipſa cauſabantur. Petat hic ſpiritum Dei, qui ad ulterius procedendum, & tantum pulchritudinis exceſſum conſiderandum, & ſuavitatis divinæ impetum ſuſtinendum neceſſarius eſt.

A

Quis videre queat, non dicam illas inferioris chori animas, & Angelos, qui omnes ipſa divinitatis ſunt veſte veſtiti; ſed illos ſecundæ, ac tertiæ hierarchiæ ordines? quis pulcherrimam illam Thronorum, Cherubinorum, Seraphinorum, & Apoſtolorum, & illuſtriſſimorum Sanctorum, ac Sanctarum in gloria varietatem, vacua illa loca, id eſt, illas naturæ Angelicæ ruinas, quæ per Luciferi caſum aperta manſerunt, replentium? O viſionem omni conſolatione plenam! ô cordialiſſimi amoris vehementiam! in quantam ipſi pulchritudinis gradus magnitudinem adaugentur, quanto auctori ſuo fiunt viciniores! Latum ſanè & magnanimum quis cor habeat oportet, ad evolandum, & pulcherrimæ hujus fabricæ, quæ architecto Deo digna ſit, excellentiam dignè expendendam.

B

Angelorum apoſtaſia notata.

Quid dicam? Quomodo aliis explicem & declarem, quod ipſemet nequeo comprehendere? Tuos, ô anima mea, creata ut ſuaviſſima illa ſocietate frueréris, illa præſentia paſcereris, quæ delectat & viſcera confortat eorum, qui per vias vitæ inambulant, jam oculos ſuſtolle ad videndum, non quidem corpus, quod tibi ſuperius deſcripſi, ſed gratioſiſſimam illam Reginæ Sion, animam propitiatorium ex auro puriſſimo, Theſaurorum ſecretiſſimorum ſacrarium, & delitioſiſſimum Dei thalamum intuere illud pulchritudinis omnis miraculum; & ex toto corde tuo beatiſſimam eam prædica, ſicuti eam prædicant filiæ Sion, quando ipſa ſe contemplantur & amoroſiſſimis eam affectibus intuentur. *Videntes eam filiæ Sion, beatiſſimam prædicaverunt, dicentes, Unguentum effuſum nomen tuum.* O ſuaviſſimorum odorum fragrantiam, ab ea promanantem anima, coram qua ſeſe altiſſimi & glorioſiſſimi Seraphini humiliando proſternunt? Nefas fuerit hoc loco prætерire illam multorum Theologorum opinionem dicentium, Beatiſſimam Virginem ſolam plus in ſe habere gloriæ, quam omnes quotquot ſunt puræ creaturæ, ſimul: quod ipſum & de pulchritudine à pari dicendum, quæ tantam gloriæ facit abundantiam, & in tantam altitudinem excreſcit, ut ad eam etiam purgatiſſimi defœcatiſſimique Sanctorum oculi caligent, & conniveant, ut, quo minus conſpici conſiderarique nobiliſſima hæc Regina poteſt, eo ad ipſam amandam magis accendantur. Candidiſſima hæc anima omnia patriæ cæleſtis corda ad ſe rapit, ſibique illa per inæſtimabilis pulchritudinis ſuæ vinculum inſeparabiliter connexa tenet. Noſtram hic fatemur ignorantiam, & plura de ea dicere, ipſum eloquentiæ, cujus in civitate Dei uſus eſt, auctorem permittimus.

C

Cant. 6. 8.
Cant. 1. 2.

D

Beatiſſimæ Virginis gloria quanta?

E

Anima mundi domina, quæ?

Jam ad illam veniamus animam, quæ mundi domina eſt, cuique amoris tributum generoſiſſima quæque cœli ac terræ corda reddunt, animam inquam unigeniti Filii Dei, Verbo æterno hypoſtatice unitam; quæ propter arctiſſimam, & altiſſimam illam unionem, in ſummo pulchritudinis gradu eſt; quæ proinde nullis tum hominum, tum Angelorum linguis deſcribi, extollique poteſt, & omnem altitudinem etiam imaginabilem longe excedit, & bonitatis, pulchritudiniſque divinæ influxum (quem divina ſapientia ſola novit) immediatè recipit. Noſti, o cardor lucis æternæ, digne de te nos loqui non poſſe; quare inſufficientiæ meæ ignoſce, & ipſum voluntatis, quæ tua ipſius te lingua honorare vellet, ſacrificium admitte. Cedo victus; bonumque mihi eſt, ab infinita gratia & pulchritudine tua me ſuperari. Aliud lector non exſpectet, quam ut oculos quam poteſt maximè, attollat, ſecumque tacitus perpendat, omnem glorioſam, & animarum, & Angelorum, etſi alioquin innumerabilium ut arena maris, pulchritudinem ſimul conſtipatam & conjunctam, vix pulchritudinis dignam nomine viſum iri, ſi cum animæ Domini noſtri Jeſu Chriſti pulchitudine comparetur. Deinde, (quod quàm maximè admirandum eſt) etiam ipſam animæ Beatiſſimæ Virgins Mariæ pulchritudinem nullam quodammodo eſſe, cum animæ Unigeniti Filii Dei pulchritudine collatam. Quid igitur amplius dicendum reſtat? quid in his aſcenſionibus decori domus Dei facimus? ô verè beatos illos, qui mundo ſunt ad pulchritudinem Filii Virginis, & contemplandam & amandam corde!

F

G

Animæ Chriſti pulchritudo.

Maxima haud dubiè ſunt illa, quæ ſuprà non tam explanavimus, quam paucis indicavimus, quò aliquam rationem, quæ ad perfectionum divinarum contemplationem intellectum exciet & ſuſtollat, inveniremus. Unde vanum eſſe videatur, ulterius procedere velle; tum etiam ſupradictorum minima nullis exponi verbis queant: ut taceam, rem ipſam nos experiri, nulla tantæ ſublimitati exponendæ paria verba, conceptuſque reperiri; nam ſunt, fateor, & quam maxime mirabilia, & ſumma. Hoc ſaltem conſtat, quæ ſupra diximus, ſi in unum etiam ita conglobentur, ut ne unum quidem excludatur, nihil omnino eſſe reſpectu eorum,

H

Scrip. An. circ.1612. Ital. Idio.

rum, quæ adhuc de illis dicenda reſtant, & nos de illis vix dum quidquam dicere incepiſſe: adeò ut jam ipſe retro ad principium redire & repetere dicta, ſi hoc juvaret, poſſem; ſed cum & id fruſtra futurum eſſet, procedam ulterius ad proferendum ea, quæ divinus mihi Spiritus communicabit. A Quare divinam obſecro bonitatem, meum ut intellectum illuminare dignetur, quo vel aliquod magnitudinis illius veſtigium dicere queam, vel oſtendere.

Tenebras igitur ingredimur ſole ipſo longè luminoſiores; ingredimur in arcana illa Dei, *qui poſuit tenebras latibulum ſuum*: Pſal. 17. 12. hactenus enim non niſi velut ad quoddam immenſiſſimi palatii divinitatis Chriſti Domini noſtri atrium pervenimus; immo omnis noſter labor, & diligentia quaſi in minutiſſimæ arenulæ in maris littore poſitæ granulo expendendo verſata eſt; jam vero ipſam cœli empyrei circumferentiam metiri ſatagimus; ad quam viator quis, tametſi, magnos in eundo Similitudo. faceret paſſus, à terra hac tendere aggreſſus, ne multis quidem annorum millibus pertingeret: B ſed tam hæc ſimilitudo, quam omnes reliquæ, quas intellectus creatus adinvenire poteſt, inſufficientes admodum ſunt: cum certiſſimum ſit, omnes magnitudines, quas hocce capite expendimus, multo minus in comparationem, & concurrentiam cadere poſſe cum ea quam dicere intendimus, quam ſi minutiſſimæ arenæ granulum cum cœlo cœlorum quod omnia complectitur, & Electorum habitatio eſt, conferretur.

Ut hoc autem juxta capacitatem noſtram intelligamus, quædam præmittenda differentia eſt inter finitum & infinitum: finitum ſcilicet eſſe, ad quod ſemper aliquid perfectionis addi queat, ſaltem intellectu, qui plures perfectionis gradus concipere poteſt, infinitum vero eſſe, cui nihil addi valet, id Finiti & infiniti natura & diſctimen. C eſt, quod amplius creſcere nequit, & ultra quod intellectus, in ſpecie vel natura ejus, tranſcendere non poteſt: Verbi gratia, ſi linea aliqua aut regula, etſi longiſſima, finita ſit, ulterius protendi ipſa, & ab intellectu duplicari triplicarique, &c. concipiendo poteſt: at ſi infinita eſſet, non modo revera ulterius longiuſve protendi non poſſet, immo ne intellectus quidem ſciret vel poſſet ulterius currere: cum certiſſimum ſit, eam, ſi cogitationis diſcurſu aliquis ejus inveniri terminus aut finis poſſet, infinitam non fore. Ex hac doctrina, adeo in bona philoſophia fundata, diſtincte & clare admodum colligi poteſt, ecquod ſit inter omnem corporalem & ſpiritualem quarumlibet creaturarum pulchritudinem, & increatam illam Jeſu Chriſti, diſcrimen: D Creatae & increatae pulchritudinis diſcrimen quia, quamvis omnis omnium creaturarum pulchritudo in unum collecta ab ingenio inperceptibilis videatur, & intellectus ipſe, ſi per gradus ejuſdem aſcendere contendat, defatigetur; certiſſimum nihilominus eſt, cum, à gratia & luce divina adjutum, ſi in cogitando perſeveret, ulterius ſemper aſcendat, tandem ad omnis creatæ pulchritudinis finem ac terminum perventurum, & theologicè cogniturum in divinæ potentiæ ac ſapientiæ manu fuiſſe, & eſſe, alias creaturas longe & perfectiores, & pulchriores, quam ſint omnes quas condidit hactenus, creare: immo vero (quod cum anima perpendit, deficit extra ſe rapta) ſola plus pulchritudinis in ſe habeat, quam omnes ſimul quæ cum in cælo, tum in terra ſunt, E creaturæ, nec in ea formanda ipſum ullatenus laboraturum, immo vero infinita quadam facilitate creaturum.

Oculos porro, cum validiſſima, quadam cordis elevatione levemus, & intellectu omnem omnium quarumlibet & creaturarum, (etiam Beatiſſimam Virginem & Chriſti Domini animam ſimul includentes) perfectionem, & admirabilem pulchritudinem comprehendendo, ab hoc oceani littore ſolvamus, quo in infinitiſſimum illud divinæ pulchritudinis mare ingrediamur. *Domine conſideravi opera, tua & expavi.* Quomodo ergo mihi vires ſufficiant, ut immenſiſſimum illorum opificem, & factorem ingrediar! O ſapientia Altiſſimi, veni ad docendum, F me viam prudentiæ. Ad hunc ingreſſum tremiſcunt, fatiſcunt, & incurvantur ſapientes, & potentes non modo ſæculi hujus, verum etiam cœlorum, qui ſunt orbis quodammodo montes & colles. Locum quippe hic habet illud quod legimus, *Incurvati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus*: Hab. 3. 6. ipſi ſcilicet Seraphini inclinantur, ſuumque vultum, propter ſplendores in ipſis viæ ad æternitatem initiis emicantes obnubunt. Te, o mare ſpatioſiſſimum in quod omnes magna cum ſuavitate & conſolatione ſua ſubmerguntur, ex intimis animæ viſceribus rogo, facultatem mihi ut concedas, qua in te abſorberi merear, & quæ deſidero dicere queam!

Conſideret Lector, quomodo divina pulchritudo eſſentialiter talis ſit, quodque ipſa G Deus ipſa beatitudo. in ſe naturaliter, non modo gratioſiſſima ſit & ſuaviſſima, ſed ipſamet gratia & ſuavitas; & quod Deus optimus maximus, cum ipſa ſit beatitudo, per illius ſuæ pulchritudinis, lucis illius pluſquam puriſſimæ, maris illius amoris tranquilliſſimi, candoris illius æterni, abyſſi illius deliciarum, quæ omnem cogitationem, & intellectum excedit, nullumque ſibi, præterquam ſolum Dei intellectum, parem habet fruitionem, ſit beatiſſimus. Porrò ut aliquem boni hujus inæſtimabilis æſtimandi modum tradamus, ſupremum omnium Seraphinorum, intellectu ſuo velociſſimo quemdam ſupputationis & calculationis ea qua dicam ratione modum inire ſupponamus. Fingamus inquam, H hunc Seraphinum omnem omnium creaturarum inanimatarum, & animatarum, corporalium, & ſpiritualium, vim naturalem, & gratuitam, quam glorioſam pulchritudinem in unum colligere, quin & ipſam Chriſti Domini animam ſimul hac comprehendere & includere; & die integro hanc ipſam omni intellectus ſui velocitate continenter conduplicare, & multiplicare, ita quidem,

ut

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

ut proxime ſequens numerus ſemper omnes numeros præcedentes duplicet. Dic mihi, quid ad diei hujus finem dicturi ſumus? quot millenis partium & auctionum millibus hæc pulchritudo increverit, cum minima, quam duplicandam propoſui & multiplicandam, ſit omnis illa pulchritudo creata, A nec non Beatiſſima Virgo Maria, & anima Jeſu Chriſti? Quid vero tunc diceremus, ſi eo in puncto, quo Seraphinus ille omnem hanc ſuam multiplicationem abſolviſſet, divina majeſtas immediatè, eo ipſo Gen. 1. imperio, quo olim dixit *fiat lux*, diceret, fiat ita, & omnem hanc creaturam pluſquam altiſſimam & prodigioſiſſimam crearet? Supputemus quidem hæc vel dimetiamur; ſed quantum adhuc diſtamus, ut ad ipſam Dei pulchritudinem perveniamus? quid de te, ô myſterium vere reconditiſſimum, dicam?

Unum hoc dicam, Seraphinum ſcilicet hunc, poſt laborem conduplicando impenſum non plus adhuc feciſſe, quam ſi ipſos pulchritudinis gradus nondum enumerare cœpiſſet, B in quantum ſcilicet ipſam divinæ pulchritudinis magnitudinem vult dimetiri. At Chriſti pulchritudo inæquabilis. dicet aliquis, Non feſtinemus, plus illi temporis & ſpatii ſupputaturo concedamus; anno nimirum integro intellectu ſuo celerrimè diſcurrat, & illos numeros numerorum anni emenſo ſpatio conduplicet; erit hauddubiè, Domino ad ſingulorum dierum finem, omnem illam pulchritudinem quam intellectus ille comprehenderit, creante, id eximium & excellens quid. Reſpondeo, erit id quidem quotidie majus, ſi quidem creaturas reſpiciamus; ſed, quantum ad divinam ſpectat, non plus præſtiterit quam ſi nondum conduplicare cœpiſſet. Immo etſi Seraphinus hic plurimis annis, etiam centenis, millenis, ac centies-millenis annorum millibus velociſſime currendo, & per intellectum volando, C ipſos pulchritudinis gradus ingeminaret, ipſa etiam potentia divina, ad eam pari velocitate creandam concurreret; certe poſtquam tot annorum millionibus rota circumacta erit, in ipſo adhuc verſabimur initio, & nulla tum inter divinam Chriſti Jeſu pulchritudinem, & hanc futura comparatio. Tu, ô civitas Dei altiſſimi, à lucis æternæ ſplendoribus illuminata, noſti quam ſit quod dico verum: cum autem hanc ipſa veritatem noris, & immenſiſſima hac ſuavitate perfruaris, ſine fine exulta, & pro nobis qui in tenebris & umbra mortis habitamus, intercede, ut in jucundiſſimæ habitationis tuæ ſpe per terræ hujus deſertum ambulemus.

Videte, ut à modo omnim imperfectiſſimo ad diſcurſus noſtri jam finem pervenerimus D ſcala quodammodo facta, per cujus gradus anima, ad Jeſu Chriſti, in quantum homo & Deus eſt, pulchritudinem ſpeculandam aſcendat: ut nimirum ipſa, argumentorum pondere convicta, videns, nullum eſſe, nec eſſe poſſe ad amandum motivum efficacius, & magis attractivum, quam ipſe Rex pacificus, cordium generoſorum dominus, & opulentiſſimum ſponſarum ſuarum peculium; alium eligere amorem non ſtatuat, quam immortalis, immenſæ, & divinæ pulchritudinis unigeniti Filii Dei. Notabit adhæc Lector aliam, cur tam in hoc capite diffuſus & prolixus fuerim, rationem non eſſe, quam (ut taceam ipſam rei magnitudinem longiorem exegiſſe diſcurſum) hic gradationis, E & aſcenſionis, quem de divina pulchritudine fecimus, ordo modum, ac methodum ſuppeditaret de omnibus Dei attributis ac Dei adtributa notata. perfectionibus meditandi: cum quæ de pulchritudine ejus dicta ſunt, pari modo de bonitate, ſapientia, majeſtate, magnitudine, nobilitate, æternitate, ſuavitate, luce, gloria, &c. dici poterant. Adeo ut qui hunc gradationis modum uſurpabit, uſu & experientia viſurus ſit, eum eſſe & intellectui illuminando, & voluntati movendæ peridoneum. Is autem inprimis has aſcenſiones uſurpet neceſſe eſt, qui amoris divini artem diſcere voluerit cum certiſſimum ſit, ad bonam electionem ejus qui amandus ſit, faciendam, non ipſam modo pulchritudinem eſſe F cum aliis ſupradictis excellentiis conſiderandam, verum etiam ſapientiam ejus, nobilitatem, magnitudinem, aliaſque perfectiones quæ hominem revera & amabilem reddunt, & eligibilem. Sed jam ad quartum punctum, de quo in ſecundo memineramus capite, veniamus, ſequenti quarto ipſum capite excuſſuri.

CAPUT IV.

De operibus conſiderandis in eo qui ad amandum deligitur.

POſtquam de partibus atque excellentiis ejus qui amandus eſt jam actum eſt, de operibus etiam neceſſe eſt tractemus, quæ G aliquem amabilem faciunt: eſt hoc ſanè punctum filiis Adami perutile futurum, utpote quibus amicum & gratum eſt, ſi amice ſuaviterque habeantur. Nam, ut dicamus quod res eſt, Deus ipſe (ut Theologorum more loquamur) ſuas ob perfectiones alterius rei Deus amoris motivum. eſſe motivum non poteſt, quam amoris. Quis enim ſapientiam, pulchritudinem, gloriam, majeſtatem, & candorem æternum; quis non alias perfectiones infinitæ ſuavitatis plenas non amet? Adeo ut unuſquiſque, ob ea quæ hactenus diximus, niſi alia forent obſtacula, ad divinam illam pulchritudinem amandam ultro quam maxime propenderet. Verum ſuppoſito (quod experientia notum) adeo paucos eam diligere; dicendum neceſſario, aliquid in ea illos invenire, à quo ſe H minimè trahi ſentiunt, immo potius quamdam in illa amaritudinem, ac quod diſpliceat, invenire. Cum autem veriſſimum ſit, ea quæ ſupra de intrinſecis Chriſti Domini perfectionibus dicta ſunt, plane attractiva eſſe, & nullam ex ſua ipſorum eſſentia diſplicentiam afferre poſſe; ſequitur neceſſario, extrinſecum aliquid eſſe, (aliquod ſcilicet rerum creatarum opus aut diſpoſitionem) ob quam

tot

Scrip.An. circ.1612. Ital. Idio.

tot Chriſtum Dominum animæ & oderunt & fugiunt. Et eſt ſane veriſſimum, odii hujus & fugæ occaſionem (non quidem datam, ſed acceptam) non aliam eſſe, quam quod homines ſibi perſuadeant, ab eo ſeſe opprimi, & non, prout quidem vellent, blande haberi, quod ipſe ſuas non modo leges, A verum etiam opera appetitui & voluntati illorum non attemperet. Unde, ſicut ſæpiſſimè multi aulici, principi alicui, qui ob nobilitatem, ſapientiam, aliaſque virtutes ſuas amore ſummo digniſſimus eſt, ſervientes, eum odio proſequuntur, quia in iis quæ deſiderant ac prætendunt, his non obſecundat;

Hominum ſtulta cogitatio.

ita homines cum Domino Deo agunt: in quo judicio graviſſime errant, quod Deus Optimus Maximus omnibus revera, in vera & altiſſima vitæ æternæ prætentione ac deſiderio opem ac ſubſidium ferre noſcatur. Hac de cauſa non inutile futurum erit expendere, quidnam Domninus Jeſus pro unaquaque anima faciat; ut appareat, quommodo etiam ob hanc cauſam infinito ſit amore, nec non cordiali illa electione, de qua tractamus, digniſſimus.

B Suppono hic univerſalia creationis, conſervationis, redemptionis, &c. beneficia; humana ſiquidem cæcitas ea, prout quidem oporteret, non æſtimat, & nemo non eorum obliviſcitur, perinde ac ſi eſſe, vitam & directionem à ſe ſolo habuiſſet, & non potius à divina liberalitate accepiſſet. Significavit hoc Propheta David, cum diceret, *Pſal. 99. 3.* *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Perinde ac ſi diceret, Ingratitudo hominum eatenus pervenit, ut hominibus in mentem revocare oporteat, ut caveant, ne in ipſo creationis ſuæ beneficio errent, ſed eſſe ſe à Deo creatos meminerint. Verum generalia hæc amoris incentiva ſeponentes, ad ſingulas ſpeciatim animas veniamus.

Peccati originis effectus.

Norunt Catholici omnes, eſſe ſe per peccatum originale à paradiſo, cum terreſtri, tum cœleſti excluſos, C & animam hanc ſingularem, quam alloquor, peccatum hoc de facto contraxiſſe, propter quod, niſi Dominus è dulciſſimo quodam corde, infinita cum ipſa miſericordia uteretur, in æternum adoptione filiorum Dei, & æterna felicitate privanda eſſet; uti etiam multæ aliæ reipſa privatæ ſunt, vel quod in utero matris extinctæ ſint, vel quod jam in lucem editæ per baptiſmum regenerari non potuerint. Quæro hic ab ea, unde factum, ut ipſam infelix hæc ſors non oppreſſerit, cum plura non habuerit in ſe merita, quam aliæ animæ quæ perierunt? Beneficium hoc omnibus animabus commune, & univerſale non D eſt, cum innumeræ hoc caruerint: cur ergo tam gratioſam experta liberalitatem non amet eum, qui ſine ulla obligatione tam ipſam amanter habuit?

Veniamus jam ad amoris incentiva, & in cordis divini dulcedine & fidelitate enarranda pergamus. Ecquo à principio illa nata remiſſio peccatorum eſt, quæ anima hæc, baptiſmatis reliquorumque Sacramentorum gratiâ abutens, commiſit?

Peccati actualis pœna quae?

Sanè ob quodlibet actuale peccatum non modò in æternum Dei conſpectu anima hæc privari, (uti & ob originale) verum etiam æternum ignis ſupplicium, aliaſque ſenſus pœnas ſubire promeruit, quas jam tum, niſi divina clementia impediviſſet, in inferno, ſine ulla miſericordiæ ſpe, pateretur. E Dicat autem hæc mihi anima, cur infernali jam flamma non ardeat? cur cum æterno dolore, deſperatione, & conſcientiæ remorſu in tartareum detruſa carcerem non ſit? Cur immortalis mortis pabulum & vas iræ Dei non exiſtat? Negare verè non poteſt, quin de ipſa in particulari hic loquar. Dicat mihi autem, cur in æternum jam non torqueatur? Reſpondendum: fideliſſimum hoc Jeſu Chriſti cor, majorem ejus, quam ipſamet vel habuit vel habere potuiſſet, etſi alioquin amor proprius maximus ſit, & infinitus, rationem habuiſſe. Reſpondendum, ipſum Dei Filium ſingularem qamdam ejus curam cæpiſſe, illius ingratitudinem tolerando, & illam illuminando, ut damnationis ſuæ tandem intueretur periculum; F eam quoque corroborando, ut ſe lapſa erigeret, & vitæ ſpiritum attraheret; amicè & amanter eam habendo, ne deinde relaberetur, & denique eam molliendo & inflectendo, quo ipſum diligeret.

Chriſti erga peccatores amor.

Reſpondendum: ipſummet Dominum Jeſum commiſeratione, & compaſſione ejus commotum fuiſſe, & ex animo ſalutem ejus æternam cordi habuiſſe, idque amore majore, quam eſt matris erga unicum & amantiſſimum filium ſuum. Omnes tamen hæ exaggerationes nondum revera exprimunt id, quod Regis illius amantiſſimi erga animam hanc, cum qua agimus, affectus meretur.

Hæc ſanè, quæ paucis indicavimus, ſufficiebant, ut alii ſe anima amori non applicaret, quam amori Jeſu Chriſti. G Si verò etiam tum cum ſe ipſa furenter in infernum deturbaret, celeriter ipſe accurrit, quò eam retineret, ſuamque illi manum ſuppoſuit, ne in abyſſum infimam ruere pergeret; credendum ſanè eſt ipſam, cum à perditionis jam via deflectere, & ſuum invocare, & amare Deum conſtituit, fideliorem eum amicum, & familiariorem habituram, nullumque illo omnigena in conſolatione, omnique bono ad æternam ſalutem ſuam ſpectante procurando conſtantiorem inventuram. Sed ulterius progrediamur, ipſumque divini amoris artificium & induſtriam excutiamus: quia nullum eſt ad amandum motivum efficacius, quam ut beneficiis quibuſdam anima præveniatur, ac præſertim ab eo, qui etiam meretur amari, etſi nullum H nobis bonum unquam conferret.

Ejuſdem amoris artificium.

Amoris Jeſu Chriſti in anima amanda artificium eſt, quòd, cum æternam ab ea exigere ſervitutem poſſet, quòd æternæ eam pœnæ & inimicitiæ ſuæ eripuerit, brevem & facilem ei pœnitentiam aſſignet, cujus etiam adminiculo æternas, & infinitas ſibi compa-

Scrip. An. circ.1612. Ital. idio.

A

Euchariſtia amoris pabulum dicta.

B

C

Sacramenta conſolationis pignora.

Matt. 19.12.

D

2. Reg. 15.6.

Chriſti illicia.

rat divitias. Adeò ut, cum hac ipſa hora qua hæc ſcribo pœnam illi infernalem remiſerit, & eam amore quodam tenerrimo ſibi reconciliarit, omnem prioris adulterii memoriam deponens; jam inde ab illo tempore, quo illi cœpit ſatisfacere, per pœnam temporalem, quæ illi poſt æternæ abolitionem reſtat, quam ſubit, pretioſiſſimos ſimul gratiæ ac gloriæ theſauros promereri incipiat. Rogare hic animam velim, num quæ dico intelligat; ſimul etiam libenter ab ea peterem, ut ingentem hanc miſericordiam velut ſoli ſibi factam conſideraret, ac proinde intimam quamdam ac viſceralem erga Jeſum Chriſtum Deum, ac Dominum noſtrum gratitudinem conciperet.

Quid deinde de liberalitate illa dicam, qua theſauros æternos per familiarem Sacramenti pœnitentiæ, necnon Sacramenti illius quod numquam ſatis exaggerari poteſt, pabuli inquam amoris, Sacramenti ſcilicet Euchariſtici, uſurpationem adauget? Nec vero de hiſce charitatis motivis hic ago, in quantum univerſalia ſunt omnibus (quod ſemper lector in omnibus his meminerit) ſed in quantum ei particularia ſunt, cum ipſa eadem recipiat, & abundantiſſima quadam proviſione ſemper quod vult habeat. Eſt hoc (ut ipſe quidem judico) plane mirabile, atque prodigioſum, illi præſertim qui ipſum ponderare, & prout par eſt, æſtimare novit: quamquam non minus etiam admirabilis ſit ipſa exigua æſtimatio & contemptus, quo ob nimiam frequentiam maximæ Dei gratiæ ac miſericordiæ jam propè ſordent. Heu! quam obſcuratum eſt aurum optimum, & quam animæ, etiam electæ, de amoris æterni ſignis, quæ nullo non tempore Dei Filius nobis oſtendit, parum digne recogitant! ſed ut materiam nonnihil producamus, & ſermonem, quid dicere ac ſentire illa poteſt anima, quæ præter cibaria ac commeatum civitatis Dei (id eſt, Sacramenta, quæ infinitæ cujuſdam conſolationis ſunt pignora ac legis gratiæ, & amoris propria) divinas frequenter etiam inſpirationes, & interiores impulſus recipit, quæ quædam cordis Chriſti ſunt velut invitationes, & ad amorem illicia, quaſi ipſe animam illam non habens, vivere non poſſet. Quid de hoc amandi modo dicam, aliud non habeo, quam illud Chriſti, *Qui poteſt capere, capiat.* Videtur ipſe Chriſtus interdum, ſuum in ingratiſſimos & ſceleratiſſimos quoſque peccatores manna depluere, & (ſalva reverentia divinæ majeſtatis) modo quodam qui puritate, & altitudine ejus indignus ſit, perduellem Abſalonem imitari, dum paterno ipſe regno inhiaret, & ad portas Jeroſolymitanas conſiſtere, *corda virorum ſolicitans*, quo ſibi hoc pacto ad regnum viam ſtrueret. Siquidem ipſe Regis æterni filius, non quidem alienum invadere regnum cupiens, ſed ſuum (quod unum & indiviſum eſt cum regno Patris ſui clementiſſimi) poſſidere, filiorum Adam corda ſollicitat, quo in iiſdem ſuaviſſimo quodam imperio regnaret. Permitte, anima mea, ab hoc te Filio David, qui longe quam Abſolon pulchrior eſt, ſollicitari: noli tantæ tanti Regis quibuſcumque modis amicitiam & familiaritatem tuam ambientis humanitati, ac benevolentiæ ingrata eſſe.

E

Anima humana natura ſua fragilis.

F

Mariae Patrocinium, & Angelorum tutela notata.

G

H

Inter hos amandi modos numeranda eſt etiam illa à multis lapſibus præſervatio; quia, cordis humani inconſtantia, & fragilitate, & diaboli in tentando vehementia, & aſtu præſuppoſito, paucis ſe homo diebus in Dei gratia conſervaret, ſi clementiſſimus Dominus ſæpe tentatoris rabiem non impediret, aut compeſceret, & occulto quodam robore cor hominis confirmaret; quod tamen ipſe qui juvatur homo vix percipit: Ut non immerito ſe anima cogitare debeat ceu tenellum quoddam arbuſtum, turbulentiſſimis ventis undique expoſitum, nec non natura ſua fragile; ſed quod agricola, fructus ex eo tandem percipere ſperans per certas quaſdam foſſulas; occulte ſub terra ductas, quotidie adaquat, quo profundiores in terra radices agat; itaque & naturali fragilitati, & ventorum violentiæ non ſuccumbat. Non aliter Chriſtus animam noſtram curat: cui curæ (quæ infinita ejuſdem bonitate digna eſt) immenſus quidam ab homine debetur amor; eo quod duo illa complectatur capita, ob quorum unumquodque infinitis anima tanto benefactori ſervire nominibus tenetur. Unum eſt, quod in bono cœpto per occulta illa ſubſidia, & auxilia perſeveret: alterum eſt, quod graviora non committat peccata. Si enim hoc auxilium deficeret, in abominanda ſcelera impingeret, ſicut alias plurimas quotidie videmus impingere. Ad hoc item beneficium referri poteſt patrocinium Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & ſanctorum Patronorum, & Angeli cuſtodis ſubſidium: quæ omnia auxilia in ſe anima recipit, ac proinde magni ea faciat oportet, ipſumque, à quo ante amata eſt, quique tam fidelem ei tutelam, & cuſtodiam aſſignavit, redamet. Nam, ut quod res eſt dicam, cogitare ſe debet anima, ceu potentiſſimi Regis filium, ſed cæcum; ac proinde non videntem, quomodo ſibi miniſtrent, famulentur, honorent proceres à patre ſibi ad cuſtodiam aſſignati, quique ei oculorum, (cum iis ipſe careat) nec non pedum, & aliorum membrorum vice ſunt; cum ſuis ipſe membris commode uti nequeat, quod oculis careat. Et profecto ſi Sanctos, & Angelos ejus curam gerentes videret anima, alia non eſſet exhortatione vel monitis opus: quia, quamvis alioquin exiguus ejus eſſet circa res divinas ſenſus, hæc ipſam viſio quodammodo compelleret, ut tam ſingularis miſericordiæ auctori intima quadam gratitudine, & amore reſponderet.

Sed ſi oculos altius ad ipſum magnarum harum miſercordiarum principium conſiderandum attollat, efficaciſſimum quoddam ad amandum motivum inveniet, ipſum ſcilicet Jeſu Chriſti Domini noſtri cor adeo in bono cœpto ulterius proſequendo conſtans, ut juxta Concilii Tridentini doctrinam, ſemel ju-

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

Chriſtus iuſtos non deſerit, niſi deſeratur.

A

juſtificatos non deſerat, niſi ab eis deſeratur. Hinc cum in ſtatu peccati agunt, eos ipſe gratioſe amanterque ad ſe vocat, etſi ab iis ipſe non vocetur: ipſe eos excitare incipit, etiamſi illi de eo amando parum ſolliciti ſint. Deinde, poſtquam ſemel gratiæ datæ cœperunt cooperari, & ad Dominum convertuntur, numquam ab eis ipſe recedit, niſi dum ipſi eum à ſe effugant. Anima proinde, quam loquimur, ſecura eſſe poteſt; ſi quidem adulterari poſt hæc, atque ab eo divertere nolit, à ſua Deum parte minimè illi defuturum. Unde efficio quod ipſa infinitè ſtulta foret, & nullo penitus in ſe amore, ſi ſponſum adeo amabilem, & in amando tam fidelem non eligeret, nec amaret.

Eius caritas notata.

B

C

Redemtio pro omnibus & ſingulis operata.

Gal. 2. 20.

D

Epheſ. 5. 2.

F

Soliloq. c. 14.

Si autem cordis hujus fideliſſimi fidelitatem profundius ipſa perpendere voluerit, modum quæſo conſideret, quo ſeſe illi is conjunxerit; nec non viam & conductum, per quem immenſa adeo & viſceralis Chriſti caritas ad ipſum devenit. Novit ſiquidem, quam magna intenſaque ejus fuerit paſſio, quam immenſi dolores, quibus noſtram comparare & emere ſalutem debuit; novit quoque particularia illa beneficia, quæ jam ab illo recepit; novit Dei Filio minimè opus fuiſſe tam extraordinarias ad ſe ſalvandam adinventiones amoris adhibere, ut nec neceſſarium erat, eum carnem humanam induere, adeoque ſeſe illi accommodare & familiarem reddere. Quem vero in finem magna hæc ipſe fecit? Dicat anima, quod ſentit, num quam tantæ Altiſſimi cum creaturis ſuis communicationis cauſam invenire queat? Dicet profectò, modò vel aliquod mentis lumen habeat, ne milleſimam quidem impendii, quod ſui ſalvandi cauſa Chriſtus fecit, partem neceſſariam fuiſſe. At cur tam multum impendii fecit? Quod exceſſive amaret. Commodius convenientiuſque ſibi ab ea reſponderi non poſſet. Neque vero eſt, ut aliquis parum illuminatus, & viſcerali Filii Dei caritati parum gratus, mihi dicat, hoſce amoris, doloris, ac paſſionis exceſſus non propter hanc animam ſolum, ſed propter univerſum hominum genus factos fuiſſe. Hæc qui obiicit, ille reciprocationem, & reſpondentiam, quæ tam immenſæ bonitati, amorique debetur, enervare & elidere cupit. Sed parum ad propoſitum, & inepta eſt hæc objectio: etſi enim verum ſit, unius animæ ſolum ſalvandæ gratia, tantum ſumptuum Redemptorem feciſſe; veriſſimum tamen eſt, pro unaquaque ſingillatim anima, ita in totum & in ſolidum eos factos eſſe, ac ſi nulli alii, ſed huic ſoli opulentiſſimi theſauri neceſſarii fuiſſent, eique ipſa ſola uti debuiſſet. Atque ita intellexit Apoſtolus, cum ſumma ſui conſolatione, diceret, *Vivo in fide Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Ubi Apoſtolus ſingillatim, & particulatim ſibi appropriat, quod alio loco in genere omnibus accommodat, dicens, *Dilexit nos* Chriſtus, *& tradidit ſemetipſum pro nobis.* Ex hac doctrina ſequitur, non aliter omnem incarnationem, vitam, prædicationem, miracula, paſſionem, mortem, ac Sacramenta Jeſu Chriſti, ab anima æſtimari & conſiderari debere, quam ſi ſibi ſoli verè, & realiter data, & in ſuam unius gratiam facta eſſent. Cum revera, qui hæc operatus eſt Chriſtus, ita ipſam unam reſpexit & conſideravit, ac ſi nullius alterius ſalus in illius tunc mente verſata eſſet. Adeo ut, ſicut S. Auguſtinus dicit, tali Deum ſingulas creaturas ſingillatim attentione & providentia reſpicere, quaſi cæterarum omnium eſſet oblitus, & huic ſoli vellet intendere; ita ipſi de vita, morte, & operibus Chriſti Redemptoris noſtri erga ſingulas animarum, ſentire debeamus. Qua conſideratione vel adamantes duriſſimi emolliri, & dulciſſimæ caritatis vinculis anima ad talem ſponſum eligendum devinciri queat.

Chriſti amor quid animae promeruerit

F

Hæc materia ſane copioſiſſima eſt; quia non ea modo quæ diximus, verum etiam quæ dicere non poſſumus, & quæ ſuis ipſe Chriſti amor animæ laboribus promeruit, & præparavit, eam ut reginam coronare, & æternum apud ſe retinere conſtituens: Omnia inquam hæc maxima amoris ſunt incentiva, ipſa etiam temporalia, vita item, & directio corporalis, ipſa quoque reſpiratio naturalis, beneficia hujuſmodi ſunt, ut cum ex intentione magni illius benefactoris, ad eum finem, ad quem Chriſtus vult, diriguntur, animæ ad bonorum æternorum conquiſitionem ſerviant: ut nihil omnino ſit, in quo efficaciſſima ad ſeſe totam unigenito Dei Filio dedicandam motiva anima non reperiat.

Animae erga Ieſum Chriſtum obligatio notata.

G

Verum hæc ſcribenti mihi incidit cogitatio, quam tacitus præterire non poſſum; mirum ſcilicet mihi, & peregrinum videri, tot oportere argumenta, & motiva amoris adferri, quo iis mota anima, ſuæ erga Jeſum Chriſtum obligationi ſatisfaciat. Quid ſpectat anima? quid vult? Fierine poteſt, cum beſtiæ ament illos, à quibus beneficium accipiunt, animam, quæ tot miſericordiis & infiniti amoris operibus præventa, ligata & quodammodo coacta eſt, erga benefactorem ſuum ingratam eſſe, nec mutuo eum amore proſequi? Belluæ ſiquidem immaniſſimæ, ut elephanti & leones, catellorum inſtar manſueſcunt, & ſuis heris abblandiuntur, quod aliquod ab iis ſubſidium, & ſecundariam vilemque eſcam accepere: & anima ab infinitis Jeſu Chriſti beneficiis velut abſorpta, non cedet, nec miteſcet? Neſcio quomodo exiguam hanc animæ in amore erga Dominum ac Redemptorem ſuum reſpondentiam pro dignitate exponam: aliquid tamen de ea neceſſario dicendum eſt.

Exemplum mirabile.

H

In Africa, quæ ad diſtinctionem Libyæ, vel Africæ inferioris, ſuperior dicitur; quæque haud procul à Freti Herculei anguſtiis abeſt, nobilis quidam Hiſpanus, illuſtri ſatis loco natus (cujus generoſitatem indicant ad patria & gentilitia familiæ inſignia additum poſtea ſerpentis vel draconis caput) quoddam tranſiens deſertum, videt leonem cum dracone (hæc namque animalia regio

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio. illa fert) acri certamine niſuque confligentem. Quo conſpecto humana nobilitas ei favere & opem ferre feræ cœpit, quæ inter cæteras dominatum fert, leoni inquam. Adeo ut nobilis ille, haſta, quam geſtabat, draconem aliquoties impetens, eumque mortali ſaucians plaga, leonem ab eo, in quo verſabatur, periculo eripuerit. A Leo porro ſuum liberatorem reſpiciens, nullo alio edocente vel impellente, ita ad amandum eum moveri cœpit, ut, quocumque is ſe conferret, pone ceu canes fidi, & domeſtici, equum ſequeretur; idque amore adeo ſincero & vehementi; ut nulla ratione abigi poſſet. Adeo autem is affectus increvit, ut, cum Eques navem conſcendere pararet in Hiſpaniam trajecturus (jam enim uſque ad littus eum leo ſecutus erat) videretque leo ſe. eadem excludi, rugitu aliiſque editis ſignis, quemdam mortis præferre dolorem cœperit; quibus ſcilicet oſtendebat, quantopere hæc ſe à domino ac benefactore ſuo dimiſſio torqueret. Denique cum navem magis magiſque à B littore dimoveri elongarique cerneret, ac dolorem diutius ferre non pervaleret, in aquam ſeſe conjecit, ut, quem adeo diligebat, abeuntem, ſaltem natatu ſequeretur, & mirabili hac gratitudinis, & amoris demonſtratione vigente, tamdiu cum maris fluctibus luctatus eſt, donec & defatigatione nandi, & interiori afflictione victus fundum petiit aquis mergendus. Documentum. Quid tu facis, ô anima à draconis infernalis faucibus, per nobiliſſimum illum Equitem, qui ſuper candidum puriſſimæ humanitatis ſuæ equum vehitur, liberata? Quomodo poſt hunc liberatorem tuum non curris? quomodo ad eum non evolas, etſi vel eum maris undis te confligtare opporteat? quis, ô Fili Altiſſimi liberatoris mei, alium præter te patronum & amicum poſt hac ſibi ſeligat?

C Verum etſi hoc leonis illius exemplum ad animam, quo Chriſtum qui unica ejus libertas eſt, amet, excitandam aptiſſimum ſit; Chriſtus unica animae libertas. tamen, quia motivum, & occaſio, qua animal hoc ad tantum amorem oſtendendum motum fuit, magna inprimis fuit, quod nimirum mortis ſe ereptum per hominem periculo cerneret, utile erit beneficia alia, minus efficacia, & ingentia, conſiderare, ob quæ alia animalia magna quadam gratitudine, & ſervitute cordiali miteſcere, ac molleſcere videmus. Neque vero opus eſt, ut è remotis regionibus exempla hæc accerſamus, cum quotidie eadem ante oculos habeamus, non ſine magno fructu & commodo ejus, qui eadem ad res ſpirituales noſſet traducere. Quis crederet umquam, quæ erga heros ſuos faciant canes, niſi quotidie videret? D quidquid enim ſcriptores hæc exaggerantes huc adferant, numquam exprimet id quod experientia videmus: canes enim quamvis male ab heris ſuis tractentur, & cædantur, & vix aliquod ab iis multis diebus panis fruſtum accipiant, ac proinde aliunde ſibi de eſca ciboque proſpicere compellantur quo Canis fidelitas commendata. vivant; nihilominus domos heriles ſedulò aſſidueque cuſtodiunt, & tantam viſis heris lætitiam oſtendunt, ut hæc illos ſaginatura & conſervatura videatur. E contra verò, quando eos ex oculis amittunt, etſi alioquin lautè habeantur, & amantius, jucundiuſque tractentur quam in domo herili; dolorem adeò vehementem, & triſtitiam præſeferunt, & vitam amiſiſſe, & omnem conſolationem E ſuam videntur. Eſtque res certiſſima: tunc namque (ſicut ſæpius & ipſe obſervavi, & alii mecum magno cum fructu notaverunt) comedere detrectant, eos ſe amiſiſſe dolentes quos amant; quin & quam citiſſimè inde effugere, & erumpere geſtiunt, ut ſuos quærant, & recuperent heros, nec antè ab ejulando, latrando, melancholiaque ſeſe conficiendo eos ceſſare videmus, quam eos invenerint. Quid ſibi exceſſiva hæc horum animalium gratitudo vult, & amor tam intimus erga eos, qui tam parum boni ipſis præſtant, ea dumtaxat de cauſa, quod in eorum vixerint domibus, & apud ipſos egerint? F Quare igitur anima bonorum Chriſti Jeſu Domini ſui operum non recordatur? cur obliviſcitur, non dico fuſtigationis, ſed panis, quem in domo ejus comedit non ea benevolentia porrectum, qua canibus obiicitur, ſed qua filiis primogenitis, & divitiarum Dei hæredibus proponitur? Animae duritia. Quid de hac duritie dicam neſcio; illud dumtaxat dicere poſſe videor, animalia omnia amare noſſe, & ſolam videri animam ſuaviſſimum hoc exercitium ob quod creata fuit addiſcere non poſſe.

Multa profectò hæ beſtiæ faciunt, quæ planè prodigioſa videntur animamque quam maximè excitatura, ut Jeſu Chriſto domino ſuo ſeſe dedat. Exemplum admirandum Exemplo ſit canis ille, qui, domino ſuo à latronibus in via interfecto, poſtquam illum vivum quibus poterat modis adjuviſſet, juxta cadaver obtruncatum cuſtos indefeſſus, & previgil hæſit, G excubans, & aves voratrices abigens: ſuam qualicumque modo, mœſtitia, & ejulatu, fidelitatem, & amorem, quo erga Dominum ferebatur, teſtatus. Quamobrem neſcio, cur anima, cum Chriſtus Dominus à cruentis ſit percuſſoribus ejus ſalvandæ causa interfectus, apud eum manere, & ſocia ejus, cujus tamen ſocietas dulciſſima eſt, eſſe detrectet?

Non eſt porrò neceſſe pluribus de animalium nobilium, quale leo; aut fidorum quale canis Leo nobile animal, ignobile Urſus. amore adferre; cum ipſæ etiam ignobiles & feroces belluæ qualis urſus eſt, ita videamus cicurari, ut ſuis ſint dominis voluptati & in deliciis, ſuamque humana hominum, qui ea amare docent, arte feritatem amittant. H Unde efficiamus oportet, animam ſine errore quodam beſtiali, qui ab omni ratione & affectu humano quàm maxime diſtet; non poſſe Dominum Jeſum Ghriſtum non amare, cum tot divinis ille artificis hactenus eam cicurare, dirigere, docere, & ad æternum bonum, quod illi præparavit, diſponere contenderit, unde animam neceſſe eſt reſolvere, ſibique dicere, vide, & adverte,

quo-

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

quomodo belluæ beneficiis non ſolum miteſcant; verum etiam amandi artem addiſcant: tu adeo rigida, & immitis noli eſſe, quin à dulcedine Filii Dei attrahi te, ducique ſinas.

Ferae beneficiis cicuratae.

Venimus jam, per Dei gratiam, ad capitis hujus finem, & ſatis ſufficienterque oſtendimus, Chriſtum Jeſum non ſolum propter id quod eſt in ſe, id eſt, propter naturalem A ſuam pulchritudinem, gratiam, ſuavitatem, aliaſque perfectiones tum humanas, tum divinas, infinito amore dignum eſſe; verum etiam propter id quod erga animam miſericordiæ exceſſibus facit, propter incarnationem ſcilicet, vitam, mortem, nec non alia beneficia particularia à Deo accepta, adeo ut omnibus modis is ſit amabiliſſimus.

Chriſtus infinito amore dignus.

Atque ideo declaratum eſto, animam quæ vivaci quadam amoris vehementia amare proponit, nulla ſibi vi facta, Filium Dei in ſponſum, in vitam, in gloriam ſuam eligere debere, omnemque alium à ſeſe amorem eliminando hæc ſæpius verba, quæ animæ Chriſtum ceu omne bonum ſuum eligentis propria ſunt, uſurpare: *Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea; faciem tuam Domine requiram.*

Pſal. 26. 8.

Id eſt: Amabiliſſime Domine, cor meum, B cujus linguam intelligis, optimè *tibi dixit*, id eſt, ſecum & erga te quamdam reſolutionem fecit, ſcilicet, ſicut *exquiſivit te facies mea*, ceu ſpeculum ſuum, in quo ſe contempletur; ita *faciem tuam Domine*, quæ illud ipſum ſpeculum meum eſt, *requiram*: neque eam ſemel dumtaxat quæram, ſed *requiram*; & immo id unicum officium meum erit, toto vitæ tempore te quærere. Sic ſcilicet ſtatuere ſecum debet anima illa, quæ invincibili quadam conſtantia proponere debet, ingens illud, & inæſtimabile bonum ſuum quærere. Et quoniam omnis doctrinæ hactenus datæ fructus in eo ſitus eſt, ut electionis praxis exercitium noſcatur, & exerceatur; ideo ſequens caput quoddam erit exercitium, quo C anima uti, & poterit, & debebit, ad Chriſtum Jeſum in amoris ſui objectum eligendum.

CAPUT V.

De ſecundo artis amandi Deum præcepto, id eſt, de affectibus, qui in amoris Jeſu Chriſti electione excitandi ſunt.

NEgari non poteſt, quin bene incepiſſe multum ſit ac magni momenti, in iis præſertim rebus, quæ ex ſeſe excellentes ſunt: facto quippe ſemel primo hoc conatu & ingreſſu, anima priorum quæ ſe obtulerunt difficultatum victoria animata, ad inſequentes, & futuras ſuperandas ſeſe diſponit. D Unde in rebus hiſce divinis non incongrue illud humanum adhiberi poſſet proverbium;

Dimidium facti qui bene cœpit habet.

Horat. Ep. lib. 1.

Hac de cauſa, divina auxiliante gratia, ſecundum artis hujus tradere præceptum conabor; de affectibus videlicet, quos in principio electionis amoris Jeſu Chriſti in ſeſe anima excitare debet. Ad hanc rem, Mariæ Magdalenæ, quæ illum quam ardentiſſime, intenſiſſimeque dilexit, perſonam loquentem introducam, certus hanc ipſam electionem perfectioribus longe, & ſublimioribus affectibus feciſſe quam ipſe poſſem verbis exprimere: cum tantum mihi non ſit lucis, & E amoris, atque illi erat. Ut autem melius rem totam Lector intelligat non inutile erit, ſi ante omnia in memoriam revocet, Magdalenam ſemper amori deditam fuiſſe. Quod è verbis Evangelii, accedentibus communibus ſanctorum expoſitionibus, eruitur.

Maria Magdalena.

Habebat ſiquidem cor flexile; & inconſulto ſe ipſa ab amore laſcivo trahi paſſa eſt, antequam illi de cœlo dia lux affulgeret: at mox ut à ſplendore Chriſti irradiata fuit, ſibi reique ſuæ cœpit proſpicere, omnemque illicitum à ſe amorem effugans Filium Dei in ſponſum elegit, eique ſe affectibus haud diſſimilibus eorum qui ſequuntur, totam conſecravit.

Adloquutio.

Tibi, ô ſuaviſſima pulchritudo mea, propter divinam illam fortitudinem, cordium humanorum expugnatricem, & mundi domi- F minam congaudeo: utpote cui omnis cæli terræque nobilitas cedit, immenſique amoris tui flammis ſuccenſa ad te ſuſpirat, qui omne ejus refrigerium es. Ego tibi, ô amantiſſime Fili Dei, culpam confiteor, quæ neſcio, qua mente cor meum ad te creatum, à rerum creatarum affectibus abſtrahi paſſa ſum, & thalamum caſtiſſimis Regis Salomonis deliciis dedicatum à profana terræ converſatione inquinari. Non ipſa me realitas, ſed amoris artificioſe mendaciterque depicti apparentia & imago decepit, meque à te, & dulciſſima veri, & unici amoris tui lege longius ſubmovit. At cum modo meas, pura luce tua, tenebras diſpuleris, meque divino ſpiritu tuo doni conſortem feceris, longe ſecus ſentio, quam ante ſentirem, omnemque pulchritu- G dinem mundanam, quæ cor meum rapere, & flectere ſolebat, ex animo abominor, teque Dei, ac beatiſſimæ Virginis Filium eligo, quo te æterni amoris fœdere diligam: tibi, ô ſponſe mi pulcherrime, cordis mei centrum aperio, quod ſuaviſſimam præſentiam & interiorem illapſum tuum quam maxime deſiderat. Hoc in ſecreto, & occultè te alloquitur, & innumera ad te è cordialiſſimo quodam ſenſu ſuſpiria emittit, eo quod te prius non elegerit. Penetrativa quædam, ut vides ex intimo ejus penetrali, prorumpunt ſuſpiria, quam celerrime ad te volantia, & meum eloquentia quadam mundo incognita deſiderium teſtantia. Aliud ſane illud non eſt, quam hanc ex omnibus viri- H bus, & affectibus meis electionem facere, ampliſſimam illis in cor meum facultatem faciendo, ipſum ut accendatur, tibique dulciſſima illa verba, quæ tibi dedicata ſunt, *Faciem tuam Domine requiram*, decantet.

Pſal. 26. 8.

Illud, ſponſe mi deſideratiſſime; conſilium mihi maximopere placet; quod cor meum propter te ſollicitum, ſibi eligit, inque intimis

mis

Scrip. An. circ. 1612. Ital. idio.

mis animæ meæ penetralibus inſumpſit. Aliud de eo dicere non poſſum, quam altiſſimæ id ſapientiæ à te inſpiratæ conſilium eſſe, nec non extremam quamdam eſſe dementiam, tuam pulchritudinem & gratiam non eligere, cum ſine te omnis amœnitas emarceſcat, fontes areſcant, luna deliquium patiatur, A ſol inobſcuretur, cœli ſerenitas obnubiletur, omniaque ſordibus inquinentur, & fœdentur, ac quædam mortis fiant præda. Cum enim tu, ô ſereniſſime Paradiſi voluptatum divinarum Rex, puriſſimus aquæ vivæ fons ſis, ſplendidiſſimus lucis indeficientis ſol, & claritudo illa, quam nulla umquam nebula obturbare poteſt, nulla prorſus ſine te creatura verum habere bonum poteſt; ut taceam nullam animæ meæ extra te voluptatem ac ſatisfactionem obtingere poſſe: cum tam eam capacem ac vaſtam condideris, tantamque boni infiniti famem ei indideris, ut nullum præter te, (qui ſolus eam implere vales) amorem aut velle aut quærere debeat.

Chriſtus aquae fons dictus.

B Oculos, ô Fili Altiſſimi, meos per univerſum creaturarum theatrum gyranti mihi omnia parva & imperfecta videntur, cum ad te illos converto. Et ſane, etſi omnes terræ Reges ac Principes mihi ſe velut ſervi emptitii ſubiicerent, etſi omnes eorum dignitates, & quidquid in terra eſt amplum & regificum capiti meo unius imponeretur; etſi omnis naturæ humanæ juventus, exquiſitiſſima quadam donata venuſtate mihi daretur, nec non omnes omnium delectationum carnalium in me affluerent commoditates; etſi quidquid aut pulchrum, aut magnum, aut honorificum, aut opulentum, aut admirabile mundus habet, in mea eſſet voluntate; etſi denique univerſis hiſce bonis ſimul frui poſſem, etſi quoque hæc fruitio in æternum C duratura eſſet; non propterea tamen hocce judicium & electionem meam mutarem; ſed ex ardentiſſimo quodam affectu, & ſumma conſolatione mea cantarem, *Exquiſivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Scio enim, ô æternum bonum, vita hac mea carius, quam certiſſimo non bona illa creata, ſed te ſolum, ſapientia, pulchritudine, & opulentia corpus, oſſa, ac medullas meas repleturum.

Pſal. 26. 8.

Nec eſt, quod, ô puriſſimum oculorum meorum ſpeculum, & inæſtimabilis lætitia mea, verear, ne in hac reſolutione ac propoſito meo errem aut decipiar; nec ullum vel minimæ ignorantiæ vel cæcitati dare locum poſſum, ut poſthac à mendaci vanitatis mundanæ prætextu ac colore mihi ſinam imponi. Viſcera ſiquidem mea gravis D quod paſſa ſunt damni probe conſcia, conſcientiæ ſtimulo immiſſo me excitant ad quærendum te, meque hiſce verbis, quæ è tua videntur diciplina prodire, compellant: Non advertis Magdalena, quam graviter erraris, quamque malè tibi ceſſerit temere inconſultoque dilexiſſe? quid quæris? quid deſideras? Imaginare, exempli gratia, à Rege te quodam univerſæ terræ monarcha in uxorem peti: anne ideo Rex hic, quod univerſi orbis monarcha ſit, ſingulari donatus erit pulchritudine? quia ipſa oſtendit experientia, ipſos terræ Dominos ut plurimum aliis eſſe deformiores, & fœditate ſpectabiles. Sed pone eum pulcherrimum eſſe, eritne idcirco ſumma præditus ſapientia? Rara profecto res eſt, ut in illa negotiorum & deliciarum E multitudine ulla habitet ſapientia; quia animas hæc quærit quietas & ſolitarias. Sed ſit is etiam ſapientiſſimus: eritne idciro naturæ & indolis ſuaviſſimæ? conſtat porro à potentia ac magnitudine mortalium homines nonnullos tetricos, inhumanos, & intolerabiles reddi. Verum, dato eum morum eſſe ſuaviſſimorum, eritne ideo magna præſtans innocentia? nimis quam certiſſimum eſt, in ipſis principatibus ac dignitatibus innocentes etiam perverti ac depravari. At ſit etiam innocentiſſimus; poteritne propterea ſui in te efformare imaginem, ſuaque converſatione perfectiſſimas has in te perfectiones transferre? Certiſſimum eſt, id eum non valiturum, F etiamſi & plures, & excellentiores haberet dotes, quam ſint illæ, quas tibi indicavi; ſed ſolum Jeſum Chriſtum Regem immortalem, univerſi dominum, infinitæ pulchritudinis, ſapientiæ, ſuavitatis, innocentiæ principem, & qui in ſe continet quidquid ipſa magni, pretioſi, delicioſi imaginari & excogitare potes, ſuiipſius efformare in te exemplar, & pulcherrimam ac divinam ſuam imaginem exprimere poſſe. Quid igitur vis? quid exſpectas Magdalena?

Exemplum.

Chriſti proprietates.

Hæc aliaque in eam rem multa mihi cor meum ſuggerit, & vivarum efficaciumque rationum vi atque impetu me urget, & ſic compellat: Apage, apage, ſint procul à te, ô anima ad regenandum creata, veteres illæ ineptiæ, & Jeſum Chriſtum amoris divini G diademate coronatum, nive candidiorem, pyropo optimo rubicundiorem, ſapphiro pulchriorem, in ſponſum elige, cujus amore corda etiam duriſſima, quæ ejuſdem ſuavitatis violentiæ reſiſtere nequeunt, diffluunt ac conſumuntur. Hæc mihi cor meum verba, & hoc prudentiſſimæ electionis conſilium dictat, & ego Magdalena tibi, dulciſſime Fili Dei, confiteor, eſſe hæc verba viva, quæ infinita vi ſua adamantes etiam emollire queant. Verè *molliti ſunt ſermones cordis ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula*, penetrantia & efficacia. Magnam conſcientia, lumine tuo, ô ſol lucis inacceſſibilis illuminata vim habet; magna etiam cordis a te edocti potentia eſt; illius enim imperio reſiſtere nemo poteſt. Hinc ego me immenſo tui deſiderio ſuccenſa, verbis his & inſtructioni vitæ H ſubmitto, & omnes creaturarum amores contemnendi, infinitam bonitatem, ſapientiam, pulchritudinem, ac delectationem meam, cum firmiſſimo mei in te transformandæ, & vita tua vivendi deſiderio, eligo.

Pſal. 54. 22.

Quærant alii regia imperialiaque palatia, auro conveſtita, picturis & ſculpturis manuum humanarum condecorata, in quibus ſua mun-

Scrip. An. circ.1612. Ital. Idio.

mundi hujus amatores commoda, & voluptatem quærunt; ego verò cavernam quæram maceriæ, in qua meus præparatus eſt nidus, & in Regis pacifici, cui omnes Reges & Monarchæ terreni vectigales, & tributarii ſunt, thalamo requieſcam.

Caverna maceriae, quid?

Quærant alii elegantias hortorum, principum terrenorum deliciis deſtinatorum, in quibus viror, vernantes, fructus, & aqua animum ad conſolationem terrenam hauriendam invitant:

A

equidem te, ô pulcherrime Fili Dei, immortalis pulchritudinis flos, & puriſſimi Virginei ventris fructus conſectabor. Quærant alii corpora ſingulari quâdam pulchritudine, candore, gratiâ prædita, & ſuavem illorum converſationem: quæ terræ ſunt velut idola: equidem à propoſita ſententia non deflectens, te, ô Deus æterne & gratioſiſſime, triginta trium annorum juvenis, qui amabiliſſimum amoris mei objectum es, quæram & amabo. Te inquam ô vita æterna, fortitudo, exultatioque mea, quæram & requiram, & in cordis mei altari amoris perpetui, diurni, & nocturni, matutini, meridiani, & veſpertini ſacrificium tibi immolabo.

Cor ara dictum.

B

Quæram ut ſuper holocauſta mea amoroſè reſpicere digneris, cùm nimirum tibi primogenita animæ meæ deſideria ſacrificabo; &, ſi mihi ad cor per occultas viſitationes tuas loqui dignatus fueris, voces tuas audiam.

Hæc mea reſolutio ac propoſitum eſt, per modum ſacrificii, quo tibi primogenitus affectus meus offertur, directionis igne conſumpti factum, ut ad te, Domine mi gratioſiſſime, ſuavitatis odorem emittat; atque ut firmior ſtabilior, & immutabilior ea res ſit, fidelitatem perpetuam tibi ſpondeo, & juro: quare nolo, ut alia ulla mihi præter te incidat cogitatio, tibique perpetuam pulchritudinis tuæ memoriam offero. Si oblivіſcar tui, ò manſuetiſſime Rex Jeruſalem, *oblivioni detur dextera mea*, nequid ei proſperè deinde eveniat: *adhæreat lingua faucibus meis*, ne poſthac verbum ullum efformet, quin id ſit de te: omnes cogitationes in dolores mihi convertantur, *ſi non propoſuero* Regem dulciſſimum Jeruſalem *in principio lætitiæ meæ*.

*Pſa.*136.5.6.

C

Hoc eſt conſilium meum, & electio divina quadam digna prudentia, quæ à te orta eſt. Ut verò res publicè conſtet, & omnes habitatores terræ ſtatim ac me videbunt, perſpectum habeant, cui fidelitatis ſacramentum præſtiterim, te ô fideliſſime cuſtos mi, obſecro, ut te mihi, velut ſignaculum amoris, imprimere digneris, ne quis mihi vim inferre aliquam paret, regio me majeſtatis ac caritatis tuæ ſigillo ſigillatam videns.

Amoris ſignaculum.

D

Cant. 8. 6.

Tu amore quodam ac zelo erga me actus, dixiſti, *pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum;* adeo ut cor & brachium, id eſt, cogitationem, & opera mea tuo ſignata eſſe velis ſigillo, & ſuperſcriptione.

Cordis, & brachii ſignificatio

Fac itaque, ô amantiſſime animæ meæ Rex, quodcumque tibi placuerit: nam, quantum ad me ſpectat, animam, corpus, omneſque vires meas tibi expono, mihique gloriæ & honori ducam, per medias me poſſe plateas dilecti, & electi mei ſignaculo ſignatam incedere: quia tu es Deus, Rex, Pater, mater, ſponſus, frater, & amicus meus; tu ſolus vita, honor, fortitudo, ſapientia, divitiæ, & lætitia mea.

Chriſtus, Deus, Rex Pater, Mater, Sponſus, Frater, & Amicus dictus.

E

Hactenus ſum ſub nomine Mariæ Magdalenæ de affectibus, qui in Jeſu Chriſto Redemptore, in objectum amoris aſſumendo eligendoque uſuveniunt, locutus: at ſub ſuo quiſque nomine eos in ſe excitare, & ſæpius reiterare debebit, cum actus ſint amoris, & artis hujus proprii, fructumque adferre ſoleant, cum à cordiali quadam oriuntur reſolutione, quæ quotidie eſt renovanda, quandoquidem cor hominis nulla non hora ſollicitatur, & importune à diabolo tentatur, ut captum conſilium mutet, & aliam amorum terrenorum electionem faciat. Unde melius ſalutariuſque monitum dari non queat, quam ipſos electionis amoris Jeſu Chriſti actus identidem revocare, propoſitum hoc nullo non momento magis ſolidando ac profundius radicando, quod, ceu fundamentum univerſæ illius, quæ hoc in libro traditur doctrinæ, futurum eſt: atque hoc aſſignato monito ad ſequens veniemus caput, in quo de amoris Dei progreſſu agere incipiemus.

F

CAPUT VI.

De tertio artis amandi Deum præcepto: quomodo ſcilicet Jeſu Chriſti pulchritudo cum labore & ſudore quæri debeat.

REI vel perſonæ amandæ electione jam facta, omnis prudentiæ regula requirit, ut media, quibus ea acquiratur, adhibeantur: atque hoc eſt progreſſum in amore facere. Porro doctrinæ hujus veritas adeo notoria eſt, & in alio quolibet amore ita pateſcens, ut mille ejus habeamus teſtimonia, nulla non hora ad amicitiam Filij Dei aſpirantibus pudorem, & verecundiam incutientia.

G

Si enim illos, qui hocce noſtro ſæculo theſauros Indiæ tam Orientalis, quam Occidentalis detexerunt, rogemus, quamobrem ſe tot tamque inauditis, & horrendis terra, marique periculis expoſuerint, & tot laboribus, ut qui eos vel legerit in ſummam admirationem rapiatur, & animi eorum, qui Oceanum domuerunt, & tot nationes barbaras ad humanitatem traduxerunt, pluſquam humani fuiſſe videantur; proculdubio, ſi veritatem fateri velint, magis ſe amore auri; quam Dei actos fuiſſe reſpondebunt.

Comparatio

Idipſum & de militibus non modo gentibus, ſed etiam Chriſtianis dicere poterimus: quia, ſi verum fateri velint, dicent, honoris ſe vel quæſtus, quæ armis comparantur, deſiderio impulſos fuiſſe ad domeſtica commoda parvi facienda, & ipſam etiam vitam negligendam: adeò ut quoad hunc honoris amorem, etiam multis Gentilium Chriſtiani deteriores eſſe videantur.

H

Denique, ſi intueamur, quid in Principum curiis ambitioſi, & ho-

ho-

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

honorum ſectatores faciant, quid ſuis in negotiationibus avari; omnes ad unum, ſine ulla exceptione, boni illius apparentis quod amant, electione facta, communibus id prudentiæ mundanæ regulis ſuadentibus, ſummo conatu ac ſtudio media, quæ ad eum, quem ſpectabant finem, neceſſaria eſſe & conducere crediderunt, uſurpare atque adhibere contenderunt. A Incredibile vero eſt, quid corporalis alicujus pulchritudinis ſectatores, & amatores in hoc genere fecerint: quia niſi id quotidie ad oculum cerneremus, fidem ſuperare id omnino videretur.

His excitari anima, quæ pulchritudinem Jeſu Chriſti amandam ſumpſit, debet, ut arti amandi ſedulo intendat, & ſuppoſito, rem hanc eſſe infinitis partibus pretioſiorem ac digniorem, quàm omnes amatorum mundanorum prætenſiones ac deſideria, ſecum firmiter ſtatuere, omnem diligentiam, induſtriam, ac vires adhibere, & cunctas difficultates expugnare, nec non omnes labores, opprobria, & moleſtias, quæ ad tantum bonum obtinendum ſubeundæ ſunt, æqua mente perferre. Ipſe porro hujus amoris, B atque adeo affectuum, qui ex ipſo naſcuntur, ordo, hanc reſolutionem fieri ſuadet. Ex quo enim aliquam amata res in anima impreſſionem, (quæ dici vulgo Amor ſolet) fecit, anima per connaturalem quamdam conſequentiam ſe extendit, & per paſſionis, (quæ vocatur deſiderium) adminiculum, Amor & deſiderium. ſeſe ad bonum illud, quod illi placuit, quærendum effundit; nullam niſi id conſequatur, inveniens requiem. Pulchritudo enim, quæ amatur, acrem quemdam amoris generat ſtimulum, qui ſemper pungit, & ad finem hunc ſuum, qui ſatisfacere, & contentare illam queat, quærendum perpetuo incitat. Lib. 1. c. 1. Hoc ſcilicet S. Auguſtinus in Confeſſionibus ſignificare voluit, ſcribens, *Feciſti nos Domine ad te*, ut te amemus; & C ab hoc principio quædam in animo naſcitur ſollicitudo vel ſtimulus, *unde inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*.

Porro ordinatim juxta hanc doctrinam procedendo, tertium hoc artis noſtræ præceptum eſſe ſtatuimus; eum nempe, qui infinitam Jeſu Chriſti pulchritudinem amare proponit, multis & ardentiſſimis deſideriis, & operibus, quæ ſuæ prætenſioni quadrent & conſentanea ſint, bonum hoc infinitum obtinere debere. Norit autem, paucis univerſam artem amandi verbis, cum per hoc, tum per duo præcedentia præcepta explicari poſſe: adeo ut petenti, quid ſit amandi ars? ſufficienter admodum ac plene in hæc Artis amandi definitio. verba reſponderi queat: Ars amandi eſt, eſſentiam amoris noſſe, perſonam quæ amanda D eſt eligere, induſtriam & media ejus obtinendæ uſurpare; & quoniam in rebus difficillibus induſtria, & fortitudo major requiritur, ſingulari eas ſtudio conatuque perfringere conari. Hæc eſt igitur ars amandi, quæ in eo conſiſtit, ut voluntas erga Deum ſuum feratur; quod fiet, ſi ejus conſiderentur perfectiones, & bonum quod naturæ affert (de quo ſupra jam actum eſt,) dein ut ipſe per opera, nullo in commoda propria intuitu, ſed cum moleſtiis haberi procuretur, de quo in præſentiarum agimus. Hanc ob cauſam hîc ſecum anima ſtatuat oportet, nulli difficultati aut moleſtiæ quæ ſeſe offeret, ſuccumbere. Sic feciſſe olim Jacobum Patriarcham legimus; qui cum Rachelem E ſibi in ſponſam, ob ſingularem ejus pulchritudinem delegiſſet, graviſſimas ejus habendæ ergo difficultates toleravit, uti poſtea de Gen. 31. 40. ſe ipſe teſtatus eſt; *Die noctuque* inquit, *æſtu urebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis*. Quod autem per Rachelem præſignificavit, multo id ſublimius poſtea cum Deo fecit, qui principalis erat finis, & immortalis pulchritudo, quam multo diligebat affectuoſius: atque inde Iſraelis accipere nomen meruit, quando nimirum magno quodam animi robore, & cordis elevatione cum Angelo luctatus, audiit, Gen. 32. 28. *ſi contra Deum fortius fuiſti, quanto magis contra hominem prævalebis?* quibus verbis cordis amantis fortitudo deſignata eſt, utpote quod cum Deo luctari non veretur, nec cedit; ſed quas ſibi F proponit manubias, victor aufert; atque hoc in ſenſu contra Deum fortis eſſe, vel Deum vincere dicitur: adeo ut qui amare ſtatuit, etiam luctari, laborare, pati paratus eſſe debeat.

Hoc ſignificare in Canticis Spiritus Sanctus voluit, dum ſponſam, id eſt animam, Cant. 1, 4 *ſicut tabernacula Cedar* eſſe ait. Cedar autem erant de ſtirpe Iſmael, gens fera & in agris habitans, in quibus eorum domus, id eſt tentoria, ſitæ, etſi interius multas continerent divitias, exterius tamen à ſole, pluvia, aliiſque cœli injuriis, quibus expoſitæ erant, male habebantur: ſic etiam anima, ſi in amore excellere velit, conſolationibus & ſuavibus affectibus, quos *pelles* denotant *Salomonis*, affluere non debet, ſed ſevere G dureque haberi, ac omnigenis tempeſtatibus exponi, *ſicut tabernacula Cedar*. Hic gravis eorum patet error, qui illuſtrium Chriſti amatorum vitam plenam ſibi eſſe fingunt conſolatione, deliciis, & tenerioribus affectibus. Sed falluntur: neque enim ita ſe res Amoris puritas quomodo acquiratur. habet, neque id conveniens eſt: amor enim ſic numquam ad ſuam puritatem pertingeret, & ipſa Dei gloria non modicè hoc pacto obſcuraretur. Putabit hic aliquis parum prudens, ſanctos, qui dulciſſimas ſcripſere, & jucundiſſimas materias, uti in veteri Teſtamento David, & Iſaias, in novo S. Dionyſius Areopagita, & Auguſtinus, ſemper ſapidum in ore mel habuiſſe. Sed nihil habuere minus; quin immo dicere potuere, quod olim de ſe David, Pſal. 59. 5. *Potaſti nos vino compunctionis*, H id eſt pleno amaritudinis & afflictionis, hoc enim ſignificat *compunctio*. Semel fateor, in tertium cœlum raptus eſt Apoſtolus, 2. Cor. 12. & eum veriſimile eſt, ſæpius maximis perfuſum fuiſſe conſolationibus, uti hiſce ipſe verbis teſtatur, 2. Cor. 1. 4 *Qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*: ſed moleſtiæ ac tribulationes ejus fuere innumeræ & graviſſimæ, Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio. mæ, ne quis male intelligat illud, *in omni tribulatione*: & horribiles paſſus eſt tentationes, perſecutiones, & ariditatem ininteriorem, morte ipſa etiam graviorem; uti Ibid. v. 8. illis declaravit verbis, *Gravati ſumus ſupra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere.* Et ſane ita Pauli amorem exerceri probarique oportebat.

A Verùm ſilenter prætereunda non eſt in hoc genere illa Chriſti Domini invitatio, qua animam ſponſam ſuam in Canticis invitavit, ut nimirum appareat, omnibus hanc doctrinam amatoribus univerſalem, & communem eſſe, Cant. 4. 8. *Veni de Libano, ſponſa mea, veni de Libano, veni.* Tertiò illam vocat, ut ad ſe de monte Libano, (id eſt perfectione, ad quam in hac vita anima, divina pulchritudine illaqueata, & capta, pertingit) deſcendens veniat. Trina hæc vocatio, familiaritatis Sponſi, & reciproci erga talem animam, adeoque in amando perfectam, affectus ſignum eſt. Ut vero appareat, ad quid, & quamobrem eam vocet, ſubjungit: Ibid. *Veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, & montibus pardorum. Coronaberis*, inquam. B Ecce ut corona finis eſt, ad quem eam vocat. At media, ac viæ, per quas ad hunc finem perveniat, ſunt montes Amana, Sanir, & Hermon, Amana, Sanir, & Hermon, quid? in quibus leones, & pardi habitant, per quorum illi ungues, & dentes tranſeundum eſt. Ita ſcilicet animam, quæ amare proponit, in libro illo, qui totus in hac arte noſtra verſatur, Spiritus Sanctus inſtruit.

Et ſanè quam intolerabilis foret cæcitas, aliquem amorem velle dare, qui dolorum ſit expers! quamque anima Chriſtiana indignum foret huic doctrinæ velle adverſari! cum quotquot hactenus de amore aut ſcripſerunt, aut tractarunt, eam ut indubitatam ac certiſſimam adſtruant, quemadmodum multis probare poſſem auctoritatibus: ſed in præſens ſufficiat idololatrarum illorum Aſſyriorum C teſtimonium, quando Judith, matronam formoſiſſimam, & moribus ſcitiſſimis dotatam, per caſtra ſua Bethuliam obſidentia tranſeuntem, quò ad Holofernem, ſceleſti illius exercitus imperatorem, penetraret, viderunt. Viſa namque muliere hac pulcherrima, ejus venuſtatem mirati, duci ſuo Holoferni Judith. 10. 18. dixerunt: *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his merito pugnare contra eos debeamus?* Hæc quidem illorum fuit opinio, qui tamen aliud quam pulchritudinem corporalem ac corruptibilem aut cogitare, aut æſtimare non poterant. Unde equidem neſcio, quis poſthac adeò futurus ſit demens, cui non quàm æquiſſimum videatur, & conD ſentaneum maximè, pro dulciſſima Filii Dei pulchritudine, & gratia pugnare, id eſt, ejus gratia labores perferrre, & cuicumque caput diſcrimini objectare?

Verùm nihil adeò artis noſtræ ſtudioſi cor emovere, & mollire debet, atque ea, quæ pulchritudine animæ captus Redemptor Jeſus præſtitit, quando nimirum horum Cantici verborum. *Si dederit homo*, qui verè Cant. 8. 7. amat, *omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione*, id eſt ut redametur, ab eo quem amat, *quaſi nihil deſpiciet eam*, ſenſum reipſa implevit. Hunc, inquam, ſenſum adeo amoris nobilitate dignum, Chriſtus Dominus implevit, donando ſeipſum (qui univerſa Chriſtus univerſa ſubſtantia domus patris ſui dictus. ſubſtantia, & divinæ domus Patris ſui æterni eſt) quò eum anima viciſſim amaret; ut qui animæ pulchritudinem amittere nullo modo cuperet; E quæ tamen cum ejus comparata pulchritudine, nonniſi intolerabilis quædam turpitudo eſt. Porro ſi nobiliſſimus hic amator omnem ſuam libens impendit ſubſtantiam, tamque ſtupendos, & prodigioſos ob tantilli momenti pulchritudinem dolores ſubit; cur anima non impendat id quod habet, & quod eſt, quò infinitam ſibi Regis pacifici pulchritudinem, quæ omnes affectus, & deſideria ejus longè excedit, comparet?

Deberet profectò anima, quæ amoris divini artem diſcere deſiderat, quoddam cum ſponſo ſuo pactum inire, ut ſe ipſe probaret, tentaret, & quibuſcumque nobiliſſimo cordi ejus alluberet modis, affligeret; F etſi alioquin ſine ulla prorſus moleſtia, id quod intendit conſequi poſſit; ut ſcilicet amorem depuret, & conſcientiæ pacem inde, tranquillitatemque ſentiat, quòd aliquam gemmæ & theſauri hujus pretioſiſſimi coemendi ergò ſubierit moleſtiam. Ita quidem ſentiunt Iuſti tribulationibus probati. juſti; qui ſi interdum ſe à tribulationibus immunes vident, ſtatim ſibi ipſis metuere incipiunt: quæ ſola cogitatio, ac metus plus eos affligit, quàm omnes aliunde advenientes tribulationes. Hanc ob cauſam B. Virgo S. Matris Tereſiae votum. Tereſia de Jeſu, in hac de qua agimus ſcientia verſatiſſima, Sponſo ſuo dicere ſolebat: *Domine mi, aut pati, aut mori*: ſignificare volens, grave ſibi ac moleſtum eſſe à Chriſto Domino abſentem vivere, niſi pro illo pati poſſet; (qua re amori puro, quem jam G comparatat, ſatisfaciebat,) vitam alioquin ſibi maximè moleſtam ac tædioſam videri, ac ſummopere diſplicere. Circa quæ verba rogare velim paucis eos, qui amoris profeſſionem faciunt, eos inquam, qui vitam contemplativam profitentur, cur ſi Chriſtum verè ament, tantopere pati adverſa fugiant? Hominum ita illuminatorum profectò non eſt, amorem exercere, & ejus probationem ſubterfugere; quin immo horum proprium eſt & amare tentamina, & ultro ſeſe iis offerre, nec gaudere ſi alio modo à Deo tractentur, verba illa ab animo amori deditiſſimo prolata uſurpando: *Proba me Domine* Pſal. 25. 2. mi amantiſſime, *& tenta me*, ad lapidem Lydium tribulationum explora me, ne forte adulterinum ſim aurum, purum me eſſe H ratus; *ure renes meos & cor meum*; corpus inquam, per renes deſignatum; & animam, Renes, quid? cujus cor imago eſt: quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet: Proba me, Domine, totum corpus affige, & animam; tranſire volo per ignem, & aquam, quò ad boni, & refrige-

Scrip. An. circ.1612. Ital. Idio.

rii, ad quod aſpiro, poſſeſſionem pertingam. Hanc à Chriſto ſapientiæ noſtræ magiſtro didicerunt doctrinam filii ejus primogeniti, id eſt, Apoſtoli, & verbo, ſcripto, & exemplo docuerunt. Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines. Hanc omnes ſecuti ſunt Martyres, Confeſſores, Virgines, & reliqua militiæ Chriſtianæ multitudo exquiſitis tormentorum modis aſſiduè propter Jeſum Chriſtum ducem ſuum decertantes. A Et quamvis tot tamque illuſtria non haberemus teſtimonia, & animæ dumtaxat ipſum pulchritudins, bonitatis, nobilitatis, & liberalitatis Chriſti robur, nec non inæſtimabiles miſericordiæ quas ei præſtitit, quin & ſempiternæ gratiæ, quas illi facere proponit, uti ſupra declaravimus, proponerentur; tantam hæc in illa impreſſionem facere deberent, ut poſthac in animum inducere non poſſet, ulla terræ commoda ſectari, ſed noctu, & interdiu ad ampliſſimum hunc theſaurum comparandum elaborare. Capiti huic finem imponamus, illuſtre quaddam afferentes monitum, Monitum. omnibus quidem in genere hominibus ſatis neceſſarium, ſed iis imprimis animabus utile, quæ ſe elanguere ſentiunt; B videnturque tantum non habituræ roboris ad magnas propter nomen Jeſu Chriſti pœnas, & difficultates patiendas: hi itaque per aliquot dies ex toto corde ſeſe ei dent, ſuam ut ipſe iis pulchritudinem manifeſtare dignetur, quò ejus ſeſe ſtudio, & amori totos applicent: multi quippe, quia hunc ſemel conatum, & ſtudium non adhibent, tota vita languent debiles, numquam ut creſcere, & proficere queant. Hi itaque aliquot diebus omnes alias occupationes, & cogitationes ſeponant, & uni orationi, humiliationi, ſuique per aliquas pœnitentias afflictioni, coram illo Domino, quem amare deſiderant, incumbant, & ipſe haud dubiè, pro ſua generoſitate, & miſeratione, ſeſe illis cognoſcendum, & guſtandum dabit. Et fieri poteſt, ut per harum auſteritatum C aliquam anima ita affecta maneat, ut poſtea noctu, & interdiu de alia cogitare re nolit, quam de magnis quibuſdam rebus, propter immortalem pulchritudinem, & ſuavitatem divinam, ad quam ex animo aſpirat, tum faciendis, tum patiendis: ac tum de illa dici poterit, quod de qualibet anima, in figuræ mulieris fortis ſcriptum eſt, *Guſtavit & vidit*, id eſt, per experientiam Prov. 31.18. cognovit, *quia bona* ſibi *erat negotiatio ejus*; atque inde ei enatum magis accuratiuſque elaborandi deſiderium: unde *non eſt exſtincta in nocte lucerna ejus*, id eſt, de nocte quieſcere noluit, ſed operi adeò ſibi quæſtuoſo intendere ſtuduit. Ita ſcilicet illuſtriſſimi quique utroque in ſexu ſancti, tum Græci, tum Latini fecerunt, novos ſui exa- D gitandorum maleque habendorum modos, cum deeſſent de foris tyranni à quibus exagitarentur, excogitantes, quò divitias, quibus (ut humano modo loquamur) divinam quam amabant pulchritudinem emere poſſent, acquirerent. Sed jam in particulari de doctrina hac, quàm maximè neceſſaria, agamus.

CAPUT VII.

De quarto artis Deum amandi præcepto, quo graves aliquot proponuntur difficultates pro Chriſti amore ſubeundæ.

SAtis eſſe animæ, quæ amare proponit, non debet, generatim noſſe, magna ſibi cum difficultate Jeſu Chriſti pulchritudinem E quærendam; ſed & maximas moleſtias, & difficultates, quò adverſus eas ſe armet ſcire ſtudere debet, & multos fortitudinis, & generoſitatis, quæ rerum divinarum amatoribus apprime neceſſaria, actus facere. Cum enim pretenſio, & ſtudium ejus altiſſimum ſit, & actus nobiliſſimos exigat, niſi animus generoſus ſit, numquam quod ſpectat conſequetur. Anima porrò que votorum ſuorum fieri compos vult, ſanctam quamdam ſibi ſciat audaciam neceſſariam eſſe, quamdam videlicet cordis generoſitatem, quæ nulli difficultati cedat. Si enim in caſibus periculoſioribus, & perturbationibus tum interioribus, tum exterioribus cor exarmatum, id eſt robore deſtitutum fuerit, etſi multa alioquin bona propoſita, & habeat, & fa- F ciat, omnem laborem ſuum, quem hactenus adhibuit, profundet, & perdet, uti de *filiis Ephraim* ſcriptum eſt, qui *intendebant* Pſal. 77.9. *quidem & mittebant arcum*, id eſt, multa præclara faciebant propoſita, & quodammodò præludebant in arena, quando ſcilicet extra periculum erant; ſed *in die belli* fugam injerunt. & ad propria redjerunt. At qui amat, eſſe de numero debet ſexaginta illorum fortiſſimorum Iſrael, lectulum Salomonis cuſtodientium, ut in Canticis Spiritus Sanctus indicat, *qui omnes tenebant* Cant. 3.8. *gladios*. Sic anima, ſi in amando excellere velit, à diabolo, mundo, & ſeipſa, id eſt à corpore ſuo, quin & à Deo, exerceri debet: quippe omnibus his modis vaſa electionis probantur, Vaſa electionis probata. & contunduntur, modò qui- G dem uno, modo alio, modò etiam omnibus his modis ſimul; adeò ut omnia quæ ſunt in rerum natura, adverſus animam unam conjuraſſe videantur: uti factum, ad puriſſimum illum amorem Jobi explorandum, quando Iob. 1.2. & cœlum, & elementa, tam inimici, quam amici, ipſa etiam uxor uno ſimul impetu ipſum aggreſſa ſunt; quinimmo ipſe ſibi gravis, & moleſtus factus fuit, ac ſeipſum tentavit. Inter maximas has difficultates non refero pœnitentias, & auſteritates quas Chriſti ſervi, & amatores ſubeunt, tum jejunando, tum catena corpus conſtringendo, Iuſtorum pœnitentia tum flagris membra cædendo, &c. quæ reſpectu earum quas diximus pœnarum minimæ ſunt. Etſi notandum alioquin ſit, quod, quando externa gravamina, & dolores de- H ſunt, amor, ſi verus ſit, ſemper in propriam carnem inſurgat, ſeque ipſum malè habeat. Dixi, quando externi, & alii dolores deſunt; etſi enim qui amat, quamvis ab aliis vexetur, etiam inſuper ſeipſum vexet, & affligat; quando tamen tribulationes, quas Deus immittit, ingentes ſunt, neceſſe neutiquam

quam eſt, ut ſe amans amplius excruciet; quia non parum præſtiterit ſi patientiam conſervet, & fidus maneat, uti poſtea dicemus.

Amor, qualis affectus.

Ut autem ad quartum artis noſtræ præceptum veniamus, præſupponendum eſt, amorem affectum eſſe ſollicitudine, timoribus, & ſuſpicionibus plenum; cujus rei teſtes ipſi mundi amatores eſſe poſſunt, qui caput inanibus cogitationibus ac metu in aere fundato oppletum habent. A Horum autem timorum, & ſuſpicionum cauſa, ipſa amoris eſt magnitudo, utpote qui à re amata timet avelli; & quo plus meruit, eo magis eſt ſuſpicax. Sic videmus avarum, aurum, quod multis clavibus clauſum aſſervat, amantem timere, & timore illo de nocte excitatum, lecto ſurgere, quo oſtiorum ſeras exploret; num bene firmiterque occluſæ ſint; & licet ſæpius jam expertus ſit, has ſuas ſuſpiciones inanes eſſe, non propterea tamen quieſcit, nec umquam quieſcet, quamdiu affectus hic, & amor erga aurum durabit. Falſus, & vanus hic amor veri amoris affectum, & zelum figurat, à quo veri theſauri animæ, qui Chriſtus Jeſus eſt, amatorum corda excitantur & animantur.

Verus animae theſaurus Chriſtus.

B Paſſionis hujus magnitudo exponi verbis commode nequit, utpote quæ in iis quas amantes patiuntur afflictionibus & pœnis, non poſtrema eſt. Et ſane adeo illa ingens eſt, ut in Canticis Spiritus ſanctus morti, & inferno eam comparare non dubitet, hiſce verbis, *Fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*: (*Cant.* 8. 9.) ut enim animam mors à ſuo ſeparat corpore, ita eam amor per affectum ab hoc ipſo corpore divellit, efficitque ut rei amatæ magis adſit quam corpori, quod animat. Quod etiam ex ipſa confirmatur philoſophia, cum vulgo dicatur Animam potius eſſe, & magis ubi amat, quam ubi animat.

Anima magis ubi amat, quam ubi animat.

Ab hoc affectu naſcitur zelus & *æmulatio*, quæ *dura* eſt *ſicut infernus*: id eſt, ſicut nulla patet iis qui in C inferno agunt redemptio, ita nec illis, qui in zelotypiæ carcerem compacti ſunt. Atque ut damnati ſemper vermem illum habent conſcientiæ à quo perpetim arroduntur, ita zelotypi ſemper illum zelotypiæ ſtimulum circumferunt, qui nullam ipſis quietem indulget. Hæc itaque una è maximis graviſſimiſque moleſtiis eſt, quas pati debet anima, quæ Chriſtum Ieſum in ſponſum ſuum elegit. Ut enim ipſe ſumme amabilis eſt, & multas illa rationes habet, ob quas timeat, ac cauſam ſuam ut ſuſpectam habeat; partim ob infinitam puritatem, quam divina pulchritudo requirit ab illo, qui familiariter intimeque ſecum converſari deſiderat; partim ob magnam naturæ humanæ fragilitatem, variis imperfectionibus, cum amoris hujus puritate D non bene convenientibus ſcatentis, partim ob graviſſimas tentationes, in quibus anima neſcit quomodo ſe geſſerit; partim ob repulſam à Domino, & ariditatem, ut anima terra quædam maledicta facta eſſe videatur; partim ob alios varios reſpectus, & caſus adverſos; ob has inquam omnes cauſas aliquod anima timendi, & ſuſpicandi fundamentum habet, ne magnus ille Dominus, quem amat, ob aliquam ſuam ſit culpam ab ea factus alienior. Atque hoc eſt mors, & infernus, quem in hac vita illa patitur anima, quæ à morte æterna, & inferno in perpetuum libera erit. Adverſus hos autem timores, & ſuſpiciones non aliis anima corroboranda eſt armis ac viribus, quam armis amoris, firmiter E nimirum ſperando, ab eo ſe Domino quem amat, nequaquam deſerendam, modo ipſa illi placere ſatagat, & nihil quod illi diſpliceat advertenter committat. Utile quoque erit, ut qui hujuſmodi ſe languoribus ſentit oppreſſum, aliquot ad Deum uſurpet verba cor elevare nata, uti illa Davidica, *Quare triſtis es anima mea? quare conturbas me ſpera in Deo* (*Pſal.* 41. 67.) potius, quia certus ſum *quoniam adhuc confitebor illi*, etiam in hiſce dejectionibus, & timoribus, & ſuſpicionibus his nequidquam inſurgentibus eum laudabo, & confitebor, quia ipſe *ſalutare vultus mei, & Deus meus*: ipſe ſcilicet ſalutem mihi dabit ad quam adſpiro ipſe mea futura hæreditas, quam requiro.

Sed ulterius ut progrediamur, notandum, animæ afflictionem non modice excreſcere, F quando non modo à timoribus, ſuſpicionibus vel zelotypia; de quibus egimus, exagitatur, verum etiam (quod gravius ſolet nocere) ab eo timore, quo metuit, ne votorum ſuorum compos non fiat, & hic ſuus conatus irritus ſit, & inanis futurus: uſque eo quidem ut videatur interdum jam ad extremum deveniſſe, ac parum abeſſe, quin à propoſito ſuo reſiliat, modum vivendi cœptum jam mutet; quinimmo Deum ſibi perſuadeat, velut aliis rebus intentum, ſui oblitum eſſe; ad illorum prope delabens voces qui dicebant, *Circa cardines cæli perambulat, nec noſtra conſiderat*. (*Iob.* 22. 14.)

Graviſſimus animae timor notatus.

Ab altera parte languere ſe videt, ac vitam ſibi proponit moleſtiſſimam, quæque numquam finem ſit G habitura: quia magna deſolatio omnia videri facit, & tædioſiora, & longiora quam revera ſint. Hinc per has imaginationes, tum per ſe faſtidioſas, tum à diabolo incentore adauctas ſæpe eo venit anima, ut in hæc ſimiliave verba prorumpat: *Ne te in vanum torqueas, noli tentare quæ impoſſibilia ſunt: non eſt quod magnis ſanctis paria facere velis; communis tibi vitæ ratio ſufficiat*. Hæc afflictio quam maxime faſtidioſa eſt; ſed minime curanda: quin potius magna fiducia cor in Deum defigendum, & Abraham imitandus: inter cujus laudes non poſtrema illa eſt, quod *in ſpem contra ſpem credidit*, (*Rom.* 4. 18.) id eſt, credebat, conſecuturum ſe quod ſperabat, etſi multa ſpei ſuæ contraria, & adverſantia apparerent. Magnam hinc illi Deus ex Jſaac poſteritatem pollicebatur, illinc præcipit, H ipſum ut immolaret. Tum vero magni illius Patriarchæ cor à rerum ad invicem repugnatia lancinatum, ac diſtractum contra omnes rationes naturales credere, & ſperare inſtitit, ſolis rationibus fidei inſiſtendo, & ſpei ancoram ſolidando.

Abrahae fides ſectanda

Imitetur hoc anima oportet, quæ ſpei ſuæ contraria accidere conſpicit.

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

cit. Cum enim Deum nullam ſui curam gerere credit, cum naturalis eam imbecillitas contriſtat, & affligit, cum ad deſperationem dæmon adigit; tum oculos in Jeſum Chriſtum ſuum figere, maximos ab eo favores, & ſubſidia ſperare, & quam non videt opem A debet credere. Atque hoc unum è primariis maximeque neceſſariis artis hujus præceptis eſt, adeoque Deo gratum, animæ vero proficuum, ut, quod David Propheta in Dei perſona, de homine fideliter ſperante, ait, 2. *Reg.* 19. 6. manifeſtè in ea adimpleatur. *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum, protegam eum, quoniam congnovit nomen meum*, ſuaviſſimum, inquam, nomen Jeſu, quod omnes perfecte non cognoſcunt ſed pauci admodum: inter quos proculdubio ſunt illi, qui firmiſſime confidunt, & credunt, Dei Filium, cum nomen, & officium acceperit ſalvatoris, ſuo reipſa officio erga eos, qui omnem ſuam in illum ſpem conjecerunt, functurum.

Anima porro, quæ in hac vexatione generosè ſe gerit, & ſpe ſua bene utitur, fe- B liciter admodum procedit, inſignemque in amore progreſſum facit; nihilominus multæ ei ſunt conquerendi, lamentandique cauſæ; inter quas non poſtrema eſt, quod Dominus ab illa eo longius recedat, quo ipſa magis ad eum accedere eique fieri, magnas quæ in via perfectionis illi occurrunt difficultates ſuperando propior deſiderat. Videt alios, ſtatim atque Jeſum Chriſtum inclamare incipiunt, benevole, & amice ab eo haberi, ſe vero cum faciat quidquid poteſt & ſcit, ſevere ab eo tractari. Unde quodammodo interius de eo conqueritur, uti olim Joab de Davide ob Abſalomi interitum gemente, & de iis qui generosè in prælio ſeſe geſſerant, laborante: *Diligis odientes* 2. *Reg.* 19. 6. *te, & odio habes diligentes te*. Ingens ſane C hæc crux eſt, magnaſque amaritudines, quæ amoris ad indignationem concitati ſunt indicia, cauſatur. Verum omnes hi motus per ſpei ſunt actus nec non interrupta quædam exercitia, partim ſpiritualia, partim corporalia, quæ adeo non affligunt, ut etiam aliquatenus recreent, ſuaviter reprimendi. Atque his in occaſionibus ardentior ſolito eſt Chriſtus non deeſt ſperantibus. in Chriſtum fides concipienda: quippe qui numquam defuit ſperantibus in ſe; & quo longius ſeſe ſubducere videtur, majoremque rigorem oſtendere, eo magis, ut quidem omnis exigit ratio, ſperandum eſt, eum quam citiſſime auxilio futurum, & majorem erga animam, quæ ejus cauſa patitur, benevolentiam declaraturum.

Sed tribulationum omnium, quas in hac via anima patitur, illa maxima eſt, poſt D longum laborem, & ſpem, (quo aurum hoc cordis humani excoquatur purius) evenire ſolita, ſcilicet, quod dum ſibi ob varios reſpectus, & accidentia, anima perſuadet ſe vel nondum hactenus veram vitæ viam iniiſſe, vel à vera aberraſſe. Quod tum maxime fieri ſolet, quando certa de cauſa in univerſam vitam præteritam retro oculos flectit, conjecturaliterque exiſtimat ſe ſemper in errore verſatam fuiſſe, vel ſi univerſalem forte hanc conjecturam non faciat, jam ſaltem ſe, cum primo inceſſerit, deflexiſſe à vera via vere judicat. Magna, & gravis inprimis (ut nemo non judicare poteſt) illa paſſio eſt animæ divinam pulchritudinem ex E corde diligenti, dum ſe credit vel numquam ei gratam exſtitiſſe, vel gratia jam ejus pe- Comparatio nitus excidiſſe. Non ſic navi in medio oceano undis jam quidem in cælum ſeſe efferentibus, jam vero repente ad ima tartara deſcendentibus, undique jactata percelluntur vectores: non tot, civitate arcte ab hoſte obſeſſa, & per horrendas noctis tenebras aſſiduo tormentorum bellicorum fragore impetita cives in anguſtiis, & angoribus verſantur, atque anima quædam hiſce terroribus, & terriculamentis aſſidue exagitata. Ut vero ad ſumma, & extrema redigatur, permittit interdum Dominus, ut hanc mortis formidinem viri etiam graves adaugeant; puta verſatiſſimi Theologi, vel Superiores, quos conſili, vel remedii cauſa anima adit; F adeo ut hi, vel quod rerum interiorum ita periti non ſint, vel quod eam quam cauſa poſtulat, diligentiam non adhibeant, vel ob alias occultas divinæ ſapientiæ rationes, indicent aliquando, animam, quæ ſingulari quadam ſit ſanctitate prædita, veroque Dei ſpiritu donata, ab Angelo ſatanæ transfigurante ſe in Angelum lucis decipi, & falli.

Undæ animæ huic afflictiſſimæ dicere poſſe videntur illud, *Non plus ultra*: hæc enim maxima omnium ad quas queat pertingere, eſſe videtur afflictio: quo hoc pacto ſacrarium illud Altiſſimi, & thalamus Filii Dei commorationi, & converſationi deſtinatus, ad altiſſimæ perfectionis, quam tanta puritas exigit, gradum pertingat. Unde contingit, G ut poſtea quam humaniſſime, benevolentiſſimæque ab eo excipiatur, tantoque majore divinarum conſolationum multitudine perfundatur, quando tribulatio ante erat major, & vehementior. Sic ſponſam in Canticis legimus, poſtquam miras paſſa moleſtias Cuſtodum civitatis ſignificatio. eſſet, poſtquam cuſtodes civitatis, id eſt, Doctores, & Prælati (de quibus paulo ante locuti ſumus) eam veſte, (id eſt, divina protectione) ſpoliaſſent, ac, per repulſas & verba illa, quibus ſpiritum ejus improbarant, ei velut vulnera inflixiſſent; ſponſum tandem ſuum inveniſſe, & cum jam per aquam, & ignem ſæpe tranſiiſſet, tandem ad refrigerium perveniſſe. Atque id indicant ſuaviſſima illa verba, prima omnium quæ ad animam ſponſus, jam poſt tot labores, & mala quæ ſponſa ſubierat, inventus, locutus eſt; *Cant.* 6. 3. *Pulchra es amica mea, ſuavis, & decora ſicut Hjeruſalem*, H cæleſtis ſcilicet, in qua pulchritudo, ſuavitas, & decor meus in ſummo eſt. Verum interim dum ſponſus moras trahit, & non venit, melius nullum eſt remedium, quam ut homo in illa ſe ſolidet fiducia, quam tantopere ante commendavimus, ſibique perſuadeat, quod cum è malitia non peccet, & nullam vel minimam; ob omnia mundi bona, imperfectionem admit-

Scrip. An. circ. 1612. Ital. idio.

teret, divina bonitas haud permiſſura ſit, ut in tanti momenti negotio (quale eſt, in ejus eſſe gratia, vel non eſſe) decipiatur. Hæc vero fiducia, ceu anchora, in tot tribulationum fluctibus navem animæ fundabit, anima quoque corroborabitur, ubi conſiderat, quod non modo ulli vel minimæ imperfectioni A locum non daret; verum etiam paratam ſe ſentit, mille, ſi haberet, vitas impendere, quo aliquid quod Chriſto gratum ſit, faceret. Quam reſolutionem, & affectum dum in ſe notat non eſt quod clam in ſe tantum latere malum credat, uti eſſet, extra Dei gratiam eſſe. Præterea cum verum ſit, primarium animæ bonum gratiam eſſe, & conſtet, id quod tempeſtates, & turbationes in ea plerumque ciere ſolet, aliquam eſſe ſpititus difficultatem, quæ ad aliam quamdam ſpeciem bonorum non adeo principalium refertur; anima, quæ multas rationes, & motiva ad credendum habet, eſſe ſe in Dei gratia, mœſtitia non ſe ſinat obrui, propter ea, quæ quamvis etiam eſſent diaboli deceptio, & illuſio, non eam propterea B gratia divina privabunt, quamdiu voluntaria non ſunt, & ipſa interim parata eſt in iis quæ ad ſpiritum ſpectant ſuo obedire directori.

Animae diabolicis illuſionibus infeſtatae.

Hoc maximæ cujuſdam conſolationis monitum eſt; quia, cum è Theologorum ſententia verum ſit, animas quæ in gratiæ ſunt ſtatu, ab illuſionibus diabolicis interdum infeſtari, parte præcipua nullam læſionem accipiente, & integra, anima, quæ Jeſu Chriſto ſe conſecravit, & quantum quidem colligere in animo poteſt, Deum magnifacit, & ei omnia poſthabet, (adeo ut probabiliter judicare poſſit, & debeat, eſſe ſe in gratia) nimiopere deiici, ac contriſtari non debet, etſi nonnulli eam non rectè ambulare, verum Dei ſpiritum non habere, & à Dæmone C decipi aſſerant; quin potius magnanimiter procedere, dareque operam ſuus ut ſpiritus examinetur, eiſque qui Dei locum occupant ſeſe ſubiicere: hæc quippe omnia conducunt ad aliquem in arte noſtra progreſſum faciendum. De aliis porro remediis, quibus anima ita graviter afflicta juvari queat, ſicut hoc capite aliquid indicavimus, particularius, & minutius capite undecimo poſt tractabimus, quo loco etiam remedia ſuggeremus iis, qui Chriſti familiaritatem, & amicitiam perdiderunt, ut uno in loco ſimul omnibus ſatisfiat. Jam Chriſti Domini, quando indignatus apparet, placandi modos profequamus.

CAPUT VIII.

De quinto artis amandi præcepto: quo aliquot Chriſti Domini, ſi quando iraſci videtur, placandi rationes traduntur.

D

ARtis amandi proprium eſt, nonnullos perſonæ amatæ, quando iratam ſe vel vere, vel fictè, vel ſeveram (uti in tribulationibus, de quibus cap. præcedenti) oſtendit, modos aſſignare. Atque ideo hic id ipſi facturi ſumus, ut hiſce modis anima utatur, eos ex illis ſibi ſeligendo ad uſum, quos magis ſibi comperiet expedire. Circa omnia vero hoc capite dicenda, veriſſima quædam notanda venit doctrina, quoad celebrem illam inter viros ſpirituales controverſiam, diſceptantes variè, & quærentes, num deſiderandæ unquam ſint conſolationes? vel E hoc modo: Num Chriſti viſitatio vel deſideranda ſit vel roganda? Diverſimode huic reſpondetur a variis. Siquidem nonnulli univerſaliter dicunt, conſolationes divinas minime deſiderandas eſſe, nedum rogandas. Quam ſuam reſponſionem hac ratione confirmant, & probant; quod hæc petitio ac deſiderium propriam ſapiat conſolationem, ac proinde virorum ſpiritualium non ſit propria. Alii non ita univerſaliter definiunt, reique bonitate nituntur: ſi enim hæ Dei conſolationes, vel viſitationes, vel lumina, bona ſint, animamque illuminare nata, ut ipſa Dominum ſuum magis, & cognoſcat, & amet, mundum, ac ſeipſam contemnat, ſane hac illas intentione deſiderare, & petere quidam perfectionis eſſe videtur actus, præſertim F ſi quis id obſervet, ut cum diſtinctione aliqua hos actus faciat, hos nimirum Dei favores nolit, in quantum ejus ſunt conſolationes; ſed ſolummodo in quantum ad divinam ejus majeſtatem & cognoſcendam, & amandam conducunt; nec non ob alios fines ſpirituales, & utiles, ad quos vere, & realiter ferviunt.

Spirituales conſolationes an deſiderandae?

Sancti conſolationes petierunt.

Secundam hanc opinionem, ut veram, amplector: nam præter rationem Thelogicam, in qua fundatur, ipſos video ſanctos hos interdum favores, & conſolationes petiiſſe: inter quos unus, ſcilicet David, inſtar erit omnium; qui ſæpius ſuis in Pſalmis eoſdem efflagitat, uti maxime videre in illo Pſalmo eſt, *Uſquequo Domine oblivi ſceris me in finem? &c.* Item in illis verbis, *Defecerunt* G *oculì mei*, in cælum continenter intuentes, ut viderem quando adimpleres *eloquium tuum*: & dico non quidem ore, ſed oculis, qui cum lacrymis loquuntur *quando conſolaberis me?* Nequis verò aliter verba ſua interpretetur; ſubnectit, quo ipſe in ſtatu tunc eſſet, *quia factus ſum*, inquit, *ſicut uter in pruina*, qui mæſtitiæ animam meam conſtringentis ſymbolum eſt, atque ideo aliquam a te conſolationem peto, quo ipſa dilatetur, & diſſolvatur. Quod autem hæc cordis dilatatio ad fines illos perfectos, quos diximus, & ad univerſam legis Dei obſervantiam maximopere, ſerviat, idem David evidenter ſatis demonſtravit, cum ibidem diceret, *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum*. Quod autem doctrina H hæc vera ſit, ex ipſa colligere diligentia eſt, quam in exercitiis illis aut mediis adhibendis ſpirituales omnes navant, in quibus lucem, confortationem, & conſolationem ſpiritualem reperiunt, omnes idcirco occaſiones fugere ſatagentes, quæ devotionem hanc, & pium de Deo ſenſum extinguunt vel opprimunt. Nihilominus illi ſancti, ac ſanctæ, qui nullas umquam conſolationes petiere,

Pſal. 12. 1.
Pſal. 118. 82.
Ibid. v. 83.
Ibid. 32.

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

Favores ſpirituales quomodo deſiderandi, ac petendi?

A

Humilitas commendata.

B

Divinaeque voluntati reſignatio.

C

Exod. 30. 31. 32.

Rom. 9. 3.

Moſes, & Paullus.

D

bene perfecteque fecere, quia omni penitus carere conſolatione voluere, aliaſque habuere intentiones laude dignas; quos, qui hunc ſpiritum habuerint, imitari poterunt. Sed qui alia illa, quam diximus, procedunt via videant ne inconſulto ac temere in favoribus Domini, vel deſiderandis, vel petendis procedant; quinimmo in intentione ſua purificanda, & hiſce ſuis deſideriis cum viris ſpiritualibus communicandis, ne forte ab amore proprio decipiantur, admodum cauti ſint. Præſuppoſito vero, utile cum primis eſſe lætam Domini faciem quærere; & rationi conſentaneum, ut anima placare procuret eum quem amat; primus Jeſu Chriſti placandi modus eſto, ut aliquam ſe homo commiſiſſe culpam credat, qua eum a ſe alienarit, (uti, qui timoratæ conſcientiæ ſunt ſemper ſibi perſuadent) & coram Domino ideo ſeſe velut reum humiliet; ita namque & breviter & feliciter quod volet aſſequetur. Circa hunc autem modum aliud dicendum non occurrit: nam, etſi forte nulla ſubſit culpa, non male faciet anima, rem ſuam bene agere cum Deo volens, ſi ſe ream, & culpabilem credat. Secundus modus eſt, ut proteſtetur anima, libenter eo ſe, ſi modò illi placeat, carere velle: adeo ut, ſi illi lubeat ſubducere ſeſe, ipſa ſe divinæ ejus voluntati in hoc ſit accommodatura, etſi alioquin illius abſentia permoleſta ei & gravis ſit. Eſt hic excellentiſſimus quidam actus: nam cum quicumque juxta gradum ſuum, amor rei amatæ uniri, & præſens eſſe appetat; hinc ſequitur, quod, qui ſe in re, quæ morti, (id eſt, ſeparationi animæ a corpore) æqualis eſt, reſignat, neceſſario nobiliſſimum quemdam actum, ac conſequenter Chriſto placando aptiſſimum exerceat. Porro actus hujus dignitas, & excellentia hinc manifeſte patebit, ſi duos duorum perfectiſſimorum amantium Moſis inquam, & Pauli actus, quos altiſſimo quodam amore Dei, & ardentiſſima erga proximum charitate impulſi fecerunt, conſideremus. Dixit quippe Moſes, *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ;* non quidem ut Dei fieret inimicus, ſed tantum ut ejus gloria eatenus privaretur, quatenus ſibi potior, & antiquior Dei erat gloria, & proximi ſalus, quam ſui ipſius conſolatio. Idem quoque ſenſit Apoſtolus, *optans eſſe anathema à Chriſto*, id eſt, ab eo ſeparari, cum ob gloriam Dei, tum ſuorum ſalutem fratrum. Uterque porro, altiſſima quadam caritate incitatus, ea privari volebat præſentia, ad quam tamen quàm ardentiſſime aſpirabat. Actus autem hi tales ſunt, & tam præſtantes, ut in Moſis, & Pauli vita, & univerſaliter in tota ſacra hiſtoria vix ullos hiſce digniores legere ſit. Proinde anima, quando ſincere, & ex animo, ſponſo ſuo ſe offert, ei ex corde dicendo; ſi tibi ita videatur, Domine, tua ſemper carere velim præſentia, & hanc abſentiæ tuæ mortem æqua mente feram; heroicum quemdam amoris actum exercet, in qno, rei amatæ velle, ac voluntatem intimo ac cordialiſſimo deſiderio ſuo anteponit: quo vix ullus alius ſublimior dari haberique actus poteſt.

E

Sacrificium, quid propitiatorium.

F

Animae refugium.

Job. 42. 7. 8.

Alius placandi Domini modus, eſt ſacrificium illi offerre; quippe communiter omnibus à Divina majeſtate inſpiratum videtur Nationibus, et, quo ſuo ſe Creatori reconcilient, ſacrificia ad hoc adhibeant propitiantia. Unde omnes, etiam idololatras, in adverſitatibus ſuis, in bellis, in maris periculis, ad ſacrificia recurrere videmus, hac ſuos ſe ceremonia, etſi male applicata, deos placaturos arbitrantes: qui ſi veri Dei notitiam haberent, minimè dubitandum eſt, quin hic reconciliationis quærendæ modus, per hunc ritum admodum efficax eſſet. Quis vero, quoad hoc, veri unicique ſacrificii, quod Jeſus Chriſtus inſtituit, ut efficaciſſimam quamdam pacis cum illo ineundæ rationem haberet anima, vim efficaciamque verbis conſequatur? Linguæ omnes, quando de altiſſimo hoc ſacrificio ſermo incidit, obmuteſcunt, porro magna quædam, & rara per ipſum non impetremus, non id eo fit, quod medium ipſum ex ſe quo ad hoc impertinens ſit, aut inefficax, ſed propter exiguam fidem, & malum ejuſdem uſum. Anima igitur, quæ ſe graviter afflictam comperiet, ad altaris ſacrificium recurrat, illud Dei conſilium amicis Jobi datum ſequendo: qui cum primo dixiſſet, ſuccenſere ſe iis (*iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, &c.*) iræ tollendæ medium ſuggerit, dicens, *Ite ad ſervum meum Job & offerte holocauſtum pro vobis*, itaque vobis conciliabor. Credat autem anima, ſi ea qua oportet fide, hoc remedium adhibuerit, ſingillatim id ad placandum Chriſtum, & divinam in ſe pacem devocandam applicando, perutilem ſibi ſe rem facturam, & Deo fore cariſſimam.

G

Opera miſericordiae commendata.

H

Eſt, & alia irati Domini placandi ratio, quam artis hujus magiſtrorum ſcripta, & doctrina declararunt; ſcilicet ut in iis cum Domino Jeſu locis, & occaſionibus anima agere curet, in quibus ſe ipſe magis benevolum ac liberaliorem oſtendere videtur, verbi cauſa, quando graviter ſe afflictam ipſa, & deſolatam ſentiet, noſocomia publica & privatas domus in quibus deſolatos, & deſertos ab omnibus homines reperire eſt adeat, eoſque verbis, &, ſi potis eſt, ſtipe, & eleemoſynis conſoletur, hoc autem opus, ad Dominum Jeſum placandum potiſſimum adhibeat; cui ipſum pergratum erit, quippe ſibi factum æſtimans, quod pauperibus hiſce impenditur quaſi beneficium hoc reciproca benevolentia compenſando, priſtinam huic animæ pacem reddere, & magna eam conſolatione recreare conſuevit. Quod autem de noſocomiis, ac domibus egenorum dixi, idem eſt de templis, ſtationibus, aliiſque locis, & occaſionibus piis, in quibus ſe anima aliquod Domino quem amat, obſequium præſtare poſſe, obſervat, intelligendum. Hunc porro negotiandi modum ipſi filii ſæculi hujus nos docent, cum ſedulo commoda captant tem-

A

Chriſti epulae, quae?

tempora, & loca obſervant, quibus principes pacatiores, ac faciliores ad alloquendum fore putant petituri ea, quæ deſiderant. Et fieri poteſt, ut interdum quis rem ſuam agere gnarus, & callidus, commodam tantum captando oportunitatem, (verbi gratia, quando Princeps, vel prander, vel cenat) impetraturus ſit, quod viri etiam graviſſimi, poſt magnam inſtantiam, & multas preces impetrare minime potuerunt. Sic anima faciat oportet, ſibique perſuadeat, illas eſſe Jeſu Chriſti epulas, ac cænas, quando qui derelicti ſunt; conſolantur, & paſcuntur; & (ut noſtro modo loquamur) tunc illum ſe placidiorem, & ad miſericordiam faciendam faciliorem præbere ſolere. Atque hoc modo noſtra hac ætate plurimi amoris divini ſtudio deditiſſimi, bene rem ſuam egerunt, animæque magnum quæſtum fecerunt.

Medium ad Deum conciliandum.

B

Alius, quo anima inflammatur, quemque res ipſa, & experientia utiliſſimum eſſe monſtravit, Dei conciliandi modus eſt, ut, quando ſe anima languidam videt, illos erga imaginem ejus quem amat, Jeſu Chriſti ſcilicet affectus oſtendat, quos oſtenderet ei, ſi ipſe corporaliter præſens adeſſet, ut nimirum eam veneretur, alloquatur, compellat, alioſque affectionis, quos afflictio qua tum opprimitur, ſuggeret, actus exerceat. Atque hanc ob cauſam pictas ſculptasque ſibi obiiciat imagines, prout ſe quiſque melius hoc modo, ad eoſdem affectus in urgentiſſimæ neceſſitatis tempore reproducendos comperit juvari.

Exempla.

C

D

Carnis mortificatio praecepta.

Quin etiam efficaciſſimus quidam modus eſt, profunde ſe coram divina majeſtate humiliare, & aſpectu quodam miſerabili, ad miſerendum provocanti illi ſe præſentare, ac ſiſtere. Siquidem ſacræ ſcripturæ exempla nos docent, hoc illum modo graviſſimis etiam peccatoribus conciliatum eſſe. Exempli loco ſint publicanus ille Evangelicus; ſervus nequam; filius prodigus; quia ſi peccatoribus tam gravibus propitium ſe oſtendit erga juſtos ſane pervicacem, & obduratum ſe non oſtendet. Cum autem ſuadeo, ut ſe illi anima aſpectu miſerabili ſiſtat, notandum id ita intelligi non debere, quaſi veſtes ei mutandæ ſint, aut caput cinere conſpergendum, ſicut in ſcriptura antiquos tribulationibus oppreſſos feciſſe legimus: quia univerſaliter hoc omnibus, propter ſtatuum diverſitatem aliaſque circumſtantias, conſuli nequit: at illud omnes practicare poſſunt, nempe profunde ſeſe humiliare, & cum hiſce propriæ ſui cognitionis affectibus divinæ clementiæ ſeſe ſiſtere, parati quamcumque humiliationis exterioris ſpeciem, ſi id expedire judicaverint illi qui animæ regimen habent, aſſumere. Inter alios modos, etiam carnis numeranda mortificatio eſt, per vigilias, jejunia, flagella, &c. quia non tantum gratias majores, verum etiam ad alias res magis obvias, & communes impetrandas, animæ divini amoris ſtudio deditæ, hunc cum Deo agendi modum practicare, & adhibere ſolent. Unde ſancti (uti de S. Thoma Aquinate legimus,) ſi quando geminum intimumque alicujus Sacræ Scripturæ loci ſenſum intelligere nequeunt, præter alias quas adhibent induſtrias, & labores, carnem etiam ſuam mortificare ſolent. Si porro tantum carnis auſteritas confert ad hanc Dei lucem in ſacrarum litterarum intelligentia adipiſcendam, quantum hæc ad eumdem proderit placandum? Quandoquidem tunc temporis homo aliam quamdam Dei lucem, alteri illi ſimilem acquirit, ad eum perfectius, & cognoſcendum, & amandum.

E

Et oratio adſidua.

F

Denique continua perſeveranſque oratio, inſignis cum primis, & efficax cum Deo agendi, ejuſque placandi modus eſt: fideli namque perſeverantique orationi omnes promiſſæ victoriæ ſunt. Hic agendi modus proprius eorum eſt, qui amoris divini ſtudio ſe conſecrant, adeo ut nullum tempus aut locum excipientes, niſi aliis rebus incompatibilibus præpediti ſint, ſemper cum eo quem diligunt, per orationem agere ſtudeant: quæ profecto vita angelica eſt, altiſſimæque perfectionis. Sunt vero, & alii multi Dominum placandi modi, ſed omnes nec poſſunt, nec debent recenſeri. Amor quippe mirabilis quidam inventor, & artifex eſt, & nullo non momento modos adinvenit, cum dilecto agendi; quia de alia re nec cogitat, nec meditatur. Sed quantum ad artem noſtram ſpectat, aliud hic amplius non requiritur, quam aliquibus productis exemplis, ipſam cum Chriſto Domino agendi, ejuſque placandi rationem demonſtrare.

G

Vigilantia praecepta.

Atque conſtantia.

H

Porro circa omnes ſupradictos modos alioſque quos nemo non divina juvante gratia, adinveniet, notandum eſt; quando unus non bene ſuccedit, alium ab anima prout magis ſe juvari ſenſerit, & alium adhiberi, & poſſe, & debere: non tamen idcirco, quod modus unus illi non bene prout voluit ſucceſſerit, eum eſſe, ut malum abjudicandum, aut repudiandum: quia ſi uno is tempore effectum fortè non fecerit, faciet alio; & in aliquibus caſibus multò erit expedientius unum horum modorum repetere, vel continuare, quam eum cum alio mutare. Qua in re aliorum ſapientium gnarorumque virorum utile erit conſilium ſequi. Ut vero circa capitis hujus finem præceptum aliquod imprimis neceſſarium afferam; ſuadeo ſuper ſe anima excubet, nullique cedere difficultati proponat; quia ſæpenumero contingit, ut neque per hos ſe, nec per alios modos Dominus, quem tantopere quærit, & requirit, placatum oſtendat (quod ad meritorum augmentum conducit;) ſed animum conſtantem, quique amoris regulas, & leges quam diligentiſſimè obſervet, quærat. Hoc itaque monito præmiſſo (ſuppoſito, Dominum tandem placari, & animam quam humaniſſimè tractare) de modeſtia, in hiſce favoribus divinis obſervanda, jam agere incipiamus.

CA-

CAPUT IX.

De ſexto artis amandi præcepto; in quo de amoris in Chriſti Domini favoribus modeſtia agitur.

A POſtquam de modis Domini Jeſu Chriſti, qui natura ſua adeo placabilis eſt, placandi egimus, non abs re futurum erit, ſi jam paucis, quo ſe anima modo dum Sponſo ſuo potitur, in amoris favoribus, ac demonſtrationibus gerere debeat, exequamur: quæ ſane doctrina permagni momenti eſt. Multi quippe in adverſitatibus fideles ſunt, ut quibus afflictio, calcaris eſt loco, qua nimirum incitati ad Dominum recurrant; ſed in ipſa proſperitate modeſtiæ terminos excedunt; quique, poſtquam furentes oceani tempeſtates pervicerint, in portu infortunati naufragium faciunt, & merguntur. Similes hi ſunt multis plebejæ conditionis hominibus, quos in humili ſuo ſtatu pie ſanctèque B videmus vivere; ſed cum deinde, vel ad honores, vel ad lautiorem fortunam evecti ſtatum mutant, vel ad dignitatem aliquam altiorem ſublimantur, inſoleſcunt, & aliis ſunt offendiculo. Quocirca caute, circumſpecteque admodum anima procedat oportet, ne gratiis divinis abutens, ſibi ipſi perniciem creet.

Circumſpectio praecepta.

Amoris aetates enumeratae.

Chriſtiana perfectio ubi ſita?

Hac de cauſa notandum occurrit, eum qui ſupraſcripta præcepta obſervavit, per moleſtias, in amoris via occurrentes, quas patitur, duo quædam maximi momenti pignora acquirere. Primum, & maximum eſt, plena amoris hujus divini perfectio: habet is namque ſuas quodammodo ætatis differentias, infantiam ſcilicet, pueritiam, adoleſcentiam, juventutem, virilem ætatem, & ſenectutis loco plenam perfectionem, & C maturitatem; quin adeò per difficultatum victorias, & capite ſuperiori declaratos actus creſcit. Alterum quod acquirit, eſt ſuaviſſima Jeſu Chriſti Domini noſtri familiaritas, & communicatio. Horum duorum primum nobiliſſimum quid eſt, & dignius quam ut humana ulla explicari queat eloquentia; quod duorum cordium unionem adeò excellentem divinamque faciat, ut nihil jam animæ amanti placeat, quàm quod Sponſo ſuo gratiſſimum ſit. Hæc ſcilicet Chriſtiana perfectio eſt, multis digna doloribus, & ſudoribus mortis comparari: hæc opulentia domus Dei: hæc beatitudo quæ in hac vita haberi poteſt: hæc, ſapientia, fortitudo, pulchritudo omnium, quas anima acquirit umquam, maxima; quæ ſemper id vult, vel non vult, quod Deus Optimus Maximus vult, vel non vult, & non aliud. Etſi verò D ſecundum, ipſa inquam communicationis, & colloquii cum Jeſu Chriſto ſuavitas, qua perfecta hæc anima fruitur, ad primi excellentiam, dignitatemque non pertingat; quàm maximè id tamen excellens eſt, & plurimi faciendum, & ponderandum.

Incipientes; atque perfecti favoribus proſequuti.

Nec immeritò: gravis namque hic intervenire impoſtura poteſt, noxia quàm maximè ei, qui in ipſo divinorum favorum judicio errat. Cùm enim certum ſit, tam incipientibus quam perfectis, divinos obtingere favores, atque in hoc pares, & æquales ſint; abſurdiſſimum ſanè foret, eos omnes, propter eam, quam invicem habent ſimilitudinem pares, & æquales æſtimare. Sed illud E verum eſt, ipſos perfectorum favores digniores eſſe, qui æſtimentur, & ipſos puriſſimas quaſdam voluptates, & lumina eſſe, atque infinitum animæ lucrum adferre ad divinam bonitatem magis & cognoſcendam, & diligendam, ad virtutis baſin magis ſolidandam, ad inſignem mundi contemptum concipiendum, ad heroica opera aggredienda, quæ tum in magnam Creatoris Dei gloriam, tum in ſummam proximi utilitatem cedant. Quibus è fructibus nemo non de arboris præſtantia poterit judicare. Et ſanè, ut alias rationes, quibus hæc veritas adſtruitur, omittamus; certiſſimum id eſt, animas perfectas, cùm tunc Sponſo ſuo cariores ſint, quàm antè, tam amanter benevoleque ab eo F habitum non iri, niſi aptæ jam diſpoſitæque eſſent, quò ad altiores perfectionis gradus promoverentur. Chriſtus itaque, videns animam, quam adeò caram, dilectamque habet per tot tormenta, cruceſque, quot, & quales ſuprà enarravimus, tranſire; non aliter ſe cum eadem gerere videtur, quàm olim cum fratribus ſuis Joſeph, dum eos jam ad extremam afflictionem redactos cerneret. Unde de eo Sacer textus ait, *Non ſe poterant ultrà cohibere Joſeph, multis adſtantibus: unde præcepit, ut egrederentur cuncti foras, & nullus alienus intereſſet agnitionis mutuæ. Elevavitque vocem cum fletu, quam audierunt Aegyptii, omniſque domus Pharaonis, & dixit fratribus ſuis, Ego ſum Joſeph.* Eodem prorſus modo Chriſtus Dominus, G poſtquam jam animam variis tentationibus probavit, exploravit, examinavit, & afflixit, & jam afflictio, & tribulatio in ſummo eſſe videtur gradu, non ampliùs diſſimulare poſſe videtur, & ſolum ſoli tanta ſe ſuavitate cognoſcendum dat, ut eam ſolus norit is, qui ipſam ſe deguſtat. Tunc nimirum iis dicit, *Ego ſum Jeſus* ſponſus tuus; ego ſum vita, robur, & conſolatio tua: nolito timore, numquam tibi deero. Ego tuus ſum totus, & cor tuum dilata, quo hereditatem tuam poſſideas.

Gen.45.1.2.3.

Per haſce amoris tenerrimi demonſtrationes, cum ipſum objectum infinitæ honeſtatis, & puritatis ſit, & longo tempore jam ex animo expetitum, majori ſanè anima ardore ad nobiliſſimam illam prædam ſuam fertur, quam ipſe verbis conſequi queam; aliquatenus tamen is intelligi percipique poterit, ſi (juxta communem de paſſionibus H doctrinam) conſideremus, quanto anima ſtudio, affectuque boni ejus, quod amat, fruitionem deſideret. Primus ejus motus eſt amoris, quando, ſicut in primo capite dictum eſt, primam pulchritudo in ipſa impreſſionem facit. Secundus eſt deſiderii; quo ſe ipſa extendit, & rem amatam tanto fervore pro-

Animae motus.

Scrip. An. circ.1612. Ital. Idio.

proſequitur, quanta ante pulchritudinis ejus fuit complacentia. Hoc porro deſiderio ita anima inardeſcere, & agi ſolet, ut inſanire quodammodo videatur, uti quando aliquis tanta laborat fame, ut præ comedendi deſiderio rabire illum quis cenſeat. Unde dum anima bonum deſideratum adipiſcitur, tam arctè idipſum complectitur, & conſtringit, ut nemo id verbis queat exprimere. (Significavit id aliquatenns Pſaltes hiſce verbis, *Adhæſit anima mea poſt te;* aut, ut alia habet verſio, *Agglutinata eſt anima mea poſt te.*) Sed ne hoc quidem unionis genus illi ſufficit, ſed ad intimum boni quod amat penetrale ſatagit, pervadere, & intra ipſum quodammodo liquefieri, ut quædam ſui fiat in illud transformatio, atque hoc eſt, quod præ aliis omnibus rebus ipſi placet ac ſatisfacit. Ex hiſce amoris effectibus perſpici facilè poteſt, quanto anima impetu, vehementia, & ardore ad rei amatæ fruitionem trahatur: ut omnis, quæ rei huic explicandæ adferri comparatio poteſt, commodè id exprimere nequeat; quamquam inter omnes quæ dari queunt, energica, & expreſſiva ſatis ſit illa Davidis, *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Quæ ſimilitudo ſatis perfectè hunc animæ, uti ſupra diximus, exagitatæ, afflictæque, & per moleſtias, & ærumnas ad refrigerium ſuum properantis ſtatum exprimit: cùm verò poſtea ante ſe puriſſimam illam ciſternæ Bethleem aquam conſpicit, moderationem quamdam adhibeat oportet. Quod animæ ſponſus ipſe in libro Canticorum conſilium dedit, quando poſt varias moleſtias, & diuturnam abſentiam ipſum tandem invenire meruit: *Averte*, inquit, *oculos tuos à me, quia ipſi me avolare fecerunt.* Id eſt, vide ô ſponſa mea, quæ per labores, & moleſtias tranſiſti, tantoque mea præſentia tempore caruiſti, & tantopere me frui, ac videre deſideras, ut cautè te geras; vide ne licentiam nimiam præferas; vide ut modeſta ſis, & oculos tuos refrena, ne meam perſonam curioſè intueantur. Notes autem quod dico, *quia ipſi me avolare fecerunt*, dum alias nimis te licenter in converſatione mea geſſiſti.

A

Pſal. 62. 9.

B

Pſal. 41. 3.

Ejus ariditas notata.

Cap. 6. 4.

C

Mode ia animae commendata.

Sunt nonnullæ animæ adeò incircumſpectæ, & parum cautæ, ut dum benevolum ſe erga eas Dominus oſtendit, & gratiis eas cumulat, divina familiaritate, ac deliciis abutantur, & per ſpiritualem quamdam intemperantiam debitos legitimoſque excedant terminos, inque ea ſeſe ingerere ſecreta velint, ad quæ nondum à Domino vocatæ ſunt. In quo non advertunt, tam ſublimis, & divinæ majeſtatis reverentiam exigere, ut inde ſe venerabundæ ſubducant, eoque ſint dono contentæ, quod ipſis fuerit cœlitus conceſſum. Quod hiſce verbis inſinuavit ſponſa, *Introduxit me Rex in cellaria ſua;* vel, ut ſeptuaginta vertunt Interpretes: *in cubiculum ſuum*: perinde ac ſi diceret: Non huc ipſa me ingeſſiſſem, vel auſa fuiſſem ingredi, niſi ante ipſe me vocaſſet, & introduxiſſet. Eſt hæc una ex regulis urbanitatis, quæ in cœleſti ſervatur aula, & decoro domus divinæ conſentanea eſt. Præterquam quòd, ſi rem ipſam videamus, in ſe ſumma ſtultitia ſit, quod majores ipſa affectus, lucemque Dei ampliorem deſideret, quàm ei Dominus communicare voluerit. Ipſi autem viri ſpirituales, harum rerum gnari, conſulunt, ut ante notet anima, quouſque à Deo evecta ſit, ne ſi ulterius aſcendere velit, excedat. Utile quippe, & ſalutare illud Chriſti Redemptoris conſilium eſt: *Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in noviſſimo loco:* quia hac modeſtia, & humiliatione invitatur is, coram quo, & cui ſe quis humiliat; ut magis humiliantem exaltet.

D

Cant. 1. 3.

LXX. Interpp.

E

Luc. 14. 8.

Humilitas ; commendata.

Unde & in ipſis conſolationibus, & fruitionibus Dei quemdam temperantiæ modum ſervare neceſſe eſt. Neque verò mirum cuiquam videatur; quod in rebus adeo puris, & liquidis hujuſmodi monita præſcribere neceſſe ſit: quia nulla omnino in mundo res exiſtit, adeo ab ludibrio, & deceptionibus immunis, quin ſemper bonum ſit conſulere, ut in ea quis cautè prudenterque ſe gerat. Diviniſſimum proculdubiò, & puriſſimum quid eſt, ipſum Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum; verendum nihilominus eſt, ne animæ etiam puræ ad ipſius frequentiorem ſumptionem, ob eam quam in ipſo ſentiunt conſolationem potius, quam ob fructum inde percipiendum ferantur. Puriſſimum quoque ipſum Chriſti erat corpus, ipſiuſque converſatio, & contubernium ſanctitatem in hominibus cauſabatur: æquum tamen, & conſentaneum fuit, ut ab hujus converſationis dulcedine Apoſtoli ablactarentur, quæ quidem non ex ſe, ſed ex aliquo abuſu, majoris puritatis, & perfectionis eſſe poterat impedimentum. Adeo ut modeſtæ cujuſdam fruitionis quæque profunda humilitate temperata ſit, modo anima aſſueſcere debeat, contenta conceſſis, quin etiam iis ſe indignam credens.

F

Apoſtoli cur Chriſti contubernio privati?

G

Ex hac doctrina conſequitur, animæ modeſtiæ repugnare revelationes, alioſque favores extraordinarios velle, nedum expreſſe rogare: hos enim illuſtres ſancti non modo ſubterfugerunt, verum etiam, quando a Domino hos ſibi conferendos præſentiebant, præſertim in locis publicis, illis ſummo conniſu obluctabantur. Cujus rei exemplum ſæpius B. Mater noſtra Tereſia dedit. Etſi autem hæc reſiſtentia, ut generalis quædam regula paſſim, & ſemper uſum non habeat, conducit tamen, ut hinc ipſa animarum ſanctitate illuſtrium modeſtia perſpiciatur. Modeſtia hæc delicatioribus a Deo paſci cibis ſolet, immodeſtia autem, & inſolentia per ipſam lactis ſubtractionem caſtigari: quemadmodum hiſce verbis Pſaltes ſignificavit: *Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltavi animam meam; ſicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.* Id eſt: Semper me modeſtiæ ſtuduiſſe noſti, Domine: unde, ſi non ſubmiſſe demiſſeque de

S. Mater Terſia.

H

Pſal. 130. 2.

Comparatio.

A

me ſenſi, ſed ſublimius, & altius me quam par erat, extuli, id oro in pœnam mihi contingat, quod puero dum à maternis uberibus ablactatur, fieri ſolet: is enim matris in gremio, mamillam identidem poſtulans, velut exanimis jacet. Quare æquum eſt, ut qui divina ſuavitate abutitur, hæc ei auferatur.

Incipientium amor, qualis?

Cant. 1. 3.

Externi amoris effectus.

B

At hic divinarum deliciarum abuſus non tam iis qui in amore provecti, probati, & longo uſu exercitati ſunt, quam incipientibus timendus eſt, quorum nimirum amor tener adhuc eſt, & nonniſi in odorem unguentorum divinorum currunt, uti de ſe in Canticis ait ſponſa: *In odorem unguentorum tuorum currimus*. Hi, cum in amore jam provecti, & fortes non ſint; hinc dum divinas conſolationes ſentiunt, quas intra ſe nequeunt continere, mira, & inſolita quædam exterius opera facere ſolent; qualia ſunt mentis jubili (ſcilicet quidam maximæ exultationis quam intra ſe ſentiunt, impetus, & eructationes) hilares quidam motus, curſus, voces, & verba quædam inarticulata, ſed quæ ipſorum ritu ad impetum quem ſentiunt, exhalandum apta ſint. Solet etiam ſubinde ſanguis ore, vel naſo erumpere aliaque his haud diſſimilia. Quocirca erunt hæc per prudentiam illis moderanda: quod fiet, ſi ea a ſe divertere conentur, & ea faciant exercitia, quibus exceſſivi hi ſenſus temperari queant, & mitigari, ne ipſo viæ quam inire proponunt, ingreſſu fracti, defatigatique deficiant. Quicumque autem a diabolo decipi, & illudi non vult, qualiſcumque demum is ſit, tam incipiens, quam perfectus, quoties vehementiores hos habuerit ſenſus, ſapientiorum conſilium exquirat, neve ſuo ſe judicio regat aut gubernet. Quia, in tanta rerum varietate, in quibus ipſæ potius perſonarum circumſtantiæ ſpectandæ ſunt, tam ſufficiens ſcripto tradi doctrina non poteſt, ut non aliquando ad vivos opus ſit libros, viros inquam litteratos, & ſpirituales, recurrere. Jam videamus quomodo gratia, & amoris divini favores conſervandi, fovendique ſint.

Daemonis illuſio quomodo vitanda?

C

CAPUT X.

De ſeptimo artis amandi præcepto; quo oſtenditur, quanam ſit amor, & benevolentia Chriſti Domini ratione conſervandus.

D

Amatorum mundanorum lex.

E

Anima juſta Chriſti Sponſa.

NEgari non poteſt, quin permagni animæ interſit noſſe, quomodo ſe ita in amore gerat, ut nullam ei, quem amat, occaſionem det, ob quam ab ea alienetur, & proinde ipſam a ſe repellat, blanditias, & benevolentiam priorem in gravitatem, & ſeveritatem commutans. Quam hæc doctrina vera ſit, norunt mundi amatores, e ſuo amore experientiam capientes: talem hi namque invicem ſibi in amore oſtendere fidelitatem ſolent, quaſi ſi eam voto, & juramento utrimque concepto ſervaturos ſe confirmaſſent; in quo ſi quis defecerit, eum ut proditorem, & humana converſatione indignum habent. Unde fit, ut multum impendant temporis excogitandis, adinveniendiſque rebus iis, quæ illis quos diligunt, voluptatem delectationemque adferre queant, ne fortè inconſiderate neſcienterque aliquod illis faſtidium adfferant. Hinc diſcat anima, Jeſu Chriſti Sponſa, non modo excitare ſe, verum etiam omni ope conniti, ita vitam inſtituere, ut ingrata, vel infidelis non ſit ei, qui tanta ab ipſa fidelitate, & tam reciproco amore amari debet.

Chriſti amor quomodo conſervandus?

F

Proverbium.

Primum vero, quod in ſeptimo hoc præcepto, eo quod id tum ad amoris, tum ad favoris divini conſervationem univerſale ſit, necnon ſummam utilitatem adferens iis, qui ipſum exercere norunt, notandum eſt, id eſt, ſcilicet quibus perfectus amor, & Jeſu Chriſti communicatio diligentiis, & actibus quæritur, & acquiritur, eiſdem hanc etiam debere conſervari. Adeo ut, ſicut lumen naturale, quod in aere eſt, per eamdem in eo conſervatur cauſam, a qua productum eſt, per ſolem ſcilicet; ita amor ſimilibus actibus, & comparetur, & conſervetur; quando nimirum amans ita vivit, ut ſemper amato voluptatem, & delectationem adſferre procuret. Statim vero atque ab hoc ſtudio ipſe vel parum deflectit, retrocedit: quod etiam judicat ſpirituale illud proverbium, *In via perfectionis*, quæ in amando conſiſtit, *non progredi, eſt regredi*. Eſt porro hoc cum primis mirabile, & ab ad amoris perfectionem adſpirantibus maximopere notandum; quia uti hoc proverbium innuit, ipſa amoris conſervatio non eſt in omnibus ipſi rerum naturalium conſervationi ſimilis. Videmus namque (docente id aperte Philoſophia) lumen in aere multo tempore conſervari, tametſi id non adaugeatur; quinimmo, in die judicii, quando ſol currere deſinens certo in loco fixus permanebit, certum eſt, ipſum lumen ſole præſente, in aere ſemper manſurum, æqualiter perfectum, & non creſcens. Verum in trito illo proverbio plane aſſeritur, non progredi eſſe regredi. Perinde ac ſi diceretur, ſi quis in amore vim ſibi non facit, nec progredi conatur, amorem non conſervabit: quia ſi retrocedat, non jam conſervatio eſt, ſed corruptio. Atque inde ortum habet ille animarum purarum timor, & anxia de progreſſu ſemper faciendo ſollicitudo, qua nimirum timent, ne pretioſiſſimum illum theſaurum, quem tanto ante labore, ac ſudore ſibi compararunt, amittant, ſi forte negligenter eum cuſtodirent.

Comparatio.

G

Phil. 3. 13.

H

Quare ſemper illud Apoſtoli conſilium anima ſequi debet, & uſurpare; *Quæ retro ſunt obliviſcens, ad anteriora me extendo*: id eſt, ita procedo ac me gero, quaſi nondum Jeſu Chriſto ſervire cœpiſſem, & tanquam ſi omni hora de novo inciperem; quod facio, dum obliviſcor ea quæ hactenus feci, & ad ea quæ adhuc facienda ſunt, me extendo. Digna ſane Apoſtolo Paulo hæc ſententia eſt, ut qui amori divino deditiſſimus fuit: quam etiam magno anima imitari af-

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

fectu debet, numquam magni ducendo id quod ante fecit; ſed ſemper ſibi perſuadendo, in ipſo adhuc ſe verſari, & primum incipere, conſtanterque operando, perinde ac ſi nihil hactenus præſtitiſſet, & omnia adhuc facienda reſtarent. Atque hæc jam acquiſiti amoris conſervandi, & in ejus quem amat A gratia permanendi, eſt ratio. Adeo ut, quo ſtudio,& contentione ad Chriſti Domini communicationem primum pervenire conata eſt, eodem in ejus gratia, & amicitia permanere conari debeat. Univerſale autem hoc conſilium nullo non tempore, & loco uſurpare debet, in particularibus id caſibus perpetua quadam cum attentione vigilantiaque, uti jam jam dicturi ſumus, practicando.

Amoris pulchritudinis natura, & artes ad eum fovendum.

Corporalis pulchritudinis amor eſt in iis quæ ad amicitiam reciprocam mutuamque fovendam pertinent obſervandis excitatiſſimus, & diligentiſſimus; hinc is qui amat, in opere, verbis, intuitu, geſtibus nutibuſque quam diligentiſſime cavet, nequid indecenter abſurdeque faciat, nihil ſcilicet quod eum quem amat, offendat aut faſtidium pariat. B Inde ortum habent extraordinariæ illæ in veſtibus, munuſculis, & compellationibus obſervationes, & inventiones, in eum ſolummodo finem inventæ, ut illa benevolentia, & gratia conſervetur, & adaugeatur. Nonnumquam vero ſtudium hoc adeo exceſſivum eſt, ut, ſi amantes vel certo, vel nonniſi conjectura norint, perſonam amatam rebus aliquibus extraordinariis, & exoticis, quæ ſine magno ſumptu, & honoris, quin etiam vitæ amittendæ diſcrimine haberi non queant, delectari; quidlibet quam affectuoſiſſime, & ſedulo efficere allaborent, id ſibi etiam honorificum, & jucundum ducentes. Hæc cauſa eſt, cur longiſſima ſuſcipiant itinera, prodige munera effundant, ad januas amicarum excubent, ſumptuoſe ſe veſtiant, C ornent, & comant quo placeant iis quas diligunt. Hoc exemplum incutere pudorem illi debet animæ, quæ ſe ſponſum Chriſtum Jeſum amare profitetur, quia tale communiter ſtudium tantamque ſollicitudinem non eſt videre in illis, qui divina amare videri volunt. Verum cum de perfecte amando hic agamus, hac in parte minime eſt profanis amatoribus cedendum; quin potius omnia, tametſi minima, quo Chriſto Jeſu Domino noſtro placeamus, infatigabili, & æterno quodam ſtudio obſervanda ſunt.

Quae puritas jn anima juſta requiratur?

Temporalis imperfectionum poena.

Per hoc ſe ſtudium componere totus à capite ad talos uſque homo debet; cum certiſſimum ſit, ſemper eum actualiter ab illo quem amat, videri: ut, non modo in parte animæ ſuperiori, verum etiam corpore, D omnibuſque ejuſdem ſenſibus, nullæ ſint imperfectiones. Chriſtus Dominus namque non tam oculis carneis, quam viſu quodam penetrativo, cum intimum animæ penetrale, tum exteriorem corporis habitum perſpicit: hinc ab anima rei tam altæ, ac divinæ ſtudioſa, majorem multo exigit puritarem, quam à vulgaribus, & obviis animabus. Atque, (ut humano modo loquamur) ſummopere his ob leves quaſdam ſuccenſet imperfectiones, quæ in aliis hominibus parvi fierent. Hinc nonnullas animas provectiores legimus, ob imperfectiones aliquas ſatis judicio noſtro leves, (quales, verbi gratia, eſſent aliquid loqui quod in propriam æſtimationem cederet, tenuis aliqua indignatio, modica in non E obediendo libertas) diabolo ita traditas fuiſſe, ut ab eo corporaliter affligerentur; fuit autem hæc illorum caſtigatio maxime delicto conformis: quia in omni amoris ſpecie, quando jam arcta quædam inter amantes coaluit communicatio, omnis in reciproco amore defectus, tametſi minimus, ut ſumma habetur ingratitudo, ſummeque amicorum alterum offendit.

Fdelitas commendata.

Obedientia praecepta.

Studebit itaque anima cautè circumſpecteque vivere, & quam ſtudioſiſſime verba non neceſſaria, nec non licentiam hinc inde oculos gyrandi fugere; ſollicite quoque curioſitatem, etiam in rebus licitis, mortificabit; dabit præterea operam, ne ſe negotiis agendis, tametſi piis, nimium involvat; horas quoque orationi aliiſque exercitiis, in quibus immediatius cum Domino F agitur, deſtinatas diligenter notabit; inutiles minimeque neceſſarias converſationes declinabit; quinimmo videbit, ne etiam in eas quæ utiles alioquin ſunt, nimium ſe effundat; erit adhæc in inſpirationibus divinis tum percipiendis, tum adimplendis, fideliſſima; omne etiam tempus, quod poterit, exercitio amoris impendet, cavebit inſuper, ne ulli creaturæ ſuum affectum applicet, quin potius ita ſe in omni ſua converſatione geret, uti peregrinus aliquis in ſolo verſans alieno, & ad unicam patriam ſuam aſpirans. In omnibus item rebus quas videbit, in concionibus quas audiet, in lectione item privata, in quacumque demum, quæ illi offeretur, occaſione illud inprimis, & ante omnia notare G procurabit, quomodo in illa aliquid repertura ſit, quod ad amorem Chriſti Domini faciat, quaſi id unicum, & proprium officium ſuum foret. Perpetua quoque in ſollicitudine, & vigilia, tametſi quieta, vivet, ne quid agat quod dilecto diſpliceat; in omnibus quoque divinum beneplacitum obſervabit, atque ipſum exquiret; denique ſemper nutum directionemque ſequetur ejus, qui Dei apud ipſam vices gerit. Quo uno præcepto continetur quidquid ad amorem divinum conſervandum afferri depromique poteſt. Ipſos autem Jeſu Chriſti favores ita admittet, ac recipiet, quaſi iiſdem prorſus indigna foret; eoſque ceu gravia quædam debita, & onera, (uti revera etiam ſunt) ſibi ad majus gravamen impoſita, eſſe exiſtimans; H quin etiam nullam ſibi inde excellentiam adſcribens, ſed omnem eorumdem gloriam in auctorem illorum referens; nulli mortalium eos aperiat, præterquam illi, à quo gubernatur, & dirigitur; ſed potius iis, ceu oleo ignis, ſe accendet, ad magnam quandam gratitudinem, & amorem concipiendum erga eum, qui ſe adeo benignum, & liberalem erga ipſam oſtendit. Meminerit quoque

Scrip. An. circ. 1612. Ital. idio.

Dei blanditiae quomodo excipiendae?

frequenter, quoſdam puræ intentionis actus concipere; quibus ſcilicet has Dei blanditias, & diſſuaviationes habere nolit, in quantum ad ſui unius conſolationem ſpectant, ſed tantum in quantum Deo placet eaſdem ſibi communicare, & in quantum ad illi placendum, & progreſſum in amore faciendum conducunt: atque hoc, unicum votum, & theſaurum ſuum eſſe dicat.

Perutile monitum.

A Ut autem capiti huic finem efficaci aliquo monito, ac præcepto imponamus, ut ſcilicet anima, dum conſolationibus divinis delibuitur, meminerit tentationum, ac difficultatum quæ poſtea ſequi ſolent, ſuum ſcilicet imitata ſponſum; qui dum breve illud transfigurationis refrigerium in monte Tabor corpori Matth. 17. ſuo indulgebat, *loquebatur de exceſſu, quem completurus erat in Jeruſalem*. Hoc quippe monitum conducet, tum ad modeſtiam, tum ad amoris conſervationem, tum vero ut ejus admonitio contra adverſitates poſt ſecuturas, de quibus proximo agemus capite, ipſa ſeſe obarmet.

CAPUT XI.

B *De octavo artis amandi præcepto, in quo docetur, quis ſit animæ ob repulſam poſt divinas conſolationes evenientem, contriſtatæ ſenſus.*

Animae ariditas comparatione deſcripta.

Existimabit fortaſſe nonnemo, nihil hic amplius quod dicatur ſupereſſe: cum enim amoris, & acquirendi, & conſervandi monita præceptaque jam dederimus, nihil amplius his videri adjungendum. Verum certum eſt, multa adhuc dicenda reſtare, eaque conſideratione inprimis digna. Frequenter namque contingere ſolet, (& erit hoc octavum præceptum,) ut eo ipſo tempore, quo anima, amoris, familiaritatis, & communicationis Jeſu Chriſti conſervandæ C ergo facit quidquid, & poteſt, & novit; eo inquam tempore, non ſolum communicatio illi, verum etiam (quantum quidem illi videtur) ipſemet amor ſubtrahatur. Tamquam ſi navi ſuum meridiano tempore feliciter ventoque ſecundo curſum tenente, derepente ſol inobſcuretur, tenebræque quædam palpabiles ei ſuperincubent, ut ne peritiſſimi quidem naucleri, ubinam locorum agant, etiam omni adhibita induſtria, noſſe queant; ipſa præterea facies maris plane immutetur turgeſcens, ventuſque adverſus incubet; tanto quidem mortis inſtantis terrore, ut, præter gemitus profundos, & lamenta deſperabunda, nihil tota navi audire ſit. Eodem prorſus modo non raro anima quæ proſperrime, ad Spiritus Paracleti flabrum, D & in clariſſima Chriſti Domini (qui ſol eſt) luce navigabat, in momento obſcuriſſima teterrimaque obruitur caligine, & adverſum ventum, & omnes potentias ac facultates ſuas immutatas horribili quadam perturbatione experitur: unde motus, & gemitus tam amari prorumpunt, ut quoddam infernale receptaculum facta videatur.

Caſus hic, & deplorabilis eſt, & ipſa arte amandi dignus; utpote quo vix ullus cordialior, amarior, & acutior dari, fingique ſenſus in mundo queat. De hujus porro magnitudine digne convenienterque cenſere non poterunt illi qui divinas conſolationes numquam experti ſunt; hi namque differentiam hanc non percipient, cum utramque hujus comparationis extremitatem non ſint experti. E Certè, qui rure nati ſunt, & ſemper cum agreſtibus ruſticiſque converſati, vix pro merito ponderare poterunt, quantus viri Principis ſit dolor, dum cum ſemper in curia apud Regem vixerit, ſubito, nihil minus cogitans, in ordinem redigitur, & urbe regia exul diſcedere compellitur. Ruſticis fortaſſe grave, aut triſte non videbitur, urbe carere, & ipſo privari civium commercio; nobili vero illi id diuturna, & lenta quadam morte videtur gravius. At omnis hic ſenſus nullus eſt, aut ſaltem pertenuis, ſi cum dolore ſenſuque ejus comparetur animæ, quæ Chriſti Regis ſui, & ſponſi thalamo carere cogitur. Singulari vero quadam Dei ope, & gratia mihi opus eſt ad magnum ejus ſenſum, vere amatorium, verbis exprimendum.

F Huic ex parte exprimendo commoda opportunaque prima illa Threnorum, quos Jeremias Propheta, civitatem ſanctam ad extremam calamitatem redactam videns, compoſuit, verba videntur, quæ calamitas imago eſt ſtatus animæ de quo loquimur: Thren. 1. 1. *Quomodo* inquit, *ſedet ſola civitas plena populo, facta eſt quaſi vidua domina gentium, princeps provinciarum facta eſt ſub tributo*? quod perinde eſt ac ſi in ſenſu morali de anima ſic loqueretur: Maximopere mirandum eſt, quomodo anima, quæ Dei erat habitatio, diviniſque conſolationibus, ac viſitationibus, & blanditiis cœleſtibus, in reciprocationem amoris dari ſolitis, repleta, per Regis ſui Jeſu Chriſtri, & conſequenter univerſæ ejus G aulæ derelictionem, & repulſam ſedeat ſola. Sane, ea quæ paulo ante, velut ſponſa tanti Regis habebatur, & diſſuaviabatur, & proinde gentium Regi, ac ſponſo ſuo ſubditarum domina erat, ac Regina, jam facta eſt velut vidua, omnibus voluptatibus conjugalibus, quæ in caſto Chriſti Jeſu amplexu recluſæ ſunt, privata. Et quæ nationum, ac provinciarum princeps erat (eo quod inſigni quadam cordis generoſitate, & animoſitate mundum univerſum ſubjugabat, ejuſque imperatrix, & triumphatrix erat) mutata ſorte, ingens dolorum tributum pendere cogitur, non ſecus, ac mancipium perpetuæ ſervituti addictum. Hic ſcilicet ſtatus, & ſors ejus eſt animæ, quæ à Regis pacifici communicatione, ac familiaritate in extremarum naturæ H humanæ ærumnarum ſervitutem prolapſa eſt. E mirabili hac ſui mutatione maxima quædam in anima enaſcitur mœſtitia, à qua prope conſumitur; unde continuo gemit, & plangit haud diſſimilibus affectibus atque olim captivi illi Judæi in Babylonem abducti, quotieſcumque dulciſſimæ patriæ ſuæ, ac præſertim ſuaviſſimæ illius Jeruſalem

Judaeorum captivitas notata.

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

Pſal. 136. 1.

A

Animae ſervitus.

Rom. 7.

Gen. 3.

B

Anima in ariditate, humanae conſolationis incapax.

C

Cant. 5. 3.

D

Pedum ſignificatio.

lem recordarentur; qui lamentando triſte hoc carmen identidem perſonabant; *Super flumina Babylonis, illic ſedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion*: Id eſt, nos civitatis, per favores divinos inſigni quadam prærogativa illuſtratæ cives, miſeram infelicemque ſortem noſtram dum Chaldæis ſervimus, videntes, frequentiſſime ſuper Babylonia flumina ſedimus, & amare planximus, quoties gratiſſima illa Sionis recurreret memoria. Ad eumdem quoque modum gemere illa anima poteſt, quæ à Regis cæleſtis Jeruſalem thalamo captiva, ad Babylonicam inferioris hominis ſervitutem abripitur, quia illam in propriis membris legem ſentit, quæ, teſte Apoſtolo, repugnat legi mentis, & animam captivam detinet. Quod ſpiritualiter intelligi debet; adeo ut, quamvis ſola univerſam qua patet terram anima ut propriam poſſideret, hæc tamen arcta quædam illi cuſtodia foret, ac velut piſtrinum, & mancipiorum ergaſtulum, quibus, vel ad reſpirationem aer videtur deeſſe. Veritatem hanc ſatis perſpectam habuit Adamus; mox ut paradiſo pulſus fuit: quamvis enim ſat ſpatii locique haberet in quo habitaret, adeo ſe tamen arcte, propter hanc deliciarum paradiſiacarum carentiam, concluſum, credebat, ut ſe veluti mancipium compedibus conſtrictum, & in piſtrinum compactum exiſtimaret. Nec vero mirum id eſt, cum omnis quæ poſt magnam proſperitatem ſequitur adverſitas, quamdam cordis oppreſſionem, & anguſtias cauſetur; ut, qui ad hanc deſolationem redactus eſt, ei etiam terra deeſſe videatur. In graviſſimis his pœnis conſolationes terrenæ, tametſi licitæ, & ad animam juvandam deſtinatæ, juvare parum ſolent: adeo namque tunc temporis ipſa indiſpoſita, & conſolationis incapax eſt, ut oleum is, & operam perditurus ſit, qui ea illam re conſolari voluerit, quæ minor ſit illa quam perdidit. Tamquam ſi quis Reginæ alicui, regni ſui palatiique deliciis, & regis converſatione privatæ, conſuleret, ut in tenui anguſtoque agello cibis ſecundariis, & agricolarum converſatione contenta viveret. His namque rebus pares eſſe, ac ſimiles omnes terræ magnitudines, divitias, & voluptates judicat illa quæ cœleſtes ante delicias deguſtavit. Nam adeo hæc illi non placent aut delectant, ut novorum quædam ſint potius dolorum provocamenta: ipſa namque adinvicem, ſtatus præteriti, & præſentis comparatio paſſionem doloremque magis accendit, animumque magis affligit; hinc una cum ſponſa Chriſti ait, *Lavi pedes meos*, affectus inquam meos, quibus incedo; & quidem, ut ſoli ſponſo meo placerem; *quomodo* jam rurſus *inquinabo illos*, licentiam illis concedendo, ut voluptatum terrenarum cœno ſeſe applicent? Nequaquam me ſordidabo, & aliam conſolationem admittere detrecto, quam ipſam Jeſu Chriſti. Interim vero dum eadem privata ero, inſtar viduæ gemam, & magnam hanc deſolationem patiar, ad deſideratam libertatem meam aſpirans.

Jerem. 31. 15.

E

Magdalenae amor.

Ioan. 20. 15.

F

Pſal. 108. 1.

G

Quis hunc animæ ſtatum digne declarare poterit? quia non eſt qui eam poſſit conſolari, nec ullam ipſa conſolationem vult admittere. De Rachele ſcriptum eſt, *Rachel plorans filios ſuos, noluit conſolari, quia non ſunt*: id eſt, Terra Bethleem, quæ nomen Rachelis induit, filios ſuos (ſanctos inquam Innocentes) interfectos plangens, conſolari renuit, quia illi ſuperſtites non erant: perinde ac ſi dixiſſet: Quo me modo aliud quid conſoletur, quod minus mihi carum ſit, quam filii mei? Ita quoque queritur anima: Quomodo aliquam è rebus ſponſo meo inferioribus minuſque dignis conſolationem capiam, cujus amor amore etiam filiorum multo major, & ferventior eſt? ſuam hic Maria Magdalena dicere poſſet ſententiam, quæ hoc in loco permagnæ auctoritatis eſſet, ſi ingentem intimumque illum ſenſum, quem præda, quam tantopere deſiderabat, corpore inquam Chriſti Domini, Magiſtri ac fideliſſimi defenſoris ſui, amiſſa ſentiebat, nobis declararet, quæ dum illi diceretur, *Mulier quid ploras quem quæris?* reſpondit. *Domine ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum, & eum tollam*: quaſi dixiſſet: ſi eum non tollam, ſi hanc prædam non habeam, non poſſum non plangere, nec in ulla re mundi quietem inveniam. Vere ita ſe res habet: ſiquidem dum hoc in ſtatu anima verſatur, non illi amici, non pater, non mater, non filii, non honores, non dignitates, non ullum bonum creatum aliquam adferre, ſocietate ſua, conſolationem poſſunt, ut in extrema quadam ſolitudine, & perpetua ſollicitudine videatur vivere, quæ eam excubare faciat, ſuſpenſam, ut videat, num unicum bonum ſuum tandem redeat. Hoc ſignificare voluiſſe videtur Pſalmiſta, cum diceret, *Vigilavi, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto*. Non eſt quippe in cœlo anima, nec in terra: ſed velut in tecto verſatur; itaque nullam cum iis communicationem habet qui ſub tecto ſunt; multo etiam minus cum cœleſtibus, itaque vivit moriendo, nec aliud quid facere poteſt, quam conſtanter fideliterque Chriſti ſponſi ſui meminiſſe, & ad eum his ſimilibuſve qui ſequuntur affectibus ſuſpirare.

Tenerrimi animae affectus.

H

Quam, ô pacifice Rex, cujus conſpectum, & præſentiam univerſa cæli, & terræ nobilitas concupiſcit, à me longe ſeparatus, & divulſus es? quomodo aurum meum obſcuratum eſt? quomodo omnis fortitudo mea defecit? ô privationem omni mortali vulnere doloroſiorem! ô ſeparationem vere amariſſimam, & ipſis mortis anguſtiis dignam quæ proponatur! Cur te, o ſponſe dulciſſime, abſcondiſti, cur tua mihi abſentia noctem hanc tenebris palpabilibus, & mœſtiſſima deſolatione plenam, attulit? quis mihi in extrema hac derelictione, & ſolitudine mea auxiliabitur? Quam, Deus bone, magni ſunt dolores amoris! quam magna cordis illius eſt ſollicitudo, quod aliud nihil facere novit vel poteſt, quam amare, & tamen habere non poteſt eum quem amat! Videor mi-

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

mihi, clementiſſime Rex, & fideliſſime cuſtos, deſerta quadam in inſula, in medio Oceano ſita, ad quam nulli umquam mortales appellunt quibuſcum loquar, vivere: neve aliud mihi ſupereſt remedium, quam ſuſpirare ad te qui ultimos maris, & terræ fines conſpicis. Cumque in extremo hoc A dolore ſim conſtituta, ex intimis cordis penetralibus clamo ad te, manſuetiſſime Rex, & à juſtitiæ tuæ rigore ad amoris tui teneritudinem appello. Memento mei, ô ſpes mea, & amaritudinem repulſæ, & longitudinem derelictionis, à qua conſumor, reſpice. Noli me, ô pulcherrime Fili Virginis, derelinquere, cum jam inde à puriſſimæ matris tuæ utero creverit tecum miſeratio. Vide, ô deſiderata requies mea, quomodo omne robur meum jam imminutum ſit, quomodo me horror, & umbra mortis, ſine te lancinet. Mei te, amice mi, capiat miſeratio, quia conſumptis viribus ſolum mihi ſuperſunt labia, & lingua, qua ad te clamem. Noli, ô vita immortalis, & fons aquæ vivæ, tanto me rigore amicitia tua privare, quæ mihi B vità mea longe carior eſt, & potior. Non ante quieſcam, ſereniſſime Fili Dei, non ante gemere, & ad te clamare ceſſabo, quam illa ſuaviſſimi Sionis pax, & illa jucundiſſimi vultus tui ſerenitas poſtliminio ad me redeat. Sic anima ſcilicet ſuſpirat, & ad Dominum Jeſum ſponſum ſuum in mediis maris undis aſpirat. Ita ſe feciſſe teſtatur S. Hieronymus; cum enim derelictum ſe, & anguſtiis undique circumvallatum ſentiret, ex intimis cordis penetralibus ad Deum clamabat; nec ante à duris pectoris tunſionibus, & amaris ad Deum auxiliatorem ſuum ſuſpiriis ceſſabat, quam deſiderata, quam quærebat pax, rurſus in animum illaberetur. Hoc exemplo efficaciſſimo docemur, amorem tranquillum, per amorem tentatum per- C turbatumque quærere. Verum ſi fortaſſe mentis ſerenitas non tam cito revertatur, ac frequenter etiam ſatis diu exſpectet, utile erit artificio quodam uti, ut omnibus poſſibilibus remediis, quæ in his anguſtiis excogitari queunt, anima juvetur. De qua re ſequenti agemus capite.

S. Hieronymus:

CAPUT XII.

De nono artis amandi præcepto, in quo remedia proponuntur amoris ob repulſam a Chriſto Domino paſſam afflicti & dolentis.

SUperiori capite de repulſæ egimus ſen- D ſu, hoc vero ejuſdem remedia proponemus omnibus animabus graviter afflictis communia, tam iis quæ Chriſtum quærunt, non tamen inveniunt, quam iis quæ poſtquam eum invenere, denuo amiſerunt, uti ſupra capite VI. nos facturos ſpopondimus. Ante omnia notandum, animæ derelictæ quem ſupra deſcripſimus ſtatum in memoriam hic revocandum, nec non conſiderandum, tam gravi eam dolore opprimi, & gravari, ut quadam furoris ſpecie agi videatur: quippe velut inſana diſcurrit nunc huc, nunc illuc, ſicut ſponſa illa in Canticis per vicos, & plateas vagans, bonum amiſſum quam ſtudioſiſſime conquirendo. Hinc namque eam ſtimulat deſiderium, hinc affligit dolor, nova, inde eam corroborat ſpes, inde amor ita E angit, & concitat, ut ad omnem, vel minimam occaſionem bonum ſe ſuum quod amiſit einveniſſe credat: verum ſæpe vana ſpe, & inani illuditur, uti illuditur is, qui incaſſum brachium, & manum extendit ad aliquid, quod quis illi porrigit, capiendum; eo quod, dum illud accipere conatur, ſtatim id ſubducitur; itaque magno ſuo dolore, & mœſtitia ob hanc deceptionem illuſa manet. Hanc ejus anguſtiam etiam adaugent mentis ſcrupuli, dum metuens ſuſpicatur, ne ob aliquam imperfectionem ſuam ſponſus ſe ſubduceret, etſi nullum alioquin in ſe violatæ amicitiæ amoriſque, vel minimum ſignum notet. Multo vero magis ejus dolor tum augetur, quando viri graves quos conſulit, eam a diabolo illudi cenſent, quam- F vis vere is ſit ſpiritus Dei. Hic ſcilicet eſt animæ ſtatus, breviter ſuccincteque hic ſed ſupra pluribus declaratus: & licet anima in illo ſtatu tam ante quam poſt communicationem, & amicitiam cum Chriſto Jeſu, dolorem patiatur; magna tamen inter hos doloris gradus, ut nemo non poteſt advertere, eſt differentia: quia major hauddubie ejus mœſtitia eſt poſt communicationem, & repulſam, quam ante eamdem. Et eſt hoc profecto, quædam velut mortis agonia, quam Theologi, & Philoſophi languorem vocant, qui hoc modo contingit. Prima amoris impreſſione, de qua cap. 1. egimus, ſemel animæ facta ardentiſſimum quoddam in ea excitatur deſiderium, quod quædam velut eſt animæ amantis ad rem amatam extenſio. G Et quoniam violentia, qua anima movetur, & extenditur, maxima eſt, hinc ſi compos ejus fiat, ingens in illa ſequitur voluptas; at, ſi minime compos rededatur, in languorem hinc mortalem incidit. Nec ſane mirum eſſet, ſi ex eodem ipſa emoreretur: Et eſt tam grave id malum, ut vere remedio aliquo curari opus habeat, uti ſponſa in Canticis ſignificavit, remedium quod quærebat, ſymbolice ſic deſignans: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Chriſtus Dominus ſiquidem *flos* eſt *de radice Jeſſe*, nec non malus fructum vitæ ferens: de quo ſcilicet ſcriptum eſt, *ſicut malus inter ligna ſilvarum.* Itaque dum ſponſa per flores, & mala juvari petit, aliud non quæ- H rit quam ſponſum ſuum. Eſt hoc quidem inter omnia principale, & primarium remedium, quodque ſolum integram animæ ſanitatem, & ſatisfactionem adferre poteſt; quæ tamen prudentia, ac diligentia ſanctorum hac in parte ſuggeſſit remedia, non ſunt penitus contemnenda.

Animae deſolatae ſtatus deſcriptus.

Cant. 3.

Amoris initia.

Cant. 2. 5.

Iſai. 11. 1.

Cant. 2. 3.

Chriſtus integra animae ſanitas.

Itaque ubi anima hoc ſe languore oppreſſam, aliiſque id genus doloribus ipſam Chriſti communicationem, vel præcedentibus, vel ſub-

Scrip. An, circ.1612. Ital. Idio.

ſubſequentibus circumdatam videbit; nonum artis hujus præceptum obſervet; dare ſcilicet operam debet, ne dolorem ſuum adaugeat, & inutili ſe labore conſumat, ſed aliquod ſolatium quærere, aliis quibuſdam exercitiis, ad exceſſivum hunc affectum temperandum inprimis juvantibus, ab hoc accuratiſſimo A amoris ſtudio ſeſe divertere conando. Hæc diverticula, vel exercitia erunt, verbi gratia, ipſa cum hominibus ſapientibus ac ſpiritualibus converſatio, cum quibus de ſua afflictione conferre poterit, quod aliquam illi haud dubie delectationem, & conſolationem adferet; cum univerſaliter verum ſit, iis, qui aliquo dolore opprimuntur, ſolatio, & voluptati eſſe, dolorem ſuum cum viris rei peritis, quique ipſos, & confortare, & conſilium dare queant, excutere, & conferre.

Collatio cum viris ſpiritualibus commendata.

Eſt hoc inter omnia remedia quæ dari queant, & optimum, & præſtantiſſimum: unde licet interdum grave, & permoleſtum in principio ipſis ſit, cum ſimilibus hominibus tractare (quia tunc temporis B ipſa cum tantorum meritorum hominibus locutio, & converſatio diſplicet) poſtea tamen paulatim magis, & magis anima ſe dilatat, & cor ſuum exonerat, & in ſpiritualis, & utilis hujus conferentiæ fine ita alleviatam ſe comperit, ac ſi quis monte, a quo opprimebatur, illam exoneraſſet, quod profecto in primis notatum oportuit.

Et qualis lectio?

Eſt & aliud remedium ſatis utile, nimirum, in anxietatibus illis bona aliqua ſcripta legere, ſed quæ alterius ſint ſpeciei; uti ſunt hiſtoriæ quædam piæ, cantiones ſpirituales, expoſitiones Sacræ Scripturæ, aliaque id genus, ut cum varietate, tum jucunditate ſua animam alliciant, quo aliquem ex illis guſtum, ac voluptatem capiat, & conſequenter ab eo ſeſe divertat ac ſeparet, quod ipſam C adeo affligit, & cruciat. Huc conducet, certos habere libros, qui in hujuſmodi occaſionibus uſui eſſe poſſint. Immo utile erit, ut particularia aliqua in iis loca ſelecta, & aſſervata habeat anima, quæ ſibi guſtum, ac delectationem adferre ſolere ante ſciat, ut ea deinde in hac afflictione revideat, ac conſulat.

Comparatio.

Quemadmodum æger aliquis, quando omnem ciborum appetitum perdidit, ea conquirere debet, quæ prænovit certo ante ſtomachum non abhorrere: ita conſulte faciet anima, ſi illos cibos ſpirituales ſibi ſeligat, quibus in hac ſua ægritudine opus habet. Muſica quoque non parum in magna hac afflictione prodeſſe conſuevit, quia hæc & delectat, & ſuſpendit, ac proinde animam ſerenat, & affectuum perturbationem D quietat. Sic cantum in Eccleſiam tunc maxime introductum legimus, cum ipſa maxime opprimeretur, & perſecutionibus exagitaretur, ut per eum animæ Chriſtianorum recrearentur.

Muſici concentus effectus in Saule.

S. Aug. lib. 7. Conf. c. 7.

Unde, & ejus, quem in animabus perturbatis effectum Muſica facit, exempla in Sacris litteris legere eſt: uti dum Saul, Davide citharam pulſante, a ſpiritu nequam, a quo poſſidebatur, liberatus eſt; quia quamvis hæc liberatio ſpiritui Davidis, qui hanc a Deo gratiam impetrabat, potiſſimum adſcribatur, ejus tamen cantus, & cithara non parum ad animam hanc turbatam ſerenandam, & diſponendam, ut ab hac exagitatione liberaretur, contulere. Neque vero eſt, quod quis obiiciat, illam Saulis E afflictionem a Dæmonio fuiſſe, & hanc animæ derelictæ a Deo provenire: quia ambæ, in quantum pœna ſunt, veniunt a Deo, prout communiter univerſi Theologi ſentiunt: deinde (quod inprimis notandum eſt) ambæ in materia melancholiæ conveniunt cui muſica adverſatur, eo quod delectet, animæ perturbationes ſerenet, eamque aptiorem ad cum Deo agendum, & influxus cæleſtes recipiendos reddat.

Muſica melancholiae contraria.

4. *Reg.* 3. 15.

Quod Eliſæus Propheta oſtendit, quando juſtis quibuſdam de cauſis Regi Iſrael, qui unà cum Regibus Juda, & Edom, ad eum auxilii petendi cauſa venerat, iratus, & Regem Juda Joſaphat adjuvare volens, dixit, *Adducite mihi Pſaltem*, qui animum meum ab ira turbatum cantu ſuo componat, & deliniat: F quo pſallente, & ſonante mentem compoſuit, & quietavit, inque Deum accenſus eſt; *Et facta eſt ſuper eum manus Domini*; id eſt. irruit in eum ſpiritus Prophetiæ.

Vitae activae exercitia commendata.

Deinde ipſa vitæ activæ exercitia, qualia ſunt pingere, ſcribere, per agros ambulatum concedere, hortulum aliquem colere, aliaque his ſimilia, ad ſolam animi recreationem exercita, ſunt ad omnem animam afflictam, mœrentemque conſolandam inprimis opportuna. Poſſem hoc loco longum diverſorum exercitiorum catalogum texere, ſed non eſt id ad artis hujus methodum neceſſarium: cum nemo non videat, quælibet exercitia ad eum quem ſpectamus finem conducentia, ſub hac doctrina contineri. Sed potius dicamus oportet, quomodo hæc exercitia G cum pietate, prudentia, & debita moderatione peragenda ſint; quia in eorum uſu aliquis fortaſſe intervenire poſſet error, dum in iis practicandis nonnullus vel in tempore, vel in quantitate, vel diverſitate exceſſus committitur:

Et quomodo peragenda.

atque ideo videndum, ne, cum ea nonniſi per modum remedii adhibentur, aliter ac ſæpius uſurpentur, quam quantum neceſſarium eſt; nihil quoque in his interveniat profani, nec quid aliud his intendatur, quam ut per hæc anima, ad majori cum conſtantia unicum remedium ſuum denuo quærendum, diſponatur. In his autem exercitiis aſſignandis magna adhibenda prudentia, & electio, ne tetricas in his ſpinas anima inveniat, iiſque magis exaſperetur; ſed ut ſuaviter ad hæc uſurpanda ſe accingat, H utque dum purus per hæc intenditur finis, & cum directoris ſententia, voluntateque ſuſcipiuntur, nullum conſcientiæ ſcrupulum concipiat.

Uſui quoque eſſe poterunt aliquot ex illis Chriſti irati placandi remediis, quæ capite ſeptimo attulimus: uti ſunt actus hos cum aliqua reflexione reverentiali facere, qua fierent ſi ipſe præſens adeſſet; nec non illa loca viſitare, in quibus majores invocantibus

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

Anima deſolata quomodo dirigenda?

A

B

ſe gratias conferre conſuevit. Ita tamen id intelligendum, ſi nimirum anima tunc nullam ad hoc in ſe repugnantiam ſentiat: neque enim conſultum eſt in hac eam afflictione violenter aliquo compellere. Quia de maximis prudentiæ regulis hæc eſt, cum anima hujuſmodi in ſimilibus eventis prudenter ſe gerere, & ita eam tunc dirigere, ut non exaſperetur. Sed omnium difficillimum eſt id quod ſequitur: ſæpe namque fit, ut nec exercitia, nec conſilia, nec ullæ induſtriæ dexteritateſve ei juvandæ conducant, permittente, & volente Domino, ut ſine ulla alleviatione, conſolatione, vel refrigerio anima dolorem patiatur: atque inde ipſa in maximas redigitur anguſtias, & multa in ea interiora contingunt, quæ ſine particulari magnaque Dei luce, & experientia dijudicari commode non poſſunt. Tum vero multo major intelligentia ad animam gubernandam requiritur, tum quoque magis ipſa affligitur, ſi ejus ſtatus perfecte non intelligatur, quo nimirum ei aliqua licenter concedantur: in quibus qui parvam rerum hujuſmodi habebit experientiam, forſitan impinget, non ſuggerendo ea, quæ illi opportuna, & commoda ſunt, ut in ſequenti capite cernere erit.

CAPUT XIII.

De decimo artis amandi præcepto, in quo de aliquibus linguæ amoris proprietatibus ſermo eſt.

Animae deſolatae non omnes eodem modo regendae.

C

Comparatio.

D

Job. 30. 20. 21.

QUando anima ad extremum jam afflictionis redacta erit, & prolata ſupra remedia aliaque hujuſmodi fruſtra ſunt, non eſt tutum eam ad certa aliqua remedia, quæ in aliis caſibus, & cum aliis animabus non adeo afflictis, nec in amando tantum provectis adhiberi queunt, cogere velle. Et res ipſa per ſe clamat: neque enim aliquis adeo cæcus erit, qui animarum diverſitatem non videat, & diverſimode quaſque tractandas eſſe: ſicut, ut ita dicam, conſultum non foret aliqua negare vel non concedere alicui è gravi infirmitate decumbenti, qui omnem ſuum appetitum jam perdidit, quæ alii ordinaria dumtaxat laboranti febri, & appetitum depravatum non habenti, denegantur. Sic in materia ſpirituali conſultum non foret negare, & impedire ne Job aliquis extreme derelictus, & afflictus, poſſet ad ſui juvamen facere vel dicere quædam, quæ alterum, nonniſi ordinariam quamdam animi afflictionem patientem, conſentaneum non eſſet facere vel dicere. Sicut, verbi gratia, quando Job quam graviſſime afflictus, & Deum nihilominus ex toto corde ſuo amans, a quo ſe deſertum videbat, in verba illa prorupit, quæ, ut quidem ſonant, horribilia ſunt: ſed quoad ſenſum verum, amore quodam provecto, & derelicto digna ſunt: *Clamo*, inquit, *ad te*, Domine mi amantiſſime, *& non exaudi me; ſto, & non reſpicis me*: quid ſibi hæc vult derelictio? *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adverſaris mihi*. Certum eſt autem verba illa, *mutatus es mihi in crudelem*, veram aliquam Dei mutationem non ſignificare, ſed quamdam tantum effectuum ejus mutationem, ut qui primò erant proſperitatis, poſtea vero adverſitatis; utque hanc, *crudelitatem* vocavit Job, non quòd *τὸ crudelitas* in proprio ſenſu hic capiatur, ſed impropria quadam ſimilitudine, rigorem crudelitatis nomine donando. Sed eſto, hic verus verborum illorum ſit ſenſus, talibus tamen divinam majeſtatem verbis compellare nefas foret illicitum, niſi forſitan alicui qui in mortis ſe doloribus conſtitutum cerneret, & ex animo Deum ſuum diligeret; ſatis male habens, quòd talem ſuavitatis, & tenerioris affectus correſpondentiam non videat in eo, qualem ipſe habet erga eum, à quo tam rigidè tractatur. Hac etiam de cauſa David, qui tam fideliter Deum diligebat, multis in locis de Deo conqueritur, iiſque uſus eſt verbis, quæ parum provectos dedecerent, & proloqui nefas eſſet: qualia, exempli cauſa, ſunt illa; quæ cùm per aliquot verſiculos hanc ſui repulſam deploraſſet, mox ſubjungit, dicens, quid ſibi, *Domine* mi amantiſſime, repulſa illa inſolita vult? *ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquae, ſicut juraſti David in veritate tua;* ut hujus juramenti oblitus videaris?

Deus immutabilis.

E

David.

F

Pſal. 88. 50.

Jer. 12. 1. 2. 3.

G

Jeremias, cujus amor etiam ardentiſſimus fuit, cum Domino expoſtulat, quòd impiis auxiliari, & ſuos adverſis premere videretur: *Juſtus quidem*, ait, *tu es Domine*, & in hoc me convinces, *ſi diſputem tecum; verumtamen juſta loquar ad te: Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus qui prævaricantur, & iniquè agunt?* Deinde ſe ſubnectit, *Et tu Domine noſti me, & probaſti cor meum tecum*. Qui loquendi modus eclipticus, & figuratus eſt; quia aliquid ſubintelligendum relinquit, & objectionem quam cœperat abrumpit; cùm enim dixiſſet: Quare impii ſecundis rebus affluunt? & ſe addidiſſet juſtum eſſe, & à Deo probatum; reliquum erat, ut conquerendo diceret, mirum, & novum videri, ſe nihilominus affligi, & exagitari.

Quando juſtis licita lamenta?

H

Lucae 11. 9.

Ibid.

Ex his exemplis (ut alia multa quæ Sacra Scriptura ſuppeditat, omittam) decimum amoris præceptum concipiam, ſcilicet, quando animæ ad eas rediguntur anguſtias, nec ullum remedium inveniunt, licitum eſſe lamenta, & expoſtulationes aliquot amatorias ad amorem accendendum adhibere; ſimiles illis, quas in variis Sanctorum vitis legere eſt. Qualis, verbi gratia eſſet: Ubi eſt ſuaviſſime Fili Dei, ampla illa promiſſio qua dixiſti, *Pulſate & aperietur vobis?* Ego enim pulſavi, & mihi non reſpondiſti. Ubinam illud, *Petite, & accipietis?* Ego peto, & non accipio. Verè, Domine mi fideliſſime, nefas, & rationi minimè conſentaneum videtur, à te tam durè ſevereque me tractari, & in tantis mortis doloribus conſtrictum, & à te ſeparatum tene-

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

teneri. Promiſſis mutuis ſtemus, Domine, maneamus in amoris correſpondentia. Equidem præter te, aliud non amo, nec deſidero, nec quæro, cor tamen tuum ad amandum à quo amatur inclinatiſſimum me videtur abominari, cum tam graviter dureque me à ſe repellat. Certè, Domine mi, ſi ego te quid pati viderem, & juvare te valerem, non poſſem non affectui meo indulgere. Cur igitur tu me deſeris? cur me ſinis affligi? Hæ ſunt loquendi formulæ, & proprietates linguæ amoris; & quoniam hanc omnes linguam non intelligunt, poſſet fortaſſe quis indignari, audito quempiam ita loqui, & animam impedire vellet, ne hoc loquendi modo ſuum quem ſentit dolorem, proderet, & teſtaretur. Sed inconſulto is faceret, cùm tam exempla, quàm ipſa ratio, amoris cujuſdam provecti actus fieri perſuadeant minus verò in malam partem id capient ii, qui magno cum affectu humano, qui ad divinum intelligendum imprimis facit, vel jam amant, vel aliquando amarunt.

A

Multiplicia amatorum idiomata.

Multiplices porro ſunt proprietates, & idiomata linguæ amoris, uti, & multiplices hujus ſunt affectus. Modò enim amantes loquuntur ſecum ipſi, modò cum abſentibus, modò cum iis quos oderunt, alias cum rebus inanimatis: idque nonnumquam cum teneritudine, alias cum indignatione, ſubinde cum magnanimitate, denique cum aliis affectibus: de quibus ita Theologicè ac Philoſophicè eſt ſentiendum; ſcilicet, ſi amor ipſe honeſtus, & divinus ſit, etiam omnes hos ſenſus honeſtos, & divinos eſſe, quia omnes ab amore enati ſunt, & ei proportionati, denique è radice ejus progerminarunt: uti, vice verſa, humanos, & profanos fore, ſi amor humanus vel profanus foret. Sanè, niſi doctrina hæc vera eſſet, multa in Sacra Scriptura invenire eſſet verba, à ferventiſſimis quibuſque amatoribus prolata, quæ vix alioqui poſſent cum tanta pietate, & modeſtia, quam eorum magna perfectio poſtulat congruere: uti ſunt illa Jobi: *Indica mihi Domine, cur me ita judices? nunquid bonum tibi videtur, ſi calumnieris, & opprimas me, & conſilium impiorum adjuves?* Verus quidem ſenſus eſt, permiſiſſe Dominum, ut Job calumniis impeteretur, & conſilium calumniantium ac falsò eum accuſantium, ſcilicet impiorum illi prævaleret. Sed hoc illud modo quo dixit proloqui, idioma eſt animæ Deum ejuſque juſtitiam tam affectuosè diligentis, ut ob hanc derelictionem ejus, per modum indigniationis, (qualis mutuo amantium eſſe ſolet) utrumque expoſtulet. Sed quid alia opus eſt exempla arceſſere, præter illuſtriſſimum illud, quòd ipſe linguæ hujus amatoriæ auctor Redemptor noſter Jeſus, dedit, dum ad Patrem ſuum in cruce clamavit, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Circa quæ verba ſic rogo: Quem in finem hæc Chriſtus verba protulit? nam, ſi hic derelictionis modus bene ordinatus fuit, Patrique cœleſti gratus (uti fuiſſe certiſſimum eſt) cur conqueſtus eſt? aut cur ejus petit cauſam? Noverat quippe ipſe finem, & cauſam, cur ſic à Patre ſuo derelictus eſſet porrò cur ejus cauſam quærit? quia ſcilicet hæc eſt linguæ amoris divini, qui in ſacra illa crucis arbore ſe exeruit idioma. Convenientiſſimum verò erat, ut hac è cathedra, ipſa Dei ſapientia linguam hanc amatoriam, quæ extremam perſonæ amatæ derelictionem declararet, doceret: ut ſcirent nimirum ferventes amatores, dum Chriſto confixi ſunt cruci (quia is animæ ſtatus eſt, de quo tractamus) conſultum, & bonum eſſe, ſi ſubinde in ſimiles affectus, & verba prorumpant, quæ nempe declarent quam ſit magna afflictio in qua verſantur; utpotè utcumque ſimilis ei, quam ipſe Dei Filius patiebatur, quia hactenus non fuit, nec unquam erit juſtus aliquis, qui majorem ob afflictionem hanc conquerendi, & expoſtulandi rationem habuit, quam ipſe juſtitiæ auctor: qui tametſi crimen nullum commiſiſſet aut culpam minimam, nihilominus derelictus fuit, perinde ac ſi omnium totius mundi ſceleratorum fuiſſet ſceleſtiſſimus. Hac de cauſa monendi hic ſunt illi, quibus animarum provectarum ſpiritus diſcernere, & dijudicare incumbit, ne præcipitanter ac temere eas condemnent, ſiquando affectus, & expoſtulationes aliquas in iis audiunt, quæ cum ordinario loquendi ſentiendique modo non uſquequaque conſentiunt: nec non illi talium animarum directores; ne ſcilicet durè aut violenter cum iis agant; ſi quando ipſas ad ſimili modo de ſua derelictione expoſtulandum agi, advertent; ſed potiùs videant, ut prudenter ſuaviterque eas dirigant, dolorem earum non adaugendo, ſed, prout poterunt, imminuendo, ne de illorum ſint numero de quibus canit Pſalmiſta, *Quoniam quem tu percuſſiſti perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Vulgo dicitur: non eſt afflictio nova infligenda afflicto. Illi verò qui hujus rei experientiam non habent (quia rerum peritis, & uſum habentibus, monita non eſt dare neceſſe) ſecuri ſint, & tuti, quando animam aliquam Deus affligere vult, id ab eo adeò plenè perfecteque fieri, ut nullam aliam ab homine afflictionem forinſecus præterea addi neceſſe ſit. Quare quicumque eam hoc in caſu affligere conatur, Dei partes, & munus quodammodo invadere velle videtur: uti egregiè declaravit Job ab amicis ſuis exagitatus, & vexatus, *Miſeremini mei miſeremini mei ſaltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me.* Miſereri quidem ejus amici in hac manus Dei tactione debebant; ſed videns nihil minus eos facere, ſubjunxit, *Quare perſequimini me ſicut Deus?* id eſt, cur me affligitis, Dei munus & officium uſurpando? perinde ac ſi diceret: Hoc in extremi doloris caſu, eò omnia humana conſilia ſpectare debent, ut afflictum adjuvent, confortent, conſolentur; ſolius verò Dei eſt, dolorem adaugere,

B

C

Job. 10. 2. 3.

Chriſti exemplum.

D

Matt. 27. 46.

E

F

Monitum pro directoribus.

Pſal. 68. 27.

G

Proverbium.

Job. 19. 21.

H

Ibid. v. 22.

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

cùm, & ipſe ſolus patientiam ad eumdem tolerandum augere valeat. Hoc itaque monito præmiſſo, ad ſequens tranſibimus caput, in quo præcipuos aliquot animæ ita anguſtiatæ proponemus affectus. Atque hæc propria artis hujus doctrina eſt.

CAPUT XIV.

De undecimo artis amandi præcepto, quod notabiliores aliquot amoris tribulati proponit affectus.

A

Capitis hujus materia ſimilis eſt ei, quam ſuperiori ſumus capite proſecuti: verum, quia res ipſa notabilior, & excellentior eſt, ſingillatim attentius ea enucleatiuſque excutienda eſt. Porro ad hanc ponderationem, quam quærimus habendam undecimum artis hujus præceptum inire conducit, quo aliquot amoris provecti motus, & affectus continentur, è quorum conſideratione magna amoris vis perſpici poterit. Horum affectuum primus, eſt inflammatum moriendi deſiderium: quod cum conditione amoris mire convenit. Si enim res amata abſens ſit, nec haberi commode niſi per mortem queat, ex ipſis amoris viſceribus quædam naſcitur, ad rem amatam poſſidendam, moriendi voluntas: præterquam quod, ſi animæ afflionem per ſe conſideremus, mirum non ſit, ipſam ab hac afflione, etiam per mortis adminiculum, liberari velle; cum videre ſit, ob diuturnam, & faſtidioſam aliquam infirmitatem non raro morbidos, & languentes mortem quam ardentiſſime concupiſcere, quinimmo hanc ipſemet ultro ſibi aliquando inferre. Unde etiam quotquot ſibi violentam mortem inferunt, id potiſſimum intendunt, ut ab aliqua per eam moleſtia, & malo liberentur, rati vita finita, ab eo ſe liberatum iri. Si vero hi, tanto cum errore, ſibi necem inferre non vereantur, cum tamen refrigerium, quod habere intendunt, poſtea non inveniant; a ratione alienum haud erit, eum, qui Divino accenſus amore eſt, & ad infinitam quamdam conſolationem aſpirat, ad mortem anhelare, & e ſtatu hoc miſerabili doloribus pleno egredi percupere. Multis vero ad hoc deſiderium concipiendum rationibus excitatur, quæ non modo ipſum excuſant, & juſtificant, verum etiam laudandum id eſſe declarant, qualis, verbi gratia, eſſet, ideo velle mori, ne in imperfectiones ullas poſthac incidat, atque inprimis, ne gratiam Chriſti Jeſu per aliquam ingratitudinem, & lapſum amittat, in quem nonnunquam etiam magnæ ſanctitatis viri incidunt, cum vita hæc mortalis tentationum ſit locus, plenus periculis. Atque ita videmus illuſtriſſimos quoſque ſanctos, cum moleſtiis opprimerentur, mori cupiiſſe, uti Job, Tobiam, Eliam, qui ſunt teſtimonia rei hujus omni exceptione majora; ne quis forte putet, animas perfectione donatas hæc ſubinde deſideria non concipere.

Mortis votum, amoris effectus.

B

Sibi mortem inferentium error.

C

D

Job, Tobias, & Elias.

Præter ardens moriendi votum, notandus, & alius affectus notabilis eſt; inſignis nempe animæ vigilia, quæ nulla non hora excubat, & velut ſuſpenſa anhelat, ut jam ſibi adveniat, quod tam ardenter concupiſcit, adeo ut omni Chriſtum momento conſtringere, & detinere velle videatur; quæ mirabilis quædam amatorii ſenſus, & affectus eſt ratio. Solet namque Dominus ille, cui adeo gratum eſt amari, & requiri, nonnullis aliquando propinquitatis, & vicinitatis argumentis animam ad ſe attrahere, ut ſingulis ſe momentis ipſa illum conſtringere, & complecti putet; ille tamen ſe ſemper ſubducit, ita nihilominus, ut non procul ab ea recedat; ſed ſibi anima hunc ſemper prope adeſſe credat, itaque ſemper poſt ipſum currat, quo eum comprehendat. Per hoc porro exercitium anima quodammodo, & paſcitur, & ſimul quid patitur. Ita vero ſe res hic habet, ut in aqua illa, quam Tantali labris annatare fingunt poetæ, quæque, quoties ille apprehendere eam nititur, ſe eveſtigio ſubducit; ac velut in lauta quadam menſa, quæ ſimul alit, & cruciat. Sed certa eam ſpes durat, & confortat, hacque animante ſemper poſt eum, qui fugit currere feſtinat. Ex hoc autem amoris ſigno videri, & judicari poteſt, quam merito Redemptor Jeſus, dictus ſit *binnulus cervorum*, velox ſcilicet ad currendum, & fugiendum eo fugæ modo quem deſcripſimus.

Vigilia animae deſolatae affectus.

E

Tantali fabula notata.

F

Cant. 2. 8.

In hac, ſimilibuſve occaſionibus, vehementiſſimos quoſdam amoris dolores anima experitur, ut ad oculum cuivis patet. An non is qui homini præ ſiti morienti poculum cryſtallinum, limpidiſſima, & per nivem additam frigidiſſima repletum aqua oſtenderet, & iterata hac oſtenſione eum irritaret, ſed, cum poculum ſitibundus vellet accipere, manum retraheret, diuturnam, & continuam quamdam illi mortem inferret? Ita ſe plane res in ſiti aquæ vivæ habet; atque inde ortum habent lamenta quædam, & expoſtulationes quales illæ: *Uſquequo non parcis mihi, nec dimittis me ut glutiam ſalivam meam*, hoc eſt, aquam meam puram bibam? *Uſquequo Domine oblivīſceris me in finem? Uſquequo avertis faciem tuam a me?* Atque aliæ his ſimiles, quæ, & dulciſſimæ ſunt, & quas anima hac in afflictione facere prohibenda non eſt.

Comparatio.

Job 7. 19.

G

Pſal. 12. 1.

Verum nihil magis animam affligit, quam quod, dum illi lux eſt, ad alta quadam ratione ipſam Dei omni in loco exiſtentiam, intelligendam communicata, ex una quidem parte nullam confortationem ſentiat, & intellectus bonum ſuum non modo vicinum, (ſicut in priore illo affectu) verum etiam intra ſe cognoſcat; ſed ex altera parte voluntas eo non gaudeat. Sicut ſi quis præ ſiti moriens, in lacum aut flumen totus immerſus eſſet, & os aperiret, & tamen linguam ſuam ne madefieri quidem ſentiret. Eſt hæc profecto inſignis quædam ariditatis admodum moleſtæ ſpecies, in qua jure anima dicere poſſe, videtur, non eſſe qui linguam ſuam arentem, vel una aquæ guttula tingat: unde

Comparatio.

H

Scrip. An. circ. 1612. Ital. idio.

Job. 13. 14.

de ingens quidam ejus ſequitur dolor, & amore Dei digniſſimus, qualis ille Jobi, *Cur faciem tuam abſcondis? & arbitraris me inimicum tuum?* quaſi diceret; non vis me tui participem reddere, quaſi tuus non eſſem; nec de numero tuorum, ſed inimicus tuus: adeo ut hæc Dei in omni loco exiſtentia, quando ita omne correſpondentiæ genus ſubtrahit, maxime animam contriſtet.

A

Animae deſolatae poenae, infernalibus ſimillimae.

S. Mater Thereſia.

Alia ſenſuum genera adeo acuta, & penetrativa ſunt, tantoque omnibus vitæ hujus paſſionibus graviora, ut ipſis etiam pœnis, quas animæ a corpore ſeparatæ, vel in purgatorio, vel etiam inferno patiuntur, ſatis ſint ſimilia, ut uſu ipſo edocta, bene annotavit B. Mater Tereſia de Jeſu. Sunt quippe certi quidam affectus adeo ſubtiles, in interiori animæ reſidentes, ut ſingulari quadam Dei gratia opus ſit ad illos vel ex parte exprimendos: unde neceſſe eſt eos hic præterire, & ad eos lectorem libros remittere, in quibus illi ipſi, qui eos habuere, eo quo poſſunt modo ex parte declarant, quæ in ſe ſenſerunt: quia, quoad hanc artem, aliquot amoris affectus indicaſſe ſufficit, & Lectorem commonere, eos eſſe maximos. Tranſeamus jam ad alios amoris provecti affectus, quos excellentis ſanctitatis animæ habere ſolent.

B

CAPUT XV.

De duodecimo artis amandi præcepto, quo aliquot amoris Domini noſtri Jeſu Chriſti favores, & gratiæ explicantur.

Amor Divinus quomodo mutationibus obnoxius

QUidquid in hac vita exiſtit, mutatur; inde eſt quod amor divinus varias in hoc exilio patitur mutationes, quia aliquando graviſſime afflictus eſt, & aliquando maxima conſolatione perfunditur. Verum dum difficultates omnes jam perfregit, & fideliter ſe in amore geſſit, tot divinis favoribus cumulatur, ut cuivis ii aperiri non queant, quia qui rerum interiorum ſtudio ſe non dedit, incredibiles illi videntur. Sed errat, quicumque ita ſentit; cum ea quæ fides de amore Chriſti Domini nos docet, adeo mira ſint, & mirabilia, ut antecedentis (ut Philoſophice loquar) quodammodo ſint loco, è quo de multis rebus interioribus ineffabilibus, quas cum animabus purioribus, & in amando illo fidelioribus facit, conſequens eliciatur. Quis credidiſſet, vel cogitatione ſibi finxiſſet unquam, fore, ut Divina Majeſtas deberet incarnari, cumque hominibus tam familiariter converſaretur, ut una de primis Phariſæorum in Chriſtum calumniis, & accuſationibus fuerit, quod cum peccatoribus adeo familiariter ageret? Quis ſuſpicatus eſſet unquam fore, ut Divina Majeſtas hanc quam videmus, amoris ſui per Sacramentum Euchariſticum oſtendendi inventionem faceret, ad ſe hominibus incorporandum; idque modo adeo mirabili, ut nec poetarum fictiones ad amorem declarandum inventæ, nec qui de philtris, & incantationibus amatoriis ſcripſere, aliquid ad amorem illiciens unquam commenti ſint, vel excogitarint, quod cum hac inventione conferri mereatur?

C

Phariſeorum in Chriſtum calumniae.

D

Amatoriae incantationes notatae.

E

D. Franciſcus ſignis redemptionis ſignatus. Et D. Catharina Senenſis, at que B. Clara de Monte Falco.

Ut taceam res fidei, & veniam ad hiſtorias veras, & univerſo orbe notas; quis credidiſſet unquam, fore ut Jeſus Chriſtus plagas ſuas, & ſtigmata uni de creaturis ſuis amore quodam ardentiſſimo imprimeret, uti S. Franciſco impreſſit? aliis vero cor modo quodam qui infinitè amatorius ſit, educeret, uti S. Catharinæ Senenſi proprium eduxit? Alterius denique ſigna paſſionis ſuæ cordi inſculperet, uti B. Claræ de Monte Falco factum legimus? Certe quod adverſus has obiiciatur interrogationes, nihil eſt, niſi quod hæc omnem cogitationem, & intellectum creatum ſupereſt, & niſi altiſſima illa majeſtas hæc prius præſtitiſſet, nemo hominum ea excogitare potuiſſet; immo vero homines juxta ſapientiam ſuam humanam, ei qui ſupradicta ipſis propoſuiſſet, dixiſſent, non eſſe cur tantus amoris exceſſus a divina majeſtate expectaretur. Quod autem eum homines, poſtquam tantus Dominus eum jam oſtendit, non ſummopere mirentur, ob eorum dumtaxat ſit incapacitatem, vel rei aſſiduitatem, vel ignorantiam, aut aliam ſimilem ob miſeriam. Quia ſi magnalibus, quæ divinus amor operatus eſt, bene homines uti poſſent, eſſent ſane in multis rebus credendis faciliores; quæ licet maximæ ſint, non tamen cum illis nequeunt comparari.

F

Animae probatae conſolationibus recreatae.

Ut autem jam ad favores, & gratias veniam, quæ affectus, & effectus cauſant contrarios iis, quos præcedentibus duobus capitibus proſecuti ſumus; Duodecimum hoc artis hujus præceptum ſtatuo; ſcilicet animabus probatis, & purificatis inæſtimabilia quædam bona, & conſolationes divinas à Domino Jeſu communicari, quæ ſpecimina, & velut præguſtationes quædam ſunt boni æterni, quo poſtea in perpetuum potientur. Ampliſſimus hic campus eſt, in quo nimirum ſublimiſſima contemplatio, exſtaſes, raptus, puriſſimæ Dei conſolationes, multa ſecreta, & mirabiles revelationes continentur: quorum nec iniri numerus, nec qualitas certo ſtatui poteſt: nec non proprius campus Theologiæ myſticæ, de qua * alio in Tractatu, pro gratia, & capacitate quam mihi ejus communicare Dominus dignatus eſt, ſcripſi; atque ideo hoc in loco aliquot ſolum paſſiones divinas (ita enim vocari ſolent) quantum ad hujus artis rationem ſpectat, indicabo. Divinorum favorum unus, & is propriiſſimus amoris effectus, eſt perſonarum quæ ſe invicem amant, unio: atque ideo, quando anima jam diu probata eſt, & digna ſponſalibus judicata, Chriſtus Dominus eam ad ſe attrahit, multiſque ſibi modis colligat, & unit, ut ne iis quidem animabus quæ hos favores recipiunt, conceptus aut verba iiſdem declarandis paria ſuppetant. Unio autem modo partialis eſt, modo totalis, totius inquam animæ cum omnibus viribus, & potentiis ejus. Unde unio interdum partis eſt inferioris, Domino videlicet imaginationem,

G

* in ſchola Orationis.

Animae Sponſalia notata.

H

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

Variae animae cum ſponſo uniones notantur.

A

& appetitum ſenſitivum rebus divinis, nec non tali delectatione, quæ omnes honores, delectationes, & divitias orbis univerſi excedat, occupante. Alias intellectivam memoriam ſerenat, adeo ut in diverſis illis rerum imaginibus, aliud videre non ſit, quam quemdam nitorem, & puritatem, qualis eſt cœli, dum ab omni nube purum, & ſerenum eſt. Intellectus non diſcurrit, ſed per tranquilliſſimam, quamdam notitiam altiſſima Dei ſecreta cognoſcit: Denique voluntas modo quodam inardeſcit Seraphico, ſeque ſupra ſe ſuſtollit, ac bonum illud infinitum, quod amat, complectitur. Cum autem potentiæ hæ intellectuales ita elevatæ ſunt, nobiliſſimi quidam amoris favores animæ obtingunt, itaque mediæ horæ ſpatio graviſſimæ viginti, & triginta annorum ſuperiorum afflictiones bene compenſantur.

Fidei, ſpei, & caritatis incrementum notatum.

B

In hac autem altiſſima communicatione, incomparabiles cognitionis Dei virtutum, (ac præſertim fidei, ſpei, & caritatis) incrementi, animi magnitudinis ad mundum; ſeipſam, omniaque quæ ab hominibus magni fiunt, contemnenda, theſauros anima acquirit. Ipſum quoque corpus, per eam fruitionis partem, quæ ad ipſum quidem pertinet, erga res divinas mire afficitur, animamque adjuvare incipit. Adeo ut totus homo, cum in anima, tum in copore, quibuſdam cœleſtibus donis ditatus ſit, inſuper interius illuminetur, & ita armetur, ut dum cum proximo agit, nullum ipſe damnum, multum vero proximus inde commodi percipiat; accepta ſcilicet divinitus luce ad alios erudiendos, & robore, ad tentationibus omnibus ingruentibus reſiſtendum. Sed profecto; quidquid hac in parte dici poteſt, nihil omnino eſt, ſi cum iis, quas in Regis ſui pacifici, & ſponſi thalamo anima recipit, voluptatibus conferantur.

C

Alii unionis effectus enumerantur.

Animæ porro, quæ ad hos Jeſu Chriſti Domini noſtri amores evecta eſt, tam alta, & divina Dei præſentia communicari ſolet, ut verbis exponi nequeat. Nam, præter præſentiæ ordinariæ de humanitate Chriſti modos, qui & ſuaviſſimi ſunt, & certos affectuum tenerrimorum modos habent, necnon correſpondentias quaſdam magis intimas, & amatorias, quam ſint omnes amorum humanorum exceſſus; intellectualem habent divinitatis præſentiam, adeo quidem omnem exaggerationem ſuperantem, ut ſingulari quadam Dei fortitudine opus ſit, ad maximas, & cordialiſſimas infinitæ illius pulchritudinis, & ſuavitatis Dei blanditias, & delectationes ferendas. Sunt, & alii quidam modi amatorii, quibus animam Deus ad ſe attrahit, qui quædam amoris dici poſſunt privilegia: quale, verbi gratia, eſt aſſidua illa ſocietas, qua Chriſtus animæ ſemper ad latus præſens adſtare videtur, circum eam excubando; quod maximum ejus eſt redamandi incentivum, qui de ea tam ſollicitus excubat. Talia quoque ſunt ſuaviſſima quædam intus ad eam colloquia, certis quibuſdam concepta verbis, quæ majeſtatem, gratiam, & dulcedinem infinitam amoris ejus declarent: mirabilem quamdam hæc in anima impreſſionem faciunt, dum, & audiuntur, & fideliter ei inſculpta manent. Sunt deinde quædam repentinæ vulnerationes, quibus anima transfigitur, amoris Jeſu Chriſti propriæ, ut qui eam urget, & impellit, ut in perpetua quadam amoris vigilia vivat. Eſt quoque quidam vehementiſſimus ſpiritus volatus, quo animam Deus ad ſe rapit, & cordi ſuo cariſſimam, ipſi vero animæ utiliſſimam feliciſſimamque, inde ſibi prædam facit. Sunt denique multa alia conjunctionum puriſſimarum, & illapſuum mirabilium genera, quæ multis partibus excedunt omne, quodcumque de iis aut dici aut cogitari queat. At qui ampliorem de Paſſionibus his divinis notitiam habere volet, ſcripta legat, & Opera Beatæ Virginis Tereſiæ de Jeſu, cui ſingulariſſimam quamdam Deus, ad has mirabili quadam diſtinctione, & claritudine declarandas, gratiam dedit! Atque ideo ad amoris, qui per ignem tribulationum probatus, & diſſuaviationibus divinis felicitatus erit, ſigna, & indicia, necnon gradus, ad quos in hac vita pervenit, declarandos tranſibimus.

D

Interna Sponſi colloquia.

E

Puriſſimae conjunctiones & illapſus ſponſi in anima.

F

CAPUT XVI.

De decimo tertio artis hujus præcepto, quo gradus, & ſigna amoris deſcribuntur.

Cur certus amoris gradus in hac vita nequeat determinari.

Circa amoris divini gradus, cum Theologis ſupponendum erit, ejus nullum certum dari gradum poſſe, ut dici poſſit, Ad hunc in hac vita gradum amor poteſt pertingere, nec ulterius tranſire: cum enim vita hæc via ſit, nullum ipſa in ſe habere terminum poteſt, quia hoc pacto deſineret eſſe via, & homo viator non eſſet. Quod univerſali, & communi ſanctorum doctrinæ repugnaret. Hæc quidem de amoris gradibus, qui ſemper in hac vita poſſunt creſcere dicta ſint: quidam tamen datur in hoc amore, vel caritate ſtatus, quem Theologi vocant ſtatum perfectorum, ad quem per exercitia, probationeſque, quas ſupra indicavimus animæ in hac vita pertingunt; quo in ſtatu, etſi quædam graduum ſint differentiæ, quotquot tamen in hoc ſunt animæ, excellentiſſimæ ſunt; & aliquot ipſi hic ſigna dare poterimus communia omnibus, quæ ad eas magnifaciendas, & ut ad altitudinem illam adſpiremus nos exſtimulent: quod proprium officium eſt ejus, qui divini amoris arti ſtudet. Et quamvis ea quæ ſuperiori capite dicta ſunt, ad hæc animarum, quæ in illo perfectorum ſtatu ſunt, ſigna etiam referantur; quia tamen non adeo efficaces probationes ſunt, ac ſunt illæ, quæ propriæ dictæ virtutes ſunt, ideo eas hoc capite non recenſebimus. Ut ergo ad hæc ſigna veniamus, etſi alioquin ſatis multa de illis dici queant, (quia materia ſatis ampla, & longe patens eſt) tamen aliquot dumtaxat, capita tangemus, quæ ad artis hujus contextum maxime faciant, quorum doctrina uſui etiam eſſe

G

Perfectorum ſtatus, qualis?

H

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

Certius amoris ſignum, quale?

A

Humilitatis exempla.

eſſe poterit in illis, quæ non recenſentur. Inter omnia autem amoris perfecti ſigna nullum certius eſt, quam profundiſſima quædam humilitas, cum omnibus excellentiæ ejus gradibus, quos ſancti enumerare ſolent. Adeo ut non ſolum clariſſimam quamdam propriæ fragilitatis, in mediis his divinis favoribus, cognitionem anima præferat, ſed etiam vilis haberi ab omnibus, & ut talis tractari velit; idque ipſo effectu, id eſt, realiter voluntatem habeat, & oſtendat quæ vilis haberi, & contemni velit; doleat vero cum ſe videt honorari. Hoc perfectionis genus prorſus mirabile eſt: cujus rei illuſtriſſima, clariſſimaque in vitis Sanctorum exempla legere eſt; qui cum ad purum quemdam amorem perveniſſent, & omnem Deo honorem optarent, inprimis dolebant, ſi quando ab aliis honorarentur. Exempli loco ſit Joannes Baptiſta, qui rogatus, num ipſe Meſſias eſſet, ſummopere contriſtatus eſt. Econtra vero miro gaudio replebantur, cum contumelioſe haberentur uti ipſi Apoſtoli, qui ibant gaudentes à conſpectu concilii, quod digni eſſent habiti pro nomine Domini ſui contumeliam pati. Sed in præſens ſufficiet ſola doctrina, cum exempla innumera ſint, & ſatis nota.

B

Sap. 3.

1. *Cor.* 13.

Paullina charitatis ſigna.

Aliud ſignum eſt, magna in graviſſimis laboribus patientia, quæ ceu ignis eſt auri ſubtilitatem, & explorans, & declarans. Unde etiam ſcriptum eſt, Dominum juſtos probaſſe velut aurum in fornace, eoſque inveniſſe dignos ſe. Apoſtolus etiam Paulus, amoris, & caritatis ſigna enumerans, patientiam primo loco poſuit, velut ſignum ejus certiſſimum, ac minime ſuſpectum: quia conſtat paſſim, illos Dei amores illegitimos, & adulterinos eſſe, qui ſuis dumtaxat commodis intendunt, & nullum ſubire malum aut incommoditatem pro Deo volunt; dum ſatis eſſe putant, certos quoſdam interiores aſpirationum vel orationum jaculatoriarum actus concipere; quibus ſibi ſatisfaciunt rati eos veros eſſe. Sed errant; cum omnes ferventes Dei amatores tot probationum modis tentati ſint, nullum ut de amore ſuo dubitandi locum cuiquam relinquant. Huc faciunt perſecutiones, morbi, labores, & defatigationes, Martyrum, Doctorum, Confeſſorum, &c.

C

Carnis mortificatio amoris ſignum.

D

Ipſa carnis propriæ mortificatio magni amoris etiam certiſſimum ſignum eſt, non loquor autem hic de judicii, & propriæ voluntatis mortificatione; quia ſuppono, animam perfectam, de qua hic tractamus, jam magnam de ſe in parte illa ſuperiori domanda victoriam retuliſſe, ſed de mortificatione carnis; quia eſto eam bene mortificatam habeat, & bonas de ea victorias per labores, pœnitentias, & rerum cœleſtium ſtudium ante retulerit, acriter tamen in eam ſævit, & velut mancipium viliſſimum tractat. Quod ex hiſtoriis Sanctorum, & Sanctarum liquidiſſimo patet: quia licet illorum plerique in innocentia quadam virginali vixerint, nullamque umquam carnis repugnantiam ſenſerint, per vigilias tamen, cilicia, jejunia, catenarum geſtationes, & flagella, ad mortem uſque eam macerarunt, & domuerunt; itaque ſe Chriſto Domino, exemplari, & prototypo ſuo, cujus ſimiles eſſe percupiebant, configurarunt.

Et Magnanimitas.

E

S. Matris Tereſiae votum.

F

Magnanimitas adhæc legitimum ardentioris amoris ſignum eſt: cum enim ipſe natura ſit nobilis, ſi ad ſtatum perfectum jam pervenit, ad ardua magnaque ſuſcipienda aſpiret neceſſe eſt. Inde ortum habent ipſæ operum illuſtrium aggrediendorum inventiones, & propoſita, & quod nomini ſatis non ſit facere ea quæ Domino grata eſſe ſciat, ſed in quacumque re exploret, & ſerio inquirat, quid ſit, quod Chriſto magis placeat. Multa magnanimitatis hujus, & generoſitatis, in multis ſanctorum veterum, & modernorum, exempla videre eſt: at, quia B. Virgini Tereſiæ de Jeſu adeo obſtrictus ſum, (etſi aliorum exemplorum commemoratione ſtudio abſtineam) rariſſimum illud exemplum tacere non debeo, quo nullum me hoc in genere præſtantius legiſſe, vel audiſſe memini: quod videlicet votum ipſa concepit, illud omni in re faciendi, quod ſibi videretur Deo Optimo Maximo gratius fore; adeo ut, licet illi diverſa motiva, & res bonæ, Deoque gratæ, qualibet in re faciendæ offerrentur, voto ſe voluerit obſtringere, & reipſa obſtrinxerit, id ſolum faciendi, quod inter omnia illa crederet Deo, quem adeo cordialiter amabat, fore gratius, & acceptius. Lectores autem norint, hanc cordis generoſitatem, (cui ſatis non ſit in quibuſvis Deo placendi occaſionibus, facere mediocria tantum, ſed ad ſumma ſemper aſpiret,) evidens amoris perfecti ſignum eſſe.

G

Aliud amoris ſignum.

Charitas proximi praecipuum amoris ſignum, & cur?

H

Ea quæ hactenus diximus ſigna, maximæ ſunt excellentiæ, animamque ſatis commendabilem reddunt; quando hæc ſanctitatis ſummæ indicia in ea conſpiciuntur: quibus multa alia adjungi poſſent, quæ a viris ſpiritualibus in iis quibuſcum agunt, diligentia annotantur; uti eſt ſemper, cum commode fieri poteſt, de Jeſu-Chriſto loqui, tempus aliis ſuffurari negotiis, quo ſe ſubducant, ad in ſecreto cum Domino loquendum; magnam etiam reipſa ſentire diſplicentiam, dum eum ab aliquo vident offendi; cordialem etiam præferre lætitiam, quando eum audiunt alicujus opera uti dignatum eſſe, aliaque id genus plurima, quæ, quia neceſſe non eſt ſingillatim omnia obſervare omitto. Verum enimvero ultimo hoc loco indicandum eſt ſignum omnium præcipuum, ipſa inquam proximi caritas, quæ hoc titulo nobis in ſcriptura ſingulari quadam ratione commendat, eſt. Ratio vero cur hæc principale eſſe ſignum perhibeatur eſt, quia amor Dei, & proximi unius ejuſdemque virtutis ſunt actus, id eſt, divinæ caritatis; ac proinde credibile non eſt, ipſum amorem erga Deum magnum eſſe, ſi amor in proximum parvus ſit, ac frigidus; & vice verſa, amorem erga proximum exiguum, & modicum eſſe, ſi Dei abundet: quod idem eſſet, ac ſi mul-

tum

tum caritatis, & parum caritatis haberet : adeo ut habitus, è quo duo hi actus oriuntur, ſimul eſſet intenſus, & remiſſus, perfectus ſimul, & imperfectus, quod ſimul ſtare nequit. Qui ergo in amando proximo excellet, primarium, ac præcipuum perfecti amoris Dei ſignum, & argumentum habebit.

A

Hæc quæ produximus hactenus, aliquot ſunt ſigna, (ut multa alia omittam, quæ huc adferre neceſſe non eſt) è quibus agnoſcamus, quæ amando perfectæ ſint animæ.

Certus amoris terminus ſtatui nequit.

Verum in hoc amoris perfecti ſtatu, hac in vita certus ſtatui terminus non poteſt, quod juſti ſe magis juſtificent in dies, & ſancti ſanctificentur adhuc; ſicut, & vice verſa ipſi peccatores certos peccatorum limites non habent, eo quod è malo in pejus ſemper procedant. Quod autem in genere de omnibus dici poteſt, eſt, animam in amore perfectam ad tantam cordis altitudinem, generoſitatem, & tantam ſpiritus libertatem pertingere, ut cæli terræque domina eſſe videatur, cumque Apoſtolo dicere queat: *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*: perinde ac ſi diceremus, animam, in hac amoris divini perfectione in Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum transformari, itaque dici poſſe non amplius eſſe eam quæ eſt, ſed eum cujus figuram aſſumpſit.

Gal. 2. 20.

B

Transformatio amoris effectus.

Hæc autem transformatio proprius amoris effectus eſt, qui amantem extra ſe in perſonam amatam rapit; eaque illum veſtit : ipſaque adeo alta, & divina eſt, ut omnem complectatur excellentiam, & laudem omnem tranſcendat, proinde alia minora hic afferre neceſſe non eſt; ſed tantum monendus lector, ut ſimul univerſam virtutis, & ſanctitatis perfectionem conſideret, eamque in hac anima in Chriſtum Dominum ſponſum ſuum transformatione comprehendi exiſtimet.

C

Ad transformationis autem hujus excellentiam intelligendam, conferet exemplo Sanctorum qui in amando excelluerunt, ipſam virtutum, quæ in vitis ipſorum eluceſcunt, perfectionem, & conſummationem in ipſis notando.

Horum ſanctorum deberet, qui per ſpiritum amoris ambulat, catalogum texere, quo ſe ipſe eo inſpecto accendat, eoſque imitetur. Et ſtatueram ipſe hic recenſere omnes qui in amando excelluerunt, illoſque hoc in loco proponere, ut particulariter hos Lector reſpiceret, & intueretur : ſed nullus eorum eſſet finis. Unde ſibi quiſque per ſe colligere, & annotare poterit eos, quos magnos, & ardentes fuiſſe amatores comperiet, prout magis id expedire ſibi ſentiet. Ut vero levius faciendi delectus ipſis occaſionem dem, quemdam quem mihi ipſe ſelegi, proponam.

D

Sancti Seraphici veteris, & novi Teſtamenti.

Sancti veteris Teſtamenti ſunt, David, Iſaias : Sancti novi Teſtamenti, Paulus, & Auguſtinus. Quatuor illos ſelegi, quod amori divino fuerint præ aliis maxime dediti, quemadmodum è ſcriptis eorum colligere eſt, quæ inter aliorum ſcripta, & ſapidiſſima ſunt, & ipſorum affectum fervidiſſimum ſpirant.

Et Sanctæ.

Sanctæ vero ſunt Magdalena, Gertrudis, Catharina Senenſis, & B. Tereſia.

Monitum.

Hæc catalogi formula eſt; quem qui formare voluerit, videat ne illum nimis longum contexat, quia ad nihil aliud is utilis eſt, quam ut nuda eorum nomina obiter recenſeantur; ſed brevem, & cum bono delectu, ut nimirum attente illum ſpiritus amatorii modum conſideret, eumque ſibi familiarem reddat : quod difficulter admodum fieri poteſt, niſi numero hi pauci ſint.

E

Sed hoc monito jam dato ad ipſum amoris finem veniamus.

CAPUT XVII.

De decimoquarto artis amandi præcepto, in quo de beato amoris divini fine tractatur.

OMnia, quæ jam ante amoris divini, & experimenta, & afflictiones propoſuimus, tum demum ut bene impenſa habenda ſunt, quando feliciter tandem finire licet : & licet illa infinities majora eſſent, omnia tamen ut nullius momenti habenda eſſent, propter inæſtimabilem, quæ a fine amoris oritur, conſolationem.

F

Amor divinus finem neſcit.

Non quod amor finem habeat; quia finem neſcit, immo æternum duraturus eſt : finem autem hic vocamus, hujus terminum vitæ, quæ per experimenta, & exercitia amoris traducitur. Clementiſſimus quippe, & pacificus Rex Jeſus Chriſtus, quando anima difficultates cunctas jam ſuperavit, & in amando jam perfecta, & conſummata eſt; eam ad ſe attrahere volens, liberaliter admodum infiniti amoris ſui correſpondentiam per certa quædam oſtendit indicia, è quibus corona immortalitatis jam vicina eſſe, & anima propediem a corpore ſeparanda colligatur. Sunt hæc ſcilicet ſuaviſſimæ quædam invitationes, quas infinita conſolatione ſua, anima percipit : hinc enim illi dicit conſcientia, *Bonum certamen certavi, curſum conſumavi fidem ſervavi.*

G

2. *Tim.* 4. 7.

Cant. 2. 13.

Illinc vero Chriſtus Dominus noſter, pace, & fideliſſimo amore veſtitus, interius illi loquitur, dicens, *Surge, propera amica mea*, quaſi diceret : Jam ſatis ſuperque oppugnata, & ſub corporis terreni pondere oppreſſa es, ſatis jam diu a me abſuiſti; noli poſthac amplius affligi aut contriſtari; jam tempus eſt, quo dolores, & afflictiones, quas propter me paſſa es, finiantur. *Quamobrem veni electa mea, & ponam in te thronum meum* regium, in quo ſedebo; & æternarum deliciarum thalamus fies, in quo requieſcam.

Per has invitationes ſe anima, magna quadam vi, & ſimul ſuavitate, ad patriam ſuam, & ad ſponſi ſui amplexus attrahi ſentit, ac ſæpenumero illud Apoſtoli repetit : *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.*

H

Phil. 1. 23.

Soletque magnam ultimis illis diebus pacem, & quamdam privilegii libertatis ſpeciem experiri, ut quæ jam inimicos ſuos ſupplantavit, victoriæque ſuæ fructibus jam potitur, ex corde toto rebus æternis, & illis cœli vocationibus invitationibuſque intendendo : uti fecit, S. Nicolaus Tolentinas ſex ante menſes, quam ex-

S. Nicolaus Tolentinas.

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

exſpiraret, qui ſingulis etiam noctibus jucundiſſimum Angelorum cantum audivit, cujus ſuavitate ita rapiebatur, ut ſupradicta illa verba, *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*, identidem gaudio diffluens repeteret.

Perfectarum animarum affectus, quales?

Hi ſunt nimirum affectus animarum caritate excellentium: quæ, cum corona jam vicina eſt, deſideriorum ſuorum brachia extendunt, A quò eam ardentiſſimo quodam affectu comprehendant, æternas conſolationes jam tum prælibando; & certò liquidoque perſpiciunt, antequam è corpore emigrent, quidquid hactenus paſſæ ſunt cum eo quod tunc ſentiunt, nedum cum gloria futura comparatum, nihil eſſe: Unde in lacrymas lætitiæ reſolvuntur, & exultant, cor ſuum ad immenſam conſolationem, quæ jam proxima inſtat, capiendam dilatantes. Tunc, qui præmio jam vicinus fit, cum Davide dicit; Pſal. 83. 2. *Quàm dilecta tabernacula tua*; id eſt, delicioſiſſima gloriæ tuæ habitatio, *Domine virtutum! concupiſcit, & deficiat anima mea in atria Domini*; & majori jam cum ratione, quam in toto præteritæ vitæ curſu unquam dixit, ait, *Cor meum, & caro mea* Ibid. v. 3. *exultaverunt* (id eſt, ſeſe cum impetu effuderunt) B *in Deum vivum*. Nam per hos conſolationis ſenſus, non animæ tantùm, quæ ab ea abſorbetur, ſed, & caro, quæ eam prægustat, quibuſdam ſaltibus ſupra quàm naturalis illius conditio fert, ad inæſtimabile bonum, quod jam guſtat, ſe ſuſtollit. Et anima huc extremitatum redacta, a corpore diſſolvi liberarique cupiens, cum Propheta dicit, Pſal. 41. 3. *Quando veniam?* Quando vitam abrumpam? Statim, o Rex meus, dudum deſiderate, & quæſite, o optatiſſima præda mea, vinculum hoc abrumpatur, meque ab hoc mortalitatis meæ carcere libera.

Chriſtique favores erga ipſas.

Cùm vero jam tranſitus hora appropinquat, ipſemet Chriſtus Dominus, fidelis amator, C & remunerator, ſponſæ ſuæ ea facit, quæ nec oculus vidit; nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt. Tunc namque cariſſimam hanc animam, & hæreditatis ſuæ partem ab unguibus leonis tartarei defendit; tunc robore eam ſuo corroborat; tunc cœleſtibus eam favoribus beat; tunc quoque ipſæ provocationes cordialiores, & fideliores ſunt; tunc denique prædam, quam ſanguine ſuo comparavit, & ſemper velut vitam ſuam dilexit, ad ſe pertrahit, & ad majorem illius gloriam, ſolemniſſimo quodam triumpho in beatiſſimam civitatem Jeruſalem; cum primogenitis, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, introducit; & univerſa civitas illa nobiliſſima, ſenatus, & populus electus, animæ illius, quæ pul- D chritudinem æternam concupivit, novo quodam cantico, quod in æternum durabit, victoriam concinunt.

Juſti vita finem neſcit.

Hic tribulationum, quas amans anima ſubijit, & abſentiæ ſponſi, & lacrymarum, & ſuſpiriorum cordialium; experimentorum, denique repulſarum, & rigorum Jeſu Chriſti finis eſt. O finem beatiſſimum! infinitæ conſolationis finem! finem, qui finem neſcit! Quàm ergo bonum eſt, o pacifice terræ viventium Rex; pro te pati! quàm bonum eſt per univerſas terræ afflictiones tranſire, quò ad amoris tui, qui in cœlo regnat, finem perveniamus. Quare, o lux puriſſima, hominum corda illumina, ut intelligant, quam ſibi proficuum, & glorioſum ſit pro te pati, omnemque affectum ſuum in te collocare diſcant. E

Atque in hoc artis amandi Dei terminus eſto: & quoniam artis hujus fructus in eo ſitus eſt, ut bene quis ea per aliquod exercitium, quod principalia totius doctrinæ puncta, contineat, utatur; totum caput ſequens, aliud non erit, quàm artis Dei amandi praxis vel exercitium.

CAPUT XVIII.

Decimumquintum artis hujus præceptum; ipſum ſcilicet exercitium artis amandi Deum.

Oblatio matutina.

QUI per ſpiritum amoris a Domino ducitur, poterit ſingulis diebus mane, F hoc exercitium uſurpare, & ſequentia verba proloqui: Cum homini proprium ſit cum quadam electione amare, ego boni illius infiniti percupidus, eligo te, amabiliſſime Fili Dei, & ex intimo corde meo pluris te quàm aut meipſum, aut omnes ſimul creaturas facio. Mihi quàm cariſſimum eſt, dulciſſime Rex, & Domine mi, quòd majeſtas tua infinitæ ſit magnitudinis, ſapientiæ, gloriæ, aliiſque altiſſimis quas habes perfectionibus, donata: illi me libens ſubmitto, & cordis mei, quod ceu mancipium eſt à te emptum, ut libertate ſua donaretur, tributum pendo. Hunc in finem tibi meipſum cum cogitationibus, verbis, & operibus vitæ meæ, ac præſertim hoc die committendis conſecro, G & dedico, quibus aliud non ſpecto, quàm ut placeam tibi, & legi amoris tui ſatisfaciam. Aliud ſanè commodum non quæro, quàm ut te cum omnibus meis amem, utque hoc infinita amoris perfectione faciam, omnia, quæ te amant tum in cœlo, tum in terra corda, nec non infinita alia, quæ tibi infinitè grata ſunt, poſſidere vellem.

Quomodo concipienda?

Hæc oblatio dedicatioque manè quidem, quotidie eſt magno cum affectu concipienda, at deinde per diem etiam, frequenter repetenda; atque adeo is, qui arti amandi ſtudet, ſibi proponere debet, hanc eſſe unicas divitias ſuas; & in omni quod loquitur, cogitat vel facit, alio fine non moveri, quam amore; ut hic præcipuus omni in re ejus ſit ſcopus, intuitus, & ſtudium, inten- H tionem ad hoc, pro eo ac poterit, magis magiſque purificando. Hoc verò argumento moveri ad hoc faciendum poterit: ſicut nonnulli hominum pictoriam, ſculptoriam, aliaſque artes exercent, earumque profeſſionem faciunt; ita ſe cogitet hujus artis amandi profeſſionem facere, ac proinde ſemper ſe inſtrumenta ejus in manu habere debere, ipſos ſcilicet actus amoris.

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

Quaenam in die fugienda?

Dabit inprimis operam ut quidquid amori adverſatur à ſe eliminet, paſſiones ex amore mortificando, negotia omnia ſubterfugiendo, quò quietius amori vacet, gravamina, & labores quoque patiendo, quo amorem conquirat; labores inquam cum a Deo injunctos, tum ſponte ex amore ejus ſuſceptos, & hunc in finem mortificationes carnis, uti ſunt jejunia, cilicia, flagella adhibebit.

A

Lectio ſpiritualis commendata.

In lectione vero librorum ſpiritualium, prædicationibus, exhortationibus, nec non alijs quibuſcumque occaſionibus quæ ſe offerunt, ſemper ad illa potiſſimum reſpiciat, quæ ad amorem referuntur, & ea ſibi quàm poterit optime, applicet, ſemper ex obedientia ſeſe gubernando, maxime in exterioribus laboribus, & exercitiis, quæ ad amorem divinum comparandum ſuſcipere voluerit.

Amor a Deo poſtulandus.

Non modo perſeveranter, verum etiam importune quodammodo ſuum à Deo amorem poſtulabit: adeo ut die nocteque inter frequentes aſpirationes, & jaculatorias, multæ intercurrant petitiones, quibus amorem petat, idque magna quadam humilitate, & confidentia, offerendo ſe ad faciendum, & patiendum ardua quæque quo impetret id quod intendit. Hunc in finem diriget receptionem Sacramentorum, atque in primis Sacramenti Euchariſtici; nec non interceſſionem Sanctorum, aliorumque ſpiritualium hominum, quibus familiaris erit.

B

Amatoria ad Deum adloquutio.

Modum autem cum Domino loquendi uſurpabit plane amatorium, his verbis aut ſimilibus: Obſecro te, dulciſſime Domine, & Deus meus, cui viſcera mea ſacrifico, ut æternis amoris tui flammis me incendas. O ſuaviſſime cœli ſplendor, adure cor meum ſuaviſſimæ caritatis incendio. Aufer ô amantiſſime Rex, & ſurripe cor meum, per efficaciſſimam pulchritudinem tuam, & fac, ut omnis pulchritudo, & gratia carnalis gravis, & intolerabilis mihi ex magno puritatis tuæ amore ſit. Trahe me, rariſſima vita mea, poſt te in funiculis Adam, & æternæ dilectionis vinculis. Da, ô ſplendidiſſima lux, mihi, ut omnium creaturarum, quo amori tuo infatigabiliter intendam, obliviſcar. Inebria me, ô amantiſſime viſcerum meorum ſponſe, amoris calice quem pro me bibiſti. Præſta, o conſolatio, & fortitudo mea, ut te amem, & ardentiſſimis deſideriis exquiram, & tandem gratioſiſſimam præſentiam tuam, quæ lætificat civitatem Jeruſalem, & deliciarum tuarum paradiſum, in quo arbor vitæ plantata eſt, inveniam.

C

D

Jaculatoriae familiares reddendae.

Hoc aliove ſimili aſpirandi modo uti poterit, qui ſpiritu amoris ducitur, ut illi ſpiritui cooperetnr: bonum vero erit, ſi haſce jaculatoriarum formulas ſibi familiares inprimis reddat. Sed præter illas, quas per diem, & poterit, & debebit uſurpare, reliquis exercitiis, & obligationibus ſtatus ſui illas permiſcendo; quotidie ſtatutis horis orationem faciet, in qua illa amoris incentiva meditabitur, è quibus majorem ſe fructum colligere videbit, tam circa humanitatem, quàm circa divinitatem Chriſti, prout director animæ illi conſuluerit. Brevium quoque quarumdam meditationum, & per jaculatorias interruptarum modum omni tempore conjungere poterit, (prout occurrentes occaſiones ſuaſerint) à creaturarum perfectionibus ad creatoris perfectiones ſaliendo. Verbi gratia, quando aliquid quod pulchrum eſt videt, ſtatim cor ad Deum ſuſtollendo dicat: Tua, Domine, pulchritudo infinitis partibus major eſt. Quando nobilem aliquem conſpicit, dicat, Tua, Domine, nobilitas infinita eſt. Quando doctum, & ſapientem, dicat, Tua, Domine, ſapientia omnium ſapientiarum creatarum fons eſt. Atque ita in aliis omnibus occaſionibus; quia per illum diſcurſuum breviſſimorum, & interruptorum uſum, quidam orandi modus exercetur ſatis efficax, ut per eum anima majori erga perfectiones divinas affectu moveatur, ſeque a creaturis ſejungat, multaſque affectuum repentinorum adhæſiones impediat, a quibus multi etiam admodum ſpirituales interturbari ſolent. Jam ad artem amandi proximum veniamus.

E

Deus fons perfectionis.

F

CAPUT XIX.

De arte amandi proximum.

IN arte amandi Deum includitur ars amandi proximum; cum Dei amor verus eſſe nequeat, niſi ſimul amorem proximi includat. Hunc Apoſtolorum ſuorum animis diverſis modis, & rationibus Dominus Jeſus inſculpere conatus eſt, iiſque adeo admirandis, ut omnia alia quodammodo neglexiſſe videatur, quò reciprocum hunc affectum ad ſe mutuo ſincere diligendos, cordibus ipſorum imprimeret. Rei hujus ratio eſt, quia amor proximi multas difficultates involvit, ad quas ſuperandas magno ſtudio conatuque opus eſt. Homo quippe tam propter id quod in ſe eſt, quàm quod facit, ut plurimum magis exoſus eſſe, quàm amari ſolet: proinde quibuſdam præceptis armandus eſt, ut illa odii motiva per amoris vehementiam ſuperet.

Difficilis amor proximi.

G

Ceterum hiſce, aliiſque quæ evenire poſſent difficultatibus perfringendis, ſalutarius præſcribi remedium non poteſt, quam oculos in exemplar noſtrum Jeſum Chriſtum defigere, & audire ea quæ docet; quia aſſeveranter dicet, *Hoc eſt mandatum meum, ut diligatis invicem, ſicut ut ego dilexi vos;* quibus verbis univerſam proximi amandi artem complexus eſt. Duo potiſſimum in proximo amando conſideranda ſunt. Primò, ut ita unus alteri ſeſe attemperet, & accommodet, ut ſe alii amabilem reddat. Deinde ea toleret ob quæ proximum videt minus amabilem eſſe. His duobus in punctis exemplar noſtrum perfectiſſime reipſa præſtitit quod a nobis requirit. Per myſterium namque incarnationis conditioni ſe noſtræ accommodavit, ſuam videlicet majeſtatem ab-

Joan. 13. 34.

Dilectio proximi praecepta.

H

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

Chriſti exemplum.

abbrevians, noſtramque fragilitatem aſſumens. Deinde in ipſa vitæ ſuæ ſerie adeo ſe familiarem, & benevolum omnibus, etiam peccatoribus, exhibuit, ut cuilibet amabiliſſimus, & hominum delicium factus ſit. Hoc quidem quoad amorem, qui è ſuiipſius cum aliis attemperatione ſequebatur. Verum, quantum A ad ſecundam cauſam, tolerantiam ſcilicet imperfectionum proximi ſpectat, omnibus Chriſtianis notiſſimum eſt, non infinita illum tantùm patientia, & manſuetudine eas toleraviſſe, verum etiam illas in arbore crucis excuſaviſſe, graviſſimum illorum, qui ipſum jam de facto de medio tollebant, peccatum imminuendo, & alleviando. Ut vero omnia ſimul complectamur, univerſa ſua vita Chriſtus aliud non intendit, quàm ut ſuaviſſima converſatione ſua, doctrina, & benefaciendo tam vivis, quàm defunctis, & miſericordem ſe omnibus exhibendo, nobis ſe amabilem redderet; (quod unum eſt membrum;) & infinitos errores, & imperfectiones omnium tali ſerenitate, & ſuavitate tolerando, quæ Dei Filio, & amore illo infinito, quo B hominum ſalutem dilexit, digna erat. Atque hoc alterum duorum prædictorum membrorum eſt.

Qui ergo amandi proximi artem addiſcere vult ſuos in exemplari hoc oculos defigere debet, & operam, ut ſe proximo quam poteſt maxime accommodet, & ſingulari eum manſuetudine toleret: quia, auferendo à ſe quo ipſe proximum offendit, & ferendo id quod à parte proximi pacis violativum, & offenſivum eſſe conſpicit, nulla supereſſe diſcordiæ anſa materiave poteſt. Facit deinde homo, quod naturaliter illi placet, (ſcilicet amat) propterea etiam vocatur animal ſociabile, id eſt, ſocietatis amicum, quo verbo mutua quædam amoris ſignificatur correſpondentia. Adeo ut ad duo capita C omnis amandi proximi ars reducatur: & ſane utile eſt ad pauca illam capita redigere, (cum nullo non momento cum eo agere oporteat) quo brevem homo methodum habeat, quæ, & facile retineri, & in caſibus qui omni prope momento occurrunt, ad praxin revocari poſſit.

Homo cur animal ſociabile adpellatus.

Quantum ad primum duorum illorum capitum, quæ ſupra indicata ſunt, attinet, unuſquiſque cum Apoſtolo ita ſe gerere debet, ut dicere vere poſſit, *Omnibus omnia factus ſum*, & in omnes me converti figuras. Adeo ut qui proximi amorem fovere voluerit, in omnibus rebus (præterquam peccato vel imperfectionibus) quæ nullum valetudini corporis, vel ſpiritus damnum adferunt, ei ſe in loquendo, videndo, tractan- D doque &c. conformare, ſummo conatu debeat. Et ratio eſt: quia nemo non ſeipſum ex toto corde amat, ac proinde etiam omnes ſui imagines, ac figuras. Si vero in proximo, qui ſibi attemperatur, imaginem ſui cum in actionibus, tum in converſatione notet, certiſſimum eſt, tali hunc ab eo diligendum amore, quali amat ſeipſum. Hac de cauſa ſolent homines ſpirituales tam ſerio accurateque illorum quibuſcum tractant, conditiones notare, tamquam in iis ſe attemperando eſſe induſtrii.

1. Cor. 9. 22.

Sed in hac ſui cum proximo accommodatione hoc præceptum præſcribendum eſt, idque magni momenti futurum, quod etiam magno ab omnibus qui verè divinam charitatem habere, & excellenti quodam mo- E do eam exercere volunt, ſtudio obſervatum eſt: ſcilicet accurate advertere hominem debere, quid in ſe proximo diſpliceat, & niſi ratione obligationis ſtatus, quem profitetur, vel ob alios intuitus, aliter fieri neceſſe ſit, vel conducat, ab illo abſtinere; vel etiam vere, (ſi id quod proximo diſplicet, aliqua ſit imperfectio) accurate in ſe corrigere, ne caritatem violet. In hoc autem præcepto multa alia includuntur, permagnæ utilitatis futura illi, qui ea exequitur, necnon magnæ ædificationis, & conſolationis proximo, adeo ut ſi quis ſedulo hinc caveat ea, quæ licite alioquin facere poteſt, ne proximum contriſtet; illinc vero corrigat in ſe quod imperfectum eſt, & quod F ei diſplicet, neceſſe non eſſet & tempus, & verba inutiliter conſumere, ad alios proximi amandi modos ei præſcribendos. Doctrinam hanc ſerio homines ſpirituales obſervant, atque idcirco in loquendo, intuendo, ſententia dicenda, in actionibus, omnique alia re ita ſe gerunt, ut proximo placeant, & caritatem eo modo alant, quo puellæ ſeſe comunt, & ornare ſtudent, quo humanis ſui amatoribus placeant. Et ſi forte ante annos aliquot, aliquid dixerunt vel fecerunt, quod diſplicuit illis quibuſcum agunt; poſtea tamen ita ſe erga illos gerunt, ut fideliter meminiſſe poſſint, tot annis elapſis nihil ſe ſimile vel dixiſſe, vel feciſſe. Cujus rei quotidiana inter homines ſpirituales, qui ſimul habitant, exempla cer- G nere eſt. Quod amoris in proximum colendi genus utiliſſimum eſt ei, a quo exercetur, & Domino Deo gratiſſimum. Unde quoad hoc ipſi amoris divini ſtudioſi ſibi perſuadeant, numquam ſe, ſi hæc erga proximum non obſervent, adepturos id, ad quod per Dei gratiam aſpirant. Exſtimulare quoque huc eos non parum deberet id, quod ipſos mundanos amatores in qualibet boni-apparentis materia erga eos quibuſcum agunt facere vident, illis placere in omnibus ſatagentes, idque propter commodum ſuum: cum certiſſimum ſit, ipſam prætenſionis amoris divini excellentiam majoris longe dignitatis, & commodi eſſe, quam mundani omnes amores, atque idcirco majorem diligentiam, & perſeverantiam exigere. Hactenus H diximus, quomodo ſe homo proximi moribus accommodare debeat; jam de imperfectionum ejus tolerantia, quod alterum amoris ergo proximum caput eſt, loquendum reſtat. Negari non poteſt, quin durum ac difficile ſit amare quempiam, qui ex ſe amabilis non ſit, qualis verbi gratia eſſet aliquis ſtupidus, indiſcretus, & turpis, qui inſuper multas in loquendo, converſatione,

Præceptum.

Omni ſtudio ac diligentia ſervandum.

Praeceptum dilectionis proximi cur durum?

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

Ioan. 13. 34.

operibus imperfectiones præferat. Durum inquam eſt: ſed ſuo id Chriſtus Jeſus exemplo dulcorat, & lenit, & iis hoc ipſe verbis inſinuavit; *Sicut dilexi vos*; id eſt, Ego cum eſſem Altiſſimus, pulcherrimus, & innocentiſſimus vos infimos, turpiſſimos peccatorum ſordibus, & nævis inquinatiſſimos A dilexi; facite vos ſimiliter. Sufficere hæc Domini ſola auctoritas deberet, & aliam præterea quærere neceſſe non eſſet, ad proximum ex corde, & intimis viſceribus diligendum, etſi alioquin is vita abominabilis ſit. Quod autem hoc teſtimonium Domini tam ſublime, & divinum ſit, hinc ſtupendiſſimam quamdam in amatorum Chriſti cordibus impreſſionem fecit, quemadmodum è multis Sanctorum, Sanctarumque, qui profeſſionem amandi proximos, eiſque ſerviendi fecere, exemplis manifeſte patet: cum diligerent non modo eos, qui peccatores erant, & infirmi, & fœdis morbis deformati, ſed qui etiam graviſſimas pro amore, & obſequio, quod recipiebant, injurias inferebant, & peſſimè ſuos benefactores habebant. B Non obſtantibus tamen his odii motivis, verus, & fidus amor omnia ſuperavit, & in mediis maximæ averſionis occaſionibus interdum etiam ulcera, & ſanioſas eorum plagas laverunt, & ingratiſſimorum illorum proximorum ſaniem, & tabum exſuxerunt, quos mira hac caritate ſibi amicos reddere, & in morbis conſolari ſatagebant.

Sanctorum exempla.

Proximus quomodo diligendus?

Sed ut illa exempla non ſint, efficaciſſima tamen quædam nobis proximi amandi ratio eſt, etſi ipſe alioquin nec ob perſonam ſuam, nec ob opera ſua amabilis ſit; ipſum principale ſcilicet motivum, & finis, propter quem amatur, ſcilicet ipſe Dominus Deus. Quia ſi ſolum propter pulchritudinem, ſapientiam, nobilitatem, & puritatem aliquam inſitam proximum amo, nunquam mihi valde ejus amandi motiva C deerunt, eſto cum proximis deformibus, fatuis, humilibus, impuris, aut alias quaslibet imperfectiones habentibus, agam. Quod eſt inprimis ad amoris exercitium notandum, oculique in illum amoris infiniti finem, & objectum defigendi, quo faſtidia, & difficultates, in ipſa proximorum perſona occurrentes ſuperentur.

Multa è doctrina hujus capitis conſequuntur corollaria, quæ qui bene illam intellexerit, per ſe ipſe poterit annotare, quia omnia particularia ſunt, quorum iniri proinde numerus non poteſt: unde mille neceſſe eſt hominem mutare formas propter conditionum hominum varietatem, & ſæpe diverſos mæſtitiæ, lætitiæ, gravitatis, & D benevolentiæ affectus induere, quò proximo ſe accommodet, ut ipſe aliquam inde conſolationem accipiat, & inſtruatur. Ut autem omnes hi vere caritatis ſint actus, ea intentione ſunt faciendi, ut expreſsè iis hæc anima juvetur, ut nimirum per hanc noſtri conformitatem, conſilia, confortationes, inſtructiones, exempla noſtra ipſa aut viam ſalutis primum capeſſat, aut progreſſum in ea faciat, ac demum ad gloriæ, ob quam creata fuit, beatitudinem perveniat.

Quaque cautela.

Duo adhuc dicenda reſtant, quæ in amore proximi permagni ſunt momenti: Primum eſt, ut ſedulò homo amans caveat, ne ipſæ proximi imperfectiones, per occa- E ſionem, & ſtudium quod ametur, ſibi adhæreſcant. Alterum, ut videat, ne ob intuitus, & cauſas parum ſpirituales eum diligat, itaque verus, puruſque Dei amor impediatur. Circa horum duorum primum, certum eſt magna cautione opus eſſe, ne, dum ſe homo proximo accommodare vult, paulatim in rebus vitioſis ei ſe conformandi licentia ſubintret; verbi gratia, in nimiis, & noxiis ejus colloquiis; in detractionibus, in plus æquo frequentibus recreationibus, in exceſſu in comedendo, & bibendo, aliiſque id genus rebus. Circa ſecundum metuendum eſt, ne, ſi proximus pulcher ſit, ſapiens, gratioſus, aliiſque dotibus attractivis donatus, plus nimio, & indebito modo anima eum amare conſtituens ab eo F attrahatur, & ne, dum ſpiritu incipit, in alia parum pura, & ſpiritum deſtruentia deſinat: uti fidem faciunt tremenda virorum ſanctorum exempla, qui quod incautè nimis ſe gererent, in multa fœda ſcelera prolapſi ſunt. Non id eò dico, quaſi nefas ſit, eos, quos Deus ceteris amabiliores fecit, non modò pari, verum etiam majori quàm alios amore proſequi, & illicitum ſit amoris aliqua in eos ſigna oſtendere, præſertim cum afflicti ſunt: tunc quippe, & ratio omnis, & doctrina, & exempla Sanctorum evidenter oſtendunt, quædam amoris ſigna illis exhibenda. Nihilominus ut cautè ſe hic homo gerat exhortor, & ſuadeo, & cum aliqua ſe offert occaſio, qua neceſſe ſit ob ſpirituale aliquod intentum, & finem familiariter cum aliqua amoris demonſtratione cum hujuſmodi hominibus tractare, juxta ſpiritualium G hominum, qui doctrina, & uſu rerum polleant, conſilium procedat, & animam per orationem communiat; quia ſi hoc modo ſe geſſerit, certum eſt, amorem hunc qui ex ſe bonus eſt, & eo fine, qui Deo gratus ſit, exercetur, nullum homini damnum allaturum: hic ipſe Deus porro ab omnibus creaturis, ob infinitam bonitatem, & pulchritudinem ſuam, qui amoris finis eſt, laudetur, & ametur.

Sanctorum exempla ſectanda.

CAPUT XX.

Epiſtola animæ ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in qua illius amorem multis cordialibus affectibus ſibi expoſcit.

H

AMantiſſime Rex pacis, ab omnibus generoſis cœli terræque mentibus deſiderate, qui cùm infinita quadam ſuavitate, tum ſummo rigore cupis, & jubes, ut ex toto corde, tota mente, & omnibus viribus meis diligam, ne deſpicias, obſecro, deſideria, & ſuſpiria mea non ea modo,

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

quæ in interioribus meis concepta ſunt; ſed & ea, que huic chartæ commiſſa ſunt, ut me ipſa excitem, eaque velocius ad te evolare faciam, & cauſam meam citius expediam. Rigor tuus, ô ſpeculum puriſſimum in qno ſe cæleſtis Jeruſalem virgines ſumma cum voluptate contemplantur, juſtiſſimus eſt; cùm ipſe infinita ſis pulchritudo, A & gratia, digna quæ omnibus terræ moleſtiis, & laboribus ametur, & quæratur. Et quamvis tu, ô refrigerium meum, tanto à me jure tributum hoc, quod omnes terræ Reges, & potentes tibi perſolvunt, non exigeres; ego tamen, etiamſi ſudores, & dolores mortis mihi ſubeundi eſſent, te amare ſtudere deberem; ut tecum, qui dulciſſima vita, & fortitudo mea es, correſpondentiam, & familiaritatem haberem. Sublimiſſimarum autem, & diviniſſimarum miſericordiarum omnium, quas mihi feciſti, non minima illa eſt, quòd creaturam tuam, qualis ego ſum, & quidem creatura ingrata, & per peccatum vilis facta, invitare digneris, ut majeſtatem tuam, ad cujus B conſpectum ſupremi cœli Seraphini, divinitatis ſplendore, & amoris tui incendio præſtricti, oculos velant, & reverenter contegunt, diligeret. Gratioſiſſima hac liberalitate tua me ſimul honoras, & allicis, & æternæ cujuſdam ſollicitudinis, ad amandum te, & in lacrymis liqueſcendum, ſtimulum in me generas, dum amorem, quo me ad te vocas, necnon intentionem, (qua me arctiſſimè dulciſſimo cordi tuo, quod ceu nidus eſt, ad quem evolare geſtio, ut in illo requiem meam inveniam unire deſideras) conſidero. Hac de cauſa ex intimo corde meo ad te clamo, ſuaviſſima libertas, & exultatio mea, ubique, per immenſæ illius caritatis, qua me amaſti, & pro me carnem humanam induiſti, flammas C ſupplico, ut in me illum ignem mittas, qui olim Eccleſiam matrem meam, ac ſponſam tuam illuminavit, ut me beatiſſima illa lux, & ſpiritus vitaliſſimus, qui à te procedit, quando ſpirat ad renovandum faciem terræ meæ, illuminet, & in ſe commutet. Veniat, ô illuſtriſſime Fili Dei, lenis ille Auſter, cui omnes cordis mei poros aperio, meque per culpam Adami deformatum reforma, & in pulcherrimam formam; & gratiam tuam transforma. Noli mihi, ô puriſſime lucis æternæ candor, & perfectiſſima æterni Patris tui imago, opulentiſſimum hoc donum, & monile pretioſiſſimum negare, propter quod omnem domus meæ ſubſtantiam tibi dabo. Noli, ô cor fideliſſimum in te ſperantibus, & faciem tuam requirentibus, à D te me in hac prætenſione mea; qua nulla in vita amabilior, repellere. Ad quid enim me, ô ſapientia quæ ex ore Altiſſimi prodiiſti, creaſti, quàm ut cognoſcerem, & amarem te, qui mea felicitas, & corona es? Certum eſt, quòd me feciſti propter te, & quod nullum altitudini tuæ in terra gratius eſſe poſſit ſacrificium, quàm cor te amans, & quod ſemper ad te ſuſpirat, quodque univerſum vitæ ſuæ tempus dilectioni tuæ conſecravit. Hæc, ô manſuetiſſime Rex, ſit, obſecro; hereditas mea, adeo ut ad ſuaviſſimi Sionis portas perpetuò in charitate excubem, magna quadam me conſtantia ad te ſuſtollendo, quò optatam diuque exſpectatam prædam meam comprehendam Quando, ô præda delicioſiſſima, & E amabiliſſima, tota tibi unita ero, quando te mihi connectam, quando amicum illud habebo pabulum, quo univerſa civitatis Dei nobilitas paſcitur?

Chriſtus ſpeculum puriſſimum dictum.

Eccleſia Chriſti Sponſa.

Animae Amantis vota.

Timores, & horrores mortis, eò quòd te, fideliſſime cuſtos meus, careo, me conturbant, ſuſpiciones amoris me affligunt, & vitæ mortalis negotia importunè me à te avocant. Uni immortalis pulchritudinis, & gratiæ tuæ ſtudio, & amori intendere deſidero, unde magnam me facultatibus meis in rebus terrenis requieſcere ſolitis, violentiam inferre neceſſe eſt. Propter has quas patior, moleſtias è profundo corde meo ad te, ô fortitudo, & ſalus mea, clamo, tibique hoc doloris, & captivitatis F Babylonicæ ſpectaculum exhibeo, in qua, ut vides, me Chaldæi Jeruſalem, quæ patria mea eſt, inimici exagitant; unde meam è cordiali affectu à te poſtulo redemptionem quæ in primogenito affectu, (qui purus, & invincibilis pulchritudinis tuæ amor eſt) conſiſtit. Hæc eſt petitio, & poſtulatio mea; cujus ut reddar compos, ad ignem, & aquam tribulationum, & quæcumque vitæ hujus tormenta ſponte me tibi offero. Propter hanc quoque ſummo mane evigilo, ut faciem tuam præveniam, meque tibi in vigilia matutina conſecrem. Propter hanc me hominum infamiæ, & vituperiis, & inimicorum gloriæ tuæ perſecutionibus libenter expono. Propter hanc denique ad te in noctis ſilentio orabo, & ad clementiæ tuæ G januam pulſabo: oculi mei tibi loquentur per lacrymas, quæ talem, qualem verba viva ad animam tuam movendam efficacia, vim habent: nec antè quieſcam, quam votorum me compotem facias, & pretioſiſſimum amoris tui donum mihi concedas.

Hanc, obſecro te, ô pulchritudo majeſtatis pleniſſima, quæque immenſa quadam vi corda noſtra ad te rapis, tibique ea configuras, in me configurationem facias, ut poſthac non amplius in me vivam, nec me à te ipſa naturæ corruptio, quam ab Adamo patre meo in hæreditatem accepi, alienet; ſed dulciſſima gratiæ tuæ lex, & amoris divini vis, cogitationum, verborum, & operum meorum ſint directrix; & tota die, & nocte, tam dum ſola ſum, quàm dum H inter alios verſor, & in proſperis juxtà atque adverſis, aliud non agam, quàm amare te, qui vita, ſpiritus, robur, divitiæ ac voluptas mea es. Occlude me, rogo te, cuſtos meus, undeundique, ſicut Arcam ſervi tui Noe clauſiſti, ne diluvii amoris humani aquæ in me quæ ſacrarium tuum ſum ingrediantur; ſed da, ut nihil creatum videam, audiam, guſtem, vel tangam quod

Amor humanus diluvium dictus.

Scrip. An. circ.1612. Ital. Idio.

mihi cum aliquo puri amoris tui detrimento adhæreat. Tu, infinitum bonum meum, ſolus ſatis es ad omnia deſideria mea adimplenda, & famem hanc, qua crucior, ſatiandam; & nullum bonum, ne quidem omnia ſimul ſumpta, præter te ſolum, mihi ſatisfaciunt, quin etiam, poſtquam omnia A illa habuero, præ fame emoritura, & in extrema quadam derelictione, a te abſens victura ſum.

Atque inde eſt, quod ad te accedere intime deſiderem, & te prædam habere: quam ut captem cor meum ſollicite me urget, & impellit. Vereor vero, ne ſe mihi apparens, & ſpecioſa filiarum Tyri pulchritudo præſentet, meque ad ſe pelliciat, a te, & a filiabus Jeruſalem cocco bis tincto, propter majorem ſubtilitatem veſtis amoris tui, veſtitis me avocando. Vereor, ne negotiatores Aſſyrii, & Sabæi, terrenis me divitiis ſuis oſtentatis, ad ſe invitent, meque filiorum Sion auro primo indutorum faciant obliviſci. Hic pacifice Rex, cujus imperium nonniſi amor purus eſt a fecibus filiorum B Adam nimium quantum diſtans, timor me cruciat: atque ideo te ex intimo corde meo precor, me ab amoris mundani blanditiis inſidiiſque liberes, & per amorem divinum, qui nobiliſſimam præſentiam tuam ſemper reſpicit, confortes.

Si me exaudire digneris, ignem in me tuum cœlitus mittendo, tibi affectuum meorum primitias in altari, quod in me conſtruxiſti, immolabo, neque diis alienis poſt hac ſerviam. Te tam in publico, quam privatim dilaudabo, & tuas in æternum miſericordias cantabo: in pſalterio decachordo victorias amoris tui pſallam, & magna cordialis lætitiæ declaratione exultabo, & plaudam, coram arca non quidem veteris Teſtamenti, (uti olim David ſervus tuus ſecun- David. C dum cor tuum,) ſed Teſtamenti novi amoris æterni, quam dulciſſima gratia tua conſtruxit. Omnia terræ magnalia contemnam, daboque operam ut me ab ejus negotiis, & converſatione quam poſſum maxime ſequeſtrem, quo tibi ſoli in ſilentio attendam, & amicitiæ tuæ legibus fideliter reſpondeam.

Libertatem meam omnem tibi offero, quo mancipium ſim dilectionis, & figuræ tuæ nota ſignatum: ne reſpuas, obſecro, hanc creaturæ, quam propter te creaſti, ſervitutem, ſed divinæ caritatis igne, qui generoſas mentes etiam liquefacit, eam inflamma, & ſuaviſſimæ pulchritudinis tuæ catena eam vincito. Æternum quoddam, obſecro te, ſalutis, & gloriæ meæ auctor, pactum ineamus, ita ut tu ſis meus, & ego tota ſim D tua; & ſic ipſa fidelitatem tibi jurabo, mihique gloriæ, & ſummæ conſolationi ducam, quod tibi devincta, & obligata vivam, perpetua quadam vigilia hoc pacto amori tuo reſponſura. Aliud bonum præter te petere nec ſcio, nec poſſum; te amabo ſemper, & faciem tuam requiram, quæ me, & ad te attrahat, & a me alienet, & per perfectiſſimam, & divinam pulchritudinem ſuam in ſe ſuſpendat.

Cum autem certum ſit, non poſſe me, quamdiu in terræ hujus exilio vivo, plene id quod quæro, habere, fac, quæſo, ô infinitum bonum meum, ut ſemper ipſa inter homines habitatio mihi tædioſa ſit; da, ut E nulla in terra palatia conſtruam, ſed ſemper ad domum tuam mens mea anhelet, ubi voluptatum æternarum torrente potabor, & cor meum ſine ullo prorſus faſtidio ſatiabitur. Scio enim, permagni mea intereſſe, quod ita a te ſuſpendar, & hæc bona terrena mihi diſpliceant, quodque ad immarceſcibilem viriditatem, & ſuaviſſimos paradiſi tui fructus anhelanter aſpirem. Terrena alii prætendant, & quærant, equidem ad coronam cœleſtem aſpirabo, teque importune rogabo, ut arboris vitæ fructum mihi concedere digneris.

Ne me proiicias, ô vita ſuaviſſima, a facie tua: neque enim tam immenſam bonitatem, & miſericordiam decet filiis ſuis negare panem, quo ſi careant, præ fame ne- F ceſſe eſt emoriantur. Semper hactenus liberaliſſimus exſtitiſti, & altiſſimas miſericordias præſtitiſti iis, qui eas a te poſtulabant. Quare noli mecum, qui amoris tui bonitatem, & dulcedinem quam poſſum enixiſſime a te efflagito, rigide agere. Complaceat, quæſo, dulciſſimo cordi tuo, ô Fili Altiſſimi, opera mea uti, meque inter mercenarios domus tuæ annumerare; illos inquam inter mercenarios, qui patiuntur, & laborant, & portant pondus diei, nec aliam præterquam te, qui ſempiternus eorum es jubilus, & immortalis corona, mercedem exigunt. Recordare mei, o vita ſine morte, in tenebris, & umbra mortis ſedentis, & hanc creaturam tuam amore tuo, qui vitalis eſt ſpiritus meus, reſuſcita. Da, ut ignis G hic divinus omnes in me malos affectuum terrenorum humores conſumat, & ſolum unigenitus pulchritudinis, & gratiæ tuæ heres affectus in me maneat. Præſta, ut in omnibus, & per omnia, uni quæram placere tibi, & in omnibus vitæ hujus prætenſionibus ac votis aliud non ſpectem. Inclina cor meum ad faciendam legem dulciſſimæ caritatis tuæ, & perpetuam quamdam in me ſollicitudinem genera, qua ad te venire feſtinem, nec ullam in terra aliena quietem captare velim. Nolo habere hæreditatem trans Jordanem, etiamſi terra, alioquin pinguis, & abundans ſit; ſed in beata promiſſionis terra commorari, & in eadem ſuavitatis, & dulcedinis tuæ lac, & mel deguſtare cupio. Vide, o divitiæ, & robur Christus animæ robur. meum, ut cum extrema quadam paupertate H inter barbaros, amoris tui linguam non intelligentes, conflicter. Conſidera inculta, & corda regionis hujus mortis deſerta, ubi caritas tua nec habitat, nec commoratur. Vide, ut feræ ſilveſtres famelicæ per vitæ hujus noctem diſcurrant, prædam ſibi aliquam captantes, ut famem qua premuntur, ea pellant. Nullum habeo qui me defendat, & cor-

Scrip.An. circ.1612. Ital. Idio.

corroboret, ſi omnipotens tui amoris fortitudo mihi defuerit: atque ideo viſcera mea, dum metuunt, ne in leonum rugientium ungues incidant, clamant ad te, ut armis me tuis, quæ omnibus mortis, & inferni viribus prævalent, (eo quod ex ſubtiliſſimo amoris fortis, qui cœlum ſimul, & terram debellat, A chalybe conflata ſint,) communire digneris. *Natura a Verbo aſſumpta purpura dicta.* Extende, quæſo, pulcherrime Fili Virginis, humana purpura indute, & divino amore coronate, manum dexteram tuam, quæ cor hoc languidum tangat, ipſumque ad te excitet, quo inſtar lapidis magnetis ſemper ad te, qui ipſius es helice, vergat, & propendeat, nullam extra te requiem invenire valens. Tua poſthac ira quieſcat, Agne manſuetiſſime, eaque me reſpice benignitate, qua tuos intueri amicos ſoles, ſuper quos miſericordiæ tuæ manna depluis. Impera, obſecro, potentiſſime Æole, turbato paſſionum mearum mari, da ut illud quieſcat, & felicem navi huic, per mare hoc tempeſtuoſum naviganti, & ad deſide- B ratum pacis tuæ portum venire contendenti, curſum concede.

Omnia à te dependent, & ſuum a te eſſe, vitam, vires, alimentum recipiunt, quin adeo omnibus, & ſingulis nomen tuum inſcriptum legitur, quod intuentibus palam inclamet, non ſe ſua, ſed tua eſſe. *Creaturae viventes, quae?* Elementa, cœli, creaturæ omnes, tam quæ habent vitam, puta plantæ, animalia, quam aliæ ratione præditæ, & intellectu, hanc a te dependentiam unanimiter agnoſcunt, & eſſe mihi mei originem ſuggerunt, & me finis ad quem tendo, aſſidue commonefaciunt; quin adeo variis tum intelligendi tum loquendi modis me intus exſtimulant, ut totam me amoris tui ſtudio dedicem. Sed quid agam? Quomodo mihi eum comparabo, quomodo eum habebo? Mare, & abyſſus di- C cunt, non eſt in nobis. Terra item proclamat, non aliud ſe producere quam ſpinas, & tribulos, nec ſemen fructus vitalis in ſe habere. Perditio, id eſt infernus, & mors, ejus quidem formam, & excellentiam fando accepiſſe ſe dicunt, ſed apud ſe eum non habitare. *Caecitas filiorum Adae.* Filii vero Adam adeo ſuo in amore abſorpti ſunt, ut tuum amorem non agnoſcant. Modum itaque ejus habendi in hac progenie Chanaan non invenio, etſi omne Indiarum aurum, & ſubtiliſſimam byſſum, quæ Principum terrenorum ornamentum eſt, offerrem: Levo deinde oculos in cœlum, & conſidero quam id ſit altum; ſed eheu! eatenus non pertingo. Novi quidem, o pacifice regionis viventium Rex, illud eſſe regnum amoris tui, dulciſſimo otio, & ſuaviſſimis Reginarum ſponſarum tuarum D deliciis amplexibuſque deſtinatum: Sed quid agam, quia ipſa carnis imbecillitas huc non pertingat? Idcirco ardentiſſima quædam ad te emitto deſideria, quæ holocauſta ſunt medullata, cordi tuo gratiſſima; & ex intimo affectu, & omnibus viribus meis, civitatem cœleſtis Jeruſalem, quæ amoris tui victorias ſine fine concinit oro, ut mihi in bona, & brevi memorialis hujus, quod cordis mei interpres eſt, exaratione auxilio adeſſe velit; ipſum quippe cor meum velut ſuſpenſum ad raram libertatem ſuam, quam incomparabili nobiliſſimi ſanguinis tui pretio illi comparaſti, aſpirat. Precor Domini mei, o beatæ mentes, quæ jam bono quod de- E ſideraſtis, quodque tot laboribus quæſiiſtis, fruimini; mei inquam, qui in mari, hoc procelloſo ſpatioſoque navigo; & quidem tam alto, & non minori ſpe, quam fuit veſtra, conditione tamen longe inferiori, & impari, & quæ a veſtra nobilitate, & gloria, qua modo potimini, longo diſtat intervallo. Tu vero Rex meus, qui cœlo longe es ſplendidior, cuique mea prætenſio placet, huic deſiderio meo a te inſpirato, favere digneris, & ardores quoſdam Seraphicos, qui me conſumant, & excitent ut alacriter poſt te curram, & infinito quodam amore dulciſſimam pulchritudinem, & gratiam tuam quæram, amodo in me excitare incipe. Præſta, ut omnes affectus, verba, F & opera mea ſuaviſſimi amoris tui ſint actus, corque meum cujuſdam ſit inſtar thuribuli, e quo odores ſuavitatis inceſſanter ad te exhalent, ita ut in eo officio, ob infatigabilem divinæ caritatis finem neſcientis vim, nunquam defatigetur. *Mortalia tranſeunt.* Omnia mortalia tranſeunt velut umbra, & magna quadam celeritate ad mortem properant, & illud eſſe quod habent, amittere feſtinant, Unde mihi bonum non eſt amare quod non ſubſiſtit, & domum in arena fundare. Atque hinc eſt quod deſiderem te qui indefatiſcens cordis mei ſoliditas es, atque amorem meum in te fundare geſtiam, ne me eſſe meum deficiat.

Nunquam tacebo, nec cogitationem hanc unquam deponam, interea dum rerum tranſitoriarum figura pertranſit, meque ipſam boni quod ſpecto magnitudine exſtimulabo, G ſenſus meos ſomno terreno ſopitos excitans ut, & ipſi ad cœlum ſuſpirare, & aſpirare conentur, ubi amoris tui, à quo ſuaviſſima illa Sion, dilecta tua nutritur, paſcuis naſcentur, & impinguabuntur. Sed quoniam hi præ defatigatione fatiſcunt, & viæ longitudine atteruntur; obſecro te, nobiliſſime Rex, ut aliquot ſubinde roris quo electi tui recreantur, ſtillas emittere digneris, ne unquam deficiant, & adverſus me inſurgant me ab hoc propoſito, & intentione mea avocare ſtudendo. Sunt autem ſine conſilio, & prudentia: Utinam verò eos ita illuſtrare digneris, ut, & ſapiant, & intelligant, & noviſſima ſua provideant, nec non laborum, & afflictionum ſuarum finem reſpiciant. Sed eheu non ſapiunt, nec intelligunt, & domeſtici ſalutis meæ ſunt inimici, eò quòd jurati amoris tui ſint hoſtes. H

Chriſtus animae fortitudo, & victoria. Propter inimicos hos meos coacta ſum clamare ad te, fortitudo, & victoria mea cordialiſſimis ſuſpiriis te rogando, ut eo majorem mihi fortiſſimi amoris tui copiam concedas, quò difficultates omnes maximâ tuâ gloriâ perfringam. Hæc mea poſtulatio principium eſt, & medium, & finis ſcriptio-

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

ptionis hujus, quam ad te, ô pacifice Rex, & firmiſſima ſpes, & confortatio mea dirigo. A te, & propter te incepi ſuſpirare. & in te, & propter te ſcribere deſinam; etſi interim deſideriorum meorum nuntios ad te emittere non deſinam, quæ, ceu aquila, ad te, qui ſuſpenſionis meæ remedium, & unicum bonum, & refrigerium A meum es, ſurſum evolent. Breve illud vitæ, quod mihi inter mortales vivendum eſt, ſuaviſſime cuſtos, continua quædam ſit violentia, ut ſemper adverſo flumine ad te accedere, & currere ſtudeam. Ut verò vires ad hoc mihi ſufficiant, & creſcant, amor tuus ſit cibus, potus, & omne alimentum meum; dilectio, mea ſit fortitudo, prudentia, & juſtitia; incendium ſuaviſſimæ caritatis ſit lectulus, in quo requieſcam, oculi verò fontes, è quibus ſuaviſſimæ ac tenerrimæ erumpant lacrymæ, quibus abſentiam tuam deplorem; lingua non aliter laxetur niſi ad loquendum de te; manus ad aliud quid operandum ineptæ reddantur quam quod tibi placuerit, & ſapuerit; imaginativa mea alias ſibi figuras non repræſentet, quàm tuam; intellectus aliud non intelligat, B aut de alia re diſcurrat, quam de te; voluntas demum aliud non amet, quàm ſupremam, & eximiam pulchritudinem tuam, Denique feliciſſimæ cujuſdam mortis genere moriar mihi, & vita quadam amabiliſſima vivam tibi, & in te, qui amoris objectum es infinitè efficax, & attractivum: quod unica poſtulatio, petitio, & corona mea eſt.

APPENDIX
AD ARTEM AMANDI DEUM.

C Aliquot continens Epiſtolas & exercitia, iis qui amoris divini ſtudio vacant, accommodata & proportionata.

Dulciſſimo Regi Cœleſtis Jeruſalem Ieſu Chriſto, quidam de filiis Adam, S. D.

D *Epiſtola hæc nihil eſt aliud quam meditatio quædam plena affectibus & deſideriis ad Chriſtum.*

TAM vehemens eſt, o ſuaviſſime Rex Jeruſalem, illud pulchritudinis, & puritatis quo cor meum aſſiduè inardeſcit, deſiderium, ut, quò me in hoc terræ exilio laborantem, & afflictum quietem, ad te propter infinitam pulchritudinem, & puritatem animæ tuæ, recurrere cogar: Audivi ſæpenumerò, ò ſuaviſſime animæ meæ ſponſe, te etiamnum in terra noſtra inter mortales agente, quando tamen non adeò perſpicuè pulcherrimæ faciei tuæ ſplendor apparebat, innumeras poſt te turbas, inæſtimabili præſentiæ tuæ ſuavitate illectas cucurriſſe: atque idcirco multòs ſuarum facultatum, immò etiam ſuiipſorum oblitos, ad unicum oculorum tuorum conjectum, verbis tuis ſuper mel, & favum dulcibus illectos, & ſaucios, poſt te E non ſecus anhelaſſe, quam ſitibundus, & vulneratus cervus ad fontes aquarum deſiderat. Audivi quoque, omnes homines ad te accedere, & tangere te quæſiiſſe, quia virtus à te, ò deſideratiſſimum bonum meum, exibat, & ſanabat infirmos, qui adeò te comitabantur. Unde cùm ipſe graviſſimè multis divexer infirmitatibus, ac præſertim tua me abſentia quam maximè ſollicitum habeat. tuæque amabiliſſimæ præſentiæ deſiderio affligar, cum aliter te accedere, quò à virtute tua perſanare, nequeam, per deſideria ſaltem, & animæ ardentis affectus ad te appropinquare, meque tibi coniungere cupio, quin & ſcripto proteſtari, quod ſummopere te dulciſſime puriſſimæ Virginis Fili, & tutiſſimum cordis mei habitaculum cupiam videre, amplecti, & arctiſſime cordi meo F unire. Vellem ſanè, o ſplendidiſſima interiorum meorum lux, ita amore tuo inæſtuare, ut aliud in æternum non agam, quam incendio tuo ardeſcere, & ſine ullo faſtidio ac ſatietate, gratia, & præſentia tua ſatiari. Scio namque, o ſplendidiſſimum oculorum meorum ſpeculum, nullam me animæ quietem aut refrigerium antè reperturum, quam te videam, & amplectar, & cordi meo aſtringam; atque omnibus appetitibus meis dicam, ut aſſiduè ac ſine fine ſe uno te reficiant ac paſcant, qui optatiſſimum ac diu exſpectatum eorum es pabulum, & nutrimentum. Fac me, o æterni viroris paſcuum, o fomentum flammarum amoris mei excitativum, G cibi illius participem, à quo nobiliſſima civitas Jeruſalem atque imprimis Sion ſanctus mons tuus gubernantur.

Sanè præ omnibus divitiis, honoribus ac delectationibus terrenis deſiderabile eſt, non modò claræ viſionis tuæ (quæ cordis humani finis eſt) fieri participem, verum etiam in hoc exilio viſitari à te, qui puriſſimus animæ meæ ſol es; quique præſentia tua cœleſtem quamdam facis diem, multò ſane ſplendidiorem, & ſuaviorem, quam fuit ille, quo auroram, & ſolem, à quo terra noſtra illuminatur, fabricaſti. Incipe, o lucidiſſime mentis meæ ſol, deſideratam in me auroram producere, qua ſpes corroboretur, modos excogitans tui, qui nobiliſſima ejus es præda, captandi. Permitte, o cælum ſereniſ- H ſimum, & delicioſum cordis mei habitaculum, & importunorum gemituum, & deſideriorum è viſceribus meis prodeuntium ſcopus, ut amodo, vel ſemel te in viſitatione tua complectar: ſemel inquam, quod tamen finem neſciat. Quis mihi det, amantiſſime cordis mei ſeductor, ut tu, rigorem aliquem exterius quidem præferendo, interius, & occultè ipſum diſſuavieris, & amoris tui

ſua-

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

ſuavitate reficias? Quis mihi det, ut moriar pro te, & pro te corporalem mortem ſubeundo, te acquiram, ut anima ad te nidum ſuum, & deliciarum ſuarum divinarum thalamum evolet? Vellem, o Rex Salomon, ſupra omnem pulchritudinem pulcher, cujus præſentiam deſiderat omnis terra, & cui A quotidie ipſi cœli, terræque proceres amoris tributum perſolvunt, incenſa animæ meæ deſideria, quibus tenerrimi cordis tui (in quo æternum habitare vult) communicationem deſiderat, verbis poſſem exprimere. Sed quia tuam linguam, & eloquentiam neſcio, multo mihi expedientius fore judicavi, ex omnibus te animæ potentiis diligere, quam deſideria mea exprimere conari: ſunt hæc velut litteræ, quas nullo non tempore ad amantiſſimum cor tuum deſtino; illud namque optime linguam intelligit eorum, qui amoris tui reciprocationem, & correſpondentiam toto affectu deſiderant, & quærunt. Verumtamen (tametſi te magis amare, quam de te ſcribere conabor) quo B animam meam ad caſtiſſimos amplexus tuos exſtimulem, o vitaliſſima cordis mei vita, huic chartæ mutæ clamores, & ſuſpiria præcordiorum meorum, tibi in ſilentio mire ſignificativo loquentia, inſcribam, & committam. O optatiſſimum ſilentium, quod nullis quidem formatis verbis, ſed ſolum per nutus, & amoroſos nictus, puriſſimi amoris erga animæ meæ, ſpeculum ſine macula, ardores ſignificas! Quis mihi det, ut te per horam fruar, & totius terræ imperium, tametſi ſine fine duraturum, libens contemnam? Mecum, o opulentiſſimum amoris mei ſpolium, fideliſſime peregrinationis meæ dux, Fili Dei, & ſuaviſſime frater mi, vel ſemel in ſuaviſſimo hoc ſilentio loquere, tibique cordis mei imperium, quod poſtulas, C conſignabo, ut ipſum in quiete, ſine ulla reſiſtentia, per puriſſimi, & immortalis amoris pulchritudinis tuæ regimen gubernes. Propter bonum hoc plangam, & ſomnus recedet ab oculis meis. Propter hoc tibi, Deus meus, & miſericordia mea, mille hoſtias pacificas, quas à me requiris, ſacrificabo, quo illam impetrem gratiam, quam deſiderat anima mea. Nolo partem, & hæreditatem cum amatoribus terræ qui emoriuntur: at ſufficit mihi caſtiſſima cum infinita pulchritudine tua conjunctio, ubi ſine labiis, vel linguis tangam ſupremum cordis bonum; immo non ſolum tangam, ſed (quod longe majus) uſque ad intimum animæ meæ centrum dimittam, & ſuavitas tua, Sponſe amantiſſime, meas liquefaciat medullas, & conſumat oſſa mea. Nec tam, o lumen D oculorum meorum, id poſtulo, quod inæſtimabili hac voluptate frui velim, quæ viſcera mea diffluere faciet, quam ut per hanc provocationem, & illicium anima, veluti violenter attracta, pluris te faciat, & pluſquam vitam propriam diligat, omnes mundi vanitates deſpiciat, & continuum quoddam fiat holocauſtum, quod animæ ſit gratum tuæ. Veni itaque ſalus, pax, & ineffabile gaudium meum, & viſita me in tenebris, & in umbra mortis ſedentem. Cur te, o lux pura, & ſalus mea, abſcondis? Utinam tua mihi dare dignetur bonitas, ut te ad me venientem, meque ſalute tua ſalutantem audiam, oris tui ſpiritum recipiam, & poſthac ſolo ſpiritu tuo vivam! Equidem tibi in gratitudinis ſignum cordis mei habitaculum offerrem, uti illud jam inde ab hoc die tibi conſigno; E & ſenſuum meorum portas occluderem, omnes animæ meæ potentias ad te revocando. Impatiens hoc deſiderium, quo conſumor, jam adimple, o fortitudo, refrigerium ſuaviſſimum, lætiſſima ſpes, & dulcedo mea, & concede ut me tibi vivere, & fortiter, arcteque funiculis Adæ, & ardentiſſimæ caritatis catenis conſtringere liceat.

Adi jam, ô vigilantiſſime facultatum mearum protector, & Domine, poſſeſſionem cordis hujus, quod propter te creaſti, & mille ipſum amoris tui ſagittis transfige, ut dulciſſimos quoſdam propter te, à quo omne bonum ſuum dependet, dolores patiatur.

Tibi, ô infinitum bonum meum omnes F facultates, quas mihi tua libertas dedit conſignare volo: fieri poteſt, ut hoc modo tibi placeam, meipſum tibi aſſiduo, in altari cordis mei, in ſacrificium matutinum ac veſpertinum offerendo.

Utque ab anima mea, quæ ſponſa tua eſt, ſanguine tuo pretioſiſſimo comparata, & redempta, incipiam; hanc ipſe tibi, in altari cordis mei, ſanctificabo, ut ipſa majeſtatis tuæ fiat reclinatorium, atque in te transformetur, non jam amplius ſibi vivens, ſed vita vivens tua obſerco te, ut me quamprimum, ô graviſſime vitæ meæ, & ſalutis auctor, in te commutes, & ipſe à parte mea dabo operam, ut in inæſtimabili amoris tui, in quo æternam manſionem meam delegi, igne conſumar, & ardeam. G

Sacrifico tibi præterea, ô ſapientia diviniſſima, quæ ſola ſitim meam, qua magnalia tua intelligere deſidero, ſatiare potes, intellectus mei ſcire quælibet cupidi aviditatem. Illumina, ô ſplendor æterne, tenebras has, & da, ut in tranquilliſſima quadam cognitione, quæ ſcientia tua cor meum inflammet, te deguſtem: ita fiet, ut omnem humanarum ſcientiarum curioſitatem obliturus ſim, ſapidiſſima vitæ tuæ eſca, & refectione jam inventa. Veniant, ſuper me, o Sapientia verè mea, o theſaure ſuper omnes divitias pretioſiſſime, & deſiderabilis, omnia tormenta, quæ dira tyrannorum feritas, & immanitas umquam adinvenit, modo te guſtare, ac delibare, inque deliciarum tuarum pelagus abſorberi merear.

Offero deinde tibi, o pulcherrime H animæ ſponſe, voluntatem hanc, quam imprimis tibi deſideras, ut te æternis quibuſdam ardoribus diligam, tibique me in perpetuum uniam. Utinam mihi cor tuum, (quod intimorum ſecretorum meorum conſcium eſt) dare dignetur, ut per ingentes quoſdam amoris tui impetus, voluntas mea ab omnibus ſeſe creaturis divellat, & ſuas

Scrip. An. circ. 1612. Ital. Idio.

ab earum affectu alas fortiter excutiat, ac deinde, puræ dilectionis tuæ ſomnum capiens, in maceriæ tuæ caverna requieſcat. Quando me abſcondam in te, caverna delicioſiſſima? quando motus, & æſtus cordis tui, unde vita, & ſalus mea oriuntur, auſcultans excipiam?

Offero quoque tibi, o Lux pura, quæ A lætificas civitatem Dei, o Facies, quam videre deſiderant reginæ ſponſæ tuæ, inconſtantem memoriam meam, languore quodam inerti morbidam, quam tu ſolus amiciſſimo vultus tui reſpectu ſanare potes. Utinam gratia, & perfectiſſima pulchritudo tua ita ſe memoriæ meæ inſculpant, ut omnium formarum, & imaginum quas creaturæ exhibent, me faciant obliviſci, tuumque mihi vultum, o Rex deſideratiſſime, inſculpant; & eum ego infinito quodam deſiderio intuerer, & afflictum cor meum in illo ſe ſpecularetur.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem, voſque carnales pulchritudines, & artificioſæ blandiciæ procul faceſſite; & unica tenerrimi ſponſi animæ meæ, qui cæleſtis puritatis eſt auctor, memoria æternum in B corde meo vigeat.

Non recedas à me, o divitiæ & maxima conſolatio mea, ſed hoc memoriæ meæ, quæ te eſurit, & ſitit, vas imple, & ſatia.

Hoc tuæ, o ſupra mel dulcis, etiam Majeſtati, & clementiæ offero, quod maxime, & præ aliis me affligit, hos inquam, ſenſus meos, ſuaviſſimis inſpirationibus tuis rebelles; hos tibi vitulos, qui in templo ſancto tuo immolentur, præſento, ut omnibus illorum inclinationibus moriens, vivam jam non illis, ſed tibi, qui pars illorum es, o pars, regimen, & eſca vitæ meæ. Noſti tu, gloria electiſſima, & corona mea, quod ſenſus mei in te clariſſimas delectationes ſuas, & caſtiſſimam unionem, & converſationem tuam invenient. C Fac igitur, electe mi, fac obſecro, o peculium, & hæreditas cordis mei, ut in te ſolo reficiantur, & peregrina, & aliena ſolatia non admittant. Vellem equidem, o inæſtimabile gaudium meum, aliud nec videre, nec audire præter te, nec aliter ullum umquam ſenſum adhibere, quam ut dilectiſſimo cordi tuo voluptatem aliquam adferrem. Vellem, ut omnes habitatores terræ Chanaan, & vanæ ſpei negotiatores, ſtatim converterentur, omneſque ſenſus, & animæ ſuæ facultates tibi, o divitiæ veræ, applicarent: te enim qui habent, habent bonum pulchrum, utile, & iucundum; quia proculdubio ipſorum appetitum ſatiabis, & non ſolum anima ipſorum, ſed & caro, exultabunt in Deum vivum. Hoc bonum ut acquiram, totis D viribus connitar, meque affligam, & oculi mei lacrymarum ferventium flumina diſtillabunt. Sed quid tibi, fortitudo, & exultatio mea, animæ meæ facultates, & corporis membra offero, cum totus quantus quantus ſim, tuus ſim, tum ratione creationis, tum verò ratione redemptionis, & ob ſanguinis tui effuſionem. An fortaſſe, o amabiliſſima vita mea, & viſcerum meorum exultatio, aliqua ex hoc ſacrificio mei, quod Majeſtati, & magnitudini tuæ facere connitor, accedit utilitas? Nequaquam nullum tibi, o vita immortalis, & firmamentum animæ meæ, provenit emolumentum, ſed mihi, ex eo quod tibi cedam totus in ſacrificium: atque idcirco meam inſenſibilitatem, & ignorantiam ſummopere obſtupeſco, quod, cum certò E norim, omnem meam felicitatem in mei tecum unione conſiſtere, nihilominus animam meam infidelem, & adulteram, pluris facere videam allia Aegyptia, & aquas fluminum Babyloniorum, quam ſapidiſſimum manna montis Sion, & limpidam ciſternæ Bethleemiticæ aquam, quam dulcedinis tuæ ſapor ſapidam reddit. Quid faciam, ſalutare meum, & laborum meorum refrigerium? Anne me in prædam memorabilibus ſalutis meæ adverſariis dabo, & à dilectiſſimo amico meo me ſequeſtrabo? Pharaoni me in ſervum tradam, à Rege cœleſtis Jeruſalem, qui me cordis ſui tabulis inſcripſit, adoptari, & aſſumi in filium detrectans? Abſit à me, pulchritudo mea, ut Sionis, qui habitatio mea eſt, & libertatis meæ domus, unquam F obliviſcar. Unam petii, & ſemper petam, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Ipſa etiam Tartari in me ingruant tormenta, omnes infernales poteſtates ſuam in me unum vim exerant; modo à te diligar, & gratioſiſſima præſentia tua privatus non ſim, nihil formido. Nullam cum filiis Agar terrenæ prudentiæ amatoribus, amicitiam aut familiaritatem inire volo; ſed terræ promiſſionis privilegia, & candidiſſimi illius Agni, in mei redemptionem immolati, regnum poſtulo.

Utinam te, libertas mea, dulciſſimæ caritatis brachiis liceat amplecti, & intra cordis mei centrum recludere? Sed quid ago filius Adam, in hac mea ſolitudine clamans; plenus quidem deſideriis, ſed boni mei, ad G quod anhelo præſentia carens? Quid mihi proſit, gemitu, & ſuſpiriis indeſinenter conſumi, & dolorem meum opprimere, ſi clarum illud lumen, quo tribulatæ mentes ſerenantur, mihi videre negetur, & in cæcitate, & duritie mea perpetuo verſer, quænam hæc eſt derelictio, cara vita, & ſalus mea! Semperne dilectæ hujus creaturæ obliviſceris? clamores cordis mei adinſtar arenæ maris multiplicantur, quod abſentiam tuam doleam, & me languere comperio. Quomodo itaque amor tuus immenſus ſuſtineat quam primum animam meam non recreare, & ſolari? Noli, o ſuave debilitatis meæ fulcimentum, & cœleſti conſolatione plenum, obſecro, mihi panem, qui cor hominis confortat, H quemque hoc in exilio meo toties petii, & conquiſivi, negare, frequenter illius invitationis tuæ, qua dixiſti, *Venite ad me omnes* Matt. 11. *qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, recordor, & mecum ipſe miror, quod refrigerium tuum non percipiam: at non propterea, o pretioſiſſima redemptio mea, ullo modo de æterno, & fideliſſimo àmore, quo me proſequeris, dubito; quia,

qua

Scripta An. 1608. Ital. Idio.

qua me illuminare dignatus es, fides ad cor ſincerum, in iis quæ fortis, & ſuavis providentia tua operari dignatur, firmandum ſufficit. Unde in mutuam perpetuæ tuæ dilectionis correſpondentiam, hocce cor meum te ad ſe pertrahere cupiens, ex animo ſincereque, ut ipſum à te ceu puriſſimo *letitiæ* Pſal. 44. *oleo* penetretur, tibi do, ſimul etiam omnes A cogitationes, verba, & opera mea toto vitæ tempore, agenda tibi dedico, firmo concepto propoſito voluntatis tuæ in omnibus, & per omnia exequendæ. Vellem revera cor meum ſeſe aperiret, teque intra illud abſconderes; & equidem calamum deponerem plura non ſcripturus, quo dulciſſimo amori tuo totus intenderem: quod utinam, & univerſæ creaturæ facerent, quæ tui capaces ſunt; ut, ſicut cœleſtis Jeruſalem cives aliud non agunt, quam amare te, & æterna quadam perſeverantia laudes tuas concinere, ſic omnes filiæ Sion ad te, qui unicum bonum, & iucunditas mea, necnon ſereniſſima oculorum meorum lux, iucundiſſima item cordis mei vita, & ſecuriſſimus poſt navigationem meam portus es, aſpirarent; B & in hoc affectu ſcribendi finem facio, quamquam non amandi, & ad te ſuſpirandi.

Pacifico Regi Jeſu Chriſto, ſub ſacro Eucharistiæ velamine latenti, quidam de ſervis ejus S. D.

Epiſtola hæc non eſt niſi quaedam meditatio de V. Sacramento altaris, multos erga Chriſtum continens affectus.

NUmquam credidiſſem vel cogitaſſem fore, illuſtriſſime Fili Dei altiſſimi, & nobiliſſima Virginis puriſſimæ ſoboles, ut tam novas, & inauditas amor rationes ad corda hominum allicienda excogitaret, niſi fides tua quæ cor ſincerum firmat, credere me coegiſſet magnalia, & magnitudines, quas in pane illo dulciſſimo, & ſapidiſſimo alimento meo es operatus. Tametſi enim di- C verſos amandi modos, & legerim, & audiverim, quos humana mens a voluptate attracta, & quodammodo faſcinata adinvenit, etſi etiam ſcriptorum profanorum amorem infinite inflammatum deſcribere ſatagentium fictiones perpenderim, & examinarim: cum tamen, dulciſſime cordis mei Deus, omnes haſce fictiones in unum compingo, (ut demus veras illas fuiſſe) tanta in omnibus his amandi incentiva non elucent quanta in ſolo hoc pane, qui incredibili quadam potentia interiora, & oſſa mea liquefacit perſpicio. Quomodo, pulcherrime animæ meæ, non jam catenis ferreis, ſecundi Adami funiculis colligatæ ſponſe, & dilectiſſime frater, fieri dicam, quod cum tuos qui erant in mundo dilexiſſes, in finem, non modo D temporis, verum etiam dilectionis, (quæ unicum, & compendioſiſſimum mandatum tuum eſt) eos dilexeris? Quia, o ditiſſima cordis mei præda, ulterius liberaliſſima illa charitas, quæ ſalutem meam peperit, progredi non poterat. Dediſti mihi, o Fili Altiſſimi, omnem ſubſtantiam Domus tuæ, perinde ac ſi exiguum ac vile quoddam donum id fuiſſet, per ipſum donandi modum inæſtimabilem magnitudinem, & infinitum amoris tui æterni incendium oſtendens.

Quouſque æternus hic ardor ſe extendet, Fili, non modo liberalis, ſed, ſi dicere fas ſit, prodige patris miſericordiarum, quæ finem non habent? Quid ad te pertinet in- E felix hæc creatura tua? Quid? Beatus eſſe non poteris niſi ſocium me habeas, cum tanto ſocietatem meam pretio, & modis tam artificioſis requiras?

Scio, o deſideratiſſime animæ meæ, delicias tuas eſſe cum filiis hominum, quorum nimirum corda thalami ſunt, in quibus ſublimiſſima altitudo tua commoratur; at pluſquam mirabile, & ſingulare videtur quod te intra carnem meam abſcondere velis. An, o, infiniti Deus amoris, & perfectiſſima pulchritudo mea, ille per gratiam in animæ juſtorum centro habitandi modus, quo divinum quemdam divinitatis tuæ illis modum communicas, ſatis non erat? Quonam illa novitas ſpectat, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec cor hominis percipere potuiſſet de intimo amoris tui ſecreto?

F Quare, o ſuaviſſime, & manſuetiſſime Fili David, cor meum ſollicitas, & hiſce tui amandi modis incendendo conſumis? Multum profecto hæc tua amandi induſtria diſſidet ab illa, qua ambitioſus Abſalon patris ſui, (qui tuus erat amicus) ſubditos in ſuas partes pellicere ſtuduit.

Quia nec ipſe, nec alius quiſpiam terreni regni aut amoris habendi percupidus in penetralia vel interiora penetrare novit vel potuit illorum, quorum animos ſibi conciliare conabatur; nec umquam ulli creaturæ, ſine revelatione tua, in mentem venit cogitare, hoc ullatenus fieri poſſe. Sed tu, o vita deliciosiſſima, & puriſſima animæ meæ lux, omnia tranſcendiſti, & ſupra me ſervum tuum infinitæ charitatis tuæ vexillum G ſuſtuliſti, dum etiam cum humanitate tua, quam mea cauſa aſſumpſiſti, intra meipſum ingrederis, ut divinam quamdam tui in me transformationem facias, quæ me obliget, ut in æternum ſuaviſſimi amoris, & ineffabilis dulcedinis tuæ victorias decantem.

Quid de hoc tuo amoris prodigio, ſuaviſſime, & intime amice mi, dicam? Quid in tota domo mea, o fidiſſime cuſtos, invenis, quod te allectet; in qua nimirum nihil eſt aliud quam fœditas, & immunditia cæleſti puritate tua indigna? quomodo, o ſupra nivem candide; habitationis ſordidæ, & quæ ſuper carbones deſolatorios nigra ſit, horrorem ferre potes? Ut magnum quid dicitur quod non horruiſti puriſſimæ Virginis, & matris tuæ uterum, dum humanam carnem aſſumeres, quomodo igitur jam ad me H accedere ſuſtines? Diſcede a me, Agne innocentiſſime, quia homo peccator ſum, & puriſſimam lucem tuam ferre nequeo. Sed (proh me infelicem) quænam eſt hæc petitio? Quid? impetrare nolo quod peto, ne dulciſſimam cordis mei vitam a me removeam. Unde te, o claritas inacceſſibilis, Scripta An. 1608. Ital. Idio. & amantiſſime ſalutis meæ auctor, rogo, ut me hac petitione non exaudias, ſed te cum hoc corpore meo conjungas, & unias. Quia non eſt tibi novum, redemptio mea, cum peccatoribus, & Publicanis agere, tametſi Phariſæi infinitam hanc dignationem, & manſuetudinem tuam ſugillent aut carpant. Pſal. 44. Quam eſt, o Deus abſcondite, & **A** transformare in mea viſcera, amor tuus omnipotens? Quam merito filiæ Tyri (non ſolum filiæ Sion) pulcherrimum vultum tuum requirunt, ante cujus præſentiam mentes velut cera liqueſcunt, lapides diffluunt, & pia dulcedine tua adamas emollitur.

Miror, & ſumme demiror, o ſponſe gratioſiſſime, quomodo omnes in linguam creaturæ non convertantur, & præ delectationis magnitudine non exclament, propter amoris, quem, ut in me occulte cum ſapore hujus panis tui operareris abſcondiſti, incendium obſtupeſcentes. Quid ſibi inaudita hæc charitas vult, o veraciſſime animæ meæ ſeductor? Cibum hunc ſatis frequenter comedo, cumque eum ſenſus mei cenſeant in ſubſtantiam meam convertendum, felici **B** quadam deceptione decreti ſunt: cum enim calor meus nimis quam debilis te nequeat in me convertere, tu, o nutrimentum meum utiliſſimum, omnes facultates meas trahis ad te, & per modum quemdam humanæ ſapientiæ abſconditum, me transformas in te, ut vita tua vivam.

Quid dicam? Quis mihi flumen det eloquentiæ, quo ſecretam hanc operationem tuam dignè proloquar? Sed neſcio, o hæreditas mea, quid loquar; cum enim opus hoc revera ineffabile ſit, cur ei declarando opto eloquentiam, cum ne minimam quidem magnalium tuorum particulam exponere queam? Multo itaque ſatius eſt omnes animæ potentias in unum colligere ut amem, quam de prodigioſo hoc opere loquar; meæque **C** me mutationi cooperari ut inſtar cervi ſitientis, & a canibus preſſi, feſtinem properans ad aquam vitalem, in qua, velut in proprio fonte, incomparabilis dulcedo tua deguſtatur. Quam verus amicus meus es, o Rex ſuaviſſime Jeruſalem? Quam ſunt omnia tua mihi communia? Quam non aliquid tibi reſervare potes, idque ob ardentiſſimum affectum amoris, qui te ad ſalutem meam procurandam exſtimulat? Corpus, ſanguis, anima, divinitas, & omnia tua mea ſunt; omnia ſiquidem in animæ ac corporis mei, quod dedicaſti tibi, ſacrario reponis.

Quid faciam? quodnam tibi, o potens Domine, & abſolute cordis mei dominator, tributum pendam? Quid hoc rei eſt, cæli qui diſtillatis manna? Vos vero ſpiri- **D** tus, qui jam apertè, & facie ad faciem illa infinitè attractiva Filii Dei, amici, & fratris mei pulchritudine fruimini; vos inquam, qui melius me amoris ejus vehementiam ponderare poteſtis, adjuvate me, ut in Pſalterio decachordo opulentiam, ſapientiam, dulcedinem, alioſque exceſſus amoris, quem tanta liberalitate mihi viliſſimæ creaturæ altiſſimus vitæ meæ creator ac renovator communicat, decantem, Venite, o ſtellæ cæli, arenæ maris, arborum folia, creaturæ denique univerſæ, venite, & feſtinate, & certatim plaudamus, & ſimul ob ſingularem illam conſolationem a regia illa menſa, quam mihi amoroſum Filii Dei cor præparavit, procedentem exultemus. Nihil autem majori a **E** te, Fili Beatiſſimæ Virginis, & matris miſericordiarum tuarum affectu contendo, quam ut efficaciſſima cibi hujus virtus omnia oſſa mea, & medullas penetret, quo transformatio illa adeo divina, adeo tibi grata, adeo etiam mihi glorioſa peragatur, & ſtirpis Adami labes in anima, & corpore meo amplius non maneat, ſed in omnibus exemplar me meo adaptem. Nam parum alioquin, o ſereniſſime terræ viventium princeps, mihi mannæ ſuavitas, & robur prodeſſet, ſi in ſtomacho imbecilli, & nauſeabundo, & alliis Ægypti aſſueto, & terrenos fructus ambienti, & cæleſtis menſæ tuæ inimico faſtidium maneat. Propter quod præſta, clementiſſime Deus, ut non anima mea modo, & corpus de corpore, & ſan- **F** guine tuo vivat, & ad omnia membra, & artus meos vel minimos, ſuperſubſtantialis alimenti tui aliqua pars penetret. Si pulli corvorum ſuum a te quotidie alimentum, & conſervationem expectent, æquum ſane videtur, ut homo, propter quem lautiſſimum hoc epulum inſtituiſti, a te partem aliquam, qua omnia ejus membra juventur, requirat. O partem quæ continet omnia! o partem, quæ omnem debilitatem meam confirmare, & confortare poteſt! o Deus delicioſiſſime, o ſors, & pars mea opulentiſſima!

Ne vero, o Fili Dei amabiliſſime, hac parte quæ confirmat cor hominis, quo ad æternæ vitæ paſcua tendat, caream; ex hoc temporis puncto, & momento omnes Nabuchodonoſoris cibos, omnia ſatrapia, & **G** poſſeſſiones Babylonis a me abdico. Abſint procul a me omnes conſolationes filiorum Agar, qui veræ libertatis, ad quam anima mea anhelat, ſunt inimici. Habeant per me licet Principes Edom bona terræ, & negotiatores Sabæi temporalium divitiarum abundantia delectentur, mihi ſolum ſufficit panis ille, quo toto vitæ meæ tempore victito. Unde te, clariſſimum oculorum meorum ſpeculum, precor, ne me faſtidioſam ciborum terrenorum facias ſatietatem experiri, quin potius da, ut inſatiabilem panem tuum aſſidue concupiſcam, qui me noctu, & interdiu exſtimulet, ut te deſiderem, quæram, & inveniam, ne ob nimis longam abſentiam tui præ dolore emoriar.

Noli diſcedere à me divini amoris fames quæ omni abundantia deſiderabilior es; & **H** ego interim inſtar columbæ gemam, pennas ſuas quam celerrime excutientis, quoad nidi ſui requiem perveniat; in lecto meo non dormiam, ſed recogitabo quantæ ſint cæleſtis mei panis divitiæ: vita quoque mea non erit aliud, quàm continua quædam amoris vigilia, & perpetuum quoddam holo-

lo-

Scripta An. 1608. Ital. Idio.

locauſtum, quod in cordis mei altari tibi cremabitur. Sacrificabo tibi ſacrificia juſtitiæ, & ſperabo in te, ò ſuaviſſima eſca mea, omnemque aliam cogitationem à me eliminabo, immò morte deterius reputabo affectum animæ meæ à te avocare, & ſequeſtrare. Sed quid futura propono? quid A magna ſpondeo? perinde ac ſi tua, o ditiſſime Fili Dei, juſtitia mea intereſſet, & non potius pluris mea referret, quam poſſum citiſſime, ad te recurrere, teque cum infinito quodam deſiderio recipere, tibi cordis mei portas aperiendo, teque intra ejuſdem centrum recludendo, me denique præſenti præda quæ ſola pœnam meam alleviare poteſt, recreando. Veni quam citiſſime, ſuaviſſime cibe meus: conſidera, majori me fame, & deſiderio panem vivum, quam cibum mortuum, à quo debilitas mea ad plenum non revigoratur, deſiderare, majorem meam eſſe ſitim erga vivas Jordanis, quam erga fluminum Damaſci aquas, quas amant, qui non amant te. Vel, ſi vitæ immortalis B deſiderium omnium eſt deſideriorum maximum, (cum certum ſit panem hunc vivum immortalitatem conferre) te, ò amice mi, per gratioſiſſimæ Virginis matris tuæ viſcera rogo, ut hocce deſiderium meum adimpleas; & tibi amoris, qui ad te properat accedere, primitias immolabo, una cum electa paucorum illorum, qui in terra velut peregrini vivunt, & ad deſideratiſſimam patriam, in qua tua regnat gratia, feſtinant, generatione. Neque vero jam pane ſubcineritio, ò infinitum bonum, fortitudo, & conſtantia mea, opus habeo, ut in ejus fortitudine per quadraginta dies ad montem Dei Horeb pergam, quia figuræ omnes jam ceſſarunt. Sed uno te opus habeo, regia eſca mea, ut è deſerto tendam in regionem, quæ verum animæ meæ lac, vel mel producit. C Cum verò velum ſancti ſanctorum, quo tegeris, diſrumpere nequeam, quò te videam, meque in pulcherrima facie tua ſpeculer, ſaltem te penes me coopertum, & tectum habere velim, & toties quoties reſpiro, perpetuò te refici, & paſci.

O terram peregrinorum, ò generationem terrenam, o miſerum me, qui bonum quod quæro præſens habeo, & tamen non invenio, intra me ipſum illud communiter habeo, & tamen non video! Quid exſpectas, o bonum diutius exſpectatum? quid de me vis facere? Hoc, fateor, amantiſſime Reginæ Jeruſalem Fili, præſentiæ tuæ modo enutrior, ſimul tamen confitear neceſſe eſt, eodem me maximè affligi. Cum enim altiſſimæ fidei tuæ lumine norim, quod quando ſacramentaliter te quæro, ipſe in me verè habites, ſanè, nimis quam D dolendum & miſerum eſt, non eo me modo te frui quo vellem, & ita intra meipſum te abſcondere, ut tuam converſationem, quæ vita mea infelice deſiderabilior eſt, à me ſubducas. Beati verò illi, qui velut amici cibum guſtant grandium, & ad cordis tui nobiliſſimi proportionem excreſcunt, qui ceu leones generoſi, ceu aquilæ ſublimes, ceu Angeli ſpirituales, & ceu Seraphini ardentes fiunt, denique Filio Altiſſimi configurantur. Unde miror multos, & me inprimis, ab æternis ardoribus tuis non conſumi, nec amodo in te mutari, cum te intra carnem meam recipiam. Etſi enim reſpondeam, peccata tam communia eſſe, & E fortaſſe etiam communiora quam ipſum remedium efficaciſſimum, ſummopere nihilominus miror, quod me in te mutatum non videam, cum ipſum remedii robur incomparabiliter majus ſit, quam univerſa duritia mea. Jam ergo finem fac, Domine, Deus cordis mei, feſtina, & glaciem hanc meam liquefacito, & lacrymæ amoris ab oculis meis, fluminis in morem prorumpant, tuamque liquefactione hac victoriam oſtende. Etſi enim tibi ob quemlibet, quem erga me adhibes modum ſervire, debeam, quod tu ipſa ſis pulchritudo, & gratia, cui omnes generoſæ cæli terræque mentes obſequii tributum perſolvunt, attamen novo F ſuaviſſimi panis hujus, & ſapidiſſimi vini tui robore ſicca animæ meæ terra renovabitur, tibique novum amoris finem neſcientis canticum cantabo.

Deſidero te, o finis, & principium meum, via, veritas, & vita mea, o panis candidiſſime, o profundiſſima miſericordiæ Fili Dei abyſſe, teque deſiderando vires meæ fatiſcunt. Unde ſatius multo eſt tacere, quod dignè exprimi nequit, & in ſecretiſſimo ſilentio ſola cordis lingua loqui, & ſuſpirare ad te, qui deſideria pauperum, qui omnem ſuam, in te ſpem collocarunt exaudire ſoles.

Hæc itaque ſuſpiria mea, in cordis mei, quod arctiſſime cum tuo uniri deſiderat, centro efformata recipe, gloria, & corona mea; & præſta ut nulla ſit inter te, & me diviſio, ſed ut per panis hujus ſuaviſ- G ſimi adminiculum, tu divitiæ, delectatio, honor, & omnis animæ meæ felicitas fias. Vivito in æternum, o gratioſiſſime vitæ auctor.

Ieſu Chriſti, pacifici Regis Jeruſalem majeſtati, unus de ſervis ejus S. D.

Hæc epiſtola plena eſt affectibus doloris ob abſentiam Chriſti Domini, necnon aſpirationibus erga viſitationem ejus, multis hinc inde vitæ æternæ intermixtis deſideriis.

NON poſſum tuam, dulciſſime civitatis primogenitorum, qui in libro vitæ ſcripti ſunt, Rex, abſentiam æquanimiter ferre cum hinc exilium patris mei Adami, inde æternam paradiſi delicioſiſſimi præſentiæ tuæ vernantiam conſidero. Nova conſilia, & remedia quæro, & excogito, ad dolorem qui ſuaviſſimæ pulchritudinis tuæ carentia mihi oritur, leniendum: cumque me aliquod ſitis meæ temperamentum, & levamen inveniſſe puto, tum denuo H excreſcit febris, quæ me novis modis, & inexſtinguibilibus ob faciei tuæ pulcherrimæ carentiam conſumit æſtibus. Quam, o Fili Dei vivi, & clariſſimum cordis mei ſpeculum, grave, & moleſtum mihi eſt, hæc vitæ mortalis, in qua è prima, & infelice matre mea natus ſum commoratio!

Scripta An. 1608. Ital. Idio.

Omnia quæ cor humanum attrahunt, & blandiuntur, dolentia viſcera mea cruciant, adeò ut cum ſcorpionibus crudeliſſimis à quibus caro mea diſcerpitur habitare videar. Cur, o cæleſtis Jeruſalem Rex, non feſtinas quo animam meam ſponſam tuam invadas, tibique in prædam occupes; quæ quod A ad patriam ſuam ſuſpiret, vivit moriendo, & moritur vivendo? Sedet ſuper flumina Babylonis, & amare plangit, dum recordatur Sion, in quo conſolationes tuæ abundant. O Sion, o patria mea, o gratioſiſſimi Regis Salomonis, immortali pulchritudine ſua condecorati, hæreditas! Eheu, quam longa eſt hominis vita ſuper terram, etſi alioquin plurimis videatur quambreviſſima! Quouſque, o amabiliſſime amice mi, animam meam ſuſpendes, & ſuſpiria mea, quæ tibi, non jam in vertice Sinai nebula tua caligantis, ſed in terra Cham, ſub Pharaonis inimici tui ſervitute ſacrifico, audire te ſimulabis? O vita verè infelix, o ſervitus nimis quàm dura: quia quamvis pedibus cervinis ad dulciſſimam promiſſionis B æternæ terram evolare contendam, non tamen vel unam quietis horam mihi aſſidua illa prælia, quæ Reges Chananæi, obſtinati ſalutis meæ hoſtes, mihi nullo non momento movent, indulgent. Quoties, o civitas Dei amoris, ſuaviſſima cordis mei pax, Seon Rex Amorrhæorum, Og Rex Baſan, & Principes Edom, & duces Moab, iter mihi, quo ad cæleſtem patriam aditus patet, præpedire, & obſtruere ſatagunt? Quoties filii Evæ cordis mei vires infringere adlaborant? Quomodo, o Fili Altiſſimi, ſpes, fortitudo mea aſtas, deſuper certantem me deſpectans, ac tacens, etſi me a tauris illis pinguibus, ſanguine ſe meo ſatiare geſtientibus, undeundique obſeſſum videas. Quando veniam C ad te, mi fideliſſime cuſtos? quando imperabis ventis, & mari, ut quieſcant, & animæ ſerenitas affulgeat? Quando aquarum rubri maris curſum incides, ut tranſeat Iſrael dilectus, & tuas in æteruum miſericordias decantet? Quam te, o Fili pulcherrimæ Virginis, deſiderabilem facis? In quam mœſta dies nocteſque integræ ſolitudine ſine te traducuntur? Dies quippe fiunt menſes, & menſes anni, & anni finem neſciunt. Numquam crediſſem, niſi reipſa expertus eſſem, quod tot annorum ſpatio non exaudias illos, qui te importune, & perſeveranter invocant. Etſi etenim non ignorem, hocce tuum ſilentium permagni mea intereſſe, ut hoc modo explorer, & coroner, intolerabilis tamen qnoddam tormenti genus eſt, à quo conſumor. Quo enim major tua eſt gratia, & ſuavitas, o clariſſimum meorum D ſpeculum, eo pœna gravior, & præſens hæc vita, & carcer meus pœnoſior. Præter hoc ita grave tormentum, appetitus, & ſenſus mei, creaturarum, quæ pulchritudinem tuam ex parte repræſentant, refectione privati, quin te etiam carentes, impatientes fiunt, & velut inſani, reficique apparentia quadam vellent gratia, quæ ipſis proportionata eſt, atque ideo à dulciſſima gratia tua petenda deſiſtere. Hæc ſcilicet eſt lex carnis meæ, contraria puritati fideliſſimi cordis tui, o Rex ab omnibus generoſis mentibus, ad immortalem pulchritudinem tuam aſpirantibus deſiderabilis. Anima mea, ceu Rebecca quædam, E duos populos invicem contrarios uno quodammodo utero geſtat, atque inde eſt, quod acerrimam appetituum ſuorum luctam, & conflictum ſentit.

Et cum omnia pacem nimium quantum ament, hinc ex intimo corde meo ad te clamo, pacifice Rex, diu ab anima mea expectate, teque oro ut me inter confœderatos tuos, & amicos, qui per ignem, & aquam tranſierunt ad refrigerium, admittas.

Negare ſanè non poſſum, o divina veritas, quin ad hoc me refrigerium crearis, mihique ejuſdem ſitim, & deſiderium indideris: cur ergo vas aquæ mihi non porrigis, ut ardores hac meos extinguam? aut cur me reipſa ad te non vocas, ubi fonte vivo, qui lætificat civitatem Dei, ſatier? Summopere F hanc aquam tuam deſidero, o ſatietas mea, quò flumina Aſſyriorum mihi nauſeam generent, & ad te à terra Jordanis, & monte Hermon, quem cæleſtis ros fœcundat, quem hæreditati tuæ ſegregaſti, reſpirem. Etſi autem aquæ hujus guſtus incredibilem cordi meo ſit voluptatem allaturus, refrigerium tamen illud non in rem meam aut commodum peto, o infinitum bonum meum; ſed quod, cum longa experientia didicerim, cor hominis ſemper requiem deſiderare, & in nulla omnino creatura requieſcere, multo etiam minus ad te ſine aliqua invitatione tua accedere poſſe, certiſſimo credam, efficaciſſimum mihi remedium ad te amandum, meque à creaturis avellendum fore, ſi G eo te guſtem modo, quo te gratioſiſſimæ faciei tuæ amici deguſtant. Cumque certum ſit, guſtu tuo oculos illuminari, cor confortari, & omnes terrenas delicias, quibus ſenſus mei inhiant, illi collatas ſordeſcere; etiam caro mea novum hunc guſtandi modum addiſceret, & docilior multo fieret, à dulcedine tua ſe attrahi ſinendo.

Quamobrem, amantiſſime Fili Dei, meum ob abſentiam tuam dolorem conſidera, cæloque manda, ut vel ſemel in aridam animæ meæ terram depluat, tunc ipſe te in medio platearum Jeruſalem laudabo, amicique tui David organa pulſabo: tunc quoque omnia oſſa mea exultabunt in te, & renovabitur inventus mea, & aſſumptis pennis columbæ felle carentis, viridantem olivæ ramum ore deferens, ad arcam tuam, & paradiſum H quem dilectiſſimæ ſponſæ tuæ plantaſti, evolabo. Beati verò illi, quorum vita tota non eſt aliud, quam continua quædam aſpiratio ad te, & à terra ſpinas ac tribulos peccati, & doloris proferente ſubductio; quia ſunt transfigurati in te, & nobiliſſimo cordi tuo proportionantur, eoſque melius multò habes, quam non infelix ille Rex Saul, filias Jeru-

ſa-

Scripta An. 1608. Ital. Idio.

ſalem quas veſtiebat purpura, unde David electus tuus mortis ejus magis deplorandæ occaſionem ſumpſit.

Tu ſane aulicos, & ſectatores tuos, qui ſemper tibi adſtant præſentes veſtibus longè ſplendidioribus veſtis, quam fuere veſtes Salomonis in omni gloria ſua. Veſtis ſiquidem illos puriſſimis ſapientiæ ſplendoribus, ſubti- A liſſimo caritatis tuæ coccino, & colore illo ſapphyrorum orientalium, qui ſunt cæleſtia deſideria, quibus ſuper omnes montium, qui in terra mea ſunt, altitudines evolant; & emanantes à ſublimiſſima converſatione tua radios, qui aurei ſunt coloris, (auri inquam, Arabico, quod Reges Tharſis majeſtati, & magnitudini tuæ offerunt, pretioſioris) participant. Quid de candore dicam, lac, & nivem noſtram longe ſuperante, à quo gratia, & pulchritudo eorum mirabiliter adaugetur, qui quia ſunt de ſtirpe, & domo Jacob, pulcherrimi vultus tui conſortium aſſidue requirunt.

Quàm verò, o ineffabilis conſolationis meæ Deus, perfecta eſt gratia illa, quam amicis tuis in deliciarum tuarum thalamo communicas! Hanc gratiam ut acquiram B laborabo, & ſudabo, & in vigilia matutina ſurgam, & ad ſapientiæ januam pulſabo, donec dulcedinem tuam deguſtem.

Hæc ſcilicet eſt præda, quam per prævios ſenſuum meorum conflictus nanciſcar, quando veniet deſierata vita mea.

Beati illi, quibus te, o ſuaviſſima pulchritudo cordis mei, communicare dignaris: tuo enim auxilio, & gratia, ædificant ſibi palatia in ſolitudine, in qua ad cor illorum loqueris, & ſapientiæ tuæ lac iis guſtandum das; ubi etſi ætatis ſint maturioris, ad ſimpilcitatem columbinam, & ad amabiliſſimam ſcholæ tuæ infantiam redeunt: in qua ſchola eloquentes, & ſapientes mundi hujus verborum humanorum obliviſcuntur, & divinum C patris tui clementiſſimi ſermonem addiſcunt, uti conſtat fideliſſimum amicum tuum Moſen feciſſe, quando primum coram te balbutire cœpit.

Si, o eloquentiſſime, me illud ſolum verbum edocere dignareris, quod Pater tuus loquitur, omnem tum Græcorum, tum Romanorum, qui verborum vanorum nundinatores erant, eloquentiam deſpicerem, infinitaque mihi voluptas eſſet, audire te, teque omni mentis contentione animæ meæ interioribus imprimere. Hac de cauſa, te rogo, ut me inſtruere, ac beatiſſimæ lucis tuæ reddere participem digneris, & ego à parte mea fidelis tibi omnibus vitæ meæ diebus diſcipulus ero.

Ut verò eo te placem ſacrificio, quod D à me requiris, amorem tibi velut primogenitum animæ meæ partum offero, ut meus tu ſis paterfamilias, univerſamque rem meam domeſticam adminiſtres. Quoniam verò omnis cordis tibi diſplicet diviſio, nulli affectui peregrino locum dabo, nec ulli voluptati, quæ extra puriſſimum amorem ac guſtum tuum ſit, conſenſum præbebo. Quia certò novi, quidlibet quod tu non ſis, quantumvis nitidum, & mundum, cor meum tibi dedicatum, & immortali, & inviſibili pulchritudini tuæ conſecratum inquinare. Si verò filiæ Madian, ſplendide veſtitæ, ſuis me blandimentis attrahere conabuntur, faciei tuæ ſerenitatem in mentem revocabo, & omnem apparentiæ earum vanitatem inſigni mentis conſtantia contemnam. Et ſanè multo E eſt dulciſsimæ converſationis tuæ ſpes melior, quam poſſeſsio, & familiaritas filiarum Moab: melior quoque eſt confidentiæ anchora, quam vana illa diffidentia, quam ipſa mundi figura, quæ umbræ inſtar evaneſcit, generat: melius denique eſt, aurum Orientis habere, quam vitæ præſentis luctum poſsidere. Quanto, o patria mea, o horte deliciarum cordis mei, o viroris immarceſcibilis campi, melius eſt propter te mori, quàm non aliter hic vivere, quam ut æternos cruciatus patiar? Graves haud dubiè ſunt vitæ mortalis labores, ſed magni quoque ſunt regionis viventium, qui ad menſam cum ſummo Deo accumbunt, & ſuaviſſimum arboris vitæ fructum comedunt, jubili, & exultationes. Quid faciam vita mea, quia in dies creſcit deſiderium, & non mutatur exilium? Qua- F re, o mors, aliorum vitæ dies incidis, & vitæ meæ filum non præſcindis? Veniat utinam optatus ille dies, finem neſciens, & porta civitatis Dei mei pulſanti vel ſemel aperiatur. Verum, interim dum ad beatiſſimam hanc ſortem pertingere nequeo, ex totis viribus meis te, o liberaliſſime Fili Dei, obteſtor, ne mei obliviſcaris, ſed vel ſemel me gratioſiſſimis illis intuearis oculis, quibus reſpicere ſoles illos quos tibi elegiſti. Si ita tenerrimo cordi tuo videatur, excrucia me, & rigidè habe, modo tandem ad extremum mei in miſericordia tua recorderis, quam manſuetiſſima Virgo mater tua cecinit. Et eſto, mihi omnis in hac vita conſolatio deſit, non propterea tamen, o clementiſſime G Deus, deſiderium tui, neu ad amabiliſſimam præſentiam tuam aſpirandi contentio deſit. Sed deſiderium hoc, ceu vitalis ſit calor, quo vita mea ſuſtentetur: ipſum ſit cordis mei regimen, & alimentum; ac pennæ aquilinæ, quibus corruptibilis hujus corporis, quod tibi inimicum eſt, gravitas in altum levetur. Hoc me ſemper exſtimulet, & in hac arce mea, undique à tot adverſariis, hæreditati huic tuæ inſidiantibus obſeſſa excubet. Hoc me divertat, ne carnis illicia, & voluptates ſequar. Hoc me ad dulciſſimam dilectionis tuæ vigilantiam excitet. Hoc denique immenſis quibuſdam incrementis increſcat, & ita, tibi, ſupreme Rex, & caſtiſſime amice mi, placeat, ut te ad mortem meam acceleran- H dam, quo mihi ſuaviſſimam vitam tuam conferas, impellat. Neſcio, quomodo vel paucas has inconditas, & ob abſentiæ tuæ dolorem indigeſtas lineas tibi, o altiſſime Imperator, erga vilitatem tamen meam affectiſſime, ſcribam. Vellem ſanè, omnia omnium ſpirituum beatorum, & animarum juſtarum, quæ fuere, ſunt, & in æternum erunt,

Scripta An. 1608. Ital. Idio.

erunt, corda ſolus poſſidere, ut te iis deſiderem, ut cum tot in unum holocauſtum congeſtarum flammarum incendium videas, me ad te pertrahere, & dulciſſimam illam, & arctiſſimam ſine fine te amandi unionem facere amodo dignareris. Verumtamen, potentiſſime Rex, fac omnimodis quod tibi placuerit, quia ſine ullo proprii quæſtus A intuitu tibi ſerviam, & pugnabo, & mille vitas ſi haberem, impendam, quo honeſtiſſimam gratiam, & infinitè attractivam pulchritudinem tuam comparem. Hoc unum dumtaxat a te poſtulo, amantiſſime Deus cordis mei, ut me de ſervorum dulciſſimæ dilectionis tuæ numeio facere digneris, utque moriar morte juſtorum, qui militiæ amoris tui æterni adſcripti ſunt. Vivat in æternum (uti quidem deſidero) Majeſtas tua, cujus magnitudini animam, corpus, ſenſus, cogitationes, verba, & opera mea ſacrifico.

Benigniſſimo Domino Jeſu Chriſto jam emorienti, ſervus quidam ejus S. D.

NEſcio profectò, manſuetiſſime Rex Je- B ruſalem, quomodo mihi adhuc animus ſuppetat, ad calamum in manus accipiendum, tibique aliquid ſcribendum, cum te in dulciſſimæ crucis tuæ ligno, quæ verè optatiſſimæ vitæ meæ arbor eſt, extenſum, patientemque video: cum enim dolorum magnitudinem, velut mare quoddam profundum, in cujus undas anima ſe tua mei cauſa demergi paſſa eſt, conſidero, neſcio quomodo mihi ad formandas litteras vires non deficiant, cum tibi ad eaſdem legendas oculorum illorum gratioſiſſimorum, à quibus meæ tenebræ illuminabantur, viſus deficiat obtenebreſcens. Item, quid dicam, hæres domus David, quem Abſalon nimium quantum dilectus perſequebatur? Quomodo exor- C diar, ut breviſſimo hoc tempore quam multis tecum agam, quoniam jam per mortis agonem cataractas cæli rupiſti, ejuſque feneſtras aperuiſti, & pretioſiſſimi Sanguinis, à quo terræ facies fecundatur, & renovatur, diluvium effudiſti? Conſidero, o vitaliſſime arboris vitæ fructus, & malogranatum ſpinis coronatum, totque locis undique adapertum, quo per ea æternus amoris mei ardor exhalaret; conſidero inquam, & incredibilem caritatem tuam, & populi ingratitudinem, quia Te Filium Virginis, & unigenitum clementiſſimi Dei ſui Filium interimit, obſtupeſco. Hic verò ſtupor ingens me magis etiam ad ſcribendum ineptum redderet, niſi me triſtiſſimi ſpectaculi, quod attentus, & propter amici fideliſſimi, (qui cum deſolatiſ- D ſima hæc creatura mori deſiderat) præſentiam ſolicitus intueor, dolor expergefaceret. Quia ut tibi, o dulciſſime ſecretorum conſcie, dicam quod ſentio, quid mihi proſit vivere ſine te, & in terra manere, ſi à te, lætitia, fortitudo, & ſalus mea, abſens ſim? Aliud nihil revera mihi dabunt quæcumque in terra amabilia ſunt, ſine te, quam ut abſentiæ tuæ dolore magis crucier. Unde neſcio, cur mori non feſtinem, quo ad te perveniam, & animam meam una cum tua in amantiſſimi Patris tui manus conſignem. Sed, eheu! o Unigenite Altiſſimi tam inde ab hoc tempore epiſtolam hanc auſpicabor, quæ ſecretaria ſit cordis mei, quod cordi tuo, in quo omnis mea commoratur præſentia, volo inſcribere. Jam inde ab hoc die incipiam E ſuſpirare ad te, & propter te amabiliſſima vita mea. Quid ſibi vult, o dilectiſſime, hæc tua à Patre tuo æterno derelictio? Hem, quomodo obſcuratum eſt aurum puriſſimum, & colore illo ſplendidiſſimo, qui filias Sion dulciſſima pulchritudine tua pellectas recreabat, privatum? Quid? anne, o Fili Dei obſequentiſſime, Patrem tuum in te animadvertere, & rigoris ſui enſem ab innocentia tua minime avertere? Cur morietur juſtus, & vivent peccatores? Cur innocens reſtituat, quod fures nequiſſimi eripuerunt, cum tamen Judex, & horum malignitatem, & candorem tuum puriſſimum noſſet? Miror profecto, o juſtiſſime cœlum, terramque in linguas non converti, & adverſus me non inclamare, pro cauſa tua reſpondendo, & F ob ingentem dolorem, quem creator ipſorum meas ob culpas patitur, expoſtulando, nec aliarum creaturarum ſolummodo ſilentium miror, verum etiam miror, cor meum ſaxis durius non diffringi, cum labor, & ærumna tua animæ meæ ſit intolerabilis. Heu mihi, qui prout fidei tuæ lux me docet, ingratiſſimus mihi videor eſſe ſervus, & crudeli in te, patientiſſime Deus meus, mente eſſe. Quis enim adeò erit durus, & peruicax, qui non emolliatur, & in lacrymas amoris reſolvatur, ubi te viderit in ultima hac hora agonizantem, & verba viva, & penetrantia, quæ inſenſibiles etiam creaturas ad compaſſionem excitent, audierit? ego tamen idcirco ad te ea familiaritate, & amore G quam infiniti incendii tui flamma exigit, non convertor. Sol obſcuratur, elementa turbantur, terra concutitur, petræ finduntur, & velum templi ſcinditur medium, quomodo ergo cor meum, per amoris vehementiam, & è jam inſtante fideliſſimi amici mei morte dolorem non aperitur, & crepat? In hoc liquidò perſpicio, eſſe me Iſmaele Iſaaci inimico, & Eſau adverſus Jacob electum tuum inſurgente, longè immaniorem, præſertim cum crudeliſſimæ mortis tuæ ſim cauſa. Plane, ô clariſſimum oculorum meorum lumen, non video, cur David ſepulcrum Abner lacrymis ſui humectet, & ego te fortiſſimum ducem, & directorem meum exſpirantem cernens, cordialiſſimis gemitibus non plangam. Iniquum quoque mihi videtur, H Regem illum factum ſecundum cor tuum, in Saulis hoſtis ſui juratiſſimi interitu dolere, & flere, & me in tua, o ſuaviſſime ſalutis meæ amice, morte ne lacrymulam effundere. Et dato, me fortaſſe univerſæ vitæ tuæ, quæ plena doloribus, ſudoribus, perſecutionibus, & ærumnis, quas pro me paſſus es, fuit, minimè recordari; hæc tamen, quam cerno, infiniti amoris tui ſignificatio ſatis mihi

Scripta An. 1608. Ital. Idio.

hi eſſe deberet, (quod extremum quemdam dolorem includat) ut vitæ meæ infelicis, & ſolitariæ filum amodo abrumperet. Quid facis, o gratioſiſſime adoleſcens, & Fili Dei? quid fixus in arbore hac, è qua pendet anima mea, cogitas? quomodo deficiente jam humore, & calore vitali linguam tuam, A quæ in admirationem rapere ſolebat eos, qui dulciſſima verba tua audiebant, deſtituente loqui potes? Cur, ô Agne manſuetiſſime, pro aliis ſolicitus es, & ipſe in profundiſſimo maris dolorum abſorptus? Sane par videatur, tuiipſius te rationem habere. Si verò animo tibi ſedeat, aliis ſollicitè attendere, & tui ſolius obliviſci velis, cur tamen de rabidis his canibus ita ſollicitè laboras; quibus ſatis nequaquam eſt te cruci affixum cernere, niſi ſuis etiam linguis te crucifigant, quæ ceu cultri quidam acuti animam tuam interficere pergunt? Quid tua refert, ô cordis mei vita, ſceleſtos hoſce carnifices vivere, quos ſanguine tuo actualiter hic jam redimis, necnon per ardentiſſimam B orationem, quam pro iis ad patrem fundis? Ipſi te vitam ſuam de medio tollere geſtiunt: ad quid igitur eos tam anxiè à morte, quam tam efflictim ſibi eligunt, vindicare conaris? Quam, o Jeruſalem, civitas Dei altiſſimi, in media luce caligaſti, quam principes tui magis cæcutierunt, quam olim conſiliarii Pharaonis? Quam grave commiſiſti ſcelus, cum ſereniſſimam tibi lucem, & amabiliſſimam vitam tuam auferre geſtis? Verum, quid, o pacifice Rex, & diu exſpectata redemptio mea, gravem hunc errorem, & amariſſimæ mortis tuæ cauſam aliis imputo, cum ego ſacrilegus ejuſdem ſim particeps? Opus hoc fateor, deſideratiſſime mortalium, vere mirabile, quod in medio terræ ſanguine tuo nobiliſſimo irrigatæ operatus es, univerſa ſalus mea eſt, & C ſine hoc vivere neutiquam poſſem; ſummo tamen quodam doloris ſenſu, & intimi cordis amaritudine dignum ſpectaculum eſt Virginis Filium, qui nullum umquam peccatum commiſit, nec matris ſuæ candorem umquam inquinavit, emorientem videre. Non poſſum, quin ad uſque intimum cordis mei centrum doleam, dum mortem tuam tantopere ab adverſariis accelerari video, totque ab iiſdem in te jaci tela, quo vitam tuam pretioſiſſimam quam citiſſime abrumperent; te tamen interim dum civitas tua dilecta adeò in te graſſatur, vigilantiſſimè, & promptiſſimè ſatagere, ut pacem inires cum iis, qui rabide te cruci affigebant. Cum enim, o fortiſſime amator, ſciam, tot ſine doloribus, & improperiis te copioſiſſimè ſalutem meam D operari potuiſſe, moleſtiſſimum ſanè eſt, quod, per inæſtimabilis caritatis exceſſum, per tot angores, & publica improperia tua me redimere debueris. Quam, o opulentiſſima cordis mei præda, me arctè funiculis Adam conſtringis? quam viva violentia viſcera mea ad te attrahis? Utinam, o infinitum refrigerium meum, ita ligno huic ſacratiſſimo alligatus eſſem, ut univerſus ſanguis tuus ſuper me plueret, tui affectus, & ultima teſtamenti tui verba animæ meæ imprimerentur, quo ſuper nivem dealbarer, & æternis ardoribus, quos anima tua ſpirat, inflammarer! Sed quomodo tibi, o Emmanuel, pulchrorum oculorum illorum lumina fatiſcunt, quomodo labra, quæ verborum vitæ mel olim diſtillabant, exareſcunt? Vellem E idcirco verbum à te unum, aut ſaltem unum eorum, quos Reges, Prophetæ, & univerſa cœli terræque nobilitas permagni faciunt, reſpectum impetrare. In hac enim peregrinatione mortali efficaciſſimus quidam intuitus, ab amore tuo natus, tanti ducendus eſt, ut propter eum omnes divitiæ Tyri, & univerſa Chaldæorum magnitudo mihi ſordere deberent. Quam te, o fortis Samſonis amans anima, languentem video, & à ſponſa tua conſtrictam, & ſolum ad amandum, & infinita quadam liberalitate, non modo crines, verum etiam omnem magnitudinem, ſubſtantiam, & vitam tuam donandam conſtantem: Unde, cum hic theſaurorum tuorum ærarium aperias, obſecro vel uno intuitu infelicem F hanc craturam beare, & impertire digneris, eoque viſcera mea transfigere, ut mortis tuæ dolores in ſe perſentiſcant. Quia, ô vere divitiæ meæ, minime dubitandum eſt, quin mihi imprimis utile futurum ſit, tuum in tormentis ſocium me eſſe, & in mortali hac vita perpetuo te in cruce ferenda imitari, ejuſque participem fieri. Sed quomodo, heu! Fili Dei, unicum robur meum ad moriendum properas, quomodo â me recedis? qui interea ob abſentiam tuam angor, & plango: rauca vox tua, inſtantis mortis prænuntia, multos qui te pluſquam vitam, & animam ſuam amant, vulnerat. Video verò, non amicos modo tuos, verum etiam inimicos, hac in occaſione feliciſſimam domus tuæ G partem à te impetrare; nam non ſolum diſcipulus tuus Joannes matrem tuam puriſſimam, ſed latro etiam regni tui poſſeſſionem in partem, & peculium nanciſcitur. Quamobrem da, & mihi, amantiſſime Domine, beatiſſimum amoris tui regnum, ut mihi immenſa quædam, ſit gloria tecum crucifigi, improperiis illudi, & animo quodam intrepido calicem quem mihi propinas, obbibam, arctiſſima quadam unione, & mutatione; quam dextra ſua facere ſolet, me tibi configurando. Unde conſultum non eſt, terrenas me voluptates conſectari, cum Regem meum pacificum in mortis ſuæ tranſitu doloribus videam oppreſſum: nullum quippe cor fidele in conſolationibus humanis mel invenire poteſt, cum os tuum ſuaviſſimum felle natare videat.

H Breves ſunt revera, o manſuetiſſime Rex, dies hominis ſuper terram, & vita illius fugit velut umbra: vita, inquam tua, fugit a me, eamque in mortalitate mea retinere, & remorari non queo. Audio, o Fili illuſtriſſimæ Virginis, a dolore te opprimi, & jam jam præ ſiti, ſiti inquam ardentiſſimæ ſalutis meæ, emori; unde utinam totus liqueſcam, & aromatica quædam ſapida tibi

ſiam

Scripta An. 1608. Ital. idio.

fiam potio; tibi inquam, qui vivus animæ meæ fons es! Sed veriſimile mihi fit, Domine, non poſſe me jam ſitim tuam, etſi nimis inſtar ad ſolis radios liqueſcerem, ſedare, cum omnes omnino terræ aquas, id eſt homines, ſitias, & expetas. Unde certo mihi perſuadeo, te, ob vehementem quo A conſumeris ardorem, præ ſiti emoriturum. Heu mihi, quomodo ipſummet vitæ auctorem vita deſtituit! O derelictionem vere duram! Quam merito, o unicum remedium meum, ad benigniſſimum Patrem tuum clamas, & ob rigidam hanc in ultimo angore derelictionem expoſtulas! Videt enim, quomodo in luporum famelicorum, innocentiſſimum Agnum Dei devorare volentium manibus emoriaris: videt, & tacet, & viliſſimo mancipio vitam dilectiſſimi Filii ſui morte ſtudet afferre. O pretioſiſſimum remedium mihi viliſſimæ creaturæ tuæ applicatum! Non poſſum te, o velociſſime curſor ad animam meam, fugitivam ſponſam tuam, tandem comprehendendam retinere. Video intentionem, & mentem tuam, quod me B ad finem uſque dilexiſti; video, quomodo caput, quod altiſſimi Seraphini reverentur inclines, vitæ tuæ, & ſaluti meæ terminum imponere cupiens. Fœcundaſti jam terram voluntaria primogenitæ hereditatis tuæ pluvia; nihil ergo jam reliquum eſt, quam ut animam, velut candidiſſimam columbam, in clementiſſimi Patris tui manus conſignes. Quid dicam, dulciſſime ſodalis? Quid faciam? Diviſionem hanc parum æquanimiter fero; anima quippe mea infinita quadam ratione te concupiſcit. Sed cum ita tibi, (cujus beneplacitum pluris mihi eſt, quam afflicta vita mea) placeat, tibi Domine, reſiſtere nequeo: ſed ineffabilis charitatis, & incomparabilis miſericordiæ tuæ decreto me in omnibus conformo. Debebo itaque, o æterna conſolatio, & corona mea, jam ſolitudinem captare, oculiſque lacrymarum ha- C benas laxare, ut quædam etiam flumina lacrymarum effundant, nullumque conſolationibus peregrinis locum indulgeant. Itaque ſuper flumina Babylonis ſedebo, & plorabo ſuper te, o Rex Jeruſalem, quæ deſiderata patria mea eſt; & patientiam mihi ſummopere neceſſariam exercebo, quod ſummum bonum, voluptas, lucrum, & honor omnis meus mihi auferatur; & hoc triſte filiorum Evæ exilium, & duriſſimum hunc carcerem lamentis, & importunioribus gemitibus replebo. Hæc abſentia tua, obſcura mihi quædam futura nox eſt, o puriſſima cordis mei lux; ac magno quodam deſiderio exſpectabo donec exoriatur ſol, qui diem clariſſimam inducet, quæ unica mea futura refocillatio, D & lætitia eſt. Suis filii hujus ſæculi voluptatibus, & recreationibus intendant, hortorum citò marceſcentium vernantiam conſectentur, paſcantur deliciis, quibus cor humanum a te ſequeſtratur, hæcque eorum ſit pars: ſed procul a me humanum hoc, Domine, conſilium abſit, tuque ſolus unica pars, & theſaurus meus eſto: propter te ſuſpirare, & plangere unæ ſint cordis mei voluptates, ſuavis harmonia, conviva, & conſolationes: flagella clavi, & vulnera tua æterni mihi amoris ſint fontes; & hæc figura mortis, quam in te jam video, gratioſiſſima animæ meæ ſit pulchritudo. Non curabo ea quæ prudentia, & converſatio mundana ſug- E gerent, & ſuadebunt, ſed in dulciſſimo noctis ſilentio, ſolitudinis meæ bonis gaudebo, victoriam, & immortalem optatiſſimæ reſurrectionis, & novæ vitæ tuæ conſolationem exſpectans, & ſperans.

Actuum diurnorum directio ac diſpoſitio, mane facienda.

TIbi, clementiſſime Domine, & Deus meus, Pater, Filii, & Spiritus Sancte, quia me creaſti propter te, & propter multos alios intuitus, mei totius tributum perſolvere debeo. Jam inde uſque ab hoc momento affectu quam poſſum vehementiſſimo, divinæ tuæ majeſtati omnes totius vitæ meæ cogitationes, verba, & opera offero, ac F præſertim ea quæ hodie cogitaturus, locuturus, & facturus ſum, eaque cum Jeſu Chriſti Domini noſtri, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, omniumque Spirituum Beatorum, & animarum juſtorum, qui hactenus fuerunt, modo ſunt, & poſt futuri ſunt, cogitationibus verbis, & operibus unita. Deinde utinam præter ea quæ creaſti, infinita alia haberem corda, quæ, & ab æterno fuiſſent, & in æternum perdurare deberent; quæ, & te cognoſcerent, & infinita quadam perfectione amarent, aliud præterea nihil agerent. Adeo ut intentio mea ſit, ad ſingulas cogitationes, verba, & opera quæ faciam, immo vero quoties reſpirabo, meo omnem hanc actuum, & cordium divinæ majeſtati tuæ gratorum multitudinem affectu congregare; atque ita, & modo facio, & poſt faciam; idque puritate quam poſſum maxi- G ma, ſine ullo præmii vel pœnæ reſpectu, ſed dumtaxat tui unius cauſa. Et quoniam ob quatuor præcipue tibi ſum capita obligatus, omnes has oblationes tibi, Domine, offero in hoſtiam pro peccato quo tibi ſatisfaciam, teque placem; in hoſtiam laudis, & gratiarum actionis, quo beneficiis tam generalibus, & particularibus ſim gratus; in hoſtiam pacificam ex voto, ut quidquid mihi opus fuerit impetrem, donec te tandem fruar; denique in holocauſtum, quo tuam divinitatem proteſter, & cor meum cum illa uniam. Obſecro te per viſcera miſericordiæ tuæ, ut has hoſtias meas digneris acceptare, hodieque meipſum ab omni peccato, quantumvis minimo, liberare, mihique con- H cedas ut nulli creaturæ cordis mei partem applicem, ſed totus, & in omnibus tibi vivam.

Dicet deinde:

OFfero quoque tibi affectu quam poſſum maximo, (Beatiſſima Virgo, cui meipſum totum poſt Filium tuum dulciſſimum,

in-

Scripta An. 1608. Ital. Idio.

inprimis debeo) omnes cogitationes, verba, & opera mea, nec non multitudinem illam cordium ad honorem tuum, cum plena tibi placendi in illorum ſingulis voluntate, & intentione, nullam ut propterea aliam mercedem velim, quàm ut puriſſimæ animæ tuæ ſic aliquatenus voluptatem adferam. Obſecro te, Regina ſereniſſima, ut hodie mihi A adeſſe, & auxiliari digneris, ut tua interceſſione diem hunc in magna vitæ puritate, qualis tua fuit dum vixiſti, traducere queam. Hæc eadem oblatio, quoad ſubſtantiam quidem, etſi non tot verbis, facienda eſt, quoties opus aliquod inchoandum, qualia ſunt, Oratio, Officii Eccleſiaſtici recitatio, Miſſæ auditio, labor manualis: & tunc ſuffecerit eam facere mentaliter.

Verum notandum, tunc cum hoc directe fit, rerum occurrentium eſſe proprietati intendendum; adeo ut una cum oblatione quædam inſtituatur, quæ rei agendæ proportionata ſit: verbi gratia, ſi ad cibum corporalem ſumendum abeat, ſic dicat: Vado, Domine, ut corpori huic debitum alimentum (quod ipſe præcipis) præbeam; non quidem, B propter me; ſed, quia ita complacet tibi: præſta, quæſo, ut ipſos temperantiæ limites in eo non excedam.

Hoc exemplum oſtendit, quid in omnibus rebus ad corpus ſpectantibus faciendum ſit. Sed in mere ſpiritualibus petitio hæc fieri debet, prout res quælibet expoſcit: verbi gratia, in Officii Eccleſiaſtici recitatione, præter communem oblationem, ſic dicendum: Da mihi, Domine, cor, quod te laudare totum intendat, nec non fructum, quem hoc actu divina tua majeſtas intendit. Atque hoc exemplum in omnibus aliis rebus ſpiritualibus uſui erit.

C

Præparatio ad Confeſſionem.

SIC qui rerum ſpiritualium ſtudioſi ſunt, curare debent, ut frequentem confeſſionem ad pauca verba, & ferventem affectum reducant. Ante autem quam Confeſſarium adeant, Chriſto Jeſu confiteri debent, ſibi eum, velut Summum Pontificem, a quo ipſa Confeſſariorum auctoritas deſcendit, confitentes audientem repræſentando. Accuſantes ſe itaque de parva diſpoſitione vel præparatione, in qua ipſe examinis prævii, doloris, &c. defectus continetur, dicent quidquid circa cogitationes, verba, & opera menti occurrerit; nec non ea, quæ circa hæc tria peccarunt omittendo, ſcilicet omiſſionem in bene cogitando, bene loquendo, & bene operando: in quo multi Dei D ſervi ſæpe magis delinquunt, quam in male cogitando, loquendo, agendove. Et cum generali quadam omnium culparum vitæ tam præteritæ, quam præſentis, quas quolibet modo fecerint, accuſatione concludent: verbi cauſa, ex eo quod Chriſtiani ſint, conjugati, Religioſi, &c. In particulari vero, quando nihil certi in præſens invenirent, quod certa abſolutionis materia ſit, mendacium, vel aliquod ſimile peccatum, quod certo ſe norint olim commiſiſſe, confitebuntur. Omnibus vero dictis, formales quoſdam contritionis actus elicere ſatagent; tum vero maxime, cum Confeſſarius ipſam abſolutionis formulam pronunciat: tunc quippe commoda occaſio, & tempus eſt eo majoris gratiæ recipiendæ, quo major erit diſpoſitio. E

Actus contritionis hoc modo, vel aliis ſimilibus concipientur.

INfinite, o Domine manſuetiſſime, peccata mea deteſtor, quod bonitati tuæ adverſentur. Mallem ſane mille mortes ſubijſſe, quam vel unum peccatum, etiam veniale, admiſiſſe, quod id contra, vel præter voluntatem tuam ſit. Ex omnibus viribus meis, Domine peccata deteſtor, & abhorreo, quod fœdiſſima ſint, & pulchritudini, & amori tuo contraria.

Mille ante, Domine patientiſſime, impendam vitas, quam poſthac in ullum peccatum veniale conſenſum præſtem; eo quod tibi diſpliceat. Non amplius te, amantiſſime F Domine, offendam; etſi me omnia creata perdere, omneſque præſentis vitæ cruciatus perferre oporteret.

In his actibus, prout oportet; concipiendis, potiſſima præparationis pars conſiſtit, atque ideo majus hi ſtudium, & diligentiam requirunt. Quia licet facile admodum ſit prædicta verba, contritionem veram, & ab amore Dei natam ſignificantia, ore proferre; adeò tamen facile non eſt, contritionem veram, & realem habere. Hac de cauſa quicumque proficere vult, magnam diligentiam adhibere debet, ut contritionis motiva habeat, & voluntati ea repræſentare norit; qualia verbi gratia ſunt, cùm præparat ſe ad confeſſionem, Dei pulchritudinem, bonitatem, ſuavitatem, miſericordiam, G &c. animo volvere; quibus attributis ipſum peccatum adverſatur: atque ideo dare debet operam, ut ipſum deteſtetur.

Deinde divinæ gratiæ, divinæ caritatis, aliarumque virtutum peccato contrariarum ſibi pulchritudinem proponere; peccatum verò ob contrariam turpitudinem deteſtari. Adhæc damnum ab inimicitia Dei, & Sanctorum promanans, nec non alios peccati effectus in mentem revocare; quomodo verbi gratia reddat hominem dæmonis mancipium, atque æternæ pœnæ, & infamiæ reum; nec non alia graviſſima damna, quæ conſequuntur ex eo, quòd creatura aliqua extra Dei ſui, & Creatoris ſit gratiam. Modò ergo per hoc, modò per aliud è ſupradictis motivis, aliaque id genus peccati H deteſtationem debet concipere, ſemper tamen ad motivum principale ac ſublime, ſcilicet amoris Dei, aſcendendo: & hoc affectu jam concepto ad Sacramentum accedere; quia, modò vera ſit illa voluntatis diſpoſitio, etſi alioquin non affluant lachrymæ, aut ſenſibilis dolor ſentiatur, ſacramenti fructus minimè perditur.

Scripta An. 1608. Ital. Idio.

Præparatio ad ſanctam Communionem.

DUO fieri ſolent, ut princeps aliquis quodam in palatio excipiatur: primò eliminare, & auferre è domo illa, quidquid tali principi minime convenit, deinde vice verſa parare ea, quæ tali Principe digna A ſint. Hac de cauſa, cum ego te, Domine altiſſime, Jeſu Chriſte, & omni reverentia, & amore digniſſime, domo mea debeam excipere, ſpiritus tui auxilio, & inſpiramine, cordis mei habitaculum diverſorium tuum, ab omni ea re volo expurgare, quæ me à te alienat; & contra iis inſtruere rebus, quæ ad me tibi uniendum, & ſuaviſſimo cordi tuo, quod verum animæ meæ reclinatorium eſt, placendum conducent.

Et quoniam certo novi, omnia domus hujus tuæ, quam tibi ſoli conſtruxiſti, impedimenta, & offendicula, per ſenſuum tum exteriorum, tum interiorum portas, & feneſtras ingredi; ideo hoc mane ſummo ſtudio omnem rerum mundanarum ſpeciem, & imaginem à me repellere connitar, vaſa B hæc mea ab omni re alia evacuando, ut te ipſo, ceu balſamo puriſſimo, quod medullas meas penetret, repleantur.

Unde à ſuperiore animæ meæ parte, in qua tu reipſa in æternum habitare deſideras, incipiens, ecce propter amorem tuum, & quia dulciſſimæ animæ tuæ voluptatem aliquam adferre volo, aliud quodlibet abigo, (prout mihi poſſibile eſt) à memoria, intellectu, & voluntate mea objectum, præter te ſolum: adeo ut præter te ſolum, Sponſe dilectiſſime, & ſuaviſſime, & ſupra omnem pulchritudinem pulcherrime Fili Dei, & vera animæ meæ ſatietas, bonum aliud memoria volvere, intelligere, & amare nolim. Sed quoniam pars animæ ſuperior, C quam in templum ipſe tuum elegiſti, ut in ea tibi ſacrificem hoſtiam laudis, continuo inceſſanterque ab inferiori, & imprimis ab inquieta imaginatione mea, ubi naturalis mea inconſtantia eſt, oppugnatur, & diſturbatur; & quoniam, te permittente, cacodæmon mille in illa tempeſtates ciet, meque quæ nollem cogitare facit; hinc tibi, o deſideratiſſimum cordis mei bonum, proteſtor, & confiteor, aliud me cogitare, & imaginari nolle, aut mihi aliud quid repræſentari, quam pulcherrimum vultum tuum, ad quem viſcerum meorum deſideria dirigo, ob eam, quam cum hoſtes tui, tum propria ipſorum vanitas vim inferunt, expoſtulantia. Denique quoniam ſenſus exteriores primæ ſunt januæ, per quas mors ingre- D diatur; equidem propter nomen tuum, aliud videre, audire, guſtare, vel tangere bonum nolo, quàm te ſolum: firmiterque ſtatuo, hiſce ſenſibus omnia prorſus negare, quæ hoc in mundo aliquam iis afferre voluptatem poſſent vel delectare, ut te, infinito ſuo bono, quod neſciunt, ſolum paſcantur.

Abſint procul ab anima, & corpore meo non ſolum omnia alia bona in ſe, verum etiam ipſæ circa eadem verſantes cogitationes, & umbræ; idque propter amorem, & infinitam gratiam, & pulchritudinem tuam, o opulentiſſime animæ meæ theſaure; cujus realis præſentia diverſorium hoc tuum majoribus, & inflammatioribus, quàm gratia tua adjutus ego concipere poſſem, deſideriis exſpectat. Ecce igitur ut, o requies, & refrigerium, ſpes, & æterna ſalus mea, E (quantum ad voluntatem quidem meam gratia tua adjutam ſpectat) domum tuam, & meam expurgarim, utinam vero eo illam ornameuto, quod oculis tuis gratiſſimum excogitare poſſem, condecorare liceret! Sed quoniam nullum hic ornamentum oculis tuis gratius eſſe ſcio, quam aliquot virtutum actus, tibi, prout ſub ſpeciebus ſacramentalibus in Euchariſtia latitas appropriatos; dabo operam, ut eoſdem ex amore tuo potius, quam ob proprium quæſtum, & utilitatem meam exequar.

Utque à fide incipiam, quam tu, Domine mi dilectiſſime, in hoc maxime fidei myſterio exerceri à nobis voluiſti, firmiſſime credo, te Dominum meum infinitæ majeſtatis, in admirabili hoc Sacramento, Deum F ſimul, & hominem perfectum contineri, tam magnum ac potentem, utque in cœlo es; ſimul, & alia omnia quæ de altiſſimo hoc Sacramento Sancta, & Catholica Eccleſia credit: paratus vitam meam, quin univerſa mundi bona, in veritatis hujus divinæ confeſſionem impendere.

Certiſſimè ſpero, Domine, & amice fideliſſime, me per Sacramenti hujus vitaliſſimi virtutem æternæ gloriæ compotem fore, teque in ſempiternum fruiturum; quamvis etiam omnia ſolus peccata commiſiſſem, quæ jam inde uſque à mundi exordio ſunt non modo ab hominibus ſceleratis, verum etiam dæmonibus commiſſa.

Sed imprimis amare te ex toto corde meo G volo, ſuaviſſime animæ meæ Sponſe, qui cum tanta amoris ſignificatione hodie ad eam venire vis, quo te ei arctius unias, & ſuaviſſimum caritatis ignem in ea accendas. Veni ergo in me, o vere dulciſſime animæ meæ Sponſe, o ſalutis meæ amantiſſima anima, o cor ardentiſſimum, & cordis mei cupidiſſimum, ingredere, velut abſolutus Dominus, in domum tuam, & omnipotenti amoris tui imperio imperioſe eam gubernato. Vellem equidem, o pulcherrime Fili Dei, hodie tam potenter à te trahi, ut mea in tuam anima transformaretur, & tu poſthac mea eſſes anima, vita mea amabiliſſima, & unica cordis mei afflicti confortatio, & refectio.

Trahe me, o gratia infinitè attractiva, H quæ cœlum ſimul, & terram ad te ineffabili quadam trahis voluptate, quæ à pulchritudine tua naſcitur, ad te; quia ardentiſſimè tibi ita uniri deſidero, ne in æternum à te ſeparer. Dignare, o tranquilliſſima requies, cor mundum in me hodie creare, in quo aliquam tu recreationem invenias, & ego mille tibi, omnibus diebus vitæ meæ, Scripta An. 1608. Job. 13. 14. hoſtias laudis ſacrificabo, propter hujus templi encomia, & renovationem. Ecce cordiali quodam deſiderio, omnes tibi animæ meæ portas aperio, & de profundo cordis mei ad te, amor gratioſiſſime, clamo ut ad me venire, & ad uſque penetralia medullarum, & cordis mei centrum tranſire, A & tuam in hoc reclinatorio tuo ſedem ſtabilire digneris: te enim & ſitio, & eſurio; unde ſemel ita te ſatiari vellem, ut poſtea non amplius eſurirem.

Quis mihi det, ut hodie omnes vires, & omnia interiora mea mihi violenter eripiantur, & ego tua ſim præda, o mitiſſime cordis mei fur! Utinam, o infinitum bonum meum, multa hujuſmodi hodie in me ſpolia invenires, quibus ditatum cor tuum recrearetur, & aliqua delectatione perfunderetur. Idcirco omnia creaturarum, quæ in cœlo, & in terra tibi placent, corda habere vellem, eaque etiam à te peto: ſub quibus, & omnes beatos ſpiritus, & matrem tuam puriſſimam, quæ amore tuo inflammatiſſima fuit, comprehendo: è quibus omnibus immenſum quoddam conſtans incendium, B meipſum unà cum innumeris cordibus tibi gratiſſimis, hodie in habitaculum tibi offero, ut me dulciſſima humanitatis tuæ præſentia viſitare digneris. Hæc ſunt, o lucidiſſimum oculorum ſpeculum deſideria mea, hæc unica, o viſcerum meorum Sponſe, hæreditas mea. Atque idcirco, (tametſi hoc propoſitum ſit pro tota vita mea) particulariter tamen, ut ad me accedas, hoc mane recipiendus à me, quoties reſpirabo te deſidero, te invoco, & cor meum tibi in diverſorium offero, unà cum ſupradictis actibus, nec non in beata ſocietate tot cordium, quæ habere vellem, quò ea tibi, o corona æterna, & merces mea, ſacrificem. Hos amoris actus pluſquam ſemel concipere poterit, ſenſum, & affectum, quem verba illa requirunt, iis applicare ſtudendo; hos C autem, & alios ſimiles affectus, quos Dominus illi ſuggerere dignabitur, continuabit, donec ſanctæ Communionis tempus advenerit.

Poſt Communionem.

UBI verò ſanctiſſimum Sacramentum jam homo receperit, omnes facultates, & ſenſus introrſum in unum colligens, quò cum Domino, (qui realiter in eo præſens adeſt quamdiu Sacramentales ſpecies conſumptæ non erunt) colloquatur, duo faciat oportet, vel utrumque ſimul, vel ſeparatim, prout affectus, qui cor ejus magis tunc inflammabit, dictabit: ſunt autem hæc; gratias Deo agere, & aliquid petere. Gratias, inquam, D aget ob infinitum, quod recepit bonum; petet autem omnia à Domino illo liberaliſſimo, qui huc loci venire ideo eſt dignatus, ut omnigenum ſecum bonum afferret, animamque ſponſam ſuam divitiis ſpiritualibus locupletaret.

Gratias agere, & benedicere poterit hoc modo: Ecce Domine mi amantiſſime, & infinitum cordis mei bonum, ego tibi hodie in anima, & corpore meo diverſorium dedi: ſed digniorem habere locum vellem, in quo majeſtas tua requieſceret, atque hunc in finem omnia corda, quæ tibi tum in cælo, tum in terra placent, deſideravi, & poſtulavi, ea mihi habere cupiens, quo aliquam E tibi domum meam ingredienti voluptatem adferrem. Tu autem, dulciſſime, & ſuaviſſime Sponſe mi, veniſti, ut mihi benefaceres, etſi pauperrima ego creatura ſim, & ne minimum intuitum tuum promerear, nedum realem tuam, quæ in altiſſimo hoc Sacramento, cum quo omnes mihi divitias tuas communicas, adeſt præſentiam. Hac de cauſa, iterum omnia creaturarum in cælo terraque tibi gratarum corda, quinimmo puriſſimæ matris tuæ Mariæ cor, & quod magis eſt, ardentiſſimum cor tuum mihi peto dari, ut tibi eadem propter immenſum hoc beneficium, quod hodierna die è manibus tuis accepi, gratias agant.

Vellem profecto, jucundiſſima animæ meæ vita, & amabiliſſimum ejuſdem gaudium, poſſe efficere, ut cunctæ tibi in æternum F creaturæ voce magna cantica laudum decantarent, tibique ob immenſum hoc beneficium, quod hodie mihi, qui opus ſum manuum tuarum, contuliſti, gratias agerent. Vellem tibi profecto mille, & mille ſacrificare animas, tuo amore inæſtuantes, ut te in æternum ardore quodam Seraphico, ob vehementem hunc amorem, & bonitatem, quam hodie mihi exhibuiſti, amarent. Quid in gratiam tui faciam, ſplendor diviniſſime, & pretioſiſſime penetralium meorum theſaure? Quas tibi pro dulciſſima charitate tua qua me amas, vices rependam? Equidem ſummè pauper ſum, & nihil habeo quod dem, præter memetipſum, ardentiſſimis quibuſdam deſideriis refertum, o delicatiſſima animæ meæ dulcedo. Utinam totus propter te liqueſcam, & ab omnibus rebus creatis G affectu ſeparer, quo ſemper te facie ad faciem intuear, te ex animo rogem, ut tuam mihi voluntatem declarare digneris, quò eam deinde executioni mandem, etſi me in eadem adimplenda oporteret intermori. Equidem me totum tibi conſecro, animam, inquam, & corpus, cogitationes, verba, & opera, idque in gratiarum actionem, & toto vitæ meæ tempore; firmiterque propono, dilectiſſime animæ meæ, nihil cogitare, loqui vel operari unquam, quod credam tibi diſplicere: & quotieſcumque reſpirabo, me tibi, o ſpes, & refrigerium meum offero: ita ut quoties flatum, & anhelitum emitto, toties omnes totius mundi divitias poſſidere vellem, ut eis tunc propter te renun- H tiem, illuſtria, & heroica pia opera propter te exequi, innumera quoque ſubire martyria, omneſque quæ in mundo ſunt animas convertere, ad altiſſimum quemdam perfectionis gradum eas deducendo, omni denique illarum amore te diligere, omnes eas ſimul in corde meo collectas habendo. Hæc inquam omnia volo toties, quoties reſpiro,

Scripta An. 1608. Ital. Idio.

& animum duco, & quidem ea dumtaxat intentione, & voluntate, ut tibi in æternum gratias agerem. Sed ignorantia, & ſtupor meus facere non poteſt, quod facere vellet. Atque idcirco te quam ardentiſſime per dulciſſimæ Matris tuæ viſcera, cui nihil negare ſoles, rogo, ut dulciſſimis amoris tui catenis me vincias, meque vinculis **A** charitatis tuæ aſſidue ligatum teneas, ut, quod poſſum, gratitudinis tributum tibi perſolvam. tametſi omnia reſpectu eorum, quæ puriſſima, & tenerrima anima tua promeretur, exigua futura ſint.

Quantum ad petitionem, porrò notandum eſt, tempus hoc, illud inquam, quo ſpecies Sacramentales adhuc integræ durant, imprimis eſſe ad rogandum, & impetrandum quidlibet oportunum, eo quod Dominus Jeſus in anima, & corpore ejus a quo ſumitur, ita ſe gerit tamquam ſi animæ illi ſingillatim audiendæ vacare vellet, ejuſque ſolius deſideriis, & poſtulatis morem gerere, cum aliis in locis ſit quaſi in communi, & publice omnium vota audiens, nec animæ, ac corpori noſtro ita privatim, & intime conjunctus. Atque ideo qui **B** ſanctiſſimum Sacramentum ſumpſit, poteſt, & debet magna cum fiducia poſtulare, ab omnibus malis liberari, omniaque habere bona, quæ ſibi ſunt neceſſaria, donec ad feliciſſimum gloriæ æternæ ſtatum evehatur. Inprimis autem opem, & auxilium contra tentationes, a quibus tum maxime oppugnatur, rogare debet, nec non gratiam, ad paſſiones, a quibus exagitatur, ſubjugandas; denique gratiam ad eas acquirendas virtutes, quæ ſibi deſunt, firmiter ſecum proponendo, Domino cooperari, & mediis ad earum virtutum comparationem conſentaneis uti. Quarum rerum certa aliqua, & generalis ſtatui regula non poteſt, qui tamen, verbi gratia, cognitum habet, ſe non **C** amare, & hac in occaſione, quando ſcilicet Chriſtum Dominum in ſe præſentem habet, bene rem ſuam agere deſiderat, hac, aut ſimili formula petere poterit.

Præſta, o dilectiſſime Rex, & pulcherrime animæ meæ Sponſe (qui in hunc mundum ideo veniſti, ut per dulciſſimum caritatis imperium in hominum cordibus dominareris) ut ex toto corde meo, & omnibus animæ, & mentis meæ viribus te diligam. Fac, Domine amantiſſime, ut non in me ſed in te, qui vita mea es, vivam, meque in te affectu quodam puriſſimo amoris tui transformem. Viſcera quoque mea amore tuo penetranti, & delicato transfige, ut ad ipſas medullas uſque perveniat, & mirabilem quamdam ſpiritus, & carnis meæ **D** diviſionem faciat, quo ſpiritus meus poſthac arctiſſime tibi unitus maneat, atque ipſum corpus tandem pertrahat, ut illud ad te, Domine mi deſideratiſſime, accedere deſideret, qui jubes ut te diligam, & in verbo hoc (amor) omnia quæ a me in lege tua obſervari mandas, comprehendiſti. Mitte in me, Domine, dulciſſimum illum ignem, quo cor tuum ardet, & da, ut omnibus in rebus aliud non quæram, quam unum te, qui vera animæ meæ tranquillitas. & centrum es. Aliud ergo a te non requiro, quam ut hoc cor meum igne tuo æterno inflammes, tantamque in me tui ſollicitudinem ac ſitim generes, ut nocte, & die ſemper propter te ſim anxius, atque hæc tui ſollicitudo, & cura ſemper me exſtimulet. ut ita omnibus **E** rebus, & occaſionibus utar. & ita novas inventiones excogitem, ut aliquam tibi per eas voluptatem afferam, omneſque creaturas emoveam, ut tibi ſerviant, te ament, ſeque tibi vinculo caritatis uniant.

Noſti, o infinitum animæ meæ bonum, quam ſim pauper, & miſer, niſi te amem; ex altera parte tu infinite miſericors es, & ad benefaciendum propenſus, & id facere, ſi tibi placuerit, ſine ulla difficultate ac damno tuo potes. Noſti præterea, ingens hoc me bonum non poſſe, niſi per donum, & gratiam tuam habere. Fac igitur mecum, o lux, & conſolatio cordis mei, prout, & animæ tuæ placuerit, & neceſſitas mea id poſtularit, & ego omnibus vitæ meæ diebus tibi placere, & in æternum te glorificare ſtudebo. Circa ſupradictum exercitium **F** notandum occurrit, non omnibus id promiſcue convenire: atque ideo non erit id niſi viris doctis, & litteratis ante in conſilium adhibitis, uſurpandum. Jam ſex elapſi ſunt anni, cum id in ejus gratiam perſonæ feci, quam longo jam uſu noram, compereramque aptam eſſe, quæ ipſum uſurparet. Nec ante id ei dedi, quam enixiſſime a me ipſum poſtulaſſet, ſimul etiam admonens, id nulli alteri poſtea communicaret. Sed hoc ipſa monitum nihil morata, alios ejuſdem participes reddidit: unde jam multi ſunt, qui illud habent, & exercent. Et fieri poteſt, ab iis id cum bono aliorum conſilio uſurpari. & fortaſſe etiam ſine ullo.

Exercitium hoc animum poſcit jam diu in **G** oratione, & mortificatione exercitatum. Fieri autem poſſet, nonnullos parum prudentes, dum ipſum legunt, & tot actus nobiliſſimos id in ſe complecti vident, ſibi perſuadere, pares ſe eſſe eidem uſurpando, interim tamen non advertere ineptos ſe fortaſſe ad hujuſmodi actus exercendos eſſe, atque ideo alios ſibi magis proprios omittere, proinde quam maxime illos decipi, dum veræ mortificationis ſtudio, & verarum virtutum acquiſitioni non intendunt, quæ per propriæ carnis caſtigationem, propriæ voluntatis, & appetituum abnegationem, perque regimen alicujus Patris ſpiritualis qui Dei ſit loco, cui pareant, obtinentur. Hac cauſa Lectoribus, ut bonam electionem faciant ſuadeo. **H**

◆

Scripta
An. 1608.
Ital. Idio.

Exercitium de reſpiratione & inſpiratione.

A PRæſuppoſita intellectuali, & imaginaria Dei præſentia; ſcilicet vel exiſtentia Domini Dei in omni loco, vel humanitatis Chriſti Jeſu Domini, quæ ceu via eſt nos ad divinitatem conducens; quo me majori ſpiritus incremento exerceam, & animam meam amabiliſſimo, & deſideratiſſimo Domino meo Jeſu Chriſto continuo uniam, & toto vitæ meæ tempore hac unione, & oratione, quantum quidem debiles meæ vires ſinunt, maneam, infraſcripto hoc exercitio utar, idque ſub figurarum quarumdam corporearum, quæ mea deſideria apta ſint exprimere, exemplo.

Cum certum ſit, Dominum ſemper me intueri, nec ſuos unquam a me oculos divertere, B & a divina ejus majeſtate, intuitu quodam ſimpliciſſimo, omnes conceptus meos diſtincte penetrari; ſi talem ego loquendi, & cum eo agendi modum invenire potuero, quo, vel per unum ſolum intuitum, multa ſimul illi offerre queam deſideria, & diverſos virtutum actus (& quidem eo modo, ut eum ipſe etiam præſentem, non multum impendendo temporis vel verborum, videam,) ſequetur, plus me breviſſimo temporis ſpatio operis præſtiturum, quam alias ne multis quidem horis præſtarem, idque ea facilitate, & ſuavitate, ut modus hic ad Beatorum cæli civium modum, & intuitum illum, quem diximus, Chriſti Domini quam proxime accedat.

C

EXERCITIUM.

DEbet Dominus præſens concipi per intellectum, & per imaginationem formari velut menſæ accumbens, & ego varias in eam patinas inferens, ſcilicet ſequentes has.

Prima patina plena eſt divitiis, puta gemmis pretioſis, & monilibus; ut ita meum per omnes creaturas, & principatus terræ affectum dilatem, utique ſi hæc haberem, illa in pauperes, & opera pia, &c. propter nomen Domini erogarem, donec ad tam extremam paupertatem redigar, ut a manibus Domini, & hominum ſtipe pendeam, & victitem.

Secunda lanx ſunt dedecora, infamiæ, D contumeliæ, & irriſiones: adeo ut mihi pergratum eſſet, ſi me omnes ut viliſſimam, & infamiſſimam creaturam haberent, & ut talem reipſa tractarent.

Tertia lanx plurimarum eſt pœnarum, dolorum, & diverſorum martyriorum: quibus ita me obiicio, & expono, ut tamen ipſe dolorum, infirmitatum, & mortis delectus a Domino Deo veniat, ipſa vero eorum paſſio per gratiam ejus ſit mea, concepto propoſito ei non contradicendi.

Quarta lanx, plena eſt omnium animarum, jam æterna beatitudine donatarum (ut excipiantur eæ, quæ in inferno agunt.) Hic Domino voluntatem, & cordialiſſimum offeram deſiderium illas, quæ, in peccato mortali, vel hæreſi, vel infidelitate verſantur, E ad ipſum convertendi; illas vero ad caritatis perfectionem adducendi, quæ reipſa in gratiæ ſunt ſtatu; adeo ut omnes omnino ad altiſſimum quemdam gloriæ gradum perveniant.

Quinta patina omnia continet corda, quæ tam in cælo quam in terra Deum amant, comprehendendo ſub illis etiam Beatiſſimæ Virginis, nec non Chriſti Domini noſtri cor; ita quidem, ut ea ſimul omnia habere, & immenſum quoddam puriſſimi amoris incendium ex iis facere vellem, in quo aſſidue, inceſſanterque conſumar: ſimul etiam vehementiſſimum quemdam de criminibus adverſus divinam ejus majeſtatem commiſſis dolorem habeam.

In his quinque capitibus prima, & præ- F cipua intentio eſt, Deo placere, ejuſque voluntatem adimplere, adeo ut etiam ea, quæ, in ultimis duabus patinis continentur, etſi, & excellentiſſima ſint, mihique utiliſſima, mea tamen cauſa velle ea non debeam, ſed propter ſolum Dominum Deum. Verbi gratia: velle cum infinita quadam puritate Deum amare etſi ex ſe res ſit nobiliſſima, mihique infinite utilis, & honeſta; verumtamen ipſum non mea cauſa volo, ſed tantum ut Dominum Deum per hoc recreem, dum cordis ſcilicet mei tributum illi perſolvo. Omnia autem hæc ſimul Domino multis de cauſis, multiſque modis poſſum offerre, qui tamen omnes ſubordinati, immo vero uniti ſint cum modo illo puriſſimo, G & altiſſimo qui ipſum concernit Deum, nulla prorſus ad creaturas, immo nec ad meipſum reflexione. Omnes vero illi, quos ſubnectam, modi non patinas illas ſolum, verum etiam omnes cogitationes, verba, & opera, quæ aſſidue exerceo complectuntur, & quod permagni intereſt, modi hi ipſum diviniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in quantum ſacrificium eſt, quod ab unoquoque noſtrum Patri æterno, cum Sacerdote ſacrificante, offerri debet, etiam comprehendunt. Adeo ut in ipſis offerendi modis nulla omnino conſtituenda ſit differentia, ſed bene dumtaxat concipiendum, & intelligendum ſit id quod fit, & magno cum affectu cor ei applicandum, ut ipſum ſumma cum perfectione fiat.

Modi ergo iis reſpondent rebus, ob quas H Deo debitores ſumus, nec non iis, quibus opus habemus, quo ad finem, ad quem conditi ſumus, perveniamus. Obligati ſiquidem primo Deo ſumus, ob beneficia naturalia, quæ nobis confert, propter creationem, inquam, & conſervationem, nec non propter ſupernaturalia, myſteriorum ſcilicet Incarnationis, ceteraque omnia mortis, & vitæ,

reſur-

Scripta An. 1608. Ital. Idio.

reſurrectionis, & aſcenſionis ejus, &c. Deinde etiam ob alia particularia, quod ſcilicet per Sacramenta ſimus juſtificati, & in juſtificatione conſervati, ac præſertim per Sacramentum Euchariſticum, adhæc propter inſpirationes, auxilia, præſervationes a malo, atque inprimis quod toties nos ab inferno liberarit, ac ſæpenumero jus, rationem, A & auxilia ad æternam hæreditatem contulerit, denique ob alia omnia, tum manifeſta, tum occulta, tam nobis quam aliis omnibus, etiam iis qui in Cœlo, Purgatorio, & Inferno verſantur, collata beneficia.

Hæc oblatio dicitur hoſtia laudis pro gratiarum actione. Obligati inſuper Domino infinitis nominibus ob peccata commiſſa ſumus; atque ideo per omnia illa ſupradicta procurandum nobis, ut pro iis, quantum nobis poſſibile fuerit, ſatisfaciamus, ſatisfactiones noſtras cum ſatisfactionibus Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis meritis conjungendo, ita ut per omnia illa ſimul, & per horum quodlibet, Deum placare, & honorare, (ſicut per culpam eum ad iracundiam provocavimus, & inhonoravimus) pœnæ quoque B debitæ propter eam, quam maxima poſſumus perfectione ſatisfacere conemur. Hæc vocatur hoſtia pro peccato.

Sumus adhæc Deo ob beneficia, quæ ab ipſo ſperamus, obligati, quia præter omnia beneficia naturalia, & ſupernaturalia ab ipſo accepta, multis etiam aliis beneficiis opus habemus, tum naturalibus, tum ſupernaturalibus, quo ad beatitudinem cæleſtem perveniamus, verbi gratia, in naturalibus quidem neceſſe eſt a Deo nos conſervari, eumque nobis de rebus temporalibus providere. In ſupernaturalibus vero, paſſionum mortificatione, nec non multis virtutibus, quin etiam perfectione Chriſtiana, denique dono perſeverantiæ opus habemus. Atque ideo, C ut bona hæc ſperata conſequamur, cogitationes, verba, & opera noſtra, illi in operum, verborum, & cogitationum Chriſti Domini, ac Beatiſſimæ Virginis unionem offerenda ſunt. Atque hæc dicitur hoſtia pacifica ex voto. Multo vero magis Domino obligati ſumus, quod ipſe ſit is qui eſt, ſcilicet ob majeſtatem ejus infinitam, bonitatem, pulchritudinem, aliaque attributa. Ideoque ob hæc magis, quam ob alios priores intuitus omnia noſtra, quin & nos ipſos illi offerre debemus, quemadmodum in lege veteri fuit adumbratum, in eo ſcilicet ſacrificio, in quo totum animal, & offerebatur, & comburebatur, ut totum reſolutum, & conſumptum in auras ſurſum evaporaret. Quo ſignificabatur, univerſum D hominem, & quidquid ejus eſt, Domini Dei eſſe dominio obnoxium, ideoque omnia illi eſſe homini offerenda, & ſacrificanda, nihil ut ſibi, vel in uſum ſuum reſervet. Atque hoc dici ſolet holocauſtum.

Porro ipſum Miſſæ ſacrificium, omnes haſce hoſtiarum differentias modo quodam excellentiſſimo continet; atque adeo omnes cogitationes, verba, & opera bona, apta ſunt, ut Domino Deo omnibus illis modis offerantur, ac proinde omnia illa, ſive deſideria, quæ quinque ſupradictis lancibus continentur, denique omne id quod cogitamus, loquimur, & operamur, hoc modo Domino Deo offerendum eſt. Deinde, ut ad praxin veniamus; cum jam in imaginatione repræſentaverimus nobis Chriſtum Dominum, ve- E lut ad menſam ſedere, & nos illi adſtare, paratos ut in eam ſupradictas illas lances inferamus; ſupponere debemus, Dominum Jeſum nos reſpicere, & accurate etiam inſpicere quid illi offeramus; nec multis apud eum verbis opus eſſe, ſed dumtaxat pactum quoddam nobis ineundum, in poſterum per ſigna, & nutus conceptus nos illius intellecturos, & noſtros illi ſignificaturos; ut etiam apud homines fieri ſolet, qui per manus certis quibuſdam ſignis ſibi invicem loquuntur, quæ ſigna communi conſenſu id ſignificant, quod ſignificari per eadem utraque pars voluerit. Sicut verbi gratia, ſi duo amici pactum tale mutuo inirent, ut quoties ſe invicem vident, ipſa brachii verſus amicum extenſio tantumdem ſignificaret, ac ſi F diceret verbo, mille ſe ei aureos, aut aliud quid ſimile donum dare: quo facto, aliud non dicendo, veniret alter, & illud acciperet. Hoc modo, ſemel pacto cum Domino Jeſu inito, aliud faciendum non eſt, quam illud ſignum ſemper dare; idque ex affectu vero, & cordiali: quia haud dubie id ipſe intelliget, acceptabit, & remunerabitur. Signum vero hoc erit ipſa reſpiratio, adeo ut, quotieſcumque reſpiro, virtute pacti, quod jam inde ab hoc momento ineo, ego anhelitum foras emittens, aliud dicere Domino meo Jeſu nolim, quam quinque illas lances me illi porrigere, una cum quatuor illis ſupradictis vere, & realiter offerendi modis. Adeo ut omnibus iis me ope- G ribus, & pœnis offeram, quæ lancibus illis continentur, ita ut in nullo prorſus mihi parcam; ipſe tamen infamiæ vel laboris mihi immittendi delectus ad beneplacitum Domini mei fiat. Et præſuppoſito, res eſſe numero paucas, nimirum quinque tantum illas lances, & eas me optime concepturum, & ad ſingulas reſpirationes Domino Jeſu porrecturum; ſequitur, breviſſimo temporis ſpatio ſat magnum me quæſtum facere: quamvis enim ad quamlibet reſpirationem nequeam ad eam Domino offerendam reflexionem facere, ſufficiet tamen ſi frequenter ſaltem id faciam: quia per hanc directionem aliæ etiam omnes reſpirationes, quæ inadvertenter fiunt, magni ſunt meriti. Sicut e contrario gravia illa peccata forent, H ſi ad finem aliquem malum ſupradicto illo modo dirigerem.

Verum res omnis in ipſa affectus applicatione conſiſtit, ut ſcilicet reflexionem illam ad inſpirationes meas ſæpe renovem, ita tamen ut nulla cerebro inferatur violentia; ſed perſeveranti quadam id ſuavitate fiat. Quod ſat facile factu eſt: ſicut in exemplo illo prius allato, de duobus amicis per nutus in-

in-

Scripta An. 1608. Ital. Idio.

invicem intelligentibus, facile admodum foret brachium verſus alterum amicum extendere, vel porrigere, per hanc extenſionem conventionis præcedentis virtute, ſignificando, quod ipſe brachii extenſor per hunc geſtum aliud non velit dicere, quam ſuam ſe amico rem, divitias, honorem, & vitam offerre. Quod ſi continuo ſingulis diebus id A fieret, facile admodum redderetur, & amor hoc pacto inter illos multum excreſceret, & in quaque brachii extenſione amicus unus alteri plus diceret, ac ſignificaret, quam productiori quadam epiſtola, & ſe mutuo brevius multo, majorique ſignificatione, & affectu intelligeret. Quandoquidem vero ſupradicta iſta reſpiratio apta ſit ad diſtincte ſignificandum quidquid diximus, quin etiam multo amplius utile erit, ſi illa quinque has lances, necnon multos virtutum modos, quæ valorem illarum adaugent, offeram.

Sicut, exempli cauſa, præſuppoſito, me ſpiritualiter quinque illas lances Chriſto Domino in illis diverſarum oblationum modis præſentare; poſſum etiam efficere, ut in iiſdem etiam diverſarum virtutum eluceant B modi: ſcilicet, ut has ego lances offeram primò, ad fidem teſtandam; deinde, ad Deum honorandum; tertio, ut ob accepta beneficia gratus ſim; quarto, propter ejus amorem; quinto, ut proximo opituler per interceſſionem: ſexto, quo Deo, qui mihi id inſpirat, & à me fieri vult, obediam, &c. Atque ita omnes actus, quæ alioquin unius dumtaxat forent virtutis, erunt multarum, illarum, ſcilicet quarum fine, & intuitu illos actus exercere cupio. Cum autem per hanc ipſam reſpirationem, velut per ſignum, aut nutum, poſſum cum Deo ex vi pacti ante initi ita ſtipulari, ut reſpiratio mea quædam ſit velut fidei meæ profeſſio, certa in ipſum ſpes, & cordialis quædam peccatorum ejus cauſa abominatio (quos actus, ut & alios ſupra exC preſſos, utile erit in ſingulis reſpirationibus exercere) jam inde ex hoc momento ſic ſtipulari volo. Omnia porro ſupradicta, & illorum ſingula, (quoad ejus fieri poteſt) tam ad immaculatam Virginem Mariam, quam ad dulciſſimum ejus Filium Jeſum dirigenda ſunt, adeò ut deſideria cogitationes, opera, & verba omnia quædam ſint oblationes indiviſim Filio, & Matri, quantum quidem poſſibile eſt, facere.

Quod eò dicitur, ut pauci aliquot actus excipiantur, qui cum ſoli divinæ ſint majeſtati conſecrati (uti ſunt offerre eos per modum holocauſti, &c., & alii qui proprie, & ſolum ad Dominum Deum, in quantum eſt Deus, diriguntur) Beatiſſimæ Virgini dicari nequeunt. At quantum ad D alios actus (uti ſunt illi, verbi gratia, offerre divitias ſuas, infamias amplecti, ejus cauſa diſcrimini vitam exponere, &c. quemadmodum in prædictis lancibus declaratum eſt) ſemper eam, una cum dilectiſſimo Filio ſuo comprehendere debemus.

Atque hæc hactenus de reſpiratione.

De Inſpiratione.

JAM verò ut de inſpiratione loquar, quæ aliud non eſt, quam aeris externi intra nos attractio (quod quodammodo accipere eſt, ſicut reſpiratio dare eſt, vel reddere) cupio, ut quoties ad me aerem attraho, toties cordiali quodam affectu Chriſtum Jeſum, & puriſſimam Virginem intra me at- E traham, Filium ſimul, & Matrem mihi quam affectuoſiſſime unire, & complecti deſiderans, id eſt, ipſas perſonas, cogitationes, verba, & opera eorum, nec non omnium juſtorum, qui cælo terraque continentur; ea denique meis cogitationibus, verbis, & operibus unire, ut ſic ego, quantum ad perſonam, cogitationes, verba, & opera in hac unione Domino Deo placeam: atque ſicut per inſpirationem illa intra me attraho, ita per reſpirationem in quinta patina rurſus ei reddo. Atque ita anima ſemper operatur, & promeretur, idque per continuam naturalem reſpirationem, & inſpirationem; ut etiam hæc conferat ad eam excitandam, & expergefaciendam, aliquot verò dierum exercitio facile id ſibi eſſe, & affectum diſtincte ſupradicto exercitio applicare poſſe comperiet. F

Quod, uti & reliqua omnia quæ cogitat, loquitur, & agit, non pro ſe modò faciet, verùm pro omnibus etiam, qui per ipſum apti ſunt juvari. Adeò ut velle debeam, & defacto velim, ut omnium prædictorum participes ſint illi, qui jam cœleſti gloria donati ſunt; quibus eſt velut hoſtia laudis pro gratiarum actione; omnes quoque peccatores terræ, quibus eſt hoſtia pro peccato; univerſi quoque juſti in mundo viventes, quibus eſt hoſtia pacifica ex voto, pro horum intercedendo perſeverantia; necnon animæ in purgatorio tortæ, ipſis ſaltem mediam mearum ſatisfactionum partem applicando: adeò ut ne quidem in materia ſpirituali quid proprii poſſidere debeam, quod non G commune aliis faciam: ita namque charitas magnopere creſcit, quo ſcilicet magis ſe diffundit. Ut autem exercitium hoc ſit perfectius, etſi quidem oblatio eo peracta modo, quem ſupra declaravi, permagni momenti ſit; non parum tamen proderit (præter reſpirationis & inſpirationis lucrum, quod cum præſentia Dei, & frequente ad illam reflexione, ſemper coniungitur) è quinque illis patinis, & quatuor hoſtiis ſingillatim modò unam, modò aliam accipere, & majori cum affectu eam offerre, & ponderare, quia in ipſa omnes virtutum, quæ ad perfectionem tendentibus neceſſariæ ſunt, actus continentur. Atque inde anima quàm breviſſimo tempore, majori diſtinctione, affectu, & facilitate hæc omnia comprehendit, ſentit, & offert, & plus per unam reſpiratio- H nem formatiorem, & affectuoſiorem proficit, quam alioquin per alias plurimas. Dei in hoc exercitio præſentia eſſe poteſt ea, quæ libuerit: quin etiam in quocumque tempore, & feſtivitate hi actus queunt illi præſentiæ Dei, quæ tunc exercebitur applicari, etſi illa vel circa paſſionem, vel circa gloriam cæleſtem verſetur.

Scripta An. 1608. Ital. Idio. Modus loquendi, & tractandi interius ut plurimum fiat cum ſecunda SS. Triniatis perſona, ſcilicet cum Chriſto Domino præſente, in ipſo reſpirando, id eſt, omnia ſupradicta, quæ percipiuntur per reſpirationem, illi offerendo eum quoque inſpirando, id eſt, intra nos attrahendo, nobiſque uniendo tum glorioſum, tum in paſſione deformatum, vel etiam prædicantem, vel in alia qualibet figura cum cordi noſtro imprimere ſatagendo, concepto propoſito (uti jam ab hac hora propono) aliud non A velle, cogitare, loqui, aut bonum mihi aliud procurare, quam dulciſſimum, & amabiliſſimum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & immaculatam Virginem Mariam.

Hæc eſt hæreditas, & portio mea, hæc eſt cordis mei ſatietas, & refrigerium, hæc deſideriorum, & ſuſpiriorum meorum requies, hæc eſt dulciſſima afflictæ, & laborantis animæ meæ vita.

Poſthac ſequentem ad Dominum aſpirandi modum his, aut aliis ſimilibus verbis uſurpabo: Imprime, ô dulciſſime Domine, & puriſſima aqua, quæ cor meum in mortalitatis hujus laboribus refrigerat, pulcherrimum vultum tuum centro cordis mei. Intra, ſuaviſſime animæ meæ Sponſe, in intimum medullarum mearum, & præſta ut de ſpiritu, & fortitudine tua vivam, quia tu es fortitudo, virtus, & vigor meus. Mihi, o amabiliſſima, & ditiſſima cordis mei præda, mori deſidero ut in te ſine fine vivam, in ardentiſſimo amoris tui delicatiſſimi igne conſumptus. Transfige, o vita, & lætitia mea ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & imperia, & omnes mundi mundanorumque voluptates deſiderabilis, viſcera mea caritatis tuæ jaculis. B Quis mihi det, Sponſe gratioſiſſime, ut ego moriar pro te, & omnes illæ infamiæ, improperia, & diriſſima tormenta, quæ mundus, & infernus adverſus te excogitarunt, ſuper me irruant, & pro his omnibus aliud præmium non habeam, quam ut dulciſſimo, & tenerrimo cordi tuo placeam, quod tutiſſimus portus eſt iis, qui propter te hic navigant.

* * *

ARS AMANDI
DEUM ALTERA,
SIVE
DE AMORE DEI
PARANDO, ATQUE TUENDO.

IN SEQUENS OPUSCULUM
PRAEMONITIO.

ID Operis, quod cum antecedenti multum convenit, Johannis omnino junioris foetus eſt. Autumaverim ſane, illud Genuae aut circa an. 1590. *dum ſtudiis vacabat, aut certe ſub ipſum ſtudiorum curſum anno* 1593. *quum primo Magiſter Novitiorum eſt denuntiatus, exaraſſe; quod praeter Noſtratium adteſtationem, ſtilus ipſe non adeo gravis, & libere fluens, necnon profanae eruditionis ſpontanea veluti frequentia, iuvenilem aeſtum, fervoremque ſaecularibus diſciplinis adhuc ebullientem ſatis ſuperque patefaciunt. Illud autem certiſſimum eſt, hunc multo ante praecedentem, de* Arte amandi Deum *Commentarium ſcripſiſſe, animo etiam eum typis committendi, ut ſcilicet multis prodeſſet, quemadmodum ipſe in Nuncupatoria Epiſtola teſtatur, & ſcriptae a miſero Poeta obſcoeni Amoris Arti veluti* ἀντίθεσις *eſſet. Verum ſenior factus, quaſi forte puderet, nimiam in eo profanae litteraturae pompam oſtentaſſe, quamquam ratione validiſſima, non humanae gloriae ambitione ſe feciſſe aperte fateatur in Praefatione Libri, illud ſemper occuluit, idemque argumentum alia planiori methodo reſumſit, ac retractavit ſuperiori Lucubratione. Nihilominus poſtremo Operum Collectori Colonienſi, noſtro Paullo ab omnibus Sanctis, viſum eſt, hoc quoque tanti Scriptoris monumentum blattis abſumendum minime relinquere, illudque quarto ſupremae editionis Tomo adjecit, a pag. 67. hac ipſi Johanni perhonorifica ratione, quam ſequenti ad Lectorem Monito ſic exerit, pag. 66. „ Licet ſubſequens de* Arte amandi Deum *Opuſculum, „ ab Auctore in juventute compoſitum, cum alio ejuſdem Tractatu ſupra Tomo ſecundo, folio 667. exhibito, in multis conveniat; illud tamen hic apponere placuit, ne ullus tanti Viri labor, & partus intereat; ſiquidem quod de Johanne Molano, Doctore Lovanienſi, Card. „ Baronius, idem, & quidem potiori jure, mihi de Viro hoc Sanctiſſimo „ atque eruditiſſimo, ejuſque ſcriptis ſentiendum videtur; videlicet, „* Tanti Viri, de Eccleſia Dei optime meriti, nec brevem ſchedulam „ deperire aequanimiter patior. *Ideo quoque, in hunc Tomum congeſſi „ omnia, quae habere licuit, Opuſcula, atque Opuſculorum fragmenta, Epiſtolas, ac Poemata. Boni conſule, Lector benevole, ſtudium „ noſtrum, & vale.* „

Heic tandem animadvertendum mihi eſt, hanc de Arte amandi Deum *tractationem eamdem illam eſſe, quam eruditus Auctor* Bibliothecae Carmelitanae, *tamquam adhuc Archivis lateſcentem ſic commemorat:* „ Ars „ amandi Deum, *praeter eum qui t. 2. continetur ad n.* 13. *annotatus; „ quem Pariſiis an.* 1668. *aſſervabat MS. Cherubinus a Nativitate Deiparae Carmelita Excalceatus, alias Definitor Provinciae Pariſienſis; „ qui de hoc ſecundo Tractatu certiorem fecit Ludovicum Jacob. „ Facta enim per nos omni exquiſitori diligentia, comperimus, MS. illud Commentarium Pariſienſe omnino ad litteram huic jam edito reſpondere.*

NO-

NOBILISSIMO SUPERNÆ HIERUSALEM

REGJ JESU CHRISTO

QUIDAM EJUS SERVUS S.

Tibi amantiſſime Deus, qui ſolus amoris partes omnes explere potes, liber hic debuit nuncupari. Votum eſt, quod ſuo redditur Auctori. Norunt enim univerſi, quos ad principatum provexit amor, nemini, præterquam Tibi, cæleſtem hanc vim acceptam ferri debere; ſed neque ſcriptionem ipſam, niſi Te indulgente in mentem alicui venire poſſe, perſpectum eſt. Quapropter, cum iniuſſo Tuo, ſcriptores profani, amoris ingenium exprimere, ejuſque parandi rationem inire conati fuerint, & ſcriptis ſuis, lectores ab amore Tuo longiſſimè diverterint; rationi conſentaneum viſum eſt, ab iniquis uſurpatoribus, rem hanc Tuam extorquere. Obſecro ergo Te, per amorem immenſum, quo perenniter flagras, ut votum hoc meum Tibi placeat, lectoribus proſit, & me quoque ipſum divini amoris Tui tedis inflammes.

AUCTORIS PRÆFATIO

AD LECTOREM.

NON immenſum fecit operæ pretium ſcriptor ille, qui amoris obſcœni præcepta contexuit; ac ſi homines, per ſe ſatis ad libidinem proni, calcaribus arte procuſis, egerent: præterquam quod re ipſa oculatè perpenſa, palam ineptivit, qui titulo minimè proprio, librum inſcripſit. Quî enim fieri potuit, ut proprium amoris calleret ingenium, propriamque tantæ rei notionem exprimeret, & (quod eſt operoſius) ejus parandæ rationem iniret; qui Jesum Chriſtum, (ſine quo verus amor eſſe nequit) tam altè ignoravit? Quomodo inquam verus amor, qui caſtitate nitêre debet, ab eo doceri potuit, qui Virginis Filium tantum abfuit, ut coleret, ut infame corruptelæ velut inſcriptum operi, quod tentabat, præfigeret?

Ovid. lib. 1. de Arte.

> *Eſte procul vittæ tenues inſigne pudoris:*
> *Quæque tegis medios inſtita longa pedes.*
> *Nos Venerem tutam, conceſſaque furta canemus,*
> *Inque meo nullum carmine crimen erit.*

Profectò immane crimen ſcriptor mendax admiſit, non enim opus erat, amorem inſanum, ſtimulis verborum urgere, nec homines ejus amore peritos, novis artibus erudire. Hoc certè opus ſcriptori Chriſtiano congruit, ut animos degeneres, amori vero neutiquam aſſuetos, arte juvet; non ſanè, quod amor divinæ pulchritudinis artis opus ſit; ſed quod præceptionibus, artis more compoſitis, incitetur. Eſt autem, ut opinamur, acceptus Deo labor; quo enitimur animos hominum, ad immortalem pulchritudinem, quadam velut amoris arte perducere; quod quanti ſit ponderis, è ſubjecta ratione patebit. Nihil ad inculpatè vivendum, impenſius optandum, quam ut recte quis amet: uno quippe amoris bene collocati ſtudio, quicquid ad hominis vitam excolendam, vel Philoſophi, vel Theologi requirunt, paritur, & augetur. Sive enim affectiones pravas interimere, ſive animo veras virtutes inducere, ſive demum rationis principatu potiri quis cupiat (quibus quaſi finibus honeſti laus omnis circumſcribitur) nihil amore compendioſius excogitari poteſt. Nimirum voluntas hominis, cujus affectio in univerſa ejus ſtudia tamquam ſulcis corrivata, perlabitur, quicquid agendum cogitandumve ſuſcipitur, ingenio afficit ſuo, vel honeſto, ſi rectè amet; vel turpi, ſi pravè amare conſueſcat. Quod ſanè pronunciatum adeò verum eſt, ut virtus quæque nihil aliud, ſi rem ſpectemus, eſſe videatur, quam unus ipſe amor, multis imaginibus velut expeſſus: amor quippè, propter honeſtum pericula obiens, fortitudo: amor immoderatæ voluptatis oſor, temperantia: amor tribuens cuique quód ſuum eſt, juſtitia nuncupari poteſt. Contra verò vitiorum turpitudinem, amoris unius contorſione ſuccreſcere planum eſt: avaritiam ſcilicet auri amor, luxuriam, obſcænus amor, ſuperbiam, exiſtimationis amor ingenerat. Liquet ergo ab unius amoris fonte, virtutum ac vitiorum prodire divortia, ut qui amoris vim perſpectam habere cupiunt, vel hoc ipſo alacrius in amorem honeſtum incumbant, turpemque depellant; quod uno conatu, bonum omne parare, malum omne procul arcere valeant. Quod verò ad ſcribendi modum ſpectat, perſpicuitati, & brevitati ſtuduimus. Tempeſtate quippe hac, ingenia, librorum mole opprimuntur; nec niſi ad modica vires ſuppetere videntur. Auctorum vero profanorum ſententiis crebro (nominibus ſuppreſſis) uſi ſumus, quod vitio verti minimè debet. Multa enim ejuſmodi auctores ad prodendos amoris affectus, tam propriè, tamque ſignificanter tradiderunt, ut non immerito à præclaris Scripturae ſacræ explanatoribus ad arcana ſenſa propalanda paſſim uſurpentur. Conſtat præterea, profanum amorem (quod graviſſimi Patres annotarunt) cum ſacro, miram ſimilitudinem gerere: quamobrem neceſſe eſt, ex ejuſmodi ſcriptoribus ad amorem divinum pro captu noſtro inſinuandum, peti poſſe non pauca, & quadam velut conſecratione purgari. Denique multi moroſi Lectores, adeo profana lectione capiuntur, piamque faſtidiunt, ut nihil unquam pium lecturi videantur, quod ejuſmodi ſcriptis non ſit intertextum. Res autem divinas, quaſi parum ipſis ſuaves, eo, quem probant ſapore condire, & charitati Chriſtianæ, & prudentiæ conſonum eſt. Bene quippè dixit ille:

Horat. de Arte Poet.

Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci,

Si quid verò minus dignum irrepſit, ſcriptori parcatur; quicquid autem boni repertum, clementiſſimo Deo feratur acceptum. Omnia demum S. Romanæ Eccleſiæ iudicio ſubduntur.

VE-

VENERABILIS
P. FR. JOHANNIS
A JESU-MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI
CALAGURITANI
LIBER
DE ARTE AMANDI DEUM
SIVE
DE AMORE DEI
PARANDO ATQUE TUENDO.

CAPUT PRIMUM.

De Amoris deſcriptione.

Scrip. An. circ. 1593.

A IPſa perſpicuitatis (quam exquirimus) ratio poſtulat, ut initio rei, quam molimur, amoris imaginem lectoribus ſpectandam obiiciamus. Amoris quippe nomen, vulgatiſſimum eſt, natura non item; unde multos paſſim offendimus, amori (ut ajunt) deditiſſimos, qui nihil ſane minus, quam ingenium amoris explorarunt. Error quippe gravis in hominum mentem irrepſit, & pro amore ſincero, adulterinum ſuppoſuit: animoſque, corporum elegantium forma captos, ab immortali pulchritudine deflexit. Quod ergo clariſſimi ſcriptores operibus ſuis præfixere, nos quoque præſtemus, & amorem, quà licet, deſcribamus. Amor eſt impreſſio prima, quam infert pulchritudo: quaſi planius dicamus: amor eſt affectio illa prima, quæ ſubit animum, mox ut rem pulchram inſpectat: illa inquam excitatio, qua urgetur animus, dum forma placet, quam, & propenſionem, & inclinationem in bonum, ſeu (quod eſt idem) pulchrum appellamus. Hinc liquet, amorem quemvis in bonum pulchrum ferri, obſervato tamen inſigni diſcrimine, quod ad artem hanc plurimum confert. Cum enim bonum, ſeu pulchrum inquiritur, non ſui, ſed voluptatis eliciendæ gratia, amor degener eſt, quem amorem concupiſcentiæ Patres appellant. Ex quo efficitur, amorem carneæ pulchritudinis (quo mundus conflagravit) degenerem eſſe: quippe, qui non rem, propter ipſam, ſed ordine præpoſtero, propter voluptatem affectet. Amor hic, pars quædam eſt amoris illius, quem φιλαυτίαν Græci nuncuparunt, quod ad ſe ipſum omnia referat, nec amicitiæ jura cuſtodiat. Verus autem amor eſt, qui ad amicitiam ſpectat, & extincta ſui cura, in ejus, cui vacat, bonum incumbit. Amorem verò adeo generoſum, imbecillis natura producere nequit: ſed cæleſtis gratia, quæ Deo congeneres partus edit, illum enititur. Amor hic ipſamet Charitas divina

Amoris definitio. B

C

Verus amor qualis? D

eſt,

Scrip. An. circ.1593.

1. Cor. 13. 5.

A

eſt, cujus actus eſt duplex : fertur enim in Deum ob ipſius bonitatem, ac pulchritudinem, & in proximum, propter Deum. Generoſitas, & ſublimitas amoris hujus ex Apoſtoli patet effato: *Charitas non quærit, quæ ſua ſunt*; nec enim ſui curam gerit, qui ſic amat; ſed ſemetipſum, & proximos Deo acquirit; quaſi non ſua, ſed ſolius Dei res agatur : quo certe ingenio nihil ſublimius excogitari poteſt. Impreſſio ergo illa, quam cordi pulchritudo, ſeu bonitas infert in amore hoc plane Chriſtiano, nihil eſt aliud, quam propenſio, ſive affectio, qua Jeſus Chriſtus forma præſtantiſſimus cor trahit, & ſibi propter ſe conciliat. Ex his profectò patet, quam longe ſcriptores Ethnici a propria notione veri amoris exulaverint, non ii ſolum, qui turpiter amarunt, & ſcripſerunt (e quorum numero fuit ille, qui admodum imperfectè, licet non falsò amorem deſcripſit ajens:

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Ovid Heroid. Epiſt. 1.

B

Amoris ac fruitionis diſcrimen.

C

D

Sed, & ii, quos velut homines cæleſtes, antiquitas coluit, quorum princeps in hoc genere Plato fuiſſe videtur. Si enim charitas aberat, nec aderat fides, qua illam, vel abſentem agnoſcerent : quo pacto amoris naturam noſſe potuerunt? Verum, quia non tam noſtra intereſt amorem noſſe, quam parare (plures enim ſpeculationis hujus ignari, perfectius, quam alii, ejus peritiſſimi amant) ad rem noſtram propius acceſſuri, diſcretionem quandam pro foribus artis hujus annotemus. Inter amorem, ac fruitionem longum patet intervallum, tametſi res altera ſit alteri contigua : amare quippe eſt, bonum amico velle : frui vero eſt, ſibi voluptatem haurire. Conſtat autem, primum abſque ſecundo non ſolum exiſtere poſſe, ſed plerumque perfectius, ac purius eſſe; ſincerior enim ac fidelior amor eſt, qui non modo voluptate libenter caret, verum dolores perfert, ac ſponte labores ſuſcipit, ut amico placeat. Verus quippe amor eſt (ut quicquid ad amoris naturam ſpectat complectamur) qui Divinam bonitatem, ſeu pulchritudinem, pluris quam ſe ipſum, cæteraque omnia bona facit, ita ut malit illius bonum, quam proprium, ſive temporale, ſive ſempiternum; & illius offenſionem potius, quam proprium interitum vitare velit. Hanc autem ſolidam amoris naturam, ſine omni prorſus voluptate, immo cum graviſſimis doloribus, moleſtiſſima Dei repulſa, & accerrimis tentationibus poſſe conſtare veriſſimum eſt. Hinc eſt, ut quamvis eximiæ voluptates ab amore promanent, ac omnia, quæ ab hominibus intemperantibus optantur, longiſſime ſuperent, ab artis hujus profeſſoribus, non oblectamenta, ſed adverſa potius experimenta expetenda ſint, ut veri amoris conſcientia poſſint oblectari. Quippe ars hæc amorem a concupiſcentia, milites ſtrenuos ab ignavis, divinos amatores a profanis aperte diſcriminat. Sed ad præcepta deſcendamus.

CAPUT II.

De Amoris delectu.

E

3. Reg. 18. 21. ibid.

PRincipio, formæ delectus habendus eſt, ne quis temerè amet, ſed apparentem pulchritudinem a vera ſecernat : de quo ſæpe in ſacris; verum clariſſimus ille vates Elias, omnium apertiſſimè hunc delectum populo ſic propoſuit : *Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum : Si autem Baal, ſequimini illum.* Significanter præmiſerat : *Uſquequo claudicatis in duas partes?* Quaſi luculentius diceret : Eligite jam, cui cordis partum primogenitum, hoc eſt amorem conſecretis. Quin & infelix ille ſic ait :

Principio, quod amare velis, reperire labora,
Qui nova nunc primum miles in arma venis.

Ovid. Lib. 1. de Arte.

F

Et quidem præceptio hæc prima, inſigni diſcrimine ſapientem a ſtulto diſcriminat; ſapiens enim, amoris negotium conſilio gerit, affectum conſilio regit : ne præceps intempeſtiva egregieque ſimulata venuſtate captus, in res turpes abripiatur : ſtultus verò trahi ſe impetu ſinit, & quaſi luminibus captus, quid amet, minime internoſcit; non enim honeſtum, ſed delectabile (quod ipſi cum belluis eſt commune) bonum exquirit, ac ita rapidè fertur, ſicque alieno dominatui ſe cœcus addicit; ſeroque ſapit, ſicut illa :

Fluctibus ejectum tuta ſtatione recepi :
Vixque bene audito nomine regna dedi:

Ovid. Heroid. Epiſt. 10.

Judith 16. 11.

G

H

Cant. 5. 10.

Profectò ſtultitiæ index notiſſimus eſt, ſic ſe agi quem ſinere, ac ſi motus amoris ſubiti (quibus cor excitatur) ad rationis lineam exigendi non eſſent. Didicerunt hoc, malo ſuo, ſenes illi ſceleſtiſſimi, qui Suſannam ex pacto circumſteterunt, & Aſſyrius ille, facilè inſanus, qui Judith pulchritudine repente captus eſt, ajente ſacro textu : *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus : pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus, amputavit pugione cervicem ejus.* Dignus plane, qui ſuccumberet Imperator : quo enim conſilio caſtra duceret, qui pedibus inſpectæ mulieris tam feſtinè ſuccubuit? Invaluit malum, ingraveſcente pondere amoris, quem nullum conſilium anteceſſit. Nunc verò ſi eligenda ſit forma conſilio, nemo tam rudis vel inſanus erit; qui rem tanti ponderis non accuratè penſitet, triaque potiſſimum captet, quibus animus præſertim allicitur, pulchritudinem ſcilicet, venuſtatem, ac leporem; quorum primum rei, ſecundum actioni, tertium ſermoni reſpondet; unde amor omnis exiſtit. Primum ſeligi debet exacta pulchritudo, cujuſmodi eſt illa, cui oraculo dicitur : *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Si enim datur optio, cujus erit dementiæ, mediocrem aliquam, non verò abſolutam omnibus numeris formam optare? Non malè dixiſſet huc acutus ille, ſi ſenſum altiorem, ſub ejuſdem verbis concepiſſet :

Dum

Scrip. An. circ. 1593.

Dum licet, & loris paſſim potes ire ſolutis,
Elige, cui dicas; tu mihi ſola places.

Ovid. lib. 1. de Arte.

Pulchritudo quid?

A

Quapropter cum ſola Jeſu Chriſti pulchritudo ſit abſolutiſſima, eligendique fiat copia; miror, illum pene ſolum reſpui, turpiſſimo duntaxat amore graſſante. Et quidem pulchritudinem (quæ proportio membrorum eſt, cum quadam ſuavitate coloris) ſolius eſſe Jeſu Chriſti, tam eſt exploratum, ut apud Orthodoxos non probandum, ſed memoriæ (unde paſſim excidit) inſerendum ſit. Non enim divina modò, verùm & corporis illius immortalis, adeo mira pulchritudo eſt; ut vel unius manus candor ſuaviſſimus incredibili quodam amoris imperio cor ſauciet, atque devinciat; quemadmodum qui rem divinitus experti ſnnt, miris encomiis aſtruxerunt. Res creditu facilis apud ſapientes; ut tam formoſa manus, cujus vim animus quaſi liqueſcens ferre nequit, omnem mundi pulchtitudinem, laude vincat immenſa, & animum divina patientem, felici quaſi morte ſuſpendat. Cui, utinam hæc ſcribens, dicere poſſem, quod quidam fruſtra laudatus:

S. Tereſia.

B

Protinus hæc ſcribens, felix i littera, dixi:
Iam tibi formoſam porriget ille manum.

Ovid. Heroid. Epiſt. 17.

Porrò, ſi manus una, vulneris ruborem candori permiſcens, tam inſigni pollet amoris energia, quid de forma tota lectiſſima ſuſpicemur? Quàm merito Filio Dei formoſiſſimo illud congruit: *Specioſus forma præ filiis hominum*. Quàm eſt ad trahendum efficax forma illa, cujus laus eximia eſt, ut regnare poſſit? ſicut ſcriptum eſt: *Specie tua, & pulchritudine tua: Intende proſpere procede, & regna*. Nihil eſt enim, quòd fortius agat, & imperioſius dominetur, quam divina pulchritudo, cui avidiſſimè pectora, quantumvis ferrea, ſatagunt adhærere, ob immenſam, quæ percipitur voluptatem; cujus in carnea pulchritudine, argumentum quoddam extulit ille:

Pſal. 44. 3.

Ibidem. 5.

C

Torva leæna lupum ſequitur: lupus ipſe capellam:
Florentem cytiſum ſequitur laſciva capella:
Te Corydon, ô Alexi: trahit ſua quemque voluptas.

Virgil. Bucol. Egl. 2.

Sed Jeſu Chriſti dulciſſimæ pulchritudini ex manu ſignificatæ, & in tertium caput dilatæ, venuſtatem ſubtexere æquum eſt. Verùm, & hanc effari ἀδύνατον eſt; efficaciſſimam quippè in obtutibus, motu, geſtuque Chriſti vim, quæ venuſtas appellatur, quis præter ipſum cæleſtis eloquentiæ parentem poſſit exprimere? Sanè mulier quædam adhuc pudica, notas hoſpitis cujuſdam, nutibus ſenſa indicantis, ſic expendit, ac protulit:

D

Tu modò me ſpectas oculis animoſè protervis:
Quos vix inſtantes lumina noſtra ferunt.
Ah quoties digitis, quoties ego tecta notavi
Signa, ſupercilio pene loquente, dari.
Orbe quoque in menſæ legi ſub nomine noſtro,
Quod deducta mero littera fecit; Amo.
Credere me tamen hæc oculo renuente negavi:
Hei mihi, jam didici, ſic quoque poſſe loqui.

Ovid. Heroid. Epiſt. 16.

Et ut proderet, quam vim geſtus illi, viſceribus indidiſſent, proximè ſubiecit:

His ego blanditiis, ſi peccatura fuiſſem,
Flecterer: his poterant pectora noſtra capi.

Ibid.

E

Vix credi poteſt, quam venuſtas placeat; multos quippè non tam forma, quam actionum elegantia inſignivit, & gratiores fecit, quam ſi forma præſtitiſſent, quæ nulla venuſtate niteret. Fit nempe forma venuſtate nitidior, & vegetior, iners alioquin, & ad excitandum amorem inepta. Ex quo ſatis liquere poteſt, quanta ſit in hoc genere, venuſtiſſimi Jeſu Chriſti laus; cujus tot ſunt amoris incitamenta, quot moderatiſſimi, & jucundiſſimi motus, & geſtus. Quam ſapienter dictum: *Decorem indutus eſt*. Decor enim, ſeu venuſtas pulchritudinis veſtis interpuncta, & ornatus elegantiſſimus eſt; quo animus mirificè mulcetur ac incenditur. Quis autem vel ſolam corporis illius immortalitate præditi dignitatem, ex inceſſu, conſeſſu, ſtatu, motu, geſtuque conflatam, dignè queat efferre? etenim omnis langueat dicendi facultas neceſſe eſt, cum in rem tam excelſam incurrit. Cernere plerumque licet homines deformes, mira quadam vultus hilaritate, agendique comitate adeò excellere; ut ob innatam gratiam, a latere principum vix unquam divellantur. Alios videas contortis ſuris equo eleganter vehi haſtam mira dexteritate torquere, animoſque (non oculos ſolum) intuentium, erga ſe vehementer afficere. Jonathas, cum Davidem a cæde Philiſtæi revertentem, & ſingularem animi magnitudinem, geſtu præferentem intueretur, amoris incendio deflagravit. Jam verò Chriſti actus ejuſmodi, ad emollienda corda opportuniſſimos, ſive reſurgentem, ſive in cælos penetrantem, ſive è regio ſubſellio imperantem contemplemur, operoſum eſſet recenſere. Enimverò cum adhuc mortalis eſſet, non miraculorum vi tantum, ſed conſuetudinis ſuæ voto, populos totos quam ſuaviſſimè trahebat, melius certè quam ille:

Chriſtus venuſtiſſimus dictus.

Pſal. 92. 1.

F

Animi magnitudo Davidis notata.

G

Dictus, & Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda,
Ducere quo vellet ....

Horatius Poetic.

Quis enim non traheretur, ſi maris procellam imperio ſedantem, ſi elephantiaſin tactu detergentem, ſi juſſu mortuos excitantem, ſi teterrimos peccatores mitiſſimè amplectentem, propugnantemque videret? Profectò nix ſole tabeſcit. Theatra clamoribus fervent, cum quis pugilem deturbat; intrepide cum feris congreditur: cum injuſto duello alteruter vincit; oculique voluptatem ex crudelitate percipiunt. Qualem ergo ex amantium cordibus affectum erumpere deceat, cum in celeberrimo totius mundi theatro, Chriſti hoſtem ſæviſſimum

H

ccrip. An. Sirc.1593. domantis, humani cordis feritatem lenientis, tartarum proculcantis, vim, dexteritatem, ac fortitudinem intuentur? Verùm ſi actuum venuſtorum ſola commemoratio cor emollit, quid opinemur, de arcana illa conſuetudine Chriſti, dum animæ ſibi deſponſæ blanditur, ægramque delinit? Succedit A jam lepor, tertia videlicet nota, quæ ad amoris delectum exquiritur, cujus ea laus præcipua eſt, ut quo vult, animos impellat; eo certè more, quo tubæ in bellis, animos acuere ſolent, ut dixit ille:

Virg. 6. Aen. v. 164.

Miſenum Æolidem, quo non præſtantior alter,
Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

Hæc oratorum, quos mundus admiratur, gloria eſt; ut lepore valeant, & ita principum animis, quemadmodum illi populis, dominentur; niſi quod ſuavior eſt leporis principatus, qui viros fortiſſimos, & ſapientiſſimos, exteros quoque, auditu capit, atque ſuſpendit. Nec tam citò ſanè, quàm corporis pulchitudo marceſcit, immò ad extremum uſque diem cum animo perſtat: B proptereaque ſedulò paratur ab iis, qui amari cupiunt, quod monuit ſtultus quidam:

Ovid. lib. 2. de Arte.

Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos,
Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.
Nec ſemper violæ, nec ſemper lilia florent:
Et riget amiſſa ſpina relicta roſa.
Et tibi jam venient cani, formoſe, capilli:
Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.
Jam molire animum, qui duret, & aſtrue formam.
Solus ad extremos permanet ille rogos.
Nec levis ingenuas pectus coluiſſe per artes
Cura ſit, & linguas edidiciſſe duas.
Non formoſus erat, ſed erat facundus Ulyſſes;
Et tamen æquoreas torſit amore Deas.

Lepor, quid? Lepor ergo (qui eloquii ſuavitate conſtat, C & dum è dicentis ore, in auditorum animos avidè patentes, illabitur, cordibus imperat) quantus in eo erit, qui linguas infantium excolit, facitque diſertas? Porrò vim habet inſignem illud è Cantico: *Vox* Cant. 2. 8. *dilecti mei.* Oratio Ecliptica eſt: majora nempe, quam prodit, ſilet; non enim potuit ſponſa vocis ſponſi leporem dignè commendare: propterea imperfectam orationem conſultò reliquit. Cujus certè ſenſus, non quivis è media plebe ſit teſtis, ſed ii facile pauci, qui dulciſſima Chriſti familiaritate fruuntur. Experti profectò tradunt, vim ſermonis illius (quem animus quaſi tenuis auræ ſibilum excipit) eam eſſe, quæ cor hominis, denſis tenebris occæcatum, & turbulentiſſimis fluctibus agitatum, uno ſaltem D verbo, illuſtret, ac ſedet; ſcilicet imperio vocis *Congregat, ſicut in utre, aquas ma-* Psal. 32. 7. *ris, & ponit in theſauris abyſſos.* Senſerunt hanc vim planè divinam nonnulli, qui Jeſum Chriſtum concionantem audierunt; ut mulier, quæ vocem è media turba viriliter extulit, & Petrus, qui æternæ vitæ verba proferentem impotenter amavit: quorum veſtigiis inſiſtentes, leporem tantum; ſpreta mundi forma, eos qui amori navant operam, oportet expetere.

CAPUT III.

De Jeſu Chriſti pulchritudine.

NON eſt adeo levis exquirendæ pulchri- E tudinis cauſa (quam in primo capite indictam reliquimus) ut perfunctorie agenda ſit: immò cum ab hac una, totum artis hujus pendeat inſtitutum (ab ipſa enim omne amoris opus ducit originem) par eſt, ejus ingenium accuratius explorare; ut pateat, unam Jeſu Chriſti formam, poſthabitis univerſis creaturis, prudenter optari. Et ut a rei definitione petamus initium, ponendum eſt, quod ante tradidimus: Pulchritudinis definitio. pulchritudinem eſſe membrorum, partiumve proportionem, cum quadam ſuavitate coloris; quaſi dicamus: illud verè pulchrum eſſe, cujus partes mutuo conſentiunt, cum inducto quodam ſplendore, ſive nitore: quod in rebus F corporatis, ut jacet; ſed in corporis expertibus, altiore quodam modo, ac magis proprio accipiendum eſt. Deinde ſtatuenda priſcorum Theologorum ſententia, quæ pulchrum, & bonum, idem eſſe ponit: niſi quod pulchrum lætius quiddam, & ſuavius eſſe videtur. Sententia verò hæc, quàm ſit rationi conſona, ex illo univerſali patet pronuntiato: Bonum quale? *Bonum eſt, quod omnia appetunt;* quod & pulchro proprie congruere perſpectum eſt: omnia quippe pulchritudine capiuntur, quæ ſuaviſſimo quodam imperio, cordibus univerſis principatur, quod per quotidiana experimenta ſine ulla controverſia patet. His ergo poſitis, qui pulchritudinis ingenium noſſe cupit (ne quod eligit, turpiter ignoret) in re quavis animadvertere debet, quidnam ſit illud, quo animus capitur; & in eo pulchri rationem, ſeu proportionem (quam deſcripſimus) deprehen- G det; quod ſubjectis liquebit exemplis. Exemplum. Principio, cum quis aulam inſigni artis architectonicæ laude frequentem inſpectat, ſi rogetur, quanam re præſertim alliciatur, reſpondebit: columnas æquis interſtitiis diſpoſitas, & marmore polito ſimillimè nitentes, aream æquilatam, portas ad numerum patentes: ædificii altitudinem latitudini, ac longitudini quadrantem: cubicula, cum januis, & feneſtris è regione inter ſe conſentientibus, ad ſymmetriam diſtincta, & ſine maculis candentia ſibi placere: ac propterea in aula productiùs immorari. Simile quid- Alterum. dam in hortis videre licet: calles enim ad lineam recta procurrentes: areæ ad normam quadræ, & molli terra conſperſæ: intercur- H rentes aquarum ſulci, arbores ad ſpatia æqua conſitæ: opera topiaria, quæ mira varietate res etiam animatas effingunt, & viror ille ſpectatoribus arridens, animum mirificè delectant; & a cœpto itinere ſæpe retardant. Nec a noſtro abludit inſtituto, exer- Tertium exemplum. citus ad prudentiam militarem diſtributus,

&

& inſtructus : ſive, cum agminibus porrectis viam carpit : ſive, cum caſtrametatur : ſive, cum ad conflictum accingitur. Ille quippe mirus diverſarum functionum ordo, præſcriptæ cuique ſtationes, levioris, & gravioris armaturæ diſcrimina, vexilla ſubrecta, ſigno dato, pene ad momentum enſes diſtricti, haſtæ infeſtæ, vibrata miſſilia, ad numeros muſicos percrepantes tubæ, ac denique armorum ſplendor intuentes oppido movent, ac oblectant.

A

Quicquid ergo exempla hæc tria complectuntur, quod animos permulceat, nihil eſt aliud, quam proportio partium harmonice conſpirantium, cum quadam ſuavitate coloris, ſive nitoris, quæ eſt ipſamet pulchritudinis definitio : quæ in re quavis alia, concinne diſpoſita, proculdubio ineſt. Diximus in re quavis alia concinne diſpoſita, ut innueremus rem aſpectabilem eſſe debere, cujus proportio oculis perſpici poſſit : nam quæ in alio genere, ſenſus alios oblectant, ſuavia, mollia, & aliis ejuſmodi appellationibus, at non ita proprie pulchra nuncupantur : pulchritudo quippe refertur ad notitiam, qua proportio, & color, nitorve percipitur; qua potiſſimum ratione, a bonitate, latius patente, ſecernitur.

B

Animadverſio.

At nunc animadvertere opus eſt, pulchritudinem, quam hucuſque deſcripſimus, non uſquequaque propriam eſſe, utpote rebus etiam ſenſus expertibus congruentem : conferre tamen non parum, ad corporum elegantiam pernoſcendam, ut modò dicemus. Gradu ergo facto ex iis, quæ præmiſimus, exploratum eſt, ad corporis pulchritudinem, proportionem, coloremque requiri, ut corpus pulchrum appelletur, quod præter integritatem, juſtamque magnitudinem (quæ duo formam præcurrere debent) habet partes, apta proportione in unum conſpirantes, ut nihil diſtortum, convexum, depreſſum, vel aliter a naturæ perfectione devium appareat, quod elegantiam corporis diminuat.

C

Qua de re ſcriptores non ſacri plura, quam par eſſet, commenta ediderunt : cum enim (Deo ſic providente, ad concupiſcentiam temperandam) nullum apud mortales corpus omni ex parte pulchrum reperiatur; multa illi eleganter confingunt, ut ſcriptas ſaltem imagines pulchras oſtentent. Quapropter non erit opus, ea de re quippiam hic attexere; ſed annotare, quantæ ſit energiæ, modica hæc mortalium corporum multis deformitatibus immixta pulchritudo, quæ corda quantumvis generoſa ſubjugat, & ſuaviſſimo dominatu ducit, quo vult. Honorificum creditur, illi parere, ac pro illius dignitate bella ſuſcipere.

D

Mulierum pulchritudo ad regnum evecta.

Mulieres non paucas humili loco natas, ad regnum ſola forma provexit, quo nihil majus homines ambire didicerunt. Sed quantæ ſit formæ laus, vel ex hoc ſolo capite liquet, quod Spiritus Sanctus, bona illa eximia, vel arcana animæ, in Dei ſponſam accitæ, non alia, quam pulchri corporis imagine in Cantico Salomonis adumbravit : quaſi res hæc divina ſit, quæ res divinas aptè repræſentet, ac Deum amore captum, velut in tabula quadam, humano captui attemperata, ſpectandum obiiciat. Cum igitur mortalis pulchritudo, quæ ferrea quoque corda domat, vi tanta polleat, quis hinc non incipiat præſagire, corporum ſaltem immortalium pulchritudinem?

E

Profectò mortalis hæc nimis citò perit, ut queſtus eſt ille :

Quam cito (me miſerum) laxantur corpora rugis,
Et perit in nitido, qui fuit ore, color.
Quaſque fuiſſe tibi canas a virgine juras,
Sparguntur ſubito per caput omne coma.

Ovid. lib. 3. de Arte.

Quod cum ita ſit, arte comparatur, quod natura ſenſim amittit, ut ait ille :

Fæmina canitiem germanis inficit herbis,
Et melior vero quæritur arte color.

Ovid. Ibid.

At, hæc ars ætate ingraveſcente deficit, & mors demum cuncta depaſcit. Quamobrem prudentis æſtimatoris eſt, hanc ipſam corporum, qua trahitur, formam, multò abſolutiorem, nec jam morituram, ſed ævo ſempiterno permanſuram optare.

F

Si enim ſponte ſua imperfectæ pulchritudinis imperio (cui reluctari neſcit, quia placet) ſeipſum addicit, quantò ſit honeſtius, ei formæ ſervire, quæ cum interire non poſſit, nulla unquam turpitudine valet deformari?

Beatorum corpora mortalibus pulchriora.

Rationis pondus hoc eſt : corpora Beatorum, mortalibus corporibus eſſe multò pulchriora. Et quidem ratio hæc efficit, corpus quodlibet jam immortalitate præditum, & perfectiſſimi ſtatus illius nobilitate decoratum, omni mortali pulchritudine antecellere; adeo ut, ſi a quolibet quantumvis libidinoſo ac intemperanti homine cerneretur, repente totius decoris mortalis oblivionem induceret.

G

Quis enim expendat, quanta formæ perfectio, quantus nitor ſtatum illum ſublimiſſimum deceat, quem deformitas nulla decere poteſt? Si verò corpora gloriæ pulchritudine conſpicua, licet in eo genere poſtrema, quicquid orbis noſter admiratur, excellunt, & divinum quiddam ſpectaudum exhibent, quid de abſolutiſſima Jeſu Chriſti corporis forma ſentiendum erit.

Chriſti pulchritudo notata.

Puriſſimus ille ac ſuaviſſimus candor formoſiſſimi corporis, membris in ſtaturam Rege dignam conſentientibus, infuſus : pulchritudo illa, majeſtatis plena, quæ auguſtiſſimum caput exornat; oculorum cæleſtia lumina, urbem totam intuitu perluſtrantia, & exhilarantia : erectum, & quaſi ex ebore politum collum, brachia, manuſque velut torno ducta : &

H

quicquid a pectore ad ſummos pedum digitos procurrit, honeſtiſſimo decore lucens, quantam obſecro pulchritudinem componant? Immenſam certe, ut Beatorum oculos corporeos, ampla mercede remuneret; nihil enim æquè formoſum, ac jucundum, corporis oculi, gloriæ luce illuſtrati, poterunt intueri.

Et Virginis Mariæ.

Licet enim ſplendidiſſima cæli Regina, elegantiſſima, & ſuaviſſima forma univerſorum Cælitum corda demulceat : Regis ta-

Scrip. An. circ. 1593.

tamen corpus multò altiore, ac efficaciore pulchritudine præſtat. Et tamen inter multos ejus generis laudes, quæ Regis tanti ſunt propriæ, hæc (quam leviter attigimus) minima eſt, & cum iis, quæ latent, neutiquam comparanda. Quis enim animæ Chriſti decorem, ulla dicendi vi poſſit æquare? A Profectò, qualis ſit interna pulchritudo, quæ ex divinæ gratiæ ac virtutum omnium proportione conſurgit, tam eſt explicatu difficile, ut vel minimum ejus generis gradum exprimere, humanæ non ſit eloquentiæ.

Anima nobilior corpore.

Quantò enim anima corpore nobilior eſt, tantò interna forma, externa perfectior eſt: adeo ut quaſi pro nihilo ducatur quicquid lucet exterius; & tota pulchritudo latere dicatur interius ſicut ſcriptum eſt: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus*.

Pſal. 44. 14.

Ibi nitet imago Dei, ibi ſplendet ſpecies virtutis, ibi mentis vultus eminet, & anima, quaſi mundo muliebri compta, Divinitatis luce perfunditur. Quid autem deſiderari poſſit ad exactiſſimam pulchritudinem, ubi animæ decor, & ornatus, ipſe Deus eſt? Obſtupuit Joannes, B & forma captus, dixit ſe novam Hieruſalem vidiſſe: *Sicut ſponſam ornatam viro ſuo*.

Apoc. 21. 2.

Viro inquam illo, qui Sponſus ejus eſt. At nos in re tam arcana, conatibus noſtris tenuiſſimis parum proficimus: ratio verò rem abſtruſam, ſæculo futuro cernendam, interim perſuadet. Si enim divinæ ſapientiæ ac juſtitiæ eſt, corpus rude, carnis pondere grave, cœni concretione ſordidum, belluarum pabulo aſſuetum, cæleſti forma inſignire: quid de anima, genere ſublimi, regno nata, Angelicæ naturæ finitima, divino quodam ingenio prædita, opinemur? Et ſanè ratio hæc, ab animæ ingenio petita, convincit, naturalem ejus pulchritudinem rebus univerſis aſpectabilibus longè præſtare, ac propterea majorem voluptatem C inde, quàm ex aſpectu perfectiſſimorum corporum, percipi poſſe. At ſi pulchritudo cælitus infuſa ponderetur, incrementum parit immenſum. Quanta ibi ſerenitas, quanta excelſitas, quam divinus candor, quàm ſuavis rubor, cæteræque dulciſſimæ pulchritudinis partes, quæ ſaxea corda poſſent eliquare? Profectò ſi quis non modò elegantiſſima corpora, ſed animas, & Angelos naturali tantum forma ſpectandos produceret, & unius duntaxat animæ, ſupernaturalem formam adeptæ, ſpectaculum exhiberet, univerſos & oculos, & animos anima ſic affecta, ſibi ſoli totos vindicaret. Tanta eſt ſupernaturalis pulchritudo. Jam vero, ſi licet beatarum animarum, Angelorumque innumera millia ejuſmodi forma præſtantia, mentis oculis circumſpicere, D quanta vis amoris exiſtet? Quem obſecro ferreum animum decor tantus non emolliet? Rem hanc certè grandem admirari licet, perſcrutari non licet: ſilentio hic, & alta penſitatione utcumque concipi poterit, majus quiddam, quàm vel ſcripto, vel ſermone poſſit effari.

Animae Virginis Mariae pulchritudo notata.

Verùm ſi quis, elato capite, formoſiſſimam Beatiſſimæ Virginis animam (tantò, & hominibus, & Angelis pulchriorem, quantò Deo propinquiorem) ultra univerſas Angelorum hjerarchias ſub Deo reſidentem, poſſet intueri, quam vehementer conflagraret? Anima illa, lectiſſimo, ac puriſſimo corpori ſociata, Urbem totam cæleſtem, pelago quodam ſuavitatis E exorbet, & dulciſſima pulchritudine corda cuncta prædatur. Sed hanc formam divino nitore lucentem, taciti commendemus, ne candor tantus imperfecta laudatione obnubiletur.

Et Chriſti Ieſu.

Ad excelſiſſimam Jeſu Chriſti animam ventum eſt, fruſtraque rem majorem moliamur, cum nequiverimus minores exprimere. Conjecturis opus eſt, & ſublimi quodam volatu mentis in arcana Dei penetrantis; at hoc minimè valemus. Brevibus menſuris, orbis molem, cælorum ambitum, & magnitudinem ſolent homines, è locis etiam humilibus dimetiri, & in hunc modum expenſa minore pulchritudine per numeros innumeros ducta, eò poterit accedi, ut formæ ipſius abſolutiſſimæ, exigua ſaltem, ac rudis notitia concipiatur: vix enim mentem F ſubit modus alius, ad rem tantam opportunus. Cum ergo extra controverſiam ſit, animam illam, toti, & animarum beatarum, & Angelorum, & ipſius Beatiſſimæ Virginis pulchritudini in unum collatæ, forma præſtare: quis non ſuſpenſus hæreat, & coram ſplendore tanto, ſiliens, obſtupeſcat? Quàm copioſè Divinitatis decor in animam illam ſibi unitam influit? Quàm rubet, candet, ſplendet, ac cæteris Dei perfectionibus imbuitur? Hæc una formæ laus, quicquid cogitari poteſt, facilè vincit, & lætiſſimo ſpectaculo civium Cæleſtium corda permulcet. Sordent omnia pulchritudinis figmenta, quæ homines intemperantes dementare ſolent: nec fas eſt, cum re G hac planè divina carneam formam ullo pacto conferre. Quis ergo jam non diſpiciat, quàm ſit hominis mente indignum, Chriſti decorem non affectare; cum in una ipſius anima pinguior, quàm in cunctis creaturis, amoris paſtus exiſtat. At itinere cæpto pergentes, & in quodam quaſi veſtibulo Divinitatis, paululum cunctantes, annotandum exiſtimamus, ea quæ hucuſque protulimus, licet ſeorſum expenſa ſint magna, cum iis tamen, quæ non exprimere, ſed indicare paramus, multò certè minus, quam cum Empyrei cæli ambitu exiguam arenulam poſſe comparari.

Dei pulchritudo infinita.

Conſtat enim Dei pulchritudinem infinitam eſſe, & quicquid perfectionis excogitari poteſt, eminenter habere, cum tamen nullius creaturæ perfectio ſit tanta quin aliquid ei addi poſſe, ſemper liceat cogitare: potuit ſanè Deus ſupremæ H creaturæ ſapientiam, gratiam, charitatem augere: pulchritudinis verò Dei nullum incrementum mente concipi valet. Quod apertius conſtabit, ſi Theologicè cogitemus, eam in Deo vim pulchritudinis, ab æterno extitiſſe, quam nulla creatura elegantiſſimarum formarum numeris, per annos innumeros multiplicatis, cogitando poſſit exæ-

qua-

Scrip. An. circ. 1593. quare: ea quippe infinitæ perfectionis ratio eſt; quomodo enim ſit infinita, ſi (vel cogitando) ad ejus finem poſſit perveniri? At penſitatio hæc, ex ipſa Chriſti anima, luculentiùs intelligetur: cum enim oſtenſum ſit, eam unam, univerſis creaturis in unum coactis, forma longiſſimè antecellere: & aliunde (per rationem ſuperius allatam) A conſtet, innumeras ejuſmodi animas, ſine fine computandas, Deo æqualem pulchritudinis vim, non poſſe conflare: efficitur, ut exile ſaltem illius immenſitatis veſtigium, quaſi calculo ſubducto, queat deprehendi. Ceterum mens deficit, & in altam quaſi caliginem immergitur, Divinæ pulchritudinis pondus conceptura. Ibi tranquilliſſimum mare pulchritudinis, inde ſereniſſima lux, puriſſimus candor, ſempiternus ac ſuaviſſimus decor, & quicquid in eo genere perfectionis exoptari poteſt, velut è perenni fonte, in animas felices illabitur. Hic eſt torrens, Pſal. 35. 9. de quo ſcriptum eſt: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, & apud te eſt fons vitæ.* Abſolutiſſima enim ſpecies illa Dei, ſe inſinuat in corda Beatorum, & ineffabili ſuavitate vitam divinam infundit. B Hæc ergo pulcherrima Dei forma, faſtigium encomii hujus eſt, quo Jeſum Chriſtum, amore digniſſimum proſequimur: quod altè perpendendum eſt. Fortiſſima igitur ratio, à divina forma petita, quem niſi prorſus amentem non vincet, ut (ſi amoris arti vacandum eſt) ſolum eligat illum: Philipp. 2. 6. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Sola certè pulchritudo Dei, ſitum cordis explere valet: ſicut ſcriptum eſt: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Pſal. 16. 15. Gloria inquit tua, hoc eſt, *forma Dei*; quæ eſt ipſamet pulchritudo. Cum igitur ex tot capitibus, & qua Deus, & qua homo, Jeſus Chriſtus ſit omnium facilè pulcherrimus, nemo niſi planè ſtolidus, de amore alio C eligendo conſulere poteſt, proptereaque obnixè certandum, ne peregrinus amor obrepat, & ullam ſibi cordis partem vendicet: in re quippe omnium graviſſima, non leviter errabitur, ſi pro vera pulchritudine, falſa ſupponatur. Hæc vera ſapientia eſt, qua orbis terrarum nobiliſſima pars Chriſto dedita, reſplenduit; quæ invictiſſimos animos cælo vim illaturos, procreavit: quapropter in præceptum optionis hujus, quam in hac arte commendamus, non initio tantum, ſed in amoris quoque proceſſu, ſtudioſiſſimè incumbendum eſt, non aliis votis quam Pſal. 26. 8. illis: *Tibi dixit cor meum: exquiſivit te facies mea: Faciem tuam Domine requiram.* Denique capitis hujus meta ſit, ut non alia, quam pulcherrimi, venuſtiſſimi, ac lepidiſſimi Jeſu Chriſti conſuetudo, D votis omnibus exoptetur.

* * *

CAPUT XIV.

De Ieſu Chriſti pulchritudine per labores fortiter quærenda.

HAbito jam pulchritudinis delectu, quæ ſtructuræ totius baſis eſt, ſternenda nunc via, qua in conceptam, & optatam formam eatur. E Eſt idoneus ordo; nam primus animi motus in bonum, ſeu pulchrum, amor eſt; qui nihil aliud eſt, quam impreſſio quædam ab ipſo pulchro illata cordi, quæ non ſinit illud requieſcere, donec expetito bono fruatur. Verum eſt oraculum Auguſtini; *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Lib. 1. Conf. cap. 1. Quapropter hæc ſit amoris ſecunda præceptio: ut qui ſapienter amare cupit, multis amoris progreſſionibus, hoc eſt, deſideriis, ac inde ortis laboribus, pulchritudinem exquirat; nulli difficultati cedat, bene ſperet, & audeat. Si pretioſa res, non decet formidare laborem; immo æſtu, geluque peruri: *Sicut tabernacula Cedar*, imbribus, ſoleque torrida; Cant. 1. 4. quo velut emblemate, amantis ſponſæ facies, à Salomone adumbratur. Non inſulsè dixit quidam: F

Candidus in nauta turpis color: æquoris unda Ovid. Lib. 1. de Arte.
Debet & à radiis ſyderis eſſe niger.
Turpis in agricola: qui vomere ſemper adunco,
Et gravibus raſtris, ſub Jove verſat humum.
Et tu, Palladiæ petitur cui fama coronæ,
Candida ſi fuerint corpora, turpis eris.

Profecto invictiſſimus Jacob, Rachelis ergò, innumeros labores exhauſit; ſicut ſcriptum eſt: *Die noctuque æſtu urebar, & gelu: fugiebatque ſomnus ab oculis meis.* Gen. 31. 40. Fortiſſimus quoque Samſon, multa tulit ex amoris imperio, quo corda reguntur. At quid opus eſt, nominatos teſtes accire? Res certe perſpicua: quis enim à pœnis immunis amavit? Recte dictum: G

Palleat omnis amans: color hic eſt aptus amanti: Ovid. lib. 1. de Arte.

Et poſt pauca: *Arguat, & macies vultum.* Deinde:

Attenuant juvenum vigilata corpora noctes.
Curaque, & in magno qui ſit amore dolor.

Poſtquam enim animo penitus amor inſedit, corpus quoque conficit. Sed quia urgendo conficit, in feſſis quoque corporibus, dum perenni motu cor incitat, ad vincenda pericula vires inſtaurat: quod experimentis multis notiſſimum eſt; ſed rem eleganter expreſſit ille:

Sæpe per aſſiduos languent mea brachia motus,
Vixque per immenſas feſſa trahuntur aquas. Ovid. Her. Epiſt. 17.
His ego cum dixi: pretium non vile laboris, H
Jam dominæ vobis colla tenenda dabo.
Protinus illa valent, atque ad ſua præmia tendunt.
Ut celer Eleo carcere miſſus equus.

Nec mirum: ſi enim quis ſecum ſemel ſtatuit, nihil ſibi concepta forma pretioſius;

Scrip. An. circ.1593. quomodo quæ ſibi tam pretioſa non ſunt, puta divitias, honores, vitam quoque ipſam, pro bono tanto, non ingenue deſpiciat? Sane divinum effatum eſt : Cant. 8. 7. *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil dſpiciet eam.* Ratio in promptu eſt; nam qui amat, ſe primum totum tradit, ac in alterius ditionem cedit; A ex quo, ſua bona ſecum exportat, ut ejus ſint cujus ipſe prius eſſe cœpit. Sic mulier quædam precabatur amicum infidelem, cui ſe ante devoverat, ut ſuo regno potiretur:

Ovid. Heroid. Epiſt. 10.
Non patrium Simoenta petis, ſed Tybridis undas,
Nempe, ut pervenias quo cupis : hoſpes eris,
Hos populos potius in dotem, ambage remota,
Accipe, & advectas Pigmalionis opes.
Ilion in Tyriam transfer felicius urbem :
Inque loco regis, ſceptra ſacrata tene.

Si ergo dum parum vegetus amor eſt, (qualem oportet eum eſſe, qui a Jeſu Chriſto exulat) omnia vincit, nec ulli adverſitati ſuccumbit, fit liberalis, magnanimus, con- B ſtans, & ad omnes caſus armatur : an æquum non ſit, pro decore Dei animoſius decertare, ac omnem vitæ hujus obſtantis arduitatem tranſilire? Porro Aſſyrios milites, Bethuliam obſidentes, mulieris unius forma ſic cæpit, ut dicerent ; *Quis contemnat po-* Judith. 10. 18. *pulum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habens, ut non pro his merito pugnare contra eos debeamus?* At quanto ſit juſtius, pro dulciſſima Filii Dei pulchritudine (quæ omnem mundi ornatum excellit) generoſe certare? Pondus rationis augetur, ſi meminerimus, quot mala pro minore animæ ſibi conciliandæ decore, Chriſtus ipſe pertulerit. Certe non abs re illud hic intexendum, quod animæ conſtanter amanti congruit, licet a quadam minime Chriſtiana, ſed caſta prolatum: C

Scilicet ipſa feram ſaturatas murice veſtes?
Ovid. Heroid. Epiſt. 13. *Bella ſub Iliacis mœnibus ille geret?*
Ipſa comas pectam? galeæ caput ille prematur?
Ipſa novas veſtes, dura vir arma ferat;
Quo poſſum ſqualore tuos imitata labores
Dicar : & hæc belli tempora triſtis agam.

Hoc certe ſtatuere quiſque debet, non eſſe rationi conſentaneum, in amoris opus incumbere, & a labore feriari; ſed oportere ad militiam hanc quantocius expediri, abjectiſque quaſi veſtibus, ſe mari committere: ſicut ajebat, & audebat ille, exemplo ſuo, minus utilis ſibi, quam nobis:

Invideo Phrixo, quem per freta triſtia tutum
Ovid. Heroid. Epiſt. 17. *Aurea lanigero vellere vexit ovis.*
D *Nec tamen officium pecoris, naviſque requiro,*
Dummodo quas findam corpore dentur aquæ.
Arte egeo nulla : fiat modo copia nandi,
Idem navigium, navita, vector ero.

Expeditionem hanc, & animi magnitudinem, amoris propriam, docuit Chriſtus animæ ſibi ſociandæ forma captus; quando, *Exultavit ut gigas ad currendam viam*, Pſal. 18. 6. Hanc quoque ſymbolice olim indicaverat ſub imagine ſponſæ, ſponſum per vicos, & plateas inſequentis; ac ſi diceret : nihil ignavia ad amorem ineptius, nihil importunius; nam & in amoris certamine verum eſt illud : *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Job. 7. 1. At, quæ ſtipendia faciet, qui non impigre militares actus obit? Neceſſe quidem eſt, E humi cubare, obnoctare ſæpe, æſtum, hyememque perferre, ut equus hic effrenis (quo vehimur) amoris artem, pro modo ſui captus addiſcat. Hoc a nobis Anteſignanus noſter amandi conſultiſſimus, multis modis expoſcit : qui multo æquius (quam Romanus quidam, fortaſſe ambitioſus, cum per Africæ deſerta, caſtra duceret) ſuos milites ſic poterit hortari.

O quibus una ſalus placuit, mea caſtra ſecuti, Lucan. de bel. civ. lib. 9.
Indomita cervice mori, componite mentes,
Ad magnum virtuis opus, ſummoſque labores.

Et poſtea :

. . . . . Serpens, ſitis, ardor arenæ,
Dulcia virtuti : gaudet patientia duris.

Si ergo patientia, quæ flammis æternis auctorem non eripuit, duris gaudere viſa eſt : F quanta obſecro alacritate par ſit, ſe cruciatibus obiiciat, cui divinæ pulchritudinis immenſa voluptas, pro labore reddenda? In hoc igitur ſecundo amoris præcepto, firmiſſimè tyroni decernendum, honores, voluptates, commoda, & quicquid boni extra Jeſum Chriſtum, mente luſtrari poſſit, generosè contemnendum, more illius, qui amanter dicebat : *Quid mihi eſt in Cælo, & à te* Pſal. 72. 24. *quid volui ſuper terram?* Non enim cum intento formæ ſtudio, bonorum aliorum cultura cohæret: totum hominem ſibi vendicat amor, & fluxis bonis abdicatis, ſpontaneis laboribus ſe dedere jubet. Hoc ſolum mente pertractat, nec diverſos cogitatus admittit, G ſed formam optatam voto fidiſſimo ſervat : quod in amore quovis apertiſſimum eſt, ut oſtendit ille :

Ante pererratis amborum finibus exul. Virg. Buc. Egl. 1.
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quam noſtro illius labatur pectore vultus.

Idem, quod intenſiſſime cogitat, frequenter loquitur, ut dixit illa :

Tortaque verſato ducentes ſtamina fuſo,
Fæminea tardas fallimus arte moras. Ovid. Heroid. Epiſt. 18.
Quid loquar interea tam longo tempore quæris?
Nil niſi Læandri nomen in ore meo eſt.

Hinc eſt, ut qui ſerio Chriſti decôrem affectant, nihil cogitare, vel agere in animum inducant, quod intentionem animi, à ſtudio H tanti boni divertat; ut Paulus, qui nihil niſi Chriſtum ſe ſcire protulit, à cujus ore, ſuaviſſimum Jeſu (cui vacabat) nomen numquam abſceſſit, cujus ſigillo actus omnes ſuos obſignavit. Propoſitum ergo mala ferendi, fluxa bona proculcandi, verba, cogitatus, & actus, elegantiſſimæ Jeſu Chriſti formæ

ad-

Scrip. An. circ. 1593. addicendi, ſecundam hujus artis præceptionem aptè componit, juratumque militem in amoris arma perurget, illo quaſi ſacramento. *Surgam, & circuibo civitatem, quæram quem diligit anima mea.* Cant. 3. 2.

CAPUT V.

A *De malis aliquot graviſſimis, amore Jeſu Chriſti perferendis.*

NON ſatis fuerit tyroni, commune illud totius hominis ſacrandi præceptum, ut aſpernetur inania mundi bona, labores exantlet, cogitationes, verba, & actus, in decorem Jeſu Chriſti collimet, niſi difficultates militiæ hujus (cui nomen datur) peculiarius, & attentius novus miles agnoſcat. Sed initio, ſpes altè concipienda vincendi ex amore, ac laboris inſtantia, nam:

Virg. Bucol. Ecl. 10. . . . . . . *omnia vincit amor.*

Et labor quoque ſi conſtans: ſicut rectè cecinit quidam:

Virg. Georg. lib. 1. . . . . . . *labor omnia vincit.*
B *Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.*

Et ſanè, cum opus hoc viribus divinis innitatur, turpiſſimum eſſet, ob adverſitates ingruentes, ab illuſtri amoris victoria animum deſpondere. Non malè dixit ille:

Virg. 10. Aeneid. *Audaces fortuna juvat, timidoſque repellit.*

Nec ille:

Ovid. 2. Faſt. Virg. 6. Aeneid. *Tu, nè cede malis, ſed contra audentior ito.*

Licet enim ſenſum Chriſtianum adepti non fuerint, modum tamen res arduas aggrediendi, non ineptè indicarunt. Vix enim dici poſſit, quam multum referat, huic arti deditos, grandi quodam auſu, oppoſita quaſi repagula perrumpere, ac pretio multo, amorem velle parare. His ergo militibus, tertium amoris præceptum, quod nonnullis (C) difficultatibus, inter alias præſertim obſtantibus, conſtat, jure tradendum eſt. Primum autem ponendum, amorem, timoris ac ſollicitudinis rem plenam eſſe, ut dixit illa:

Ovid. Heroid. Epiſt. 1. *Quando ego non timui graviora pericula veris?*
Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Quapropter ad timores propulſandos, animus roborandus eſt, non certe alia, quam ipſius amoris armatura. Sic enim, qui divinæ Charitati ſtudent, cum ſe timore contractos animadvertunt, à ſurrepente animi dejectione, ſpe vincendi (quam producit amor) ſemetipſos expergefaciunt, ut fortis ille: *Quare triſtis es anima mea? quare conturbas me?* (Pſal. 41. 6.) Ac ſi diceret: quis languor, (D) quæ dejectio? an à malis deiiciar quæ timenda ſuccurrunt? & reſpondet, ac hortatur: *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi.* (Ibid. v. 7. 12.) Originem verò ſpei ſubdidit, ajens: *Salutare vultus mei, & Deus meus.* Quaſi diceret; eſt ſalus, & vita, in quam vultus, hoc eſt, mentis oculus fertur, utpotè cui hæret affectus; quomodo ergo non excitaris ad eam (quæ me capit) pulchritudinem. Timorem autem præcipuum, cadendi cauſa, qui Chriſtianè amat, potiſſimum vitare debet, & amoris armis illum excutere; nam id amoris officium eſſe, oſtendit mundo prudens mulier, quæ id conabatur:

Non ego tam ventos timeo mea vota morantes, Ovid Heroid. Epiſt.
Quam ſimilis vento ne tuus erret amor:
Et ne ſim tanti ſuperentque pericula cauſam, 18.
Et videar merces eſſe labore minor. E
Interdum metuo, patria ne lædar, & impar,
Dicar Abydeno Seſta puella viro.

Timuit hæc, ſed illud magis, ne cauſa caderet, alio ſcilicet amore novæ formæ ſubintrante, propterea dicit:

Ferre tamen poſſum patientius omnia quam ſi Ovid. ibid.
Otia neſcio quâ pellice captus agas.
Quod ſi quam ſciero, moriar (mihi crede) dolendo
Iam dudum peccas, ſi mea fata petis.

Timores hos incuſſit amor, & torſit; ſed amor ipſe confeſtim in ſe reverſus adjecit:

Sed neque peccabis, fruſtraque ego terreor iſtis; Ibid.
Quoque minus venias, invida pugnat hyems. F

Verum timore jacturæ, animi divinæ pulchritudinis cupidi, moleſtius, quam profani amatores comprimuntur: multa timent partim verò ſimilia; partim inania. Hoc quippè amoris ingenium eſt, ut in ſacro ſatis oſtendit Magdalena, ne Chriſtus à Martha interpellatus, eam ſedentem à ſe repelleret, verita, & corpus ab horti cultore ſublatum ſuſpicata; & in profano, illa:

Nec quia venturi dederis mihi ſigna doloris, Ibid.
Hec loquor: aut fama ſollicitata nova.
Omnia ſed vereor (quis enim ſecurus amavit?)
Cogit, & abſentes multa timere locus.

G Frequenter ergo accidit, ut qui ſe decori cæleſti devovit, dum ſe malis obſeſſum, identidem ſuſpirantem, nec (ut putat) adjutum contuetur, timeat, & ſuſpicetur ſe nequicquam laborare: quaſi Deus vota illa minimè curet: *& Circa cardines cæli perambulet: nec noſtra conſideret.* (Job. 23. 14.) Subit tædium poſt preces prolixas, & motus diſſultant importuni: quibus animus parùm abeſt, ut mutet conſilium; ſicut ille, qui ſe ab alio ſperni, aut non exaudiri ægrè ferebat ajens:

Quin tu aliquid potius rerum, quarum indiget uſus, Virg. Bucol. Ecl. 2.
Viminibus, mollique paras detexere junco?

H Error impendio gravis eſt; ſi enim pro carnis venuſtate captanda, annos totos animo permulcendo, mundi ſapientes inſiſtunt, nec rei arduitate, neque diuturnitate franguntur, cur pro cæleſti pulchitudine, tempus non ita productum inſumere, timores pellere, ac audere, tam oneroſum videatur? Cur vir Chriſtianus, cujus res agitur, ſe timore contractum, & ignavia marcentem,

non

Scrip. An. circ. 1593. Pſal. 21. 3. non erigat? ſicut ille: *Deus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte.* Ac ſi planius diceret: Quid ſibi vult mora hæc, ſumme Deus? ego diem precando conſumo: tu verò non exaudis, ne tum quidem, cum & noctem precibus exigo. Cum verò motibus his imperandum eſſe animadverteret, ſubjecit? *Et non ad inſipientiam mihi.* Hoc A eſt, non eſt tribuendum ſtultitiæ, quod tamdiu precer, nec exaudiar: immò ſapientiæ planè divinæ, quod adverſitate non deiiciar, nec ab exquirendæ conſuetudinis tuæ cura divertar. Porrò non eſt hominis inſipientis, quod tam ſua intereſt, ſine defectione perquirere. At licet quis ſibi ab importunis motibus temperare ſtudeat, nolentem ſæpe divexant, & ſopiti reſurgunt. Tunc verò valentiùs oppugnatur animus, cum, quò ſtudioſius partes ſuas conatur explere, eò longiùs Deus videtur abſiſtere; cum tamen peccatores multos recenter à peccatis expiatos, vel mox expiandos indulgentiſſimè habeat, atque deliniat. Subeunt querimoniæ, quas Joab, Abſalone cæſo, adverſus 2. Reg. 19. 6. David mœrentem uſurpavit: *Diligis odientes te: & odio habes diligentes te.* Vexatio B hæc acris eſt; quæ motus innumeros parit, quales expreſſit illa, in amore quidem externo, ſed ſimili.

Ovid. Heroid. Epiſt. 10.

Nec nova Carthago, nec te creſcentia tangunt
Mœnia, nec ſceptro tradita ſumma tuo.
Facta fugis, facienda petis, quærenda per Orbem
Altera, quæſita eſt altera terra tibi.
Alter habendus amor tibi reſtat, & altera Dido.
Quamque iterum fallas altera danda fides.
Quando erit, ut condas inſtar Carthaginis urbem,
Et videas populos altus ab arce tuos?
Omnia ſi veniant: nec te tua vota morentur,
C *Unde tibi, quæ te ſic amet, uxor erit?*

Sublimibus certè motibus animus concutitur, interim dum ſincerè Deum quærit: at motus hi, ſpe boni futuri, & ſalutaribus conſiliis, vel intercalatis exercitiis ſuaviter reprimendi ſunt, & fidendum amantiſſimo Jeſu Chriſto, qui nunquam fefellit amantes. Quin verò, eò fidentiùs agendum, quò diutius ille cunctatur: ratio quippè omnino perſuadet, eò minùs itineris ſupereſſe, quo longior mora præceſſit, ac ſi planiùs diceremus; è brevi temporis periodo, tantò minus reliquum eſſe, quantò plus anteactum eſt: propterea, ubi res longa fruſtratione D deſperanda videtur, impenſiùs exſpectanda eſt. Profectò, è noſtris invictus Job, etiamſi occideretur, ſperaturum ſe promiſit, & ex alienis, illa:

Ovid. Heroid. Epiſt. 2.

Et mihi diſcedens ſuprema dicere voce:
Phylli fac expectes Demophoonta tuum.
Exſpectem, qui me nunquam viſurus abiſti?
Exſpectem pelago vela negata meo?

En vexatio, & rerum facies, quæ ſpem ademiſſe videbatur; ſed ſubjunxit:

Et tamen exſpecto: redeas modò ſerus amanti,
Ut tua ſit ſolo tempore lapſa fides.

Sapienter dictum: *Si moram fecerit, exſpecta eum: quia veniens veniet.* Habac. 2. 3. Oraculum eſt, cui fides habenda: & agone peracto, incredibilem de bello pacem, & voluptatem E eliciet.

..... Forſan, & hæc olim meminiſſe juvabit, Virg. Aeneid. lib. 1.
Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum,
Tendimus in Latium.......

Verùm illud inter omnia mala cor acerrimè torquet; quod labori, & expectationi diuturnæ ſolet adnaſci: dum, qui in amoris agone contendit, ſe à vera putat aberrare via, & in ſecretas, nec ſibi notas culpas, Jeſu Chriſti cunctationem regerit. Mille laqueis animus implecti, mille per ambages videtur abduci;

Virg. Aeneid. lib. 5.

Ut quondam Cretâ fertur labyrinthus in alta,
Parieti textum cæcis iter, ancipitemque
Mille dolis habuiſſe viam, qua ſigna ſequentem
F *Falleret indeprehenſus, & irremeabilis error.*

Sic animus, quadam quaſi vertigine revolutus, omnia nutare arbitratur, ſubitamque ruinam ubique pertimeſcit: nec tamen erratum aliquod internoſcit, quod prudens admiſerit. Sed ulterius progreditur dolor hic dum ſapientes qui perturbatum animum, conſiliis tempeſtivis pacare ſolent (Deo ad examen fidei permittente) hominem inſontem carpunt, & verbis exagitant, quaſi delirum: *Non plus ultra.* Hæc eſſe videtur poſtrema concertatio, qua cor amori deditum, quaſi puriſſimum excoquitur; ut paulo poſt, tantò uberiora Chriſti blandimenta percipiat, quantò gravior nimbus incubuit. Sponſa enim (ut liquet ex Salomonis Cantico) poſtquam diù vexata, & à cuſtodi- G bus civitatis erepto pallio vulnerata fuit, parum progreſſa Sponſum invenit; quod altè penſitandum, & memoriæ imprimendum eſt. Remedia verò multa, prædictis malis adhibenda, è capite decimo petantur; quæ, & iis qui nondum Chriſti conſuetudinem nacti ſunt, & illis, qui partam amiſerunt, ſolent eſſe communia, & ad animum temperandum apprimè conferunt. Annotandum præterea, mala illa non omnia confeſtim ingruere: nec vero uno dumtaxat modo, vel eodem ordine omnibus certatoribus accidere. Quoſdam enim ſingula ſeorſum: alios bina ſimul, vel terna premunt: alii malis H omnibus recenſitis: alii nonnullis tantum exercentur: aliorum labor brevibus intercalatur Dei ſolatiis; aliorum verô (licet raró) nullis. At amantis eſt, malis omnibus (etiamſi agminatim, ac perſeveranter comprimant) animum obfirmare: ſed ad alia præcepta properemus.

CAPUT VI

De modis, quibus Ieſus Chriſtus velut iratus ab amatoribus placandus eſt.

ARtis hujus eſt, cum derelictio, & dolor invaluit, noſſe modum, quo ad A exorandum clementiſſimum Deum (qui ſimulat ſurditatem) utendum ſit. Erit ergo quartum amoris præceptum, ut ineatur modus aliquis flectendi Deum; qui multiplex eſſe poteſt. Et primùm quidem, nullus placandi, quem amas, modus aptior, quàm ut profitearis, malle te quod illi, quam quod tibi gratum accidit, ipſam quoque abſentiam, qua nihil amarius. Non enim Dei præſentiam (juxta hujus artis præcepta) quærere quis debet, quia dulceſcit: ſed quia Deo id acceptum eſt. Qua in re, ſumma Chriſtianæ perfectionis ſita eſt, orta ex divinæ charitatis ingenio. Verùm hic annotandum, ad hunc heroicum actum producendum, virili corde opus eſſe: multi enim B affectus obſtant, ipſaque inprimis aviditas præſentiæ, quam requirit amor. Pinxit hoc eleganter, in amore ſuo illa, quæ cum eſſet præſentiæ cupidiſſima, ſic effata eſt:

Ovid Heroid. Epiſt. 18.

Sic tamen, ô juvenis tumidarum victor aquarum,
Sic facito; ſpernas, ut vereare fretum.
Arte laboratæ vincuntur ab æquore puppes,
Tu tua plus remis, brachia poſſe putas?
Quod cupis, hoc nautæ metuunt Leandre, natare,
Exitus hic fractis puppibus eſſe ſolet.

Ecce quo pacto, cum amaret, hortabatur, ut ſalvus abeſſet: at cum hoc amori nimis durum videretur, ſubjecit:

Ovid. Ibid.

Me miſeram; cupio non perſuadere, quod hortor,
Siſque precor monitis fortior ipſe meis.
C *Dummodo pervenias, excuſſaque ſæpe per undas,*
Iniicias humeris brachia laſſa meis.

Hoc videlicet modo, dum cor ſe Deo, ſeverè agenti dedidit, & abſentiam mente recolit, quodammodo non perſuadere quod hortatur; ſed amor & hoc etiam debet exhaurire. Non tamen ab exquirenda pulchritudine propterea deſiſtendum, ſed ratio ineunda, modo hæc, modo illa, ad optatiſſimam Jeſu Chriſti conſuetudinem impetrandam. Etſi enim Dei ſolatia, ob eam, quæ percipitur, voluptatem à generoſis amatoribus expetenda non ſint: at optabilia eſſe ob cæleſte lumen, quod affulget (quo animus terrena deſpicere, ſolumque Deum affectare diſcit) omnino verum eſt. Hoc D Scriptura ipſa ſacra, & Sanctorum ſcripta, ubi ſæpè divinam conſolationem expoſcunt, apertè demonſtrant. Verum eſt tamen, non ſine prudentum conſilio, ab imperfectis Dei cultoribus præceptum hoc uſurpandum: ob errata quæ poſſent obrepere. Sed modos exorandi Deum proſequamur, inter quos ſacrificii mos antiquiſſimus, ad rem noſtram ſummopere facit; quod, & univerſarum gentium, Numina ſua (ut credebant) ſacrificiis placantium conſenſio probat; ſic illa caſtè amans:

Ovid. Heroid. Epiſt. 13.

Nulla caret fumo Theſſalis ara meo:
Thura damus. lachrimaſque, ſuper quæ ſparſa relucent;
E *Ut ſolet affuſo ſurgere flamma mero.*
Quando ego te reducem cupidis amplexa lacertis,
Languida lætitia ſolvar ab ipſa mea?

Sic Euchariſtico ſacrificio, Deum (cui diſplicere timet) placare, ac ejus opem implorare, ſaluberrimum eſt. Modus etiam opportunus eſt, imaginem Chriſti, ac ſi ſtatim ille reſponſurus adeſſet, alloqui, ac venerari; quod non modò Deum amantibus, ſed profanis etiam amatoribus eſt familiariſſimum; ſic illa caſto amore ſaucia:

Ovid. Ibid.

Dum tamen arma geris diverſo miles in Orbe,
Quæ referat vultus, eſt mihi cera tuos.
Illi blanditias, illi tibi debita verba
F *Dicimus: amplexus accipit illa meos;*
Crede mihi plus eſt, quam quod videatur imago:
Adde ſonum ceræ, Proteſilaus erit.
Hunc ſpecto, teneoque ſinu pro conjuge vero;
Et tanquam poſſit verba referre, queror.

Alloquia hæc multis profuiſſe, & Sanctorum hiſtoriis, & hac etiam tempeſtate noſtra compertum eſt, quod memoriæ commendetur. Modus jam ſubit alius, quem multis experimentis Jeſu Chriſti fideliſſimus amor fecit illuſtrem: qui nihil eſt aliud, quam locorum, opportunitatumque captatio, ubi præſentior ille videtur eſſe. Non ineptè dixit quidam:

Ovid. lib. 1. de Arte.

Scit bene venator, cervis ubi retia tendat:
Scit benè, qua frendens valle moretur aper.
Aucupibus noti frutices, qui ſuſtinet hamos
G *Novit, quæ multo piſce natentur aquæ.*

Hac de cauſa, ſeduli cultores amoris, templa, xenodochia, pauperum domos obeunt; & per frequentes ejuſmodi curſus, optatis ubertim potiuntur: facilè nimirum Chriſtus id tunc eis præſtat, quod tam opportunè depoſcunt. Eſt ibi quodammodo lætior, quam alibi, & proinde munificentius agit. Rectè ille:

Ovid. Ibid.

Mens erit apta capi tunc, cum lætiſſima rerum,
Ut ſeges in pingui luxuriabit humo.
Pectora dum gaudent, nec ſunt aſtricta dolore,
Ipſa patent: blanda tum ſubit arte decor,
Tunc cum triſtis erat, defenſa eſt Ilion armis:
Militibus gravidum læta recepit equum.

Modus præterea efficaciſſimus, inſtantiſſima H oratio eſt: quâ ſi quis utatur, fide firma ſubnixus, proculdubio rem impetrabit; quod ipſius Chriſti oraculo, & ampliſſima pollicitatione conſtat. Verùm ſic inſtandum, quemadmodum pro caducis rebus apud Reges mortales inſtatur: quod licet indulgenter

Scrip. An. circ. 1593.

ter dictum ſit, optandum tamen, ut ſaltem ita fiat. Sed inſtandi modum in praxi trademus. Denique modus vero amore digniſſimus, corporis maceratio eſt: quæ inedia, vigilia, ciliciniş veſtibus, & id genus auſteriore diſciplina conſtat: quam viri ſanctiſſimi A Deum placaturi, exercuerunt. Modi ſuccurrerent alii, ut Sanctorum interceſſio, peregrinatio pia, abdicatio curarum, vel rerum ſæcularium, quos amor ipſe ingenioſè ſuggeret; nos tantum rei methodum præſcribimus, non item numerum. Animadvertendum eſt autem, modos multos ineundos, ſi res non ſtatim ex voto ſuccedat: nec modum aliquem improbandum, quod non ille, ſed alius cauſam obtinuerit: nam qui modo opportunus non eſt, aliàs fortaſse fæcundus erit Illud verò penitiſſimè concipiendum, nefas eſſe ob adverſa in recenſitis modis, ſeu remediis experimenta, deficere. Sic enim extincta ſpe dixit illa:

Ovid. Heroid. Epiſt. 10.

Sic, ubi fata vocant, udis abjectus in herbis,
Ad vada Mæandri concinit albus olor.
Nec, quia te noſtrâ ſperem prece poſſe moveri,
B *Alloquor: adverſo movimus iſta Deo.*

Quantò ſit æquius ubi ſpes firma ſubeſt, acriter inſtare? ubi Deus non adverſus, ſed propitius eſt? dum nihil admittitur, quod amori non congruat, & licet renitente ſenſu, mens Deo placere ſtudet firmiſſimè ſperandum; non enim ſtructura hæc ventorum flatibus cedet:

Horat. Ep. 1. ad. Maec.

.... hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nullâ palleſcere culpâ.

Si autem cum vitæ integritate, animi ad perferendos labores magnitudo concreſcat non dubium, quin uberrimus proventus ſit referendus. Animi verò excelſi conſtantia ea ſit, quam verbis non malè deſcripſit quidam:

C

Ovid. Heroid. Epiſt. 17.

Sit tumidum paucis etiam nunc noctibus æquor,
Ire per invictas experiemur aquas,
Aut mihi continget felix audacia ſalvo:
Aut mors ſolliciti finis amoris erit.

Mirum eſt enim, ad veræ charitatis incrementa, quam conferat inconcuſſa hæc animi firmitudo, quam huic capiti tanquam coronidem addidimus.

CAPUT VII.

De amoris modeſtia, in familiaritate Jeſu Chriſti ſervanda.

TRadidimus ad amorem parandum ſatis opportuna præcepta, quæ licet ſine D amore ipſo, auxilioque divino, juxta Catholicam doctrinam nequeant obſervari, ac proinde amor præire debeat, de quo agimus comparando; ſenſus tamen noſter eſt, modum amoris perfecti acquirendi præſcribere, ipſoque amore comite, ad ipſius perfectionem feſtinare. Poſtquam ergò quis ſuperioribus præceptis inſtructus, longam laborum viam emenſus eſt, duo ſanè pretioſiſſima bona perquirit; alterum amoris ipſius perfectio, alterum dulciſſima Jeſu Chriſti familiaritas eſt. Bono illo primo nihil nobilius; efficit enim quandam duorum cordium unionem adeò cæleſtem, ut nihil jam libeat, quod Deo non ſit acceptiſſimum; qui certè ſtatus Cœlitibus finitimus eſt, vel E hoc ſolo feliciſſimus, quod ipſi quoque dolores, ſic amanti dulceſcunt. Alterum autem bonum inde ortum, ſuaviſſima Dei familiaritas eſt; quæ ipſius peculiari dignatione, & caſtiſſima voluptate conſtat: quæ dum veteranis militibus indulgetur, amorem magnopere promovet, ac totum hominem à rebus creatis abſtrahit, quo nihil ſuavius excogitari poteſt. Eſt autem puriſſima voluptas hæc, multò nobilior eâ, quam minus provectis ad labores intercalandos Deus inſtillat, quod perſpicaciter notandum. Nam ante ultimos agones, tertio capite indicatos, compertum eſt, clementiſſimum Deum, ſuis certatoribus, copiam ſui quandoque facere, viciſſimque ſubtrahere, at poſtquam examinati ſunt. *Sicut examinatur argentum.* Pſal. 65. 10. F Alia ſecretiora, divinioraque ſolatia ſubeunt, quæ ſolus ipſe Deus poſſit exprimere. Poſt longam igitur concertationem, feſtiviſſimus accurrit, & feſſo de via cordi blanditur: nec enim diutiùs ſe continere poteſt. Facilè flectitur qui natura benignus eſt: cum & crudelia pectora ſæpè pulſata, viſis miſerorum calamitatibus leniantur. Nimirum benè dixit ille:

Ovid. lib. 1. de Arte.

Ferreus aſſiduo conſumitur annulus uſu:
Interit aſſidua vomer aduncus humo.
Quid magis eſt durum ſaxo? quid mollius unda?
Dura tamen molli ſaxa cavantur aqua.

Feræ miteſcunt arte; qui natura lenis eſt, non exorabitur? Torſit aliquamdiù pruden- G tiſſimus Joſeph anxios fratres ſuos, & dum experiebatur illos, majeſtatem præferebat; verùm non potuit demum cohibere lachrymas, & vultu mutato, fratrem dulciſſimum exhibuit; quippe:

Ovid. lib. 2. Metam.

Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur,
Majeſtas, & amor ....

Sic mitiſſimus Jeſus Chriſtus, ſponſi habitu, emeritum militem jam incipit delinire; ubi duo præcepta tradenda; unum hic de modeſtia, alterum in capite proximo de amoris parti cuſtodia. Quàm referat, amare modeſtè, ſatis expendi nequit, niſi quàm vehementer animus ad fruitionmem feratur, meditemur; quod ex nonnullis amoris effectibus H aptè deducendum eſt. Poſtquam ergo amanti placuit forma, qui eſt motus in hoc genere primus: animus tanquam ſibi conſentaneam, rem pulchram apprehenſurus, verſus eam ſe ipſum exporrigit, qui eſt motus deſiderii. Fervet animus hoc motu, & quam alte placuit pulchritudo, tàm celeriter illam inſequitur, quod eſt oculatè notandum: proportio

Scrip. An. circ. 1593. tio quippe motuum, & paſſionum ex amore petenda eſt. Solet igitur anima, ita deſiderio flagrare, ut vix dici queat, quam acriter incitetur; cupit enim, nec expletur, ſed tabeſcit, ut oſtendit vates divinus, ajens, Pſal. 118. 82. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes: quando conſolaberis me?* Et illa non ſacra.

A

Ovid. Heroi. Epiſt. 18.

Longa mora eſt nobis omnis quæ gaudia differt,
Da veniam feſſæ: non patienter amo
Et infra:
Deficiam; parvi temporis adde moram.

Ex deſiderio autem, & ſuccedentibus amoris effectibus coniici poterit, animæ amantis affectio multiplex, quæ rem noſtram aperiet. Omnis enim amor exſtaſim quamdam efficit, qua fertur amans extra ſe, ut ille, qui ajebat: Philip. 1. 23. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Poſtquam enim amor efferbuit, animam quodammodo extra ſe pellit, & rei amatæ per jugem cogitationem, & affectum affigit, interim dum frui non licet. Genus quoddam ſuſpenſionis eſt animæ, amori ſoli vacantis, & nihil aliud agere valentis; quippe molle B jam cor, nihil niſi amorem haurit, ut indicavit illa in amore alio:

Ovid. Heroid. Epiſt. 21.

Molle meum levibus cor eſt violabile telis:
Et ſemper cauſa eſt, cur ego ſemper amem.

Arreptum autem extra ſe cor, ſatagit formæ (quam cupit) arctè conjungi; qui eſt alius amoris affectus, appellatus, Unio; qualem ſponſa ſignificavit, exquiſito ſponſo, cum dixit: *Tenui eum.* Unionis vero hujus Cant. 3. 4. deſiderium, exſtaſi præcurrente, ſic ſolet animam afficere, ut non ſolum in vigilia de re optata ſæpiſſimè cogitet, ac loquatur, ſed etiam ſomnia ſimillima pariat, & ex nocturnis imaginibus, rem aſſimulantibus, delectationem eliciat: quod innuere videtur ſponſa dicens: Cant. 5. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Scilicet afficitur, & urgetur imagine ſponſi C jucundiſſima. Simile quiddam amor alius præſtare ſolet, ut patet ex illo:

Ovid. Ibid.

Tu mihi cura Phaon: te ſomnia noſtra reducunt:
Somnia formoſo candidiora die.
Illic te invenio, quamvis regionibus abſis,
Sed non longa ſatis gaudia ſomnus habet.

Verùm, ſola unio vera, nedum ſimulata, non explet amoris ſitim, eſt enim quaſi quædam ſuperficialis conjunctio; quamobrem ſuccedit ille amoris effectus, qui mutua inhæſio nuncupatur. Poſtquam enim anima quod cupit, invenit, eique conjungitur, ſtrictiſſimo quodam velut amplexu ſibi apprimit; ſicut expreſſit Regius Pſaltes ajens: *Adhæſit anima mea poſt te.* Pſal. 62. 9. Vel ut alii vertunt ἐκολλήθη ἡ ψυχήμȣ ὀπίσωσȣ. hoc eſt: *Aglutinata eſt anima mea poſt te.* Quodam enim quaſi glu- D tino, qui eſt ipſe amor, mutuò adhæreſcunt amantes; cujus ſanè rei plura (quam deceat) auctores profani exempla proferunt, quæ ſilere modeſtius eſt, quam producere. Sed amor inſiſtit cœptis, & poſtquam unionem, adhæſionemque nactus eſt, in intimam rem amatam penetrare, mutuoque pervadi conatur. Nimirum genus quoddam transformationis eſt, re altera, quodam amoris illapſu, alteram permeante, mutuamque fruitionem, ſeu voluptatem ſuggerente. Mira profectò affectio, & amoris meta eſt: quæ in amore profano rudi quodam modo, in E divino autem perfectè contingit; ſed ob rei ſublimitatem ſilentio celanda eſt. Cæterum ex recenſitis amoris effectibus patere poteſt, quam ardenter, rapideque ad fruitionem intimam anima contendat; cupit enim non uniri modo, vel adhæreſcere, ſed validiſſimè penetrare. Et quidem, quò pulchritudo major eſt, eò ſitis excitatur ardentior: qualem Pſalmographus prodidit ajens: Pſal. 41. 2. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima ad te Deus.* Appoſita valde cervi ſimilitudine uſus eſt, quæ ad intellectum rei noſtræ ſatis confert; nam qualis eſt habitus cervi, venatores, caneſque infeſtos velociſſimè fugientis, & poſt curſum, magnam vim aquæ avidiſſimè haurientis; talis certè affectus eſt animæ, inſidias mundi, F carnis, Dæmoniſque caventis, & poſt agones multos, ad potum divinæ voluptatis accedentis. Tunc enim anima tota, illi quaſi pelago ſe geſtit immergere, & prorſus exorberi. At non eſt adeo facile dulciſſimo potu ſibi temperare, ne modeſtiæ fines tranſiliat. Quapropter illud hic opportunè monendum. Cant. 6. 4. *Averte oculos tuos à me, quia ipſi me avolare fecerunt.* Ac ſi diceret Sponſus: comprime intuitum, tempera intellectus aciem, à me ſcilicet nimium ſpeculando, nam ſcrutator Majeſtatis opprimetur à gloria; & hæc intuitus licentia, me avolare, ſeu recedere fecit à te, id eſt, ariditate, ac derelictione te plectere. Solent quippè nonnulli, parùm conſilio valentes cum ſit eis rerum cæleſtium copia, plura, quàm indulgetur conari, & propenſione Dei, gratis ea dona largientis, G infeliciter abuti; ſe, quo non vocantur, intrudere nituntur, quod eſt audaciæ, ac intemperantiæ argumentum. Exigit quippè tantæ Majeſtatis reverentia, ut anima, vocetur, & rubore ſuffuſa temperanter accedat, quod bene innuitur documento illo. Cant. 1. 3. *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Quaſi diceret Sponſa: Non fuiſſem auſa ingredi, niſi ille me introduxiſſet. In arcanis enim affectionibus (prætequam quod dementiæ ſignum eſt, velle animam divinitus affici ultra Dei præſcriptum) viri experti tradunt attentius inſpiciendum, quouſque anima à Deò fuerit provecta; ne altiùs ſe ipſam tentet efferre. Quippe ſalubre conſilium eſt; *Recumbe in noviſſimo loco.* Luc. 14. 10. Modeſti enim eſt animi, proſperitate non inſoleſcere, ſed vereri ne quid nimis. Propterea, cum clemen- H tiſſimus Deus, quaſi ad nuptias inſtructa menſa, cor invitat, non debet curioſè quicquam ſcire velle, non ſe nimium ad fruendum laxare, ſed fruitioni ſedatè aſſueſcere, ac verecundè ſe trahi ſinere, more puellarum, quæ (ut Scriptura ſacra conſignatum eſt) decretis noctibus ad Regum thalamos, non

Scrip. An. circ. 1593.

niſi vocatæ, licet mundo muliebri comptæ ac urbanitatem edoctæ, olim accedebant. Ipſa ergo Regis æterni dignatio, & inde orta oblectamenta, moderationis animam admonere debent. Poteſt quippè bonum malè uſurpatum, non ſua, ſed abutentis culpâ, A vitio verti: nec ab hoc periculo, vel ipſe panis Euchariſticus (qui vitam, & puritatem generat) excipitur. Sic etiam voluptas divina, quæ ſuo quidem ingenio nequit reprehendi, cum divina ſit, malè accepta non prodeſt: immò nocet ejus affectatio, qua cordis caſtitas læditur. Nihil corpore Chriſti caſtius, & tamen ab Apoſtolorum conſuetudine abducendum fuit. Notetur ergo impensè, animum non hic licenter ſpatiaturum, ne in quandam ſpiritualem quaſi laſciviam degeneret. Non malè dixit quidam:

Silius Ital. lib. 15.

Quippè nec ira Deum tantum, nec tela, nec hoſtes,
Quantum ſola noces animis illapſa voluptas.

Quod, & in rebus arcanis, quas ille ignoravit, verum eſt. Unde patet, à divini amoris modeſtia longè abeſſe, revelationum, ac B delitiarum inde manantium affectationem; quam provectiores Sancti adeo reprobarunt, ut plerumque, cum vehementiſſimis raptibus à ſenſibus inciperent alienari, validè reluctati fuerint, & præſentientes exſtaſes mox futuras, quæſitis occupationibus idoneis, animum inde diverterint. Quod tamen non eſt quaſi præceptum ſine diſcrimine accipiendum; ſed modeſtiam commendamus, & animis verecundis licentiam indignam eſſe fatemur, quam Deus amara quadam velut ab lactatione punire ſolet. Merito enim, qui dulcore lactis hujus abutuntur, ablactantur: quæ eſt imprecatio, & prædictio ſupplicii, quod in hoc genere peccantibus infertur, per illa verba ſacra: *Si non humiliter ſentiebam,* (Psal. 130. 2.) C *ſed exaltavi animam meam; ſicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.* At in hoc præcepto, emeritis militibus non uſque adeò, tyronibus verò ſummoperè cavendum, ne peccent: illos enim defœcatus amor, hos autem impurus adhuc, & voluptatis cupidus longè diſcernunt. Tyronibus quippe congruit illud: *Curremus in odorem ungentorum tuorum.* (Cant. 1. 3.) Nam Chriſti ſuavitate, quam recenter deguſtant, mirificè capti, celerrimo quodam curſu feruntur. Suboritur jubilus, ſeu lætitiæ, ac voluptatis eruptio, motus vehemens, voces informes, ſive ſoni ad exhalandum impetum opportuni, ſanguinis excreatio, & id genus alia, quæ conſilio temperanda, & animi diverſione, ac exercitiorum aliorum permixtione, extenuanda ſunt; ne hominem ſub initium curſus, vel graviter lædant, vel interimant. D Affectio eſt ſimilis ei, quam in Job deſcripſit quidam non multum ætate provectus: *Plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus uteri mei: en venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas novas diſrumpit. Loquar, & reſpirabo paululum.* (Job. 32. 18. 19. 20.) Cæterùm veterani milites, majora, & penitiora gaudia, divinitus eruditi, ac roborati, ſine concuſſione percipiunt. At quicunque ſint, qui revelationibus, & ſolatiis ibi ſuborientibus afficiuntur, ſi laqueos vitare cupiunt, ſapientes viros conſulant; nec de ſecuritate ſibi blandiantur. Nihil enim ad res tam arduas, & varias, universè hic præſcribi poſſe videtur; E ſed prudentum conſilium, ſaluberrima præſcriptio eſt.

CAPUT VIII.

De parto amore Jeſu Chriſti tuendo.

SEcundum verò præceptum de parto amore tuendo, ſive cuſtodiendo, magni ponderis eſt: dixit quidam;

Ovid. lib. 2. de Art.

Nec minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri,
Caſus ineſt illic, hic erit artis opus.
Magna paro, quas poſſit amor remanere per artes,
Dicere, tam vaſto pervagus orbe puer.

F Danda ergo imprimis opera eſt, ut inſculpatur animo aſſertum hoc planè compendioſiſſimum: eadem ſcilicet ratione qua paratus eſt, amorem alendum eſſe: omnes quippe cauſæ, quas ad amorem acquirendum conferre tradidimus, illum proculdubio alunt: quemadmodum eadem à cauſa, ſole videlicet (ut Philoſophorum conſenſio eſt) lux naturalis producitur, & conſervatur. Nam juxta Sanctorum doctrinam, qui non inſtat amori novis, quaſi productionibus augendo, amorem minimè conſervat: hoc enim ſibi vult illud effatum vulgatiſſimum: In via perfectionis non progredi, eſt regredi. Enitendum itaque, ut ſicut per opera egregia qui molitur amorem acquirere, ſe conatur amabilem exhibere; G ita quoque per accepta Deo actus, verba, & cogitatus, ad amorem tuendum ſe præſtet amabilem, ut propoſito minus alto dixit ille:

Ovid. Ibid.

Sit procul omne nefas; ut ameris, amabilis eſto:
Quod tibi non facies, ſolave forma dabit.

Vigilantiſſimè igitur mores obſervandi, ne à prioribus diſcrepent; adeò ſanè, ut quoad fieri poſſit, & motus quoque corporis, & nutus, ad Jeſu Chriſti exemplaris noſtri fidem, componantur. Univerſorum enim amantium mos hic vetuſtiſſimus eſt; ſicut argutè notavit ille;

Ovid. Ibid.

Cede repugnanti, cedendo victor abibis:
Fac modo quas partes, ille jubebit, agas.
Arguit, arguito: quicquid probat ille, probato:
Quod dicit, dicas: quod negat ille, neges: H
Riſerit, arride, ſi flevit, flere memento:
Imponat leges, vultibus ille tuis.

Rectè dixit, quamvis malè ſenſit auctor hic: nobis autem invitus profuit. Hinc enim ediſcimus, quàm oculatè amantibus agendum, quam ſtudioſè formæ vacandum, quàm accuratè divinis inſpirationibus, poſthabito rerum temporalium quovis lucro, reſpondendum;

Scrip. An. circ. 1593.

dum, ut omnes hominis partes divinæ pulchritudini ſerviant. Sed hoc ſignificantiùs Salomon expreſſit, Sponſum ſic ajentem inducens: Cant. 8. 6. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum:* Ut nihil jam ab homine cogitetur, vel fiat, A quod à Chriſto non obſignetur, ac ſi dicat: Singulos actus, quaſi ejus proprios, ipſius ſigno, ſigillove notato, ut qui perfecti amatoris opera contemplantur, lucentem ibi quaſi Chriſti formam inſpectent. Ratio efficax: Cant. 8. 6. *Quia fortis eſt ut mors dilectio.* Ac propterea tot ſunt vulnera mortalia, quot inter amantes abludentis animi ſigna, graviuſque vulnerant leviſſimæ culpæ, quam cæterorum non ejus dignitatis inceſta. Hinc legimus, pro leviſſimis culpis, non ſolum moleſtiſſimam ariditatem, ſed etiam Dæmonum vexationem viris amore provectis immiſſam; quaſi per hæc indicet amantiſſimus Deus, ejuſmodi viros oculatiſſimos eſſe debere. Curandum ergo identidem animæ, quæ Chriſti conſuetudinem adepta eſt, inculpatiſſimè agere, & non modo à culpis etiam minimis abſtinere, verùm arcanos illos divinarum B affectionum modos, quos in Chriſti complexu experitur, quaſi amicitiæ jure communicata ſecreta cuſtodire; nihil inde ſibi tribuere, immò quaſi debita, de quibus ratio exigenda ſit, animo demiſſo recipere, & quò altius ſe à clementiſſimo Deo cernit efferri, eò ſe uſque ad mortem profundiùs deprimere. At cum ea demiſſione quædam cordis celſitudo maximè neceſſaria, & provectis animis digna cohæret; ut ſcilicet è ſublimitate ſtatus illius, cætera quantumvis pretioſa deſpiciat, ſoluſque Jeſus Chriſtus, & quicquid ab eo fit, ſummopere placeat, more illius quæ ajebat: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. 2. 16. Quorum verborum vis hæc eſt: ſolus Jeſus Chriſtus mihi placet, quia ſolus mihi ſufficit: hinc ego me illi totam reddo, quia me totam debeo. Præterea *dilectus meus mihi*, C ſcilicet, ſolus placet; & ideo quicquid agit, quidquid decernit, eo ipſo probatur, & placet quod ab illo fit, quod amoris cujuſvis proprium eſſe oſtendit illa:

Ovid. Heroid. Epiſt. 4.

Te tuus iſte rigor, poſitique ſine arte capilli,
Et levis egregio pulvis in ore decet.
Sive ferocis equi luctantia colla recurvas,
Exiguo flexos miror in orbe pedes:
Seu lentum valido torques haſtile lacerto,
Ora ferox, in ſe verſa lacertus habet:
Sive tenes lato venabula cornea ferro,
Denique noſtra juvat lumina quicquid agas.

Et ego illi: Scilicet, reciproco amore, *ego illi* me totam, & proinde cogitationes, verba, & opera, illi placitura rependo, & ab D intentione hac, nihil in hac proſperitate relaxo: quæ verba (*& ego illi*) votum, excelſo Sponſæ ſtatui opportuniſſimum, continent. Hoc votum ſæpiſſimè repetendum, & firmiſſimo propoſito inſtandum, ne ulla adulterii ſubintret imago; nam & illa ſic fidem conjugii amore caſto ſanciebat:

Ovid. Heroid. Epiſt. 1.

. . . . *Tua ſim, tua dicar oportet.*
Penepole conjux ſemper Ulyſſis ero.

Sed ad alia præcepta, quæ circa graviſſimas affectiones amoris verſantur, deſcendamus.

E

CAPUT IX.

De ſenſu Animæ, ob deguſtati Jeſu Chriſti abſentiam, & repulſam mœrentis.

NON mirum, ſi alicui videatur, nihil tractandum in amoris gymnaſio ſupereſſe; cum ejus & parandi, & tuendi præcepta multa ſcripſerimus. At profectò multa nunc attentiùs, quam ante, trutinanda, quibus præcipuè egent amatores in arctiſſima vincula quaſi conjecti. Nec enim ſatis fuerit, noſſe culpa vacandum, nihilque prætermittendum, quod ad amoris parti cuſtodiam, incrementumque conducat. Evenire quippe ſolet, eo ſanè tempore, quo quis agit inculpatius, à Deo paulò ante indulgentiſſimo, tam auſterè repelli, ut videatur in gratiam nunquam recipiendus. F Repentè cælum obducitur caligine, intellectu ſcilicet obſcurato, tentationum ingruit procella, ſenſus deſævit in mentem: mille demum malis, anima mœrens obſidetur. Sors certè adverſa, ſubitus Chriſti diſceſſus; ut cum olim ſol eclipſin paſſus eſt,

Virg. lib. 1. Georgic.

Cum caput obſcura nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt ſæcula noctem.

Eſt autem dolor eo ſævior, quo major indulgentia præceſſit: quod apprime notandum eſt. Nam qui cæleſtes voluptates minimè guſtarunt, non uſque adeo torquentur abſentia, maliſque inde ſuccreſcentibus; quemadmodum rure nati non adeò loci ſterilitate, urbiſque privatione vexantur: cæterum relegatio civium genus quoddam prolixæ mortis eſt. Hinc cum animæ, comitati, & ſuavitati Chriſti aſſuetæ, ablegantur, G vix dici poſſit, quantopere ruſtica hæc mundi conſuetudo (in quam relabuntur invitæ) illis ſordeat, quantoque mœrore tabeſcant. Senſus eſt, amoris arte plane dignus; ac ob id attentiùs in hoc capite obſervandus; quod ſubjecta Pſalmi centeſimi trigeſimi ſexti explanatione commodius fiet. Pſal. 136. 1. *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & flevimus: cum recordaremur Sion.* Pſalmus hic hiſtoriam lectiſſimæ gentis in captivitatem Chaldæorum abductæ, ac propterea dulciſſimæ patriæ infeliciter amiſſæ memoriam, & exilii ſuccedentis mœſtitiam, fletumque complectitur. At nos ſub ea tragædia ſenſus arcanos animæ, à vero Hieroſolymorum Rege Chriſto repulſæ, ad rem noſtram accommodatè requirimus. Anima ergo, qua Chriſtus familiariter uſus eſt, cum acri H repulſa, velut in captivitatem abigitur (exilii hujus Babylone notati) vaſta loca pererrat: propè fluminum hoc eſt, fluentium vitæ mortalis bonorum decurſum, mœſta deſidet; & ſitim aqua illa fæculenta expleri non poſſe contemplans, vim lachrymarum effundit.

Scrip. An. circ.1593. Nec immeritò, quia paulo antè in ſponſi complexu pocula dulcoris illius avidiùs hauſit, & inopia ſuccedente, memoriam boni amiſſi, quà dolor acuitur, repetivit. Propterea ſubdit: *Cum recordaremur Sion*. Græcè ἐν τῷ μνησθῆναι ἡμᾶς τῆς Σιὼν. Quæ lectio, A ut correctior, rejecto pronomine (*Tui*) nuper reſtituta eſt. *Sionis* ergo, hoc eſt (ſynechdochicè) Hieruſalem, urbis Regiæ ac Sacerdotalis recordatio, & iniqua cum exilio comparatio, lachrymas expreſſit. Sic primus humani generis parens, amiſſo paradiſi ſtatu, luctu quodam extabuit: quo nos, illius amænitatis ignari, minimè torquemur. Habet hoc ſanè omnis adverſitas proſperitatem ſubſecuta; ſed illa præcipuè, quæ amoris oblectamento ſuccedit; cujus certè rei, tot ſunt in ſacris argumenta, quot abſente Christo prius deguſtato ſuſpiria: qualia Magdalena divinæ ſuavitatis conſcia, Præceptore ſuo interempto, ac ſepulto demonſtrat. Similia ſunt in amore alio, cujuſdam ægrè diſcedentis:

B

Ovid. Her. Epiſt. 17.

Jamque fugatura Titoni conjuge noctem,
Prævius auroræ Lucifer ortus erat;
Digredimur flentes, repetoque ego Virginis æquor,
Reſpiciens dominam, dum licet uſque meam.
Si qua fides vero eſt: veniens huc, eſſe natator,
Cum redeo, videor naufragus eſſe mihi.
Hoc quoque ſi credis, ad te via prona videtur:
A te cum redeo, clivus inertis aquæ.

Omne divortium, ſuo quidem ingenio dolorem parit: at illa Divinæ pulchritudinis libatæ interdictio & animam, & corpus enervat, & rerum aliorum quantumvis delectabilium, tædium inducit: quamobrem Pſal. 136. 2. aptè Vates ſubdit: *In ſalicibus in medio ejus, ſuſpendimus organa noſtra*. C Secum Hebræi muſica inſtrumenta detulerant, dolorem lenituri; rationi quippe conſonum eſt, in ſummis præſertim angoribus, non nihil relevare mœrorem, & ad Eutrapeliæ virtutem ſpectat, ludo, vel luſu aliquo animum dejectum recreare: quod ſanctorum Patrum hiſtoriis vulgatiſſimum eſt. At enim, acerrimus ex abſentia delibati Chriſti dolor, ita ſolet ingraveſcere, ut non libeat ullum captare ſolatium: nam, & pro minore bono amiſſo, Matth. 2. 18. *Rachel plorans filios ſuos, noluit conſolari, quia non ſunt*. In hunc igitur modum ait Pſaltes: Hebræos urbe dulciſſima pulſos, non modò inſtrumentis uti noluiſſe, verùm è ſalicibus, arboribus nempe ſterilibus, non ſine myſterio ſuſpendiſſe; quaſi organa ſterilia (quæ ſcilicet lætitiæ fructum edere nequibant) D arboribus ſterilitate ſimilibus, eſſent inſerenda, & velut anathemata quædam ſeponenda. Opportuna ſatis animæ repulſæ imago eſt: quicquid enim dolorem poterat lenire, quaſi deſperato conſolationis fructu, deponit. Sic in amore alio, remediis ejus generis uti nolebat quædam ſincerè amans, ob abſentiam viri paſſa deliquium:

Ovid. Her. Epiſt. 13.

Vix ſocer Iphiclus, vix me grandævus Acaſtus,
Vix mater gelida mœſta refecit aqua.
Officium fecere pium, ſed inutile nobis,
Indignor miſeræ non licuiſſe mori.
Utque animus rediit, pariter redière dolores,
Pectora legitimus caſta momordit amor.
Nec mihi pectendos cura eſt præbere capillos, E
Nec libet aurata corpora veſte tegi.

Et alia ſimilia, quæ animum graviter affectum, ac ob id alia ſolatia reſpuentem oſtendunt. At in amore divino, peculiari quadam ratione, aliarum delectationum animam tædere ſolet: quod videlicet nihil cum illa puriſſima voluptate conferri poſſit. Cæterum, præter rationem tanti mœroris è re natam, indicat Propheta noſter aliam, extrinſecus affixam, dum ait: *Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos:* Pſal. 136. 3. *verba cantionum. Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion*. Chaldæi victoriâ inſolentes, ab Hæbreis canendi peritis, ſacrorum carminum modos, quaſi F profanum tributum exigebant; quod animi dolorem vehementius exaggerabat. Sic Dæmon, cui velut alterum Job, animam intercepto ſolatio exercendam, & quodam captivitatis genere vexandam clementiſſimus Deus tradere ſolet, per irriſionem quamdam, ad hunc modum urgere conſuevit: Eja nunc, Regis Hieruſalem ſponſa, quæ lætis carminibus, illi blandienti accinere ſolebas; refer mihi modo cantica illa tibi olim ſuaviſſima: tolle vocem: prode geſtientis animæ ſigna. Hæc, & ſimilia exprobrat, ut animam concutiat, & ſubnervet; eſt enim hoſtis illius proprium, cùm cor dejectum intuetur, ferociùs inſtare, ut in culpam quoque præcipitet, more belluæ minimè generoſæ, ut dixit ille:

G

Ovid lib. 3. de Triſt. Eleg. 5.

At Lupus, & turpes inſtant morientibus urſi,
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Inſtabant Chaldæi: at qui Hieruſalem delitias experti fuerant, ſic reſponderunt: *Quomodo cantabimus Canticum Domini, in terra aliena?* Quaſi perſpicuè dicerent: omnia tempus habent, novimus quid cuique tempori, & loco aſſignandum ſit. Canticum ſanè Domini ſuaviſſimum eſt; at eſt ſacrum, eſt arcanum, eſt purgatis cordibus, & auribus dignum, & propterea decretus eſt illi ſacer locus Sionis, ubi populus expiatus, & divinis rebus intentus organorum ſacrorum percipit harmoniam. Qui ergò fieri poterit, ut nos profano more, profanis hominibus, profano loco, canamus? Præterquam quod tanto exilii mœrore contrahimur, ut ad cantum nequeat lingua laxari; H quod veſtra crudelitas non expendit. Sic, dum anima, Sionis, hoc eſt, contemplationis, ac ſuavitatis Chriſti conſcia, à Dæmone irritatur ad canticum, hoc eſt, lætitiam profano ritu quærendam, & affectum, quem Chriſto reddebat, ſæculi voluptatibus (quæ ſunt ſæculi carmina) impendendum: quaſi rem factu impoſſibilem detrectat, ajens:

La-

Scrip. An. circ. 1593. *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Id eſt, affectus meos, unde amoris carmina erumpebant, repurgavi, ut ad Sponſum per- Cant. 5. 3. ferantur; quomodo cœno ſæculi patiar infici, ut gaudia profana conquirant? Præterquàm quod dulciſſima Chriſti conſuetudo, quâ fruita ſum, me tanti ſponſi abſentiâ, A in exilio repulſæ hujus interareſcere facit, & immenſo mœſtitiæ pondere ad cantum lingua torpeſcit. Regio aliena eſt, rore cæli deſtituta, non à me modò cantum, ſed patientiam exigi æquum eſt; nam & viri fortiſſimi, calamitatibus obſeſſi, non ſemper lætitiam, ſed conſtantiam præferebant. Exilium patior, à ſævis hoſtibus obſideor, feram certè, ſed quomodo canam? Status eſt ærumnoſus amantibus, quibus non patet exitus, qualem depinxit illa relicta:

Omne latus terræ cingit mare: navita nuſquam eſt: Ovid. Hero. Epiſt. 9.
Nulla per ambiguas puppis itura vias.
Finge dari comiteſque mihi, ventoſque, ratemque:
Quid ſequar? acceſſus terra paterna negat.
Ut rate felici pacata per æquora labar,
B *Temperet ut ventos Aeolus exul ero.*

Ipſa exilii calamitas à cantu linguam remoratur; nihil enim animæ à Chriſto exulanti lætum accidere poſſe videtur; ſola tanti boni recordatio placet, propterea ſubiicit: *Si oblitus fuero tui Hieruſalem, oblivioni de-* Pſal. 136. 5. 6. *tur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.* Amatoria imprecatio, & impotens affectus eſt. Urgebant Hebræos Babylonii, ut canerent, ac pulſarent, quaſi lætitiam inde percepturi; illi verò fortiter renuunt, quòd aliena, regio ſit, & apoſtrophe tempeſtiva, ſic Hieruſalem quaſi præſentem, populus captivus alloquitur. Invitor ad cantum alienum; an obſequar? Abſit, o dulciſſima Hieruſalem, C ut Babylonicis luſibus vacaturus, tui memoriam depellam. Malè mihi rem hanc Deus vertat, ſi tui recordationem Chaldaicâ lætitiâ permutavero: & illa duo potiſſima inſtrumenta, manus inquam pulſui, & lingua cantui deſtinata, diro ſupplicio plectantur, ſi tui memoriam depoſuero. Tradat oblivioni Deus dexteram, & ariditate percutiat: linguam humore deſtituat, ne ad opus profanum excitentur. Elegans animæ repulſæ imago eſt; cum enim ad voluptates interdictas inſtigatur, acriter hoſtem increpat, & amanter ſibi mala imprecatur, ac ſi dicat: Ad ſolatia profana, dum interna negantur, allicior: verùm abſit, ut ſcelus hoc admittam, & curam ſponſi deponam. Quin potiùs opto, ut corporis inſtru- D menta, languore ac defectione lædantur, antequam turpibus, aut profanis ludis aſſentiar. Dexteram operibus, linguam verbis aſſignat, cogitationes argutè indicat, dum ait: *Si oblitus fuero tui, ſi non meminero tui.* Semper enim ſponſi meminiſſe, licet repulſa, cupit, ut imago hæc rerum cæterarum ſimulachra diſcutiat. Eſt amoris proprium, formam licet abſentem mente verſare, ac illo velut amuleto mala multa depellere: ſic ille; *Ad me ipſum anima mea conturbata* Pſal. 41. 7. *eſt: propterea memor ero tui.* Quaſi diceret: Cum ad me ipſum ſolum, te abſente, oculos reflecto, anima perturbatur, propterea recordabor tui, ut imagine hac incurſantia mala propulſem. Et abſens illa profana: E

Illa meis oculis ſpecies abeuntis inhæret, Ovid. Heroid. Epiſt. 2.
Cum premeret portus claſſis itura meos.

At imprecatio expletur, per adjuncta verba: *Si non propoſuero Hieruſalem, in principio lætitiæ meæ.* Quaſi diceret populus: fruſtra me ad lætitiam adhortamini, ô Chaldæi: ſeverè precor, à Deo puniar, ſi dum omnino lætitiæ vacandum ſit, in re alia priuſquam in optatiſſima civitate mea lætitiam collocavero. Si nempe, dum exulo, lætari curavero, donec ſoluta captivitate, ipſa Hieruſalem à me repetita, ſit principium lætitiæ meæ. Mirificè congruit interpretatio hæc, animæ à Chriſto abſenti, ac ſi dicat: plectar auſterè, ſi dum Sponſus abeſt, gaudia peregrina captavero, & non potius ſolatia diſtulero; donec ipſe præſens ſit, principium lætitiæ meæ. Familiare omni amori eſt, nul- F lam è rebus aliis velle voluptatem haurire, ut oſtendit Vates noſter, ajens: *Quid mihi* Pſal. 72. 24. *eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?* Et illa vehementer amans:

Ibis, & ô miſeram cui me violentè relinques? Ovid. Heroid. Epiſt. 5.
Quis mihi deſertæ mite levamen erit?

Quaſi diceret: Nullus; quia nemo alius placet, & ſubdit imprecationem ei, quam ex Propheta protulimus ſimilem,

Devorer ante precor ſubito telluris hiatu, Ovid. Ibid.
Aut rutilo miſſi fulminis igne cremer:
Quam ſine me Phibiis caneſcant æquora remis,
Et videam puppes ire relicta tuas.

Votum populi urbem dulciſſimam cupientis, G Vates expreſſit; nunc verò precationem quandam, & judicis pro irrogatis injuriis implorationem attexit, ajens: *Memor eſto Do-* Pſal. 136. 7. *mine filiorum Edom in die Hieruſalem. Qui dicunt: Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea.* Tanquam diceret populus: Summe Deus, ac vindex noſter, quare tam immanem crudelitatem fers? Diruta eſt Hieruſalem civitas tua, quaſi ſub tutela tua non fuiſſet. Recordare, quàm dirè Idumæi die ipſo excidii funeſtiſſimi extiterint, urgentes Chaldæos, & ajentes: Ne parcatis, irruite, diripite, ac urbem totam funditùs evertite. Recordare aliquando, ut vicem rependas, & illos in ſervitutem tradas, me in libertatem vindices. Cum ſæviſſimus hoſtis animæ, videt illam mœrore confectam, & abjectam, H multos ſibi ſimiles auxiliares concire ſolet, ut agminatim irrumpant, & præcipitem agant; quod in uno Job perſpicuè cernitur: non enim dæmones tantùm, verùm & homines à dæmonibus impulſos, ad inſontis vexationem laceſſivit. Anima ergo, dum ſic invaditur, Deum obnixè precatur, ut qui obli-

vio-

Scrip. An. circ. 1593. vionem ſimulare videtur, meminerit, ſuum eſſe, inſolentiam deprimere, ac vexatos quandoque redimere; quod & Job ipſe, nuper allatus ſæpe depoſcit, dum ad Dei tribunal creberrimè provocat. Universè autem, cujuſvis amoris eſt, de iis quæ rebus optatis obſtant, ultionem aut libertatem expetere, A ut Vates noſter ſæpe in Pſalmis expoſcit, ut Pſal. 82. 13. 14. ibi : *Omnes Principes qui dixerunt : Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei. Deus meus pone illos, ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.* Et illa caſta :

Ovid. Hero. Epiſt. 1. *Dulichii, Samiique, & quos tulit alta Zacynthos,*
Turba ruunt in me luxurioſa proci.
Inque tua regnant, nullis probibentibus, aula :
Viſcera noſtra tuæ dilacerantur opes :

Optavit quippe, rivalium impugnatione propoſita, virum ad vindictam urgere, ac extemplò liberari. Verùm populus Hebræus divinæ juſtitiæ conſcius, tyrannicam vexationem conſpicatus, & futuram præſagiens redemptionem, ſpe vindictæ conceptà, Pſalmum Pſal. 136. 8. 9. abſolvit, ajens : *Filia Babylonis miſera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam,* B *quam retribuiſti nobis. Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.* Ac ſi diceret : Gens Babylone nata, & proinde feræ urbis filia, planè miſera, prædis nempe tuis uſque ad inopiam expolianda : felix ille, qui Dei partes aget, & ita te torquebit, ſicut torques nos, & urbem tuam occupabit, infantuloſque petris illiſos interimet, ne quid è ſtirpe tua ſuperſit. Sic anima, poſt imploratum Deum, erecta, & ſpe altè conceptà, Dæmoni, ac ejus ſatellitibus vindictam minari ſolet : quod & ad animum roborandum, & dolorem relevandum ſæpe conducit. Viri quippe provectiores, ſicut patriam cæleſtem optant, ita & Deum vindicem habere cupiunt : ut omnis adverſitas, & mor- C talitas expungatur, & abſoluto mortis proceſſu, immortalis vita ſuccedat. Sic Joannes, elatas voces vindictam depoſcentes, & oraculo, uſque ad tempus decretum dilatas audivit. At longà exſpectatione, anima, quæ luctu malorum exercetur, multis motibus concutitur; & velut Babylone coercita, ad Hieroſolymam valdè ſuſpirat, ipſiſque ſuſpiriis exareſcit. Sed quod præſertim expendimus (Pſalmi hujus imagine ſubjecta) ſtatus eſt, ille ob repulſam mœſtiſſimus, quem anima, Chriſti conſolationem experta, ſortitur. Porrò captivitas, & vexatio Hebræorum, qui Hieroſolyma pulſi fuere, acerbior multò fuit, quàm illius poſteritatis, quæ parentibus apud Chaldæos agentibus nata, urbis D florentiſſimæ delitias minimè novit. Poſt oblectamenta quippe acrior ſubit ex abſentia dolor, & gravior multò mœror incumbit.

* * *

CAPUT X.

De remediis aliquot amoris, mœſtiſſima Jeſu Chriſti repulſa læſi.

DUM ſævit acris Dei, ante indulgentiſſimi, repulſa, quæ animam totam graviter convellit, erumpit multiplex impetus, E & quaſi furor quidam cordis, amiſſum bonum requirentis, & multis motibus ſatagentis; qualem ſponſa in Cantico Salomonis per urbem celerrimè diſcurrens, deſcribit : quem ſi quis dignè perpendat, ſenſum doloris, penè incredibilem deprehendet. Similem depinxit impotenter amans, & abſens illa :

Jam quoque, vix credes, ignotas mittor in artes : Ovid. Hero. Epiſt. 4.
Eſt mihi per ſævas impetus ire feras.
In nemus ire libet, preſſiſque in retia cervis,
Hortari celeres per juga ſumma canes;
Nunc feror, ut Bacchi furiis Eleleides acta :
Quæque ſab Idæo tympaua colle movent.
Namque mihi referunt, cùm ſe furor ille remiſit,
Omnia : me tacitam conſcius urit amor.

Graphicè pinxit inſolitos motus amantium, F qui quandoque phrenitide corripi, furereque videntur. Dolor certè, quem divinus parit amor, adeo invaleſcit; ut anima Deum, quem requirit, ubique captatura, & quaſi fugientem apprehenſura, omnia tentet, nec ſibi temperare poſſit. Sed ſubortis ſcrupulis, malum vires acquirit; dum anima, Chriſti abſentiam, culpis adſcribit propriis, quas minimè dignoſcit. Potiſſimum verò torquetur; cum de re hac moleſtiſſimà, viros ſapientes conſulit, & (ſinente Deo) ab illis quaſi delira corripitur : cum tamen impoſtura nulla, ſed purus amor ſubſit, & vera Chriſti conſuetudo tunc interrupta præceſſerit. Culpæ autem ſuſpicio, & ſapientum repulſa, ſunt graviſſima illa duo mala, ad quarti capitis G calcem deſcripta, eò nunc acriora, quò provectior amor eſt. Acerrimus certè cruciatus, & morti contiguus eſt : ſolaque Dei præſentia ægritudini tantæ videtur poſſe mederi. Gravitatem autem morbi hujus immenſi, Chriſti diſceſſu contracti, ratione aptâ ſic probari licet. Prima, quam pulchritudo infert impreſſio, amor eſt, ut ſuperius indicavimus : animaque ſemel amore ſaucia, in ipſam, qua trahitur, pulchritudinem, validiſſimo conatu ſe proripit : conatu verò tanto corpus enervatur, patetque cor, rem pulchram velut hauſturum. Si res cedat ex voto, ſubit delectatio; ſi ſecus, languor funeſtiſſimus; quo mirum non eſt, hominem impenſiùs amantem interire. Hoc ſponſa de- H prehendens inſtanter precabatur : *Fulcite me* Cant. 2. 5. *floribus : ſtipate me malis, quia amore langueo.* Ac ſi diceret : Niſi feſtinetis mihi opem ferre, deficientemque remediis opportunis ſuffulcire, confeſtim interibo : intimo quippe, ac moleſtiſſimo languore, ex abſentia ſponſi, contabeſco. Præter illa ergo, quæ ſuperioribus capitibus præſcripta ſunt, qui-

bus

Scrip. An. circ. 1593.

bus utendum eſt, cum id mala genere ſimilia, quæ Dei conſuetudinem vel præcurrunt, vel ſubſequuntur, expoſcunt: ſit præceptum, ſi forte proſit, ut qui tam graviter affectus eſt, non ſe imprudenter extenuet, ſed alios, à quibus juvetur, accerſat. Juvari nimirum poterit & conſilio, & corporis A quoque deficientis obſequio: ſi enim ſolus quis curis inſiſtat, vix poterit impetum coercere: immo ingraveſcet, otio non interpellato, malum, & ſuo quoque modo hîc verum erit illud:

Ovid. lib. 1. de Remed. Amor.

. . . . ſero mdicina paratur,
Cum mala per longas invaluêre moras.
Vidi ego, quod fuerat primo ſanabile vulnus,
Dilatum longæ damna tuliſſe moræ.

Tunc igitur, appoſitis verbis, à ſtudio formæ tam intentæ, amans, quà poterit, animum remittat; & rebus aliis, quæ non nihil voluptatis afferre poſſe videntur, intendat; ut illis, quaſi actuoſæ vitæ diverticulis, cor mœrorem exhalet. Quippe amo-B ris cujuſvis, cum excrevit, aptum otii vitandi remedium eſt, juxta illud.

Ovid. Ibid.

Ergo ubi viſus eris, noſtra medicabilis arte,
Fac monitis fugias otia prima meis.
Hæc ut ames faciunt: hæc ut fecêre tuentur;
Hæc ſunt jucundi cauſa cibuſque mali.
Sunt fora, ſunt leges, & quos tuearis, amici:
Vade per urbanæ ſplendida caſtra togæ,
Vel tu ſanguinei juvenilia munera Martis
Suſcipe: delitiæ jam tibi terga dabunt.

Perſpicaciter autem hîc annotandum, hoc idem otii excutiendi præceptum, non modò animæ, ut deſcripſimus, languenti; ſed in affluentem quoque præſentis ſponſi voluptatem ſe immergenti, eſſe quandoque ſaluberrimum. Subit enim cum voluptate torpor quidam, quo anima tanquam ſopi-C ta decumbit, & ipſius fruitionis abuſu, ad egregia virtutum opera patranda, fit iners. Tunc ſcilicet actuoſa vita ſalubrior eſt, cui ſuccedit poſtmodum tranquillior requies, puriorque voluptas. Quia verò actuoſæ vitæ forma multiplex eſt, non ſatis erit animadvertere, animum ab intentiſſimo amoris ſtudio per actus multos relaxandum, niſi amans, obſervato actuum diſcrimine, ſuaviter ad ſibi jucunda oblectamenta divertatur. Non enim violenter abigendus eſt, ut ſcilicet præter eam vim, quâ invitus ab amoris caſtris abducitur, vis irrogetur alia, dum ad actus inviſos impellitur. Diſpiciendum ergo (quod ſit ſecundum præceptum,) ut res ſuaves, & ad animum alliciendum opportunæ ſint; ut illæ:

Ovid. ibid. D

Rura quoque oblectant animos, ſtudiumque colendi:
Quælibet huic curæ, cedere cura poteſt.
Aſpice curvatos, pomorum pondere ramos,
Ut ſua, quod peperit, vix ferat arbor onus.
Aſpice labentes jucundo murmure rivos,
Aſpice tondentes fertile gramen oves.
Ecce petunt rupes, præruptaque ſaxa capellæ:
Ut referant hædis ubera plena ſuis.
Parte ſonant alia ſylvæ mugitibus altæ;
Et queritur vitulum mater abeſſe ſuum.

Hæc, & alia pro cujuſque amantis genio tentanda, ut tantillùm cor requieſcat, & amare velut dediſcat. Sic enim ait ille: E

Ovid. ibid.

Aut his, aut aliis donec dediſcis amare,
Ipſe tibi furtim decipiendus eris.

At neque attemperata ingeniis exercitia, poſtquam amor increvit, animum ita divertere poſſunt, ut dolor identidem non reſurgat, & interruptis vulneribus lædat. Quapropter tertium eſto præceptum: non eſſe tunc eos motus ſine modo reprimendos, ſubeunt enim lachrymæ, & acuta ſuſpiria, & ex amore læſo diſſultant querimoniæ, quæ ſi compeſcantur, vexant; ſi exhalentur, aliquantulum proficiunt. Nec horrere fas eſt, ſi verba ſint acria, quæ ſunt amantibus familiaria, cujuſmodi multa in capite proximo exempla proferemus. F

CAPUT XI.

De nonnullis linguæ amoris proprietatibus.

MUltas variaſque dialectos, quas ſermonis proprietates appellamus, amor uſurpat; non uſque adeò univerſis hominibus exploratas, è quibus nonnullas (ut artis obſervemus methodum) producemus: Et primum, amor læſus auſteris phraſibus uti conſuevit, ut inter amantes omnes, diſertiſſimè Job oſtendit, ajens: *Clamo ad te, & non exaudis me: ſto, & non reſpicis me. Mutatus es mihi in crudelem: & in duritia manus tuæ adverſaris mihi.* Job. 30. 21. Plurima hujuſmodi, ſcriptores non ſacri exempla producunt, ubi amor dolore invaleſcens, dum verba profert acria, fortiùs afficit, & urget aman-G tem, quale eſt illud:

Ovid Heroid. Epiſt. 2.

Sæpe Deos ſupplex, ut tu ſceleratæ valeres,
Sum prece thuricremis devenerata focis.
At tu lentus abes, nec te jurata reducunt
Numina: nec noſtro captus amore redis.
Demophoon, ventis & verba, & vela dediſti:
Vela queror reditu, verba carere fide.
Jura, fides, ubi nunc? commiſſaque dextera dextræ?
Quique erat in falſo plurimus ore Deus.

Modeſtius quiddam, licet ſubauſterum, Pſalmographus extulit, amatoria quæſtione uſus: *Ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine ſicut juraſti David in veritate tua?* Pſal. 88. 50. Paulò ante queſtus fuerat de repulſa, per aliquot verſus ſatis per ſe perſpicuos. Omninò verò exploratum eſt, his querimoniis amorem H minimè tepeſcere, ut patet tum è multis ſacris oraculis, tum ex illo non ſancto:

Ovid. Heroid. Epiſt. 7.

Uror, ut inducto ceratæ ſulphure tedæ:
Ut pia fumoſis addita thura rogis.

Æne-

Scrip. An. *Æneaſque oculis ſemper vigilantibus hæret:*
circ. 1593. *AEneamque animo noxque, dieſque refert.*

Ecce quàm fervet amor, & tamen conqueritur; ajens:

Ovid. ibid. *Ille quidem malè gratus, & ad mea munera ſurdus,*
A *Et quo, ſi non ſim ſtulta, carêre velim.*

At ſubdit admodum ſignificanter:

Non tamen AEneam, quamvis malè cogitet, odi:
Sed queror infidum, queſtaque peius amo.

Sic anima, amoris, & doloris ſtimulo percita, queri de ſuaviſſimo Deo perquàm amanter ſolet: verbis certè ſubamaris, at ſenſu dulciſſimo. Videtur lentiùs amare, & amat ardentiùs, dum queritur in hunc modum: Ubi, o ſuaviſſime Deus, grandis illa promiſſio: *Pulſate, & aperietur vobis?* Ubi Luc. 11. 10. & illa: *Omnis qui petit, accipit?* Ego ſanè pulſo, & peto, & tamen à te repellor: profectò, æquiſſime Sponſe, æquum non videtur hoc tantæ ſeveritatis genus. Eſt ad B rem illud: *Non peccavi: & in amaritudi-* Job. 17. 2. *nibus moratur oculus meus: Libera me Domine, pone me juxta te.* Quaſi diceret: Miror, clementiſſime Deus, quomodo vexes me. Ego ſanè non peccavi, & amarè fleo præ ſupplicii magnitudine; certè hoc non videtur decere te: libera me potius inſontem, & intuere me. Vim ſermonis hujus, non facile capiet, qui artem non profitetur amandi, nec de illo ſententiam rogandus eſt, ſicut neque cæcus de colorum diſcrimine. Multi quippe, aliàs ſapientes, quot audient amantium querimonias, tot opinabuntur eſſe blaſphemias; quod certè falſum eſt, tametſi ſpiritu blaſphemiæ (ut Sancti loquuntur) amatores etiam perfecti, ſicut C & alta deſperatione, aliiſque graviſſimis tentamentis ſoleant infeſtari; quapropter non paſſim hæc, quæ pervia non ſunt, à quovis homine diiudicari debent. Sanè quò quis amat ardentiùs, eò ſoliloquiis frequentiùs aſſueſcit: quaſi per hoc innuat, amoris linguam ab hominibus non ſatis percipi; quod unus pro multis Auguſtinus, amandi peritiſſimus ſcriptis multis oſtendit. Quippe miris modis, ſenſa ſua produnt amantes; quod ſi cum modis uſitatis conferamus, minimè cohærebunt: at ſunt efficaces, & cor vehementer commovere ſolent. Modò quos amant, modò quos oderunt, modò quos timent, lepidiſſimè alloquuntur, cùm tamen illi ſæpè abſint. Profectò non aderant Trojani, quos hortabatur quædam caſtè, ſed D vehementer amans:

Ovid. Heroid. Epiſt. 13. *Parcite Dardanidæ de tot (precor) hoſtibus uni,*
Ne meus ex illo corpore ſanguis eat.
Non eſt, quem deceat nudo concurrere ferro,
Sævaque in appoſitos pectora ferre viros.
Fortiùs ille poteſt, multo qui pugnat amore;
Bella gerant alii: Preteſilaus amet.

Sic validum amorem illa prodidit, quem comprimere nequibat. Melius tamen chorus ille, qui abſentes filias Sionis invitavit, ajens: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua.* Cant. 3. 11. Sed leporem, ac vim habet inſignem, modus expoſtulandi cum eo, qui impotenter amatur; qualis illa: E

Quâ merui culpâ fieri tibi vilis Achille?
Quo lenis à nobis tam citò fugit amor? Ovid. Heroid. Epiſt. 3.
An miſeros triſtis fortuna tenaciter urget?
Nec venit inceptis mollior aura meis?

Hujuſmodi multas querimonias Job ſæpe allatus uſurpat, dum ſuam præfert innocentiam, & vexationis magnitudinem: qualis illa: *Indica mihi, cur me ita judices? Nunquid bonum tibi videtur, ſi calumnieris me,* Job. 10. 2. 3. *& opprimas me opus manuum tuarum, & conſilium impiorum adjuves?* Ille verò conquerendi modus, quo utitur anima, cum mœſtiſſima jacet, ac interareſcit, nec beneficiorum Chriſti recordatione delectatur, quaſi nullus ad eam fructus permanaſſe videatur, inſigni pollet energiâ; qualem è non ſacris illa prodidit: F

Sed mihi quid prodeſt, veſtris disjecta lacertis, Ovid. Heroid. Epiſt. 1.
Ilios? & murus quod fuit ante ſolum?
Si maneo qualis Troja durante manebam,
Virque mihi dempto fine carendus abeſt.
Diruta ſunt aliis; uni mihi Pergama reſtant:
Incola captivo, quæ bove victor arat.

In eum quippè modum amanter anima derelicta queritur, ac ſi cæteras omnes Chriſtus ſoletur, ipſam verò velut exoſam habeat, & torqueat; quem ſenſum illa ſacra Threnorum verba reddunt: *Tantum in me vertit, & convertit manum ſuam.* Thren. 3. 3. Tantùm in me, inquit, ac ſi dicat: Non in alios; G cæteris propitiatur, mihi ſolummodo adverſatur. Interea verò dum queritur, & ſeveritatem cunctanti Deo anima obtendit, ſolet in præceps vehemens prorumpere, ut ſæpe in ſacris; quale illud: *Uſquequò avertis* Pſal. 12. 1. 5. *faciem tuam à me? Uſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me?* Statimque ſubtexuit: *Reſpice, & exaudi me, Domine Deus meus, &c.* Sic è profanis illa:

Sis licet immitis mariſque ferocior undis, Ovid. Heroid. Epiſt. 3
Ut taceam lacrymis comminuère meis.
Et ſubjecit:
Reſpice ſollicitam Briſeida fortis Achille:
Nec miſeram lenta ferreus ure mora.

Plurima ſunt pro modo affectus amantium idiomata, quæ percenſere non tam neceſſarium, quam laborioſum eſt: utilius accidet, H ſi exempla nonnulla paſſionum ingraveſcentium, unde idiomata illa prodeunt, afferamus.

Scrip. An. circ. 1593

CAPUT XII.

De quibuſdam Jeſum Chriſtum amantium affectionibus, notatu dignioribus.

IDiomatum amoris fontes, affectiones graviſſimæ ſunt, è quibus aliquas ſubdere oportet, ſcitu digniores; qualis illa frequens, A quæ mortis deſiderium generat. Non mirum, ſi mortis ſubeat deſiderium; ſi enim, qui morbis infeſtantur longis, mortem quaſi genus quoddam libertatis paſſim optant, & quandoque ſibi conſciſcunt, quid mirum, ſi ægritudo animi tam moleſta, ad mortem expetendam impellat? Certè viri ſanctiſſimi, Job, Elias, & Tobias, acriter vexati, interire cupierunt. Optavit, & amans illa minimè ſancta:

Hinc mihi ſuppoſitas immittere corpus in undas
Ovid. Eroid. Epiſt. 2. *Mens fuit, & quoniam fallere pergis, erit.*
Sæpe venenorum ſitis eſt mihi; ſæpe cruenta
Trajectam gladio morte perire juvat.
Stat nece matura tenerum penſare pudorem,
In necis electu parva futura mora eſt.

B Ratio verò mortis optandæ in re noſtra, duplex eſt; altera, ipſa eſt abſentiæ Dei innata mœſtitia, qua mors ipſa videtur tolerabilior; altera verò, à qua prima exoritur, cernendæ, poſſidendæque divinæ pulchritudinis validiſſimum deſiderium. At quia votum illud non expletur, mens ibi affixa, creberrimè, quod cupit ſuſpicatur; & velut è ſpecula intentiſſimè proſpicit, an Sponſus veniat; quod ex Sanctorum hiſtoriis, ſacrarum præſertim Virginum, quibus familiariter Chriſtus uſus eſt, apertè conſtat. Amoris proprium hoc eſſe, ſcripta non ſacra, in amore ſuo demonſtrant, ut illa:

Mœſta tamen ſcopulos, fruticoſaque littora
Ovid. ibid. *calco,*
Quaque patent oculis æquora lata meis.
C *Et quæcumque procul venientia lintea vidi,*
Protinus illa meos auguror eſſe Deos.

Et valdè ſignificanter illa:

Auribus interdum voces captamus, & omnem
Ovid. Heroid. Epiſt. 18. *Adventus ſtrepitum, credimus eſſe tui.*

Mirificè augurantur amantes, & non actus veros tantùm, ſed ſomnia quoque recogitant; nam dum vera negantur, ſimulata placent; quod in omni prorſus amore verum eſt, juxta illud:

Aucupor in lecto mendaces cælibe ſomnos,
Ovid. Heroid. Epiſt. 15. *Dum careo veris gaudia falſa juvant.*

Ceterùm animus amore ſollicitus, ſive quis vigilet, ſive dormiat, minimè requieſcit; ſomnus enim, qui poſſet conciliare quietem, & D modicus, & ſollicitudine intercitus eſt, aut fortaſſe nullus; nam, ut dixit ille: *Somnus ſollicitas deficit ante domos.* Quicquid autem vigilanti, ſive dormienti occurrit, amoris, ſatis per ſe incitati, novum irritamentum eſt, nihilque molitur aliud, quàm Act. 17. 27. *quærere Deum, ſi forte attrectet eum, aut inveniat; quamvis non longè ſit ab unoquoque noſtrum: in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.* Quod, & ab Ethnicis Poëtis, aſſertore Paulo, celebratum eſt. In arcana verò ſapientia majus eſt, quàm ut à Poëtis tradi potuerit. Nimirum ſolet accidere, ut qui Deum inquirit, nec perquirit, poſtquam ſe diu exercuit, ſentiat quamdam illius non tam longè abſiſtentis propinquitatem; quâ vehementer animus excitatur, & inſequitur, mox E ut videtur, illum arrepturus. Eſca hæc lautiſſima eſt, quâ cordis irritatur appetentia: ſimulque alit, & torquet. Verùm tamen, ſi ſenſus propinquitatis illius deſit, præſentia Dei ubique exiſtentis, & amantem animam deſerentis, ſæpe non alere, ſed torquere videtur. Sive ergo ſenſus ille adſit, ſive abſit, dum ad amplexus non venitur, ipſa Dei ubique exiſtentis præſentia, tortura quædam perennis eſt. Quod amori cuivis, obſervata proportione, congruere poteſt. Profanus eleganter in amore ſuo hoc expreſſit:

Quid mihi, quod lato non ſeparor æquore prodeſt? Ovid. Her. Epiſt. 17.
Non minus hæc nobis tam brevis obſtat aqua.
Quo propius nunc eſt, flamma propiore caleſco: F
Et res non ſemper, ſpes mihi ſemper adeſt.
Pene manu, quod amo, tanta eſt vicinia, tango:
Sæpe, ſed (heu) lachrymas hoc mihi pene movet.
Velle quid eſt aliud fugientia prendere poma?
Spemque ſua refugi fluminis ore ſequi?

Appoſitè Tantali fabula hûc accerſita eſt, ut amoris cruciatum repræſentaret: eſt enim (ut in re noſtra dicamus) agon quidam animæ, ad proximum Deum avidiſſimè aſpirantis; Deique illam, ad meriti augmentum, quodam velut elapſu fruſtrantis; ubi medici prudentis non eſt, animo ſaucio laborem addere, ſed ſinere, ut dolorem efflet, ajens: G *Uſquequo non parcis mihi, nec dimittis me,* Job. 7. 19. *ut glutiam ſalivam meam? Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi?* Job. 10. 20. *Dimitte me ergo, ut plangam paululum dolorem meum. Quare poſuiſti me contrarium tibi,* Job. 7. 20. *& factus ſum mihimetipſi gravis? Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmaverunt me* Job. 10. 8. *totum in circuitu, & ſic repente præcipitas me? Cur faciam tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Job. 13. 24. Et alia ſimilia amoris idiomata, quæ ad graviſſimam affectionem leniendam ſunt opportuniſſima. At verò, ut caput hoc abſolvamus, ſolerter animadvertendum eſt, paſſiones omnes, cum amor ſic invaluit, nexu quodam amoris vehementer incitari. Ex quo enim quis ardenter amat, H eadem proportione ſperat, & audet, timet, ac fugit, odit, & iraſcitur, cæterarumque paſſionum motibus agitatur. Quapropter ſi verus, recteque collocatus amor eſt, unde paſſiones cæteræ honeſtatem eliciunt timores, odia, iræ, reliquique motus, vero Dei cultui minimè reluctantur. Nam eo ipſo quod amore quis flagrat, timet ſeparari, odit mo-

Scrip. An. circ. 1593.

ras, iraſcitur in hæc præſentis vitæ repagula. Sed quicquid timet, odit, iraſcitur, ex amore Dei ſollicito ducit originem, & in Deum quoque recurrit. Verum eſt tamen, rem non paſſim omnibus eſſe compertam: unde qui affectionum internarum peritia non pollent, licet Theologi ſint, de hujuſmodi cauſis ſententiam ferre minimè deberent. A

CAPUT XIII.

De probati erga Jeſum Chriſtum amoris exitu.

INtereſt profectò animæ ſic vexari, cum ſit in cæleſtem quandam pacem, quæ ſuperat omnem ſenſum, evaſura. Exhibet enim amantiſſimus Deus felicitatis lætiſſima ſigna, quibus animus fatigatus erigitur, & ad coronam propinquus aſpirat; ut in Sanctorum hiſtoriis licet animadvertere. Mirum eſt enim, quàm cor excitetur, Deo ſigna propitia dante. B Nam & in amore alio ſimile quiddam accidere oſtendit ille:

Ovid Heroid. Epiſt. 17.

Jamque fatigatis humero ſub utroque lacertis,
Fortiter in ſummas erigor altus aquas.
Ut procul aſpexi lumen: meus ignis in illo eſt,
Illa meum, dixi, littora lumen habent.
En ſubito laſſis vires redière lacertis:
Viſaque quam fuerat mollior unda mihi.
Frigora ne poſſim gelidi ſentire profundi,
Qui calet in cupido pectore, præſtat amor.
Quo magis accedo, propriorque littora fiunt,
Quoque minus reſtat, plus libet ire mihi.
Cum verò poſſum cerni quoque protinus addis
Spectatrix animos, ut valeamque facis.

Sic ſolet clementiſſimus Deus, poſtquam deſponſam ſibi animam ſatis exercuit, paulò ante, quàm ex hac vita migret, quaſi poculum C propinare; ut delitias ſempiternas jam prælibet, illoque potu vigeat, & ad beatiſſimam cæleſtis patriæ pacem validiſſimè tracta ſuſpiret, aiens: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* (Philip. 1. 23.) Porrò ut Apoſtolos, alioſque clariſſimos Chriſti aſſertores ſileamus, quorum exitum mirari, ſed non ſcrutari valemus, multi ex utroque ſexu Sanctorum, poſt deſcriptos à nobis agones, ad eam victoriam provecti ſunt, ut per dies, menſeſve non paucos ante obitum, quaſi hoſte proſtrato, ſoli Dei voluptati percipiendæ vacare viſi fuerint. Hujuſmodi fuit ſanctiſſimus Nicolaus Tolentinas, qui ſex ante obitum menſibus ſingulis noctibus Angelicum concentum audivit, cujus mira ſuavitate permotus, cum iam paradiſi gaudia præguſtaret, crebrò illud Apoſtoli repetebat: *Cupio diſſolvi, &* D *eſſe cum Chriſto.* Alii quoque inſignes Sancti, ſimile quiddam ſub obitum adepti, & ſupernæ civitatis pulchritudine capti, multis conatibus carnis pondus excutere, & in prælibatam felicitatem ſe proripere nitebantur; quibus aptiſſimè conſentit illud Regii Pſaltis votum: (Pſal. 41. 3.) *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Verum ſanè omni amori penitus innatum, ut moræ diſpliceant, ſicut oſtendit illa:

Ovid. Heroid. Epiſt. 18.

Mota loci fama properabam viſere Delon,
Et facere ignava puppe videbar iter.
Quam ſæpe ut tardis feci convitia remis,
Queſtaque ſum vento lintea parca dare.
Et jam tranſieram Miconem jam Thenon, & Andron,
Inque meis oculis candida Delos erat;
Quàm procul ut vidi, quid me fugis inſula, dixi: E
Laberis in magno nunquid ut ante mari?

Sic videlicet probati jam Deo Sancti, cælo proximi, affectuum brachia porrigunt, quaſi fugientem Hieruſalem apprehenſuri, & cunctationem vel modicam eò magis pertimeſcunt, quò celerius properant, & minùs itineris ſupereſt. Sed Virgines hoc præſertim munere affectæ fuiſſe videntur, quæ tam arctam cum Sponſo conſuetudinem nactæ ſunt, ut ob inſolitas amoris prærogativas, earum hiſtoriæ à nonnullis viris in ſpeciem doctis, licet immeritò, reiiciantur. Nec ſanè miramur; quia *Non omnes capiunt verbum iſtud.* F (Matth. 19. 11.) Si enim quæ ſuaviſſimus Deus cum Catharina Senenſi, cum Gertrude, Thereſia, aliiſque id genus minimè paucis, immensâ quadam amoris indulgentiâ, præſtitit, ponderentur, quem non admiratione ſuſpendant? Quænam unquam amoris blandimenta, vel à ſcriptoribus profanis conficta ſunt, quæ cum ineffabili ad illas Virgines Chriſti propenſione comparari queant? Res loquimur à viris ſapientiſſimis exploratas, & probatas. Quid ergo præſcribendum animæ, quæ & prudentiſſima, & cælo finitima eſt; niſi ut amet, cæteroſque ad æmulationem laceſſat? Rectè congruit illud Apoſtolicum: *Curſum conſummavi; fidem ſervavi.* (2. Tim. 4. 7.) Digneque uſurpare poteſt, quod quidam prompſit, non ita felix: G

Ovid. lib. 1. de Rem. Amor.

Hoc opus exegi: feſſæ date ſerta carinæ:
Contingimus portum, quo mihi curſus erat.

CAPUT XIV.

De variis affectionibus Divinis ad artis totius intellectum opportunis.

JUre, dives anima, proximo capite deſcripta, poterit gloriari, & ad proximum æternæ vitæ principatum celerrimis motibus aſſurgere: quales divinus Vates Pſalmo octogeſimo tertio, conſcientiâ teſte deprompſit. Licet enim non omnes Pſalmi ejus affectus lætitiæ ſint, ut ſtatum animæ, qualem cælo propinquam depinximus repræſentent: ſunt tamen omnes dubio procul opportuni ad affectiones arcanas & libri hujus, H & aliorum internoſcendas, quapropter Pſalmum interpretabimur. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* (Pſal. 83. 2.) Vim habet inſignem modus ille incipiendi, velut acephalus: *quam dilecta*: quaſi Pſalmi hujus initium non à verbis his, ſed a penitiſſima contemplatione (quæ mentem illam in ſubli-

li-

Scrip. An. circ. 1593.

lime, tanquam pennis elatam, altè ſuſpendit) lectori petendum ſit. Erupit ardentiſſimus affectus animi, ad cæleſtem patriam ſuſpirantis; at niſi rerum maximarum præcurrente notitia, ejuſmodi affectus, admirationis, & amoris plenus, minimè diſſultaret. Dicit ergo: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum!* A Ac ſi diceret: Poſtquam divino lumine perfuſus, elegantiſſimam urbem, quam architectatus es, o ſapientiſſime opifex, circumſpexi, & omnes ſtructuræ tantæ partes harmonicè conſentientes, muri ambitum immenſum, latiſſimam plateam, templum auguſtiſſimum, nobiliſſimos cives, & quicquid ad ubertatem expeti poſſit, copioſiſſimo amne interfluente convectum, attentius ſpeculatus ſum, obſtupui, nec potui erumpentem cordis impetum coërcêre; ſed oportuit animi ſtupentis ſenſa voce prodere, & amori vehementius invaleſcenti, hæc verba permittere; *Quàm dilecta!* Id eſt: o quàm mihi chara! quàm mihi amabilis! quàm mihi elegans, quàm pulchra videtur civitas, quæ architectonicæ peritiæ tuæ ſublimitatem oſtentat! B Habent emphaſim verba illa: *Tabernacula tua*: quaſi dicat; *tua*, hoc eſt, à te, auctore tanto conſtructa: quicquid enim ad urbis felicitatem excogitari poteſt, ab auctore ſuo ubertim acceperunt. Clementiſſimum ibi cælum, ſplendidiſſimus ſol, aer ſaluberrimus, amœnitas hortorum ſempiterna, & quicquid gaudia cumulare poteſt, præſentiſſima Dei pulchritudine, ac dulciſſimo conſortio, ſemper affluit. Propter hoc, *Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* Nihil potuit magis appoſitum divinus Vates efferre: expreſſerat quippe amoris vim per illa verba: *quàm dilecta!* & ſubjecit motum deſiderii, ajens: *Concupiſcit.* Eſt mirus ordo: conſtat enim ex morali Philoſophia, ex amore, C quem res pulchræ primùm mente conceptæ inferunt cordi, nativa quadam ſerie generari deſiderium, quo, qui ſemel amore captus eſt, in id quod amat avidè contendit: deſiderium quippe, progreſſio quædam amoris eſt. Poſtquam ergo Propheta protulit cæleſtem urbem ſibi dilectam, concinnè ſubjecit: *Concupiſcit anima mea*, ac ſi diceret: Non amor iners, qui otio torpeat, ſed ſtrenuus me acriter urget, ut tam egregiæ formæ deſiderio flagrem, & quaſi porrectis brachiis illam complexurus, ad ulteriora progrediar. Cæterùm quia non continuò res ceſſit ex voto; datum eſt enim, & amare, & cupere, at non confeſtim frui, mirificè ſubtexuit: *Deficit anima mea.* Quaſi planius enuntiaret: Eò proceſſit deſiderium, D ut voto non expleto, licet explendo, ſuborta fuerit animæ languentis defectio. Convenit enim inter Philoſophos, & Theologos, qui res arcanas explorant, fruſtrato deſiderio vehementi, languorem, defectionemve ſuccedere, quæ certè paſſio cor graviſſimè lædit; & quandoque interitum affert. Patet igitur, quibus affectionibus ad cæleſtem Hieruſalem Pſalmographus æſtuarit, amore ſcilicet, deſiderio, ac languore, quo nihil poteſt eſſe funeſtius. Rectè dictum; *Deficit anima mea*: pro quo Græcè: Ἐκλείπει ἡ ψυχή μου: Ἐκλείπει, inquit, tanquam diceret: eclipſim patitur: ac ſi anima, dum Chriſtus abeſt, eclipſim patiatur; quæ ad mœrorem languoris indicandum aptiſſima videtur. E Quod in omni amore, ſive fruitionem præcurrente, ſive ſubſequente, obſervatione dignum eſt; ut patet ex illo ſubſequente:

Incubuit Boreas, arreptaque vela tetendit, Ovid. Ero id. Epiſt. 13.
Jamque meus longè Proteſilaus erat.
Dum potui ſpectare virum, ſpectare juvabat;
Sumque tuos oculos uſque ſecuta meis.
Ut te non poteram, poteram tua vela videre:
Vela diu vultus detinuêre meos.
At poſtquam nec te, nec vela fugacia vidi;
Et quod ſpectarem, nil niſi pontus erat.
Lux quoque tecum abiit: tenebriſque exanguis obortis,
Succiduo dicor procubuiſſe genu.

Si lux cum homine cæco abire, ac defectione quadam, quaſi vitam adimere viſa eſt: F quantò ſignificantius, Chriſti veri ſolis abſentiâ, eclipſim animæ fieri, ac viribus ademptis defectionem ſubire dicemus? At hujus defectionis tam luctuoſæ cauſam perſcrutemur, ad quam perveſtigandam è ſuperius allato Ethnici Scriptoris carmine, quatuor ultimi verſus, ſi rectè perpendantur, non parum conferent: ſubdit enim noſter Vates *Cor meum, & caro mea, exultaverunt in Deum vivum.* Pſal. 83. 3. Quaſi disertè diceret: Si quis roget, quam ob cauſam atria Domini tam ardenter cupiam, & deficiam, reſponſio in promptu eſt: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Quaſi luculentiùs adderet: cum Deus clementiſſimus mihi copiam ſui fecerit, ac illius voluptate G percepta, cor, & caro geſtire, ac lætis motibus exultare cœperint: calore amoris efferbui, ut pleniùs bono illo primoribus labiis deguſtato potirer: quod cum non impetraverim, validiſſimo deſiderio fruſtrato, defectio mœſtiſſima ſubintravit. Verum ad languorem æqua lance ponderandum, exultationem illam expendere opus eſt: *Cor meum, & caro mea* (inquit.) Non cor carneum (nam ſub appellatione carnis, cor illud apertè complectitur) ſed voluntas; quæ, & Scripturæ ſacræ, & ſanctorum Patrum more frequentiſſimo, cor dictitatur, unde vita procedit. Cum enim divina charitas, unde virtutes cæteræ vitam eliciunt, & cujus motu in æternitatem eriguntur, H in voluntate ſedeat, rectè cor hominis nuncupatur: nam & cor carneum virium vitalium, motuſque principium eſt. Hoc ergo excelſum cor, cum divina patitur, multis motibus in Deum, quem delibat, ſe ipſum propellit, & attollit; & cum exundat lætitiâ, inferiorem hominis partem, quæ caro hic appellatur, ſecum abripit, & ſuo motu convertit; eò videlicet modo, quo primum mobile (ut Philoſophi loquuntur)

Scrip. An. circ. 1593. cæteros orbes cæleſtes, qui motibus contrariis vertuntur, motu ſuo altiore, ac fortiore movet. Tunc igitur caro etiam pro captu ſuo, non ſuis, ſed cordis illius motibus aſſueſcens, divinam voluptatem à corde lapſam experiens, validiùs in res divinas, quàm in ſuas ante illecebras incumbit. Tantundem ergo eſt: A *Cor meum, & cano mea exultaverunt in Deum vivum*; ac ſi liquidiùs ſic Vates extuliſſet. Voluntas mea, & pars quoque inferior, Dei ſenſu vehementer affectæ, atque commotæ ſunt. Jam verò, quàm graviter anima ſaucietur, ſi, dum in Dei amplexum tota conſurgit, & pulchritudinem tantam velut aquam ſpongia, conceptura dehiſcit, bono illo potiri nequeat: nemo, niſi qui Dei ſenſum adeptus fuerit, dignè poterit penſitare. Quod tamen apta ſimilitudine coniicere utcunque valebit, qui dum ardentiſſimâ febre vexatur, aquæ guttam ſummis labiis excipere ſinitur; & dum ſe ad ſitim explendam ſubrigit anxiùs, frigidiſſimæ aquæ vas plenum, quod ori fuerat admotum, eripitur. Quem ſenB ſum reddere videntur ejuſdem Prophetæ verba illa: Pſal. 41. 3. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum*. Præguſtatione quippe ſitis excrevit, & propterea ut impotens deſiderium proderet, adjunxit: *Quando veniam?* Ac ſi diceret: Videor mihi nunquam perventurus: æterna mora videtur. Tanta eſt immenſitas deſiderii, ut vel modici temporis imagine, æternitatem repræſentet, ac proinde tanquam gravi morbo, corpus effœtum tradat ſenectuti: quod ſatis expreſſit illa caſtè amans;

Ovid. Heroid. Epiſt. 1.

Certe ego, quæ fueram, te diſcendente, puella,
Protinus ut redeas, facta videbor anus.

Etſi verò amor quilibet magna producat deſideria, divinus tamen quantò nobilior eſt, C tantò impenſiora producit, nec immeritò, quia bonum majus aggreditur, quod ſubiecit noſter Pſaltes, dum ait: *Deum vivum*. Hoc eſt, Deum, qui eſt vita ipſa. Vitæ verò deſiderium inter univerſa cordis vota principatum gerere, planiſſimum eſt. Ex ijs ergo, quæ prompſimus, liquet, ſecundum Pſalmi hujus verſum, primi originem eſſe, ſive, quod eſt apertius; ex deſiderio non expleto, animæ defectionem extitiſſe; quod & ipſa temporum diſcretione verba demonſtrant; deſiderium enim ac languorem quaſi effectum, præſenti; Dei verò ſenſum, ac exultationem quaſi cauſam, prætetito tempore Propheta diſcrevit. At poſſet quis tam conſtantis animi defectionem admirari, & D ſuſpicari, non eſſe uſque adeò rationi conſentaneam. Propterea Vates velut rationem Pſal. 83. 4. languoris attexens ſubdit: *Etenim paſſer invenit ſibi domum: & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos*. Ac ſi explicatiùs diceret: Non eſt vitio vertenda hæc mea defectio; imò tanquam homine digna laudanda. Hominis enim eſt, veram felicitatem avidiſſimè expetere, ac ſtudioſiſſimè inquirere; ac eâ de cauſâ ejus generis lucra plurimi facere, ex damnis verò quibuſvis, intimo dolore cruciari. Quapropter cum res mihi ex ſententia non accidat, (cupio enim, ac poſco, & derelinquor) non eſt mirum, nec ab hominis ingenio alienum, virium pati deliquium. Quod verò ad requiem veram ſic aſpirare, hominis ſit, vel ex animantium natura patet: cum enim homini, cæteriſE que animalibus ſitim quandam Deus ingeneraverit, qua pacem, requiemve, generi ſuo congruentem, exquirant; ſi paſſerculus nidum, ubi cum partubus ſuis conquieſcat, dum libet, exiguo cum labore perquirit: cur homo nidum quoque ſuum reperire non conetur? Cur de iactura, vel corporis prorogatione non doleat? Luget homo, ſi lucrum auri, quod ſperat, vel aufertur, vel differtur; ſi ager ſementem quadruplam non reddit; cum tamen vivere poſſit, eo quod aliundè areæ, horreaque ſint plena: & de veræ felicitatis cauſa, ſine qua vivi nequit, non erit anxius? Sed arcanus eſt ille dicendi modus, *Invenit ſibi domum*; Invenit Græcè, præteritum eſt: εὗρεν ἑαυτῷ οἰκίαν. Paſſer, inquit, F jam invênit ſibi domum: ego, qui ſum tibi pretioſior illo, quæro, nec invenio. Verùm cum paſſeris, & turturis, quod ad requiem inveniendam ſpectat, eadem videatur eſſe ratio; quorſum adiecit turturem? Rationis incrementum eſt; quaſi dicat: Non ſolum aviculæ, quæ gregales ſunt, & mutuo foventur comitatu, loca quieti deſtinata reperiunt; ſed turtur quoque, auis, ſecundi maris neſcia, & quæ derelicta videtur, nido à te parato requieſcit; quare ergo ego, qui omnes mundi voluptates, & ſodalitates aſpernor, ſoluſque vagor, nidum à te impetrare non valeo? Sed mirum eſt quod ſubdit: *Ubi ponat pullos ſuos*. Quaſi per allatæ rationis exaggerationem ſic effaretur: Aviculæ iſtæ, G non magni apud te ponderis; non ſolum ſibi (te dante) nidos adaptant, verùm & latos, ac benè compactos efficiunt, ut pullos commodiùs fovere valeant: ego verò, cum pro me duntaxat tibi ſupplicem, non exaudior. Amantium eſt conqueri, & rerum etiam minimarum momenta perpendere, ut ad ſuas querimonias gradum ſubſtruere poſſint; tunc præſertim, cum alios dignitate poſteriores proſperari, ſe verò deijci animadvertunt. Cujuſmodi eſt illud Iob: *Nunc derident me iuniores tempore. quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Egeſtate, & fame ſteriles, qui rodebant in ſolitudine, ſqualentes calamitate & miſeriâ*. Iob. 30. 1. 3. Conqueritur, quòd homines vilitate canibus ſimiles fortunentur: ipſe verò minimè. At homines erant: Vatis verò regij querimoniæ ab inferiore H quodam genere petitæ vim habent, ac ſuavitatem inſignem: quaſi loqueretur in hunc modum: Quid eſt hoc amantiſſime, & æquiſſime Deus? Invideo felicitatem aviculis, quas tamen neglectu conſtat eſſe dignas, ſi cum homine componantur. Nunc verò animadverto, illas, te largè providente, felicitate ſua potiri, cum ego infelix ſim. Hic Dei quaſi neglectus, quo animam virtutum ſplen-

Scrip. An. circ. 1593. dore conſpicuam repellit, acerrimi doloris ſenſum ingerit: quippe univerſe verum eſt illud:

Virg. lib. 1. Aeneid.
. . . . . Manet alta mente repoſtum
Judicium Paridis, ſpretæque iniuria formæ.

A Sed cum Prophetæ ſenſum de aviculis allatis expenderimus, quid adiiciat audiamus: Pſal. 83. 4. *Altaria tua Domine virtutum, Rex meus, & Deus meus.* Oratio ecliptica, cui ad explendum ſenſum nonnihil intexendum eſt. *Altaria,* inquit, *tua*: ſubintelligendum, cupio; ut ſenſus ſit: Cupio invenire altaria tua, ſive per metonymiam, templum tuum, ubi eſt nidus meus, ut in auium argumento perſiſtat. Nec ſine delectu ex altaribus totum templum intelligi voluit, ut ſcilicet æterna in aris cordium ſacrificia, in cæleſti patria futura notaret. Ampliſſima certè, & ornatiſſima cæleſtis hæc domus eſt, in quam regij Pſaltis vota feruntur: nec fruſtra: quis enim illuſtriſſimam civitatem regiam, & ſacerdotalem, quam Dei præſentia nobilitat, non B affectet? Dei, inquam, qui Rex generoſiſſimus eſt urbis, cujus tot ſunt reges, quot cives? Immenſum ſanè pondus habet ad cor flectendum promiſſa regni poſſeſſio; quod ſenſiſſe videtur ille, qui animum quendam excelſum, ſic ad ſuum votum alliciebat:

Ovid. Hero. Epiſt. 15.
Ibis Dardanias ingens Regina per Vrbes:
Teque novam credet vulgus adeſſe Deam.
Dona pater, fratreſque, cum genitrice, ſorores,
Iliadeſque omnes totaque Troia dabit.
Hei mihi, vix à me pars dicitur ulla futuri,
Plura feres quam, quæ littora noſtra refert.

Dives certè promiſſor: ſed quantò veriùs C eſt, à veris Dei cultoribus maiora ſperari, quam verbis conſequi poſſint; ut pateat, ingentia deſideria, qualia Propheta deſcripſit, futuro regno deberi. Nihil enim optabilius beatitudine. At cives cæleſtes beatos eſſe, Pſal. 83. 5. per proximum verſum Vates enunciat. *Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudubunt te.* Ac ſi diceret: Non eſt, cur ob deſiderium, ac defectionem, quam oſtendi reprehendar, quis enim, quod beatitudinem ardenter optet, iure carpatur? Quinpotius mirum eſt, quomodo univerſi homines ad beatitudinem non cupidiſſimè ſuſpirent, ac ſuſpirando deficiant? At, ſi ad felicitatem aſpirandum, quò, niſi in atria Dei, ubi eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, aſpirem? *Beati*, ait diviD nus Vates, *qui habitant in domo tua Domine*; hoc eſt: Ideo beati, quia habitant in domo tua; nam domus, ſive manſio Beatorum Deus 1. Joan. 4. 16. eſt, iùxta illud: *Qui manet in Charitate, in Deo manet.* Charitatis autem ſumma perfectio, quam Cælites acquirunt, adeò illos Deo conciliat, & medio Dei cordi velut inſerit, ut iure in Deo, tanquam in pulcherrima quadam aula, manere dicantur. Nec mirandum: ſi enim Deum velut ampliſſima domus, cor hominis capit; ut patet ex oraculo illo: *Et Deus in eo*; quantò capacior domus cor divinum ſit, ad uni- Ibid. verſos iuſtos excipiendos? Propria ergo cordis humani domus, Deus eſt; ac proinde amoris eſt proprium, eam habitationem expetere; ne duo corda, quæ mutua ſunt domicilia, ſeparentur. Nimirum affectus hic E amori cuilibet innatus eſt; quod indicavit ille:

Ovid. Heroid. Epiſt. 17.
Invitus Patriam repeto: quis credere poſſet?
Invitus certè nunc moror urbe mea.
Hei mihi, cur animis juncti ſecernimur undis?
Unaque mens, tellus non habet una duos?
Vel tua me Seſtos, vel te mea ſumat Abydos:
Tam tua terra mihi, quam tibi noſtra placet?

Quâ potuit, habitationis deſiderium exprompſit; at rem hanc noſtram arcanam, & facilè divinam, æquare non potuit; non enim ſine fidei lumine percipitur, quo pacto cor divinum, & humanum reciproca ſint habitacula. Bonum eſt infinitum, quo qui potiuntur, æternis laudibus certant, unde aptè conſentiunt verba illa: *In ſæcula ſæculorum* F *laudabunt te.* Quibus certè verbis, lætitiam ſempiternam Vates adumbravit. At enim parum exulibus profuiſſet cæleſtis aulæ fama, quæ orbem noſtrum pervagata eſt, niſi clementiſſimus Deus, viam, qua ſit aſcendendum, oſtendiſſet, quemadmodum regio Vati monſtravit; quamobrem opportunè ſubdit: *Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te; aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lachrymarum, in loco quem poſuit.* Pſal. 83. 6. 7. Tanquam diceret: Beatos eſſe cives cæleſtes, compertum eſt: verùm, qua ratione beatitudine illâ frui licebit, niſi te manum porrigente, ut conſtruatur ſcala, cujus faſtigium pertingat ad cælum? Proptera ille duntaxat in hoc G exilio beatus eſt, cui tu, clementiſſime Deus, opitularis; nam vis tua in proprio corde ſtruit gradus virtutum, quibus ad te aſcenditur; tametſi verſetur in valle vitæ hujus luctuoſæ, loco ſcilicet, quem ſibi homo (non Deus) peccando poſuit. *Beatus* (inquit) *vir, cujus*, id eſt: *cui eſt auxilium abs te*: nam ſic habetur Græcè: Μακάριος ἀνὴρ ᾧ ἐστὶν ἀντίληψις ἀυτῷ παρὰ σοί. Beatus vir, ait, ac ſi ad hunc modum loqueretur: Quicquid mundi ſapientes, de hominis felicitate decernant; ego ſanè, beatitudinem (quæ homini adhuc extorri, contingere poteſt) in auxilio tuo conſtituto. Ratio ſuffragatur: ſi enim ultima, propriaquè beatitudo Dei aſpectu conſtat & auxilium Dei, hominem in hac vita provehit ad celſitudinem quandam, H cæleſti ſtatui, illique conſpectui finitimam; efficax ratio perſuadet, penultimam (ut ita dicamus) beatitudinem, hoc auxilio Dei conſtare. Quod manifeſtiùs oſtendi poteſt, expenſa veræ felicitatis ratione, quæ ex clara Dei notitia, amoreque conflatur: auxilio enim Dei viri perfecti, in præſenti adhuc vita, ad eximiam quandam Dei cognitionem, ac dilectionem, quod eſt quaſi quoddam inſtantis beatitudinis initium, provehuntur, Scrip. An. circ.1593. tur, Sed quia ſublimis eſt, quod in morali virtutum cultu præſagivit ille :

Nam via virtutis dextrum petit ardua callem:

Subdit Propheta : *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit*. Sunt quippe corda multa humi repentia, quæ nihil niſi terrenum cogitant, & A conantur : cum verò Dei cultor aliquis, unus è millibus, auxilio Dei, ſe in res divinas erigit, arcano ſermone, aſcenſiones diſponere dicitur. Scala eſt, cujus tot ſunt gradus, quot virtutum profectus; atque ita multis motibus, & erectionibus, ut idem Pro- Pſal. 63. 8. pheta cecinit : *Accedet homo ad cor altum*. Tam eſt profundum, latum, & longum hominis cor, ut & in tartarum demergi, & orbe toto porrectum jacêre, & in cælum uſque poſſit attolli. At hoc mirandum, quod auxilii cæleſtis efficacitate homo prius ad terram culpâ pronus, cor erigat. *In valle lachrymarum, in loco quem poſuit*. Hoc eſt : *in valle*; ob loci humilitatem lachrymis fletuve digna : *in loco* ſcilicet, *quem* peccando *poſuit* homo, quem Deus in paradiſo poſuerat. B Sed non vacat difficultate, quo pacto è loco tam devexo in tam excelſum locum homo, qui jacet, ſe poſſit attollere. Pro- Pſal. 83. 8. pterea ſubiicit : *Etenim benedictionem dabit Legiſlator : Ibunt de virtute in virtutem : Videbitur Deus deorum in Sion*. Quaſi diceret : Fateor arduam eſſe rem : at quod homo viribus propriis non valeret, Deo auxiliante præſtabit. *Etenim benedictionem dabit Legiſlator :* Hoc eſt : Bonorum copiam (uſitato Hebraiſmo) dabit legiſlator; id eſt, ipſe qui legem tulit humanis viribus altiorem, dabit & vires humanis fortiores, quibus lex ſublimis poſſit obſervari. Eo verò ſic juvante, homines *ibunt de virtute in virtutem*. Ac denique, poſt ſuperatam conſcenſus tanti ſcalam, virtutum gradibus conſtructam, *Videbitur Deus deorum in Sion*. C Hoc eſt : Verus, & unus Deus (à quo cæteri, qui dii nuncupantur, & nomen, & adoptatam dignitatem acceperunt) gloriæ lumine cernetur, in dulciſſima Sionis cæleſtis urbe, cujus imaginem prætulit terreſtris illa Sion, divinis rebus addicta. Hoc eſt, quod regium Pſaltem vehementer urgebat, videndum ſcilicet ſuaviſſimum Deum in Sion, cujus immenſo deſiderio tenebatur. Omnis quippe amor, nedum divinus, mentis aciem in optatiſſimum ſibi ſcopum intendit, ac ſtimulat, ut ſignificavit ille :

Ovid. Heroid. Epiſt. 17. *Rupe ſedens aliqua ſpecto tua littora triſtis,*
Et quo non poſſum corpore, mente feror.
Nunc daret audaces utinam mihi Dædalus alas :
Icarium quamvis hic prope littus adeſt.
D *Quicquid erit, patiar : liceat modo corpus in auras*
Tollere, quod dubiâ ſæpè pependit aquâ.

Et quia Vates divinus affectibus agebatur, optabatque in altum tolli (quod ſine præſenti Dei auxilio, ſeu legiſlatoris benedictione, fieri non poſſe cernebat) ſubjunxit auxilii implorationem : *Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam : auribus percipe Deus Jacob*. Pſal. 83. 9. Non fortuito dixit : *Deus virtutum, & Deus Jacob* : *virtutum*, id eſt, potentiarum, ſeu potentiſſimè, juxta phraſim Hebraicam : *Jacob*, id eſt, fortiſſimi illius luctatoris. Cum enim Deum ad vires impe- E trandas imploret, illis nominibus Deum appellat, quæ vim potentiamve ſignificant; quaſi dicat : Te decet in hoc genere tutelarem meum eſſe, vireſque imbecilli ſuggerere, qui potentiſſimus, & robuſtiſſimus es. Verùm ad rem pretioſiſſimam obtinendam (qui mos iis, qui à principibus quippiam impetrare contendunt, familiaris eſt) obſecrat per Chriſtum, apud Patrem ſummè gratiâ valentem : *Protector noſter aſpice Deus : & reſpice in faciem Chriſti tui*. Ibid. v. 10. Quaſi ad hunc modum ageret : Ardua peto; at non ſine patrono, cui nihil negari poſſit, juſto. Aſpice obſecro calamitatem, & egeſtatem meam, qui genus noſtrum protegere ſoles : & ne videar prorſus indignus, reſpice, precor, jucundiſſimam faciem filii tui, qui Redemptoris more interpellat, & pretium pendit pro F me. Mos amantium eſt, Numen implorare, & ad ſuos conatus, per eos (qui juvare poſſunt) obteſtari, ut oſtendit ille :

Luna mihi tremulum lumen præbebat eunti, Ovid. Ibid.
Ut comes in noſtra officioſa vias.
Hanc ego ſuſpiciens, faveas o candida, dixi :
Et ſubeant animo Latmia ſaxa tuo.
Non ſinit Endymion te pectoris eſſe ſeveri :
Flecte precor vultus, ad mea furta tuos.

Sic Vates noſter per acceptiſſimum Patri Filium, exaudiri poſtulat, ut in ampliſſima Dei atria introducatur. Poſtulati verò magnitudinem, interpellatore tanto dignam, benè ſignificavit, ajens: *Quia melior eſt dies una in atriis tuis, ſuper millia*. Pſal. 83. 11. Idoneus æſtimator, nec in dubium aſſertio veriſſima re- G vocari poteſt; neminem quippe latet, orbis terrarum monarchiam, bonis mundi omnibus affluentem, & per annorum multa millia procurrentem, cum tantilla cæleſtis beatitudinis fruitione, non magis, quam cum auro puriſſimo cœnum, comparari poſſe. Quapropter mirum non eſt, ſi prudentiſſimus rei tantæ perpenſor adjecerit : *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum*. Ibidem. *Elegi*, inquit, conſilio præcurrente, *abjectus*, hoc eſt, poſtremus *eſſe*, *magis*, *quam habitare*, hoc eſt, inſtructiſſimas peccatorum opibus affluentium aulas incolere; multò enim locupletior ibi ero. Cujus aſſerti rationem adjungit : *Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus : gratiam, & gloriam dabit Dominus*. ibid. v. 12. Ac ſi di- H ceret : Non imprudenter elegi; quia licet juſtus in hoc exilio videatur à Deo ſæpè repelli, ac pro nihilo duci, non continò credendum, nihil homini probato felicitatis ſupereſſe : immo ex miſericordia, & quod eſt ſtrictius, ex veritate, hoc eſt, juſtitia ſua (quæ duo divinorum operum lumina, velut eorum auctor, diligit Deus) mercedem co-

pio-

Scripta An. 1610. piiſſimam juſto in aulam cæleſtem recepto, rependet : *gratiam* quidem, ut mereatur in præſenti vita, ex miſericordia; *gloriam* verò dabit in patria ex veritate, ſive juſtitia. Denique Judicis æquiſſimi eſt, inſontes tueri, Ibid. v. 15. nec ſinere bonis privari ſuis : *Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia*. Quapropter, tametſi modò ad exercitium, & A meriti augmentum, æquiſſimus Deus, juſtos inopiâ premere videatur, interim dum bonis abundant mundani, exacto tamen agone, non privabit, quin potius immenſis bonis augebit innoxios, quod fides invictiſſima pollicetur. Verùm cùm rerum abſentium, quantumvis firma promiſſio, homines præſenti ſæculo deditos parùm moveat, & proinde, à præſentium bonorum affectatione vix poſſint abduci; reliquum eſt, ut inter potiſſima Dei dona, ſpes inconcuſſa debeat recenſeri. Hebr. 6. 19. Quin enim adeptus eſt, *Spem incedentem uſque ad interiora velaminis*; penetrantem iniquam, in divina promiſſa (quæ rerum aſpectabilium integumento velantur) grandi certè munere auctus eſt. Habet enim quandam velut *Anchoram animæ tutam, ac firmam*, B quâ navem multis procellis agitatam fundare poſſit. Unde ſatis appoſitè Pſalmum quadam acclamatione Propheta concluſit ajens: *Beatus homo, qui ſperat in te*. Quaſi planiùs ſic efferret : Verè ille quodam præſagio felicitatis gloriari poteſt, qui dono tuo, futurorum bonorum ſpem firmam concepit. Cum enim in te unum, clementiſſime Deus, ſpes tota confertur, liberalis cum ſis, hominem ſublimia & de te digna cogitantem, munificentiſſimè locupletare, ac fortitudine mira fulcire ſoles, ut ſine defectione curſum præ- Isa. 40. 31. ſentis vitæ conficiat; ſicut ſcriptum eſt : *Sancti, qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, ut aquilæ, volabunt, & non deficient*. Denique quanti ſit ponderis ultimum hoc regii Vatis aſſertum, C ipſemet ſatis oſtendit, cum Philiſtæum immanem, reddendæ mercedis ſpe altè defixa, proſtravit; & inter univerſas morum præceptiones, quæ de ſpe, initio curſus, imis radicibus defigenda tradi ſolent, mirificè prodeſſe, ſapientum conſenſio eſt. Nihil autem ad ſpem excitandam opportuniùs excogitari poteſt, quam præmii, de quo Vates egit, magnitudo, quæ cor generoſum creat, & roborat; ut in re minore indicavit ille :

Ovid. Heroid. Epiſt. 15.

Quid valeam, neſcis : & te mea robora fallunt,
Ignoras, cui ſis nupta futura viro.
Aut igitur nullo belli repetère tumultu,
Aut cedent Marti Dorica caſtra meo.
Nec tamen indigner pro tanta ſumere bellum
D *Conjuge; certamen præmia magna movent.*

Spes ergò ſempiternæ beatitudinis quid non præſtet? Spes hæc altiſſimos mundi contemptores procreavit, clariſſimos Martyres protulit, ac de univerſis mundi bonis, illuſtriſſimam victoriam reportavit : quâ, faxit clementiſſimus Deus, exhauſtis belli laboribus, potiamur. Ex interpretamento Pſalmi hujus, ad amantium affectiones dijudicandas nonnulla poſſunt haberi, quæ non ſpeculationem modò, ſed praxim quoque demonſtrent: cujuſmodi eſt amor ille ſummus, quo regius Vates deflagravit, ardentiſſimum cæleſtis patriæ deſiderium, animæ languentis defectio, amatoriæ querimoniæ, ferventiſſima precatio, & obſecratio, quæ ſunt capita huic arti noſtræ conſentanea, & velut ſidera E in hujus Pſalmi cælo nobis affulgentia. Spes verò, quâ toti Pſalmo quaſi faſtigium Pſaltes impoſuit, inter omnia præſidia firmiſſimum robur animo præſtat, nec in hac militia quicquam timendum, ſi ſpes vincendi ſemper immota permaneat, quantumvis hoſtes animæ deſæviant.

CAPUT XV

De praxi artis amandi Deum.

POſt amoris divini præcepta, quæ rei doctrinam complectuntur, æquum erit praxim quandam ſubijcere, quæ à nobis traditas ſpeculationes quaſi vagas, vitæ præſentis exercitijs adaptet, ut qui amore ducuntur familiares actus, verba, & cogitatus, quo- F vis in ſtatu, ſive proſpero, ſive adverſo, in amoris ſcopum dirigere poſſint. Diximus praxim deſtinari ijs, qui amore ducuntur; nam qui alio modo, puta timore aguntur, quales paſſim offendimus, diverſa ſeligere debent exercitia ingenio ſuo congruentia: quæ in hoc tractatu non ſunt à nobis requirenda.

PRAXIS.

Cum ſit hominis proprium diligere, hoc eſt, ex electione amare, Te pulcherrime, ac proinde juxta prudentem optionem, amore digniſſime Jeſu Chriſte, libens eligo, & ex intimis viſceribus, & mihi, & univerſis creaturis antepono: cordis mei principatum tibi G trado, quicquid dicendum, cogitandum, agendum, tibi devoveo: decerno nihil unquam, vel ſola cogitatione, admittere, quod amori tuo non conſentiat; proptereaque quicquid attentem nihil aliud, quam tibi placere, intuitu quovis pœnæ, aut mercedis excluſo, contendo. Hæc operum, verborum, cogitationumque directio ad ſingulos penè actus iteranda eſt, vel ſaltem creberrimè repetenda. At in temporis proceſſu, ſive, qui hoc ſpiritu ducitur, actuoſam vitam, ſive contemplatricem profiteatur, ſtatuere debet, potiſſimum opus, lucrumve ſuum in amoris exercitio poſitum eſſe; ac proinde in quarumlibet rerum functione ſtudioſiſſimè debet eniti, ne ſine alio, quàm veri amoris, moveatur. Quicquid cogitat, legit, audit, licet quæ H ad virtutum cæterarum cultum pertinent, annotare debeat; quæ tamen ad amorem parandum, & alendum faciunt, accuratiſſimè obſervet, & pro virili parte ſua fidiſſimè exequatur; eo videlicet more, quo, qui Juriſprudentiam profitetur, ejus præcepta, captatis ubique occaſionibus, præſertim expendit, Scrip. An. circ.1593. dit, & ad praxim, memoriæ mandat; qui tamen aliarum profeſſionum præſcriptiones (quas paſſim legit, vel audit) non uſque adeo curat, tametſi minimè reſpuat. Conari debet impenſe, ut quæ dignoſcit in ſe amori divino diſſentanea, vel corrigat, vel interimat, paſſioneſque omnes amori ſervire cogat; A ut ſcilicet, non oderit, deſideret, ſperet, audeat, iraſcatur, reliquaſve paſſiones excitari, vel excitatas incaleſcere ſinat; niſi ubi amoris divini cauſâ, ejuſmodi motus permittendi ſunt. Labores à Deo immiſſos, vel ſpontè ſuſceptos (ſuſcipi enim ab amatoribus debent) æquanimiter ferat, &, ſi per valetudinem licet, corpus caſtiget, ne ſpiritum, amori vacaturum, hebetet. Saluberrima inter univerſas præceptiones, orationis inſtantiſſimæ aſſiduitas eſt: pro re quippe ſublimiſſima par eſt, Deum innumeris gemitibus urgere. Quapropter, ſive quis nocte media expergiſcitur, ſive mane ſummo evigilat, ſeu ſolus, ſeu cum comitibus agit, ſine ullius negotij, aut otij diſcrimine, jaculatoriis ſaltem orationibus, & intercalatis ſuſpiriis, amorem B divinum, ſi optatis potiri cupiat, debet poſtulare. Modus autem inſtandi, ſi perſeveretur, eò ſolet eſſe potentior, quò ſimplicior, & orantis ingenio congruentior. Nec quis exiſtimet, conceptas precationes alienas, quarum eſt numerus propemodum infinitus, ſibi fore meliores, eò quod artificiosè compoſitæ ſint, ac certa quadam ſerie, numeroque digeſtæ. Quemadmodum enim, qui alienas conciones è ſuggeſto proferunt, minus energiæ in alienis partubus produnt, ita qui aſpirationibus, ſive precationibus non ſpontè natis, ſed aliundè conquiſitis utuntur, minus, quam dum propriis orant motibus, vigere ſolent. Verum eſt tamen, multos aliorum ſcriptis piis ad proprios partus edendos fœcundari, ſicut oves Iacob potum actæ artificio C virgarum ad naturalem conceptum incaleſcebant. Ad hunc ergo finem ſubiectum proferimus exemplum. *Dulciſſime Deus, cui devoveo viſcera mea, ure me, precor, æternis flammis amoris tui. Conſume cor meum, ô puriſſime ſplendor vultus mei, incendio ſuaviſſimæ dilectionis tuæ. Capiar, oro te, amabiliſſime Deus cordis mei, efficaciſſima pulchritudine tua. Sordeat mihi, o forma ſpecioſiſſime, omnis carnea venuſtas, præ deſiderio formoſiſſimi vultus tui. Trahe me poſt te, o vita iucundiſſima cordis mei, bene tenſis funiculis charitatis tuæ. Induc mihi, o lux beatiſſima animæ meæ, univerſarum creaturarum oblivionem, cum intentiſſima recordatione formæ tuæ. Inebria me, amantiſſime Deus viſcerum meorum, fœcundiſſimo calice amoris* D *tui. Da mihi, o ſereniſſime Sponſe, ut immenſis deſiderijs quæram te, donec fruar optatiſſima præſentia tua. Cor mundum crea in me, ô candidiſſime, ut faſtidiam omnia mundi bona, propter honeſtiſſimam familiaritatem tuam. Dulceſcant mihi, ô decor ſuaviſſime, labores, & dolores propter te, uſque ad exſpectatiſſimos amplexus tuos.* Huiuſmodi jaculationes mirificè proſunt, & inter ipſas negotiorum diſtractiones, breviſſimis motibus poſſunt exerceri. Sed cum hæ aſpirationes, omne tempus, omnemque locum percurrere debeant; decerni debent ſtatæ horæ quotidie, quibus vacetur meditationi rerum earum, quæ amorem divinum excitare ac promovere valeant; cujuſmodi ſunt Dei pulchri- E tudo, ſapientia, nobilitas, maieſtas, & reliquæ perfectiones, quarum exigua quædam veſtigia in creaturis deprehenſa, noſtros allicere animos paſſim experimur. Erit autem fructus uberrimus, ſi quis non modò ſtatis orationis horis, ſed omni prorſus tempore, unà cum prædictis jaculationibus, meditatione quadam admixta ſuaviter utatur; ut ſcilicet, quoties quid pulchrum, opulentum, excelſum, & ejus generis bonum quodlibet occurrit, animus ad Deum celeriter aſſurgat, & amet illud divinum, cujus veſtigium in creatura dignoſcit, verbi gratia, cum cernit pulchritudinem aliquam inſignem, debet quantocius in Dei pulchritudinem, mente intendere, illamque quoad poterit optare, ac omni creaturæ venuſtati anteferre in hunc modum: *Multò tu pulchrior es, dulciſſime* F *Deus: te igitur ſolum cupio, & omnem mundi decorem aſpernor.* Hunc aſpirandi, ac intertextè meditandi modum obnixè commendamus, & praxi finem imponimus. Verum, poſtquam amoris, qua anima in Deum fertur, præcepta tradidimus: ad libri abſolutionem ſpectat, quæ ad proximum attinent, amoris officia, quadam velut arte perſtringere, ne quid ad opus explendum deſideretur. Præcepta nobiliora breviter attingemus, ut methodum, non verò rerum numerum, obſervemus.

CAPUT XVI.

De arte amandi proximum. G

TAmetſi longum iter ſimus emenſi, non omnes tamen amoris partes abſolvimus; non enim officia erga proximos attigimus, ſine quibus amor Dei nequit expleri. Clementiſſimus quippe Deus amorem utrumque tam ſtrictè connexuit, ut alter ſine altero conſtare non poſſit; quapropter in ipſius divini amoris tractatu, proximi amor ineſt. Qua in re, immenſitas, & ſuavitas divinæ in nos charitatis elucet, dum ipſa pulchritudo divina, ſine proximi noſtri conſortio renuit amari, ac ſi homo pars quædam ipſius Dei eſſet, quam à ſe non valeret excludere. Amor autem proximi arte accuratiſſima indiget, quod multas pariat difficultates, quæ ab inconſultis nequeunt ſuperari: quod vel H hac apertiſſima ratione convincitur, amoris utriuſque diſcrimine perpenſo. Exploratum eſt, Deum, qua Deus eſt, amabiliſſimum eſſe, imò & odij obiectum (ut Philoſophi loquuntur) eſſe nequire: cum enim ſit ipſamet bonitas, & pulchritudo, in cujus fruitione beatitudo conſiſtit, & creatura aliqua intellectus compos odiſſe non valeat id, in quo ejus felicitas poſita eſt: omninò liquet, Scrip. An. circ. 1593. Deum ea ratione, ab hominis voluntate odio aliquo reijci non poſſe. Quicquid autem odij à creaturæ perverſà voluntate adverſus Deum concipitur, ex ijs, quæ Deus præcipit, aut interdicit, quibus quaſi gravibus hominis ſenſus renititur, oriri videtur. At proximus cum non modo ex ijs quæ agit, A verùm ex ijs, quæ in ipſo ſunt, amabiliſſimus non ſit, quin imò multa deformia, & moleſta præ ſe ferat; oportet arte quadam amoris animum inſtruere, qua proximum amplectatur, & ſe quoque illi amabilem exhibeat. Et primùm quidem ponendum eſt illud Chriſti oraculum, & exemplar, *Ut diligatis invicem, ſicut direxi vos.* Iohan. 15. 12. Paucis quippe artem hanc totam complexus eſt: nec plura requirit. *Sicut dilexi vos*, inquit, ac ſi patentius ſic effaretur: Cum in amore proximi multa ſint obſervanda, in uno imitationis meæ cardine cuncta vertuntur. Expendite prototypum: *Sicut dilexi vos*. Mira verborum energia, quam perſcrutemur. Duo ſunt amoris proximorum capita: unum congruit ijs, qui amari cupiunt, alterum ijs, qui B amari ſtudent. Capitis primi doctrina hæc eſt: ut quiſquis amari cupit, nitatur aliorum ingenio conſentiri, ac mores effingere: ſicut enim unuſquiſque ſeipſum amore nativo proſequitur; ita & eum, in quo & ingenium, & mores ſuos, & velut alterum ſe deprendit. Hic eſt ille nodus amicitiæ: *Amicus eſt alter ego.* Cum enim amici alterius perſonam repræſentet, aptè dicitur, *alter ego*. Quis ergo ſeipſum, vel imaginem ſui viventem non amet? Edocturus ergo amantiſſimus Dei Filius cæleſtem hanc ſapientiam, ut fieret Philip. 2. 7. Alter Ego, *ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens*. Fecit ſanè quod docuit, non vulgari modo, ſed ſingulari, ac facilè divino. Cum enim proximo degeneri, rudi, deformi, ingrato, & aliis odii irritamentis obſito conſentire, ſit ſummopere arduum, C (nam generoſis, pulchris, gratis, & id genus aliis, licet ingenio diſcrepent, non adeò ægrè congruimus; tamen, & ipſa naturæ humanæ aſſumptione, & familiariſſima conſuetudine, per totius vitæ curſum, (quod eſt in hac arte perfectiſſimum) idipſum Chriſtus edocuit. Cujus profectò doctrina, eò fuit ſublimior, quò, cum ipſe ſummus eſſet, ad humiliora ſe deiecit, ut ex lotione pedum, & ignominiis, ac humillimo genere mortis ſatis liquet. Majeſtatem obtexit, miniſtrum egit, manus regias ſervorum pedibus ſuppoſuit: nec enim amor hujuſmodi obſequia detrectat; quod in amore alio ſatis expreſſit amans illa:

Ovid. Heroid. Epiſt. 4.
Non ego dedignor ſupplex, humiliſque precari:
D *Heu, ubi nunc faſtus, altaque verba jacent?*
Victa precor, genibusque tuis regalia tendo
Brachia: quid deceat, non videt ullus amans,

Qui ergo cupit in hac arte proficere, in exemplar Chriſti oculos coniiciat, & ſe proximis etiam iniucundis adaptet: quicquid turpe non eſt, uſurpet, ut rebus, & tempori ſerviat, ſicut ille ſapiens: *Omnibus omnia factus ſum.* 1. Cor. 9. 22. Sola in hoc genere culpa excludenda, non pœna: quod multis miraculis teſtatum eſt, quale illud: *Tentatus per omnia*, pœnæ mala, *pro ſimilitudine*, homine, *abſque peccato*, Herb. 4. 15. excluſa culpa. Sic enim decernendum eſt, oportere multa pati, ad mores aliorum aſſimulandos: F ut cum mœrentibus quis mœreat, cum ridentibus, animo etiam lugente, riſum effingat, ut paret amorem. Eo quippe modo parari, dixit ille non ſacer:

Ovid. lib. 3. de Arte.
Spectantem ſpecta, ridenti mollia ride:
Innuet, acceptas tu quoque redde notas.
Sic ubi præluſit, rudibus puer ille relictis,
Spicula de pharetra promit acuta ſua.

Sic animi demulcentur, & mirificè conciliantur. Sed huic præcepto, quod hominem homini coaptat, ſubdendum eſt aliud, quod ad finem eundem dirigitur, ut ſcilicet qui amari cupit, ſe totum ita componat, ut iure nequeat reprehendi. Porro mulieres formam arte polientes, ſe ipſas, quoad poſſunt, pulchras efficere ſtudent, ut comptè placeant, F quod incomptæ non valent: in hunc ergo modum quod natura corrupta non præſtat, ſtudio amoris exquirendum eſt, & vitia, quæ aliis diſplicere perſpicimus, extirpanda; virtutes, quæ placent, introducendæ ſunt. Etſi verò virtus quævis jucunda, vitium quodlibet inviſum eſſe debeat: illa tamen virtutum, vitiorumque genera vigilantius obſervanda ſunt, quæ ſe in exteriores hominis actus extendunt. Manifeſtum eſt enim, ubi oculi carnei ſunt, interiora parùm, exteriora magis percipi, acriusque movere; ac propterea externos actus, eum, qui cupit amari, ſtudioſius ad rationis normam debere metiri: licet charitatis laus in corde ſita ſit, unde actiones externæ vitam eliciunt. Præceptionem hanc ab amore ipſo proficiſci, ipſis quoque non Chriſtianis, qui amari cupierunt, G quique amoris incitamenta notarunt, compertum fuit, ut patet ex illo:

Ovid. lib. 3. de Arte.
Pertinet ad faciem, rapidos compeſcere mores,
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument ira: nigreſcunt ſanguine venæ,
Lumina Gorgoneo ſæviùs angue micans.

Deformat quippe faciem ira, & odii potius irritamentum eſt. Faſtus etiam amori nocet, dum ſe prodit, ut novit ille:

Ovid. Ibid.
Nec minus in vultu damnoſa ſuperbia noſtro,
Comibus eſt oculis, alliciendus amor.
Odimus immodicos (experto credite) faſtus:
Sæpe tacens odii ſemina vultus habet.

Iram tamen, & faſtum exempli cauſa poſuimus; multa quippe alia occurrere ſolent, in corporis poſitu, inceſſu, congreſſu, ſermone, H quæ proximorum animos lædunt, quæ vigilanter obſervanda & corrigenda ſunt. Si enim adoleſcentes, illuſtri loco nati, ut in aulis principum dignè agere poſſint, ab educatoribus ſuis, peculiares urbanitatis modos ediſcunt; æquum erit, cives futuros augu-

Scripta An. 1593.

ſtiſſimæ aulæ Dei, verborum dulcedinem, morum ſuavitatem, & actionum omnium venuſtatem addiſcere:

Ovid. Ibid.

Scilicet ingenium placida mollitur ab arte,
Et ſtudio mores convenienter eunt.

Hinc eſt, ut in cœtibus virorum, qui ad vi- A tam perfectiorem aſpirant, externi hominis moderatio magni fiat, multis præceptionibus tradatur, ne homines inculti, & agreſtes evadant, quos multis de cauſis oportet eſſe cultiſſimos: præterquam quòd exploratum eſt, quantumvis exactè res internæ teneantur, Charitatis fœdus ali non poſſe, niſi externornm actuum, qui alliciunt, vel deterrent, vigeat diſciplina. Hæc, ut quis ametur. Sed ut quis amet, quod eſt ſecundum caput, ardua multa vincenda ſunt; quid enim magis arduum, quàm eniti amare, quæ non ſunt amabilia? Durum eſt profectò id præſtare deformitati, quod debetur pulchritudini; iiſdem brachiis iracundum ac mitem, avarum ac liberalem, ſtultum ac ſapientem amplecti. Propter hoc editum eſt B oraculum: *Sicut dilexi vos*. Quaſi diceret: Sicut ego ſapiens, dives, pulcher dilexi vos ſtultos, inopes, deformes; ita & vos, &c. At enim, præter auctoritatem tanti præceptoris, ſubeſt efficax ratio, quæ ad proximi non amabilis amorem impellit. Patet enim, amorem illum proximo impenſum, in Deum uſque perferri, cujus cauſa proximus alter alterum etiam immeritum diligit: ſi autem Dei pulchritudo, proximi diligendi cauſa eſt; quid obſtat propria illius turpitudo? habet jam amor paſtum: calcar acerrimum habet. Qui ergo amare ſatagit, qnoties in proximum ſibi inviſum incurrit, oculos in Deum ſtatim attollat, & propter immenſum decorem illum, homini indecoro conſentiat. Tanti quippe ponderis eſt intuitus hic, ut pleri- C que Sancti, ſexus utriuſque ea de cauſa ſaniem quoque, ægrotantium ulceribus defluentem, & lingere, & haurire certaverint, ne quid horridum eſſet, quod amor non exantlaret. Habet omnis amor alterna pocula fellis ac mellis: ſed amori huic cæleſti, à Chriſto commendato, amara quoque dulceſcunt. Habet etiam proximi amor abſtruſa non pauca, quæ nequeunt ſcripto ſignari, quibus qui cupit occurrere, cavere debet, ne, niſi ex prudentum conſilio, quicquam decernat. Plura enim à ſenibus probantur, aut improbantur, quæ parùm expertis perſpecta non ſunt. Multa poſſent huc ſpectantia coagmentari, de modo cum proximo agendi; oportet enim ſæpè nolentem ridere, taciturnum loqui, veracem ſimulare, & alias D innumeras formas induere: ſed nos capita nobiliora tetigimus, quaſi cardines, quibus totus amor proximi vertitur: quæ qui perceperit, ad varios, & peculiares eventus, quid facto opus ſit, non obſcurè deducet. Duo verò præſertim annotanda ſunt, ne proximi amor ab exemplari degeneret; unum, ne proximi viria, dum ille amatur, adhæreſcant; ſolent enim nocere contagia, poſtquam duos animos unus amor innexuit: quod nimis frequenter experimur. Alterum eſt: ne ſub ſpecie virtutis, quæ animum permulcet, libidinoſus amor irrepat: ex ipſa quippe modeſtia, & morum ſuavitate, præcipuè ſi adſit pulchritudo, ſplendet neſcio quid, quo animus ardentiùs, quam par eſt afficitur, & calet. Tunc verò ſplendore præſenti capitur, E & virtutum internarum nitorem jam non uſque adeo ſpeculatur: ſenſimque amor deflectit à ſpiritu, & in carnis decorem immergitur; ac demum enervatum animum, in turpiſſima peccata deturbat. Non tamen periculorum formido præſcriptum à Deo rebus ordinem debet obturbare; ſicut enim Deus ipſe, quæ meliora ſunt, plùs quam minus bona, pulchravè diligit, ut Theologorum omnium conſenſio eſt; ita & homo proximum ſanctiorem, pulchriorem prudentiorem, ſine ulla culpa impenſius amare poteſt. Quin etiam ad proximum juvandum, ardentioris amoris exhiberi ſigna, depoſita culpæ formidine, plerumque conducit, ut mos Patrum antiquorum oſtendit: quem ex Epiſtolis, F ſaltem Gregorii, & Bernardi, perſpicere licet. At ſemper enitendum, ne animus ultra rationis metam feratur. Quapropter clementiſſimus Deus orandus eſt, ut animum inter medios maris hujus fluctus moderetur, ne in ſcopulos inopinus, vel (quod eſt peius) prudens impingat. Cum enim ex amore uno, cordis humani tota pendeat œconomia, pro re omnium Dei graviſſima, præſentiſſimum Dei auxilium optandum, & implorandum eſt.

CAPUT XVII.

Oratio pro vero amore impetrando.

MItiſſime ac amantiſſime Jeſu Chriſte, qui amorem ſincerum à me rigidiùs G exigis, & cordis mei, ad voluptatem peregrinam proni, fragilitatem agnoſcis, miſerere mei, oro te, ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ut munder ac ſuper nivem dealber, hyſſopo, ſicut noſti, aſpergo me. Recordare dulciſſime Fili Dei, cui ſuſpirant viſcera mea, me unum eſſe de parvulis, qui abducti ſunt in captivitatem, ante faciem tribulantis, & te Redemptorem eſſe, cujus eſt ſolvere compeditos. Precor igitur, ô benigniſſime, ſolve me. De profundis cordis mei, ô benigniſſime, clamo ad te, ut hominem de immundo conceptum ſemine, mundum facias, nec ſinas in amoris cauſa ſeduci, & pro decôre tuo nitorem carnis affectare. Cor meum ſollicitum, tibi patet, quia tibi ſoli peccavi, ut H ab eo petat medicinam, cui per amorem creaturarum irrogavit injuriam. Animadverto, ô Flii Dei formoſiſſime, præſenti carnis pulchritudine vehementer affici, & incaleſcere parum caſtos ſenſus meos, & ad formam lectiſſimam tuam, quod abſens ſit, lentè admodum aſpirare. Impenſiſſimè igitur obſecro te, ſuaviſſime Deus, per cor fi-

Scrip. An. circ. 1593.

deliſſimum intemeratæ Matris tuæ, ut auferas opprobrium amoris carnei, & me totum traducas ad puriſſimum amorem decôris tui. O ſereniſſime candor cordis mei, ne proiicias me à facie tua, & à fallaci carnis gratia cuſtodi me; ſordeat mihi, rogo te, figura mundi, quæ præterit, & ad immortalem A pulchritudinem tuam ſuſpende me. Illabere, precor te, in penetralia cordis mei, & imprime mihi dulciſſimam atque lætiſſimam formam tuam. O pulchritudo majeſtate plena, quæ decôrem immenſum in corda tibi patentia perenniter infundis, tantummodo in iſta voce exaudi me; ne patiaris, ô ſuaviſſime Sponſe animæ meæ, cor meum, quod paſcua invenire non valet, æterna fame torqueri; ſed dum in exilio verſor, doce me viam, quæ me perducat in optatiſſimam requiem formæ tuæ, ut paſcat tandem dulciſſima præſentia tua. Averte oculos meos, ne videant vanitatem filiarum Madian, quæ me divertunt à jugi recordatione formoſiſſimi vultus tui, cui filiæ Sion purpura veſtitæ præcordia ſua conſecrarunt; & redime me B à calumniis hominum, qui pro decoro aſpectu tuo, comptas imagines obtrudunt. Oro te, forma elegantiſſime, ut exardeſcam ſiti ſolius decoris tui, & generosè repellam quicquid obſtat ſinceriſſimo amori tuo. Illuſtra faciem tuam ſuper ſollicitum cor ſervi tui, ut capiatur ſpecie tua, & pulchritudine tua, quam corda caſta requirunt. Ne repellas animam meam ſatagentem, & acutiſſimis gemitibus cælos tuos penetrare conantem, ô amore potentiſſime Deus cordis mei, ne fortè fœdus ineat cum Aſſyriis, & obliviſcatur dulciſſimam Hieruſalem, quam inquirit. O vitaliſſime decor animæ meæ, ac ſpeculum puriſſimum oculorum meorum, ne contemnas cupientem adhærere tibi, & amoris æterni tui facibus inflammari; & immolabo C tibi primogenita ſuſpiria mea, & adhæſura tibi ſemper viſcera mea. Accelera, precor te, o pretioſiſſima hæreditas, & præda mea, & ſenſus meos incipientes viſco carnis præpediri, erue citò de luto fæcis; ut impollutis veſtigiis exquirant te, melle dulciorem paſtum ſuum, & expectatiſſimam conſolationem ſuam. Libera me de ſanguinibus, amabiliſſime Deus ſalutis meæ, & ſpiritum vitalem puriſſimi amoris tui, innova in viſceribus meis: ut immiſſo Spiritu hoc tuo, creer, & renovetur facies arentis animæ meæ. O Sapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiiſti, cujus inæſtimabili ſuavitate dura corda liqueſcunt, influe, oro te, in arida oſſa mea, & liquefac intimas, & tibi ſoli notas medullas meas. Per amoris fœdera, quæ fide- D liſſime cuſtodis, nobiliſſime Rex Sion montis ſancti tui, obſecro te, fac me mancipium tenerrimi cordis tui, & fac me jugiter requirere pulcherrimam, & ſereniſſimam faciem tuam. Tibi dixit cor meum: exquiſivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram. Quamobrem, precor te o ſpecioſiſſime, numeres me in generatione caſta quærentium Deum, quærentium faciem ſplendidiſſimam Dei Jacob. Ure, tibi ſupplico, ô amantiſſime, ure renes meos, & cor meum igne tuo, & excoque ad purum animam meam, prædam tuam; ut ſine conſorte ullo, potiaris tranquilliſſimo jam corde meo. Eripe me, ô expetita valde ſalus mea, de manu filiorum alienorum, à ſtudio cordis E tui alienare ſatagentium, præcordia mea; & fac, ut in concilio juſtorum, & amore fœderata congregatione tua, reddam tibi primitias cordis mei. Inclina cor meum, pulchritudinis cupidiſſimum, in deſiderabilia ſuper aurum, & examinata ſicut argentum, ac dulciora ſuper mel, & favum teſtimonia tua: & fac me diligere amore prægnantem, immaculatam, & animas convertentem legem dulciſſimæ charitatis tuæ. Perfla hortum meum, cujus flores marcuerunt, ſpiritu vitali Auſtri tui, ô vita jucundiſſima cordis mei; & fluant aromata illius præ liquefactione ſuaviſſimæ dilectionis tuæ. Convertere aliquantulum, ô puriſſimum ſpeculum vultus mei, & fac mihi copiam voluptate plenæ præſentiæ tuæ; & percute mecum, in F ara cordis mei, fœdus ſempiternum honeſtiſſimæ ac delitioſiſſimæ amicitiæ tuæ. Emitte formoſam valde manum tuam de alto, ut ſolicitet amoris ſtimulo viſcera mea; & fac, ut exul fleam, & ſuſpirem ad patriam meam; & redire coner ad te, optatiſſimam, & pretioſiſſimam libertatem meam. Conſidera, oro te, ô immenſa opulentia mea, conſidera egeſtatem animæ meæ, modicam aquam pretio comparantis, & in deſerto (ubi non eſt dilectionis habitatio) infeliciter errantis: & fac divitem amore tuo, ac deduc in civitatem habitationis tuæ, quæ conſtruitur æterna Charitate tua. Ceſſet jam, ô amantiſſime, indignatio tua, quam provocavit ingratitudo mea; quieſcat ira dulciſſimi cordis tui, ut queat nidum invenire hæc vaga columba G animæ meæ, & vocabo te Sponſum meum, & reddam tibi conjugale fœdus cordis mei. Certior factus de fideliſſimo erga me amore tuo, ô penitiſſimum ſolatium, non tam quæro, & flagito, ut ames, quàm ut ardentiſſimè ameris à me ingratiſſimo ſervo tuo, ſed magno lucro tuo, quod paraſti pretio nobiliſſimi ſanguinis tui. Seda, precor, multis procellis agitatam animam meam, qui ponis in theſauris abyſſos, & ſtatue jam procellam ejus in auram, & incipiant ſilere fluctus ejus: ut per modicam ſaltem requiem, omnibus viribus in unum contractis, validiſſimè amem te amicum meum, & è multis millibus electum decorem meum. Ini jam mecum pactum dilectionis permanſuræ, ô ſupra ſerenos cælos ſereniſſime, ut ſicut charitate H perpetua dilexiſti, & attraxiſti me, ita ego dilectione continua requiram, & attraham te, non alia mercede, quàm acceptatione cordis tui. Ingenera mihi, ô amator invictiſſime, magnitudinem cordis, amœna cuncta, & amabilia reſpuentis propter te, & gigantis more, exulantis ad viam currendam amoris, donec requieſcat in te. Arma me, ô fortiſſime, viribus cordis tui, ad ſe omnia

Scrip. An. circ. 1593.

trahentis, & pro lapideis cordibus carnea, & valdè mollia, ſed robuſta, reponentis; ut tibi congener fiam, ediſcens, ut unicam, fortitudinem tuam, & ut miſerear, concipiens ſuavitatem tuam. Confla me, ô ſapientiſſime, quaſi aurum, & ſcoriam ſuccreſcentem abſume veraciſſimo igne ſapientiæ tuæ; quæ mirabili mixtione paſcit incendium amoris tui, flumine vivo cum impetu decurrente, de penetralibus dulciſſimi cordis tui. Inſculpe, ô potentiſſime, duro nimis cordi meo, elegantiſſimam, & nobiliſſimam præſentiam tuam, illatis quoque vulneribus amoris, procedentis à perfectiſſima pulchritudine tua: & largo potu liquoris hujus perfunde tibi ſuſpirantia viſcera mea. Corripe me, oro te, decore formoſiſſime, corripe me flammis puriſſimi amoris tui, à cujus facie montes ſicut cera fluunt; & cola me, quaſi argentum purgatum ſeptulum, ut liqueſcam & influam in vas ampliſſimum thalamum delitioſiſſimum cordis tui. Detege, ô Sereniſſime, nebulas, quas offundit amor creaturæ, qui ſub imagine decoris tui ſubintravit; & fac, ut ſine deceptione ulla ſempiternis ardoribus exquiram formam tuam. Excita, precor te, ô excellentiſſime, Seraphicos affectus in avidiſſimo dulcoris tui corde meo; ut nihil unquam coner, niſi placere tibi, & agglutinari dulciſſimæ animæ tuæ.

Oratio hæc, ſi cor verbis congruat, vim habere videtur, ad amorem divinum impetrandum. Faxit clementiſſimus Deus, ut qui hæc à nobis ſcripta, in artis methodum redacta, legent, cœleſtia vota concipiant, & amoris motu celerrimo, Chriſtianæ perfectionis curſum ſine defectione conficiant.

D. N. Jeſu Chriſto, ac Puriſſimæ Virgini Mariæ ſit laus ſempiterna.

IN SEQUENS OPUSCULUM
PRAEMONITIO.

HAnc praxin de Amoris delectu præteritis de Divino Amore parando Commentariis immediate nectimus, etſi in ſuperioribus Editionibus ab iis longe ſejuncta legeretur, ob materiæ, & argumenti devinctiſſimam adfinitatem, & quia per eadem tempora putamus a Venerabile Scriptore eam exaratam.

PRAXIS
DE AMORIS DELECTU.

IMmenſi ponderis eſt in amoris ſchola fauſte auſpicari, quod eſt ſapienter eligere, ne quis temere amet: quocirca ſub nomine Magdalenæ, quæ amandi peritiſſima fuit, affectus ad amoris delectum excitandos exprimemus. Statuendum eſt, (quod neminem latet) Magdalenam ſemper amori deditiſſimam fuiſſe: ante quippe quam Chriſti amore ſuccumberet, amori humano, cor molle ſortita, ſubiacuit: unde boni nominis jacturam paſſa eſt. Nec immeritò quidem, quia principem animi affectum, ac ſi nullius pretii foret, rebus parum excelſis incauta permiſit, neque quid amaret elegit. Ubi verò puriſſima Chriſti lux affulſit, ſui compos effecta, optimo ſanè conſilio è mentis ſenectute orto, omnem mundi pulchritudinem pertæſa, ſe totam Jeſu Chriſto his, aut ſimilibus affectibus addixit.

Scrip. An. circ. 1593.

GRatulor tibi, ſuaviſſima Pulchritudo mea, vim illam cordium victricem, ac Dominam, quæ cælo, ac terræ univerſæ dominatur, cui omnis creaturarum nobilitas jure ſe ſubdit, & immenſi amoris flammis incenſa ſuſpirat. Ego certè neſcio, qua mente animam meam tuo amore deſtinatam creaturarum illecebris demulceri permiſi, & thalamum Regi Salomoni ad caſtiſſimas delicias dedicatum, profano commercio delira fœdavi: amoris imago artificioſè ſimulata mihi impoſuit, & à nobiliſſima tui amoris lege procul abegit. Nunc ergo poſtquam cœleſti luce tua mentis meæ cæcitatem diſcuſſiſti, & conſilii dono, ut verum amorem à falſo diſcernerem, illuſtraſti, mutata mente

omnem

Scrip. An. circ. 1593. omnem mundi formam, qua cor meum emolliri conſuevit, teque dulciſſimum Dei, ac formoſiſſimæ Virginis Filium æterno fœdere amandum, & exquirendum eligere A conſtituo, tibique cordis mei penetralia illapſus tui cupidiſſima pando. *Tibi dixit* avidiſſimum decoris tui *cor meum, exquiſi-* Pſal. 26. 8. *vit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*; ſed non ego verbis iis, optatiſſime Deus, quæ corporis auribus percipiuntur. Ego ſuavitatem tuam conceptura, ad pedes, quibus maris fluctus calcas, tacita ſedebo: & cordi, quod artem dicendi te præceptore didicit, habenas laxabo, audiamque verba illa lepidiſſimè fluentia: *Exquiſivit te facies mea*. Placet profectò mihi conſilium hoc, Sponſe forma præſtantiſſime, quod cordi meo à te humaniſſime inſtructo, altiùs, quàm dici queat, inſedit. Quid enim præter te ſeligere poſſim, cum te abſente omnis amœnitas marceſcat, fontes areant, B luna eclipſim patiatur, ſol obtenebretur, ſerenitas nube atra obducatur, omnemque creaturam intolerabilis deformitas, & mortis horror invadat. Quî potero famem animæ meæ, quam cœli ſua magnitudine, ambituque latè patente, cum creaturis univerſis, quas condidiſti, explere nequeunt, te abſente ſedare? Omnia circumſpicio, amantiſſime Deus, & omnia exigua, & numeris non abſoluta videntur. Et licet univerſi orbis terrarum Reges in ſervos emptitios ſe mihi dederent, omnes mundi totius dignitates in caput meum conferrentur, omnes utriuſque ſexus adoleſcentes pulchritudine, ac venuſtate uſque ad mundi ſtuporem C eximii, cum omnibus corporum voluptatibus mihi ſe traderent; ac denique quicquid mundus admiratur, & colit mihi permitteretur, ut omnium ejuſmodi bonorum principatu ævo ſempiterno potirer: non propterea conſilium mutarem, ſed ſuaviſſimo concentu canerem, ac repeterem: *Exquiſivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*. Nimirum mihi proculdubio compertum eſt, te unum, Sponſe vita ipſa longe optabilior, pacem, quam præcordia mea ſitiunt, infinita pulchritudine tua mihi allaturum, & medullas meas hucuſque ſemper inanes hac una præda famem expleturas. Neque jam cæcitati locus patere poteſt, ut mundi colore ſeducar, viſceribus meis rerum conſciis, & experientia multa, proprioque detrimento convictis, meque D ſtimulis internis perenniter urgentibus in hunc modum eruditione tua planè dignum: Nonne vides Magdalena, quàm enormiter erraveris, & quàm immeritò parum defœcatis amoribus te ipſam conſilii ignara credideris? Finge tibi Regem totius orbis terrarum dominatu grandem, à quo ad nuptias expetaris. An Rex ille propterea ſpecioſiſſimus erit? Profectò deformes, ac inertes principes potentiſſimi eſſe ſolent. At ſit etiam pulcherrimus; num proinde ſapientiſſimus erit? Ægrè quippe in tanta rerum mole ſtudio ſapientiæ animus aſſueſcit. Verùm, ſit quoque ſapientiſſimus; numquid, & morum ſuavitate præſtabit? Certè mortalium majeſtas, & potentia faſtum creat, & mores exaſperat: ſed tamen ſit etiam moribus ſuaviſſimus; ergone vitæ innocentia præcellet? Profectò imperium tot inſignibus auctum homines dementat, ne vitæ puritate ſtudioſiſſimè vacent. At enim ſit nihilo ſeciùs vita E inculpatiſſimus; an tibi eum animi candorem, cum cæteris dotibus omnem vim eloquentiæ ſuperantibus, ingenerare poterit? Porrò exploratum, eſt minime poſſe: ſolumque Jeſum Criſtum dulciſſimum, Deum tuum, hæc & alia longè majora tibi poſſe præſtare. Hæc, & alia non abſimilia cor ſuggerit, ſubtexitque: Recedant, Magdalena, vetera deliramenta, & Jeſum Chriſtum ſponſum amoris diademate coronatum, nive candidiorem, porphyrite rubicundiorem, ſapphiro pulchriorem, cujus infinito decore ſaxea quoque pectora liqueſcunt, immutabili conſilio elige, ejuſque dotes omni ſumma digniſſimas pro tuo captu perpende. Efficaciſſima ſanè ſunt verba hæc, dulciſſime Fili Dei, F quibus ad te optandum, vel adamas ipſe molliretur. Et ego mollitis ſermonibus parere ſolita efficacitati divinæ concedo. Aſpernor commenta omnia, quibus mundus illexit me, & te infinitam bonitatem, ſapientiam, pulchritudinem, ac voluptatem meam toto pectore haurio, & eligo, ut extra te omnis decor peregrinus ſordeat, omnia bona hominibus pretioſa vileſcant. Exquirant alii regias aulas, auro tectas; ac cælaturis admirandas, columnis porphyreticis ſpeculorum more ſplendentes, tectorio candido, ac terſo nivem æquantes, aulæis ſericis, auroque textis, & rerum varietate mirificè diſcretis inſtructas, ſedibus è cedro inaurata, & variorum colorum telis ornatas, lectis è telis G Indicis, & pretioſiſſimis pellibus per cubicula architectonicè diſpoſita ſtratis apparatas: & ego ſollicite exquiram te cavernam maceriæ, & ampliſſimam domum meam, thalamumque opibus regiis ad caſtiſſima gaudia comparatum; ubi quod elegantia, pretio, ornatu, minimum eſt, inſtructiſſimas mortalium Imperatorum aulas adeo immenſe ſuperat, ut illarum, quaſi ſtabulorum fœtentium, moleſtiſſimum tœdium generet. Placeant certè aliis horti virore lætiſſimo ſmaragdis æquales, ſpectatoribus arridentes, hic ruborem, illic pallorem, alibi purpureum colorem artificioſa roſarum, violarumque diſtinctione exhibentes, aquarum divortiis per æqua ſpatia leniter fluentibus, gratum murmur excitantes, & auris H ſaluberrimis, fructuum, qui maturuere, ex arboribus ad proportionem conſitis pendentium, odorem ſuaviſſimum exhalantes: Mihi verò placeat pulchritudo tua, ſpecioſiſſime Fili Dei, flos immortalis, & ſereniſſimæ Virginis fructus, qui coloris perfectione, & odoris ſuavitate animam meam ſuſpendis, & puriſſimis delectationibus exhilaras. Perfundar, oro te, aqua illa tua quàm dulciſſima, qua virtutum cæleſtium plantaria creſcunt, & perfler aura ſuaviſſimi ſpiritus à te proceden-

tis

Scrip. An. circ. 1593. tis, quo nihil eſt in terris amabilius. Ament alii corpora à te creata, quæ aptiſſima membrorum proportione, candore, atque intermiſto faciei rubore præcellunt, quæ aſpectu majeſtatem, & ſociatam gravitati comitatem præferunt, quæ ſermonis ſuavitate, & actionum venuſtate oculos, & animos alliciunt, A quæ primævo adoleſcentiæ flore in admiratione habentur, & præ divitiis, ac honoribus expetuntur: Ego verò immobili conſilio amabo te pulcherrime iuvenis, annos tres, ac, triginta nate, æternum decorem brevi, formoſiſſimi corporis è virgineo ſanguine formati, mole complectens. Te inquam votis ardentiſſimis amabo, qui candor es lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, qui puritate tua omnem cælorum ſerenitatem obſcuras, cujus ſplendore clariſſimo ſol meridie tenebreſcit. Et quidem conſilium hoc, & delectum meum cæleſti prudentia dignum eſſe ambigere non poſſum: omnes quippe, qui te rectè norunt, immenſis præconiis non modò te ipſum, qui ſole excelſior, ac formoſior es, verum inceſſum tuum, verba tua, B intuitum tuum, & ſingulos minutiſſimos nutus tuos ſine fine commendant: & tibi præcordia ſua devovere feſtinant. Quorum certè optio prudentiſſima mihi videtur, cupioque vehementer electores omnes velociſſimè præcurrere, ac te mihi in perpetuum amoris pactum porrectis, ac circumductis brachiis dulciſſimæ charitatis adſtringere. In ara ergo cordis mei (ubi aromata multa votorum igne tui amoris exuſta olfactui tuo ſuaviſſimos odores invectura fumant) ſanctio tecum fædus ſempiternum, & eligo te in amorem meum, conſiliique, atque delectus mei ſtabilitatem auxilii tui firmamento nitentem iuro. *Si oblita fuero tui*, ô mitiſſimè Rex Hieruſalem, *oblivioni detur à te dextera mea*, ut nihil fœliciter efficiat: *adhæreat lingua mea faucibus meis*, ne quid gratum loqui valeat, *ſi non meminero tui*. Malè mihi cedant omnia, *ſi non propoſuero* te dulciſſimum Regem Hieruſalem *in principio* cuiuslibet *lætitiæ meæ*. Hoc eſt conſilium meum, & mentis canitie digna electio mea, nullis adverſitatibus conceſſura. Et ut ab univerſis mundi principibus agnoſcar, & cui me juraverim ſine ambiguitate pateat; imprimere, obſecro te, o Majeſtas infinita, & fidiſſima tutela mea, inſculpere cordi, & corpori meo, quia fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio, ſeu zelotypia tua, Et ego Magdalena iurata, & fœderata tibi ſuaviſſimo Deo, ac ſponſo meo per medias plateas ſigillo tuo obſignata, ſive charactere notata incedam, nec ulterius à te tibi ſemel clauſa mortalibus amatoribus, quamvis importunè pulſantibus fores aperiam. Te ſolum ex intimis viſceribus amo, Te ſolum eligo in Deum, Regem, Patrem, Matrem, Sororem, Fratrem, Amicum, & Sponſum meum Te ſolum eligo in vitam, tutelam, fortitudinem ſapientiam, opulentiam & voluptatem meam. Precor ergo te, Rex pacifice, cujus vultum deſiderat univerſa terræ electio hæc mea in triumphantis ac militantis Eccleſiæ tuæ ſenatu, populoque lectiſſimo brevi ſilentio indicto legatur, ut omnes creaturæ tuæ mihi fauſta precentur. Fac, o amabiliſſime, ut qui de amoris delectu in terris nondum cogitarunt una mecum eligant, ament ac requirant ſolam pulchritudinem, ac dulcedinem tuam, quos omnes, impenſiſſime oro, ſuaviſſimæ chatitatis tuæ ignis abſumat.

Pſal. 136.

E

F

C

G

IN SEQUENTEM OPELLAM PRAEMONITIO

Quandoquidem fructus divini Amoris pax eſt, & ad hoc Vener. Scriptor in hac de Pace tractatione totus incumbit, ut per ſanctæ caritatis ſemitam Eccleſiæ filii ad veram pacem perveniant, ideo argumenti nexu & cognatione antecedentibus hanc opellam immeditae ſubiungimus, quæ in anteactis Editionibus tertio operum Tomo adponebatur. Scripta D *ab Auctore eſt aut ſub finem anni* 1612. *aut initio anni* 1613. *quum primo ex Typographia Jacobi Maſchardi Romæ in lucem prodiit, dum ipſe Præpoſiti Generalis clavum in univerſam Italiæ Congregationem teneret.* H

DE STUDIO PACIS

LIBER

IN SEX PARTES DISTRIBUTUS.

VETUS AUCTORIS
NUNCUPATORIA EPISTOLA.

ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMOQUE
D. ODOARDO FARNESIO
S. R. E. CARDINALI
FR. JOANNES S.

REcens pacis lætitia, quæ in medio æſtatis ardore, flagrantem Italiam velut immiſſo aquæ cœleſtis amne perfudit, animum excitavit meum, Cardinalis Illuſtriſſime, ut pacis ſtudium brevi ſcripto commendarem, interim dum inchoati, reſtinctique belli malum, & invectæ pacis bonum obverſatur oculis, alterumque ab altero diſcrimine lato ſecernitur. Nullum quippe tempus ad pacis ſtudium perſuadendum opportunius, quam ubi animi diſcordiæ damna perſentiunt. Hanc ergo ſcribendi occaſionem nactus, explebo deſiderium, quod iampridem in animo coaluit, ut meam in te obſervantiam ſcripto aliquo profiterer. Quam autem ad rem pacis ſcriptum tibi dedicem, ex ea liquet humanitate, ac modeſtia laudatiſſima, qua omnes excipis, & affaris ut ad conciliandos animos, paciſque fœdera ſancienda videaris natus. Quod quidem eò cenſendum mirabilius, quo generis claritas luculentior, opum affluentia maior; dignitas excelſior eſt. At omnia hæc pietas moderatur, temperant, & virtutes heroicæ, quas ſilentio præterire malui, ne laudem, quam perficere nequeo, incaſſum attentem. Tu verò, Cardinalis Illuſtriſſime, ſcriptnm ingenio tuo conſentaneum non ſcriptoris merito, ſed voluntate perpenſa, humaniter accipe, atque perluſtra, ut & alii auctoritate tua planè maxima permoti lectionis hujus occaſione in pacis ſtudium conſtanter incumbant. Ego vero Clementiſſimum Deum impensè precabor, te, Cardinalis Illuſtriſſime, diu tueatur incolumem, & ad æternæ pacis fruitionem confecto mortalitatis curſu denique provehat.

AUCTORIS PRÆFATIO
LECTORI

DEcet profectò Eccleſiæ filios divinæ charitatis vinculo necti, pacique accuratiſſime ſtudere, ut bona plurima pariant, & innumera mala præcaveant, æternæque ſalutis viam expediti, alacreſque percurrant. Huc ego incubui, dum, quæ ad pacis amorem, ac ſtudium præſertim conferre poſſent, brevi ſcripto contexui, quod in partes digeſſi ſex. In prima poſui prænotiones; in ſecunda pacis fructus; in tertia pacis acquirendæ, ac tuendæ modos; in quarta pacis detrimenta; in quinta perfectionem pacis; in ſexta perſuaſionem. Imprimat, oro, clementiſſimus Deus Lectorum animis perfectum pacis amorem, qui altas defigat radices, quas nullus unquam turbo revellat.

VENERABILIS
P. FR. JOHANNIS
A JESU-MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI
CALAGURITANI
LIBER
DE STUDIO PACIS
COMPENDIO SCRIPTUS.

PARS PRIMA
DE PRÆNOTIONIBUS.

CAPUT I.

Quidnam rei ſit pax.

Scriptus An. 1612.

S. Th. 2. 2. q. 27. art. 1.

A

Unde pax?

PAX, quod ad nos attinet, eſt harmonica propriarum hominis unius appetionum inter ſe, & cum alterius hominis appetitionibus congruentia. Neque enim pax proprie accepta conſtare poteſt niſi affectus hominis ita temperentur, ut interni ejus motus mutuo primum, & mox cum aliorum hominum motibus cohæreant. Subeſt appoſita ſimilitudo citharæ, cujus fides ad proportionem muſicam intentæ, & cum alterius citharæ fidibus conſonæ, perfectam pacis imaginem referunt: ubi perſpectum eſt, harmonicum concentum reddi non poſſe, ſi vel altera cithara diſſonet alteri, vel una ſaltem chorda minime conſonet. Nimirum, ut bonum perficitur integritate quadam, deteriturque quocumque defectu, ita & pax conſenſione conflatur integra, quoviſque diſſenſu minuitur. Ex quo planè conficitur, perfectam pacem nulli perturbationi obnoxiam, in cœleſti dumtaxat gloria velut in ſolo pingui provenire; in hoc verò exilio, ubi vel ab aliis, vel à ſe ipſo mortalis homo paſſim diſſentit, non omnibus abſolutam numeris pacem coaleſcere; quod à S. Thoma alte perpenſum eſt.

Compara-tio.

1. 2. p. 27. a. 2. ad 4.

B

CAPUT II.

Diſcrimen inter pacem, & concordiam.

NON oraculis tantum divinis, ſed experientia quoque aſſertrice pervincitur, impios pace minimè frui, quos tamen conſtat eſſe plerumque concordes; ut fatendum ſit, à concordia pacem longe differre. Concordia ſcilicet duorum idem appetentium conſenſum, & duo in unum conſpirantia corda ſignificat, quod impiis, ad res animo conceptas explendas, crebrò accidit: pax verò quæ impiis, juxta Iſaiæ vaticinium, deeſt, non duorum animorum idem bonum cupientium conſenſionem modò, ſed unius etiam hominis partium concentum includit. Quocirca pax altior multo, & pretioſior, quam concordia eſt; licet vulgus hujus diſcriminis ignarum, pacis & concordiæ nomina permiſceat, & promiſcuè, ut libet, uſurpet.

C

Concordiae, & pacis diſcrimen.

Iſai 48.

S. Tho 2. 2. q. 29. art. 2. ad. 3.

CAPUT III.

D

Diſtinctio pacis veræ, & apparentis.

CUM pax in appetitus quiete conſiſtat, appetituſque ipſe nunc in vera, nunc in apparentia bona feratur, ut quieſcat;

Scriptus An. 1612.

Iſai. 32.

A

Sap. 14.

Hominum error.

omnino exploratum eſt, pacem modò veram modò apparentem ex varia bonorum fruitione ſuccreſcere. At vera pax niſi in viris bonis, & erga vera bona minimè provenit, cum ſit opus iuſtitiæ, ut ab Iſaia memoriæ proditum eſt; falſa verò e malis ipſis, quæ bona putantur, velut ſenticoſa ſylva è ſterili ſolo ab ſtupidis agricolis demetitur, ſicut ſcriptum eſt: *In magno viventes inſcientiæ bello tot & tam magna mala pacem appellant.* Excipiet fortaſſe lector, videri ſibi pacem veram, quam ex libidine expleta, vel ex vindicta elicuit, cum ibi quieverit: cæterum errat planè; licet enim malum, quod ſub imagine boni placet appetitum quoddammodo ſedare videatur; ingerit tamen aculeos quibus animus angitur, atque pervellitur: quæ profectò ratio theologica eſt, præter quam quod veritas hæc ab ipſis ethnicis aſſeritur, ut patet ex illo,

Juvenal. Sat. 13.

. . . . Cur tamen hos tu
Evaſiſſe putes, quos diræ conſcia culpæ
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum

B

CAPUT IV.

Pax vera proprius charitatis effectus eſt.

S. Tho. 2. 2. q. 92. art. 3.

C

Pax vera unde?

DUplex, uti ſuperius poſuimus, conſenſio pacem conflat, altera, qua unius hominis appetitiones inter ſe cohærent; altera qua cum aliorum homiunm affectibus connectuntur. Cum ergo divina charitas omnes hominis vires coagmentet; ac in Deum, primogenito amoris actu referat, proindeque omnes eas mutuo vinciat, atque contexat, hominiſque ipſius animum proximi animo ad eadem optata mirifice adaptet; omnino conficitur, pacem veram propriè à divina charitate procreari: quod S. Thomas accuratè penſitavit. Ex quo ſanè liquet, pacem veram ſine gratia gratum faciente, à qua charitas numquam ſeiungitur, conſtare non poſſe, quod in ſecundi argumenti ſolutione idem Sanctus Doctor aſſeruit. Qualis ergo dementia eſt, ſpreta Dei gratia, violataque divinæ charitatis lege, à qua pax ingenuam ducit originem, pacem minimè legitimam mente confingere, ac ex voto ſucceſſuram credere? Porrò inſanus cenſendus, qui fructum miti dumtaxat ex arbore provenientem, inter horrentia ſpineta requirit.

CAPUT V.

Pax vera recenſetur inter Spiritus ſancti fructus, & beatitudines.

D

S. Tho. 1. 2. q. 70.

Gal. 5.

Matt. 5.

Aug. l. 1. de Ser. Dom. in monte.

E

Pacis effectus.

VIrtutum actus, qui, Spiritu ſancto afflante, voluptatem pariunt, appoſita ſimilitudine appellantur fructus, quibus multò perfectius, quam fructibus arborum corpora, reficitur animus ac oblectatur. Recenſuit autem Apoſtolus inter Spiritus ſancti fructus pacem, qua quidem efficitur, ut homo externis eventibus minimè perturbetur, & internis appetitionibus in Deum conſpirantibus mirificè delectatus conquieſcat. Chriſtus prætereà, inter beatitudines, quaſdam ſcilicet cœleſtis beatitudinis velut inchoationes, pacem repoſuit, verbis uſus illis: *Beati pacifici. Pacifici autem*, aſſertore Auguſtino, *in ſemetipſis ſunt, qui omnes animi ſui motus componentes, & ſubiicientes rationi, id eſt, menti, & ſpiritui, carnaleſque concupiſcentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei.* Hæc Auguſtinus: quibus apertè conficit, pace ipſa hominem in ſtatum quendam cœleſtem evehi, qui perfectionem eximiam, quæ beatitudinis ſignificatu proditur, animo conciliat. Si autem pax, in hac etiam mortalitate, eo pertingit, ut fœlicitatis æternæ gaudia prælibet, perfectionemque Cœlitum velut inchoet; fatendum profectò, pacem rem eſſe pretioſiſſimam, & inter prima bona æquo iudicio reponendam.

CAPUT VI.

Omnia pacem appetunt .

F

S. Tho. 2. 2. q. 29.

L. 19. de Civit. Dei cap. 12.

G

EX eo planè liquet, quam ſit æſtimandum pacis bonum, quod omnia pacem appetunt, ut ex Sanctis Dionyſio Areopagita, & Auguſtino S. Thomas aperte docuit. Quod adeò univerſè verum eſt, ut ne ipſi, qui bella gerunt, ab ſtudio pacis abſiſtant. *Pacis enim* (ait Auguſt.) *intentione geruntur & bella, ab his etiam, qui virtutem bellicam ſtudent exercere imperando, atque pugnando*. Et paulò poſt. *Latrones ipſi ut vehementius, & tutius infeſti ſint paci cæterorum, pacem volunt habere ſociorum*. Hæc Auguſtinus de hominibus quantumvis flagitioſis: nam pacem à bonis expeti, à nemine ambigi potuit. A feris demum ſæviſſimis pacem exquiri confirmat in hæc verba: *Ipſæ enim ſæviſſimæ feræ genus proprium quadam pace cuſtodiunt coeundo, gingnendo pariendo, fœtus fovendo, atque nutriendo, cum ſint pleræque inſociabiles, & ſolivagæ: non ſcilicet ut oves, cervi, columbæ, ſturni, apes: ſed ut leones, vulpes, aquilæ, noctuæ.* Hæc Auguſtinus de feris. Si ergo quæ pacem, vel culpa odiſſe, vel natura reſpuiſſe videntur, pacem omnino affectant; viri ſapientis erit, in ſtudium pacis, quæ humanæ naturæ ſocietas, & divinæ charitatis lex potiſſimum exigit, conſtanter incumbere. Hic prænotionum ſcopus eſto.

PARS SECUNDA

DE NONNULLIS E POTIORIBUS PACIS FRUCTIBUS.

H

CAPUT I.

Lætitia.

UBI bellum geri cœpit, urbemque licet bene ſeptam obſidio cinxit, vix niſi experti credent, quàm decumbant animi mœſtitia contracti, & ad horas penè ſingulas neci obnoxii. Perſtrepunt cornua

nua

Scriptus An. 1612. nua rauco cantu, incerta tela in medias librantur plateas, ignei globi tectis inijciuntur obſeſſis, in præferratas portas multiplex, ac violenta fit irruptio, horrendo crepitu mœnia tormentis quatiuntur, tremendo cum fragore faſtigiata ædificia corruunt, & glandibus plumbeis icti propugnatores, ac excubitores A intereunt. Hæc mœſtiſſima inſtantis mortis imago. Huic ſi obſidione depulſa, vel inopinata, vel conſilio parta ſuccedat pax, nulla eloquentiæ vi ſatis exprimi poteſt repentè orta lætitiæ magnitudo, qua qui conciderant animi eriguntur, & viſcera conſtricta relaxantur. Judi. 15. Teſtes Bethuliæ cives, qui Holoferne cæſo, exercituque fuſo, mœſtitiam belli uberrima pacis lætitia bene repenſarunt. Teſtes Iſraelitides puellæ Davidi è cæde Goliath 1. Reg. 18. revertenti in choreas obviæ. Non enim læta victoria, niſi quia ſublatam reſtituit pacem, cuius lætitia non ſatis deprehenditur, niſi ubi amiſſa inſtauratur. At viri ſapientes, qui rem callent, tranquillo in ſtatu, pacis momenta trutinare norunt, lætitiamque penitus concipiunt, quam nullus belli incurſus B obturbat. Ex hoc ſtruitur validiſſimum certè argumentum ad pacis ſtudium perſuadendum. Si enim pax lætitiæ ferax eſt, incredibile videtur, quemquam è mortalibus tam conſilii expertem inveniri poſſe, qui paci parandæ, atque tuendæ ſtudere detrectet. *Sicut enim* (ut ipſis Auguſtinus verbis utamur) Lib. 19. de civit. Dei cap. 12. *nemo eſt, qui gaudere nolit, ita nemo eſt, qui pacem habere nolit*. Sinat ergo pius lector, ſe pacis amore capi, qua inter homines, nihil optabilius ſolet audiri.

CAPUT II.

Opulentia.

Bella, quicquid in regnis ſpecioſum, & opulentum eſt, multiplici incurſione devaſtant. C Pax, velut oneraria navis ſecundis appulſa ventis, opes aliundè contractas in regna tranquilla convehit, & exponit: Quod & ratione, & illuſtribus aſtruitur exemplis. Ratione quidem, quia, ubi cives nullis afflictantur bellis, nec otio torpere ſinuntur, vario mercaturæ genere ex alienis emporiis in urbes natales pretioſa quæcunque referunt, diteſcuntque ipſi, & Rempublicam divenditis opibus augent. Exemplis verò, quia ut e ſacris, profaniſque liquet hiſtoriis, nulla regna ditiora, quàm quæ pacata floruere. Suppetit unum pro plurimis regni Salomonis mira pace proſperati luculentiſſimum exemplum, ſacro textu expreſſum in hæc verba: 2. Paral. 9. 20. 21. 22. *Omnia quoque vaſa convivii regis erant aurea, & vaſa domus ſaltus Libani ex auro* D *puriſſimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur. Siquidem naves regis ibant in Tharſis cum ſervis Hiram, ſemel in annis tribus & deferebant inde aurum, & argentum, & ebur, & ſimias, & pavos. Magnificatus eſt igitur Salomon ſuper omnes reges terræ præ divitijs, & gloria.* Hæc ſacer textus de Salomone, quæ non ad regis ſolius, ſed ad regni quoque felicitatem pertinuere, ut e ſubiectis aliquanto poſt verbis evincitur: Ibid. v. 27. *Tantamque copiam præbuit argenti in Jeruſalem. quaſi lapidum*. Si ergo divitiarum amor, quod nimis tritum, ac vulgatum eſt, animis hominum altè inſedit, debent illi profectò, pacis ſtudio ſe totos dedere, & diſcordiæ ſemina vehementer odiſſe. E

CAPUT III.

Fertilitas.

Regna crebris infeſtata incurſionibus, perpetua videntur ſterilitate damnata, qualia paſſim in Aſia cernuntur. Nonnulla ex ijs pingue ſortita ſolum uberrimos fructus refunderent: verum gens ex præda vivens terræ culturam minimè ſuſtinet, quippe quæ alienos malit labores abſumere, quam propriorum iacturam facere. Vaſtitas ergo regionum pace carentium infamis nota eſt. At ubi pax coaluit, nec improviſi timentur inſultus, terra ſtatis temporibus colitur, fluviorumque derivatione perfunditur: F unde non ad neceſſarios dumtaxat uſus, verùm & ad ſaturitatem, & delicias proventus exiſtit uberrimus ut verum paſſim probetur illud, quod de Ieruſalem ſcriptum eſt: Pſal. 147. 14. *Poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.* Fiunt ſcilicet pacatæ regionis incolæ ſimiles Iſſachar, quem Iacob morti proximus, prædixit fore idoneum quietis, & terræ feracis æſtimatorem, culturæque deditiſſimum, in hunc modum: *Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem quod eſſet bona, &* Geneſ. 49. 14. 15. *terram, quod optima: & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſque eſt tributis ſerviens*: hoc eſt: Populus ab Iſſachar progenitus erit robuſtus, ut jumentum nervoſum & validum, & morabitur inter mare Mediterraneum, ac Jordanem, duos videlicet fines terræ, quæ ei ſorte obtinget. G Contemplabitur requiem, quæ planè bona, & terram ſortito acceptam, quæ porrò pinguiſſima erit: & ratus è ſolo tam feraci ſe poſſe diteſcere, ſubiiciet oneri culturæ humeros, cenſumque regibus è terræ fructibus pendet: nimirum non egebit alienis mercimoniis, & ſuſceptis terræ mariſve itineribus, ad victum ſibi parandum & tributa reddenda. Hic ſenſus Jacob, qui paci, ſine qua regio ferax, ſed ab hoſtibus attrita, nihilo fœlicior, quam ſterilis ſolitudo foret, aſcribendus eſt. Cum ergo proprios agros, & hortos quiſque cupiat eſſe fœcundos, debebit ſanè optare, atque conari, ut pax nullo interturbata bello integra, tutaque conſiſtat.

H

CAPUT IV.

Sanitas.

Sanitatis amor vitæ amori congener eſt, vixque dici poſſit, quam accurate de ſanitate paranda, atque tuenda mortales agant, & quam ſollicitè exigua quoque pro-

Scriptus An. 1612. ſperæ valetudinis detrimenta, vel cogitata præcaveant, vel accepta propulſent. Exploratum eſt autem, hominem pace carentem proſperè valere non poſſe: non enim corpus bene alitur, & viget, ubi animus diſcordiæ aculeis pungitur, graviterque affectus triſtia ſenſa pertractat. A Porro Sionis principes amiſſa pace, inter belli Chaldaici Thren. 1. 6. damna, ut obſervavit Ieremias, *facti ſunt velut arietes non invenientes paſcua, & abjecerunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis*: animo quippe vexato, corpora tanquam cibo deſtituta languerunt, non ſecus ac arietes, pabulo non invento conflacceſcunt. Quin etiam non corpus modò læditur, ſed plerumque interimitur ingraveſcente mœſtitia, cui natura ſuccumbit. Pacis effectus. E contrario pax, & animum, & corpus roborat, & conſtabilit vitalium motuum parens, ac effectrix. Senſit hanc vim anima Chriſti ſponſa, quæ a Salomone ſic loquens Cant. 8. 10. inducitur: *Ego murus, & ubera mea ſicut turris, ex qua facta ſum coram eo, quaſi pacem reperiens*; hoc eſt: Ego anima prius B præliis aſſueta, vehementerque concuſſa, evaſi muro benè firmo ſimilis, & amores Uberum ſignificatio. mei, uberibus lacte tumentibus notati, in turrium altitudinem creverunt, ubi pacem reperire conceſſum eſt. Hæc mira firmitudo, & internarum virium acceſſio ad corpus quoque laſſum, maleque affectum recreandum, bonumque habitum augendum ob animæ, corporiſque nexum proculdubio pertinet; cui quidem pacis effectui ſimile quiddam in quovis concordiæ genere, proportione ſervata deprehenditur. Si ergo ſanitatis, vitæque ipſius amor medullis hæret, ſanè & pacis ſtudium debebit hærere.

CAPUT V.

Sapientia.

C Comparatio. QUod pingui, ſed incultæ terræ ſolet accidere, ut vepres, ac tribulos effundat, hoc diſcordibus contingit ingeniis, quæ cùm neutiquam excolantur, vitia tetra concipiunt, criminaque progignunt. Sublata ſcilicet pace, indomitæ fervent paſſiones, animoque perturbato, ſtudio ſapientiæ viam intercludunt. Teſtis in caput ſuum locuples Græcia, quæ ante ſchiſmatis tempus viris ſapientiſſimis floruit: ſed pace ſchiſmate reſciſſa, per tot jam ſæcula in ſervitutem redacta, belliſque exciſa, vix unum, aut alterum Diſcordiæ effectus. virum doctrina inſignem protulit. Similis quoque calamitas regna alia bellis externis, & civilibus conſumpta pervaſit: neque enim gymnaſia frequentantur, neque tam D doctrinæ, quam potentiæ defertur honor. Cæterum ubi pax obtinuit principatum, & reges ipſi, quibus horis vacat, & negotiorum geſtores, & milites cuſtodiæ, & cautioni deſtinati, libros evolvunt, conſultant, prudentiam, & peritiam multiplicem ediſcunt, ut homine dignas functiones obeant; quo quidem ſtudio à barbaris nationibus, quæ non tam ratione, quam gladio lites dirimere aſſueſcunt, longè recedunt. Si ergo pax ſapientiæ ferax eſt; porrò univerſi homines, qui naturali ductu ſcire deſiderant, pacis ſtudio, ſe ipſos dedant omnino decebit.

CAPUT VI.

E

Pietas.

NImis compertum eſt, flagrante diſcordia pietatem decreſcere, templa everti, vel profanis abuſibus pollui, ſacras deflorari virgines, & Dei cultum calamitosè concidere. Rebus quippe turbidis, & oblata prædæ occaſione de direptione potius, quam de pietate cogitatur. Pacis effectus. At in regnis pacatis, ubi animi ab ſtudio pietatis minimè divertuntur, pronum eſt, divinarum inſpirationum ſemina altè concepta Deo opitulante fovere, bonoſque piorum operum partus edere, quod experimenta multa pervincunt. Viſuntur ſcilicet templa magnificentius extructa, F prædiiſque attributis locupletata, ſacrarum Virginum bene ſepta monaſteria, hoſpitales domus amplis redditibus ditatæ, collegia piis deſtinata laboribus, & id genus alia, quæ longa annorum ſerie perdurant. Cum enim bellis non exhauriantur, ſuppetunt opes, quas piis operibus impendant viri ſalutis æternæ cupidi, quorum nomina marmoribus inſculpta ad poſteritatis exemplum, multa cum laude leguntur. Quod ſi quis altius caput efferat, contempleturque cœtus hominum pace vera ſociatos, quales in cœnobiis monachorum primæva laude florentibus conſpiciuntur; facilè mirabitur pacem pietate prægnantem, creberrimoque bonorum operum partu fœcundam. Si ergo pietas placeat neceſſe eſt, cujus ſtudio nihil ſuavius excogitari poſſe videtur.

G

PARS TERTIA

DE SELECTIS ALIQUOT PACIS QUÆRENDÆ AC TUENDAE MODIS.

CAPUT I.

Conſilium.

PACIS pulchritudo, quæ animorum multorum proportione componitur, bonos æſtimatores allicit, ex proprio ſpectata ingenio, vel ex multiplici, planeque ſuaviſſimo fructu. Cæterum ſi bonum placeat, H minimè verò exquiratur, ignaviæ vertendum eſt. Quocirca laus prima virorum paci ſtudentium ab induſtria ſolertiaque petitur: ut ſcilicet perquirant appoſitos parandæ, tuendæque pacis modos, vireſque in opus hoc perſeveranter intendant, bene uſi oraculo illo: *Inquire pacem, & perſequere eam*. Pſal. 33. 15.

Scriptus An. 1612.

CAPUT II.

Amoris oſtenſio.

Pax effectus charitatis.

CUM pax ſit proprius charitatis effectus, ut parte prima conſtitutum eſt, nemini dubium accidere poteſt, quin luculenta A ſigna amoris ad conciliandos animos, pacemque palandam, & alendam appoſitiſſima ſint. Hæc quippe non tepidos dumtaxat, quorum deferbuit mutuus amor, ſed frigentes, qui hoſtiles animos gerunt, mirifice afficiunt, & inflammant. Huc reſpe- Rom. 12. 20. xiſſe videtur Apoſtolus, ubi ait: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus*: quaſi planiùs in hunc modum effaretur: Exhibe amoris ſigna inimico, ejuſque animum tibi conciliabis. Quod enim ait; *Carbones ignis congeres ſuper caput eius*; perindè eſt, ac ſi diceret: Incendes, inflammabis illum, ab eo ardenter amaberis, & pax amore genita concreſcet. Expertus eſt hoc Rex Iſrael, qui Syros hoſtes, B Eliſæi Prophetæ precibus excæcatos, & in mediam Samariæ plateam adductos, quos tutos cædere potuit convivio excepit, paſtoſque remiſit. Quo quidem amoris ſigno pacem è veſtigio obtinuit, ſicut ſcriptum 4. Reg. 6. 23. eſt: *Et ultra non venerunt latrones Syriæ in terram Iſrael.*

Dilectio inimici praecepta.

CAPUT III.

Juſtitiæ cultus.

JUſtitia reddit cuique quod ſuum eſt. Cum ergo perſpectum ſit, bella, liteſque ex juſtitiæ læſione paſſim exiſtere, quod ablatum, vel non repoſitum ſit, quod ad quemque pertinuit; quòd injuria irrogata, nec C compenſata, vel vindicata ſit; omninò liquet, juſtitiæ cultu diſcordiæ cauſas auferri, pacemque proinde ali, vel reſtitui. Tribus Beniamin ob nefas in uxorem levitæ commiſſum, nec ultrice juſtitia, uti debuit, expiatum, exemplo tremendo deleta eſt, & cunctas ejus urbes, ac viculos (ut ait ſacer textus tragicam hiſtoriam concludens) vorax Jud. 20. flamma conſumpſit. Suppetunt exempla frequentia, quæ lugere, quam recenſere fructuoſius eſt. Sanè quod in rebus ſenſus expertibus paſſim cernimus, quæ naturali ab ſitu depulſæ minimè quieſcunt, ſed immenſa commotione bene fixos quoque ſcopulos, monteſque concutiunt, qualis ignis, & venti terræ cavitatibus excepti; hoc in rebus ablatis, nec in ſuum relatis locum, D morali quadam animorum commotione perſpicimus, ut certo ſtatuendum ſit, motus, ac perturbationes Reipublicæ minimè defuturas, niſi juſtitia rem quamque ſuo loco reponat.

CAPUT IV.

Occaſionum diſcordiæ ablatio.

QUÆ pacem diſſipant, vel extenuant, longè amovenda ſunt, tametſi nonnihil jacturæ temporalis fiat. Abraham, cum ex Ægypto dives rediret, animadverteretque E Loth ſecum verſantem locupletem eſſe, occaſioneque varia paſtores gregum utriuſque concertare cœpiſſe, ſic eum affatus eſt: Geneſ. 13. 8. 9. *Ne quæſo ſit jurgium inter me, & te; & inter paſtores meos, & paſtores tuos: fratres enim ſumus. Ecce univerſa terra coram te eſt: recede à me obſecro: ſi ad ſiniſtram ieris ego dexteram tenebo: ſi tu ad dexteram elegeris; ego ad ſiniſtram pergam.*

Hæc Abraham bonus pacis æſtimator, qui electionem fertilioris regionis detulit Loth, ut occaſiones diſcordiæ præcideret. Hæc perantiqua Abrahæ laus plurimos habuit æmulatores, quæ in rebus utilibus, & honorificis primas aliis partes gratis conceſſerunt, ne pacis decrementa paterentur. Sed Sanctorum novi teſtamenti charitas in hoc genere præſertim effulſit, pro- F poſito exemplari Chriſto, quem pacis auctorem ſuſpicimus, ac veneramur.

CAPUT V.

Paſſionum ſubjugatio.

INcaſſum ſe paci ſtudere jactat, qui paſſiones indomitas coercere non certat: Licet enim à nemine impugnetur extrinſecus, inteſtinum ſecum gerit bellum, quod nullas permittit inducias. Nunc rerum noxiarum immodicus amor, nunc timor nimius, modò effrænis ira, modò præceps audacia, aliique affectus immoderati fervent, qui hominem ſui velut impotem ad fœda G multa propellunt. Quocirca Chriſtianæ mortificationis diſciplina exercenda eſt, ut exerta paſſionum, tanquam excandeſcentium ſerpentum capita præſecentur. Quæ quidem doctrina univerſorum ſapientum conſenſione commendatur: adeoque patet univerſè, ut non monachi, vel viri alii eccleſiaſtici tantum, ſed mercatores, ac milites ipſi, qui avaritia, ambitioneque graviter ægrotant, rationibus ſaltem politicis innixi exultantes paſſiones plerumque compeſcant, ne pace careant eorum, à quibus opes, vel honores expectant. Quod ſi quis omninò decernat, affectibus habenas laxare, & de vario appetitu potius explendo, quam extinguendo cogitet, non magis ille conquieſcet, quam commotum procellis, H mare, quamdiu validis ventis excitatur. Unum è duobus ad pacem eligendum, ut res ex ſententia rerum ſucceſſibus adaptetur. Primum minimè accidit: ſecundum præſtari nequit, niſi paſſiones reprimantur, quod divinæ gratiæ auxilio ſolet obtineri. Imperet ſibi, qui cum aliorum ſenſu, ad Pacis origo unde? pacis concentum cohærere conſtituit, be-

ne-

neque norit, unde petenda ſit pacis origo. Hæc de paſſionibus edomandis in commune tradita, ad peculiares eventus fida praxi derivanda ſunt.

CAPUT VI.

Fœdera.

QUI paci ſeriò ſtudent, fœdera libenter feriunt, injuriis quoque piè condonatis. Morabatur Iſaac in Berſabee, poſtquam Abimelech Rex Palæſtinorum eum, tanquam ſe potentiorem, ſuiſque civibus propterea inviſum, à ſuo regno recedere monuerat. Paulò ergò poſt Abimelech ipſe, nonnullique optimates Iſaac conveniunt, fœdus, ut ſperabant, percuſſuri. Et licet eis objeciſſet, ſe parum liberaliter habitum, quippe qui ab eis fuiſſet loco pulſus, injuria tamen remiſſa, illos convivio excepit, fœduſque ſanctè pepigit, ſicut ſcriptum eſt: *Fecit ergo eis convivium, & poſt cibum, & potum, ſurgentes mane juraverunt ſibi mutuò: dimiſitque eos Iſaac pacifice in locum ſuum.* Hæc juſta pacis æſtimatio eſt, quæ injuriæ ſenſum non ſinit ingraveſcere.

Geneſ. 26. 30. 31.

CAPUT VII.

Fœderis fides.

FŒdere pax promittitur, ſed fide ſtatur promiſſis, pejoraque damna ſolet afferre fœderis reſciſſio, quàm repulſa. Cùm enim fœdere initum ſit quoddam amicitiæ genus, quale ante non conſtitit; graviorem irrogare videtur injuriam, acriuſque mereri ſupplicium, qui fidem fallit, quam qui ſpondere renuit. Mos fuit apud veteres, ut animal aliquod ſolemni ritu in duas diſſecarent partes, inter eaſque tranſirent dum fœdus percuterent, tanquam ſimile imprecarentur malum ei, qui fœdus violaret. Ritus hic perantiquus per oraculum videtur acceptus. Abraham juſſus a Deo vaccam, aliaque animalia concidere ad fœdus ineundum: *Diviſit ea* (quæ ſunt ſacri textus verba) *per medium, & utraſque partes contra ſe extrinſecus poſuit.* Poſtmodum apparuit lampas ignis Deum repræſentantis, tranſiens inter diviſas cæſorum animalium partes, ſubiungitque textus ſacer: *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham dicens: Semini tuo dabo terram hanc à fluvio Aegipti uſque ad fluvium magnum Euphratem.* Huc ſpectat, quod Deus per Jeremiam Judæis exprobrat in hæc verba: *Et dabo* (ſcilicet neci) *viros, qui prævaricantur fœdus meum, & non obſervaverunt verba fœderis, quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo, vitulum, quem conciderunt in duas partes, & tranſierunt inter diviſiones ejus.* Morem ferè eundem obſervarunt Ethnici, ut patet ex fœdere Romanorum icto cum Albanis, cujus verba commemorat Livius: *Poſitis fœderis legibus ſubjebat fecialis, aut pater patratus: Populus Romanus prior non deficiet. Si prior defecerit publico conſilio, dolo malo, tu illo die, Juppiter, populum Romanum ſic ferito, & ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quantò magis potes, polleſque. Id ubi dixit; porcum ſaxo ſilice percuſſit.* Huc facit illud poeticum de Romulo, Tatioque regibus:

Fœdus amicitiae genus.

Geneſ. 15. 10. Obſervavit hunc ritum Theodoretus.

Ibid. v. 18.

Jerem. 34. 18.

Lib. 1.

Armati, Jovis ante aram, pateraſque tenentes
Stabant, & cæſa jungebant fœdera porca.

Virgil. lib. 8. Aeneid.

Patet ergo communem antiquitatis ſenſum fuiſſe, fœdera ſanctè ſervanda ſub imprecatione gravi, horrendaque pœna: ſic quippe pax ſancienda, diſcordiæque via præcludenda eſt.

CAPUT VIII.

Mitis geſtus, & ſermo.

QUod extumeſcenti mari, ſed mollem ad arenam leniter ſeſe remittenti accidit, hoc ira incitatis contingit animis, quos mitis ſermo, geſtuſque mirificè pacat. Quocirca, qui pacis dulcedine frui cupiunt, mitibus præſertim moribus non ſolum bene affectos, ſed infeſtos quoque animos ſedant, ſibique conciliant. Ex hoc certè lectiſſimo genere fuit David à manſuetudine commendatus, qui Saulem capitalem inimicum ira flagrantem bis præſertim ſedavit, ſemel ubi lanceam, & vas aquæ dormienti ſuſtulit, iterum, ubi chlamydis oram in antro præſecuit. In utroque videlicet eventu, cum infenſiſſimum hoſtem necare poſſet, ſeſe continuit, & mox efferatum animum mitiſſimis verbis, ſupplicique habitu, ad fletum uſque permovit. Qua ſanè in re mirum dictu, quam efficaciter ferum hominem lenierit, vireſque fregerit. Venerat Saul furens in deſertum Engaddi, ubi Davidem errare fama erat, tribus ſelectorum militum ſtipatus millibus, ut innoxium perveſtigaret, etiam ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis ibicibus perviæ ſunt, ut ſacer textus habet. Et tamen crudelem hoſtem irritatum & armatum, adoratione, mitibuſque verbis tranquillat, & exarmat. Quid ſibi vult inopinata concordia hæc, qua immanis tyrannus repentè mollitus bono monitori conſentit? Nimirum vis manſuetudinis armato milite fortior eſt, cujus actibus planè ſuaviſſimis pectora obdurata miteſcunt. Si ergo tam feros animos mitis agendi modus domuit, & agmina ad prælium accincta ad inſperatam pacem inflexit, porrò aſſerendum eſt, mitibus verbis, ac geſtibus diſcordes animos ad concordiæ vota conciri.

Davidis manſuetudo commendata.

CAPUT IX.

Anteverſa providentia.

MUltiplex rebellio, tumultuſque in familiis, in urbibus, in exercitibus excitari ſolet, ubi annona differtur, quod experimen-

Scriptus An. 1612. mentis quotidianis evincitur. Aegre quippe concordia perſtat, ſi providentiæ ſignis opportunis minime aſſeratur. Sæpe victoria penè certa ſtipendiis dilatis in dubium revocata: Sæpè Reipublicæ pax annonæ prorogatione vacillavit. Ergo vel tempeſtivè providendum, vel tempus antevertendum eſt; quod ad conciliandos animos, alendamque A concordiam impendiò confert. Hac certe de cauſa ærarium à prudentibus ſolet principibus quantocyus aperiri, ut ante quam neceſſitas ingruat, horrea impleantur, ſciatque populus, paratum ſe habere ſubſidium. Doctrina hæc adeo per ſe perſpicua eſt, ut aſſertione non egeat.

CAPUT X.

Novitatis fuga.

Obtruſa novitas quieſcentes animos vehementer commovet, crebroque id in Comparatio. populo novi ritus occaſione cernitur, quod in ciſternæ, ſtagnive perſpicitur aqua, quæ vel minimi lapilli injectu in multiplices orbes mota criſpatur. B Hac profectò ratione ducti viri ſapientes quicquam innovare verentur, tametſi eis nova nonnulla antiquis præferenda videantur, quod in legislatione præſertim obſervant. Ut enim rectè recedatur ab eo, quod diu æquum viſum eſt, evidens S. Tho. 1. 2. q. 95. ar. 2. debet eſſe utilitas, quod S. Thomas benè perpendit. Evidens autem utilitas rarò ſuccedit, ubi ea, quæ in conſuetudinem inducta ſunt bona cenſentur. Neſcitur quippe, an ea nova, quæ perfectiora videntur, altè imprimenda, & in morem inducenda ſint; quod ſanè boni genus in iis, quæ uſu recepta ſunt, certum, ac in tuto poſitum, attentata novitate, cum incerto, minimeque tuto commutatur. Si autem ubi perfectiora concipiuntur animo, difficulter novitas commenda- C tur; quid cenſendum ubi non adeo pefecta ſuccurrunt? Antiquis ergo inſiſtendum, & à novis abſiſtendum eſt.

CAPUT XI.

Concio tempeſtiva.

Ubi familia vel populus tumultuari cœpit, concio tempeſtiva rei attemperata, ad ſedandos animos, pacemque inducendam efficax eſſe ſolet Demetrius quidam, argentarius, qui Epheſi, faciebat ædes argenteas Dianæ; animadvertens ex Pauli prædicatione, imminere ſibi periculum quæſtus, convocatos artifices adeo vehementer adverſus Apoſtolum; ejuſque comites commovit, ut D pertubatione vires acquirente, civitas tota excandeſceret, ſicut ſcriptum eſt: *Et impleta eſt* Act. 19. 29. *civitas confuſione, & impetum fecerunt uno animo in theathrum rapto Gajo, & Ariſtarcho Macedonibus, comitibus Pauli*: Pauloque poſt vox populi per horas penè duas erupit in hæc verba: Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις Ἐφεσίον. *Magna Diana Epheſiorum.* Tunc ſcriba quidam pacis ſtudio ſic populum affatus eſt: *Viri Epheſii, quis* Ibid. v. 35. 36. 37. 38. 39. 40. *enim eſt hominum, qui neſciat Epheſiorum civitatem cultricem eſſe magnæ Dianæ, Iovisque prolis? Cum ergo his contradici non poſſit, oportet vos ſedatos eſſe, & nihil temere agere. Adduxiſtis enim homines iſtos, neque ſacrilegos, neque blaſphemantes deam veſtram. Quod ſi Demetrius, & qui cum eo ſunt artifices habent adverſus aliquem cauſam,* E *conventus forenſes aguntur, & proconſules ſunt, accuſent invicem. Si quid autem alterius rei quæritis, in legitima eccleſia poterit abſolvi. Nam & periclitamur, argui ſeditionis hodiernæ: cum nullus obnoxius ſit (de quo poſſimus reddere rationem) concurſus iſtius.* Hæc ſcriba, profectò prudens appoſitè ad perſuaſionem dixit, populumque pacavit. Conciones hujuſmodi non togæ tantum, ſed militiæ familiares ſunt, & plerumque pacem afferunt, vel alunt magno Reipublicæ bono: quod memoriæ mandandum eſt.

PARS QUARTA

DE IIS QUÆ PACEM PRÆCIPUE DETERUNT

CAPUT I.

Superbia.

F Exploratum eſt, ſuperbos animos pace frui non poſſe. Efferunt quippè ſe, præferuntque aliis, quod indigne accipitur. Quis enim æquo animo ferat elationem, vel lubens cum eo verſetur, à quo ſe Superbia pacis inimica. parvi pendi deprehendit, niſi illi facilè pauci, qui altum mundi contemptum, cœleſti dono nacti ſunt? Quod ſi & hi pauci cum homine ſuperbo in eandem ſententiam conſpirare, cedere, honorem deferre certent, G ipſe animo elatus identidem diſcors erit, arbitratus non ſibi fieri ſatis, cum exiſtimet, ſe ampliora mereri. Verum nempe eſt oraculum illud. *Superbia eorum, qui te oderunt,* Pſalm. 73. 23. *aſcendit ſemper.* Mitis, ac humilis animus, quod ad ſe attinet, pacem parat, ac nutrit, paratus inire concordiæ fœdus, quod elatus proterve detrectat.

CAPUT II.

Gravitas.

Gravitas minimè temperata ſuperbiæ partus videtur, alienatque animos, ne alter alteri hæreat. Congruit vulgatum illud:

H Ovid. lib. 2. Metamor.

Non bene conveniunt; neque in una ſede morantur
Maieſtas, & amor.

Quod ſanè verum eſt, ſive de nexu illo in uno, ſive in pluribus animis ſermo fiat. Si enim animus ſpectetur unus præ ſe ferendæ Majeſtati intentus, eo ipſo amoris ſigna non

ex-

Scriptus An. 1612.

exhibebit. Si duo, profectò ei, qui gravitati ſtudet, alter neutiquam conſentiet. Quapropter utrovis ſenſu, majeſtas, & amor divortia quærent, neque ullo pacis fœdere nectentur. Gravitas ergo temperanda, ut maturitatis, non magnitudinis imaginem repræſentet, ac eo ipſo dulceſcat, & à pacis ingenio neutiquam diſſideat.

A

CAPUT III.

Invidia.

Geneſ. 4.

QUi alteri ſortem invidet, ſtimulum animo gerit infixum, quo non ſinitur requieſcere. Cain invidit Abel cæleſtem favorem, fratres Ioſepho primas paterni amoris partes: quamobrem diſcors Cain ira conflagravit indomita; fratres, uti ſacer habet textus, oderant Ioſeph: *Nec poterant ei quicquam pacifice loqui*. Divina charitas purulentam invidentiæ collectionem diſiicit, ac de aliorum ſecundis ſucceſſibus gaudia cumulata concipit. Hæc pacis genitrix, ac ſervatrix eſt.

Geneſ. 37. 4.

B

CAPUT IV.

Ambitio.

Ambitio pacis inimica.

AMbitio diſcordiæ parens eſt. Nabuchodonoſcor rex Aſſyriorum, ſat opibus, & honoribus cumulatus, ambitione tumuit, & abſque ullo jure, Ciliciæ, Damaſci, Libani, aliarumque regionum incolas vectigales habere voluit: à quibus non abſque dedecore rejectus eſt; inſtitit tamen ille, convocatoque optimatum cœtui dixit, cogitationem ſuam (ut ſacer textus habet) in eo eſſe, ut omnem terram ſuo ſubjugaret imperio. Cujus certè propoſiti mœſtiſſimus fuit exitus, Holoferne cæſo, numeroſiſſimoque exercitu fuſo. Satis humanæ gloriæ paraverat Aman Aſſuero chariſſimus: at cum obſervaſſet, Mardochæum ſedentem ante palatii fores non aſſurgere ſibi; convocatis amicis expoſuit (ut ſacer ait textus) magnitudinem divitiarum ſuarum, filiorumque turbam, & quanta eum gloria ſuper omnes principes, & ſervos ſuos rex elevaſſet; & poſt hæc ait: *Regina quoque Eſther nullum alium vocavit ad convivium cum rege præter me, apud quam etiam cras cum rege pranſurus ſum.* Hæc Aman, quæ cor pacare poſſe viderentur. Sed quàm non ſedarent ambitioſum animum, patet ex his ipſius verbis: *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Judæum ſedentem ante fores regias*. Huc facit de Alexandro Macedone vulgatum illud:

C

Eſth. 5. 12.

Ibid. v. 13.

D

Juvenal. Sat. 10.

Aeſtuat infelix anguſto limite mundi,
Ut Gyaræ clauſus ſcopulis, parvaque Seripho.

Si ergo quieſcendum, paceque fruendum eſt, ambitio coercenda, appetitioneſque extra metam palantes intra rationis, ac pietatis clauſtra cogendæ.

CAPUT V.

Avaritia.

Avaritia pacis inimica.

AVarus, ſolitarium animal, impatiens conſortis eſt. Vix fert conſuetos ſalutandi, & caput aperiendi ritus, veritus, ne ſi alii propius accedant, familiaritas contrahatur, ſubeatque pecuniæ expendendæ vel ſubripiendæ diſcrimen. Quocirca pacem nec ſecum præ ſollicitudine, nec cum aliis præ timore, uſpiam habere poteſt. Res ſatis per ſe comperta eſt; cupidus enim homo accuratiſſimè, ipſorum quoque conſanguineorum conſortia vitat, & infame exploſæ pacis, & amicitiæ geſtat inſcriptum, chatitatis liberalitatiſque actus odit, & quicquid ad conciliandos animos appoſitum eſt: idque dumtaxat in ejus moribus deprehenditur, quod alios avertere, ac deterrere poſſit. Tam longè à pacis ſocietate recedit.

E

CAPUT VI.

Ira.

F

Et Ira.

UT candens ferrum ſcintillas, ita iracundus homo, ubi excanduit, diſcordiæ flammas emittit. Ira pacis expultrix, belli motrix eſt, adeoque deſævire ſolet, ut omnem humanitatis ſenſum ademiſſe, hominemque in feram immanem vertiſſe videatur. Hæc ſenſu Chriſtiano compeſcenda: agni quippe inter ſe pace fœderati, non tigres congruunt Chriſti ſcholæ, quæ mites creat animos; dura mollit, ut cedant; aſpera exæquat; ut aptè cohæreant.

CAPUT VII.

Sententiæ tenacitas.

G

FLecti oportet, tantillumque cedere illum, qui cum alio paciſci avet. Si enim ſententiæ tenax ſit, vix unquam ita conſentiet, ut placeat. Quomodo placebit, qui alios in ſuam pertrahare ſententiam enititur, neque cogitat æque bona, aut fortaſſe meliora conſilia ab aliis excogitari, probarique ſolere? Profectò dum proprium alienis præfert conſiliis, neque ſententiam aliis adaptare, ſed perſuadere conatur, diſcordiæ ſementem ſpargit, qua pax longè depellitur, vel diſcerpitur. Nec eſt viri ſapientis, ſenſa propria tanti facere, ut ſemel prolata revocare, dedecori ſibi fore cenſeat, dum alienis, ſed melioribus concedit. Eadem prorſus ratione ſapientis non eſt, ſententiam priorem retinere, ubi ſecunda melior tutiorque ſuccedit: qua quidem in re plurimum commendamus S. Auguſtinum, qui Retractationum libros ſpontè edidit, non ut errata dumtaxat corrigeret, ſed ut non æque expenſas ſententias, & verba, melioribus permutaret. Qui ingenium mite ſortiti ſunt, corrigi, vel ſe ipſos corrigere parati, pacis proculdubio ſunt aſſertores, & ſuavitate morum alios ad concordiam mirificè alliciunt.

Mutare conſilium aliquando prudens.

H

CA-

CAPUT VIII.

Mordax ſermo.

Sermo mordax cavendus.

A LAborant nonnulli vitio linguæ mordacis, quæ vix exeritur niſi ad ſtimulos inſigendos: capiuntque ipſi non modicam ex vellicatione voluptatem, quod illiberalis ingenii argumentum eſt. Hi ab aliis tam accuratè vitantur, ac veſpæ bene aculeatæ, & irritatæ, tantumque abeſt, ut cum eis pax ſanciatur, ut vix ullum genus hominum tam exoſum, & ad tragœdias excitandas opportunum reperiri queat. Quapropter qui paci ſtudent, verba præmeditantur, ponderantque, ne quid non ſuave excidat, quo exaſperentur animi, eo ipſo minus concordes futuri. Rectè ſcriptum: *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos: & lingua eucharis in bono homine abundat.* Sermo ergo mordax præcavendus eſt.

Eccl. 6. 5.

CAPUT IX.

Suſurrus.

B

Suſſurrones pacis inimici.

PErſpicuum eſt, eos qui clam aliis in aurem ſuggerunt, quæ diſcordiam pariunt, pacis hoſtes infeſtiſſimos eſſe. Qui tantò nocent pejus, quanto ſecurius. Cum enim, nullum ſibi videantur ex ſuſurro ſubire periculum, licentiùs abſentibus detrahunt, mala augent, amplificant: unde bella, & vaſtitas originem ducunt. Hoc genus hominum ſceleſtorum, ſi de medio tollatur, perinde eſt, ac ſi ligna igni ſubtrahas, ut rectè ſcriptum ſit: *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: & ſuſurrone ſubtracto, jurgia conquieſcunt.* Pax nullo ſiniſtro relatu, ſed pia interpretatione factorum alenda, & promovenda eſt.

Prov. 26. 20.

CAPUT X.

C

Diſcrepantia morum.

NAvanda opera, ut mores noſtri ad pacem tuendam proximis, quoad per legem licet, conſentiant. Qui enim aliis eo modo congruere renuit, quaſi bellum indicit, à cujus proſequutione deſiſtere nolit. Res obſervatione planè digna eſt, ut bene norunt, qui in collegiis, clauſtriſve degunt: è quibus nonnulli vix unquam, quod ab aliis agitur, vel aſſeritur, probant, ſemperque rationes diſcrepandi, vitio quodam naturæ parum mitis excogitant, quaſi diſſenſus, morumque diſcrepantia prudentiæ argumentum ſit. Animi potius intemperies, & diſcordiæ ſementis eſt, cui gratiæ divinæ auxilio debet occurri. D

* * *

PARS QUINTA

DE PACIS PERFECTIONE.

CAPUT I.

Diſtinctio pacis, pro vario hominis ſtatu. E

JUſtitiæ originalis ſtatus, in quo homo conditus fuit, pace mira quievit; ſucceſſit culpa, & oppoſita paci tantæ totius hominis perturbatio. Parta poſtmodum, cœleſtis gratiæ auxilio, pax non æquè integra, ac prima. Crevit deinde pax miris incrementis. Pacis denique perfectio cæleſtis Patriæ propria, curſu confecto ſuccedit. Hæc pacis diſcrimina perpendere conſilium eſt, ut perfectæ tandem pacis concipiatur imago, quæ multiplices pios affectus creditur productura.

CAPUT II.

Pax ſtatus juſtitiæ originalis.

F

S. Tho. 1. p. q. 95. art. 1.

PAX illa, juxta communem Sanctorum, Scholaſticorumque Theologorum ſententiam, in eo conſtituta fuit, ut ratio Deo, rationi inferiores hominis vires, animæ demum corpus ita ſubderetur; ut quamdiu ratio Deo ſubjecta permaneret, tamdiu ſuaviſſima illa inferiorum ſubjectio conſtaret. Ordo partium hominis mirificè diſpoſitus harmonicum in ſtatu illo reddebat concentum: nullaque rebellio, nulla præpoſterorum affectuum inverſio, nulla interturbatio felicem illam integritatem deterebat. Nullum in ſtatu illo malum aderat, vel imminebat, nec aberat ullum bonum, quod cuperet bona voluntas. Intellectus divina luce perfuſus à ſublimi contemplatione per res exteriores minimè divertebatur, voluntas ſummo bono arctiſſimè adhærebat. Paſſiones, quæ feruntur in bonum, ut amor, & gaudium ex rationis præſcripto excitabantur, G abſque ulla perturbatione, vel æſtu; quæ verò malum reſpiciunt, ut timor, & dolor, longiſſimè aberant. Nihil denique mali extrinſecus inferretur, ſi homo in ſtatu illo perſtaret immotus. Si ergò in ea primæva rectitudine mens Deo erat intenta, menti vires inferiores fidiſſimè parebant, corpuſque animæ ſuberat, nec extrinſeca timebantur mala; porrò aſſerendum eſt, pacem ſuis abſolutam numeris in eo ſtatu conſtitiſſe, cujus felicitas, ad pium quendam luctum, frequentius recolenda eſt.

CAPUT III.

Pacis demolitio. H

Juſtitiae originalis ſtatus, qualis?

PAX in tranquillo rerum ordine ſita eſt, ut cenſuit Auguſtinus, & ex iis, quæ capite proximo de partium hominis ordinata conſenſione prompſimus, ſatis perſpici poteſt. Cum ergo primus generis huma-

Scriptus An. 1612. mani parens in ſtatu primævo juſtitiæ originalis, partes omnes mirificè temperatas, tranquilliſſimoque ordine diſpoſitas, & harmonicè conſentientes haberet; mox ac peccavit, in totius ordinis perturbationem miſerrimam incidit, quam penitus noſſe operæ pretium eſt. Mens à Deo, in quem intenta erat, deſcivit: ſtatimque vires inferiores tumultuari, A & menti, ut & corpus animæ adverſari cœperunt: juſta videlicet pœna culpæ repenſa; Primi peccati effectus. ut qui Deo reniſus eſſet, reluctantes ſibi vires proprias pateretur, exemploque infami gereret quoddam violatæ legis inſcriptum. Perturbato ergo rerum ordine, hæreditario malo mens noſtra in res fluxas intenditur, voluntas bonis hæret caducis, appetitus in vetita pabula belluis communia præceps fertur, ſenſus delectabilium rerum illecebra capiuntur, corpus denique corruptioni obnoxium, incompoſitis motibus urgetur. Hinc efficitur, ut exoſa fiat lex, virtutiſque arduitas timorem incutiat. Quo ſanè vero, lugendoque malo poſito, inteſtino homines bello afflictantur, quod non ſatis expendimus. Primi profectò parentes B prolixo, moleſtiſſimoque experimento rem exploratam habuere; quippè qui dulciſſimam originalis juſtitiæ pacem deguſtaverant; nos verò in originali peccato concepti, pacis expertes tam integrum exactumque ferre judicium neutiquam valemus. Cæterum ea, qua infeſtamur, partium noſtrarum diſſenſio eſt, ut ad grave malum dignoſcendum ſat appoſita ſit.

CAPUT IV.

Amiſſæ pacis qualis reparatio.

Clementiſſimus Deus miſertus hominis, qui lege violata pacis fœdus reſciderat, C per Chriſti ſanguinem, pacem repoſuit, ſicut ſcriptum eſt: Coloſſ. 1. 20. *Pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt*. Hæc tamen pax naturæ lapſæ, non æque integra, & tranquilla eſt, ac illa, quæ cum juſtitiæ originalis ſtatu connexa fuit. Illa videlicet vires hominis omnes mira conſenſione compoſuit: hæc reparat quidem, quod in ſtatu juſtitiæ originalis præcipuum, formaleque fuit, dum voluntatem Deo ſubjicit, quemadmodum S. Thomas ſapienter obſervat: S. Thom. 1. 2. q. 82. art. 3. relinquit tamen inferiores hominis vires, uno concupiſcentiæ nomine comprehenſas, rebelles. Etſi enim per baptiſmi gratiam auferatur totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet: manet tamen fomes, vel concupiſcentia: *Quæ* (ut graviſſima Concilii Tridentini ſententia, & D verbis utamur) Seſſ. 5. Decr. de peccat. Origin. *cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus non valet* Cum ergo, poſt Adæ culpam origine traductam, pars hominis ſuperior, per Chriſti gratiam reformetur, ut Deo adhæreat; pars vero inferior ad bona ſenſibilia feratur; neceſſe quidem eſt, pacem non integram conſtare, ſed præliis frequentiſſimis deteri. Huc pertinet diſcurſus ille plane mirabilis, quem Apoſtolus ad Romanos ſcribens contexuit, ubi poſtquam multa protulit, bellum partium hominis, exemplo ſuo, in hæc verba deſcripſit: *Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet:* Rom. 7. 21. 22. 23. *condelector enim legi Dei, ſecundum interiorem hominem:* E *video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*. Hæc Apoſtolus, faſſus membra menti validè repugnare, qui claudit caput in hunc modum: Ibid. v. 25. *Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei: carne autem legi peccati*; quo nihil apertius. Prælia ſunt accerrima, & creberrima, quæ divinis oraculis exprimi decuit.

CAPUT V.

Pacis incrementum.

Viri rei militaris bene conſulti, ubi in urbem aliquam impetum fecere, arcem primum capiunt, F elatoque vexillo, partes urbis vario aggreſſu, tormentorumque muralium exploſione devaſtant. Pars hominis ſuperior, arx dicta. Arx hominis, pars ejus ſuperior eſt, quam Chriſtus à ſæviſſimo noſtræ ſalutis hoſte occupatam, divinæ gratiæ viribus cepit: è qua ſuo imperio, & velut militari excurſu inferioris hominis vires ſubjugat: miroque juſtitiæ progreſſu eo pertingit, ut partem hominis potiorem bene muniat; eam vero, quæ cum aliis animantibus communis eſt, validè concuſſam enervet, ſubdatque menti, ut in dies penè ſingulos evadat manſuetior, frænoque rationis edomita cedat. Hinc efficitur, ut iracundi aliquot, poſt agones multos, divinæ gratiæ auxilio, ita miteſcant, ut vix, aut nunquam, G licet provocati & ſpreti turbentur. Hinc nonnulli, qui honores, gloriamque mortalium avidiſſimè captabant, Chriſti diſciplina, multiplicique victoria jam neque ab hominibus honore affici, neque agnoſci mallent. Hinc pauci aliqui, quibus commoditas cordi erat, Apoſtolicæ paupertatis incommoda cupidè amplectuntur. Hæc ſi altè penſitentur, facile patebit, veram pacem multis acceſſionibus eo uſque augeri, ut Chriſtianæ perfectionis ſectatores neque contumeliis, neque illato ullo damno vacillent, quæ quidem tranquillitas paucorum veteranorum eſt. Rem ſanè hanc S. Auguſtinus diſertè perſecutus eſt, ubi de pacificis, quibus ait fieri Dei regnum; egit in hæc verba: S. Aug. l. 1. de Ser. Do. in monte cap. 2. *In quo* (*regno*) *ita ſunt ordinata omnia, ut id, quod eſt in homine præcipuum, & excellens,* H *hoc imperet cæteris non reluctantibus; quæ ſunt nobis, beſtiiſque communia: atque id ipſum, quod excellit in homine, id eſt, mens & ratio ſubiiciatur potiori, quod eſt ipſa veritas, unigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus poteſt, niſi ſuperiori ſe ipſe ſubiiciat. Et hæc eſt pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis, hæc vita conſum-*

Scriptus An. 1612.

A

mati, perfectique ſapientis. Hæc Auguſtinus de pace, quæ inter beatitudines à Chriſto commendatur: cujus ſtatus adeo conſtans eſt, ut paulo poſt Auguſtinus ipſe hæc verba ſubtexat: *Hac pace intrinſecus conſtituta, atque firmata, quaſcumque perſecutiones, ille, qui foras miſſus eſt, forniſecus concitaverit, auget gloriam, quæ ſecundum Deum eſt: non aliquid in illo ædificio labefactans; ſed deficientibus machinis ſuis innoteſcere faciens, quanta firmitas intus extructa ſit*. Ex hac planè mira Auguſtini ſententia conficitur, pacem veram eo interdum promoveri, ut cœleſtis pacis quædam velut inchoatio videatur, quam non magis adverſitas nulla labefactat, quàm elementorum commotio cœli ſerenitatem obturbet.

CAPUT VI.

Pacis perfectio.

B

S. *Tho.* 2. 2. *q.* 25. *art.* 2. *ad.* 4.

CEnſuit S. Thomas pacem perfectam non in hac mortalitate obtineri, ſed beatæ vitæ propriam omnino eſſe, quod his verbis expreſſit: *Cum vera pax non ſit niſi de bono, ſicut dupliciter habetur verum bonum ſcilicet perfectè, & imperfecte, ita eſt duplex pax vera, una quidem perfecta; quæ conſiſtit in perfecta fruitione ſummi boni, per quam omnes appetitus uniuntur quietati in uno. Et hic eſt ultimus finis creaturæ rationalis. Alia verò eſt pax imperfecta, quæ habetur in hoc mundo: quia etſi principalis animæ motus quieſcat in Deo; ſunt tamen aliqua repugnantia & intus, & extra, quæ perturbant hanc pacem*. Hæc S. Thomas: ex quibus patet, pacem perfectam in ſummi boni fruitione conſiſtere, ubi expletur hominis deſiderium, & vires ejus omnes in unum illud ſupremum bonum mira conſenſione, & tranquillitate conſpirant, abſque ullo amittendæ felicitatis metu, vel extrinſeco malo, quod quieſcentem in Dei amplexu animam interturbet. Hæc eſt pax, ſive requies illa ſummis votis expetita, quam è bello revertentibus, hoc eſt, ex hac vita migrantibus precatur Eccleſia, dum funeris officium explet; cui conſonat vox illa, quam è cœlo lapſam Joannes audivit: *Amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis*. Hæc eſt æterna vita, de qua Venerabilis Beda ſic alto cum ſenſu loquitur: *Quid hac vita beatius, ubi non eſt paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas? Nemo læditur, iraſcitur nemo, nemo invidet. Cupiditas nulla exardeſcit, nullum cibi deſiderium, nulla honoris pulſatio, aut poteſtatis ambitio. Nullus ibi diaboli metus, inſidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul. Mors ibi neque corporis, neque animæ erit, ſed immortalitatis munere vita jucunda. Nulla erit tunc unquam diſcordia, ſed cuncta conſona, cuncta convenientia, quia omnium Sanctorum una concordia, pax cuncta, & lætitia continet*. Hæc Venerabilis Beda: quæ licet ſelecta, & ad rei magnitudinem appoſita ſint, omnino credendum, rei dignitate longiſſime vinci, cum pax, & felicitas vitæ beatæ nulla eloquentia poſſit æquari.

Pax perfecta unde?

C

Apocal. 14. 13.

Ser. 18. *de Sanctis*.

D

PARS SEXTA

DE PERSUASIONE PACIS.

E

§. I.

S. *Tho.* 1. *p. q.* 32. *art.* 1 *ad* 1.

F

L. Conf. 1. *Cap.* 1.

PAcis origo, ut & perſuaſio, ab ipſo prorſus petenda Deo, qui omnia tranquillè condidit, & in finem, ubi pacem adipiſcuntur, orbe perfecto reducit: Quod ſignificaſſe videtur Triſmegiſtus a S. Thoma relatus, ubi dixit: *Monas monadem genuit, & in ſe ſuum reflexit ardorem*: hoc eſt: Unus Deus unum creavit mundum, propter ſuiipſius amorem, quo rem quamque ad finem ſuum ſuaviter, ac efficaciter perducit. Summi quippe boni natura eſt, ut in ſe quieſcat ipſo: cujus effecta particeps creatura fertur eò, ubi eſt adeptura quietem. Hoc ſibi voluit Auguſtinus, ajens: *Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*. Tam ergo ex eo quod Deus eſt, quam ex eo quod efficit, aſſerendum eſt, pacem ei acceptiſſimam eſſe, debereque hominem, ſi Creatori ſuo congruere velit, ſuo impreſſam animo propenſionem ad pacem exquirendam, rationis uſu alere, ac promovere. Quod ſanè facile ſibi perſuadebit, ſi à Deo acceptam naturam contempletur.

§. II.

Homo animal ſociale.

G

S. *Tho.* 2. 2. *q.* 188. *ar.* 8. *ad* 5.

HOmo quippe eſt animal ſociale, & cum propria pugnat natura, niſi ſocietatem, & pacem exquirat. Quapropter qui ſocietatem detrectant, in feritatem belluarum degenerare dicuntur. Huc ſpectat Ariſtoteles à S. Thoma relatus in hæc verba: *Qui aliis non communicat, eſt beſtia, aut Deus*, id eſt, vir divinus. Cujus quidem ſententiæ pars ſecunda ad viros contemplationi rerum divinarum intentos, prima verò ad propoſitum refertur noſtrum, homineſque communicationis oſores vellicat. Spectata ergo natura propria, cui Deus pacis amorem impreſſit, debet quiſque ſui ſaltem memor, pacis ſtudio ſe ipſum addicere, naturæque dignitatem pacis profeſſione tueri: quod tantò præſtabit impenſiùs, quantò genus ab homine uno ductum attentius meditabitur.

H

§. III.

SANE ſi Deus, ut facilè potuit, plures initio condidiſſet homines, à quibus humanum propagaretur genus, deberent illi, cum ad unam animantium ſpeciem pertinerent, ſociali jure connecti, omnique diſſidium horrere: at cum ab homine uno Ada, ſtirpe prorſus una genus ducant, profectò tan-

Scriptus An. 1612.

tanquam unius parentis filii mutua debent pace vinciri, quam injuria nulla diſſolvat. Nulla hic exceptio obtrudenda: neque enim Aethiops, vel Indus quantumvis ab Europæo diſſitus, in ſtirpem aliam reiiciendus, ſed naturali jure, humaniter tractandus, & ad pacis conſortium admittendus eſt.

§. IV.

HOC naturæ jus: ſed rationes ſervandæ augendæque pacis à naturali jure, origineque petitiæ, peccatis animum obtenebrantibus, non ſatis urgebant, ut homines concordia fœderati permanerent. Quocirca clentiſſimus Deus, nunc arcu fœderis, nunc pacto circumciſionis, nunc variis apparitionibus, quam ſibi eſſet cordi pax, per intervalla temporum viris ſanctitate clariſſimis indicavit, ut exemplis quoque divinis ad pacis amorem, ac ſtudium mortales alliceret. At cum neque iis etiam ſignis homines culpa efferati miteſcerent, è ſtirpe Abrahæ populum elegit, cui legem ferret, qua animos alias longe diſcrepaturos, uno quaſi vinculo religaret. Hos ergo lege lata connexuit, ut noſſent ad lineam eandem ſe mores proprios, Deo auctore, tandem exacturos: quo quidem providentiæ genere, multi pacis ſtudioſiſſimi evaſerunt. At ulterius proficiendum erat.

§. V.

COntulit videlicet ad quandam pacis inchoationem lex Hebræis lata: ſed inchoatio novo legis gratiæ fœdere à Chriſto promovenda fuit, qui hominum corda regit, & quo velit, inflectit. Et quidem novæ legis vis ad pacem ſanciendam multo eſt efficacior, quod Deus ipſe per Jeremiam teſtatur in hæc verba: *Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Iſrael, & domui Juda fœdus novum: non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Hæc Deus ipſe, qui pactum novum, non ut vetus, tabulis inſcribendum, ſed in ipſis hominum cordibus exarandum prædixit: ut gratiæ divinæ vim cordium motricem, & propenſionem à divina charitate genitam exprimeret, quæ homines ante diſcordes, ad percutienda pacis fœdera Dei ipſius amore, & mutua dilectione conciliat,

Jerem. 31. 31. 32. 33.

§. VI.

HUC mirificè facit ipſum Incarnationis myſterium, duarum ſcilicet naturarum in una æterni Verbi perſona conjunctio; & lætiſſima Chriſti nativitas ex Virgine, pace per Angelos nuntiata mortalibus, orbeque toto tunc in pace compoſito, ut concordia illa extrinſecus obſervata, internæ pacis, quæ ſuperat omnem ſenſum, foret indicium. Etenim Chriſtus eò incubuit, ut ſanguine fuſo, æterno Patri propitiato reconciliaret homines, reciprocoque amore illos mutuo coagmentaret. Totum certè hoc proprio ſignificatu complectitur ſalutatio illa Chriſto familiaris, *Pax vobis*, qua poſt reſurrectionem præſertim uſus eſt, ut qui diſcordiam abegerat, & pacem optatam attulerat. Si ergo Chriſtianus homo pacis conciliatricem legem profitetur, ſi conceptus, & natalis Chriſti non eſt immemor, ſi recolit invectam Redemptoris ſui ſanguine concordiam, ſi placet uſitata Chriſto ſalutatio, ipſaque ſalus; quomodo pacis ſtudio non ſe devovet totum, nec exigua quoque diſcordiæ ſemina perhorreſcit? Utinam hærerent animo, quæ Chriſtus Evangelio ipſo voluit eſſe teſtata.

Pax in natali Chriſti per Angelos nunciata.

§. VII.

PLurima quidem è Veteri Teſtamento ad pacem commendandam, & ſuadendam peti poſſent, quale illud è Deuteronomio: *Si quando acceſſeris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea eſt, ſalvabitur, & ſerviet tibi ſub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam.* Quibus è verbis liquet, quàm accuratè Deus populum Iſrael ad præcavenda bella, & pacem exquirendam inſtruxerit. Verùm in teſtamento novo luculentiora, & perfectiora ſunt pacis documenta, quale illud, quod ſuper alia doctrinæ hujus teſtimonia, videtur caput efferre: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* Hæc Chriſti mens, quæ veros Chriſtianos ad pacis ſtudium vehementer inflammat: nihil enim poferri potuit, quod apertius Chriſti animum erga pacis cultum oſtenderet, pioſque lectores efficacius ad rei tam ſibi commendatæ obſervationem adigeret. An ergo juxta Chriſti ſenſum Chriſtiani nomine cenſebitur, qui pacem aliis minimè offert, vel oblatam reſpuit? Qui fiet, ut Deo ſit concors, qui proximo fœderatus eſſe recuſat? Porrò alterutrum eligendum; aut Dei pacem reiicere, aut proximi pace gaudere. Ut enim Dei amor abiicitur, ſi proximi charitas reſpuatur, ita Dei pax procul arcetur, ſi pax cum proximo minimè nectitur: utraque videlicet, vel neutra conſiſtit. Omni verò pace ſublata, quid ſupereſt, niſi horrenda quædam, & inviſa Deo imago tartari, cuius artifices Deus ultor graviter plectit?

Deut. 20. 10. 11. 12.

Bellum cavendum.

Matth. 5. 23. 24.

Scriptus An. 1612.

§. VIII.

EXtulit ſe Lucifer, infauſtoque divortio pacem à Deo acceptam protervè rejecit: ſed Deus illum è cœli faſtigio deturbavit. Dathan, & Abiron ſchiſmatis excitatores Moſis mandata ſpreverunt: ſed terra dehiſcens eos abſorpſit, & (ut ſacer habet textus) *Deſcendernt vivi in infernum.* Peccant in commune bonum, qui pacem reſcindunt, quapropter Deus boni tanti auctor & tutor, eos ſeverè percellit: ut iis, qui hoc crimine ſe ipſos irretiunt, timendum ſit, ne tremendo aliquo genere mortis intereant. Cæterum licet pacis hoſtibus nihil eſſet metuendum, ipſo pacis bono capi, trahique deberent.

Dothan & Abiron ſchiſmatici.

A

Num. 16. 33.

§ IX.

PAX enim adeò eſt honeſta, amoreque digna, ut omninò expetenda, quærendaque ſit, tametſi ejus diviſoribus nullum immineret ſupplicium. *Tantum eſt enim pacis bonum* (ait Auguſtinus) *ut etiam in rebus* B *terrenis, atque mortalibus nihil gratius ſoleat audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poſtremo poſſit melius inveniri. De quo ſi aliquantò diutius loqui voluerimus, non erimus, quantùm arbitror oneroſi legentibus, & propter finem Civitatis hujus, de qua nobis ſermo eſt, & propter ipſam dulcedinem pacis, quæ omnibus chara eſt.* Hæc Auguſtinus. Ex quibus effici videtur, ut vel ſublato timore pœnæ pacis violatoribus inferendæ, pax ob ipſius boni magnitudinem, enatamque inde ſuavitatem prorſus optanda, & quærenda ſit: quod utinam univerſi lectores expendant. Veruntamen altiùs mens erigenda, ut ex iis quæ in futuro ſæculo pacis aſtructoribus, vel deſtructoribus reddentur, fiat illa ſtudioſior.

Aug. l. 19. *de civ. Dei c.* 11.

C

§. X.

REM hanc ipſis S. Auguſtini ſententiis, ac verbis exprimere ſalubrius eſt. *Deus naturarum omnium ſapientiſſimus conditor, & juſtiſſimus ordinator* (ait Auguſtinus) *qui terrenorum ornamentorum maximum inſtituit mortale genus humanum, dedit hominibus quædam bona huic vitæ congrua, id eſt, pacem temporalem, pro modulo mortalis vitæ, in ipſa ſalute, & incolumitate, ac ſocietate ſui generis; & quæ huic paci vel tuendæ vel recuperandæ neceſſaria ſunt, ſicut ea, quæ aptè, ac convenienter adjacent ſenſibus, lux iſta viſibilis, auræ ſpirabiles, aquæ potabiles, & quicquid ad alendum, tegendum, curandum,* D *ornandumque corpus congruit, eo pacto æquiſſimo, ut quicumque mortalis talibus bonis paci mortalium accommodatis rectè uſus fuerit, accipiat ampliora, atque meliora, ipſam ſcilicet immortalitatis pacem, eique convenientem gloriam, & honorem in vita æterna ad fruendum Deo, & proximo in Deo: qui autem perperam, id eſt, injuſtè, nec illa accipiat, & hæc amittat.* Hæc Auguſtinus. Si ergo ita conſtitutum eſt, ut è temporali pace ad æternam recto, pioque uſu ſtruatur aſcenſus; quis adeò ineptiat, ut præſentem pacem, quæ, & modo dulceſcit, & æterna ſuavitate remuneranda eſt, diſſipet aut lentè curet? Stultum profectò eſt, ſe ipſum gratis odiſſe, & conſiliis, quæ tam ſalubria ſimul ac delectabilia ſunt, nolle acquieſcere. Quid E enim mortalis homo boni parabit, ſi boni hujus curam abdicet? Quid ei proſit congeſta gaza, generis claritas, mortaliumque gloria, ſi Dei proximique pax abſit, & potentiſſimo ad enſis ictum ſubjaceat inimico, Deo videlicet, quem laceſſivit injuria? Profectò ſi pax deſit vera, bona alia quantumvis pretioſa, velut arentia ligna deſtinantur incendio. Pacem ergo veram prudens lector perquam ſedulo quærat, ſibique ipſi tempeſtivè conſulat.

S. Aug. l. 19. *de Civ. Dei cap.* 13.

Pax vera quaerenda.

§. XI.

SED reſpondebit fortaſſe lector, videri ſibi pacem rem ſane pulchram, quæ animos bene affectos permulcere poſſit, F rationeſque ſuperius productas eſſe certè nervoſas: at ſe difficulter admodum permoveri poſſe ad pacem cum iis ineundam, à quibus irrogatur injuria: beneque eſſe, ut pax integra conſtet, neminemque committere debere, ut prior ipſe anſam ullam pacis diſſolvendæ præbeat: cæterum poſtquam aliorum culpa diſcuſſa pax eſt, durum profectò videri, offenſum hominem offenſoribus obvium fieri, verborumque dulcedine, aut etiam muneribus inimicorum pectora mollire: ſat eſſe, ſi comparato ſit animo ad offenſores veniam precantes in gratiam, injuria condonata, recipiendos. Hæc ſanè reſpondent, qui pacis ſtudium non prorſus ablegarunt, ſibique non abſurdè videntur excipere, quaſi perquirendæ pacis metam G à Chriſto oſtenſam attingant. Verum audiant ipſi, quam non attingant.

§. XII.

FAteor equidem eos qui offenſores officiis prævenire detrectant, ut modo aſſertum eſt, longe ab iis diſtare, qui concordiam labefactant: ſed fateantur ipſi neceſſe eſt, ſe quoque lato intervallo ſejungi ab iis, qui Chriſti doctrinam in hoc genere, ut par eſt, æquare deſiderant. Ille quippe, ut novæ legis perfectioni doctrina congrueret, non bonum dumtaxat erga inimicos requirit affectum, verùm, & externa amoris ſigna, ſeu beneficia, quæ ad pervincendam proterviam efficaciter conferant, ſicut ſcriptum eſt: H *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos.* Quid autem aliud exiſtimatur impenſum offenſori beneficium, quàm oblata illi pax ab eo, qui eſt affectus injuria? Si ergo hæc Chriſti mens eſt, quid cauſari poſſit vir Chriſtianus, ne hoc ipſum expleat? An cauſetur

Matth. 5. 44.

tur

Scriptus An. 1612. tur non præceptum, ſed conſilium eſſe? At quorſum eam excuſationem obtendat, qui ſerio pietatem colere, Chriſtumque ſibi propitiare contendit? Quanto eſt ſalubrius non parcendo tantum, ſed obduratum animum alliciendo, Dei ſolem ſuum ſuper bonos, & malos oriri facientis ſimilitudinem gerere? Utinam mortales callerent, quod à A Deo ipſis incurioſis paſſim impenditur, ad pacem amiſſam inſtaurandam, quo, credo equidem, de animi duritia multum pio jam ſenſu remitterent.

§. XIII.

EXploratum eſt iis, qui peccatoris ſtatum theologicè contemplantur, hominem, ex quo Dei legem graviter violavit, Deo ipſi inimicum, & exoſum eſſe. Exploratum item eſt, nihil frequentius, & uſitatius Deo, generis humani ſalutem procuranti, quàm inimicos gratia prævenire divina, & ſaxea corda mollire, quo refertur celebratum illud: Apoc. 3. 20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam,* B *intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Hic Dei mos, quem nos rebus divinis impares ita concipimus, ac ſi potentiſſimus aliquis rex à plebejo graviter offenſus, plebei fores identidem pulſaret, moneretque, optare ſe ab illo convivio excipi, pacemque ſancire. Christus Rexclementiſſimus dictus. Hic uſus clementiſſimi regum Regis, qui peccatorem corde mitiſſimo ad pacis fœdus invitat. Si ergo te inimicum, mortiferis peccatis toties averſum divina majeſtas gratis ad pacem invitavit; cur prætexis durum tibi videri, offenſorem qui fortaſſe te juſtior eſt, oblata confœderatione præcurrere? Quænam mentis cæcitas, quam denſæ tenebræ, quas tibi propriæ exiſtimationis nimius amor offudit? Nonne perſpicis, te ſi fortè Dei amicus ſis, in divinæ inimicitiæ C ſtatum poſſe relabi, efficereque, ne gratuito auxilio ad reparandam amicitiam præveniaris, dum offenſorem prior ſalutare, officiiſque lenire recuſas?

§. XIV.

PRofectò ratio à Dei inimicos invitantis more nunc producta, ea eſt, quæ poſſit erectas cervices flectere, ſi pia attentaque adſit meditatio: verum quo ejus vis ſe prodat apertiùs, promamus exempla in ſcripturis ſacris expreſſa, quibus ob oculos ponitur divinæ bonitatis magnitudo, ad inimicos ſibi Protervia Cain notata. reconciliandos, & pacandos intenta. Quis neſciat proterviam Cain, qui in fratrem innoxium uſque ad cædem excanduit, Deique D Abel ſacrificium probantis judicium tam indignè tulit? Res planè comperta eſt: non enim feroci animo ſat viſum eſt, vehementer iraſci, germanumque fratrem atrociter perimere, niſi, & Deo crimen occulere anniteretur. Rogatus quippè, ubi eſſet Abel, Geneſ. 4. 9. ſic turgidus reſpondit: *Neſcio: nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Ecce quàm impudenter rem Deo celare pertentat. Et tamen hunc ferum inimicum adeo blandè clementiſſimus Deus alloquitur, & ad reparandam amicitiam demulcet, ut idoneos rei tantæ æſtimatores in admirationem extollat. Quis enim non miretur verba illa, *Quare iratus es? & cur concidit facies tua?* Ibid. v. 6. & 15 Et illa: *Omnis qui occiderit Cain, ſeptulum punietur.* E An è reconciliatione crudelis inimici Deus lucrum referret? Cur ergo iratum lenit, & timore mortis anxium tam providè tuetur? Quod ſi Cain exemplum lentè moveat, meminerit lector Chriſti Judæ proditoris pedes abluentis, ad cœnam excipientis, & tenerrimis inſpirationibus cor illud adamante durius emollire certantis. Norat mitiſſimus Dei Agnus, quam rabidè ipſius necem infelix negotiorum geſtor moliretur: Christi affectus in Judam. & tamen pedes ſordidos genuflexus detergit, convivam ſuſtinet, dulciſſimè affatur, neque ab oſculo necem ſpirantis faciem avertit. Quibus ergo F motibus ſævum cor ad fœdus induceret, qui tot apertis oblatæ pacis ſignis reluctantem mulcere non deſtitit? Cæterùm exempla hæc litteris ſacris expreſſa ſunt; nam quæ paſſim Deus in homines innumeros Cain, & Judæ ſimillimos agat, nec expendi, nec recenſeri poſſunt. Si ergo divina majeſtas efferatos inimicos adeò amanter ad pacem invitare, beneficiiſque urgere conſuevit: quomodo viri Chriſtiani tam longè à recto tramite recedunt? Cur tam ſubtili examine diſceptant, uter debeat alterum prævenire?

§. XV.

QUorſum accurata hæc inimici præveniendi, vel expectandi perquiſitio, qua tepeſcit animus, dum ſemel id proximo offenſori indulgere detrectat, quod ei Deus paſſim indulget? Nonne conſultius foret, Deum largè parcentem imitari, exemplarque Redemptoris noſtri attentiùs intueri? G Audiant ſaltem diſputatores iſti Apoſtolum rem hanc mirificè amplificantem in hæc verba: 2. Cor. 5. 18. 19. 20. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Hæc Apoſtolus, quibus & Deum præveniendis inimicorum animis intentiſſimum, & ſe Chriſti legatum conciliandæ paci ſtudentem diſertè profitetur, obſecratque legationem obiturus, ut inimici tandem miteſcant, oblatamque pacem ne reiiciant. H Quid ergo prætexet, qui ſtatuit, illatæ ſibi injuriæ ſenſum minimè deponere, niſi offenſor ſupplici habitu ad pedes provolvatur ipſius, veniamque impensè precetur?

Scriptus
An. 1012.

§. XVI.

AT excipiet Chriſtianus legum mundi ſectator, fateri ſe, pacem inimicis oblatam divinæ bonitatis argumentum ſanè firmiſſimum eſſe, quo Dei gloria luculentè reſplendet: ſe tamen hominem eſſe mortalem, cui ab aliis, inter quos verſatur, ignaviæ, A ac dedecori vertitur, tam liberaliter, offenſoribus indulgere: proptereaque non debere ſe tam ſublimis lege perfectionis aſtringi, ut in aliorum hominum ludibrium cedat. Cæterum an David deſpectui habitus, quia Saul hoſti acerrimo toties blanditus eſt? An Apoſtoli, qui perſecutoribus ſeſe tam faciles, miteſque præbuere? Profectò David ex oblata pace illuſtrius, quam ex Philiſtæo cæſo claruit: & Apoſtoli ex manſuetudine à Chriſto eis impensè commendata, qua lupos in agnos ſibi ſimiles converterunt, clarius, quam ex permultis operibus aliis ſplenduere. Cur ergo exiſtimationis decrementum vir Chriſtianus excuſat; ne inimicum anteverſo tempore ſibi ſociet, & in fœdus pium aſciſcat?

B

§. XVII.

SEd altè reponitur irrogata injuria, quæ argumenta ſuggerit pio ſenſui adverſa. Ajunt quippe, qui honoris momenta ſubtiliùs, quam par eſſet, appendunt, cernere ſe viris ſanctitate clariſſimis, ex oblata hoſtibus pace, nihil de propria exiſtimatione deceſſiſſe: tamen, qui ejuſmodi non ſint, potius inde contemni. Sed profectò perſuaſio hæc falſa eſt, ut multis poſſet rationibus evinci, è quibus una propoſito ſatis erit. Reſpondeant, rogo, ii, quos famæ tenet deſiderium, cur, qui in hoſtes mites fuere non parcendo tantùm, ſed leniter ad concordiam inducendo, ab hiſtoricis diſertius celebrentur, C quàm alii, qui uſitato more rogati injurias dumtaxat condonarunt? Profecto niſi illuſtrius quiddam de illorum, quàm de aliorum virtutibus animo concepiſſent, eorum facta non ita poſteritati commendaſſent. Neque ratio hæc hiſtoricorum errori poteſt aſcribi, cum ſit hominum univerſorum conſpiratio; barbaræ quippe nationes, quæ honeſtum difficiliùs internoſcunt, viros injuriæ immemores, qui animos inimicorum officiis devinciunt, ſibique conciliant, tanquam divinos homines eximiis virtutibus ornatos ſuſpiciunt, ac præconiis efferunt, tantum abeſt, ut ea de cauſa illos aſpernentur. Quod ſi exempla noſtrorum recentia placeant, mihi compertum eſt, virum ingenuum in quadam Hiſpaniæ urbe, cujus nomen reticeo, bene impactam ab alio quodam alapam accepiſſe, D cumque offenſoris conſanguinei, optimatum interventu, quantocyus accurrentes de offenſo placando ſerio agerent, veriti ne, quod accidere conſuevit, ad necem uſque offenſus excandeſceret; reſpondit ille ſedatus, conquieſcerent animis interpellatores, & de ipſo placando minimè cogitarent: ſat ſe pacatum eſſe, qui ex quo alapam offenſor impegiſſet, iniuriam Chriſti amore condonaſſet: neque ulla ratione timendum, ne injuriæ ſenſus invaleſceret. Hoc ille ſæcularis, cujus virtutem mundo altiorem civitas obſtupuit, & laudibus extulit: cur ergo prætexitur ſtatus, aut non ante parta ſanctimoniæ laus?

Exemplum
mirandum.

§. XVIII.

E

NEquit certè vir Chriſtianus quicquam excipere, quo imitationem Chriſti reſpuat. Etſi enim gratis concedatur, offenſum hominem aliis vileſcere eo ipſo, quod facilè parcat, vel inimicum ad concordiam inducat; qualis hæc excuſatio credatur, ut à meliore propoſito quis unquam deſiſtat? Quid obſit hominum vituperatio, ſi Dei factum probantis commendatio conſtet? Profecto ſi mortalium judicia lector vereatur, miles lentus ac delicatus erit. Vellem profecto eorum ſaltem recordaretur, quæ vel ipſe præſtitit, vel ab aliis ob rationes politicas præſtari animadvertit, ne quod modo ſuadetur, nimis arduum crederet. Reſpondeat jam, an in media ipſa curia, viri graviter ab aliis offenſi F offenſores quandoque præveniant, & ad pacis fœdera provocent? Reſpondebit ſane, id fieri ſolere, quod niſi ejuſmodi facilitas aliis perſpecta ſit, offenſi ipſi proculdubio cenſent, neque lucra, neque honores ſibi proventuros. Viri quippe facile parcentes, multoque magis injuriæ immemores, & placandis offenſoribus aſſueti, ad gerendam præfecturam idonei exiſtimantur, conciliantque ſibi animos, ut communi ſuffragatione probentur. Si ergo rationibus humanis ad pacem offerendam homines Chriſtiani flectuntur, cur non etiam divinis?

§. XIX.

SAlubria ergo conſilia mitis lector accipiat, G & ſibi conſulat ipſi, certetque novos inire modos inducendæ, alendæque pacis, quos Deus in præſenti vita, auctiore merito, & in futura, præmio cumulatiore repenſet. Exprimi nequit, quàm ſit accepta laborum remuneratori Chriſto pax, quod illuſtribus probavit exemplis, è quibus unum dumtaxat ſelectum proferam. Gualbertus Florentinus Ordinis Vallis umbroſæ inſtitutor, inimico, per Chriſti mortem, quæ tunc ab Eccleſia celebrabatur, pacem flagitanti non pepercit modò, ſed precantem amplexus, germani fratris ſui, quem ille interfecerat, loco ſe accipere dixit. Quod certè factum adeò fuit Deo acceptum, ut Gualberto in Eccleſiam proximam ingreſſo lignea Chriſti crucifixi effigies, tanquam ei gratulatura caput inclinarit. H Quid hoc exemplo mirabilius? Quid ad pacis ſtudium, & injuriæ oblivionem efficacius?

Pax Chriſto
accepta.

S: Joannis
Gualberti
exemplum.

§. XX.

NOrunt viri æternæ ſalutis deſiderio incenſi, quam ſit grata concordia Chriſto, apud quem gratia valere in primis op-

Scriptus An. 1612.

optant. Quapropter ubi amarum verbum aliquod excidit, quo proximi animus alienari, vel exaſperari queat, neque ſomno indulgere, neque cibum ſumere audent, niſi prævio pacis tractatu, quo ſedetur conſcientia cujuslibet diviſionis impatiens. Et quidem ſollicitudo hæc timorati animi argumentum eſt, qui propriæ ſalutis curam gerit A exactam, ratus ſe non bene cum Dei ſententia cohærere, niſi proximo placato conſentiat. Hoc ſtudium eorum, qui in cœtibus monachorum fida legum obſervatione, ſpirituſque cultura florentium commorantur: quibus ipſa mutuæ charitatis, paciſque ſuavitate recreatis, vitæ aſperitas mirificè lenita, & temperata videtur.

§. XXI.

HUC ergo aſpirandum, & longis itineribus contendendum eſt. Si autem ſciſcitetur lector, qui fieri poſſit, ut concives, vel domeſtici huc tam validè incumbant: cum paſſim oboriantur mille amicitiæ lædendæ, paciſve perdendæ occaſiones, B a quibus monaſticus ſtatus videtur exemptus: reſponderi poteſt allato monito uno, quod concordiæ totius caput, & firmamentum eſt.

Monitum perutile.

Studeant principes, & patresfamilias Dei amorem, & cultum civium, domeſticorumque animis imprimere, ut Reſpublicæ domuſque privatæ divinam majeſtatem ſerio colant: & hoc præſertim ſtudio pacis ſtabilimentum ſibi polliceantur. Si enim cives, domeſticique Deo concordes ſint, erunt proculdubio inter ſe concordes, juxta illud à Philoſophis, & Theologis celebratum: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Hac quippe de cauſa, ubi litigatores, aut competitores duo altercari pergunt, neque ſubeſt concordiæ ſpes, C compromittunt, referuntque rem totam ad tertium aliquem, cujus arbitrio dum præbent aſſenſum, mutuo quoque inter ſe conſentiunt. Si ergo navetur opera, ut cives, domeſticique Deo aſſentiantur, porrò & inter ſe concentu pietatis miro convenient.

§. XXII.

CONfert præterea plurimum ad ſtabiliendam pacem teſtatus eorum, qui præſunt, amor: ſi nempe ſubeant illi onera, ſibique minimè parcant, ut inter ſe fœderatos ſubditorum animos in officio contineant. Hoc quippe Chriſtus, Princeps pacis, mirabili ſuorum vulnerum, mortiſque D pro nobis perlatæ convicit exemplo, è cruce pendens, ut Rex Pacificus appellaretur, & eſſet.

Chriſtus Rex pacificus dictus.

Etenim, ut punicum malum, non abſque ſignificatu à natura coronatum, ſponte ſua dehiſcit, & velut dirumpitur, ut grana inter ſe cohærentia, attrictaque concreſcant: ita Chriſtus punico notatus, aculeata tunc corona rigens, ultrò in cruce vulneribus perfoſſus patuit, dirumpique voluit, ut homines intra ſe quaſi conceptos mutua amoris confœderatione conſtringeret, qua illi coaleſcerent, & incrementa pacis acquirerent.

§. XXIII.

HOC noſtrum exemplar, quo mentis acies, quo verba, factaque intendenda E ſunt, ut pax multiplici fructu fœcunda, lætaque perduret. Huc jugis oratio, & quotidianum Sacrificium, quo majeſtas divina placatur. Huc frequenter ſumptum alimentum Euchariſtici panis, qui eſt, tanquam membrorum Eccleſiæ vinculum, habetque vim diſcordiæ quidem expultricem. Hæc profectò, ſi fida obſervatione præſtentur, perſtabit ſanum, & vegetum Eccleſiæ corpus, bene compactum, firmiterque munitum, ut externos incurſus valida conſpiratione propulſet.

Oratio Eccleſiæ.

DEUS; à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & juſta ſunt opera, F da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt pacem: ut & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla. Per Chriſtum D. N. Amen.



THEOLOGIA MYSTICA;

ET

EPISTOLAE ANAGOGICAE.

IN SEQUENS OPUS PRAEMONITIO.

IN hunc locum tranſtulimus hunc de Myſtica Theologia Commentarium, qui in aliis Editionibus initio ſecundi Tomi legebatur, exiſtimantes, praepoſita a nobis Opuſcula viam quaſi ſtruere, & animos legentium ad hanc de divinis chariſmatibus tractationem praeparare. Prius enim eſt, mentem terrenis exui affectionibus, & faeculentum peccatorum onus deponere, præceptis Chriſti inhaerere, divinique amoris dulcedini aſſueſcere, quam ſublimioris ingredi contemplationis viam. Hujus aurei ſcripti αὐτόγραφον *prae oculis habemus ex noſtro Generali Archivo Romano, quod ceu primum, ſubciſioremque Operis jactum ſuſpicimus, illudque cum impreſſo conferimus, praecipuaque utriuſque diſcrimina ſuis locis notamus. Brevius illud, hoc productius eſt, & non modo tribus Canonibus, & integro Capite Septimo, de recta cujuſdam S. Dionyſii teſtimonii interpretatione auctius, ſed etiam Patrum, Doctorumque adlegationibus, & auctoritatibus, quibus abſtinere ſe voluiſſe in Praefatione profeſſus fuerat Autor longe locupletius. Scriptum ab eo Opus patet inter an.* 1605. *&* 1608. *quo Ven. P. F. Ferdinandus a S. Maria, cui liber dicatus eſt, primi naſcentis Congregationis Generalis honore eminebat: non enim illi hoc nomine conſecrari poterat ab an.* 1608. *poſt obitum ſui ſucceſſoris, Ven. Viri Petri a Matre Dei, quum tunc ſupremum Familiae regimen reſumſerit, ſolo Vicarii titulo; neque etiam in altera ejuſdem Ferdinandi generali Praefectura, quae tantum initium habuit an.* 1614. *quum jam Opus typis publicis ſemel, & iterum Romae, Pariſiis, Coloniae vulgatum erat jam inde ab annis* 1610. *&* 1612. *Putaverim, illud Ven. Scriptorem expediviſſe an. circ.* 1607. *quem annum proinde his paginis de more praefigimus. Tali Viro Opus nuncupavit cum ex tenerrimi Filii erga Patrem omnibus acceptiſſimum amore, tum vel maxime ex ſpiritus conformatione, & altiſſima rerum divinarum experientia. Ad laudata teſtimonia explicata Dionyſii Areopagitae, ſeu Auctoris Operis de Coeleſti Hierarchia, cap. VII. lectionem Graecam, & novam Balth. Corderii latinam verſionem ſubiecimus. Theologiae Myſticae octo ab ipſo Auctore ferventiſſimae anagogicae Epiſtolae, ad Chriſtum, ad Beatiſſimam Virginem Deiparam, ad Sanctos Joſeph, Tereſiam, Coelites univerſos, veluti totidem, ut ipſe ait in Praefatiuncula ad eaſdem, Theologiae Myſticae exercitia, additae ſunt; quarum ſingulis ſua argumenta ipſe praemittit; quæque proinde per eadem tempora ſcriptae videntur. His vero quatuor alias perſimiles, quas Italico idiomate reperit P. Paullus ab omnibus Sanctis, & quarto alterius Colonienſis editionis Tomo a ſe latine verſas adiecit pag.* 265. *huc traduximus, conſilio ejuſdem P. Paulli, qui eas ad hunc locum, praevia adnotatione remittit, noſque eorumdem temporum foetus autumamus.*

VETUS AUCTORIS
NUNCUPATORIA EPISTOLA.

R. AD. P. N. FR. FERDINANDO A SANCTA MARIA
CARMELITARUM DISCALCEATORUM
CONGREGATIONIS S. ELIAE PRÆPOSITO GENERALI
FR. JOANNES A JESU MARIA S.

Summæ profectò Sapientiæ vertendum eſt, R. Admodum P. divinarum affectionum ſtudio nos mortales rebus immortalibus intentos vacare, quemadmodum in re nautica ſummæ prudentiæ tribuitur, nauclerum axi intentum eſſe. Vel ſola enim rerum cœleſtium ſpeculatio periculoſæ navigationis curſum dirigit. Propterea diù, ac impensè optavi opus aliquod aptè digeſtum in publicum edi, quo Myſticæ Theologiæ dignitas, & utilitas ex parte ſaltem proderetur: cum auctores antiqui (ut Ariſtoteles Alexandro in re minùs excelſa reſpondit) in hoc genere ſic ſcripſerint, ac ſi minimè ſcripſiſſent. Platonico quippe more, grandia, & arcana, à S. Dionyſio Areopagita, ſermone ſanè grandi, ſed ob ſublimitatem inacceſſo tractata, explanare, difficillimum eſt.

Verùm, cum de re hac mihi ſæpè cogitanti non deſperandum videretur, jampridem Clementiſſimi Dei, & Sanctorum Patrum auxilio (non meo quidem ingenio) fretus laboravi, ut Theologiam hanc in methodum quandam redigerem, & caliginoſæ rei lucis nonnihil afferrem.

At lux exigua eſt, quam luce tua è ſtudio rerum divinarum exorta potes augere, ac proinde mihi (auctori quidem obſecro) claritatem conciliare. Quamobrem ſcriptum hoc qualecumque tibi P. Admodum R. nuncupo, & jus proculdubio tuum, quaſi filius parenti reddo. Vale.

AUCTORIS PRÆFATIO
LECTORI

Acceptiſſimum Deo Theologiæ Myſticæ ſtudium, quod modico labore ſuſcipitur, tam eximia honeſti laude clarum, & tam cœleſti voluptate refertum eſt (cum ſedulos cultores ſuos divina ingenuitate donet, (1) & cœleſtium delitiarum puriſſimo amne perfundat) ut mirum ſit, quomodo non univerſi homines, quibus natura ſitim honoris, ac voluptatis injecit, curis cæteris ablegatis, in hoc unum certatim incumbant. Et profectó, tametſi ii, quos amor ſæculi hujus excœcavit, nonnihil excuſationis prætexere poſſe videantur, illi tamen, qui vel ſe in clauſtra recepere, vel in Hierarchiam Eccleſiaſticam adſcripti ſunt, ſanctius vitæ genus inituri; cum ad honorem, & voluptatem hanc ſingulari prærogativa vocati ſuerint, neſcio, an idoneam poſſint excuſationem obtendere. Quod enim obiiciunt, rem excelſam eſſe, nec ab omnibus repoſcendam, mirificè ipſos revincit. Si enim excelſa res eſt, quid, obſecro, glorioſius, quàm ad illam anniti? Si non ab omnibus repoſcenda, an à viris ſingulari fœdere Deo ſociatis; quos oporteret, divinarum affectionum eſſe conſultiſſimos, non expoſcetur? Qua enim ratione hierarchicis actibus alios purgabunt, illuminabunt, perficient, ſi cœleſtis luminis convincantur exortes? At obſtant pericula, & impoſturæ Dæmonis. Sed nunquid ab Indica navigatione, vel Oceani pericula, vel pyratarum inſultus mercatores averterunt? Mirum

eſt,

---

(1) *MS.* Ac

eſt ſanè, quàm altè multorum in ſpeciem prudentum animis hæc formido periculorum inſedit, quæ laxitatem vitæ perſuaſit; quaſi ſapientum conſiliis, & (1) animi demiſſione, pericula hæc præcavere nequirent: quemadmodum in rebus geſtis multorum, qui hac ætate claruerunt, licet animadvertere. Quod verò prætexunt, ſe ſtudiis aliis laborem impendere, non ſine dedecore dici videtur. Quid enim proderit tam pertinax quæſtionum Philoſophicarum vel etiam Theologicarum inquiſitio, ſi ad unam veram, pacatam, ſolidam, & divinam ſapientiam iis anxietatibus via præcludatur? Præcluditur quippe non rerum ingenio, ſed multorum abuſu. Sæpè enim quantò intellectus ad ſpeculanda Divina in ſcholis magis acuitur, tantò certè longiùs voluntas à Deo dimovetur, niſi quis Theologiæ Myſticæ crebro meminerit; quæ (ſcholaſtico etiam more perpenſa) non translaté, aut minus propriè, ſed propriiſſimé ſapientia eſt, utpotè Divinitatis nobiliſſima, luculentiſſimaque cognitio. Quam certè ſapientiam noſtram ex ſancto Dionyſio Areopagita, Sancto Thoma Aquinate, Sancto Bonaventura, Linconienſi, Ab. Vercellenſi, Gerſone, Dionyſio Carthuſiano, aliiſque divino lumine illuſtratis Doctoribus excerpſimus (2): tametſi auctores parcè producamus (3), præter unam puriſſimam Virginem, Matremque noſtram Tharaſiam à Jeſu (4), Cœleſtibus ſapientiæ, ac intellectus donis opulentiſſimam. Adeò enim diſertè res internas diſtinxit, & tam perſpicaci intuitu dignovit, & tradidit, ut ſilenda non fuerit, quam Deus in hoc genere, tempeſtate hac, ad nos erudiendos divinitus inſtruxiſſe videtur. Sicut enim ejus planè mira incorruptio, & perennis olei (5) diſtillatio, integerrimæ Virginitatis, ita ſubtiles in rebus internis diſtinctiones, & difficillimarum rerum explanationes, mentis illuſtriſſimæ (6) indices ſunt.

Jam verò licet nobis poſſet vitio verti tam excelſæ tractationis aggreſſus, notam eam æquanimiter ferre malumus, quàm rerum tantarum dignitatem reticere: Ut ſcripto teſtemur, nos his rebus fidem habere; nec probare quorundam non inſigniter ſapientium ſupercilicium, qui Divinam φιλανθρωπείαν velut læſi capitis figmenta repellunt. (7) Satius fuerit naturæ Divinæ propenſionem commendare, quàm controvertere. Profectò quidam minimè Chriſtianus, fortaſſe ut deos fictitios, quibus cultum afferebat in hominum genus pronos effingeret, ab aquis noſtris illorum ducit originem. Ὢχ ἐαοτέ θεῶν γενέσιν χέμητέρα τηθύν, ac ſi ob id teneriores, nobiſque coniunctiores eſſe deberent. Quantò ergo æquius ſit, Deum in ſtirpis noſtræ Virgine corpora tum indulgentiſſimè, cum genere noſtro amoris fœdera celebrare.

Opinentur ſanè quicquid volent alii, quorum aſſerta (8) ſatis mirari non poſſumus, quibus nihilo ſecius miſeremur, velut fœlicitatis exortibus. Si qua enim fœlicitatis pars in hoc exilio prælibatur, hæc profectò eſt, quæ ex puriſſima quadam Dei notitia, guſtuque conflatur: ut cla-

---

[1] *MS*. ac ſummiſſione cordis non poſſent hæc diſcrimina præcavere.
[2] *MS*. ad dei gloriam, & Congregationis bonum excerpſimus.
[3] *MS*. auctores ſileamus.
[4] *MS*. quam implevit Dominus ſpiritu ſapientiæ, et intellectus, Nota, hoc in Opere ſic ſemper nomen Divae Parentis, Tharaſia, non vero, Tereſia, Auctorem elegantius ſcribere.
[5] *MS*. è puriſſimo corpore deſtillatio.
[6] *MS*. illuminatiſſimæ.
[7] *MS*. Teſtamur autem Deum licet non abſque mœrore nos affectionum divinarum expertes eſſe at his rebus fidem habere, minimeque probare quorumdam non inſigniter ſapientium ingenium, qui &c *Deſunt autem cætera a verbis illis* ſatius fuerit &c. *uſque ad* Opinentur ſane.
[8] *MS*. audaciam.

claræ in patria viſionis, ac perfectæ fruitionis imaginem gerat. At non illa potientur, quia nec operam ponent, qui fidem illi habere detrectant.

Quod verò attinet ad nonnulla Theologorum Myſticorum effata, & nomina, quæ ſcholaſticis minus expenſa videntur; omnia illa ita temperavimus, & tradidimus, ut nemo inde anſam ſtudii hujus improbandi poſſit arripere. Hortamur autem eos, qui hoc Opus evolvent, ut defæcato corde, atque demiſſo ingrediantur in adyta, ſi arcanæ Dei ſapientiæ velint (1) eſſe conſortes.

---

(1) *MS.* atque ſummiſſe ingrediantur in ſancta, ſi arcanæ Dei ſapientiæ optant &c.

CANONES
PRO THEOLOGIÆ MYSTICÆ INTELLECTU.

I. OMnino compertum eſt, Deum erga puriores animas, à quibus religioſius colitur, ſe familiarius, ac indulgentius interdum gerere, quàm erga cæteras minus ſedulas, & provectas, quemadmodum ſcripturæ ſacræ, ac ſanctorum Patrum effata convincunt.

II. Non eſt ſapientis, res admodum ſublimes, & arcanas; quod ſibi notæ non ſint, vel argumentis efficacibus perſuaderi non poſſint, quaſi leves, aut inanes aſpernari, vel eis fidem abrogare: multa enim ſancti Patres tradidere, quæ non tam diſputationum acritatem, quàm ſenſus maturitatem expoſcunt.

III. Prudentum eſt, rebus abſtruſis quantumvis excelſis, non temerè fidem commodare; verùm conſilio adhibito, judicioque interea ſuſpenſo, veritatem inquirere, & affectionum divinarum (ſi quas internoſcant) honorem tueri; ne illarum ſtudium ob adverſam inſignium virorum auctoritatem intereat.

IV. Theologis myſticis, ad profectum noſtrum, mira multa, nobis inexplorata, ipſis verò experimento comperta evulgantibus credere, rationi conſentaneum eſt. Communis enim eſt univerſorum hominum ſenſus, viris ſpectatæ virtutis, tametſi nova dicentibus credi oportere, nec aliter vel ſcientiæ addiſci, vel Reſpublicæ unquam adminiſtrari potuiſſent.

V. Myſticos Theologos appellamus eos, qui divina paſſi ſunt, ac Deum arcanè guſtarunt. Cujus ſanè lectiſſimi agminis pars magna albo Sanctorum inſcripta, pars item non exigua, licet inter divos minime relata, inculpatæ tamen vitæ laude clariſſima in Eccleſiæ cœlo reſplenduit.

VI. Multa ſparſim de hac Theologia Patres antiqui ſcriptis ſuis permiſcuere. At (quod ſciamus) nullus ad doctrinæ methodum captui noſtro ſatis attemperatam, illam ex profeſſo digeſſit, cujus certè officii prætermiſſi cauſam, non anxiè perſcrutamur. At ex eorum aſſertis, quæ carptim excerpſimus, opus hoc, Deo propitio concinnavimus.

VII. Triplex Theologia celebratur. Prima, quæ de fidei aſſertionibus agit: quam multis laboribus ad methodum redactam, Sacro Textu Conciliis, Patribuſque ſubnixam, rationibus, & argumentis, ad veritates fidei confirmandas, & errores adverſos refellendos, armatam, Scholaſticam nuncupamus.

VIII. Secunda, quæ Poſitiva, quaſi expoſitiva dictitatur, quæ Patrum inſtitutionibus, linguarum peritia, exacta locorum expenſione, aliiſque id genus laboribus, ſyncerum Scripturæ ſacræ ſenſum exquirit: ſive dicatur propria, cum accepta ſub nominibus propriis, oracula divina interpretatur, ſive ſymbolica, cum à creaturis in Deum translatas appellationes, metaphoraſve perſequitur.

IX. Tertia, quæ nec diſceptat, ut Scholaſtica, neque per nomina, ſeu propriè, ſeu translatè accepta, ſenſa divina concipit, ut poſitiva; ſed per univerſarum rationum, ac nominum ablationem, intellectu creturarum omnium imagines ſupergreſſo, ac ſtupente, voluntateque altius erecta Deum guſtat, & amplectitur, quæ Myſtica Theologia eſt, quam, ope divina freti, molimur.

X. Theologiæ hujus magiſterium Chriſti ſolius eſt, qui Paulum erudivit: à quo, velut Chriſti organo, Dionyſius Areopagita primum edoctus, rei tractatum, ſecretiſſimo ſcripto conſignavit, & ad Timotheum tranſmiſit: ut, qui ſapientes fieri vellent, multa cordis demiſſione, ac vitæ puritate, ſub ſeniorum diſciplina, ſcripti cæleſtis ſenſum inquirerent.

XI. Divinarum affectionum altitudo verbis exprimi nequit. Quapropter nomina oportuit excogitare, ac novis uſibus accommodare, quo vel tenui quadam adumbratione, rerum divinarum magnitudo proderetur; ut in operibus Dionyſii, ac ejus interpretibus, licet paſſim animadvertere. At ab ejuſmodi nominibus abſtinuimus, paucis ac neceſſariis duntaxat exceptis.

XII. Aſſertiones multas ſcriptoribus reliquis minimè uſitatas, & in ſpeciem Platonicas, Myſticis Theologis familiares, piè decet interpretari. Nam & Platonis doctrinam (quod ad Deum ſpectat, de quo agimus) & veram & Orthodoxæ fidei conſonam S. Thomas, pro Dionyſii explanatione, præfatur.

XIII. Animam mori, propriam formam amittere, ſpiritum viribus, actioneve deſtitui, à Deo (ſine proprio ſcilicet concurſu) agi, & id genus alia amantibus frequentiſſima, ſi naturam rerum ſpectemus, falſa, ſi affectum, vera dicemus. Philoſophus enim non accuſatur mendacii, quod animam potius ubi amat, quam ubi animat, eſſe protulerit: nec Paulus, quod ſe viventem non vivere, quaſi ejus vitam Chriſti præſens vita perimeret, affirmarit (1).

XIV. MultaTheologi Myſtici ſimpliciùs, minuſque expreſſè, ac diſtinctè tradunt, quæ lectori parum oculato imponere poſſent. Non enim in verborum proprietate, vel accurata rerum digeſtione multum operæ poſuerunt, quod in altiora ferrentur.

XV. Sæpe contemplationem appellant, quæ propriè meditatio eſt, petito (ut coniicimus) nomine, à termino meditationis, quæ propria ſolet contemplatione concludi.

XVI. Actum voluntatis proprium, nonnunquam cum intellectus actu commutant; puta, cum Dei ſenſui, guſtui, vel experimento

(quæ

---

(1) Hi duo canones in noſtro Auctographo deſiderantur.

(quæ omnia voluntati congruunt) nomen viſionis, notitiæ, vel cognitionis aſcribunt: more videlicet, in externis ſenſibus, vulgatiſſimo. Nam, quæ, quovis ſenſu percepimus, nos vidiſſe aſſeveramus. Tametſi leniri ſoleat impropria hæc appellatio, dum illa Dei perceptio, non abſolutè notitia, ſed notitia experimentalis nuncupatur.

XVII. Notitia hæc Myſtica, ſive guſtus, ſive tactus Dei arcanus, unà cum propria contemplatione accidere poteſt, ita ut ſimul intellectus, & voluntas divinitus afficiantur.

XVIII. Sine quovis intellectus actu, comite, vel prævio Theologiam Myſticam, prout preſsè arcana illa Dei perceptio eſt, poſſe contingere, multorum auctorum aſſertio eſt, quam ſuo loco perpendemus.

XIX. Tria ſunt in hac Theologia difficilia: primum, an contingat Deum ab homine amplius amari, quam intelligi? Secundum, an ſine ullo intellectus actu, voluntas Deum percipere valeat? Tertium, an contingat, intellectum, & voluntatem ſine actibus elicitis pati divina? (1) Primum cum S. Thomas profitemur: reliqua duo minime probamus.

XX. Tametſi ex multorum auctorum conſenſione illa Dei ſuaviſſima delibatio ſit propriè Myſtica Theologia, quæ unico nomine Dei experimentum appellari, ac definiri poſſet: quia tamen iidem auctores profitentur, illo Dei guſtu, vel ſapore, quem voluntas delibat, illuſtriſſimam Dei notitiam in intellectum permanare, (præterquam quod Dei ſapor, & contemplatio vix unquam dirimuntur) ad mentem ſcriptorum aliorum opinati ſumus, ex habitu ſapientiæ, unius nempe è ſeptem Spiritus ſancti donis, & ejus actu, qui eſt contemplatio, ac denique ex illa nobiliſſima Dei perceptione, ſeu delibatione, unam Myſticam componi Theologiam, quæ principem hominis partem, intellectum ſcilicet, ac voluntatem miro modo perficiat. Quod in operis excurſu luculentiùs oſtendemus.

XXI. Raptuum divinorum deſcriptiones aliquot, exempli cauſa, operi intexuimus, ut methodum doctrinæ obſervaremus: non verò quaſi vel ordinem, vel numerum eundem præſcribere vellemus. Certis enim finibus dona Dei, quæ tam variè indulgentur, circumſcribere, nefas eſt. Conferunt autem raptus illi captu faciliores ad Myſticæ Theologiæ ſublimitatem indagandam.

XXII. Definitiones rerum divinarum, ad regulas Dialecticorum non exegimus: ſatis quippe fuerit, ineffabilem celſitudinem, vel rudi quadam adumbratione, pro captu noſtro deſcribere.

XXIII. Dei experimentis varia, & ſanè mira nomina ſancti Patres indidere. Cujuſmodi ſunt Contemplatio, ecſtaſis, raptus, liquefactio, unio, penetratio, transformatio, exultatio, jubilus, Dei tactus, guſtus, amplexus, oſculum, ingreſſus in divinam caliginem, introductio in Dei cellaria, ebrietas, mentis exceſſus, aliaque ſimilia: è quibus multa uni Dei myſtico ſenſui, vel conjunctioni, pro multiplici rei intellectu congruere poſſunt; ut ex operis proceſſu, & ſubjecto nunc patebit exemplo.

XXIV. Profectò ſuprema illa Dei perceptio propriè myſtica, qua Deus ſeipſum velut tangendum obiicit voluntati, contemplationis comes (2) in raptu eſſe ſolet: quæ Dei guſtus, ob perceptam voluptatem unio, ob conjunctionem, amplexus ob nexum amoris mutuum, oſculum ob appreſſionem, penetratio ob Dei illapſum, ingreſſus in divinam caliginem ob Dei non viſi ſenſum, vel experimentum, introductio in divina cellaria ob amoris æſtum appellari poteſt: licet peculiaris aliquis Dei ſenſus, vel certè modus, qui ſe magis prodit, per allatorum nominum ſingula diſcretè ab aliis ſoleat indicari.

XXV. Oracula Scripturæ ſacræ minimè pauca ſenſum dvinum, quo ſcriptor canonicus affectus fuit, altè recondunt, cum ſit plerumque ſenſus loci litteralis, ut in Pſalmographo, cum de affectibus agit, paſſim annotare licebit. Ad cujus mentem, ex parte ſaltem aſſequendam, vel ſola Theologiæ Myſticæ ſpeculatio plurimum confert.

XXVI. Quanquam ii, qui Dei ſuavitatem neutiquam prælibarunt, divinarum affectionum cognitionem exactam nequeant adipiſci; illarum tamen lectione, ac expenſione acriter urgentur, & ad ſtudium ſapientiæ, ac ſanctorum æmulationem ferventiùs inflammantur.

XXVII. Vel modica rerum divinarum ſpeculatio ob ipſam rerum magnitudinem, ac Majeſtatem tantò delectabilior, quàm abſoluta rerum naturalium ſcientia eſt, quantò aurum eſt terra nobilius. Nam & Philoſophorum clariſſimi pauca, & minus perſpecta de cœlo, ac ſyderibus, quàm multa, certaque de inferioris mundi ſecretis intelligere jucundiùs cenſuerunt.

XXVIII. Nemini via præcluditur, quo minus peculiaris cum Deo conſuetudinis fœdus poſſit inire, nedum cœleſtia noſſe. At Eccleſiaſticorum, & Prælatorum præſertim eſt, ad ſapientiam hanc facilè ingenuam, & ſpeculatione, & praxi perdiſcendam animoſiùs aſpirare, ut ſubditis queant prælucere.

XXIX Divina & intelligere, & experiri cupienti, nullum brevius vitæ puritate, animique demiſſione compendium eſt. Mens humi defixa mundi gloriam, voluptatem, opulentiam exquirens, non valet cœleſtia contemplari.

XXX. Theologiæ Myſticæ ſumma laus Dei amor eſt; qui lumine divino, ac immortalis illius pulchritudinis guſtu (velut ignis oleo) paſcitur, & augetur; quo nihil poſſit excogitari fœlicius.

VE-

---

[1] *MS.* An intellectus, et voluntas ſine actibus elicitis poſſint pati divina?

[2] *In impreſſo præteritæ editionis Typographi lapſu legebatur,* contemplatio omnis.

VENERABILIS
P. FR. JOHANNIS
A JESU-MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI CALAGURITANI

THEOLOGIA MYSTICA.

CAPUT I.

De Theologiæ Myſticæ definitione, ſeu deſcriptione.

Scrip. An. circ. 1607.

Scholaſticae, ac Myſticae Theologiae diſcrimen.

A PRiuſquam definitio tradatur, ut ejus ſenſum penitius capiamus, Myſticam à ſcholaſtica Theologia diſcriminare operæ pretium erit. Hoc autem uno potiſſimum dirimi videntur, quod Scholaſtica à caliginoſis fidei orthodoxæ principiis ſua deducit aſſerta: ubi, quod quærit verum, non ſine labore perveſtigat: Myſtica verò Dei ſenſu, guſtuve imbuit voluntatem, & illuſtriore quodam lumine perfundit intellectum, qui proinde fit perſpicacior, & ad divina contemplanda ſerenior; ſine dialecticis enim ambagibus, & ſine rationis ſatagentis excurſibus, puris quibuſdam, & tranquillis obtutibus minus clarè, quàm in cæleſti patria, nobiliùs tamen, quàm per conſuetum, ſimplicemque fidei ſolius oculum, hoc eſt, quàm per ſolam fidei notitiam experimenti, ſeu guſtus exortem, divinæ ſapientiæ arcana dignoſcit. Conſtitutum eſt quippe apud ipſos etiam Theologos Scholaſticos, hominis adhuc mortalis intellectum, Divino afflatu, ad tam excelſum poſſe gradum attolli, ut ſine ullo diſcurB ſu, Angelorum more, res divinas puriſſima cognitione percipiat. (1) Quod è S. Thomæ 2. 2. q. 180. art. 6. doctrina liquido conſtat, per verba hæc: Secundo autem oportet, quod removeatur ſecunda deformitas, quæ eſt per diſcurſum rationis. Et hoc idem contingit, ſecundum quod omnes operationes animæ reducuntur ad ſimplicem contemplationem intelligibilis veritatis. Et hoc eſt, quod ſecundò dicit Dionyſius, *cap. 4. de divin. nom.* quod neceſſaria eſt uniformis convolutio intellectualium virtutum ipſius: ut ſcilicet, ceſſante diſcurſu, figatur ejus intuitus in contemplationem unius ſimplicis veritatis. Hæc S. Thomas, ubi dubium de tanti Doctoris mente nequit oriri. Subiicit autem proximè ex Dionyſio, animam in ea puriſſima contemplationis operatione Angelis eſſe conformem. Anima in contemplatione Angelis conformis. Et quidem fœliciſſima ſors hæc iis præſertim obtingit, qui multa ſedulitate cor ſubinde repurgant, C illius hæreditatis cupidi, quam unigenitus Dei Filius, eis novo jure in filios adoptatis, novo teſtamento reliquit, ſicut ſcriptum eſt: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Etſi enim hæc fœcundiſſima pollicitatio in cœleſti gloria explenda ſit, ejus nihilo ſecius ſuaviſſima quædam prælibatio ex divinæ gratiæ prærogativa defœcatis cordibus permittitur in exilio; quam fauſtiſſime adepti ſunt, qui (licet pauci, clariſſimi tamen) Theologi myſtici nuncupantur.

Variae Theologiae Myſticae Definitiones.

Eſt autem Myſtica Theologia, cæleſtis quædam Dei notitia per unionem voluntatis Deo adhærentis elicita, vel lumine cœlitus immiſſo producta. Quod ut penitius intelligatur, noſſe oportet; huic Theologiæ ab univerſis auctoribus, qui de ea ſcripſerunt, ſapientiæ nomenclaturam, ſine ulla exceptio D ne tribui. Cum enim ſapientia ſit rerum notitia per altiſſimas cauſas, & Myſtica Theologia, hoc in exilio ſit ſuprema, & per ſummam rerum effectricem cauſam, *S. Bon. de luminaribus Eccleſiae Serm. 2.* humano cordi arcano nexu conjunctam, parta cognitio; conficitur planè ingenium ſapientiæ illi conſentire. Nomen verò quantopere qua-

---

[1] Quae ſequuntur uſque ad illa verba, *Et quidem* in MS. deſunt.

Scrip. An. circ. 1607.

dret, ex ipſo etymo liquet: dicitur enim ſapientia, quaſi ſapida ſcientia. Quo certè in genere ſcientiis univerſis, vel omnino partis, vel infuſa fide, tanquam baſi ſubnixis maximè antecellit. Etſi enim clariſſimi aliquot naturæ inſpectores, in ipſa rerum naturalium contemplatione, nonnihil voluptatis percipere ſoleant; unde ſcientiæ ipſi, labore conquiſitæ, ſapor quidam adnaſcitur; is tamen tam exilis eſt, ut non intrinſecus enaſci, ſed extrinſecus affigi videatur; ſi cum penitiſſima, & caſtiſſima hujus ſapientiæ voluptate comparetur. Cujus ratio hinc erui poteſt. Conſtat inter Theologos univerſos, unum è ſeptem Spiritus ſancti donis, ac id longe nobiliſſimum eſſe ſapientiam, quam eſſe ipſam Myſticam Theologiam opinamur; quæ licet in intellectu, quem acuit ad divina, reponatur; non tamen ita in eo definitur, ut proximam non urgeat, & amore divino incendat voluntatem, Quin potius adeo eam impellit, & ciet, ut quendam ei velut perennem impulſum imprimat, quo illa quaſi ferrum magnete tactum inquies ad Deum fertur, nullibi (præterquam in Deo) adeptura quietem. Compertum eſt autem in iis actibus promendis, quos amor generat ineſſe voluptatem. Quamobrem Theologiam noſtram, cujus opus alta cognitio, amor, ac ſapor Dei eſt, puriſſimis delitiis oportet affluere. Jam verò cum ſapientiæ habitus, qui cum divina gratia ſimul infuſus intellectum illuſtrat, & voluntatem incendit, fit ipſa Myſtica Theologia; inter actus myſticos planè Theologicos, & divinos meritò recenſentur ii, qui ab eadem ſapientia, flante Spiritu ſancto, eliciuntur; quemadmodum ex habitibus aliarum ſcientiarum actus proprii naſcuntur, quibus & augentur. Hujuſmodi eſt divina contemplatio, quæ more candidiſſimi ſplendoris, ex habitu ſapientiæ, velut è cœleſti lumine, interdum exoritur, quæ in ſecundo definitionis allatæ membro, nuncupatur notitia, lumine cœlitus immiſſo producta (ſive Dei guſtum præcurrat, ſive comitetur, ſive ſubſequatur) de qua poſtmodum agemus. At enim ſummopere expendendum eſt, contemplationis actum (qui ſuperno lumine infuſo producitur, dum ſapientiæ habitus ſe exerit in actum) non eſſe totum Sapientiæ ſive Theologiæ myſticæ opus, ſed partem operis eſſe perceptionem ſaporis, guſtuſve Dei, qui non ab ullo habitu producitur, ſed peculiari dignatione, gratis à Deo indulgetur, & per unionem voluntatis cum Deo conciliatæ, nexæque percipitur (1). Ac propterea in tradenda hujus Theologiæ definitione bimembri, ut ſuaviorem, ac ſecretiorem ejus partem (2) dignoſceremus, in membro primo aſſertum eſt, non eſſe qualemcunque Dei cognitionem, ſed eam diſertè, quæ per unionem voluntatis Deo adhærentis elicitur. Quæ ſanè verba ſapientiam hanc à cæteris univerſis hujus exilii ſcientiis facile diſterminant, & retegunt arcanum illud, ex quo inſignis ejus honeſtas, & ſuavitas (3) debet expendi; qui eſt arcanus ille Dei cum valuntate complexus. Qui licet propriè notitia non ſit, quia tamen ineſt in eo quædam ſublimis Dei conceptio, qua voluntas, velut quoddam guſtandi organum Dei ſaporem haurit (4), hauſtuque illo intellectum ad clariorem Dei notitiam perurget; potiſſima hujus Theologiæ pars nuncupatur. Profecto cum Theologi Myſtici ajunt; diviniorem illam Dei notitiam per unionem voluntatis Deo hærentis elici, facilè demonſtrant, voluntatem amoris nexu Deo adjunctam, eſſe velut quendam aquæductum, per quem ejuſmodi cognitio in ipſum intellectum derivetur. Quocirca nomen illud (notitia) in definitione poſitum duo appoſitè ſignificat, illam ſcilicet perceptionem Dei, quæ cum voluntatis ſit, minus proprie notitiæ nomine inſignitur, & contemplationem ex voluntatis divina patientis ſenſu genitam, quæ proprie actus intellectus eſt, nobiliſſimus ille ſanè, licet illam Dei perceptionem ſublimitate non æquet (5).

Dionyſ. Carth. de Fonte Luc. c. 13.

Myſtica Theologia, quid?

Quod ita planè cenſendum eſt; ſicut enim ſuo loco trademus, in hac vera ſapientia, plus hærendo, quàm ſpeculando percipitur, ac proinde voluntas, dum adhæret Deo, altiùs divina percipit, quàm intellectus contempletur, ipſeque intellectus voluntatis inhærentis ſenſu edoctus, fit ad Teophanias, ſeu divinas apparitiones concipiendas, multò, quàm ante, capacior. Hoc autem aſſertum ex ipſo celeberrimo Theologorum Scholaſticorum effato deducitur. Concors enim ſententia eſt, charitatem Divinam hoc potiſſimum cæteris virtutibus, etiam Theologicis antecellere, quod ipſum Deum per ſe (ut ajunt) attingat, cum cæteræ per interjectas in eum res, perferantur. Adhuc enim ipſa fides, ac ſpes in Deum tendunt, qua ratione, nobis ab eo boni quippiam emanat. Verùm divina Charitas, ingenuo corde, non quaſi aliquid a Deo receptura, ſed ipſi ob ejus bonitatem, & pulchritudinem adhæſura, illum jugiter affectat, in eo cupit conquieſcere. Ex quo certè tam eximiæ virtutis ingenio liquidò perſpicitur, quam ob cauſam charitas nunquam excidat, cùm fidem, ac ſpem, ante Divinitatis aſpectum oporteat interire. Nulla enim imperfectionis nota hæret charitati, ob quam ſtatum cœleſtis patriæ dedeceat. Quin etiam illius patriæ tam propria eſt, ut animæ adhuc extor-

Theologia Myſtica vera ſapientia.

Charitas abſque imperfectione.

---

[1] *Ms.* At enim ſummopere expendendum eſt, hoc contemplationis opus, quod ſuperno lumine infuſo, perficitur, dum ſapientiae habitus ſe exerit in actum, non eſſe potiſſimam hujus Theologiae partem, ſed ſaporem, guſtumque Dei, non ab ullo habitu productum, ſed peculiari dignatione, gratis a Deo indultum, qui per unionem voluntatis cum Deo conciliatae, nexaeque percipitur.

[2] *Ms.* Ut potiorem ejus partem.

[3] *Ms.* Et retegent id, ex quo inſignis ejus nobilitas praeſertim.

[4] *Ms.* Dei perceptio, quam voluntas, velut quoddam guſtandi organum, haurit.

[5] *Ms.* Licet Deì ſenſum nobilitate non aequet.

Scrip. An. circ. 1687.

torri, cœlitibus ſimilem affectum impertiat, ut ſui ipſius oblita, Divinum ſolummodò bonum affectet. Fidei autem, ac ſpei mos non eſt adeo clarus, & ingenuus; nam fides per nubila, vel ænigmata Deum cognoſcit, unde, orta mox luce patriæ, diſpellitur: ſpes intuetur hæreditatem, quam ſtatim, ac animus obtinet, illam oportet extingui. Verùm A Divina Charitas hæreditate fruitur ſempiterna, quam in exilio agens puriſſimo quæſivit affectu.

Hæc ergo charitatis nativa nobilitas in cauſa eſt, ut voluntas, in qua viget, altiùs caput efferat, quam intellectus, in quo fides, quaſi lucerna quidem, ſed in caliginoſo loco, eluceſcit. Nec verò donum ſapientiæ, quod afficit intellectum, adeo illum evehit, ut in parem charitati excelſitatem attollat, ob fidei obſcuritatem, Divinis rebus obductam, hujus exilii ſtatui, ſeu viæ conſentaneam.

Quapropter neceſſe eſt, ut voluntas altiorem, ac Deo propinquiorem, quàm intellectus, in ſtaturam aſſurgat ab ipſo, quo B informatur, excelſiore charitatis habitu erecta. Ex quo fit, ut amoris motibus anagogicis, voluntas intellectu excelſior effecta, arcano, & eo planè Divino more, Deo ſocietur in quadam prorſus mira celſitudine, ad quam intellectus ſe nequit attollere. Ubi non viſu, ſed myſtico tactu, & peculiari quodam Dei auxilio, Deum attingit, & intellectum inferiùs reſidentem illuſtrat. Et hæc eſt illa fœlix unio voluntatis Deo ſociatæ, quæ Theologiam Myſticam ab omni alia, ſeu ſcientia, ſeu ſapientia, ſatis apertè diſcernit; ac ejus nobilitatem oſtentat.

S. Bon. de ſeptem itineribus aeternitatis, diſ. 2. Itin. 3.

Si ergo in unum cogamus, quæ pro definitione explananda deprompſimus, cum dicimus Theologiam Myſticam eſſe cœleſtem quandam notitiam, per unionem voluntatis Deo adhærentis elicitam, vel lumine cœ- C litus immiſſo productam; idem eſt, ac ſi expreſſiùs diceremus: eſſe ſublimem Dei ſenſum, vel experimentalem notitiam, per quendam Dei tactum, ſeu voluntatis, ſupra intellectum Deo hærentis, unionem, elicitam, (quod eſt primum definitionis membrum) vel ſuperno lumine infuſo, per ſapientiæ habitum ab intellectu productam (quod eſt ſecundum) quæ in operis proceſſu luculenter exprimentur.

Denique, pro hujus capitis coronide, ac rerum perſpicuitate, tria, ut ex dictis patere poteſt, Theologiam hanc totam componunt. Habitus ſapientiæ, contemplatio, Deique per voluntatem perceptio. (1) Quæ ſanè tria S. Bonaventura libro de ſeptem donis Spiritus Sancti, dum ageret de dono ſapientiæ D ſic expreſſit. Actus ſapientiæ eſt, contemplari Deum, non quocumque modo, ſed ex dilectione, cum quadam experimentali ſuavitate in affectu. Quibus certè verbis rem totam diſertè tradidit: quam poſteriores Theologi myſtici, uno ſanè ſenſu, at non uno dicendi modo proſecuti ſunt; inter quos Dionyſius Carthuſianus, perſpicuè rem complexus, Myſticam Theologiam ipſum ſapientiæ donum, unum ſcilicet è ſeptem Spiritus Sancti donis, habitumque infuſum per guſtum internum Dei cognoſcitivum appellat. Cujus actum, nempe contemplationem, experimentalemque cognitionem paulo ante protulerat. E Idem ſuper Dionyſium de Myſtica Theologia docet, Myſticam Theologiam eſſe præſtantiſſimum donum Spiritus ſancti, quod ſapientia nuncupatur. Et eam inter alia nomina, contemplationem appellari ait, ejuſque complementum, in voluntate reponit. Nec obſtandum, quaſi Theologiæ, hoc eſt Dei ſcientiæ pars eſſe nequeat illa Dei perceptio, quæ voluntatis eſt(2), cum ſcire ſolius ſit intellectus: quia ſicut omnis ſenſuum actus, viſio ex more appellatur, ita omnis Dei perceptio per quamcunque animæ vim, in arcano ſermone, ſcientia nuncupatur. Et in re adeo ſublimi, non tam verba, quam ſenſa penſitamus. F

Tractatu de Fonte lucis cap. 13.

Myſtica Theologia Donum Spiritus Sancti.

CAPUT II.

Ad quem Charitatis ſtatum pertineat Theologia Myſtica.

Chriſtiana perfectio unde?

NEminem latet Chriſtianam perfectionem in divina charitate poſitam eſſe; quæ cæteras virtutes univerſas, alias minimè ad æternam vitam profuturas, Deo conciliat.

Quia tamen ſtella differt à ſtella in claritate, & non quævis claritas in eo genere perfecta eſt; SS. Patres in charitate ipſa, tres ſeu gradus, ſeu ſtatus, diſtinxere, & viros perfectos, in tertio dumtaxat repoſuere. Primo in ſtatu incipientes, quaſi tyronum agmen; in ſecundo proficientes quaſi tyrocinium prætergreſſi; G in tertio perfecti, quaſi veterani milites recenſentur. Et licet tria hæc agmina, quibus conſtat terribilis Eccleſiæ acies, per eandem militarem charitatis viam ingrediantur, ſua tamen peculiaria propriarum actionum ſtudia, illarum quamque à reliquis apertè ſejungunt.

Incipientes, proficientes, & perfecti.

Incipientium enim charitas in eo potiſſimum verſatur, ut à peccato recedat, & paſſionibus, quæ illi obluctantur valide repugnet. Ac propterea pervigili ſtudio nutrienda, & confovenda eſt, ne tot incurſibus tentata ſuccumbat.

Proficientium ſtudium in hoc præſertim annititur, ut charitas, quæ jam minus acriter impugnatur, propter victorias partas fœliciùs coaleſcat, & virtutes univerſas ſibi H connexas conſtabiliat. Principis nimirum ſtrenui more, qui fuſis ab obſidione hoſtium copiis, ad futuros impetus arcendos, & ad urbem contutandam, mœnibus extruendis, &

---

[1] *Ms.* Et Dei ſenſus voluntate perceptus. *Cætera deſunt uſque ad ea verba,* nec obſtendum,

[2] *Ms.* Eſſe nequeat Dei ſenſus ille, qui voluntate percipitur, cum ſcire &c.

Scrip. An. circ. 1607

aulis ædificandis, inſtauratæ pacis tempore, nervos intendit. Etſi enim hoſtis nunquam ab impugnatione deſiſtat; enervatus tamen ſuperioribus præliis facilè fugatur, & augmento virtutum, cordis caſtrum bene ſeptum, & tutum relinquit immune.

Perfectorum autem opus, poſt revectos de vitiis, paſſionibusque triumphos, poſt multaque A charitatis incrementa, unio eſt. Ut ſcilicet ſummo bono jugiter adhæreant, ac in optatiſſimis Dei amplexibus, mel de petra ſugentes, conquieſcant.

Via purgativa, quae?

Horum verò trium ſtatuum primus purgat, ſecundus illuminat, tertius perficit. Qui ſunt tres actus hierarchici, & Angelicæ, & Eccleſiaſticæ hierarchiæ familiares, Qui tribus viis in itinere ſpirituali diſtingui ſolitis, nomina indiderunt. Prima ſcilicet via, quæ purgativa nuncupatur eorum eſt, qui vitia exſecant, & paſſiones interimunt. Quod ut obtineant corpus laboribus edomant, & ſeveras ei leges jejuniorum, vigiliarum, rudium, & cilicinarum veſtium imponunt, & acribus, de culparum gravi- B tate, de mortis anguſtiis, de inferni cruciatu, de Divini judicii diſtrictione meditationibus, ad laborem impellunt: laborioſum eſt quippe adnatos vitiorum callos excidere; non enim ſine dolore cordis, cui obducuntur, & hærent, auſteritatis ſcalpro reciduntur. Ac propterea imbecille cor meditationibus opportunis armandum eſt.

Et illuminativa, quae?

Secunda verò via illuſtris eſt, ac ſplendida, quæ ob id vulgò Illuminativa appellatur, & eorum eſt, qui navant operam virtutibus parandis.

Virtus enim eſt proprium, ac verum animæ lumen. Sedulitas autem per hanc viam quaſi lacteam ingredientium, eo incumbit omnis, ut ſuperata virtutum arduitate planum, ac amœnum iter animus peragat; C donec è partis habitibus actus multiplices facilè, ſuaviterque producat. Ad opus autem accingitur, & expeditur meditationibus crebris, de Chriſti, Sanctorumque rebus geſtis, quæ cor ad imitationem incendant, & jugi divinorum beneficiorum recordatione, quæ animum ſenſim emolliat.

Et unitiva, quae?

Tertia demum via vulgo Unitiva dictitatur; ab optima Mariæ parte nomen adepta. Cujus eſt, purgata jam mentis acie, divina contemplari, & arcano nexu Deo vinciri: ibique velut in arce Sion, pace, quæ ſuperat omnem ſenſum, & voluptate puriſſima perfrui.

Sapientiſſimus autem Deus ita vias has, ſtudiaque diremit, ut tyrones interdum veteranorum prærogativis exornet, & ſuaviſ- D ſimo divinæ contemplationis blandimento permulceat: ne fortè objecta virtutis arduitate, ac tentationum preſſura territi, ab incœpto reſiliant. Quemadmodum è contrario perfectiores animas acerrimis ſæpè tentamentis ſinit infeſtari, ne fortè extollantur. Propterea quippe Apoſtolum omnibus Chriſtianæ perfectionis numeris abſolutum improbus carnis ſtimulus tam violenter angebat, ne magnitudo revelationum illum efferret. Cùm enim quis, quantumvis perfectus, ſe cernit incipientium moleſtiis obſideri, ſeipſum quaſi nullius meriti deprimit, & tanquam iter longum peracturus, E laborat impenſiùs, proficitque fœliciùs.

Trium viarum virtutes eaedem.

Hìc autem minimè ſilendum eſt, trium viarum virtutes, ſi naturam illarum ſpectemus, eaſdem eſſe: at ſi gradum, vel incrementa penſitemus, inſignibus ſpatiis à ſe mutuò diſparari. Una ſanè virtus charitatis eſt, quæ incipientibus exoritur, in proficientibus adoleſcit, in perfectis ad juſtam provecta magnitudinem, ad unionis divinæ nuptias in Dei thalamum introducitur. At verò perfectorum charitas tantoperè ſupra incipientium, proficentiumve menſuram caput effert, ut eloquentia ulla exprimi nequeat.

Activae, & contemplativae vitae diſcrimen.

Ex quo certè diſcrimine poſſumus apertè diſpicere illud tam inſigne, quo contem- F platrix ab actuoſa vita ſecernitur. Quæ enim activa vita vocatur, duas è tribus viis ſedula percurrit, ſive vitia revellens, paſſioneſque coercens, quod eſt incipientium, ſive virtutum incrementa conquirens, quod eſt proficientium: ac in eum modum univerſi virtutum moralium actus ad opus activæ vitæ pertinent, ut iis ad contemplatricem anima comparetur, tanquam ſponſa, quæ ad Regis Æterni conſortium (ſaltem frequenter) non ſit admittenda, niſi multarum virtutum circumamicta varietatibus. Contemplativa verò jam ſatis dives, & ornata tertiam viam verè ſublimem permeat. Si tamen permeare dicenda ſit, quæ ſedatis motibus adverſis, in Dei Clementiſ- G ſimi amplexibus, dulciſſimo ſomno requieſcit, Ubi divina Charitas, ultra vitæ actuoſæ incrementa, eò caput extollit, quò vix fertur intuitus. Ac ita Purgativa, & Illuminativa Activæ, Unitiva Contemplativæ, apta conſenſione reſpondent.

Quapropter, quod vulgò dicitur, hoc, vel illud hominum genus vitam Contemplativam ducere, qui tamen juxta eorum inſtitutum, in paſſionibus ſubjugandis, & parandis virtutibus, cùm orationis frequentia ſeipſos exercent, vel à ſuis doctoribus exercentur, ſi perpendamus rerum eventum, fortaſſe minùs proprius ſermo eſt. (1) Etſi enim piis meditationibns, ac iteratis virtutum actibus ad contemplationem aſpirent, propriè tamen in activa verſantur; licèt fieri H poſſit, ut divina interdum contemplatione, ſingulari Dei dono, recreentur, vel etiam poſt agones multos ad contemplativam quoque pertingant. (2) Diſertè dictum eſt, viros hos in actuoſa vita verſari, ſi rerum eventum

---

(1) *Ms.* Vel à ſuis doctoribus exercentur, improprius ſermo videtur.

(2) *Ms. Noſter non habet quae ſequuntur uſque ad* Ex his ergo.

Scrip. An. circ. 1607.

2. 2. quæſt. decima oct. ad 5.

Contemplativi, qui?

tum perpendamus. At ſi ſcopum, quò ſeruntur, inſpectemus, non impropriè contemplativi appellantur. Sanctus quippe Thomas Contemplativos ait nuncupari non eos, qui contemplantur ſed qui contemplationi vitam totam devoverunt.

A

Ex his ergo, quæ aſſeruimus, facilè eruitur, ad quem charitatis ſeu gradum, ſeu ſtatum Theologia Myſtica pertineat. Cum enim ſit cognitio ingenua Dei per unionem divinam elicitia, apertè cernimus, ad tertium proculdubio ſtatum, ſeu viam, cui familiaris eſt contemplatio, pertinere; ut non ab re in dono ſapientiæ, quemadmodum in charitate ipſa, tres etiam gradus auctores nonnulli diſcreverint, ac in tertio Theologiam hanc collocaverint. Ubi oppidò expendenda ſunt duo, quæ diſertè traduntur, eſſe videlicet cognitionem; & hanc elici per unionem: utrumque enim ad Theologiam Myſticam ſpectat, & opus intellectus, nimirum contemplatio, & voluntatis, hoc eſt unio, ſive actus ille cum Deo complexus, de cujus cœleſti puritate, ac nobilitate ſermo redibit. Nunc verò contemplationis ſpeculatio tradenda eſt.

Sic Dion. Carth. ſuper 5. Dioynſ. de Myſt. Theol.

B

CAPUT III.

De divina Contemplatione.

Meditationis definitio.

DE contemplatione acturi, eam claritatis gratia à meditatione ſecernamus. Meditatio eſt diſcurſus intellectus ſatagentis voluntatem vel à malo arcere, vel ad bonum impellere. Et hic eſt primævus ille labor, quo exercentur, qui ſeipſos orationis operi devoverunt. Cum enim voluntas divinis impulſibus minimè aſſueta virtutis arduitatem perhorreſcat, neceſſe profectò eſt, multo conatu, agmineque rationum ei ſtudium virtutis perſuadere, oratorum more, qui rationibus harmonicè compoſitis conſeſſus corda demulcent. Et hæc eſt ea celebris exercitatio, quæ in nonullis Cœnobiis ſeriò virtutem colentibus in morem inducta eſt. Quorum ea eſt conſuetudo, ut ſemel, aut bis Fratres, poſtquam ſinguli ſeorſum ſe comparavere, in locum opportunum convenientes, & è libro aliquo ſententiam meditationi conſentaneam excerpentes, pro captu quiſque ſuo, in intellectu, velut in quodam ſpirituali ventriculo, eam in fruſta concerptam excoquere, ejus nimirum vim, & ad movendum efficacitatem, excogitatis in id rationibus, trutinare conentur. Hoc enim pacto quædam intellectus, quaſi rubigo detergitur, (1) & voluntas delinitur, ac bene erga Deum afficitur, qui meditationis ſcopus eſt.

C

D

Partes orationis, quae?

Hic autem, interea, dum intellectus ad perſuadendum rationes invenit, atque diſponit, ſæpe voluntas incaleſcens, pro receptis à Deo donis gratias rependit, vel bona quibus eget, expoſcit, quo in actu propriè conſiſtit oratio: tametſi ſub hoc orationis nomine partes hujus exercitii omnes, præparationem videlicet, lectionem, meditationem, gratiarum actionem, oblationem, ac petitionem conplectamur: & viros ejuſmodi operi vacantes, contemplationi deditos appellemus. At ab hujuſmodi vel meditatione, vel oratione, quæ contemplationi viam ſternit, tam longè propria contemplatio, quàm longè à diluculo meridies ipſe diſcernitur. Cùm tamen illa contemplationem præire debeat, ſaluberrimum eſt illi aſſueſcere, vel fortè neceſſarium. Quod S. Auguſtinus, vel, ut aliis placet, S. Bernardus ſatis apertè docuit, ajens: Contemplationis adeptio ſine oratione aut rara, aut miraculoſa. Quod tanti ponderis aſſertum, multis experimentis probatum, nunquam memoria deberet excidere; ne tanquam ſaltu nos librantes, donum contemplationis orationi non aſſueti obtinere ſatagentes, elationis culpam incurreremus; vel è contrario orationem frequentantes à contemplationis adeptione animum deſponderemus.

E

In Scala Paradiſi.

F

Cùm enim meditatio ſit anxia, & multis agitata procellis navigatio, & contemplatio portus benè ſeptus, atque tranquillus, Clementiſſimus Deus laborantes remigando, & periclitantes paternis oculis conſpicatus, ad pacatam contemplationis ſtationem feſſos invehere conſuevit. Jam ergo contemplationis rationem expenſuri, hoc unum diſcrimen pro foribus exploremus oportet. Meditationem nimirum eſſe motum, vel excurſum, Contemplationem verò quietem; ac propterea ſtatim ac diſcurſus, qui eſt motus intellectus veritatem inquirentis, veritate ceſſat inventa, & illi intellectus velut acquieſcendo cœpit cum admiratione inhærere, incipit exiſtere contemplatio.

Meditationis, & contemplationis diſcrimen.

G

Contemplatio naturalis, quae?

Quod certè diſcrimen non à divinis tantùm, verùm & à naturalibus contemplatoribus obſervari facilè poterit; ſolent enim nonnulli ſtudioſiores Philoſophi ſciendi cupiditate acriter incitati impenſiùs in meditationem incumbere, naturæque ſecreta avidiſſimè rimari, & quodam celerrimo diſcurſu veritatem, quam venari cupiunt, inſequi, quam mox ut invenit intellectus, ſedatur, & quieſcit, & in tranquilla ejus ſpeculatione delectatur. Ubi ſpeculatio illa delectatione permixta, naturalis contemplatio eſt; at humili loco nata, & cum divina, de qua dicere cœperamus, (2) minimè conferenda.

Contemplationis gradus, quot?

Priùs tamen quàm definitionem tradamus, animadvertendum eſt, ſex propemodum contemplationis gradus à Patribus recenſeri ſolitos.

H

S. Thom. 2. 2. q. 180. ar. 4. ad 3. ubi exponit mentem Rich. l. 1. de Contemplat. c. 6. ſex contemplationis ſpecies recenſentis.

Primus eſt erga ea, quæ ſenſibus externis percipiuntur; ſecundus eſt progreſſus à ſenſibilibus ad intelligibilia; tertius dijudicatio ſen-

---

(1) *Ms.* Hoc enim pacto intellectus rubigo detergitur.

(2) *Ms.* adornamus.

Scrip. An. circ. 1607.

ſenſibilium, ſecundum intelligibilia; quartus abſoluta conſideratio intelligibilium, in quæ per ſenſibilia conſcenditur; quintus perceptio intelligibilium, quæ per ſenſibilia inveniri non poſſunt, ſed per rationem capi poſſunt; ſextus perceptio intelligibilium, quæ ratio nec invenire, neque capere poteſt.

A Verùm quia contemplationis divinæ ratio à nobis tractanda ex iis gradibus minimè variatur, ſive enim cognitio exoriatur à ſenſibus, ſive ab imaginatione, ſive à meditatione, ſive è lumine infuſo, non ideo propria contemplationis divinæ forma varia eſt: (1) ſed nunc à ſenſibus auſpicando, nunc quæ mente conceperamus, repetendo, nunc iis ceſſantibus, divino tantùm lumine perfuſi, divina contemplamur. (quando videlicet Spiritus ſapientiæ nos illuminat, & vel inopinos arripit, vel conantes adjuvat) ideo gradus illos minimè explanamus, nec in eis divinam (2) contemplationem ineſſe cenſemus, niſi flante Spiritu Dei, ad eam contemplationis, quam mox deſcribemus, ſublimitatem aſſurgant. Ad quam certè, ſi B aſſurrexerint, jam non erit ulla diſtinctio formæ (3) ſed unius rationis, à diverſis licèt orta principiis, contemplatio. Quod vel hac una ratione convincitur. Sive enim quis inſpecta corporum pulchritudine, quam miratur, ratiocinando inferat infinitam Dei pulchritudinem, & in eo diſcurſu divino Spiritu afflatus, in tranquillam divinæ pulchritudinis contemplationem attollatur: ſive nullam corporatam pulchritudinem inſpectans, infuſo dumtaxat lumine, quo ei divinæ pulchritudinis magnitudo detegitur, in eandem contemplationem ſublevetur; non ideo diverſa erit contemplationis ratio, (4) eſto plures viæ ſint, quibus in eam Sionis pacem aſcenditur, quemadmodum ſuo C loco patebit. Sed jam definitionem tradamus. (5)

Contemplatio eſt actus intellectus non impediti, gratia ſanati, in æterna ſpectacula directi, & admiratione ſuſpenſi. (6) Hæc definitio ſeu deſcriptio ſub eiſdem verbis eſt S. Bonaventuræ cui ſubiicit alteram Richardi deſcriptionem, quæ ſic habet: Contemplatio eſt libera mentis perſpicacia in ſapientiæ ſpectacula cum admiratione ſuſpenſa, libera ſcilicet à peccato, & appetitione rerum, perſpicax, hoc eſt, ſana, puraque per gratiam, in Sapientiæ ſpectacula ſuſpenſa, hoc eſt, in divinam veritatem, bonitatemque intenta, & ex admiratione divnorum obſtupeſcens. Hæc eſt S. Bonaventuræ interpretatio compendio dicta. S. Thomas ex Richardo, ait: Contemplationem eſſe perſpicacem, & liberum contuitum animi in res perſpiciendas, nec tamen eam definitionem explanat. Poteſt au-E tem Sancti Bonaventuræ interpretatio illi coaptari, ut ex verbis ipſis facilè perſpicitur. Certè Richardus duas in unam ſententiam definitiones contemplationis poſuit, ex quibus alteram S. Thomas, alteram S. Bonaventura deſumpſit.

In 3. Itinere æternitat. diſtinct. 2.

Variae contemplationis definitiones.

2. 2. quæſt. 180. art. 3.

Lib. de Contemplat. c. 4.

Quò verò poſitam definitionem explicemus, meminiſſe oportet, quod ſuperiùs aſſeruimus, contemplationem ſcilicet eſſe actum elicitum à ſapientiæ habitu, uno nempe è ſeptem Spiritus Sancti donis: cujus eſt Deum contemplari non quovis modo; ſed ex dilectione, cum quodam experimento ſuavitatis in voluntate; (7) quæ profectò S. Thomæ ſententia eſt: quandoquidem Dei cognitionem atque experimentalem perceptionem (quæ eſt ipſiſſima contemplatio) Sapientiam proprie dici fatetur, juxta quam Filii miſſionem fieri pau-F lo ante aſſeruerat, per Sapientiam verò donum Spiritus Sancti apertè intelligit. Ex hoc efficitur, divinam contemplationem, niſi ex dono Dei ſupernaturali nemini contingere: tametſi nonnullis in culpa mortali jacentibus ob infinitæ bonitatis magnitudinem, contemplationem indulgeri, B. M. Tharaſia crediderit, quod rationi conſentaneum eſt: quia divinæ bonitati congruit, in hoc etiam gradu, ſeipſam oſtentare, ut averſos à ſe animos ejuſmodi cœleſti munere ad ſe (8) alliciat ac per hoc hominibus clariùs innoteſcat.

1. p. q. 34. art. 5. ad 2.

Contemplatio ſapientia dicta.

S. Matris Thereſiae doctrina notata.

In Itiner. Perfect. cap. 16.

Verùm aſſertum hoc ita poſſet accipi, ut ipſo divinæ contemplationis amorem ſpirantis, & ad Spiritus Sancti dona pertinentis actu (9) qui jacebat in culpa, juſtus, & Deo G acceptus fiat. Si enim uno contritionis actu is homo fieret gratus Deo, cur non, uno divini amoris actu, qui in contemplatione divina potiſſimum fervet? Præſertim cum ipſa contritio ex dilectione vitam eliciat; propterea enim non quivis dolor eam prærogativam obtinet, ſed qui propter Deum concipitur ſummè dilectum. Diximus verò, aſſertum ſic accipi poſſe, quod non prorſus id ita contingere aſtruamus. Nam cum non ſubſit efficax ratio ad omnino aſſerendum contemplationis actum, (10) ſemper ad Spiritus San-

Amoris actus ferventes in contemplatione.

---

[1] *Ms.* Primus eſt erga ea, quæ ſenſibus externis percipiuntur; ſecundus in iis, quæ imaginatione componimus; tertius in diſcurſu intellectus, quæ D eſt meditatio; quartus in quadam ſpeculatione intellectus, quæ ultra meditationem aſſurgit, ſed reſidet infra propriam contemplationem; quintus conſiſtit in intelligentia, hoc eſt, in actu intellectus, intuitu ſimplici, divina ſine diſcurſu percipientis; ſextus in guſtu divinæ ſapientiæ, ubi experimento ſeu guſtu, Deus miro modo percipitur. Verùm quia juxta ſanctorum Patrum mentem, contemplationis gradus impropriè ſic appellantur; & ſive cognitio exoriatur à lumine infuſo, ſive à ſenſibus ſive ab imaginatione, ſive a meditatione, non ideo propria contemplationis ratio variatur.

[2] *Ms.* veram. *Et infra*: ad veram eam contemplationis etc.

[3] *Ms.* graduum.

[4] *Ms.* non ideo diverſi erunt contemplationis gradus.

[5] *Ms.* auſpicemur.

[6] *Ms. Quæ ſequuntur uſque ad.* Quo vero in *Ms.* H *Rom deſunt*.

[7] *Et haec quoque deſiderantur uſque ad.* Ex hoc efficitur.

[8] *Ms.* Ad ſe raptim alliciat.

[9] *Ms.* ut ipſo divinæ contemplationes dono, qui jacebat.

[10] *MS.* ad id omnino oſtendendum *caetera deſunt, uſque ad.* Certius videtur.

Scrip. An. circ. 1607.

Sancti dona gratiam gratum facientem individuè comitantia pertinere; poſita S. Thomæ, & omnium Theologorum ſententia, per gratiam ſcilicet prophetiæ, quæ & peccatoribus indulgetur, ſublimem contemplationem exerceri cenſentium, certius, & ad mentem B. Tharaſiæ accommodatius videtur, ut accepto etiam inſigni contemplationis dono poſſit peccator aliquantum emolliri, tametſi ad gratiæ ſtatum minimè reſurgat, quin etiam & tactum illum Dei ſupremum, quem diximus Theologiæ Myſticæ partem eſſe, abſque Dei gratia gratum faciente conſtare poſſe, quemadmodum (1) & cætera dona, quæ gratiæ gratis datæ à Theologis nuncupantur, nonnullis videtur. Altum quippe gratiæ gratum facientis ſecretum eſt, ne quis vel ipſo Dei ſenſu, guſtuve glorietur. Quapropter, cum in deſcriptione aſſeritur, contemplationem eſſe actum hominis gratia ſanati, de conſueta Sanctorum contemplatione, quæ eſt actus ab habitu Sapientiæ productus, Myſticæque Theologiæ proprius, accipiendum eſt, ad quorum mentem traditam definitionem expendamus.

2. 2. quaeſt. 172. art. 4.

Gratia prophetiae peccatoribus indulta.

A

B

S. Bonav. in Itin. 3. aetern.

Prima vox, quæ interpretamento indiget, hæc eſt (Non impediti) vel (ut alii loquuntur) liberi. Contemplatio enim non cujuſvis intellectus eſt, ſed illius duntaxat, qui ab omnibus ſe abſtinet, quæ pacem interturbare poſſunt; cujuſmodi ſunt frequentia negotia, convictus hominum, ſollicitudo, etiam pro piis operibus, timor, ſcrupuli, & ejus generis alia, quæ quantumvis pietatis ergo ſuſcepta, cor obruunt, obdurant, vel retardant. Propterea (niſi urgente nos obedientia) qui cupimus vera frui libertate, quoaduſque cor virtutum profectu confirmatum, inter mortuos liberum eſſe, hoc eſt, inter ipſa negotia ſe in officio continere, ac divinæ contemplationi aptum perſeverare poſſit, eniti debemus, ut velut in agone contendentes, omnia prorſus abiiciamus, quæ partem ullam cordis ſibi vendicant: ut intellectus Deo ſoli totus intentus divina claritate perfundatur.

C

Caecitas aegritudo intellectus.

Gratia ſanati.) Opus nimirum eſt, ut intellectus, qui ex elatione primi parentis contagioſa cæcitate ægrotat, divinæ ſapientiæ lumine perſanetur. Ægritudo, morbuſve intellectus eſt cæcitas, vel ignoratio, ſanitas eſt ſapientia. Quæ cum ſit unum è ſeptem Spiritus Sancti donis (ut aſſertum eſt,) & divinam gratiam ſemper comitetur, fit inde, ut excepto eventu illo ſuperius deſcripto, ſi de modo conſueto ſermo fiat, ii tantum, quos miſericors Deus ad gratiæ ſtatum evehit, illa potiantur; ejuſque privatione, omnes in peccato lethali jacentes, inſipientes ſint, patris ſui Adæ hæreditate: qui cum in hujus divinæ Sapientiæ honore eſſet, non intellexit, & jumentis inſipientibus comparatus eſt; tametſi non ob peccatum ſcientias alias infuſas amiſerit. Fuit quippe, etiam poſtquam peccavit, Philoſophus, ac Theologus: at Theologus inſipiens, dono videlicet habituque ſapientiæ expoliatus, quales profecto minimè paucos Theologos paſſim licet invenire, quia mundus non cognovit in ſapientia Deum. Hac ergo ſapientiæ ſanitate perfectè valens intellectus, nobiliſſimè afficitur ad promendam quandam ſedatam, candidam, ſubtilemque notitiam, qua divina percipit ſine ullis ambagibus, vel diſcurſibus, ſed puris tantùm, & tranquillis obtutibus; qui non ſemper à phantaſmate, ratione, ſive ratiocinatione dependent, ſolaque ſimpliciſſima, & limpidiſſima operatione ab intellectu dimanant. Ut autem intellectus deſcripta ſanitate polleat, magnopere confert ardor voluntatis, quam intellectui contiguam, ſapientia ipſa, ſplendore ſuo illuſtrat, ſapore divino imbuit, ac incendit. Ideo enim inviſibilis miſſio Filii fit per hoc ſapientiæ donum, quod cum ipſo Dei Filio miram ſimilitudinem gerit: ut quemadmodum ille eſt Dei Verbum, non qualecunque, ſed Verbum ſpirans amorem; ita ſapientia ſit non quævis Dei notitia, ſed quæ amoris producat affectum. Ex quo fit, ut ſimul dum intellectus divina contemplatur, voluntas eorundem amore flagret; & utraque potentia ſuaviſſimo agone concertet, dum voluntas permovet intellectum, & intellectus urget voluntatem. Ubi patet contemplationem ſanctorum includere voluntatis erga Deum bene affectæ actum, alias enim modicam laudem mereretur. Celandum verò non eſt in hoc loco, ſub hac, quam tetigimus, ſanitate omnem propemodum immunitatem à culpa nos velle complecti. Non enim tam ſublimi dignitate potiri poterunt intellectus & voluntas, ſi culpæ contagione inquinentur. Non culpæ tantùm lethalis, verùm & venialis, quæ cor ab ejuſmodi ſtatu longè divertit. Certè quemadmodum limpidiſſimam ſtagni quieſcentis aquam minimus lapillus injectus obturbat, ne ſpectantis, niſi interciſam, & nutantem reddat effigiem, quam prius exactè repræſentabat; ſic ſane leviores culpæ animam, ne imago Dei intus depicta reddatur. Quod non ita enuntiamus, ac ſi qui dono contemplationis frequenter ditantur, veniales culpas nunquam incurrant. Incurrunt enim, ſed rariùs, quam alii, & non adeo ſponte. Quin etiam ſtudioſiſſimè illarum occaſiones præcavent; & cum ex fragilitate delinquunt, ſe quantocyus expurgant, ut in cordis ſerenitate Deum repræſentent, ejuſque divinas ſimilitudines, velut in aqua puriſſima lucentes intueri mereantur. Et in hunc modum, qui contemplationem affectat, culpas vitare, ac præcavere debet.

D

Adam cur Theologus inſipiens dictus?

E

Inviſibilis miſſio Filii notata.

F

Comparatio.

G

H

Hujuſmodi præceptio fortaſſe diſſolvet dubium, inter ſcribendum obortum. Mirum quippe valde videtur, qui fiat, ut quando univerſi divinæ gratiæ conſortes donis Spiritus Sancti, ac proinde ſapientiæ habitu ornantur, vix è multis millibus unus evadat contemplator?

Au-

---

(1) MS. Et lumen propheticum, et cætera dona ec.

Scrip. An. circ. 1607.

Augeturque admirationis ratio, expenſa ratione habitus Scholarum more. Confert enim habitus potentiæ, in qua reponitur, quandam agilitatem, ac expeditionem, ut actus facile, ſuaviterque producat; & quidem, quò habitus nobilior, præſertim ſi ſecum trahat affectum, eo certè majorem A generat expeditionem. Cum ergo ſapientia hujuſmodi ſit, & univerſos juſtos afficiat, quomodo tam pauci contemplatores evadunt? Profectò mirum eſt hoc. Fortaſſe tamen una è potiſſimis hujus rei cauſis eſt ea, quam cœpimus inſinuare: ſcilicet, non ſerio vitare leviores culpas, & perennem cordis alere puritatem, ſi enim hæc exquireretur, in cordibus puris facilè divina (1) cerneretur imago. Sed verba reliqua ponderemus.

Cordis puritas ad contemplationem requiſita.

In æterna ſpectacula directi.) Intellectus nimirum contemplans in æterna ſpectacula dirigi debet: in Deum ſcilicet, qua ratione æterna veritas, & bonitas eſt: Veritatem intellectus, bonitatem voluntas inſequitur, & ipſe Deus intellectui contemplanti obiicitur, ut verum quoddam, non quodcunque, B ſed verum excitans dilectionem, ingerenſque ſaporem, adeo ut (quod ante indicavimus) actus ſapientiæ, qui eſt contemplatio, non ſit qnævis cognitio Dei, ſed cognitio genitrix dilectionis, cum quodam experimento divinæ ſuavitatis, quam delibat affectus. Sed in definitione demum ſic habetur.

Contemplatio, actus ſapientiae.

Admiratione ſuſpenſi.) Non eſt enim propria contemplatio, niſi ſuſpendatur intellectus, & coram auguſtiſſimis ſpectaculis ob ſtupeſcat. Oritur autem ſuſpenſio hæc ex rerum magnitudine, ac novitate ſuper omnem anteactam cognitionem, vel notitiam. Contuens enim intellectus tam eximia bona, miratur; & ex admiratione augetur attentio; ex attentione fit cognitio clarior, & jucun- C dior, unde oritur ſuſpenſio: quæ in mortali corpore nequit eſſe diuturna, nec longa; eo quod anima carnis pondere deprimitur, & ad ſenſuum functiones ſæpe relabitur. In hunc ergo modum definitionis explanationi (licet exiliter) ſatisfacere conati ſumus.

Suſpenſio, admirationis effectus.

Cognitio igitur quævis, quæ ad prædictæ definitionis non pertinet ſublimitatem, divinæ contemplationis nomine celebranda non eſt. Intra proprietatem verò eam diſtinctio graduum ineſt juxta luminis, affectuſque modum, dignatione clementiſſimi Dei, unicuique donatum: & voluntas in gradu perfectiſſimo contemplationis ſupra intellectum erecta Deo in ſapientiæ guſtu avidiſſimè adhæret, ut in proximo Capite liquebit.

D

CAPUT IV.

De guſtu divinæ Sapientiæ, ſive de guſtu contemplationis.

MEminiſſe opus eſt, quod de nobiliſſimo charitatis habitu, qui voluntatem ſupra intellectum erigit, ſuperius tradidimus. Nam in ea erectione, vel ſummitate voluntatis affectus charitatis procedit ultra intellectum; ac Deum, cui voluntas adhæret, guſtu quàm dulciſſimo percipit in gradu quodam ſublimi, ad quem non pertigerat intellectus. Quod certe vel exemplo uno vulgatiſſimo ſic explanatur. Evenire quippe crebro ſolet, ut conditi cibi nidore, ſenſu per- E cepto, quis judicet ſapidum eſſe cibum, ac proinde acceptum avidius edat; ubi plerunque majorem, quàm cogitaverat, ſaporem, & gulæ irritamentum offendit. Quapropter ſaporis experimento convictus intellectus, propriorem, perfectioremque illius cibi notitiam parit. Ordinis tamen ratio habenda eſt: guſtus enim præcurrit notitiam perfectiorem, licet imperfectam ſubſequatur. In hunc ergo modum intellectus divino etiam lumine perfuſus Dei bonitatem, pulchritudinemque cognoſcit; modicè tamen: at voluntas charitate erecta Deum, dum hæret ei, guſtatu percipit, attingit, & amplectitur, illoque experimento Dei pulchritudinem, ac ſuavitatem majorem certè perſentit, quam intellectus ante didicerat. Qui propterea gu- F ſtu voluntatis effectus perſpicacior notitiam Dei concipit multò quàm ante clariorem. Ubi perſpicimus, intellectum à voluntate juvari, ut perfectiorem, quam prius neſciebat, Dei cognitionem acquirat. Tunc intellectus eruditior, & ſerenior divina perfectiſſimè contemplatur, quantùm licet inter extorres. Tunc ex unione voluntatis Deo cupidiſſimè adhærentis, ineffabilis, & multiplex voluptas hauritur, quæ omnem ſenſum & omnem ſuperat eloquentiam, quam ſolus novit, qui accipit, quique eo evectus eſt, ut per unionem arcanam unus ſpiritus cum Deo fiat, quo nihil fœlicius poteſt evenire.

Verùm nequit exactè cognoſci, qua ratione contemplatio exerceatur ab intellectu ex G affectu voluntatis, & qua ratione voluntas ſupergrediatur intellectum, niſi tradatur diviſio partium animæ à Theologis myſticis uſurpari ſolita, quæ ſic ſe habet.

Tres vires in anima.

Tres in anima vires cognitioni ſervientes diſtingui poſſunt, triplexque ad proportionem eis reſpondet appetitus. Prima vis ſenſitiva appellatur, quæ ſenſus omnes tum exteriores, tum interiores amplectitur; & cognitionem per hos ſenſus hauſtam ſeqnitur appetitus ex iraſcribili, concupiſcibilique compoſitus. Secunda vis, & media inter animæ vires, vocatur rationalis, quæ eſt ipſe intellectus, prout notitiam ex notitia deducit, ſive deducat ex iis, quæ ab inferioribus rebus abſtraxit, ſive ex iis, quæ ſuperno lumine infuſo concepit: licet ibi diſcri- H mine opus ſit. In prima enim deductione, portio rationis inferior, in ſecunda, rationis portio ſuperior appellatur, quæ per æterna de rebus aliis fert judicium, ſuoſque actus emetitur. Huic ergo virtuti rationali reſpondet pariter rationalis appetitus, quæ eſt ipſa voluntas, qua ratione ab inferiore, vel

---

(1) *Ms.* Divinitatis.

Scrip. An. circ. 1607.

vel ſuperiore rationis portione movetur. Et hæc animæ pars intellectu, voluntateque conſtans, nuncupatur cœlum medium, ut à deſcripta infima animæ vi, ſeu parte, velut à primo cœlo, & à ſuprema mox deſcribenda, quaſi à tertio cœlo dirimatur.

Intellectus intelligentia dictus.

Tertia denique, & ſuprema animæ vis Intelligentia nuncupatur: quæ eſt ipſe intellectus, A qua ratione lumen à Deo proximè recipit, & vel prima principia, conceptis duntaxat terminis, vi naturali, vel occulta divinæ Sapientiæ immiſſo lumine ſupernaturali, ſive diſcurſu cognoſcit. Hanc Myſtici Theologi vocant mentem, umbram intellectus Angelici, tertium, ſive ſupremum cœlum animæ, ſcintillam, vel apicem rationis, quam nonnulli, velut potentiam ab intellectu diſtinctam, ſummopere extollunt. At certè hoc hyperbolicè dictum ferri poteſt, propriè verò minimè. Ut enim rationes prætereamus, quibus evincitur, eam diſtinctionem minimè neceſſariam eſſe; cum intellectui aptiſſimè tribui poſſit, quicquid ab iis auctoribus adſcribitur intelligentiæ, una Doctoris Angelici nunc ſat erit auctoritas, (q. 79. ar. 10. ad 8.) B qui litem hanc Prima Parte diremit, ajens: Intelligentiam non eſſe diſtinctam potentiam, ſed propriè ſignificare actum intellectus, qui eſt intelligere: ſimiliterque de ratione, & mente, ac intellectu protulit, unam dumtaxat eſſe potentiam. Nec obiici ſanè fas eſt, eum Patrem ſcholaſticum tantummodo fuiſſe, fuit enim eximius etiam Theologus Myſticus, & frequens contemplatio, ac experimentum Dei probè illum docuerat, quid ſibi vellet intelligentia. Jam ergo intellectui, per intelligentiam ſe exerenti, obſervata proportione, reſpondet affectus, hoc eſt, ipſa voluntas, prout quandam naturalem propenſionem ad bonum ſimplicis intelligentiæ, conceptu ſibi præſentatum, à Deo proximè ſuſcepit. Cui indita fuere nomina C iis, quæ paulo ante recenſuimus, perſimilia (videlicet apex mentis, inſtinctus indelebilis, ſupremum cœlum affectus, ſtimulus naturalis ad bonum, virtus amatrix ſuperior, ſcintilla intelligentiæ, portio virginalis animæ) quæ quidem nomina ob ea paradoxa, quæ ibi geruntur, à Theologis Myſticis excogitata videntur. Hanc igitur voluntatem, ſeu affectum nonnulli aſſeverant, potentiam eſſe quandam intellectu, ac voluntate altiorem; quam [ut illi ajunt] omnes propemodum ignorant, præter eos, qui à Spiritu Sancto ibi tanguntur. In hac enim amor ecſtaticus, vel mentis exceſſus fit, quem non bene capit, qui non experitur.

Sed profectò non ſubeſt ulla neceſſitas, novam, & altiorem hanc potentiam aſſerendi, D quemadmodum de intelligentia dictum eſt: ſed hæc erectio voluntatis, intellectum ſupergredientis, ac Deo magis propinquantis, in excelſiorem divinæ charitatis habitum (quod è ſuperioribus patet) refundi debet. Exceſſus enim ille charitatis Deo hærentis in cauſa eſt, ut portio ſuperior voluntatis, in qua viget, quæque portioni ſuperiori rationis reſpondet, tantopere ſe attollat; ut non ipſa voluntas, ſed potentia alia voluntate altior appareat. At re vera eſt ipſa ſummitas voluntatis ignitæ, quæ flammeſcit igne duplici, ſapientiæ ſcilicet, & charitatis; & perfectius Deum adhæſione, vel guſtatu percipit, quam notitiæ actu intellectus agnoſcat; ſed enim ex ea planè E divina Dei perceptione, quæ voluntatis eſt, illuſtriſſima quædam lux, qua intellectus poſſit, excelſiùs quam antè, divina contemplari, diſſultat. Verùm ſecretiùs quiddam in hoc apice affectus, ſive in hac ſumma voluntate geritur, propter quod merito anteponitur intelligentiæ, ut capite proximo patebit.

CAPUT V.

De tactu Spiritus Sancti voluntatis ſummitatem, vel (quod idem eſt) ſupremum affectus apicem tangentis.

Amor ecſtaticus Theologiae myſticae pars.

AMor ecſtaticus in ſummitate, quam tetigimus, voluntatis efferveſcit. Et per eam, quaſi per linguam quandam, Dei ſapor elicitur, F atque percipitur, quæ eſt ſecretiſſima Theologiæ myſticæ pars, per quam, velut per tubulum fontis, in intellectum clariſſima Dei notitia corrivatur. Et hujus rei cognitio omnium, quæ in hac doctrina traduntur, nobiliſſima eſt. Quapropter attentiùs eam exploremus.

Principio ponendum eſt, contemplationem bifariam obtineri, ac in amorem, juxta bifariam perveniri.

Primus, quo contemplatio paritur, modus appellatur ſcholaſticus, eo quod ſcholarum more meditando, & inquirendo à perfectionibus creaturarum ad contemplationem divinarum perfectionum aſſurgit; qui diligentibus æterna familiariſſimus eſt. Quiquid G enim aſpiciunt, ad divina traducunt, ut cum ſolis lucem intuentur, ex qua divinæ lucis claritatem, ac pulchritudinem deducentes, interdum uſque ad contemplationem è meditatione ſublevantur. Et idem de aliarum creaturarum perfectionibus. Omnibus enim iis, quaſi gradibus ad Deum utuntur, & ſic aſcenſiones in corde diſponunt. Per quas niſi quis aſcendere aſſueſcat, incaſſum contemplationem cœlitus immittendam præſtolatur: quemadmodum, qui ad pœnitudinem concipiendam via conſueta non ſe comparat; fruſtrà divinæ gratiæ donum adeo gratis conferendum expectat.

Alter contemplationis modus fit per deſcenſum, modo ſcilicet myſtico, quando nimirum ſuperno lumine illuſtratur intellectus H portio ſuperior; unde certiùs quam primo modo de inferioribus novit ferre judicium. Uterque autem modus affectum excitat, alias enim parum prodeſſet. Obſervata ergo proportione bifariam generatur amor; ſcholaſticè nempe, ut cum ex inſpecta creaturarum pulchritudine cor divinam affectat, & myſticè, ut cum per lumen infuſum, di-

Scrip. An. circ. 1607.

vina bonitate intellectu percepta, in ejus amplexum voluntas exultat. Et hic duplex amor duplicis illius contemplationis eſt ſcopus, in quem ſuo fertur ingenio.

Contemplationis effectus.

At enim in utroque amore hoc generationis ordinem facilè deprehendimus. Semper enim, ut is ferveat, præit contemplatio, qua intellectus clareſcit, & mox urget voluntatem, nec in hoc mirum quippiam accidit, in quo ſit opus immorari. A Sed ulteriùs aſcendamus, affectus apicem exploraturi.

Et primùm animadvertendum eſt, præter duos illos contemplationis, & amoris producendi modos, alium in Deum aſſurgendi modum à facilitate, ac nobilitate ſummopere commendatum à Theologis Myſticis tradi, quem ſapientiam unitivam appellant: conſiſtitque in motibus anagogicis, ſive aſpirationibus, quibus cor enititur ad Deum aſſurgere, ac illi avidiſſimè adhærere. Quibus in motibus, ſive aſpitationibus intellectus ab opere quaſi deſiſtit; & conatus prope omnis in unam voluntatem incumbit, quæ in Deum ſeipſam erigit, ac iteratis quatit impulſibus. B Hac vero exercitatione incaleſcit miro modo voluntas, & brevi majora lucra conquirit, quàm ſi modis aliis ſe prolixiùs exerceret. Quod certè pronuntiatum quam maximi ponderis eſt, ne quis incautus, aut nimis feſtinus aberret, ita debet accipi, ut poſtquam quis purgatrice, ac illuminatrice via ſe aliquandiu exercuit, tunc intellectum alias ſatis inſtructum requieſcere ſinens, voluntatem ſurſum impellat, ut ea frequentiſſimis deſideriis inflammata Deo tota, velut arens terra dehiſcat. Hoc enim ſtudio quam citiſſimè cor erigitur, & optatiſſimo amplexu Deo ſociatur (1): quod exemplo ſubjecto planius fiet. Sunt nonnullæ religioſiùs inſtitutæ Cœnobitarum congregationes, ubi ſtatis horis Monachi C orationi mentali, quam vocant, quotidie vacant, & opportunis meditationibus, juxta Cœnobiticam diſciplinam, de vitiis extirpandis, parandiſque virtutibus attentiùs cogitant, & ad opus voluntatem incendunt. Quo ex loco armati prodeuntes, actus permultos, tum ex ipſa clauſtri diſciplina paſſim injunctos, tum ex profectus deſiderio ultro excogitatos, & ſuſceptos, in dies obire conſueſcunt.

Status purgationis, qualis?

Ac proinde ipſe, quem profitentur, ſtatus eos purgat, & purgando illuminat, hoc eſt, vitia convellit, edomatque paſſiones, ac virtutes acquirit. Unde qui per aliquot annos illis operibus intenti in eo gymnaſio perſtitere: omni dubio procul, ex frequenti lectione, concionibus, exortationibus, D privatis inſtructionibus, exemplis, perenni Dei præſentia, quam impreſſa cordi ſemper animo verſant, & potiſſimum ex quotidianis, & ſtatis orationis horis, ubi attentiùs agunt, idoneam quandam divinorum notitiam comparatunt, qua voluntas aliquantùm emollita, & erga Deum benè affecta eſt. Quapropter ſine novis conatibus, & cogitationis excurſibus, quoties de divinis cogitare volunt, mox eis ſuccurrit ea notitia, quam meditationibus anteactis pepererunt; nec egent labore novo ad voluntatem afficiendam, aut certè, ſi labore intellectus egent, is exiguus eſt, exemploque liquebit. E

Profectò enim, ſi quis multis meditationibus Dei pulchritudinem mente pertractavit; quandam illius imaginem, licèt imperfectam, ultra omnem creatam venuſtatem mente concepit, atque ſervavit. Quam, quoties animo repetere voluerit, ibi quaſi tabulam in officina pictoris aſſervatam offendit, eaque, quoties libet, utitur ad voluntatem, demulcendam. Quod ſi non ita ad vivum ab intellectu illa redditur imago, quòd diu intermiſſa, & velut pulvere obſita ſit (ut in allata ſimilitudine tabulæ plerumque uſu venit) labor certè modicus exigitur ad pulverem difflandum, & imaginem detergendam.

Comparatio.

F Tunc igitur, qui intellectu ſic illuminato pollet, debet illum leviter refricare, & voluntatem ardentiùs urgere, frequentiſſimiſque aſpirationibus, ac deſideriis cor ad Deum erigere. Hoc enim exercitio citius experimento res divinas addiſcet, & igne divino conflagrabit, quàm ſi de divinis diu attentiſſimè cogitaret. De quo inferiùs ſermo redibit, cùm ex hoc præſertim documento progreſſus omnis pendere videatur.

In quo certè apertè diſpicimus, quomodo voluntas intellectum ſupergrediatur; dum intellectus nihil propemodum agit præter unam, ſatis ſimplicem, divinorum repræſentationem, ex parta prius notitia ſuccurrentem; voluntas verò in bonum, pulchrumve ipſum vehementer effertur, cupideque complectitur, & ſubtili ſapore majus G quiddam percipit, quàm didicerit intellectus. Poſſe enim Deum ipſum, nedum alia bona ampliùs, impenſiuſque amari, quàm cognoſci S. Thomas diſertè fatetur. *p.* 2. *q.* 2. *art.* 2.

At hìc ſummoperè annotandum eſt, quod à nonnullis Theologis Myſticis traditur, fortaſſe non tam digeſtum, ac expediret, cum ajunt, his motibus anagogicis, vel aſpirationibus, omni cogitatione, meditatione, vel alio intellectus actu prætermiſſo, voluntatem, quoties libet, ad unionem divinam ſe erigere, ac mirificè præcurrere intellectum. Annotandum (inquam) aſſertionem hanc non ita indigeſtè accipiendam; ſive enim expendatur ſcholaſticus in amorem aſſurgendi modus, ſive myſticus, ſive H hic anagogicus, quos hucuſque deſcripſimus, omnino verum videtur; ſemper aliquem, ſaltem ſimplicem, intellectus conceptum præire, antequam voluntas illis motibus amoris incaleſcat, & ſapientiæ unitivæ ne-

Animadverſio.

xu

---

(1) *Ms.* Et optatiſſimo complexu Deo conciliatur.

Exemplum.

A

xu Deo advinciatur; tametſi neceſſarium non ſit, cogitationem, meditationemve præire. Quod nulla ratione efficaciùs revinci poſſe videtur, quàm hiſtoria illa de familiariſſimo Fratris Ægidii ex comitibus S. Franciſci raptu. Mox enim, ac Dei, vel cæli nomen audiebat, citiſſimo, quaſi pennatæ voluntatis motu, in Deum extra ſe tollebatur. Ubi manifeſtè cernimus, neceſſe fuiſſe, ut ſub nomine Dei, vel cœli, quod adiebat, ſimplici ſaltem conceptu, Deum, cœlumve intelligeret. Erat autem ſimplex ejuſmodi conceptus ob anteactas Dei, cœlique meditationes, & contemplationes tam fœcundus, & efficax ad voluntatem impellendam, ut voluntas meditatione, vel ratione ulla tunc minimè indigeret; ſed tempus antevertens in ſatis ſibi nota bona quantocyus proſiliret.

Agilitas voluntatis contemplationis effectus

B

Ad hunc ergo modum Theologorum Myſticorum doctrina libranda eſt; ut nimirum, qui via Purgatrice, ac Illuminatrice profecerunt; & iis viis affectum excitare perquàm ſedulò didicerunt, ad tantam interdum voluntatis agilitatem pertingant; ut ſimplici dumtaxat rerum divinarum conceptione præmiſſa, ſtatim, ſine alio intellectus actu ferantur in Deum. Sed ut ad fœlicem hujuſmodi agilitatem voluntas attollatur, & ut (quod jam ſubiicimus) donum tangentis Dei detur experiri, in calce Operis tradetur methodus præſtandi, quod in nobis eſt, ut Clementiſſimus Deus noſtros adjuvet, perficiatque conatus.

C

Tribus igitur præfixis contemplationis, & amoris divini parandi modis, supereſt ille nobiliſſimus & facilè ſupremus Dei tactus, de quo Caput hoc inſcriptum eſt; qui ſupra modos alios voluntatem commovet, atque perurit, & qui præ cæteris arcanus eſt. (1)

Arcanus Dei tactus, qualis?

Fit autem arcanus hic tactus, ut nonnullis Scriptoribus videtur, cùm ſine ullo intellectus actu comite, vel prævio, Spiritus Sanctus ſui amoris igne tangit, & inflammat ſupremum affectus apicem, hoc eſt (juxta doctrinam traditam) ipſam voluntatis ſummitatem, vel portionem ſuperiori intellectus portioni reſpondentem. Nos verò in ea ſumus ſententia, quæ aſſerit, eum tactum ſine aliquo intellectus actu fieri non poſſe, (2) cum S. Auguſtinus, & S. Thomas cenſeant, nihil incognitum, hoc eſt, ſine cognitione, amari poſſe. Quando autem voluntas ſic tangitur, divina patitur, hoc eſt, divino modo aſſicitur. Ex eo quippe tactu motus, ſive impulſus quidam imprimi videtur ei, ut in Deum, velut in centrum ſuum feratur, qualis ex magnetis tactu ſtylis ferreis imprimitur, quo ſemper in mundi polum, verticemve cientur. Et hæc ſecretiſſima totius Myſticæ Theologiæ pars eſt. (3)

10. *de Trinit.* *et S. Thom.* 1. 2. *q.* 27. *art.* 2.

D

Secreta Myſticae Theolog. pars, quae?

---

[1] *MS. Addit* Quæ non tam noſtra, quam aliorum Scriptorum opinione, quaſi probabilem deſcribemus.

[2] *MS. Quae ſequuntur uſque ad* Quando autem *in MS.* Rom. *deſunt.*

[3] *MS.* Rom. *addit*, proptereaque accurate perpendenda. *Deinde digreſſio iſthaec ſequebatur, quae forte ob tempora illa periculoſiſſima, & adhuc ſerpentibus Michaelis de Molinos erroribus nimis multum infecta, prudenti oeconomia in prioribus editionibus omiſſa eſt; nunc autem placet heic eam adnectere, quod aetate hac noſtra malae interpretationis nullum ne inſipientibus quidem, periculum imminere credamus, tum vero Animarum ductoribus non modicae lucis eſſe poſſit. Sic autem ſe habet.* Proptereaque accurate perpendenda. Et primum quidem Spiritui Sancto tribuitur hic tactus, quod in voluntate, cujus eſt amare, et ex amore, quo Deus animam proſequitur, et ad reciprocum amorem excitandum efficiatur, ac exultet in ſummo ſpiritus faſtigio, ſive voluntatis ſummitate, cui ex accommodatione quadam, propinquior eſſe videtur Spiritus Sanctus, quàm Pater, aut Filius. Cum enim Spiritus Sanctus ſit amor, ex ipſa ratione ſuæ divinæ proceſſionis propinquior nobis eſſe videtur, quia amoris eſt, amantem extra ſe agere, ac rebus dilectis conciliare. Quod etiam et amori divino, omni ſecluſa imperfectione congruit. Et hæc videtur ecſtaſis illa, quam Deo antiquiſſimi Theologi tribuerunt. Spiritus ergo Sanctus, cum myſticè nobis propinquior eſſe dicatur, illam animæ partem cum illabitur, primum videtur attingere, quæ in nobis ſuprema, et amori concipiendo deſtinata eſt, qualis in peregrinatione ſaltem hac illa, quæ deſcripſimus voluntatis ſummitas, vel affectus aperte ob habitum charitatis ibi repoſitum, et erectum eſſe videtur. Quin etiam et de cœleſti patria, probabili conjectura, idem quis poſſet opinari. Nam et ad hujus doctrinæ proportionem, a nonnullis deducitur ordo inter duos ſupremæ Hierarchiæ ordines. Ideo enim Seraphim ſumma tenent, quòd in eo affectus apice cæteris ſpiritibus præſtant, Deuſque illis, ac illi Deo, ob eam cauſam fiant propinquiores. Unde à ſuprema illa ſui affectus excellentia nomen Seraphim, vel ardoris adepti ſunt. Etſi enim parem notitiam adepti ſint; ex modo tamen intrinſeco voluntatis, et amoris in ea vigentis, ſive cum aſcendimus ultimum, quod Spiritui Sancto propinquat, ſive cum deſcendimus, primum, quod Spiritus Divinus afficit, et tangit, poſt illum ineffabilem illapſum, quo eſſentiam animæ permeat, ſummitas voluntatis eſſe videtur. Quod intelligi debet, cum Spiritus Divinus illapſu, et tactu ſuo, animam ſibi jam ante deſponſam, ad ſuam unionem, myſtico modo, ſine ullo intellectus actu rapit, & allicit. Nam cum quis modo conſueto è peccato ad gratiam, vel à minore ad majus charitatis augumentum promovetur, cum primùm vocatur ad fidem, Spiritus Sanctus luce ſua prius ſolet intellectum illuſtrare, & mox affectum urgere.

Verum aſſertio hæc gravis admodum ſapientibus minime paucis viſa eſt; nec plane miramur. Vix enim capitur, quo pacto voluntas a Deo tangi queat, ſine ullo actu intellectus, ita ut ad ipſum Deum tam ineffabili modo trahatur, cum ipſæ naturæ Conditor intellectum, & voluntatem adeo connexuerit, ut niſi intellectus præferat lumen, voluntas quaſi cæca, nequeat ſe loco movere. Quin et ſupra naturam, ſi virtutes in iis potentiis repoſitas, et actus inde ortos exploremus, ordo hic ſemper conſtare videtur, ut ab appetitu etiam intellectuali, nullus actus exultet, ſine prævia cognitione, qua repræſentetur objectum. Qua ergo arte fieri poteſt, ut aliter voluntas operetur?

At ii, qui rem experimento didiciſſe creduntur, aſſeverant, voluntatem a Deo proxime tangi, et affici, ut aſſertum eſt: Quando videlicet dulciſſimus Deus, ex immenſa dignatione ſua porrigit manum, et digito, hoc eſt Spiritu ſuo tangit voluntatem, ſive voluntati blanditur. Quod licet eam doctrinam, quæ in ſcholis traditur, ſuperet, minime tamen ei reluctatur. Nec quia res non facilè capitur, ideo ſtatim rejicienda, ſed inſigni potius veneratione, judicio ſuſpenſo colenda, utpote ſapientia cœleſtis, cujus magiſterium ſibi dumtaxat, Clementiſſimus Deus reſervavit, et illa Paulum mirificè inſtruxit. Quam à tanto Præceptore hauſtam S. Dionyſius Areopagita conſcripſit, ac ſub initium libri, Timotheum graviſſime monuit, ut eam religioſè celaret. Prævidit quippe non a multis tam divinæ ſapientiæ ſenſum, percipiendum, et ab

Scrip. An. circ.1607.

Poſtquam ergo Spiritus Sancti tactu bene affecta, multiſque impulſibus inſequuta, & amplexata Deum voluntas, divina patitur, & guſtu intimo Dei bonitatem, ac pulchritudinem percipit, affulget intellectui, qui inferius remanſerat, clariſſima, & veriſſima Dei cognitio, multo certè nobilior, quam per alias doctrinas univerſas; & ingenium fit maximè perſpicax. Quin verò non ſolum anima verum & ſenſus, & corpus mirificè perficiuntur. Quantò enim affectus ille viget magis, tantò etiam magis corruptio carnis diminuitur. (1)

A

Controverſae quaeſtionis deciſio.

Jam autem ex dictis patere poteſt deciſio illius tam controverſæ quæſtionis; an ſcilicet contingat, voluntatem progredi ultra intellectum? Contingit quippe: licet enim (2) præeat actus intellectus, voluntas tamen intellectum guſtu tranſilit, ut in ſuperius allata cibi ſimilitudine, & S Thomæ auctoritate patuit. Quod apertè cernitur in hoc arcano tactu Spiritus Sancti, qui tranſcendit omnem notitiam, & luce perfundit intellectum. At quia (ut dicere cœpimus) tactus hic (3) myſticæ Theologiæ pars penitiſſima eſt, ad eum, pro captu noſtro, explanandum multa ſcitu jucundiſſima, quæ Clementiſſimus Deus indulgere ſolet animæ illum ſitienti, antequam ad eam celſitudinem evehatur, præmittenda ſunt.

B

CAPUT VI.

De multiplici raptu, qui tactum Spiritus Sancti præcurrit.

C

Clementiſſimus Deus antequam myſtico tactu ad ſupremam unionem animam rapiat, multiplici raptu non ita excelſo, ad unionem multiplicem ſolet illam efferre. Quapropter ut ad premonſtratum Spiritus divini tactum veneratione dignum aſcendamus; & illius ſublimitatem quandamtenus contemplari poſſimus; raptus alios inferiores recenſere, ac explorare opportunum exiſtimamus. Et primum quidem ſtatuendum eſt, interni hujus cum Deo commercii partes ita eſſe mutuò conſertas, ut in uniuſcujuſlibet tradenda doctrina neceſſe ſit, omnium fere aliarum doctrinam admiſcere. Cum enim Deus ad ſe rapit animam; ad eum certè finem illam trahit, ut arcana unione illi ſocietur. Ex unione verò divina voluptas exoritur, & caſtiſſimo ſenſu percipitur; ac denique in ea Dei conſuetudine occulta divinæ ſapientiæ contemplanti animæ revelantur. Quamobrem ſimul de raptibus, unione, guſtibuſque agemus. Revelationes verò, viſiones, & alloquia divina ſeorſum (quia faciliùs unum in locum congeri poſſunt) à nobis tradentur.

Cur Deus animam rapiat ad ſe?

D

Ra-

---

et ab iis, quos vocat imperitos, temere improbandum. Proptereaque tutius, et ſalubrius cenſuit, non multis eam propalari.

Verùm, poſt illam ætatem, in Eccleſiæ militantis cœlo, multi quaſi ſtellæ ſplenduerunt, qui prædictum Spiritus ſancti tactum probant, et commendant, et ratio ipſa eis ſuffragari videtur. Cur enim ipſe auctor gratiæ, qui quavis creatura, multis certè modis, quos ne cogitando quidem, aſſequi valemus, ad opera innumera, uti poteſt (quod paſſim Theologi Scholaſtici fatentur) non poſſit una hominis mente, è nobilioribus creaturis una, uti altiore aliquo modo, quo vulgo non uti conſuevit? Cur ergo non poſſit porrecta quaſi manu, voluntatem blandè contrectare, et ſuaviſſimè afficere, ut ea inde optimè ſe habeat, et ſanior, ac vegetior effecta, in Deum avidè feratur, cujus digitum ſenſit, tametſi non vidit? Cum enim vigeat ibi naturalis ad Deum propenſio, & ex infuſo charitatis habitu ſupernaturalis affectio, cur accedente Dei tactu, quo juxta ſupernaturalem charitatis propenſionem voluntas trahitur, non optimè affici credatur, licet intellectus nullum actum produxerit?

Quod ſi Auctores, (quia non ſunt uſque adeo multi nec ab Scholaſticis magni fiunt) dicantur rem non perſuadere auctoritate; præterquamquod res in occulto geritur, ubi teſtes non ſunt, nec niſi dono ſingulari cuiquam accidit: ſaltem ob Scholaſticorum Theologorum pronuntiata, viris peritis non debet videri improbabilis aſſertio. Conſtat enim, aliquos Doctores Scholaſticos cenſuiſſe, Deum poſſe prius movere voluntatem, quam intellectum, quod juxta illorum ſententiam, non ſit intrinſecè neceſſarium, et ut aiunt, de eſſentia objecti voluntatis, ut ſit prius cognitum ab intellectu, licet ſit conditio requiſita, juxta modum intelligendi conſuetum. Poteſt quippe Deus ipſum offerre voluntati, tanquam objectum non cognitum, ſed alia ratione perceptibile quaſi dicamus guſtabile, erga quod voluntas poſſit actum producere.

Et quidem præter Auctores, qui ita cenſuerunt, nos verbotenus rem contulimus cum Theologis peritiſſimis, qui & prælectionibus, et libris editis clarent, qui hanc ſententiam ſatis probarunt.

Ex hoc igitur Dei tactu divinitus affecta voluntas tota flammeſcit, et validior in Deum aſſurgit. Ubi multis, ac vehementiſſimis impulſis, ad Divinam tangentis Dei unionem aſpirat.

In qua ſane aſpiratione, et aſcenſu ſummopere cavendum eſt, ne intellectus de re ulla cogitet. Non enim ſolum non proficeret, ſed nimis officeret, et affectum aſſurgentem infœliciter deprimeret. Quemadmodum enim poſtea trademus, ibi intellectus debet a ſpeculatione coerceri, ne quaſi ſcrutator majeſtatis, opprimatur a gloria, et nihil affectans, præter id quod ei a Deo permittitur, debet conquieſcere. Quod ſi non quieſcat, debet conſultò ſiſti. Non enim eſſet perfectus ille voluntatis aſcenſus, niſi oculus intellectus obturaretur, et more Seraphico facies velaretur. Nec mirum videri debet, non dari purum illum aſcenſum, niſi intellectu obturato. Sic enim placuit Deo in nebula habitanti ſentiri, nec videri. Quod quemadmodum fiat, inferius oſtendetur. Poſſet ſanè intellectus a Deo ad illud ſpectaculum admitti, ſed non ſe debet intrudere. Quod verò interdum admittatur, certius nobis videtur. Vix enim aliter Myſticam Theologiam, qui divina paſſi ſunt, ſcripto tradere potuiſſent, niſi myſticum aſcenſum hunc intellectus quandoque fuiſſet contemplatus. Et quidem cum, Dei conceſſu, quæ in voluntate geruntur ſpectare permittitur, aſcenſui puro, et quantumvis myſtico minimè officit.

[1] *MS.* Enervatur.

[2] *MS.* Poteſt enim, cum annititur anima in Deum aſſurgere. Ubi licet præeat actus intellectus etc.

[3] *MS.* Tactus hic noſtræ ſapientiæ, myſtice Theologiæ etc.

Scrip. An. circ.1607.

Definitio raptus.

Raptus ergo (ut à definitione auſpicemur) eſt elevatio per Spiritum divinum ad aliqua ſupernaturalia cum abſtractione à ſenſibus. Et quia raptus violentiam ſignificat, nequit in voluntate conſiſtere, cui vis nequit inferri. Nam cum ipſa ſit quædam propenſio ad bonum, quò fortius in id vocatur, aut trahitur, eò propenſio fit major, & à violentia remotior, tametſi intenſa propenſio cauſa frequens raptuum eſſe ſoleat. A Ex vehementi quippe affectu fit, ut homo ab aliis omnibus alienetur, voluntate vires alias, ſeu potentias cognitioni ſervientes, in quibus raptus celebratur, in id, quod affectat, impellente. Nec verò vires illæ vim pati dicuntur, quia trahuntur in Deum. Ex hoc enim capite non eis infertur vis, cum finis earum Deus ſit, quem expetunt; ſed quia celeriùs, ſeu velociùs impelluntur, quàm ordo naturæ ferat, cujus eſt per ſenſibilia ſenſim in Deum aſſurgere; ac ideo, violentia in modo ineſt tantum, in modo ſcilicet rapido, ac vehementi; quemadmodum cum lapis in terram proiicitur, illato violenter impulſu: non enim infertur vis lapidi, quia proiicitur in terram, B quam expetit, & in qua una requieſcit, ſed quia proiicitur violentiore motu, quam natura repoſcat. Raptus igitur violentia ineſt in ea abſtractione, ſive alienatione rapida à ſenſibus, non verò in eo, ut ad Deum anima feratur. Quin etiam illi vis irrogatur, ſi divertatur à Deo, ſicut & lapidi, ſi à centro depellatur. Ex quo efficitur, ut anima quamdiu ad Deum mente non aſpirat, vim pati dicatur.

Raptus violentus..

Ecſtaſiis, & Raptus diſcrimen.

Ecſtaſis à raptu tantillum dirimitur. Ecſtaſis enim non ſignificat violentiam, ſed ſimplicem exceſſum animæ à ſe ipſa. Ac ob id ipſa etiam voluntas Ecſtaſim pati dicitur & divinus amor Ecſtaſim facere ab Antiquis Theologis dictus eſt. Ubi animadvertendum eſt, hunc exceſſum, tam voluntatis, quàm appetitus ſenſitivi, cauſam eſſe raptus utriuſque potentiæ cognoſcentis; vel quia mens ad intelligibilia rapitur à ſenſibus C alienata, vel ad aliquam imaginariam viſionem arrepta. Sed jam à primo raptu exordiamur.

Primus certè raptus, ſi perfectionis ordinem nimirum à minus perfectis ad perfectiores expendamus, eſt internorum ſenſuum ſuper externos. Quando ex deſiderio fervido rei imaginatione repræſentatæ externi ſenſus introvertuntur, ac propriis actibus defunguntur, Deo animam commovente. Quod in hunc modum fieri dicitur. Gratia videlicet Clementiſſimi Dei, inſtar rivuli, influit in vires ſenſitivas, movens, ac ſtimulans D animam, ut ſe in Deum erigat, ad ineundam cum eo amatoriam unionem.

Quomodo raptus fiat.

Quam certè excitationem homo in corde, ac præſertim in vi concupiſcibili percipit. Qua refici ſolet interdum, (poſtquam multa navitate cor in Deum erigere ſtuduit) accurrente ſuaviſſimo Domino, & feſſo cordi blandiente; adeo ut mira illud voluptate permulceat, & ſuperno lumine illuſtret. Quod planè cœleſte donum mox ut homo adipiſcitur, imperiosè deſpicit, quæ ante cupiebat, & amore Dei amplectitur, quæ prius oderat. Gradus autem hic non uſque adeo dæfecatus eſt, quin voluntas hæreat voluptati, ex quo labes contrahitur, quæ puro reluctatur amori. Pervenire tamen valet E ad unionem virium inferiorum, ubi divina blandimenta percipiuntur, prout aſſertum eſt.

S. Matris Thereſiae doctrina. *In itinere Perf.cap.29.*

Huic autem deſcripto raptui congruit quidam orationis gradus, qui juxta B. M. Thereſiam eſt receptus, vel collectio ſenſuum ad interiora, ubi anima cum præſente Deo agens defungitur ſenſibus. Quem certè gradum cenſet non eſſe uſque adeo excelſum. Licet enim ſupernaturale quiddam ibi recipiatur: admiſcetur tamen quidam conatus animæ, ante doni receptionem ſatagentis, & potentias intra ipſaſmet ope divina includentis, quem poſtmodum perficit Dominus, qui eſt in opportunitatibus adjutor; & in eo animæ labore ab aliis orationis gradibus, illo non adeo indigentibus, ſecernitur Ac proinde F gaudium, quod ibi generatur, quaſi torculo laboris expreſſum a guſtu, qui in aliis percipitur gradibus, tanquam cœlitus immiſſus, longè ſejungitur. Quapropter ſuptili diſcrimine hujus gradus voluptates non guſtus, qui (juxta illam) ſponte fluunt, ſed gaudia, Hiſpanè (*contentos*), quæ ſedulitatis etiam noſtræ opere parantur, & velut exprimuntur, B. M. Thereſia nuncupavit, & mentis elevationem. ubi ejuſmodi gaudia proveniunt; receptus, vel collectionis orationem appellavit. In hac perſpicaciter notat, non omnino intellectus opus deficere, tametſi ceſſet decurſus. Qui ſi fortè interim eruperit, enitendum eſt, ut ſuaviter, ſine illata ſcilicet vi, intercidatur; ſed nec intellectus, nec cogitatio ſuſpendi debent, ita ſcilicet, ut nihil mens agens, otio torperat G velut inſtillandam a Deo contemplationem expectans. Hoc enim ſuſpenſionis genus & vanum ſemper, & ſtultum eſt. Vanum quidem, quia non aſſequitur finem, ſed operam perdit, qua ſe anima poterat exercere; ſtultum verò, quia dementia eſt, ſuſpenſionem, quam ſolus Deus, cum ei placet, immittere poteſt, arte noſtra moliri.

Mentis elevatio notata a S. *M.* Tereſia.

Raptus ebrietas ſpiritualis dictus.

Raptus deinde poteſt appellari quædam exuberantia, & quaſi ebrietas ſpiritualis; quando videlicet repentè cor, & omnes vires ſenſitivæ tanto voluptatis torrente perfluuntur, illabente Deo, ut ſe continere nequeant, & motibus, ac geſtibus inſolitis ingentem ejus voluptatis vim prodere quaſi H cogantur. Cor quippe in unione, quam ibi cum Deo init, tam acri ſtimulo Divini amoris, & deſiderio Divinæ fruitionis inflammatur, & apertis poris (velut ad capiendum Deum (adeo diſtenditur, ut pectus ei nimis arctum videatur: ex quo amoris flamma, quæ ibi voluptate, tanquam oleo nutritur, & invaleſcit, foras violenter erumpit, muſti ebullienti more, quo novæ lagun-

Scrip. An. circ. 1607.

gunculæ dirumpuntur. Quod olim Apoſtolis die Pentecoſtes accidiſſe videtur, cum plebs muſto madere putabat, quos Spiritus repleverat.

Myſticae ebrietatis ſigna, quae?

Signa verò ſupernæ huius ebrietatis ſunt cantica, jubilus, (qui eſt ipſa eruptio ebrietatis) gemitus, ſoni informes, quales edebat Frater Maſſæus è Familia Sancti Franciſci, qui hac ebrietate correptus, nihil, niſi A U, U, U, perſonabat; quo certe ſono ingentem Divinæ voluptatis vim prodebat. Contingunt etiam tremores membrorum, ſaltus, plauſus, impulſus vehementes, & curſus, qualis contigit Fratri Bernardo primo S. Franciſci filio, qui ſolebat interdum à Spiritu actus per montes curſitare.

Vocatur autem hæc affectio, ebrietas, per metaphoram. Sicut enim in ebrietate vinum hauſtum digeri nequit, ac evomitur ita ſpiritualis voluptas intus concepta, & effervefcens, cum ei modus addi nequit, ardenter efflatur. Eſt autem ſingulare Dei donum, & recenter in Deum converſis quandoque ſolet indulgeri.

B Dictum verò eſt, poſſe raptum appellari, quia licèt non prorſus mens à ſenſibus alienetur (quod in raptu neceſſarium eſſe aliquis cenſere poſſet) nonnulla tamen alienatio videtur accidere, & ipſe ſenſuum uſus non tam videtur proprius, quàm alienus Divini; ſcilicet Spiritus, qui membra ſuis motibus impellit.

Oratio quietis.

Verum tametſi ebrietas hæc, præ magnitudine lætitiæ, quietem ferre nequeat: altera etiam ebrietas menti in contemplatione ſolet accidere, quæ præ dulcedinis magnitudinem quietem conciliat. Quam B. M. Tharaſia orationem quietis appellaſſe videtur. Ait quippe, omnes in ea potentia requieſcere, animamque miro quodam modo intelligere, Deum jam ſibi propinquum, & quaſi contiguum eſſe, ita ut C levi conatu ad unionem divinam pertingere poſſit. Similem, inquit, eſſe ſtatum eum exteriori, interique virium omnium deliquio, ubi corpus loco ſe movere nollet. Nec mirum: quia eximia voluptate corpus, & ſatietate anima ita reficitur, ut ad progreſſum virtutum vires duplò augeantur. Potentias verò, ait, non adeo extra ſe abductas, ut animadvertere nequeant, apud quem verſentur. Voluntas inquit, captiva, aliæ verò duæ liberæ manent. At intellectus unum dumtaxat intelligere, & memoria nonniſi unum meminiſſe vellet. Nollet anima, ut corpus tantillum moveretur, verita illius quietis interpellationem eventuram, ac D ita vel ſermo ipſe diſplicet. Orat cunctanter, ita ut uni orationi Dominicæ horam unam impendat, Deo autem adeò propinqua ſibi eſſe videtur, ut nutibus ſe ab illo intelligi, ſeque mutuò illum intelligere animadvertat. Erumpunt interdum lachrymæ ſuaviſſimæ, acciditque nonnunquam, ut diem integrum, voluntas Deo ſociata, & unita, aliæque duæ potentiæ liberæ, atque ſolutæ ad communes actus obeundos remaneant, licèt anima non prorſus ea, quæ tunc operatur, conſideret; potior enim ejus pars Deo adjuncta perſiſtit.

S. M. Tereſia, *in Itin. Perv. cap.* 31.

Annotat valde prudenter, non eſſe opus, ut anima hujuſmodi ſupernaturali pace fruens anxia ſit, adeo ut nec halitum efflare audeat; metus enim puerilis eſt, ſupernaturaliſque E quies ea anxietate nec augetur, nec imminuitur.

Comparatio

Annotat etiam, animam interdum pacatiſſima quiete frui, & cogitationem velut amentem vagari. Ubi docet eam evagationem impune ferendam, & pro nihilo ducendam; ſi enim anima velit anniti ad eam coercendam, incaſſum angitur, & ipſa bonum, quo fruebatur admittit. Voluntas enim tunc erga Deum ſe habet, ac infantulus, in cujus os mater è papillis lac inſtillat, quod ille levi palati, linguæque motu glutit; unde ſi aliò vertatur, ſuctus lactis proculdubiò ceſſat. Guſtus quietis hujus in centro ineſt voluntatis, & univerſi mundi Principatus non ita cor expleret. Quin potius cutaneus eſſet planè guſtus, ſi cùm intima quietis hujus voluptate conferretur.

F Sed poſtquam ebrietatem in contemplationis quiete provenientem expoſuimus, æquum eſt, ut ad curſum raptuum, quorum ſenſus in viribus inferioribus præſertim ineſt, evertamur.

Tertia raptuum ſpecies deſcribitur.

Raptus igitur alius in hunc modum animæ ſolet evenire. Suaviſſimus nimirùm Deus videtur cor allicere, trahereque mulcendo ad altiorem quendam, & puriorem, quàm in duobus recenſitis raptibus, amoris amplexum, in cordis unione jucundiſſima. Et ſicut ibi cognitio ſubtilior, ita, & affectio nobilior viget, quæ non hæret voluptati, ſed optat omnia Dei dona præterire, ac nudis Dei brachiis requieſcere. Ubi præ magnitudine voluptatis cor dilatatur, & G poris patefactis quaſi dehiſcit. Et licèt amor boni non ſit paſſio læſionem inferens, ex intenſione tamen corpus lædit, & ſauciat. Unde cor in expanſione illa læſionem patitur, ſed non mœſtitiam. Eſt enim dulciſſima paſſio, quà cor affici concupiſcit. Adeo tamen læſio hæc ſolet ingraveſcere, ut mortem fœliciſſimam inferat. Invaleſcit enim amoris impetus, & cor præ Dei deſiderio adeò angitur, ut paſſioni ſuccumbat. Quod fauſtæ mortis genus Beatiſſima Virgo (ut nonnulli cenſent) tuliſſe videtur, quin, & B. M. Tharaſia id nacta videtur, quemadmodum ipſa poſt obitum oſtendit. Similis certè obitus ei, quo interiit quidam miles, H qui poſtquam Terræ Sanctæ loca multa perluſtraverat, in locum denique inſignem, ob Jeſu Chriſti memoriam aſcendens, tanto amoris igne conflagravit, & tam ſubtili cordis læſione ſauciatus fuit, ut animam efffaverit Clementiſſimus autem Dominus cùm ſic animam amore ſatagentem conſpicatur, crebrò eam reviſit, atque ad amatoriam excitat unionem: ad quam ſitiens anima ſeipſam cupidiſſimè erigit. Etſi quando

Exemplum.

Hiſtotia haec a diverſis diverſe traditur, ſed in aſſertum omnes, quos legerim, conſpirant.

do

do eam non adipiſcitur, exiſtit defectio, ſive languor. Unde gignitur amoris impatientia, quæ abſque alio externo labore totum hominem extenuat, & conficit, nec unquam cogitatio inde divellitur. Erumpunt crebra ſuſpiria, fluuntque lachrymæ, quæ tantillum conferunt, ne ſanitas adeo graviter lædatur.

A

Ut verò hujus languoris ſenſus percipiatur, quem aliqui pœnis inferni comparare ſolent, oportet, ut amoris effectus curſim recenſeamus.

Amoris effectus notantur.

Inter primos amoris effectus unus, & facilè notiſſimus Ecſtaſis eſt. Anima quippe amoris impetu acta extra ſe fertur, in id, quod amat, ſemper exæſtuans. Qui amoris exceſſus vel exitus ad id, quod affectat, Ecſtaſis appellatur.

Cum verò anima extra ſe ſic agitur, arcani quaſi pori dehiſcunt, ut per eos dilectum bonum, velut inſpirando trahat, & altè recondat. Et hic eſt alius amoris effectus, qui vocatur liquefactio.

B

Anima deinde ſic patens, tota fertur in Deum, illo explenda; & divina illi unione ſocianda. Quod ſi pro voto contingat, dum Deus animam inviſit, celebratur caſtiſſima ſpiritus creati cum increato conjunctio, qui eſt alius amoris effectus, & appellatur unio.

Phraſes hae amatoriae amplectendi, tenendi, aſtringendi familiares ſunt Theol. Myſtic. ut patet ex Ric. *l. 4. de contempl. c. 15. ex Bon. l. de ſeptem donis Spiritus S.*

C

ubi agit de dono ſapientiae *c. 5.* et aliis recentioribus, qui de Theolog. Myſtic. poſtea ſcripſerunt, ut patet ex Gerſone in *conſid. 2. Myſtici. Theol. ſpeculativae.*

Quia verò unio ſolum videtur ſignificare contactum, myſticumve duorum ſpirituum amplexum: ſequitur inhæſio mutua, qua ſpiritus alter alterum ſibi apprimit, & adſtringit, ſeque illi velut agglutinat. Qui amoris effectus mutua inhæſio nuncupatur.

Verùm quia, & ipſa inhæſio mutua, obſervata corporum metaphora, cuti dumtaxat affigi, nec ad intima penetrare videtur; ſubſequitur hauſtus quidam, & quaſi potus alterius ſpiritus, alterum velut poris diductis attrahentis, & ebibentis, more ſpongiæ recentiſve panis aquamque ſugentis. Et hic effectus vocatur fruitio. In hunc igitur modum recenſuimus amoris effectus, qui vigent, dum, quod amatur, bonum præſens eſt, præter Ecſtaſim, & liquefactionem; quæ, abſente etiam bono, invaleſcunt, licet præſente perficiantur.

Perficitur ſanè anima, amore liquefacta, dum illam Deus præſentiſſimus explet; & illas, velut intercapedines implet, quæ fiunt, dum anima amoris igne rareſcit; unde laxatur, & hiat amplius, Deum præſentem bibitura. Eſuries enim Dei veſcendo, ſitis bibendo perficitur.

Quapropter, ſi Deus abſit, exardeſcit intenſum illius deſiderium, qui eſt alius amoris effectus, & quædam progreſſio animæ affectuum pedibus incedentis, & ad Deum properantis, qui quidem effectus amoris appellatur fervor.

D

Ex hoc effectu liqet, quam gravis ſit læſio cordis jam deſcripta.

At ſi, dum ſic anima fervet, ac properat Deum minimè invenit, contabeſcit, ac triſtitia obtenebratur ob illius abſentiam, qui eſt alius amoris effectus; qui nuncupatur languor. Graviſſima certè paſſio, quæ non mirum ſi corpus interimat, quemadmodum paulo ſuperius aſſeruimus.

Zelotypia amoris effectus.

Sed, & Zelus effectus amoris vulgatiſſimus eſt, ſive adſit bonum, vel pulchrum, quod amatur. Et eſt quædam igniti amoris excandeſcentia, quæ conſortes ferre nequit, à qua Deus ipſe, qui cordis noſtri conſortes ſuſtinere non valet, Zelotes, vel æmulus appellatur. Zelus autem noſter erga Deum adverſa via videtur incedere. Nam qui zelo Dei flagrat, divini cordis conſortes univerſos vellet homines habere. Cujus certè diſcriminis ea ratio eſt; quod nullum timeatur alienationis periculum, ſi Deus omnes amet creaturas; cum nihil inde unicuique depereat, ſed totum quiſque Dei cor poſſideat, ac ſi ſolus amaretur, quod non ita ſit in creaturis. Ad raptum ergo ab recenſitorum amoris effectuum diverticulo redeamus.

E

Raptus Altera ſpecies.

Raptus profectò hic ultimus, quem deſcripſimus: ubi cor tantopere ſauciatur, atque dehiſcit, videtur eſſe quædam proxima ad perfectam unionem diſpoſitio. Ad unionem quippe ineundam hiat anima, quando ſic aperitur, & quaſi Deum hauſtura laxatur, & impos voti patitur mala, quæ diximus, compos verò fruitur perfectæ unionis bonis, quæ ſubiiciemus.

F

Unio perfecta, quae?

Perfecta verò unio eſt, quando tres intellectuales potentiæ divino amplexu Deo ſociantur. Quod ut planius intelligatur, more Theologorum myſticorum, præ oculis habenda eſt ſectio animæ in partem infimam, cujus raptus hucuſque depinximus, & partem mediam tribus potentiis, memoria, intellectu, ac voluntate conſtantem, & partem ſupremam, quæ eſt ipſa eſſentia animæ, à qua illæ originem ducunt, quam Deus per divinam gratiam ibi repoſitam inhabitat, & cœleſti dignitate nobilitat. Poſtquam ergo infimæ partis raptus percurrimus, ad mediam, ope divina implorata, propinquemus.

G

Et primum animadvertendum eſt, hanc partem à Theologis ſpiritum appellari. Unde qui ea rectè funguntur, ſpirituales nuncupantur. Quod ſic accipiendum eſt, ut ſint ſpirituales, ſi memoria, intellectu, ac voluntate juxta divinas regulas utantur.

Anima ſpiritus dicta.

Anima enim ad eum modum tribus iis potentiis utens, ſpiritus appellatur; ſpiritus verò nomen, eſſentiam, potentiaſque complectitur. Verùm ſi anima neglectis iis regulis divinis, quibus partes ſuas omnes moderari deberet degeneret; nec eas tres potentias comprimat, ſed inferiori appetitui ſervire cogat, non ſpiritus, ſed anima dumtaxat appellatur, ac ſi anima, belluarum modo, nil aliud boni agat, quàm corpus vegetare, atque nutrire. Et qui anima ſic abutuntur, animales jure vocantur, qui (ut Apoſtolus ait) ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, minimè percipiunt. At ſermo Dei vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingit uſque ad diviſionem miram animæ, ac ſpiritus. Sæpè enim anima, quæ

H

Scrip. An. circ. 1607.

A

Trina potentiarum unio notata.

ante corpori tantùm animando, atque fovendo tota incumbebat, divinorum verborum enſe interſecta, ab ea animali cura divertitur, & divinis rebus vehementer addicitur. Et cùm ſic neglecto corpore, & iis, quæ appetitus affectat, in Deum perſeveranter aſpirat, eò ſolet attolli, ut unus ſpiritus cum Deo fiat, ob excelſam, & intima trium potentiarum unionem; tantò certè iis, quas hucuſque deſcripſimus, nobiliorem, quantò ſol ſtellis eſt clarior, vel aurum terra nobilius. Quamobrem de raptu, quo ſpiritus noſter Deo perfectè unitur, tanquam de bono ineffabili auctores pauca tradidere; & nos propterea parciùs loqui conſentaneum erit; cum nec illorum doctrinam cœlitus infuſam, neque cordis puritatem æquemus.

Raptus natura.

B

Raptus igitur ille ſublimis, quo anima ad fœliciſſimam unionem effertur; ita ut adhæreat Deo, ac unus ſpiritus cum eo fiat, planè divinus eſt, ac omnem ſuperat eloquentiam; ſed picto, vel rectiùs, adumbrato potentiarum bono, ad quod eo raptu evehuntur, ejus nobilitas ex parte dignoſcetur.

Ejus effectus notati.

C

Memoria ergo per influxum divinum, & converſionem ad Deum fit tranquilla, clara, & ſerena. Tollitur enim ſupra omnia ſenſibilia, & imaginaria, quemadmodum ſi quis ultra nubes elatus, ſudum ſemper cœlum intueretur. Et in eo fœlici ſtatu memoria fit adeò conſtans, & ſtabilis, ut nihil ejus ſerenitatem interturbet; unde fit, ut rerum creatarum vix poſſit meminiſſe. Intellectus naturæ divinæ attributorum, perſonarum, ac proprietatum divinarum in imaginibus intellectualibus clariſſimum acquirit lumen, quo mirificè ſuſpenditur. Sed obſtupeſcit potiſſimum, ob liberaliſſimam communicationem divinitatis, ſeipſam dono ſuo effundentis. Unde ingenua, & ſanè grandis fiducia generatur, qua cor erigitur, ut cum Deo familiariter agat. Gignitur etiam lumine divinitus infuſo, inſignis perſpicacitas ad penitiſſima Scripturæ ſacræ ſenſa, & divinæ ſapientiæ arcana penetranda. Voluntas autem amore ardentiſſimo flagrat, & quaſi conſumitur, & amore tranquillo, puro, & more puriſſimi olei excocto, Deo perfruitur. Viget quippe ibi duplex amor; fruens ſcilicet, qui tranquillè Deo hæret; & practicus, quo voluntas, ut Deo arctiùs adhæreat, à Spiritu Sancto motibus multis tantoperè excitatur; ut inter amorem utrumque duellum ſuaviſſimum geratur; dum practicus urget ad fruendum, & fruens producit impulſum. Quapropter amor hic appellatur ſuperfervidus, quia more olei ebullientis, propellit, ac proiicit ſe ſuper ſe.

D

S. Bon. de Itineribus aeternitatis Itin. 4. inter quinque gradus, ſeu proprietares amoris ponit ſuperfervidum ex S. Dionyſ. Areopag. & ejus interpretibus.

Unionem hanc ſatis á nobis leviter adumbratam, ſed in ſe certè ineffabilem B. M. Tharaſia Orationem unionis appellaſſe videtur. Tres enim eæ, potentiæ uniri debent, nec minor unio ſatis erit, ut juxta ejus doctrinam Oratio unionis nuncupetur; tametſi in aliis orationis gradibus non ita nobilibus unio ex parte fiat. Et quia oratio quietis, quam in hoc Capite deſcripſimus, ob excelſam contemplationem huic orationi unionis finitima eſſe videtur, ſubtili diſcrimine alteram ab altera ſecernit. Ait enim, in Oratione quietis, animam tanquam motu palati, ac linguæ, quaſi Dei lac exſugere: petita, videlicet, tranſlatione ab externo ſuctu lactis: At in Oratione unionis animam ne quidem motu illo tam levi ad lac ſugendum, & glutiendum indigere; omnia enim ea bona, quibus fruitur ſine conatu ſuo, in ſe condita fuiſſe conſpicit, & ignorat, quo pacto in ea ſic ignara Deus illa bona repoſuerit. Qua opportuniſſima diſtinctione apertè demonſtrat, altiorem eſſe Dei actionem in animam, cùm in unionis oratione, quàm cùm in quiete illi conjungitur; utpote cui nihil propemodum humanæ operationis admiſceatur. Hoc enim ſibi vult, cùm ait, ne motu quidem illo palati ad glutiendum lac indigere.

In Itinere Perf. cap. 31.

E

Orationis quietis, & unionis diſcrimen.

F

Raptuum ſupremus, qualis?

Sed ſupremus omnium raptuum is eſſe videtur, quo ad eſſentiam animæ, in quam ineffabili modo per gratiam Deus illabitur, tres potentiæ diviniùs, quàm in proximo raptu jam deſcripto, affectæ convocantur, & reflectuntur; ut intellectus agnoſcat, voluntaſque tangat ſuaviſſimum Deum, tanquam verum Salomonem in eburneo ſolio reſidentem, & cum deſponſa ſibi anima pacis conſtantiſſimæ fœdera pangentem.

Et quomodo fiat?

G

Fit autem hic raptus (quemadmodum, qui fœliciter experti creduntur, tradidere) Deo animam tangente, & efficaſſimo tractu ad ſe arripiente. Quem profectò tractum, ſive tactum, mox ut anima recipit, vires omnes inferiores introrſum impelluntur, & ab operatione deſiſtunt. Intellectuales verò potentiæ in ſua nobiliſſima operatione collocantur. Memoria ditatur influxu cœleſti: intellectus clareſcit ſublimibus illuſtrationibus: voluntas eliquatur ardentiſſimis deſideriis. Quin, & anima, tam divina vi ſtabilitur eo Dei tactu, ut voluptates divinas ſine defectione valeat ſuſtinere.

Verùm altiùs evehitur anima tactu illo. Nam poſtquam manum porrigente Deo, & potentias ad perfectiſſimos actus ſuos permovente, anima excitata eſt; tam celeri motu potentiæ ſuperiores actus ſuos exercent, ut ipſa incitata operatione deficere videantur. Trahuntur enim introrſum in ipſam eſſentiam animæ, in quam convertuntur, à nullo phantaſmate præpeditæ. Nec enim intellectus in eo ſtatu à phantaſmate, quo potitur, prægravatur, ſive à notitia divinæ veritatis retardatur, ſed omnia corporea prætergreſſus, reflectitur in eſſentiam more cœleſti. Cùm verò Deus ibi tanquam in pacatiſſima ſua ſtatione præſideat; fit quidam, ſive amplexus, ſive contactus animæ cum eo; quo videtur anima liqueſcere, ac in Deum tota prorſus influere. In illam nempè diviniſſimam ſtationem convocatæ po-

Notandum nonnullis

H

Theologis videri in ſublimi contemplatione non eſſe uſum phantaſmatis: at *S. Th.* 2. 2. *q.* 180. *artic.* 5. *in ſol. ad* 2. ſic ait Ad ſecundum dicen-

Scrip. An. circ. 1607.

dum, quod contemplatio humana ſecundum ſtatum praeſentis vitae non poteſt eſſe abſque phantaſmatibus. *Et poſt pauca ſubiicit*: Et hoc non ſolum in cognitione naturali, ſed etiam in eis, quae per revelationem cognoſcimus &c.

potentiæ avidiſſimæ feruntur; & poſt incitatum curſum ſilentio miro quieſcunt. Gradiuntur pariter intellectus, & voluntas; ſed intellectus nimio ſplendore à Deo, qui ſedet in eſſentia emicante, perſtringitur, & velut excæcatur, ac prò foribus illius thalami ſubſiſtit. Apex tamen affectus, vel ſummitas voluntatis, amoris impetum proſequi cupiens progreditur, & arctiſſimè Deo ſociatur, ac denique quieſcit. Illucuſque enim A incitata operatio procurrerat. Eſt ſatis apta ſimilitudo, cùm quis in mortis agone, incitatis motibus, trahit halitum, donec halitu poſtremo animum efflat. Sic quippe poſt multos motus anagogicos, in Dei ibi exiſtentis amplexu, anima videtur quaſi mori, ut in Deum transformata fœlicius vivat. Quamvis verò hæc introductio nobiliſſima ſit, oportet tamen, dum frequenter accidit, quandoque illam intermittere (ſi fortè per aliquem animæ conatum fieri poſſit) ne anima in ea ſuaviſſima contemplationis quiete deſes fiat; & virtutum actus multiplices negligat exercere. Quin verò univerſim animadvertendum eſt, plures animas, poſtquam ad contemplationem evectæ ſunt, velle ſemper in ea requieſcere, cùm intellectus iners B fieri videatur ad meditationem repetendam.

S. M. Tereſia. *Manſ. 6. cap. 7.*

Cujus ratio eſt; ut B. M. Tharaſia tradit; quia meditatio eſt inquiſitio, contemplatio verò inventio; qua præſente ceſſat inquirendi ratio; ac ideò mirum non eſt, intellectum ægrè ad meditationem redire. Verùm oportet hunc torporem interdum excutere, ac meditatione repetita, quaſi ſtatu quodam, amoris ignem excitare, nec ſemper contemplationem cœlitus elapſam velle gratis obtinere. Ob id conſulit, ut ii, qui ad Orationem quietis (quam ſuperiùs deſcripſimus) pervenerunt; & illis internis guſtibus abſorpti jacent; excutiant eum ſoporem, & evigilent ad intuenda Chriſti, & Sanctorum exempla, ut ſe comparent ad labores eventuros.

C At vero ad fœlicem illam animæ quaſi mortem regredientes, annotemus, oportet, potentias illas duas ſic evectas coram divina claritate, quæ à Deo in animæ centro, vel (ut Theologi Myſtici ajunt) fundo, quieſcente diſſultat, miro modo affici; quemadmodum & ipſa afficitur anima, quæ more ferri candentis, propria forma non amiſſa, ſed à præſente Deo trajecta, & incenſa, ſe Dei genus eſſe facile demonſtrat; ſicut & ferrum dum candet, mirificè ignem repræſentat, & illius proprietatibus pollet. Proportione vero ſervata, in eum etiam modum intellectus, & voluntas afficiuntur. Quæ certe potentiæ in centrum, vel fundum animæ vocatæ (licet voluntas propius accedat) introducuntur in quandam vaſtiſ- D ſimam quaſi divinitatis ſolitudinem, ubi voluntas Deum ineffabili ſenſu percipit, & intellectus, amiſſa omni rerum diſtinctione, ac varietate, univerſiſque etiam nobiliſſimis imaginibus abraſis, Deum ſapientiſſimè ignorans (nec enim illum intuetur, ut in Patria) divinitus agnoſcit. Excelſum ſane ignorationis genus; ſimile videlicet illi irrationali, & amenti ſapientiæ à ſancto Dionyſio Areopagita tantopere celebratæ: non ſane E quod rationi, vel menti renitatur, ſed quod eam longè ſupergrediatur, & arcano valde modo comparetur. Intellectus quippe nec Deum in propria divina natura cernit, nec verò in imaginibus, quæ in aliis contemplationis gradibus non adeo nobilibus concipiuntur, ſpeculatur, ſed in quandam velut caliginem immerſus, ac Deo circumfuſus, ſereniſſima, & tranquilliſſima quadam notitia, neſciens quid ſit Deus, agnoſcit, proculdubio illum tunc ſibi in nebula præſentiſſimum, diviniore quodam modo, qui omnibus modis aliis, notitiiſve, quæ de illo vel ſcribuntur, vel concipiuntur, immenſo certè ſpatio, ac magnitudine antecellit. In hac certè caligine, vel nebula, vel tenebris (ut olim Moyſi in montis vertice contigit) F clariùs a purgatiſſimo jam intellectu cognoſcitur, quam vel exprimi, vel ſine experimento cogitari poſſit. Quæ certè cognitio unà cum ſuaviſſimo Dei guſtu, quem voluntas percipit, Theologia Myſtica eſt; licet multis auctoribus, intellectu obturato, ſolius voluntatis divina patientis, & Spiritus Sancti tactu, vel ſenſu fruentis affectio, Theologia Myſtica eſſe videatur, ut Capite proximo liquebit.

Ignorantiae genus notatum.

Verùm hìc magnopere expendendus eſt ille transformationis modus, ſive ille modus adeo arcanus ſilendi, ac defungendi, quem, potentiis ad animæ centrum introductis, evenire aſſeruimus: ſi enim ſilentium illud eſt quoddam quaſi deliquium, ita ut nec intellectus, nec voluntas operentur; ſed dulciſſimam tantummodo ſuſtineant Dei opera- G tionem; qui fieri poteſt, ut intellectus ſine actu cognoſcat, & voluntas ſine actu pariter amet? (1) Erunt, qui aſſeverent, intellectum, ac voluntatem ſine actibus, quos in Scholis elicitos appellamus, in ſublimiſſimo Theologiæ Myſticæ faſtigio bene affici, ſicut nonnullis viſum eſt; ſentire eſſe quoddam pati. Nos tamen hunc nodum veriore ſententia ſolvemus, aſſerendo, non prorſus deficere potentiam actus in ea caligine divina, ſed eſſe actus adeo tranquillos, & ſuaves, ut cum aliis incitatis actibus, quos paulo ante eæ potentiæ proferebant, comparati, eandem proportionem habere videantur, quam elatus ſermo habet cum voce valde ſummiſſa. Qua ſi quis utatur, juxta Cœnobiticam diſciplinam, ſilentium dicitur obſer- H vare. Quæ ſane reſponſio captu facilis eſt. Præ-

---

(1) *MS. Rom. non habet quae ſequuntur, uſque ad ea verba*, Nos tamen; *quae recto MS. ejuſdem ordine ampliore ſic mutantur*: Bifariam nodum hunc ſolvere poſſe videmur; Primum quidem aſſerendo &c.

Scrip. An. circ. 1607.

Præſens quippe tunc Deus, (1) & animæ amantiſſime blandiens, tam cœleſti (2) ſuavitate eam ad intelligendum, & amandum permovet; ut ipſa non ſe agere, ſed ſuaviſſime à Deo duci, & quaſi erumpentes ultro à potentiis actus non tam producere, quam pati videatur. Et hæc fortaſſe eſt illa inſignium Heroum paſſio, quam Hierotheus ſuſtinebat: qui doctus fuiſſe aſſeritur non ſolum diſcens, ſive ſciens, verum & patiens divina. Et juxta hunc dicendi modum reſponderi debet, eas potentias divinam caliginem ingreſſas non ita ſilere, ut nihil omnino agant, ſed intellectum altiſſima, & tranquilliſſima contemplatione voluntatem ſuaviſſima fruitione paſci. At hæc in unione myſtica tam ſedate, tranquilleque fieri, ut potentiæ ſilere, hoc eſt, tam ſuavi Dei intus agentis actione cieri videantur, ac ſi prorſus nihil agerent, (3) ſed ab alio productos actus tantuummodo reciperent.

A

Raptum ergo ſupremum ſic adumbraſſe ſufficiat; nec enim tanta ſublimitas ſatis exprimi ullo verborum excurſu valebit. Et raptus hic raptum præcedentem, quem orationem unionis à B. M. Tharaſia appellari cenſuimus, dignitate non modica ſuperat, ut ex dictis patere poteſt. Ac ob id ſignificanter eadem B. M. raptum ab unione dirimit, ajens: in unione mutuam fidem verbis promitti, in raptu vero conjugium ſpirituale celebrari. Et præter alios, unum deſcribit raptum, quem volatum Spiritus appellat, quando, videlicet, motu repentino, ac vehementiſſimè celeri ſpiritus corripitur, & interdum etiam corpus, ut magnum principio timorem incutiat. Tremendum quippe portentum videtur, hominem vigilantem. & ſanum, & neſcientem, quo, nec à quo feratur, celerrimo quodam motu abripi. Sub initium enim non uſque adeo ei certum videtur, ſe à Deo agi, ac proinde opus eſt, ut generosè in Dei beneplacitum ſe ipſum dedat, & ob amorem Dei cuivis periculo conſtanter exponat. Sed ad verborum ſancti Dionyſii de Myſtica Theologia, quæ ſupremi raptus propria eſſe videtur, interpretamentum accedamus.

B

S. M. Tereſia. *Manſ. 6. cap. 4. & 5.*

Unionis, & Raptus ex S. M. Tereſia diſcrimen.

C

CAPUT VII. (4)

De interpretatione libri ſancti Dionyſii Areopagitæ de Myſtica Theologia.

POſtquam de ſuprema illa Dei unione, qua intellectus, & voluntas divina patiuntur; & quæ omnium propriiſſimè Myſtica Theologia eſſe videtur, in capite proximo diſſeruimus: æquum eſt, interpretationem quandam paraphraſticam libri de hac ſublimi ſapientia, quem ad Timotheum ſanctus Dionyſius Areopagita direxit, ſubiiciamus; & indagemus, an Auctor Myſticam Theologiam in voluntate tantum, an in intellectu ſimul, & voluntate conſtituerit.

D

Liber ille quinque capitibus diſceretus, arcanus, & planè cœleſtis eſt: Cujus ſi totam ſeriem quis attentè perluſtret, præter exhortationem Timothei ad Myſticam Sapientiam, quam primo capite præfatur, diſcurſumque capitis ſecundi, quo Deum per creaturarum ablationem docet myſtice cognoſci, & quandam Theologiæ diviſionem quadrimembrem tertio capite deſcriptam, aſſertioneſque quarti, & quinti capitis, quibus Deum ultra omnia, quæ ſenſu, intellectuve concipiuntur, eſſe profitetur. Unum tantummodo reperiet aſſertum aliquoties primo capite repetitum, quo totus Dionyſii ſenſus, totaque Myſtica Thèologia continetur, quod modo ſubteximus.

E

Ex verſione Ambroſii Florentini, Abbatis Generalis Ordinis Camaldulenſis.

HÆc ſunt poſtrema primi capitis verba, quæ ſubjecit Dionyſius, poſt allatam hiſtoriam Myſtico cuivis Theologo apprimè quadrantem, Moſis, qui mundatus, & à turbis ſegregatus ſubiit montem, Deum in nebula percepturus (5)

F

Tunc vero ipſa quoque viſibilia, atque intellectualia contemplator linquens ingreditur ignoratio-	Tunc quando contemplator ad myſticam Dei cognitionem aſpirat, creaturarum omnium, tum corporearum, tum

---

[1] *MS.* Et haec reſponſio captu facilior eſt, ſi divinum perpendamus auxilium, quo praeſens tunc Deus &c.

[2] *MS.* inſigni.

[3] *MS. Haec addit, quae vel Sacrae eruditionis cauſſa omittenda non erant.* Sed alter ſecretior ſubeſt reſpondendi modus, quem propter Platonicos Sancti Dionyſii explanatores, quaſi probabilem producimus, viriſque divinarum affectionum peritioribus, committimus explorandum qui per allatam candentis ferri ſimilitudinem, non ineptè declarabitur. Profectó enim ſi ferrum vita, ſenſuque polleret, eſto ille igneus candor, ejus ultima, vel inſignis ſaltem perfectio eſſet, tametſi nullum actum alium, quam modo, produceret, ſolo certe caloris illius illapſu, quem conciperet, & a terreo, & nigro habitu in pulchrum illum, & purum habitum, a quo ſcintillæ diſſultant, transformaretur; afficeretur optime, & illius perfectionis receptione gauderet. In hunc igitur modum (etſi non probemus opinionem eorum Theologorum, qui juxta inductam ſimilitudinem ferri candentis, beatitudinem in illapſu poſuere) videtur tamen, & divinae potentiæ, & Theologorum Myſticorum aſſertis conſentaneum, ut Deus illapſu ſuo, non ſolum eſſentiam animæ Divinitatis participatione nobilitet, verum et potentias ipſas divinè afficiat, et paſcat; adeò ut ſine illis actibus, quos elicitos appellamus, ſolum Deum, ejuſque actionem ſuſtinentes ad eum modum, quo Philoſophi multi non ignobiles poſuerunt, ſentire eſſe quoddam pati, miro modo reficiantur, et gliſcant. Quod licet ob rei celſitudinem efficaci ratione, noſtro exiguo captui attemperata, evinci nequeat, quia ſicut poſuit Deus tenebras latibulum ſuum, ita et rationes efficaces eorum, quæ ibi geruntur, voluit occulere. At ſanius ducimus mirari hoc potius, quam refellere, vel inficiari, quemadmodum in Scholaſtica Theologia, nonnulla effata veneramur, quorum efficaces rationes, quibus ſedetur intellectus, nondum quis perveſtigavit.

[4] *Totum hoc caput, etſi in judicatum, deeſt in MS. Rom.*

[5] Majoris claritatis ergo ſubiicimus ipſius S. Dionyſii etiam textum Graecum, una cum aliquantulum exactiori Balthaſaris Corderii interpretatione, ut legitur, Tom. I. Oper. editionis Venetæ anni 1755. a Clariſſ. P. Bernardo de Rubeis Ord. Praedicator. curatae. Ita igitur habet:

„ Ac

Scrip.An. circ.1607.

nis myſticam profectò caliginem. In qua omnia ſcientiæ, & cognitionis præſidia terminans; totus in eo fit, qui tactum penitus viſumque refugit, tran- A ſcenditque omnia, & qui nullius eſt, neque ſuimet, neque alterius, penitus autem ignoto ſcientiæ omnis, & cognitionis vacatione, præſtantiore modo conjunctus.

Et eo quoque ipſo, quod nihil cognoſcit ſupra ſenſum, mentemque cognoſcens.

tum incorporearum *id eſt*, imagines reliquens, ſecretam quandam in nebulam abdit ſe. ubi mira eſt ignoratio. Ibi enim amittit omnia ſcientiæ, cognitiònisque adminicula; hoc eſt, ſimulacra, quibus hominis innititur cognitio.

Jamque omni obſtaculo expeditus, totus per voluntatem, ſive affectum fit; hoc eſt, transformatur in eum, qui tangi, viderique nequit à viatoribus, & qui cum ſit Dominus univerſorum, nec ſe ipſo altior eſſe queat, nullius eſt, ne ſui quidem ipſius.

B Modus autem transformationis hic eſt, ut Deo penitus per aſſertiones ignoto, ſcientiæ omnis, & cognitionis aſſertricis vacatione præſtantiore modo, id eſt, per ablationem, ſeu negationem cognoſcens, affectu intimo conjungatur. Et eo ipſo, quod nihil aſſerendo, ſed omnes poſitiones auferendo cognoſcit, altiùs multò Deum C ſupra ſenſum, mentenque, hoc eſt, mentis conceptum aſertivum cognoſcit.

Aſcenſum voluntatis in Deum (ut opinamur) contemplatio comitatur, ac proinde voluntatem Deo hærentem, intellectum verò rerum omnium ablatione, in arcana illa caligine, ſapietiſſima ignoratione cognoſcentem, ac ſtupentem, hac prima interpretatione conſtituimus.

Senſus autem noſter non eſt, omnium imaginum abraſione Deum in ſe ipſo hoc in exilio cerni; ſed poſt eraſa univerſa creaturarum ſpectra Deum non modò voluntate ſed & intellectu percipi; non ſanè per propriam ſpeciem, ut in Patria cæleſti; ſed occultiore quodam modo, quo intelligitur, non quid ſit, ſed quid non ſit Deus. Qui quidem cognoſcendi modus cæteris omnibus, qui concipi poſſunt ab intellectu viatoris, longiſſimè præſtat. Ubi patet, intellectum non prorſus vacare, ſed actum producere, quo excelsè intelligit arcana verba, quæ D non licet effari. Ac propterea ejuſmodi actum curioſiùs perſcrutari non audemus. Sed hunc eſſe proprium Sancti Dionyſii ſenſum, ut ſcilicet à Theologia Myſtica intellectus actum non excludat, immo propriè includat, una quàm graviſſima S. Thomæ auctoritate ſic evincimus. Septimo enim capite Theologiam Myſticam in hæc verba deſcribit.

De Divin. Nomini.

S. Dionyſius.

ET eſt rurſus diviniſſima Dei cognitio, quæ eſt per ignorantiam cognita, ſecundum unitionem ſuper mentem: quando mens ab aliis omnibus recedens, poſtea & ſe ipſam dimittens unita eſt ſuperſplendentibus radiis. Inde, & ibi non ſcrutabili profundo ſapientiæ illuminata. F

Quæ ſanè verba eundem ſenſum diſertè continent cum iis, quæ ſumus interpretati, præterquam quod Dionyſius Carthuſianus illa de Theologia Myſtica expoſuit.

At eadem verba S. Thomas ſic explanavit. Rurſus autem eſt alia perfectiſſima Dei cognitio, per remotionem ſcilicet quod cognoſcimus Deum per ignorantiam, per quandam unitionem ad divina ſupra naturam mentis. Quando ſcilicet mens noſtra recedens ab omnibus aliis, & poſtea etiam dimittens ſeipſam, unitur ſuperſplendentibus radiis Deitatis, in quantum ſcilicet cognoſcit Deum eſſe non ſolum ſupra omnia, quæ ſunt infra ipſam, ſed etiam ſupra ipſam, & ſupra omnia, quæ ab ipſa comprehendi poſſunt. G Et ſic cognoſcens Deum in tali ſtatu cognitionis, illuminatur ab ipſa profunditate divinæ ſapientiæ, quam perſcutari non poſſumus. Quod enim intelligamus Deum eſſe ſupra omnia, non ſolum quæ ſunt, ſed etiam, quæ apprehendere poſſumus, ex incomprehenſibili profunditate divinæ ſapientiæ provenit nobis. Hæc S. Thomas.

Ubi nemo non videt intellectus actum propriè, ac ſæpius inculcaſſe, ac proinde Theologiæ Myſticæ proprium eſſe exiſtimaſſe. Hic enim (ſi ſecus cenſuiſſet) locus erat ſententia opportuniſſimus; quandoquidem, quod ad ſententiam propriam ſpectat, nihil toto libro de Myſtica Theologia Dionyſius aſſeruit, quod verbis nuper allatis Libri

---

Καὶ τοτε καὶ αὐτῶν ἀπολύεται τῶν ὁρωμένων, καὶ τῶν ὁρώντων, κὶ εἰς τὸν γνόφον τῆς ἀγνωσίας εἰσδύνει τὸν ὄντως μυστικὸν, καθ' ὃν ἀπομύει πάσας τὰς γνωστικὰς ἀντιλήψεις, καὶ ἐν τῷ πάμπαν ἀναφεῖ καὶ ἀοράτῳ γίγνεται, πᾶς ὢν τοῦ πάντων ἐπέκεινα, καὶ οὐδενὸς, οὔτε ἑαυτοῦ, οὔτε ἑτέρου, τῷ παντελῶς δὲ ἀγνώστῳ τῆς πάσης γνώσεως ἀνενεγησία, κατὰ τὸ κρεῖττον ἑνούμενος, καὶ τῷ μηδὲν γινώσκειν, ὑπερ νοῦν γινώσκων.

„ Ac tunc ab iis ipſis quae videntur, et ab iis quae
„ vident, abſolutus et expeditus, in caliginem
„ vere myſticam incognoſcibilitatis ingreditur, in
„ qua omnes ſcientificas apprehenſiones excludit,
„ et in omnimode intactili et inviſibili haeret,
„ totus exiſtens ipſius, qui eſt ultra omnia; neque
„ ullius, neque ſuus, neque alterius, cum eo autem
„ qui eſt penitus incognoſcibilis, per vacationem
„ omnis cognitionis, ſecundum meliorem partem
„ copulatus, et eo ipſo quod nihil cognoſcit, ſupra
„ mentem cognoſcens.

Scrip. An. circ.1607. bri de Divinis Nominibus non ſit complexus; ac propterea unam utrobique auctoris unius ſententiam uno ſane modo S. Thomas explanaſſet, ſi libri præſentis commentarium edidiſſet.

At ſi ex aliorum ſcriptorum opinione aſcenſus ille myſticus voluntatis in Deum erectæ, ſine omni prorſus intellectus actu aſtruatur, A in hunc modum Sanctus Dionyſius debet exponi. (2)

Tunc verò ipſa quoque viſibilia atque intellectualia contemplator linquens ingreditur ignorationis myſticam profectò caliginem. In qua omnia ſcientiæ, & cognitionis præſidia terminans, totus in eo fit, qui tactum penitus, viſumque refugit, tranſcenditque omnia, & qui B nullius eſt, neque ſuimet, neque alterius, penitus autem ignoto, ſcientiæ omnis, & cognitionis vacatione, præſtantiore modo conjunctus.

Et eo quoque ipſo, quod nihil cognoſcit, ſupra ſenſum, mentemque cognoſcens.

id eſt,

Tunc qui myſticè Deum percepturus eſt, creaturarum omnium tum corporearum, tum incorporearum imagines relinquens, ſecretam quandam in nebulam abdit ſe, ubi mira eſt ignoratio. Ibi enim amittit omnia ſcientiæ, cognitionisque adminicula, hoc eſt, ſimulacra, quibus hominis innititur cognitio.

Jamque omni obſtaculo expeditus, totus per affectum transformatur in eum, qui tangi, viderique nequit à viatoribus, & qui cum ſit Dominus univerſorum; nec ſeipſo altior eſſe queat, nullius eſt, ne ſui quidem ipſius.

Modus autem transformationis hic eſt, ut ſine omni intellectus actu, ſeu C cognitione, præſtantiore modo, id eſt, voluntate, penitus ignoto Deo conjungatur. Et eo ipſo, quod nihil prorſus cognoſcit, altiùs multò ſupra ſenſum, mentemque, hoc eſt, intellectum, Deum cognoſcit, id eſt, ſola voluntate peribit.

His ergo dumtaxat verbis è libro illo excerptis, ac expoſitis Myſtica Theologia tota continetur, ut ei, qui pauca illa percepe- D rit, alio fere non ſit opus commentario.

Proderit autem non vulgariter utraque expoſitio ad pleraque S. Dionyſii pronuntiata, libris ejuſdem intexta, multaque tum Sacræ Scripturæ, tum Sanctorum PP. qui de contamplatione, ac divinis affectionibus ſcripſere, aſſerta intelligenda; quæ viros alioqui ſatis eruditos, ſed rerum divinarum parum conſultos latere ſolent.

Verùm ad viſiones, ac revelationes, quæ in multiplici raptu ante deſcripto, myſticaque Theologia evenire ſolent, veniamus. E

CAPUT VIII.

De Viſionibis, & Revelationibus.

AMicorum eſt communicare conſilia, ut quorum eſt cor unum, & aniam una, fit etiam una cogitatio; quapropter ſuaviſſimus Deus poſtquam ad arctiſſimum ſpiritualis coniugii fœdus, ubi è duobus cordibus concreſcit unum, animam evexit, meritò incerta, & occulta ſapientiæ ſuæ illi manifeſtat. In qua certè manifeſtatione duo potiſſimum libranda ſunt; repræſentatio, ſcilicet, rerum in intellectu, vel imaginatione; & judicium intellectus de repræſentatis ſibi rebus.

F Repræſentatio ergo rerum fit per imagines, quas ſpecies appellamus vel infuſas à Deo, vel alias acquiſitas, ſed ab ipſo inverſas, conſertas, atque diſpoſitas, ut id aptè repræſentent, quod ille revelare decrevit.

Judicium verò intellectus repræſentata ſibi arcana intelligentis fit per ſupernum lumen infuſum, & tametſi repræſentatio nobilis ſit, nobilius tamen eſt judicium, quo perficitur, completurque cognitio. Ac ita repræſentatio communis eſſe ſolet iis, qui divina ſecreta non introſpiciunt, ut fuit Pharaoni, & Nabuchodonoſor: verùm ſuperni luminis infuſio iis dumtaxat committitur, qui conſcii fiunt arcanorum.

G Sed hìc annotare oportet, erga varias repræſentationes varièanimam aſſici. Quando enim quid repræſentatur per ſpecies ſenſibiles, ut manus, quæ Regi Balthaſſari apparuit, vel intelligibiles, ut Salomoni & Apoſtolis contigit, quibus ſcientia divinitus infuſa eſt, cum intellectuali lumine infuſo, non eſſe neceſſarium, ut à ſenſibus fiat abſtractio, vel alienatio. Tunc enim perfectum judicium intellectus fit per converſionem ad ſenſibilia. At verò cum revelatio fit per formas imaginarias, neceſſe eſt animam à ſenſibus alienari, ne phantaſmatum interna apparitio referatur ad ea, quæ extrinſecus ſenſu percipiuntur. Verùm hæc alienatio quandoque imperfecta eſt, & quæ intrinſecus concipiuntur, ab externè perceptis non exactè diſcerni poſſunt. H

Perfecta alienatio notata.

Alienatio autem perfecta (ut impefectam mo-

---

(1) *Sic in eadem editione legitur:*

Καὶ ἔϛιν αὖθεις ἡ θειοτάτη τοῦ Θεοῦ γνῶσις, ἡ δι' ἀγνωϛίας γινωσκομένη, κατὰ τὴν ὑπὲρ νοῦν ἕνωσιν, ὅταν ὁ νοῦς τῶν ὄντων πάντων ἀποϛὰς, ἔπειτα κὶ ἑαυτὸν ἀφεὶς, ἑνωθῇ ταῖς ὑπερφαέσιν ἀκτῖσιν, ἐκεῖθεν καὶ ἐκεῖ τῷ ἀνεξερευνήτῳ βάθει τῆς σοφίας καταλαμπόμενος.

„ Eſt item diviniſſima Dei notitia, quae per neſcien-
„ tiam accipitur, ſecundum illam, quae ſupra in-
„ tellectum eſt, quando mens a rebus omnibus re-
„ cedens, ac demum ſemetipſam deſerens, deſu-
„ per fulgentibus radiis unitur, quibus in illo inſcru-
„ tabili ſapientiae profundo colluſtratur.

Scrip. An. circ. 1607.

modo prætereamus, de qua idem aſſeri poſſet in nonnullis eventibus) fit vel per cauſam naturalem, ut per ſomnum, vel per ſupernaturalem, ut per contemplationis vehementiam, vel virtute divina rapiente, ut paſſim exempla commonſtrant.

Duplex viſio notata.

A

Animæ igitur ſic abſtractæ duplex viſio evenire poteſt, imaginaria ſcilicet, ac intellectualis. Imaginaria, quæ per phantaſmata exprimit, quod ibi Deus tanquam per notas hieroglyphicas manifeſtat, plures habet gradus.

Primus ejus gradus.

Primus eſt, cum per ſigna, vel imagines veritas revelatur.

Secundus.

Secundus, cum non ſolùm ſigna cernuntur, ſed & verba audiuntur. Quæ cum apertiùs, quam imagines, veritatem intelligibilem manifeſtent, (qua in manifeſtatione conſiſtit viſio, ſive revelatio) efficitur, ſecundum hunc gradum eſſe primo nobiliorem.

Tertius.

Tertius verò, & nobiliſſimus gradus eſt, cùm quis percipit, cernitve non ſolum ſigna verbórum, vel factorùm; verùm, & intuetur perſonam loquentem, vel quippiam oſtendentem. Hoc enim ipſo anima propinquior fieri videtur Deo revelanti.

B

Intellectualis viſio quae?

Intellectualis autem viſio, quæ ſcilicet ſine imaginibus corporum intellectui res divinas oſtentat, omni imaginaria viſione longè præſtantior eſt. Illa nimirum, quæ res ſupernaturales, ſive divinas manifeſtat. Nam quæ cum intellectualis ſit, res tantummodo naturales oſtendit naturæ ſecretis abſtruſas, inferior eſt ea, quæ cùm imaginaria ſit, veritates tamen ſupernaturales patefacit.

Cur imaginaria excellentior?

Ratio verò, ob quam intellectualis revelatio eſt imaginaria excellentior, in promptu eſt; quia nimirum propinquior eſt viſioni beatæ, quæ inter omnes præſtantiſſima eſt. Et naturalis ratio ſuffragatur. Inter diſcipulos enim ille eſt perſpicacioris ingenii, & exactiùs perſpicit veritatem, qui non eget corporeis ſimilitudinibus, quæ rudiores juvant, & ad nudam varitatem capiendam ſenſim introducunt.

C

S. M. Tereſia, Manſ. 6. c. 3.

Verùm quia in ſecundo gradu viſionis imaginariæ verba audita repoſuimus impendio notandum eſt, verba multifariam ab anima percipi ſolere, quemadmodum B. M. Tharaſia diſertè docuit: Quædam enim verba extrinſecùs audiri adeò interdum, ut externis auribus inſonare videantur; alia è centro animæ; alia è ſuperiore illius portione prodire videntur. His autem modis omnibus, & Dei, & dæmonis, & propriæ etiam imaginationis opus eſſe poſſunt. Sed ad verba Dei internoſcenda hæc ſigna diſtinxit.

D

Signa genuinarum viſionum. Primum.

Primum, & omnium veriſſimum eſt, poteſtas, & dominium loquentis, qui effatur ſimul, & operatur (exempli gratia) cùm ſævit interior afflictio, uno duntaxat verbo, puta, Ne timeas, vel, Confide; æſtus ille ſedatur, & anima remanet pacatiſſima atque tutiſſima.

Secundum.

Secundum ſignum, quies animæ impreſſa & intra ſeipſam collectio, devotio, pax, & ad divinas laudes expeditio.

Tertium.

Tertium ſignum, verba per longum tempus memoria non excidere, & aliqua nunquam.

Quartum.

Quartum ſignum, ſecuritas futuri exitus verborum licet aliquæ nutationes obrepant, & adverſitates ingruant.

S. M. Tereſia *Manſ. 6. cap. 3. ad fin.*

At quia præter enumeratos loquendi modos, eſt alius altior, & ſubtilior, B. M. Tharaſia illum expreſſiùs tradidit.

E

Sublimior Dei loquendi modus.

Hunc enim modum, quem à Deo eſſe certò illa ſibi perſuaſit, cum aliqua intellectuali viſione in animæ intimo dicit accidere; ubi anima internis auribus Deum ſibi videtur audire adeo ſecretò, ut ipſe audiendi modus occultiſſimus, & miræ viſionis incidentis operationes certò perſuadeant, dæmonem illuc penetrare non valere: nec verò (de quo dubitari potuiſſet) imaginationis propriæ figmentum eſſe, cujus rationes plures mirificè ſubjecit, tametſi noluerit (ut exiſtimamus) rem ita definire, ut ſecuritatem inexpugnabilem polliceretur.

Et ejus ſecuritatis rationes. Prima.

Prima ratio. Sermonis claritas quavis alia verborum perſpicuitate longè major, & ſententiæ tenacitas. Ita enim integram ſententiam intellectus concipit, ac ſervat, ut ſingulorum verborum exactè meminerit, ſtylum ſermonis notet, & an vel una ſyllaba deſit, animadvertat. Quæ ſecus in imaginatione contingunt.

F

Secunda.

Secunda ratio. Sæpè nulla de iis præceſſerat cogitatio, & verba repentè formata alicui cogitationi celerrimè incidenti, vel etiam cogitationi ante id tempus habitæ reſpondent. Hoc autem nòn eſt imaginationis opus.

Tertia.

Tertia ratio. Hæc verba aliunde procedentia velut aure percipiuntur. At imaginationis opus eſt quædam propria compoſitio verborum, quæ animus cupit audire.

G

Quarta.

Quarta ratio. Verbo ſaltem uno ejus generis plurima lux oboritur intellectui ad multa capienda, quod non ita, cùm opus proprium animæ eſt.

Quinta.

Quinta, quartæ finitima; ſimul cum verbis multa ſupra id, quod præ ſe illa ferunt, animæ reteguntur.

Hæc autem ſigna, & rationes (cum eadem in alloquiis, quæ in aliis revelationibus pericula, & dubia ſubſint) conferent etiam ad revelationes internoſcendas, ac dijudicandas. Ad quem etiam finem communia à Doctoribus tradita revelationum diſcernendarum ſigna ſubiiciemus.

Et ejus ſigna Primum.

Primum ſignum: An veræ omnino, vel partim, & Scripturæ Sacræ, & Eccleſiaſticæ doctrinæ conformes:

H

Secundum.

Secundum: An materia revelationum ſit vana, curioſa, vel quæ ſine revelatione ſciri poſſet?

Tertium.

Tertium: Qui ſint effectus quos ex iis, qui à B. M. Tharaſia ſuperiùs traditi ſunt, metiri tutum erit.

Quartum autem ſignum multiplex.

Quartum multiplex: An perſona polleat intellectu? ſi laboret aliqua continua, vel intercalata læſione? ſi melancholica? ſi amore, vel odio vehemens, vel etiam præ-

ceps

ceps ſit? ſi juvenis? ſi recens in divino cultu? ſi experta? ſi proclivis ad vehementem imaginationem? ſi bonis moribus, humilitate præſertim prædita? Si contrà ſit arrogans, & prona ad ſua bona propalanda? Si non rogata ea detegat, vel ſaltem leviter rogata? ſi ſecreti cupida? ſi ſuæ ſententiæ tenax? ſi contra ſententiam Doctorum conſulentium credat revelationibus, & exequatur quippiam? Si nolit conſulere alios erga ea, quæ ſibi credit fuiſſe revelata? ſi curioſè accedat ad orationem revelationum cupiditate? ſi roget, oretve Dominum, ut quippiam ſibi revelet? ſi vita, ornatu, converſatione ab aliis ſui ſtatus differat? ſi revelationes à peritis excuſſæ, probatæque fuerint? ſi timore corripiatur, vel afficiatur gaudio, mox ut ei quippiam incipit revelari? Bono quippe ſpiritu animam viſitante initio ſolet illa timore corripi; mox tamen pacatur, & gaudet. Contrà verò, reprobo ſpiritu irruente. Et ſi quando principio exhilaratur, ſtatim tenebreſcit, & obtunditur, & ad ſtudium veræ virtutis fit inepta.

Hæc omnia, & plura, quæ Spiritus divinus ſuggeret, explorare, ac trutinare oportebit, priuſquam judicium feratur, & implorato potiſſimum auxilio Clementiſſimi Dei, circumſtantiis, & effectibus perpenſis, ſententia dicenda eſt. Ipſe autem Spiritus divinus ſummiſſis cordibus aderit, ne dum ei placere ſtudent, in Angeli Sathanæ transfigurantis ſe impoſturas incurrant.

Jam verò æquum erit, ut exercitium quo in eam, quam tradidimus, ſapientiam aſſurgendum eſt, præſcribamus.

CAPUT IX.

De motibus anagogicis, ſive aſpirationibus.

Aſpirationum exercitium commendatur.

MIra ſunt planè, quæ de honeſtate, ac voluptate Myſticæ Theologiæ tradita ſunt, ſed mirabilius aliquantò videtur, ad tam inſignem cum Deo familiaritatem facilè, brevique poſſe perveniri. Concors enim omnium (quos legerim) ſententia eſt ad altiſſimam Dei cognitionem, & ſenſum, ſive experimentum, aſpirationum exercitio ita animam erigi, ut ſi hoc Angelicum exercitium miris laudibus celebratum cæteris omnibus antepoſitum frequentet plurimum proficiat. Habet enim tam egregiam vim extimulandi, & divinis flammis urendi; ut hoc unum idoneis circumſtantiis ſeptum, & ſtudio virtutum armatum, ad ſummam Chriſtianæ vitæ perfectionem, & puritatem corda noſtra perducat. Quamvis enim dona Dei ſint, unio, raptus, fruitio, revelatio, & illa indulgentiſſimi Dei interna blandimenta, & ſolis conatibus noſtris quantumvis nervoſis illa non producamus; at certè animæ ſeſe idoneè ad eas nuptias ornanti, & comparanti munificentiùs, quàm cogitare valeat, indulgentur.

Ejus mira vis.

Dona Dei quae?

Ut ergo praxim hujus exercitii tam ſalutaris tradamus, meminiſſe opus eſt, doctrinam hanc non omnibus congruere, ut ſuperiùs cæpimus indicare, ſed iis, qui aliquamdiu in oratione mentali jam deſcripta paſſionibuſque ſubjugandis, & parandis virtutibus operam poſuerunt, & propter amorem Dei univerſa, quæ ab eo cor avertunt, abiicere decreverunt.

Ii ergo, ſive Dei præſentiam imaginariam, ſive intellectualem mente verſent, atque pertractent (à qua nunquam recedere conari debent) ſimpliciſſimis, ſed (quoad poſſunt) fervidis cordis motibus anagogicis, hoc eſt, cor erigentibus, aut ſublevantibus, quas & aſpirationes, & jaculatorias orationes appellamus, cor impellere, & creberrima iteratione ſurſum agere debent; ita ut modicam partem intellectui meditanti, maximam verò voluntati ad Deum ſe erigenti, & multiplici affectu incaleſcenti tribuant: ſive cùm in abditum locum ſe recipiunt, ſive cùm in publicum prodeunt, ſive cùm veſcuntur, ſive cùm colloquuntur, ſive denique cùm quippiam aliud agunt, quo non prorſus mens occupetur. Cùm enim non ſit opus continuum, ſed morulis diſcretum, omnibus ferè actibus interſeri poteſt, ſeu quis mente perſpicax, ſeu tardus ingenio ſit, ut ſtatim ex praxi liquebit.

Animadverſio.

Animadvertendum tamen eſt, aſpirationes has principio non ita facilè ab omnibus produci; ſed plerunque vi opus eſſe ad cor languidum erigendum.

At difficultas hæc omnibus eſt exercitiis communis; difficultati verò facilitas, ſuavitaſque ſuccedit, quæ cordi lætitiam magnam conciliat. Quando verò prædicta viget difficultas (quin, & univerſim quovis tempore) prudenter agendum eſt; ne ſcilicet nimia corporis vi, ſeu conatu natura lædatur. Temperato enim conatu, ſed perſeveranti, cor ſenſim erigitur, & in dies ſingulos majorem expeditionem, & agilitatem, uſque ad ſuaviſſimum Dei experimentum acquirit. Sed hæc eſt praxis hominibus etiam agreſtibus, & ſimpliciſſimis captu facillima, quam in epiſtolis huic operi ſubjectis perſequemur.

Praxis exercitii aſpirationum.

Clementiſſime Deus, quando diligam te? Suaviſſime Deus cordis mei, utinam dilectionis brachiis amplecterer te. O deſidaratiſſime Rex, cupio transformari in te. O dulciſſima Vita animæ meæ, utinam adhæreret anima mea poſt te. Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Utinam deficiat in te cor meum, & caro mea, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Quando, Domine ſolvetur glacies cordis mei? Emitte, obſecro, ſpiritum tuum calidum, & urentem, qui reſolvat gelu meum, & conſumat animam meam. O deſideratiſſime Rex, o pulcherrime Sponſe animæ meæ. Sicut deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te. Certè ſitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Tu enim es requies cordis mei ſolliciti, & ſatagentis, & ad optatiſ-

Scrip. An. circ. 1607

ſimam ſibi voluptatem hiantis. Cupit commoditatem, honorem quærit, voluptatem affectat; tu verò dulciſſime Deus, commoditas mea es, honor meus, & caſtiſſima voluptas fatigati cordis mei. Recordor, dixiſſe te; Venite ad me omnes, qui laboratis & oneratis eſtis, & ego reficiam vos. Propterea fideliſſime Domine, clamo ad te, multis laboribus oneratus, ut me feſſum viſites, atque ſoleris. O ſanitas mea, quam concupiſcit anima mea, ſine me attrahere te, ut valeam, & arctiſſimo complexu te mihi ſedulus adſtringam,

Fruſtra laboro, quamdiu te non quæro. Propterea quæſivi vultum tuum, vultum tuum Domine requiram. Credidi enim, infinitè perfectam eſſe pulchritudinem tuam, qua corda capis, atque permulces; qua proſperè procedis & regnas: & ob id ſpeciem tuam & decorem affectabo vultus tui. O elegantiſſima forma, quando fruar te? Ne, obſecro, repellas me, ſuaviſſime Deus, ab unione tua, & languentem ſpernas ſervum tuum. Areo enim, more terræ, quæ deſiderat imbrem. Effunde ergo, clementiſſime Deus, largam ſuper me benedictionem de rore cœli, & de pinguedine terræ. Terra, inquam, viventium, qui potantur torrente voluptatis tuæ, & ſatiantur ab ubertate domus tuæ. O clariſſime, ac ſpecioſiſſime Deus, cujus deſiderio languet anima mea. Unam petii à te, & tametſi repellas, hanc requiram, ut inhabitem in domo tua omnibus diebus vitæ meæ. Utinam dirumperes cœlos, & ad me deſcenderes, ut durities mea liquefacta deflueret, & amore tuo totus ignitus inenarrabilibus te gemitibus invocarem. Deſidero enim exorare te, & cor tuum, non meritis, quibus careo, ſed clamoris improbitate mulcere. O Rex pacifice, cujus vultum deſiderat univerſa terra, cui tributa reddunt Reges univerſæ terræ, in dies, & horas ſingulas cupio tibi rependere tributum cordis mei. Suſcipe illud, precor te, & repone in theſauris domus tuæ. Nonne tu apponis erga homines cor tuum, ad hunc certè finem, Domine, ut cor hominum propinquum fiat cordi tuo? Ineamus ergo pactum hujus propinquitatis, Deus meus, & commodabo tibi cor meum omnibus diebus vitæ meæ. O Domine, ſi exaudires votum meum, & dares mihi ſterili ſexum virilem amoris tui, quem requiro, novacula non aſcenderet ſuper caput meum, & præcordia mea conſecrarem tibi. Uſquequo Domine ſilebis, & ſitientem animam extabeſcere patieris? Gravior enim mihi cruciatus eſt, ſine te vivere, quam tecum mori.

Heu quis mihi det, pulcherrime Fili Dei, ut ego moriar pro te? Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt; & cogor ibi vivere, unde mallem abeſſe: & à te abeſſe cogor, cum quo tantopere cupio permanere; O dilectiſſime, cur ſiles, & te non audire velut ſimulas. Ergone, cum ubique divinitate præſens ſis, eſurientem animam meam fame torqueri patieris: cum abundes panibus, & illam ſine jactura divitiarum tuarum enutrire ac ſaturare queas? O Rex, & homo dives, qui feciſti cœnam magnam; & invitaſti multos, & inter eos invitaſti me; quid eſt hoc, quod nolentes rogare, & volentes videris arcere? Nunquid diligis eos, qui te oderunt, & odiſti eos, qui diligunt te? Certè utroſque in finem dilexiſti: & cum adhuc inimici eſſemus, gratis pro nobis mortuus es. Quantò ergo magis nunc à te tibi reconciliati, ab ira, & odio tuo ſalvi erimus per te? O caſtiſſime Fili Dei, hujus reconciliationis ego fructum experiar. Decerno enim requiem non dare oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inveniam tibi locum, ubi quieſcat anima tua.

Novi caſta corda, & in mundi neglectu generoſa tibi requiem conciliare. Expurga ergo vetus fermentum à corde meo, & ingredere in requiem tuam tu, & arca ſanctificationis tuæ. O pax, quæ ſuperas omnem ſenſum, ſeda procellas meas, & ſtatue illas in auram; in cujus ſibilo audiris, tranquilliſſime, ac mitiſſime Deus animæ meæ: Et ego tibi dovoveo, & nunc trado tibi cor meum, ut nunquam illud mihi reddas, ſed tu pro corde in me recondaris, ut motu, & calore tuo vivam, ô dulciſſima vita animæ meæ.

Hujuſmodi motus, & variæ in Deum aſpirationes tantopere cor emolliunt, & ardentiſſimis deſideriis inflammant, ut vix credi poſſit, quam citò, ut experti docent, anima Dei ſenſum concipiat. Quod ſi adeò interdum langueat, ut eas aſpirationes nequeat niſi ægrè producere, aliqua pia meditatione utendum eſt, quoaduſque cor meditando incaleſcat, & mox ad aſpirationes redeundum. Quod ſi nec meditatione cor excitetur, non propterea eſt deſiſtendum, ſed ſic difficulter agendo perſeverandum eſt, donec probata fide victoria cor potiatur. Et in hunc modum Myſticæ Theologiæ finem imponimus, & omnia, quæ aſſeruimus, ſanctæ matris Eccleſiæ Romanæ judicio ſubiicimus. Ad gloriam, & laudem perennem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & puriſſimæ Virginis Mariæ.

AUCTORIS PRÆFATIO LECTORI.

SUbjectas Epiſtolas ſtyli Sacri pietatem potiùs, quàm profanam eloquentiam olentes è verbis ſacræ Scripturæ magna ex parte contextas, & ad Theologiæ Myſticæ exercitium ultimo Capite à nobis commendatum appoſitas, tibi, Chriſtiane Lector, offerre operæ pretium exiſtimavimus. Quarum lectio ut ſalubrior fiat, tria certè monita obſervanda ſunt. Primum, ut tempus ab aliis curis exemptum ad legendum ſeligatur: ſecundum, ut legatur lentè: tertium, ut cum animus lectionis efficacitate ſe commoveri ſentit, à lectione interquieſcat, donec ea commotione remiſſa, lectionis paſtum reſumat:

Hæc ſanè tria monita, compendio multo, animum cœleſtibus flammis incendunt: quas Clementiſſimus Deus univerſis operis hujus lectoribus immittat.

SUPERNÆ
HIERUSALEM
REGI PACIFICO
JESU CHRISTO
Exul homo ſalutem.

EPISTOLA PRIMA.

Epiſtola hæc nihil aliud eſt, quàm multiplex aſpiratio ad Deum, & petitio divini amoris, ac divinæ conſolationis, & ut ſit efficacior ad impetrandum, habet admixtam multiplicem confeſſionem propriæ fragilitatis, & laboris, quo premitur anima, quæ caret divina conſolatione, & multis vexatur tentationibus.

Scrip. An. circ. 1607. MItiſſime Rex Salomon, cujus vultum deſiderat univerſa terra, ex quo pater generis noſtri Adam, cùm in honore eſſet, non intellexit: ego verus Adæ filius erravi, ſicut ovis quæ periit, & anima mea, quam à paradiſo expuliſti, ut pro A tranſgreſſione coleret terram ſpinas & tribulos germinantem, facta eſt quaſi vitula edocta diligere trituram, aſſueta mundi jugo, quod ſponte ſubivit.

Hoc principium ſermonis mei, ô pax optatiſſima, quam velut cerva à canibus infeſtata, quærit anima mea. Cui non cogitatione tantùm, verùm & ſcripto ſacrificio ſuſpiria mea, & deſideria æſtuantis cordis mei. Non quod ad te ſcriptura mihi opus ſit, dulciſſime Deus; deſiderium enim pauperum, quaſi clamorem validum exaudire, & præparationem cordis eorum, priuſquam voce proferatur, percipere ſoles; & loqui ad cor Hieruſalem, quia diligis eam. Sed ego mihi laboro, dum ad te ſcribo, & quæro requiem cordi meo, ſi forte dum jam tibi notos pando gemitus meos, excitentur languentia deſideria, & incaleſcant vota mea, & quaſi ſacrificium veſpertinum fument tibi in ara cordis mei. Concupivit quippe anima mea deſiderare te, & optans B pelago tuæ caſtiſſimæ voluptatis abſorberi, omnia, præter te, velut ſtercora, propter te, cupit arbitrari.

Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Defecit cor meum, & caro mea abſente te, ô Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Hinc ergo exordiar ſermonem meum, quod cùm tu ſis hæreditas mea, ſola potens extinguere ſitim meam; neſcio ſatis ponderare grande hoc malum, & amentiam animæ meæ ſatagentis, & oberrantis in terra, quam dediſti filiis hominum, qui dereliquerunt te! Paſcit ventum, & aranearum telas texit inſipiens anima mea, & fruſtra jacit rete ante oculos pennatorum, (Pennata ſunt enim, & fugacia, quæ apparent, & non ſunt, mundi Cain infœlicitas notata picta bona) & veri boni imagine deluſa fatigatur. Infelicitas Cain cecidit ſuper eam, ut vaga, & profuga per creaturas erret ſine C fine, donec feratur in finem ſuum, te ſcilicet, veram requiem, pulchritudinem, ac voluptatem ſuam: te, inquam, ſapientiam, opulentiam, & ſplendidiſſimam honeſtatem ſuam. Credit nimirum hoc, & pro hac veritate vellet occumbere; & tamen adeo aliena effecta eſt à te, ô dulciſſima ſpes, quæ cor meum, & præcordia firmas, ut mirum Concupiſcentia inconſtans. ſit, quomodo obſcuratum ſit aurum, & mutatus auri color optimus, colore videlicet mundi permutatus. Inconſtantia enim concupiſcentiæ obſcuravit mihi vera, & ſempiterna bona, & urget me ad ſectandam va-

Scrip. An. circ. 1607.

vanitatem, qua video multos capi ſapientes, & fortes enervari. Quid eſt hoc, honeſtiſſime, ac nobiliſſime, & ſupra omnem cogitationem pulcherrime Deus, ac Sponſe animæ meæ? Vanitas irrepſit, & alligavit cor meum, & te, quamvis multis conatibus ſe exerceat, nequit invenire. Quis me faſcinavit, & captivum abduxit? Quo fertur tam A vehementer, te quaſi fugiens, phrenitide correpta anima mea, quam tenerrimum cor tuum adoptavit ſibi? Uſquequo deliciis hominum diſſolvi cupiet filia hæc vaga tua, Deus meus? Quid ſibi vult amens hæc in via Ægypti, ut bibat aquam labore ac pretio magno comparatam, qua ſitis non ſedatur, ſed invaleſcit?

Chriſtus Jeſus vera ſatietas.

Cur appendo argentum non in panibus, & laborem meum non in ſaturitate? O vera ſatietas, quæ penetras, & exples ſinus omnes cordis mei. Ubi eſt triticum, & vinum, ſuaviſſime cuſtos, qui paſcis me? Ubi, quod abſque argento, & ulla commutatione donas vinum, & lac? Ergone credendum eſt, quod iſta pocula libentur in terra, & adhæreat lingua mea palato, præ magnitudine defectionis meæ? B O dulciſſime potus, cujus deſiderio areſcit anima mea, quando me feſſum de via recreabis, ut exultent humiliata hæc oſſa mea, quæ velut cremium aruerunt? Quando Sponſe dulciſſime, ac puriſſime fons vitæ meæ, torrente voluptatis tuæ potabis me? Utinam dirumperes cœlos tuos, ut aliquando plueret, vel ſaltem rore modico matutino me conſpergeres. Utinam petra cordis mei in hoc deſerto ſcinderetur, & fons in hac mea ſolitudine, qui leniter mihi funderet aquas illas Heſebon, quæ fluunt cum ſilentio. O ſuaviſſima vita cordis mei, penetra celeriter medullas meas; tibi enim patent, atque hiant penetralia viſcerum meorum, & arcani pori lugentis animæ meæ. Et quò ar-C dentius eſt tui deſiderium, eò magis tædet animam meam vitæ meæ. Et velut moræ impatiens, dimitto adverſum me, non te, licèt de te, eloquium meum.

Sermo conceptus difficile retinetur.

Sine, obſecro te, patienter audi querimonias meas, filias deſiderii, quod differtur. Conceptum quippe ſermonem retinere difficile eſt: ſermonem, inquam, illum, quem concepit amor. Effundo ergo ad te, o tranquillitas & lætitia mea, voces, interpretes cordis mei; in quo non videtur halitus remanſiſſe, frequenter aſpirando conſumptus. Propter quod, oro te, ſis tu mihi ſpiritus oris mei, quem inſpirando traham in æternum. Et ambulabis ad auram iſtam non ſolum poſt meridiem, ſed per integras noctes, atque dies. Patebit tota tibi, expectans refrigerium anima D mea, quæ delectabitur ſuper ſalutari ſuo. Cupit illa certè ſpiritum vitæ, cui fœdere ſtrictiſſimo ſocietur. Quærit, ac requirit, & affectat dulciſſimam præſentiam vultus tui; ut inſpires in faciem ejus ſpiraculum ſuaviſſimum ex ore tuo. Vide ergo, humaniſſime, quomodo coarctor, dum animam meam erigere conor ad hoc tuum refrigerium. Frequenter conor attollere ad te ſpiritum meum, ſed prægravant me præcordia mea, & fluctuantes cogitationes meæ. O, quis mihi det, ut fruar ſibilo auræ lenis, in qua corda viſitas, ſpecioſiſſime Fili Dei, quando ſine motibus ac ſtrepitu paſcis amoris flammam voraciſſimam. Quando tu imperas ventis, & mari, & ſtatim ſilent fluctus ejus. Lætarer ego valde, quia E ſilerent; & procella mea in auram verteretur. Dic ergo, & ſeda mare meum, ut pace illa, quæ exuperat omnem ſenſum, quam inſtillas, cum cordi blandiris, aliquando fruar. Per medios fluctus, & ſævas paſſionum, ac tentationum procellas navigare cogor; ſæpe videor mihi aquis operiendus, & opto, ut appareat mihi lucifer matutinus, qui neſcit occaſum. Opto ſcilicet te, lux mea ſplendidiſſima, cujus voce ſuaviſſima pax vera revertitur. Orietur enim mihi ſol, & cœleſtis quoque ſerenitas, ſi lætus affueris. Tunc omnes beſtiæ ſylvæ, cum in terram deſcendero, congregabuntur, & collocabuntur in cubilibus ſuis. Afferes enim mihi pacem, pacem, quia in te ſperavi. F Pacem hanc ſemper inquiram, bello diuturno comparandam. O quies expectata, & multis gemitibus repetita, quis me deducet ad amplexus tuos? Ubi eſt, Sponſe dilectiſſime, thalamus ille tuus, ubi cum deſponſata tibi anima requieſcis, & caſtiſſimo conjugio delectaris? Doce me (obſecro) locum illum, quem abſcondiſti è ſapientibus, & prudentibus, & parvulis revelaſti. Si docueris me, o manſuetiſſime, tunc immaculatus ero, & non tantùm emundabor à delicto maximo, ſed & ſuper nivem dealbabor, tu enim eris tunc puritas, & munditia mea, ſi in pacis tuæ locum introducar; & te ſtrictiſſimis amplexibus aſtringam. At ego ardenti pacis teneor deſiderio, & picta me ſollicitat pacis pulchritudo, ſed ſine illius experimento contabeſco: & eò magis ap- G propinquo ad portas mortis, quò frequentiùs ſine pace, pacis reminiſcor; ſolam quippe illius imaginem contemplor, & ſolum ejus nomen audivi.

Audivi, quod in pace factus ſit locus tuus, ac propterea diligas portas Sion, pluſquam tabernacula Jacob.

Propter hoc memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea. Auribus enim meis famam tuæ pacis & illius excelſæ ſapientiæ, quam in Sion doces, audivi. Sed heu me, quia perditio, & mors dixerunt: Auribus noſtris audivimus famam ejus. Væ mihi, dulciſſime Deus, cujus abſentia conſumitur caro mea: quid faciam tibi, requies mea, ut cor meum requieſcat in te? Ecce H trado tibi viſcera mea, quæ, ſi tibi placet, confeſtim diſcerpas, & uras, ut modicè ſaltem guſtet te palatum animæ meæ, quæ rore cœli deſtituta marceſcit. Certè tu apponis erga me cor tuum. Liceat ergo mihi, formoſiſſime Fili Dei, tributum cordis mei jam tibi rependere, ut à te nunquam ſeparetur; ſed melius, & ſecurius eſt, ut ex amoris tui magnitudine prædetis illud; ne

Scrip. An. circ. 607.

fortè tardus fiam ad reddendum. Accelera ergo clariſſima lux vultus mei, ſpolia detrahe, totum me feſtina prædari.

O ſi jam dirumperes vincula mea, ut tibi me totum hoſtiam laudis immolarem. O ſi fierem holocauſtum ignis tui flamma conſumptus. Deſidero enim transformari in te, ac me odiſſe concupiſco. Propterea in A tui amoris incendio corripe me, ut ſalvus fiam, quaſi per ignem. Ure jam renes meos, & cor meum; anima quippe mea ſitivit in te: certè, licet non quam ardenter vellem, ſitivit tamen in te anima mea, ô quam multipliciter tibi caro mea.

Adhuc enim caro mea in te cupit exultare propter famam pulchritudinis tuæ, quam exquirit. Fertur illa præceps in corporum venuſtatem, qua nihil putat optabilius, ac ob id importunè vexat me, ut nullum ſit pratum, quod non curem pertranſire. O pulcherrima Vita cordis mei, quàm ſævas procellas excitavit mihi: ò pacatiſſime portus animæ meæ, quoties incoſtantia concupiſcentiæ transvertere tentavit ſenſum B meum. Profectò niſi quia tu citò adjuviſti me, habitaſſet in inferno anima mea. Hæc mihi prælia oriuntur ex carne mea, quam ad te nitor erudire. Si enim capit eam pulchritudo, certè tu pulcherrimus es, & ad delicias comparatus; ſi formam elegantem cupit vehementer, cur te non affectet, ò ſpecioſe forma præ filiis hominum? Propter hoc nimis affligitur cor meum, quod cum ex te non ſolùm anima, ſed & caro poſſit haurire puriſſimam voluptatem, cui mundi contemptus, & oblivio permiſcetur; inter mundi pericula mœrentem repellis me, velut ablactatum ſuper matre ſua. Clamo ad te, nobiliſſima libertas mea, de hoc tenebricoſo carcere Adæ patris mei. Emitte manum tuam de alto, quæ tangat me, & reddat mihi cordis libertatem, quam ſanguine comparaſti mihi. C Certè non ſum filius ancillæ, ſed liberæ, qua libertate donaſti me. Nunquid mare ego ſum? Aut cetus, quia circumdediſti me carcere? Carcer meus, corpus meum, cujus anguſtiis, quaſi lapidibus quadris, ſepſiſti me.

Corpus animae carcer.

Redde nunc mihi lætitiam ſalutaris tui, veni velociter, & eripe me. Profectò puriſſima ſerenitas mea. Tu in judicio dicturus es; In carcere eram, & veniſtis ad me; & in electorum laudibus hanc inter potiſſimas recenſebis: ut gloria, & honore corones eos. Fac ergo, ſuaviſſima requies cordis mei, quod tibi tam jucundum, & amore tuo dignum eſt, ut me in carcere compeditum citò viſites, & ſolvas vincula colli mei: vincula, inquam, hæc pluſquam ferrea, quæ dorſum D meum ſemper incurvant, ut adhæreat terræ venter meus. Feciſti enim me rectum ut aſpicerem te, o ſuper omnem pulchritudinem forma præſtantiſſime, & prono vultu cogor terræ deformitatem inſpectare, quam odiſſe deſidero. Sed tu gratia valde dives ſine jactura ulla potes eripere me, ut ſedeam cum Principibus, & ſolium gloriæ teneam: multò certè faciliùs, quàm Pharao Joſephum, quando miſit Rex, & ſolvit eum Princeps populorum, & dimiſit eum, & conſtituit eum dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ.

Joſephà Pharaone honore habitus.

Non hoc ultimum poſtulo à te, dulciſſime Rex, qui amoris imperio corda regis. Non poſco, ut conſtituas me dominum domus tuæ: ſed ut inter mancipia dilectionis recipias E me, poſtquam ferrum pertranſiit animam meam, & manus meæ in cophino ſervierunt. Nunquid enim ſemper ſerviet, quem ad imperandum condidiſti? Quouſque animam meam tollis, abſcondite Deus cordis mei, pro quo laboro uſque ad vincula, quaſi malè operans in terra aliena? Sentio iterum efferveſcentem ſitim meam. Quis mihi propinet aquam de ciſterna tua, quæ derivatur ex formoſiſſima, & immortali jam carne tua? Etenim cùm adhuc mortalis eſſes in terra noſtra, o deſideratiſſima lætitia mea, omnis turba quærebat te tangere; quia virtus de te exibat, & ſanabat omnes. Tangat ergo nunc, & mollior, F & formoſior manus tua ægrotantem me, & curet me ab ægritudine mea. O ſi mihi porrigeres eam, non tam clavi, quam amoris vulnere ſauciatam. Imprimerem ego illi labia mea, nec morte ipſa vellem inde divelli. Ubi eſt, o tenerrime Sponſe animæ meæ, manus tua hæc? Produc illam mihi languenti, etiamſi velis illa interficere me. Benè novi ego te manus tuas nive candidiores cuidam dulciſſimæ ſponſæ tuæ, quæ ex tota anima ſua dilexit te, oſtendiſſe, & illarum pulchritudine cor ejus vulneraſſe.

D. M. Tereſiae.

O vulnus amoris tui! Confiteor tibi Vita jucundiſſima cordis mei, optare me hoc jaculo tuo vulnerari. Melius enim eſt mihi mori, quàm hoc vulnere ſuaviſſimo carere. Expono tibi cor meum vulnerandum, nec ultra obſecro, ſanes me. Licèt enim viſus G acumine parum valeam, te tamen utcunque contemplor vulneribus æternis ſauciatum: Et propterea tecum opto vulnerari, jucundiſſime Sponſe animæ meæ. Certè vulnerum corporis tui ſigna, & inſignia victoriæ tuæ intuliſti cœlo; ut me in carnis tuæ volumine ſcriptum amaret Pater tuus: Epiſtola enim ad Patrem mea tu es. At intima amoris erga me tui vulnera, quibus nunquam caruiſti, neque cariturus es, præſertim impellunt me, ut cupiam, & coner immortalia vulnera comparare. Etquidem, optatiſſime Deus, pro vulnere uno dabo tibi divitias univerſas, honores, & vitam ipſam, qua donaſti me, & bona omnia, quæ complecti valet latiſſima voluntas mea. Quin etiam, ſi adjuveris me, dabo tibi poculum H de vino condito amoris tui, & muſtum malorum punicorum effundens, ſi tibi placet, vim magnam ſanguinis expreſſi torculo paſſionis. Hæc omnia tibi dabo, quia tua ſunt; ſed novo fœnore lucraberis cor meum, quod ex voto ſuſpendam coram te, nec ego te invito audebo illud contrectare. Extende igitur manus tuas plenas hya-

Scrip. An. circ.1607.

Chriſti manus pulchrae.

hyacinthis, & formoſas valde, tange illis cor meum, & inter te, ac me ſolum corripe me. Audiam quippe te libenter, & ſic lucraberis fratrem tuum, & hærebunt tibi flammantia viſcera mea, quorum motus importuni ſedabuntur in te. Tu enim es eorum requies ſempiterna. Hæc omnia operabuntur tornatiles, & pulchræ nimis manus tuæ.

S. Maria Magdalena.

A Verùm ſi vel ſolæ manus ſic corda permulcent, quid fiet, o prædo cordium, quando tibi placet oſtendere manus, & latus quod patefecit amor? Credo equidem tantam eſſe vim dulcedinis tuæ ut paulò minus exhalent animas amici tui in arctiſſimo complexu tuo. O ſi mihi dares, ut ſemel ſaltem aſpicerem te, ut imago pulchritudinis tuæ cordi meo imprimeretur. Certè multò magis exultarent viſcera mea, quam exultant victores capta præda, quando dividunt ſpolia. Tu enim dilectiſſime Frater, Fili matris meæ, tu inquam es præda cordis mei avidè quærentis te, cupientis invenire, & capere te. O quàm ardenter adhæreret anima mea poſt te, ſi te illi mani- B feſtares. Oſcularer ſine fine vulnus lateris tui, & ſpiritum vitalem inde attraherem, & aure cordis perciperem motum vehementem cordis tui, ubi eſt promptuarium amoris, & ſalutis meæ. O cor tenerrimum amici mei qui uſque in finem dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Quis imprimet impetum animæ meæ, ut ebrietate ſobria diſcat inſanire; donec inveniat requiem ſuam, donec amantiſſime Sponſe ſopiatur in te? Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum, quia prior ego dereliqui te, & tu mater meæ ſalutis cupidiſſima, poſtea repuliſti me. Opto ſaltem dulciter flere propter te, ſi fortè commoveantur viſcera tua ſuper filio, quem genuiſti, cui grave malum eſt tamdiù C privari te. Utinam percuteres ſilicem cordis mei virga non indignationis, ſed dilectionis tuæ, & fluerent aquæ cum impetu de Libano, adulti jam amoris tui. Certè aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum, & ego initio noctis flerem propter te, & tota nocte non taceret pupilla oculi mei in vigilia charitatis. Æternis deſideriis inflammarer, & ſomnos interciſos caperet amor meus. Nam & ſollicitudo cordis excitaret me, ut exquirerem faciem tuam. Non ſicut negotiatores terræ, & Theman, & ſicut filii Agar, qui exquirunt prudentiam. quæ de terra eſt, ſed ſicut ſuaviſſima ſponſa cordis tui Magdalena; quæ exquiſivit cum fletu ſapientiam, quæ de cælo eſt, quam invenit manè; eò, quod D vigilaverat ad te; ſic ego, ſplendor nobiliſſime, & puriſſime amor viſcerum meorum, opto inquirere te, & flere, donec deficiant lachrymæ. Quis ſcit, ſi ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia? Forſitan inveniam te, & tollam, & tenaciſſimè amplectar, & inter præcordia te recondam, & ſervabo, donec introducam te in domum ſupernæ Hieruſalem matris meæ, & in cubiculum ejuſdem dulciſſimæ genitricis meæ. Propter hoc laborabo: & urar æſtu per diem, & gelu per noctem, & ſomnus recedet ab oculis meis. At nunc audire volo conſilia cordis mei, dum quæro te. Dicit mihi intùs cor meum; ſuſtine illum, quia citò veniet ſalus tua, citò appropinquabit gaudium E tuum, ſed ego tactus dolore cordis intrinſecus, reſpondeo illi: Quale mihi gaudium eſſe poteſt, qui lumen cœli non video? Ideo ſpes quæ differtur, affligit animam meam, quæ non habet conſolatorem. Sedet illa ſola ſine te, ſed plena populo paſſionum, plena motibus numeroſis, velut arena, quæ eſt in littore maris.

Facta eſt certè quaſi vidua tuis orbata voluptatibus; neſcit, an receſſeris ob culpam vel receſſeris ad coronam.

Recordare tu gaudium meum, & corona fœlicitatis meæ, me non poſſe vivere ſine te. Si peccavi, quid faciam tibi? Nunquid medici ſuſcitabunt me? In hoc cognoſcam, quoniam voluiſti me, ſi ſuſcites ani- F mam meam, ut vivens confiteatur tibi in conſilio juſtorum, & congregatione, ad quam gratis vocaſti me. O lepidiſſime, & valde potens in ſermone, uno ſaltem verbo ſolare me. Dic obſecro animæ meæ ſalus tua ego ſum. Lætabuntur enim præcordia mea voce ſuaviſſima dilecti mei; Diffuſa eſt quippe gratia in labiis tuis quibus inflammantur diligentes te. Certè propter verba labiorum tuorum ego curo cuſtodire vias duras, quas detrectant ſenſus mei.

Sed hei mihi, ò formoſe in ſtola tua, gradiens in multitudine pulchritudinis tuæ, cujus perpetuo deſiderio areſcunt oſſa mea, dum tibi commemoro vias duras, imago juſtitiæ tuæ terret me. Neſcio, an ſuſpiriis G meis placaverim te, ut ceſſet jam indignatio tua, quæ ebibit ſpiritum meum. Propter hoc, ó manſuetiſſime, oro te, ne multa fortitudine contendas mecum, nec magnitudinis tuæ mole me premas. Appare mihi lætus, o vita pluſquam dulciſſima animæ meæ. Illabere in intimas medullas meas, ut ſentiens caſtam voluptatem præſentiæ tuæ, remittam formidinem meam. Experiar ego mare màgnum bonitatis tuæ, guſtem miſericordias David fideles. Trahe me in funiculis Adam, in catenis charitatis. Utinam, mitiſſime Deus, jam non ultrà terreres me. Semper enim, quaſi tumentes fluctus te timui, & pondus tuum ferre non potui. Bonus mihi timor tuus, qui quaſi fræno compeſcuit me, ſed nimiùm afflixit me. Nunc verò, amor melle dulcior, & vita ipſa mihi H charior, cupio te magis amare, quàm timere. Deſidero tibi reddere tributum gratitudinis, quia tu prior dilexiſti me. Et calor vehemens, quo flagrare ſoles, excitat tibi cibi appetentiam inexplicabilem. Cupis enim vehementer cor meum amore conditum apponi tibi, quò avidiſſimè veſcaris. Eſuries magna eſt. Et opto te reficere, ſi placet

Scrip. An. circ.1607.

tibi, urgente fame comedere me; ut calore tuo percoctus in te muter, quod ardenter cupit anima mea.

Sed oro te, ſuaviſſima pulchritudo mea, cujus deſiderio cœli, ac terra liqueſcunt, ne faſtidias inſipidum cor, quod vellem condire, ac dulcorare tibi. Ne obſecro mihi dicas; ſi eſuriero, non dicam tibi; meus enim A eſt orbis terræ, & plenitudo ejus. Scio ſane, ô dives valde Deus cordis mei. Scio tuum eſſe orbem terræ, ac plenitudinem ejus: ſed quantum capio, omnia hæc unius hominis corde permutabis; pro quo ſanguinem ſimul, ac vitam profudiſti. Ecce ergo unum cor, ut pro victoria ſplendidè epuleris, veſcere, oro te, cito, & velut ignis conſumens depaſce me, & mutatus in te jucundiſſimam faciem tuam contemplabor, nec à te vel per momentum temporis divertam oculos meos, etiam ad Angelorum pulchritudinem intuendam. Ineffabilis enim eſt, ô electiſſime Fili Dei, gratia vultus tui, quo univerſa corda capiuntur. Non adæquabitur ei candor nivis, & ſerenitas cœli non compenetur ei. O quam libenter ego B mortis pretio illius intuitum compararem, ut amore arderem ſempiterno, ô quis mihi det, ut ex amoris vehementia moriar pro te, ſpecioſiſſime Fili Dei, ô ſi mihi commodares cor tuum, & cor pulcherrimæ matris tuæ, ut ævo ſempiterno amarem te: bene mihi eſſet cum illis cordibus omnibus diebus vitæ meæ. Sed & fidelia corda omnium ſpirituum beatorum, qui in terra viventium paſcuntur à te, & omnium animarum, quæ in univerſo mundo ardentiſſimè adhæſerunt tibi, mutuo mihi dentur, oro te, & in æternum non reddam illa. Tantummodo in iſta voce, ô dilectiſſime, exaudi me; & innumerabiles hoſtias ſacrificabo tibi. Fac me, ſicut miniſtros tuos, ignem urentem & holocauſta medullata reddam tibi. Non poſco C jam delicias, ſed torturas urentis amoris tui. Cur audis, & non exaudis tamdiu clamantem me, ô dulciſſime & candidiſſime, ô ſpeculum ſine macula vultus mei? Quando intuebuntur te oculi mei, & aſpiciet te anima mea, & affluet, & mirabitur, & dilatabitur cor meum, quod nunc laborat, & oneratum eſt? Nam ex quo peccavi, poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi gravis. Propterea cor meum laborat & oneratum eſt. Grande pondus repulſa tua, & averſa manus tua quæ tetigit me. Manum hanc tuam, oro te, longe fac à me, & formido tua non me terreat, & reſpirabo in te paululum, ô aura tenuiſſima & ſaluberrima animæ meæ, quæ refrigeras fatigata præcordia mea. Sed tu in rigore D tuo, quem non dedit nativitas, ſed culpa mea, confregiſti me: repuliſti & deſpexiſti, diſtuliſti ſervum tuum. Quid eſt hoc? Quid agis dulciſſime comes peregrinationis meæ? quid agit benigniſſima anima tua, & cor tuum, in cujus tabula carnea ſcripſiſti me? Tantum in me vertis, & convertis manum tuam tota die. Utinam, ſi placeret tibi, uno vulnere cito occideres me, ut ad cavernam maceriæ tuæ, ubi eſt nidus ejus, anima mea convolaret. Certè illa ibi requieſceret cum principibus, qui ædificant ſibi ſolitudines, qui replent domos ſuas argento quod examinatur in te. Certè non placet mihi ſtudium eorum, qui argentum theſaurizant, & aurum, in quo confidunt homines; E ſed illud ſtudium valde cupio, quo paratur aurum ſapientiæ, quam docere ſoles amicos tuos, qui ardentiſſime adhærent tibi. Quando, dum medium ſilentium tenent omnia, & nox in ſuo curſu medium agit iter, Tu ſereniſſima luce vultus tui ante ſolem illis oriri ſoles, vigilantibus, & hiantibus ad te.

Gratia vultus Christi ineffabilis.

Ejus repulſa grave pondus.

Quis mihi det, o Præceptor humaniſſime, frequentare gymnaſium hoc, ubi doces, & amore capis, & adſtringis tenerrimo cordi tuo eos, qui didicerunt invenire te? Si admiſeris me in ſcholam tuam, immolabo tibi multas victimas, & ludam, & ſaltabo coram te totis viribus, ſicut fecit David ſervus tuus coram Arca teſtamenti præ lætitiæ magnitudine: Reddam tibi primitias affectuum F ignitorum, & cantabo tibi canticum novum ritu ſempiterno. Deſideriis æternitatis inflammabor, & mille modis curabo placere tibi. Opto, dulciſſime Deus animæ meæ, laudibus æternis bonitatem, & ſuavitatem tuam immenſam celebrare; & tecum, donante te, dilectionis infinitæ fœdus inire. Pone, obſecro te, ut ſignaculum ſuper cor meum, ut tuo ſigno obſignata incedat anima mea, & quocunque ierit, ſigno dilectionis agnoſcatur, & repudiet omnes alios amatores. Melius illi erit in te unum totam vim amoris effundere, & ſubſtantiam omnem domus ſuæ. Propter quod oro te, fac me divitem amore tuo, & optatiſſima viſitatione tua, quæ deficientem alat me.

Davidis ſaltatio ante Arcam notata.

Da mihi genitor meus partem ſubſtantiæ G quæ me contingit, non ut prodigam illam cum filiabus hominum, ſed ut paſcatur anxius amor meus, ne ſi dimittis eum ſic jejunum, deficiat laſſus in via tua. Dimitte me lux formoſa valde cordis mei, ut ſcribam ad te, non de te, querimonias meas ad leniendum dolorem grandem, eò quòd dereliquiſti me. Sæpè quæro, o Vita animæ meæ, amabilis valde, multum, nimis; ſæpè quæro requiem, nec invenio, etiam in amabilibus creaturis tuis,

Etſi enim partim in eis luceat mihi pulchritudo tua, quam licitè poſſem diligere proprer te, repentè tamen adhæreſcunt illi parum caſti ſenſus mei, & ideo contraho cor meum, ne fortè zelus tuus recedat à me; ſed hic dolor acerbus eſt, quod ſubtraham H cordi meo paſtum creaturæ, & vivat, aut certè longa morte moriatur ſine paſtu tuo. Paſce igitur me amantiſſime Paſtor, & amore nudam veſti me; ſi enim dederis mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum, quo operiar, ex omnibus certè, quæ dederis mihi, decimas, & hoſtias pacificas offeram tibi. Quin etiam commodabo tibi viſcera mea, Scrip.An. circ.1607. mea, quibus utaris pro arbitrio tuo. Sic tibi fiant omnia corda tributaria. Iterum precor, paſce me. Miror ſpecioſiſſime Deus, miror amice fideliſſime, quomodo ſaltem propter improbitatem non ſolaris me. Certè non peto nunc tres panes, ſed modicum fragmentum panis tui, vel ſaltem micas melle dulciores, quæ cadunt de lautiſſima A menſa tua. Si exaudieris votum ſervi tui, reddam tibi pro fœnore cor meum, quia valdè rigidus es tu, cùm petis amoris uſuram. O uſura, quam qui reddit, cupit reddere auctiorem, quando reddam te, & effundam fœneratori meo liquefacta viſcera mea? O plus quàm ſuaviſſime amoris exactor, cui debeo plus quàm decem millia talentorum puriſſimæ dilectionis, quam repoſcis, quid faciam, cùm ſolvendo non ſim? Etiamſi mutuò danda petiero corda cunctarum creaturarum, & tradidero tibi omnem ſubſtantiam domus meæ pro dilectione, ære alieno, oppreſſus remanebo, quia te totum tradidiſti mihi ex magnitudine dulciſſimæ bonitatis tuæ. Propter quod coram te procido, veniam precaturus, & imitabor B inimicos tuos, quando fiunt amici tui. Nam coram te procidunt Æthiopes, & inimici tui terram lingunt. Opto tibi reddere grande pondus de auro Arabiæ, de divino inquam amore tuo. Sed neque ſic tibi ſatisfaciam, niſi te ipſum reddidero tibi. Quapropter liceat mihi o expectatiſſima vita, & inæſtimabilis opulentia mea, capere te, ac ſtrictiſſimè adhærere cordi tuo, ut habeam, unde ſatisfaciam creditori meo, quem cupio tam propitium experiri. Hæc eſt ſalus mea. Hoc eſt ardens deſiderium meum. Huc ferantur gemitus mei, quos ſine fine multiplicabo. Quis mihi det elatam, & ſubtilem vocem: qua cœlos penetrare, ac tua etiam præcordia, Rex cordium optatiſſime, traiicere poſſim, ut tandem ſoleris me?

C Verum, hei mihi, ſatis importune clamo ad te, expectatiſſimum bonum meum, & vox rauca cordis mei videtur vox clamantis in deſerto: ſed & cum ſuſpicio cælum, ſedem Majeſtatis tuæ, quò feruntur deſideria mea, tu nubibus obducis illud, & tonas terribiliter ſuper me.

Immittis mihi hoſtes tuos, & meos, qui moleſtiſſimis tentationibus perſequuntur me: Tu repellis, illi ſæviunt, cœli & terra conjurant contra me. Nunquid fortitudo lapidum fortitudo mea; aut caro mea ænea eſt? Miteſce ergo jam ſuaviſſime Fili Dei, & viſita eſurientem animam meam. Certe dulciſſima mater tua dixit, Eſurientem implevit bonis. Si ergo ego eſurio te, cur amoris tui præſentia non imples me? O ſapientia, quæ ex D ore Altiſſimi prodiiſti, veni ad docendum me viam prudentiæ. Didici profectò, ubi ſit prudentia, ubi ſit fortitudo, & longiturnitas vitæ, quia tu fide tua, quæ lucet in caliginoſo loco, docuiſti me. Tu es canities & prudentia mea, conſtantia & fortitudo mea, & æternitas vitæ meæ. Propter hoc eſurio te, major enim vitæ, quam panis fames eſt, ſed in his gemitibus meis non video me paſci à te. Potiùs enim judicio contendis mecum, quaſi ego eſſem inimicus tuus. Quid mihi & tibi eſt, placabilis valdè Fili Dei. Nunquid obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Veniant obſecro miſericordiæ tuæ multæ ſuper me, quaſi aquæ maris operientis. O E dulciſſimum deſiderium meum, & ſpes mea ab infantia mea, quàm laborioſum eſt ænigma hoc, in quo non videmùs te.

Quid enim jucundum videt, cui ſubtrahis aſpectum tuum, aſpectum ſcilicet illum, quo dulceſcit omnis labor, quem patimur in exilio? Nec certè ſolantur me admodum verba illa, quæ ſub diſceſſum tuum protuliſti; ut ſolita labiorum tuorum, & dulciſſimi cordis tui ſuavitate dolorem abſentiæ mitigares, ajens; Modicum non videbitis me, quaſi modicum ſit tempus, quo non videmus te. Quomodo enim, o ſalus optatiſſima, & æterna requies animæ meæ, quomodo, inquam, poteſt eſſe modicum tempus illud, quo non video te? Si enim bonum magnum eſt, quomodo ejus privatio parva eſſe poteſt? Si tu es ſalus, & vita ſuaviſſima cor- F dis mei, quomodo, o ſpecioſiſſime Sponſe, modicum tempus eſſe poteſt, quo tu abes, ſi abſente vita emoritur cor meum? Modicum appellas, o dulciſſime Deus, tempus abſentiæ tuæ. Certè mihi longum videtur ſupra omnem mundi longitudinem. Hei mihi valdè longum eſt, & non ceſſo numerare dies, patiens conſolatores oneroſos, expectans, donec veniat immutatio mea, & appareat mihi una, quam exquiro, ſatis læta dies. Certè quamvis non guſtavi, credo tamen, quia melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia. Proba ergo me Domine, & tenta me; ure iterum renes meos, & cor meum: ingrediatur etiam putredo in oſſibus meis, & citò ſcateat ſubtus me, ut aſcen- G dam ad populum accinctum noſtrum, ad Civitatem Sanctam Hieruſalem. Ibi enim videbo te, ibi ſatiabis me, ibi conſolaberis me, & agglutinabitur tibi anima mea. Sed o Anima animæ meæ, incipe nunc manifeſtare te, ut ſoles amicis tuis, ne amplius extenuetur corpus meum. In corde meo jam ſic decretum eſt, ſi dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino, tibi nempè, ubi conſoleris me. At verò quia tu, lumen oculorum meorum, differre vis tempus advetus tui, ſubintrant ſenſus mei precantes me, ut vel modicum illis permittam voluptatem; longum enim tempus eſt; ſed abſit hoc à me Deus meus. Dicam potius; Diſcedite à me omnes, qui operamini ini- H quitatem. Viri ſanguinum declinate à me. Tu enim es ſola caſtiſſima voluptas mea, in quam feruntur gemitus mei. Malo certè conari ad delitias tuas; quas, velut aquam recens panis hauriat anima mea, licèt in agone longo non guſtem te, quàm affluere mundi, & carnis voluptatibus, quæ vehementer ſollicitant me. Sincero corde, quod

fides

Scrip. An. circ. 1607.

fides firmat, in ariditate mea, quæram te, aliquando enim duces me ad ſolitudinem, & uberum tuorum lacte lactabis me. Repòſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo, & certò credo, quòd non confundar, quoniam ſperavi in te.

Sed dum his cogitationibus exerceo, me Deus meus, decor, & refrigerium cordis A mei, cum ſperem futura, quæ non video & quæ video, & nimis ſentio, torqueant me factus in agonia prolixiùs oro, ſi fortè clamoribus diurnis, & nocturnis poſſim aliquando placare te; ſed non propterea remittitur anxietas mea, nec lux conſolationis oritur mihi. Et certè mirum eſt hoc: Tuus enim eſt dies, & tua eſt nox, tu fabricatus es auroram, & ſolem, & tamen nec ſolem hunc, quem exquiro, intueor, nec ortum ſurgentis auroræ, quæ eſt pulcherrima mater tua. Jaceo languens, & ulceribus plenus ante fores dulciſſimi cordis tui, & ante latus apertum; & tamen nemo mihi dare videtur modicum fragmentum panis. Sed & quod facilius eſt, vel aquam ipſam videris ſubtraxiſſe mihi, & tamen tu B dirupiſti fontes, & torrentes, ut biberet in deſerto populus tuus. Quid ergo faciam tibi dilectiſſime? Quid faciam, dum conor ſugere mel de petra, & oleum de ſaxo duriſſimo? Quo munere placabit te ſitiens anima mea? Hæc inquam filia Sion, cujus viæ lugent, eò quòd non ſit, qui veniat ad celebrandam ſolemnitatem in lætitia cordis ejus. Nam etſi mundus veniret univerſus abſente te ſemper illa verſaretur in ſolitudine, & oculi ejus languerent præ inopia. Effunditur in terra jecur meum propter contritionem animæ meæ. Doce ergo me, ô Sponſe ſpecioſiſſime, quo ſacrificio placandus ſis, quemadmodum amicos ſervi tui Job docuiſti quibus parcere cupiebas. Ne patiaris obſecro te, me tamdiù lugere propter C te, nec exaudiri.

Quæro, nec invenio, peto, nec accipio, pulſo, & non aperitur mihi. Certè confiteor tibi, formoſiſſime Sponſe animæ meæ, remedium hoc expedire mihi: nec enim à dulciſſimo corde tuo, quo diligis me, pœna ulla niſi ſalutaris mihi prodibit.

Confiteor remedium eſſe, ſed amarum eſt. Utinam, ſi placeret tibi, miſceres illi dulcedinem tuam, & ſaporem ſuavitatis tuæ, qua extenuaretur dolor meus, ô dilectiſſime viſcerum meorum, in quo poſui fœlicitatem meam, ne iraſcatur Majeſtas tua contra me, ſi loquatur audacter ſervus tuus. Magnitudo enim paupertatis, & deſiderii mei ſuggerit incompoſita hæc verba mea. Quis mihi det poculum amatorium ad pro- D pinandum tibi, jucunditas optatiſſima animæ meæ, ut te jam volentem ſuaviter ducam ad explenda deſideria languentis amoris mei. Fruar tunc amplexibus tuis, & forſitan audebo oſculari te, ut contraham amplexu puritatem, & oſculo infinitam voluptatem; o cœleſtes deliciæ, quæ manatis è perenni fonte Dilecti mei, intrate ſicut aqua in interiora mea, & ſicut puriſſimum oleum influite in oſſa mea. Mergatur in vobis dilectionis avidum cor meum: moriatur in Oceano, cui præſidet ſponſus meus Moriatur anima mea hac morte juſtorum & fiant noviſſima mea horum ſimilia.

At uſquequò raucæ fient fauces meæ, clementiſſime Fili Dei? Nunquid donec aſpiret dies æternitatis tuæ, & inclinentur E umbræ mortalitatis meæ? Horreo certè martyrium hoc; valdè enim prolixum eſt. Recordare potius fideliſſime auctor ſalutis meæ, recordare teſtamenti tui ſancti. Juſjurandum, quod juraſti ad Abraham patrem noſtrum daturum te nobis. Etenim humano generi jam dediſti te, cùm peperit mater tua filium ſuum primogenitum; ſed ſi ego velut Eſau morior, quid mihi proſunt primogenita? Quòd ſi non velut Eſau morior, Deus meus, miſericordia mea, quia (ut ſpero) non ſicut illum odiſti me, nihilominus ingens calamitas eſt, quòd non viſites animam meam. Video quòd omnia te expectent, ut des illis cibum in tempore, & non deſeris vel pullos corvo- F rum, qui didicerunt invocare te. Ne igitur longiùs abſis, ſed quaſi unum ex illis paſce me. En, me denuo ſacrifico tibi, & ſuſpiria mea immolo coram te, ſi fortè jugi victima cordis mei inclinem viſcera tua. Colo terram, quam dediſti mihi, vineam, quæ reddidit tibi labruſcas, terram feracem ſpinarum, quibus laborare feci te. Araſti quaſi colonus in vitula mea; ideò tam expertus intelligis propoſitionem meam, propoſitionem inquam laborum meorum, & clamorum, quibus aures tuas pulſare non ceſſo. Pulſabo ſemper aures cordis tui ſubtilibus deſideriis penetrantibus uſque ad interiora velaminis ſancti tui, carnis inquam tuæ, qua divinitas velatur. Et ſpem incedentem concipere conabor tecum vivendi, ſine fine contemplans G magnitudinem amoris tui, qui non habet finem. Et ſuſpirabo ſemper ad auram vitalem refrigerii tui, o vita vitaliſſima, & expectatiſſima cordis mei. Quis mihi det, ut paſcar præſentia tua, in quam deſiderant Angeli proſpicere?

Quis mihi det, ut cœleſtibus ardeam deſideriis propter te, & producam ignitum eloquium tuum vehementer? Quis mihi det, ut puriſſimo corde operer ad lineam rectiſſimæ voluntatis tuæ, ut ſic fiam potens in opere, & ſermone?

Hæc mihi optabilia ſunt, clementiſſime, ac humani cordis avidiſſime Fili Dei, ut multis modis conciliem tibi corda multa, & animas innumeras, quaſi virgines caſtas, tibi deſpondeam. Si emim hoc paſtu refecero te, ſcio me etiam à te recreandum, & dulciſſi- H mis epulis ſaginandum in convivio, quod paravit amor tuus. Paravit enim non tauros, & altilia, ſed eſcam, & potum ſuaviſſimæ dilectionis, & ab ea genitæ voluptatis, qua laborantes denique refocillantur, qui beati ſunt, & bene illis erit, labores manuum ſuarum qui manducabunt. O fortiſſime Samſon, Scrip. An. circ. 1607 ſon, liga te funibus amoris mei, cujus anima defecit præ dilectione mea, & ad mortem uſque laſſata eſt, refice me laborantem melle victoriæ tuæ, quod ex ore leonis retuliſti. Oſtende mihi formoſa nimis ubera tua, pignora fidelia charitatis tuæ, & ego ſugam avidiſſime dulcorem cordis tui, ut laus tua perficiatur ex ore infantium, & A lactentium. Recordare quia Frater meus es, tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Recordare agoniæ, & ſudoris tui quando tibi è cœlo affuit conſolator. Sic mundus univerſus igne tui amoris liquefiat; veni citò, obſecrò te, ad refocillandam animam meam. Aperiam tibi portam cordis mei, & in ejus centro abſcondam te, ut ibi mihi vivas in æternum. Melior eris unus tu animæ meæ, quàm decem filii, & ſi te capit illa, ſatis eſt. O ſatis, o ſatietas, o cœleſtis opulentia mea, quoties proſtravi me tibi in Eccleſia tua, ut pane filiorum ſaturares me? Duo certè rogavi te, ne deneges mihi, antequam moriar; & eris mihi dulciſſima ſalus vitæ meæ, amorem tui ſupra omnia, & humilitatem cordis infra B omnia.

Quis mihi det has duas pennas columbæ deargentatæ, Sponſe fideliſſime animæ meæ? Utinam illas mihi dones tu, qui potens es; ut in diluvio mundi columba hæc non inveniat, ubi poſſit requieſcere pes ejus, ut feſſa revertatur ad te, & admittas illam in arcam ſanctificationis tuæ. Utinam placita tibi eſſet anima mea, amabilis, & decore valde Fili Dei, & properares educere illam de medio diluvio iniquitatum, ne faſcinatio mundanæ nugacitatis obſcuraret me. Video, quòd accreſcunt ignorantiæ meæ, & à vera ſapientia longè fio; ſed & ſi quid novi, quod placeat tibi, obduratur cor meum contra te. Timet enim opera virtutum, C quaſi eſſent tela inimici ſui. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus, quæ interfecit me? Interfice tu potiùs ſervum tuum, & zelus amoris tui comedat me, ſi fortè ignis ejus conſumat tarditatem meam, & poſſim velociter currere poſt te. Bonum eſt currere poſt te, ut accipiam te bravium meum. Ventus vehemens ſpiritus tui impellat me, & deſiderium collium æternorum. Convertantur mihi timentes, ſed magis amantes te, & qui noverunt teſtimonia tua, ut æmulemur chariſmata meliora, & delicias dilecti mei. Recedant longè fraudulenta oſcula mundi odientis me; & multiplicentur ſuper me, dilecte mi, vulnera tua; deſiderio enim deſideravi mori in vulneribus charitatis. O jacula dulciſſima, D transfigite cor meum; ſagittæ potentis acutæ percutite me. Recedite à me carbones deſolatorii, quia in vobis ignis jam non eſt. Non ſit mihi pars in frigoribus nivis, & glacies non lædat me. In conſilium eorum non veniat anima mea, cujus vita calor eſt.

Sed interea, dum hæc ipſa ſcribo tibi, deſiderabilis valdè Deus cordis mei, ſentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, propter tria mihi difficilia, quæ ſemper vexaverunt, & vexant me. Tria enim ſunt mihi difficilia, & quartum penitùs ignoro. Negare cordi meo, quod eſt mundo utile, quod honorificum, quod delectabile. Hic eſt funiculus triplex filiorum Adam, quo pater meus alligavit me. Sed & ego longiùs recedens à te, qui es utilitas, E honor, & puriſſima voluptas mea, tria illa mihi difficiliora feci. Propter quod quartum penitùs ignorat anima mea. Neſcit enim amare te. Gigantes gemunt ſub aquis, & illa, quam feciſti grandem, ſub tantarum difficultatum fluctibus perenniter gemit ad te. Procellas patior, dum paſſionum mearum mare turbatur à draconibus Inferni, qui perſequuntur me, ſed ad te levavi animam meam de profundis aquarum, qui potes imperio tuo tranquillitatem afferre mihi, & inimicos meos deterre; Tu enim confirmaſti in virtute tua mare, contribulaſti capita draconum in aquis, tu confregiſti capita draconis, dediſti eum eſcam populis Aethiopum.

Eſto igitur mihi propitius, ô potens in F prælio Deus cordis mei, ne unquam viribus fractis ſuccumbam hoſtibus meis, & loquar victorias tuas in Eccleſia magna, & in populo gravi laudabo te. Incipiam tibi inter filios tuos afferre filios arietum, ritu novo, teſtamenti novi tui: Et placebit tibi ſuper vitulum novellum cornua pròducentem, & ungulas. Feſtina igitur gementem adiuvare, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam. Certè infixus ſum in limo profundi & non eſt mihi ſubſtantia. Invaleſcunt aquæ intumeſcentes, accurre, expectatiſſime Deus, & adjutor ſperantium in te, antequam tempeſtas valida demergat me. Eripe me, oro te, de aquis multis, de tribus difficilibus erue me, & tunc diſcam quartum optabile nimis, G & hoſtiam laudis reddam pro miſericordia in medio templi ſancti tui, & placebit tibi ſacrificium meum, ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui. Sed cur non ſtatim amo te, deſideratiſſima cœli pulchritudo? Cur quaſi de futuro loquor amore tuo? Quæ pars fœlicitatis mihi eſt nunc, ſi modo non diligo te? Certè velle adjacet mihi, ſed perficere non invenio. Scio, qualecunque deſiderium hoc amoris, te illud inſpiraſſe mihi; ſed valde moleſtum eſt ſub umbra deſiderati non ſedere. Dicit mihi cor, clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam. Quis ſcit, ſi convertatur Dominus, & donet benedictionem? Nunquid ſurdus es Domine, & non potiùs deſiderium egenorum audit auris tua? Quid eſt hoc, clementiſſime rex H Hieruſalem, & ad miſerendum velociſſime? Certè divina Majeſtas tua præſens mihi eſt ſuſpiranti ad te; & taces, & te audire quaſi diſſimulas. Et ex hoc augetur nimiùm dolor meus. Nam ſi ad abſentem ſic clamarem, dicerem, forſitan non audivit me. Nunc verò, quæ conſolatio ſupereſt mihi, ſi audiens reſpondere non vis. Profectò, Sponſe dilectiſſime, qui amaritudine abſentiæ

Scrip. An. circ.1667.

tuæ probas me; ſi ego debilis homo diligerem amicum meum invocantem me, non poſſem diu latere, ſed ad illius amplexus feſtinarem. Sed dilectio tua major eſt, propter hoc longo ſilentio, & repulſa exerces me. Si ergo ſic tibi placeo, o merces magna nimis laboris mei, viſita me diu in virga filiorum, & miſericordiam tuam grandem A non diſperges à me. Tantummodo præcordia mea, cor meum, & caro mea, & quæ latent in abſcondito oſſa mea igne tui amoris liquefiant, & transfundantur in te, & vexillum ſuper me ſit charitas tua. Dilectio ſit potus, & eſca mea; & tu panis ad veſcendum ſuaviſſime, ſis nutrimentum cordis mei. Fames panis hujus urget me, cujus abundantia, ut audivi, eſt in Sion & Hjeruſalem, ubi eſt magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti magis amantibus, quam timentibus te. Et ita ego propter Sion non tacebo, & propter Hieruſalem non qnieſcam, donec egrediaris mihi, ut ſplendor tu juſtus ejus, & in corde meo quaſi lampas accendaris. Hæc pars mea, & portio mea, ſit adhuc in hac terra B morientium, ut ſemper cogitem, loquar, & quæram te, mitiſſime Rex; & quotidie proponam Civitatem ſanctam tuam Hieruſalem in principio lætitiæ meæ. Confla me, obſecro, quaſi argentum, & velut aurum cola me, ſpecie tua, & pulchritudine tua inhabita centrum cordis mei. Exhibeo tibi deſiderio tui flagrantia viſcera mea, in quibus, velut in molli lecto, requieſcas.

Curabo ſtratum, quem paro tibi, lachrymarum vi rigare, ſicut fecit pater tuus David, quem ad proportionem cordis tui conformaſti. Conſpergam, ſcilicet, locum habitationis tuæ dilectione, lachrymas producente; & in noctis ſilentio flere propter te, cœleſte putabo refrigerium, quaſi à te impenſam benedictionem de rore cœli. Quid C enim mihi ſupereſt, o dulciſſime cordium, Imperator, qui domuiſti orbem non ferro ſed ligno? Quid inquam ſupereſt mihi conſolationis, dum verſor in exilio, niſi tecum mente converſari, & animam deficientem propinquantis regni, tui memoria ſtabilire? ac flendo meos labores extenuare? Imprimere propterea, cordi meo, & ſaltem in imagine tua morare mecum intereà, dum in imagine pertranſit homo. Abſcondere in latebris cordis mei, & depoſitum cuſtodiam diligenter. In abſcondito luctabo tecum, & in agone contendam ſine fine, ut flammis amoris tui exuras me, donec totus liqueſiam. Solvatur jam, Sponſe formoſiſſime glacies, quæ conſtringit me flatibus Aquilo- D nis, ut veniat Auſter expectatus, cui patent præcordia mea; & ſacrificabo tibi vitulos labiorum meorum, oblationes & holocauſta cordis mei. Non deficiet hoſtia laudis in Sion, quam amanter odoreris,

Propter Sion, quam dilexi, pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitem quidem de fœlicitate mundi, ne forte velut laqueo capiat me. Ibo deſideriis, quaſi pedibus, in dulciſſimam mihi Hieruſalem propter Regem ejus ſpecioſiſſimum, à quo trahitur anima mea. Quis mihi det pedes quaſi cervorum, & ſuper excelſa ſtatuat me; ut inveniam tibi fratrem meum ſugentem ubera matris meæ.

Mergar in abyſſo deliciarum optabiliſſimi Dei mei, o ſpes, o pax, o requies, quam E exquiro, o decore nimis Fili Dei, cur opportune, & importunè gemens non invenio gratiam coram te; Breve fac tempus exibi, ut cito videant oculi mei ſalutare ſuum. Liga me fortiter catenis amoris tui, ne interea ſpecies decipiat me.

Multi enim canes obſederunt animam meam, cujus genas ornavit ſanguis tuus. Procul ſit à me mundi nugacitas. Nolo hæreditatem aliam, niſi te, quem deſidero, ad quem clamo, quem inquiro. Et ſi placet tibi, ſuaviſſime repulſor, & cuſtos, & memoriale jucundiſſimum cordis mei, longo tempore præſentia tua privare, & importunis tentatoribus tradere me, fiat voluntas tua, quæ mihi charior erit vita ipſa mea. Tantùm ex intimis viſceribus precor te, ut F per aſcenſum purpureum ſanguine, & labore plenum aſcendam ad reclinatorium aureum charitatis, in cujus gremio requieſcas tanquam Sponſus in thalamo ſuo, à quo non recedas in æternum pro dilectione, qua redemiſti me. Recordor enim ego viam, quam ſanguine conſperſam oſtendiſti mihi, & ſic non turbabor te ducem, ac paſtorem ſequens, licet videaris poſuiſſe mè quaſi vulneratos dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt. Te quippe dereliquit etiam Pater tuus, ita ut mirum ſit, quomodo cecidiſti fortis in prælio, & in excelſis occiſus es.

Propter quod doleo ſuper te, dulciſſime Frater mi, Fili matris meæ decore nimis; G & amabilis ſuper omnem pulchritudinem. Bonum eſt commori tibi. Illabere ergo in cor meum invictiſſima fortitudo & conſtantia mea, & fac me ſicut columnam ferream, & murum æreum ad ferendos labores, & vulnera propter te. Deſidero enim ſatiari ſuaviſſimo potu ſanguinis tui amore ebullientis, quo nihil eſt delectabilius. Moriamur ſimul fideliſſime comes exilii mei ut ſimul àd lætitiam ſempiternam reſurgamus. Utere corde meo ab beneplacitum tuum, & imprime mihi motus amore capti cordis tui; ut muter, ac tranformer in te: & alar ſpiritu vitali tuo.

Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, benè conſultus elegi eam. Eligi te, Sponſe ſuper cælos ſplendidiſſime.

Ne, obſecro, recedas à me. Sacrifico de- H mum animam, & corpus meum, cogitationes, verba, & opera mea tibi Sponſe amabiliſſime animæ meæ, & repono illa inter ubera puriſſimæ matris tuæ, ut placeant cordi tuo propter eam, cujus pulchritudine captus es. Sic fatigatus in hac lachrymarum valle ſcribere, licèt non gemere, & anhelare ceſſo. Quæſivi enim vultum tuum, o vi-

Scrip. An. circ. 1607.

o Vita, o Spes, & Lætitia mea. Quæſivi vultum tuum; vultum tuum ſine fine requiram.

JESUS CHRISTUS

REX PACIFICUS

SUPERNÆ HIERUSALEM,

Homini exulanti ſalutem.

EPISTOLA SECUNDA.

Epiſtola hæc nihil aliud eſt, quàm multiplex inſpiratio, vel in Scripturis expreſſa, vel piarum mentium ſenſu paſſim deprehenſa, Dei ſolantis hominem arentem, tentationibus, laboribuſque compreſſum.

ACcepi litteras tuas, optatiſſime fili, ſuſpiriis ac gemitibus plenas, interpretes cordis tui in Ægypto laborantis, & ob duritiam eorum, qui præſunt operibus, labori tanto ferè ſuccumbentis; & lætatus ſum, quia vexatio tibi dedit intellectum, quem amiſit in proſperitate Adam pater tuus. Prudenter agis, fili dilectiſſime animæ meæ, dum precaris, pulſas, & requiris me; intereà dum ex miſericordiæ magnitudine fingo laborem in dulciſſimo præcepto meo.

Nec mirum tibi debet videri, fili dexteræ meæ, ſi non ſtatim ſoler te; ſed differam ſpem incedentem, qua, in Oceano vaſtiſſimo, velut anchora firmatur anima tua; quam exercere opus eſt, ſicut exercui, ac diſtuli Iſrael ſervum meum, ſemen Abraham amici mei; ut viderem, an diligeret me, quem amore fideliſſimo prior ipſe dilexeram.

Novi ego, dulciſſime fili, cui thalamum paravi in caverna cæſi lateris mei, carni non placere diſciplinam, licèt à tenerrimo corde meo profectam. Sed recordare, fili jucundiſſime, fœlicitatis meæ, quam inquiris, & pacis, qua gaudebis in æternum. Omnis enim diſciplina in præſenti quidem non videtur eſſe gaudii, ſed mœroris: poſtea verò fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ. Propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigere debes, & ad inæſtimabilem requiem meam ſine requie feſtinare.

Pulſa, o deſideratiſſime Fili, perſeveranter fores cordis mei, quod tibi patebit ingreſſuro. Non enim obduratur in pauperes anima mea, nec buccellam meam ſolus unquam ipſe comedi. Non patior, o fili viſcerum meorum, viduarum, & orphanorum oculos expectare diu, quippe qui non amem ſtruthionis viſcera crudelia. Certè nunquam dixerunt viri tabernaculi mei: quis det nobis de carnibus ejus, ut ſaturemur, niſi fortè ſemel ſaturati, cùm me avidiſſimè guſtaſſent, ac eſurire didiciſſent.

Si enim ſuper inimicos meos, quos eram proſtraturus in deſerto, plui ſicut pulverem, carnes, & ſicut arenam maris, volatilia pennata, nec fraudati ſunt à deſiderio ſuo: quomodo non explebo pia deſideria filii mei, quem non in deſerto proſtrare, ſed in cœleſtem promiſſionis terram exaltare, ac dulciſſimo cordis mei paſtu alere decrevi?

An putas me ſimulaſſe, cùm clamarem: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos? Profectò fili mi, cui patuere viſcera mea, non ſimulavi; ſed corde ſinceriſſimo ſeriò vocavi te. Daboque tibi, ſuaviſſime, fructus laborum meorum, quos repoſcis, ſi jugiter exarſeris, & in vigilia matutina clamaveris ad me. Si enim vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis qui natura bonus eſt, dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?

Profectò David ſervus meus factus ad proportionem cordis mei pro filio reprobo, quem dilexit ardenter, mori concupivit, cùm vociferabatur: Quis mihi det, ut ego moriar pro te, fili mi Abſalon? Et ego, qui ſum multò clementior illo, non ſolabor filium meum, quem ſalvare deſidero? Nunquid non ego formavi cor illius ſecundùm exemplar cordis mei? Aut nunquid non vincam illum mari magno dulciſſimæ miſericordiæ meæ?

Nec te frangat humilis conditio (quaſi filius Agar cum Saræ Filio nequeat hæres meus eſſe) nam, & Iſmaelis fletum exaudivi; cùm deſeruiſſet illum mater ſua, ne puerum vagientem obeuntemque videret. Et proſpexi ei propter me, & propter Abraham electum meum.

Nec demum præterita peccata, quæ non placent, deiiciant te, nam etſi fuerint nigra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & quamvis fuerint rubra ut vermiculus, quaſi lana alba erunt, nec repellam te propterea à dulciſſima familiaritate mea.

Nihil eſt, quod pertimeſcas, ſi patienter agas, & non ceſſes implorare me; qui te legitimè certantem coronabo, & pelago dulcoris immergam in arctiſſimo complexu meo.

Noli timere, hæreditas mea, ſi tranſieris per ignem, flamma non nocebit tibi, & odor ignis non erit in te. Tantummodo memento mei, ac dilige me, donec veniam cum patre meo tecum lautiſſimè cœnaturus. Certe ex magnitudine amoris erga te dabo tibi edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Patris mei.

At vero, quia multis rationibus urges me, longumque reſponſum impenſius optat multis obſeſſa malis anima tua, quæ mecum agere cupit ardenter, fuſius tibi reſpondebo & conſolabor te; eò quod me tenet tui deſiderium, ac tecum agere, quemadmodum & cum cæteris filiis hominum, delicioſiſſimum mihi, & gratiſſimum eſt.

Vnum præſertim in Epiſtola tota proſequeris, fili mi, multipliciter pingens vexationem tuam à ſenſibus, & carne tua, à dæ-

Scrip. An. circ. 1607.

dæmonibus, à repulſa mea. Auribus ergo cordis audi me.

Principiò genus Adæ profers, à quo errare cœpiſti; & mundi jugum nimis grave portare, ſtirpem ſortitus infelicem. Qua in re doleo vicem tuam, & ſervitutem duram, quia velut Ephraim filius mihi honorabilis, & puer delicatus es; nec tamen teneritudo A tua pondera tam gravia detrectavit. Ubi mirum eſt, fili cordis mei, quàm graviter peccent filii Adam, qui declinantes ſuaviſſimum & unicum jugum meum, ſub quo poſſent requiem invenire; emunt ſibi quinque juga boum, & pretio magno labores immenſos comparare feſtinant.

Obſtupeſcunt cœli ſuper hoc, & ejus portæ deſolantur vehementer, dum filii populi mei derelinquunt me fontem aquæ vivæ, ac fodiunt ſibi in ſilicibus ciſternas diſſipatas, quæ non valent aquas continere. Quantò æquiùs, & delectabiliùs eſſet, requirere me, ac ſatiari ab uberibus meis, quibus potare ſoleo amicos meos, qui non egrediuntur à facie mea, ſicut Cain; nec poſt veſtigia gregum ſuorum abeunt; quia non amant ſolatia peregrina? Certè ſi ſcirent donum Dei, B & quis eſt, qui vocat illos, forſitan à me poſcerent aquam vivam, & in æternum non ſitirent.

Tu ergo fili dilectionis meæ, quem impreſſi cordi meo, ini mecum fœdus meum, ac tolle jugum ſuavitatis meæ, & pro modico labore, aura leni recreabo te, eroque protector tuus ego, & merces tua magna nimis. Oſtendam tibi omne bonum, & requiem expectatiſſimam dabo tibi. Quaſi mater filiolo, quem genuit, blandiar tibi, & fovebo te, ac recondam in ſinu meo. Quod ſi mater oblita fuerit infantis, quem genuit, & lactavit, ego certe non obliviſcar tui.

Quòd ſi ſpes, quæ differtur, amantiſſime fili, vexat te, dum animadvertis annos multos C ſine rore cœli præterire, ne cadas animo, ſuaviſſime, quem inſculpſi cordi meo; nec velis tempora, quæ ſunt apud me condita, & ſignata in theſauris meis præter meum placitum propinquare. Veniet tandem optata dies, & aquæ diluvii, quibus obrueris, ceſſabunt, & arca requieſcet; non certè ſuper montes Armeniæ, ſed ſuper dulciſſimam Sionem, quam dilexi, & feriam tecum pactum ſempiternum, apparente in ſignum fœderis arcu meo.

Intereà verò, dum verſaris in diluvio aquarum multarum, & videris tibi infixus in limo profundi, ubi non invenitur ſubſtantia; ne mireris anxietatem, quam deſcribis, animæ tuæ ſatagentis, & vagantis per univerſas orbis creaturas. Senſus enim hominis proni ſunt ad malum ab adoleſcentia D ſua; & pro tranſgreſſione abducti ſunt in captivitatem, quaſi parvuli rationis expertes ante faciem tribulantis. Hæc certè conditio contracta eſt à patre tuo ab eo tempore, quo ſub arbore violata fuit Eva genitrix tua.

Cæterùm hæc anxietas jam non ut culpa, ſed ut lucta tibi prodeſt, ex quo ſub arbore malo ſuſcitavi te, quia mente ſervis legi meæ, licèt carne ſervias legi peccati.

An non, & fideliſſimi amici mei, quibus nota feci, quæcunque accepi à Patre meo ejuſmodi conflictus pertulere, redemptionem corporum ſuorum expectantes, ſupra modum gravati; ita ut tæderet eos vivere, & optarent liberari de corpore mortis hujus, E quam deſcribis? Duos homines confligentes in uno velut utero geris, & minor ſerviet majori, licèt major videatur in hac preſſura minori ſervire.

At verò ſervituti ſuccedet vera libertas, & inter filios Sion inclytos amictos auro primo ſuſcipiam, & vindicabo te; & ero memor filiorum Edom in die afflictæ nimis Hieruſalem, ubi poſui delicias meas.

Modò tamen placet mihi, fili mi, & pretioſa valdè præda mea, ut tranſeas per ignem, & aquam educendus in refrigerium & feras tabernacula Cedar propter pelles Salomonis.

Potuiſſem ſanè dulciſſime fili, paſſionum flammas extinguere, ne te vexarent, ac minùs te amare; verùm hoc providentiæ F genus cordi meo conſonantius, & tibi ſalubrius eſt; ut laboribus eruditus perenniter me requiras, & effundas in conſpectu meo cor tuum, cujus liquefactione delector. Cor quippe ſaxeum hæreditaſti à prævaricatore patre tuo, & immiſſo labore per virgam correctionis non uno, vel duobus ictibus; ut ſilicem Moyſes ſervus meus, ſed ictibus iteratis pulſo te, ac reſpicis, & vocas me, & effundis aquas ſalutares.

Hoc certè balneo aquarum calidarum pateſiunt pori cordis tui, & laxatur, quæ ſtringebatur gelu, ſponſa, & amica mea anima tua. Sic feſtinus illabor in thalamum; quem præparaſti mihi, ac te etiam inſcio, ſicut adipe, & pinguedine replentur viſcera tua. Hæc eſt requies mea: Hoc reclina- G torium meum, quod exquiro: Hic fructus laboris mei.

Propter hoc ſudavi, & laſſatus ſum. Et receſſit ſomnus ab oculis meis, dum pernoctarem in oratione Dei. Propter hoc fui colonus in terra veſtra, & pro mercede infixit clavos manibus meis. Reſponde ergo, fili amabiliſſime, deſiderio meo, & utere vexatione, ut per eam mihi pares hoſpitium meum, quod conſtruitur in medio corde tuo. Si enim mecum permanſeris in tribulationibus meis, ego diſponam tibi, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut comedas, & bibas ſuper menſam meam de torrente voluptatis meæ.

Sæpè, vehementerque conquereris, quod anima tua paſcat ventum, & aranearum H telas texat, dum mundi bonis eleganter pictis allicitur, quaſi columba ſeducta, non habens cor. Optas quippe, chariſſime fili, me ſolum amare, & videris tibi rebus aliis univerſis præter me perpetim adhærere. Sed ne ob id langueas, electe animæ meæ: Reſinoſa namque ac viſcoſa nimis mundi ſub-

Scrip.An. circ.1607. ſubſtantia eſt, & facilè cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret.

Tu verò dum anniteris à viſco mundi multis conatibus revellere animam tuam, & propter me pangis fœdus cum oculis tuis, ut ne cogites quidem de virgine, veriùs certè, o dulciſſime fili, amas me, quam ſi multis conſolationibus afflueret, ac dilataretur A cor tuum, & per eam voluptatem mihi jugiter inhæreres.

Cùm enim duco animam in ſolitudinem, & loquor ad cor ejus, & libat magnam illam dulcedinis multitudinem, quam abſcondi timentibus me, non uſque adeò ſyncerè diligit me; nam & permixtam ſuam quærit voluptatem, quam non horrent ſenſus ejus.

Amor certè ille delicatus, & parvulus eſt, & lacte nutritus, & plerumque ſermonis juſtitiæ expers eſt. Omnis enim, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis juſtitiæ, parvulus enim eſt. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, eorum ſcilicet, qui exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, & mali; qui ſemper altiora quærunt, B & æmulantur chariſmata meliora in domo clementiſſimi Patris mei.

Exerce igitur, fili gratiſſime, cujus deſiderio flagrat anima mea, te ipſum: & boni conſule eruditionem meam, qua fiet, ut ſuper ſenes intelligas; & recenſearis inter majores natu populi acquiſitionis meæ. Nec aberrabis inter Babylonios, vel Aſſyrios, qui ſubegerunt Urbem ſanctam Hjeruſalem, eò quod principes ejus neſcierunt, & ſicut principes Taphneos, non acquiſierunt bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam Gymnaſii mei.

Propterea enim ductus eſt captivus populus meus, quia non habuit ſcientiam veram, & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus ſiti exarſit. Propterea, C electiſſime fili viſcerum meorum, dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino, & deſcendent fortes ejus, & populus ejus, & ſublimes, glorioſique ejus ad eum.

Et, quod præſertim lugendum eſt, ii, qui videntur amici mei, prudentiæ colore ſeducti perhorreſcunt diſciplinam, & refugiunt vias duras, per quas ad meam ſapientiam pervenirent, quaſi verbum crucis ſtultitia eſſet, vel ſub cœlo datum fuiſſet hominibus aliud nomen præter meum, in quo poſſent ſalvi fieri.

Doleo ſuper eis, o fili cordis mei, quia quos genui filios, denique patior inimicos; currebant enim benè, cum ſpiritu cœperunt, & crucis jugum detrectantes, carne demum D conſummantur, & tandem obduratos projicio à facie mea, ſicut quando curavi Babylonem, & non fuit ſanata, & reliqui ſub hoſtibus eam.

Illi certè Scientiam meam repulerunt; propterea repuli, ac vomui eos ab ore meo, ne ſacerdotio fungerentur ad altare meum.

Mirum eſt profectò, fili dilectiſſime, cui patent penetralia animæ meæ, quàm paucos fuerim lucratus amicos; amicos inquam arboris illius, è qua pependi, quando, quæ non rapui, affluenter exolvebam. Gratis certè vænundati ſunt, & ſine argento redimuntur, & tamen pretium meum cogitaverunt repellere, quaſi nihil eis profuiſſem.

E Oporteret, fili optatiſſime, illos meminiſſe, me virum fuiſſe dolorum, ac ſcientem infirmitatem, ita ut à planta pedis uſque ad verticem capitis non eſſet in me ſanitas; & quod ad commovenda corda efficaciſſimum eſt, puriſſimam, & innocentiſſimam Virginem, ac Matrem meam culpæ prorſus expertem vias duras percurriſſe, & inſontem carnem maceraſſe.

Duri ſunt mihi valdè filii Adam, cordibus incircunciſis, ſurdiſque auribus longè fiunt à ſalute mea. Neſcierunt, neque intellexerunt mundi amatores ſapientiam meam, quæ regnat à ligno. Etenim quia mundus non cognovit in ſapientia Deum, placuit mihi per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Propter quod amici mei, F qui cognoverunt vias meas, malunt crucis ſapientiam edoceri, quàm ante tempus regnare, non auſi comedere uvam acerbam, ne fortè dentes eorum obſtupeſcerent.

Certè ſi guſtarent delicias crucis, quas guſtavit Andreas Apoſtolus, & amicus meus, placeret eis crucis myſterium, plus quam omnis mundi voluptas, opulentia, & pulchritudo: & timerent ab illa ſeparari propter immenſum decorem ejus; ut ibi libarent ſapientiam meam, & invenirent theſaurum cordis mei.

Ego certè, ne quid deſideretur, foris prædico, & in plateis emitto vocem meam: Uſquequò parvuli diligitis infantiam, & imprudentes odio habebitis ſcientiam? Venite ad me, & comedite bonum, & delectabitur G in craſſitudine anima veſtra.

Tu ergo, fili cordis mei, aperi aures cordis, & percipe quæ dico. Non enim omnes capiunt verbum crucis, ſed imitantur multi filios Ephrem intendentes, ac mittentes arcum, qui converſi ſunt in die belli. Modicum patere, ac patientem comitare me, & amabo te ſuper exquiſitores prudentiæ carnis, & extinctores ſpiritus mei. Ero tecum in tribulatione, eripiam, & glorificabo te.

Si verò, præter labores tuos, qui oriuntur à culpa, & à carne tua, ego quoque, o fili ſuaviſſime, & hæres Abraham fideliſſimi in tentatione ſervi mei, in virga directionis viſito te, ut probem, an ambules coram me corde ſyncero; amor ſalutis, ac progreſſus tui urget me. Crede mihi, cohæres H ditiſſimi patris mei, multò glorioſior apparebis, & ſplendidiùs epulaberis, poſtquàm fueris à me probatus; dum ſedeo conflans, & emundans argentum ſeptuplum coronandæ animæ tuæ.

Quapropter ne patiaris, o tenerrime fili viſcerum meorum, deiici animam tuam dul-

Scrip. An. circ. 1607.

ciſſimam ſponſam cordis mei, eò quòd ſterilis interdum videatur, cùm tamen ſit avida filiorum, & ſicut Rachel ſponſa Jacob amici mei mihi ſæpe dicat: da mihi liberos, alioquin moriar. Nunquid enim non melior ego ei ſum, quàm decem filii? Quòd ſi adhuc propter liberos flet, ac affligitur cor ejus, ego ero ei filius, & ipſa mater mea erit. A Omnis enim, qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, non ſolùm meus frater & ſoror, verùm etiam mater eſt.

Benedicam aliquando coronæ anni benignitatis meæ, & erunt plures filii deſertæ, quàm ejus, quæ videtur habere virum, & lætabitur deſerta, & invia, & exultabit ſolitudo,

O quàm pulchra per plateam Hieruſalem, quàm candida, quàm ſuavis incedet! Sine, o fili, patienter age, ut adornet thalamum ſuum filia Sion amica mea, ſpecioſa mea, & nova creatura, melle dulcioris amoris mei inter illius ubera, more faſciculi myrrhæ, commorantis.

Propter momentaneum hoc, & leve tri- B bulationis, qua exerceo te, æternum gloriæ pondus reddam tibi, & immenſis deliciis abſorbebo te. Exiguus, & unius horæ labor eſt in terra morientium: ſed in regione vivorum bona mea ſine fine durabunt.

Partus eſt probatio tua, dulciſſime fili, at citò dolor evaneſcet, fructuque gaudebis. Nam & mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus, poſtquam verò peperit filium, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Quantò ergo magis exultabis tu natus cœlo poſt modicum dolorem vitæ tuæ?

Quòd ſi multiplex ſenſus tuus, quaſi juvenculus indomitus ſuggerit tibi de me, quaſi de ſevero Domino, querimonias, dum in virga, & verberibus viſitatur, ut caſtigatus C & eruditus fiat filius ſubjugalis, ne concidat cor tuum, electe animæ meæ. Gens enim ſine conſilio eſt, & ſine prudentia. Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent ſenſus tui.

Profectò ſi noſſent cogitare diem, qua de cœlo audient vocem dicentem ſibi; ut requieſcant à laboribus ſuis; multa fortitudine ſubderent colla jugo meo, & ſaltem ſicut mercenarii præſtolarentur finem operis ſui, & hiarent ad æternam mercedem ſuam. Propter hoc, ô filia & gaudium meum, & corona victoriæ meæ, non ſuſciperent à labore præſenti redemptionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem in ſuperventuro regno meo.

Tu verò, fili mi, aſſequi cura inſtitutionem, & doctrinam meam; labora, ut bonus D miles in caſtris meis, & indefeſſo corde legitimè certa. Si enim vulnero te, percuſſit me quoque Pater meus propter ſcelus populi mei, & ego diligo te, ſicut dilexit me Pater, præterquam quòd planum eſt, meliora eſſe vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientium te.

Utinam, ô fili dilectiſſime, quem ſanguine multo redemi, alta mente ponderares immenſitatem amoris mei, cùm corripio te; ut poſtquam biberis de torrente, poſſis reſpicere, & exaltare caput tuum, appropinquante plena redemptione tua.

Quale enim gaudium, dulciſſime fili, erit, poſtquam viceris, & probatus fueris accipere pretioſiorem auro coronam vitæ, quam repromiſi diligentibus me? Quando dabo E tibi calculum candidum, & in calculo ſuaviſſimum quoddam nomen ſcriptum, quod nemo novit, niſi qui accipit. Quando dabo tibi victori ſedere mecum in regno meo, ſicut ego vici, & ſedeo cum Patre meo?

Conſidera, fili optatiſſime, cujus amor incendit me, cùm te corripio, nolle me tecum bellum gerere, ſed pacem conciliare cordi tuo. Ego enim cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Invocabis me nutritium tuum, & ego amantiſſime exaudiam te, & reducam captivitatem tuam ſatis duram de cunctis locis, ac in ſinu meo portabo te. Affligam affligentes te, & corrpiam pro te reges, ſicut corripui Pharaonem pro Iſrael primogenito meo, & populo ſanctifica- F tionis meæ. Increpabo pro te aquas rubri maris, & per arentem alveum deducam te, & in vigilia matutina tuos demergam inimicos, & in littore collocabo te. Pavebunt monſtra filiorum Enac, & corda regum Chanaam diſſolventur, cùm cœpero exaltare te, ſicut exaltavi Ioſue ſervum meum participem fortitudinis meæ.

Etenim, electe mi, cujus dilectio, ut mors ipſa fortis eſt, oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit bonum illud, quod præparavi tibi. Et quia per tribulationes multas oportet in tantum regnum introire, (quemadmodum & me pati oportuit, ac ita intrare in gloriam meam) tentare te, & tanquam aurum in fornace pro- G bare decrevi. Quapropter inter vexationes multas & ipſi dæmoni tentandum permiſi te, ut nihil eſſet, in quo non fieres ſimilis mei, Pontificis nempe tui tentati per omnia pro ſimilitudine, ſed abſque ullo peccato meo.

Cæterum ego ero, ô fili mi, cujus deſiderio advena fui in terra aliena, fortitudo tua, & armatura fortium Iſrael, armabo te, & mecum ad bella doctiſſimus eris. Quia ego Dominus Deus tuus, apprehendens parùm exercitatam manum tuam, dicenſque tibi: Noli timere vermis Jacob; quia ego auxiliatus ſum tibi. Ecce confundentur omnes, qui pugnant adverſum te. Ventilabis hoſtes tuos, ac turbo diſperget eos.

Certè dum mecum es, ſi conſiſtant adverſum te caſtra, cor tuum minimè timebit. Dabo in conſpectu tuo gentes, & reges H mecum obtinebis. Dabo quaſi pulverem gladio tuo, & ſicut ſtipulam vento raptam arcui tuo, quia inter filios excuſſorum conſors meæ fortitudinis es.

Suggeram tibi novas vires, & ſcuto fidei, quæ per dilectionem operatur galeaque, ſalutis protegeris, & in ancipiti gladio ſermonis mei vivi & efficacis præliaberis. Et

Scrip. An. circ.1607.

in clariſſimæ victoriæ ſignum ſuper furentem aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis ſæviſſimum leonem & draconem.

Hujus ergo promiſſionis erectus veritate, incipe, fili mi, in me firmiſſimè ſperare, & mutabis fortitudinem, aſſumes pennas, ut aquilæ, volabis, & non deficies. Omnia poteris in me, qui confortabo te, & A exaltabitur ſicut unicornis cornu tuum, quemadmodum & cornu invictiſſimi olim populi mei, cujus fortitudo fuit ſicut Rhinocerotis, quia ego ipſe præſidebam ei.

Quòd ſi ego pariter duco te, & doceo manus tuas ad prælium, ac digitos quoque ſingulos ad bellum, quid tibi vel mundus, vel totus nocebit infernus? Exardeſcat, & fremat Sathan inimicus meus, ego pro te pugnabo, & compeſcam eum, & eris in tutela mea, & qui tetigerit te, tanget pupillam oculi mei. Ecce enim gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ in conſpectu meo, & quem dederit mihi dulciſſimus Pater meus, non rapiet quiſquam de manu mea.

Si verò interdum lupus ille hoſtis meus B videtur fortè prævalere, ne cedas, vel credas ei, o fili dextræ meæ. Non enim quaſi crudelis ſuſcitabo eum, vel animæ dominium permittam ei. In brachio enim meo congregabo agnos, & in ſinu meo levabo eos, nec obſiſtet quiſquam potentiæ, ac imperio amoris mei. Ego quippe ſum ſolus Deus, & non eſt alius præter me, ego occidam, & ego vivere faciam, juxta placitum cordis mei.

Sic igitur, tenerrime fili, in quo ſibi complacuit anima mea, tot verberibus caſtigatus redde vicem cordi meo; & amabo te pluſquàm alienigenas, & Tyrum, ac populum Aethiopum, & accipiam holocauſta pinguiſſima de manu tua. Cor afflictum, ac fidele, quaſi juſtitiæ ſacrificium acceptabo ſuper C altare meum, & velut thymiamatis ſuaviſſimi ſuffitum odorabor. Amplectar, & coronabo te amplexu meo, & ſedebis cum principibus in ampliſſimo palatio meo: Candidiſſima byſſo, & purpura Regis ornabo te, & coronam auream, ſigno ſanctitatis expreſſam, inponam capiti tuo: Judicabis nationes, ac dominaberis populis, & regnabis mecum ſine fine in amoris fœdere ſempiterno.

Hæc ergo, electiſſime fili mi, & ſuaviſſime conſors calicis mei, vel in Scripturis meis expreſſa, vel tibi à me amantiſſime inſpirata, recole, ac meditare, & ſedabitur anxietas tua, quam tot modis in Epiſtola deſcribere cogitaſti.

Verùm quia præter laborum tuorum D deſcriptionem ad mala depellenda, & paranda bona, à me inter alia inſtantiſſimè flagitas viſitationem, ſeu conſolationem meam; humilitatem cordis, & flammas immenſas melliti ſſimi amoris mei; aperi ſinus penitiſſimos animæ tuæ, ut quaſi pluviam temporaneam excipiat mollitos velut oleum ſermones meos: quibus etiam ediſces, quid erga cætera, quæ poſtulas, agere propoſuerim.

Quod attinet ad res ipſas, quas poſtulas, fili chariſſime animæ meæ, ſcias mihi ſummoperè placere, quia ſolam ſapientiam expoſcis. Et quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum; ſed unam veram, divinamque ſapientiam, quæ in E amore meo, cordiſque humilitate conſiſtit; ecce dabo tibi, ſi fideliter pulſaveris, cor ſapiens, & intelligens juxta votum cordis tui. Quin & multa, quæ non petis, tibi dabo propter amorem, quo proſequor te. Et eris (ſi permanſeris in dilectione mea) ſimilis David amico meo, cujus cornu erexi in domo mea.

Et quidem quod ad modum inſtandi, & flagitandi ſpectat, fili cordis mei, cujus amore exarſit anima mea, ſuper omnem ſuaviſſimam harmoniam petitio vehemens, & ignita placet auribus, ac præcordiis meis; ut mirum non ſit, me tempus faciendi prorogare, ne priver modis muſicis concentus tui, & ardentiſſimæ precationis tuæ.

Quamobrem, quia in pſalterio decachordo F pſallis mihi, libentiſſimè audio, & exaudiam te, & educam de lacu miſeriæ, ac de luto fæcis animam tuam. Et non erit tecum miſericordia mea, quaſi nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens; ſed ſicut dixi decora valde, & ſuper cœlos formoſa mater mea erit tibi à progenie in progenies tanquam uni de numero timentium me. In momento quippe apparentis indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. Quia ab infantia mea crevit mecum miſeratio, & de puriſſimo utero matris meæ mecum egreſſa eſt. Ecce in manibus meis deſcripſi te, nec obliviſcar tui uſque in finem. Conſolabor Sion, & ponam deſertum ejus quaſi delicias, & G ſolitudinem ejus quaſi hortum Domini.

Expecta me, fili mi, quia venio citò, & merces mea mecum eſt, & dicam animæ tuæ: Excutere de pulvere, conſurge, ſede Hieruſalem, ſolve vincula colli tui, captiva filia Sion. Egredieris dives de captivitate dura, & timebunt te, ac lætabuntur egreſſu tuo inimici tui, ſicut quando lætata fuit Ægyptus in profectione Iſrael, quia incubuit timor ejus ſuper eam.

Et quidem cùm ad cœleſtes nuptias poſt obitum tuum ſit introducenda amica mea anima tua; tametſi differre vellem conſolationem uſque ad finem vitæ, nihil illa mali pateretur, quia reciperet tandem duplicia de manu mea pro tranſactis laboribus ſuis? Vel certè ſatis ei eſſe deberet, ſi ſemel in H vita loquerer ad cor ejus, ſicut ſoleo ad amicos meos dicens: Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Tam pretioſa ſiquidem, & inæſtimabilis eſt conſolatio mea, (ut fatentur, qui guſtarunt amici mei) ut anni viginti dolorum, & ariditatis horæ unius ſolatio compenſentur. Quantum, ô fili cor-

Scrip. An. circ.1607.

dis mei, putas lætitiæ pondus eſſe, cui ſuccumbit anima in viſitatione mea, cùm blandior ei, & in aura leni dico: Paupercula, tempeſtate convulſa, abſque ulla conſolatione; Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris, & ponam jaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos A tuos in lapides deſiderabiles.

Dilatatur cor, ô fili, cujus animam ſitivi moriturus, & ſuper univerſa mundi gaudia diſtenditur, ac renovatur, amplectens me, & hauriens ab ore meo halitum meum, velut cùm per ſapientiam meam plumeſcit accipiter, expandens alas ſuas ad auſtrum; ubi decidentibus vetuſtis pennis, novæ pennæ ſuccreſcunt. Loquor ibi in thalamo, & ſolor in deſponſationis fide permanentem ſponſam meam. Abſtergo lacrymas ab oculis ejus, & in umbra manus meæ protego eam.

Certè fili cordis mei, quomodo deſcendit imber, & nix de cœlo, ac inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit; ſic dulciſſimum conſolationis allo- B quium, quod egredietur ad te de ore meo, perfundet ac fœcundabit viſcera tua, & juſtitiam germinabunt, ac lætiſſimo gaudebunt ſabbathiſmo. Sed quia ſic expedit tibi, ne mihi præfigas quinque dies, intra quos niſi Bethuliam viſitavero, fiat Holoferni tributaria. Jacta potiùs, fili, cujus vitam affectat anima mea, ſuper me curam tuam, & ego te amanter enutriam, & cibabo te cibo grandium, ut creſcas ad menſuram meam.

Quod ad humilitatem cordis attinet, fili ſuaviſſime, opto vehementer te tantæ virtutis decorem indui, ut requieſcam in corde tuo, tractus uno crine colli tui, quo traxit me ſpecioſiſſima mater mea. Deſcendi cupidiſſimus tanti decoris è ſolio glorioſiſſimi patris mei, & humilitatem cœpi profiteri à C cathedra præſepis, ubi reclinavit me tenerrima virgo, & parens mea. Propter hoc dedi genas meas vellentibus, & non averti faciem meam à conſpuentibus me, & opprobria axprobrantium Patri meo ceciderunt ſuper me. Propter hoc obtexi caligine gloriam meam, & aſcendi ſicut radix de terra ſitienti in gravi valde preſſura mea, Propter hoc inimici mei deriſerunt me quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, ac humiliatum, & unanimiter ſpreverunt, ac repulerunt ſabbatha mea.

Tu vero altam ſapientiam addiſce fili cordis mei. Ama neſciri, ac pro nihilo reputari. Quære latebras, ubi guſtabis me, ſicut, & guſtarunt egentes, anguſtiati, afflicti, ab- D diti in ſpeluncis, & cavernis terræ dum à conſortio mundi repellerentur amici mei. Diſce à me, fili animæ meæ, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenies dulciſſimam requiem, quam inquiris. Fer patienter dedecora, & contemptum, & exultaberis in regno Patris mei, & pro eo, quòd cauſa tua tanquam impii judicata eſt, cauſam, judiciumque recipies.

Quid tua intereſt, amabiliſſime fili, ſi tantillum vileſcas, dum præterit figura mundi, cùm ex decreto meo ſis mecum ſeſſurus ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, qui contempſerunt te? Bibe quaſi aquam improperia, & coram Patre meo confitebor te, & interea dum vileſcis, imbuam te ſubtiliſſima, & ſuaviſſima voluptate mea. E

Fer mundi contemptum dulciſſime fili mi, & paupertatem ſponſam meam, nam & ego quoque tuli eam verſatus in laboribus à inventute mea. Unde & experientia miſericors factus, judicabo te inter pauperes populi, quando ſaluos faciam dilectiſſimos mihi filios pauperum; quando ex uſuris, & iniquitate redimam prætioſas valde, & acceptas mihi animas eorum, dum venero judicare terram, & dum confregero capita draconis, & ſectatorum ejus, qui ſuper vulnerum tuorum dolorem addiderunt.

Læva mea erit ſub capite tuo, & dextera mea amplexabitur te, niveque candidior anima tua, cujus poſteriora erunt in pallore auri, quaſi columba deargentata volabit ad nidum cordis mei, ubi guſtabit abſcondi- F tas, & ſervatas ei ab initio mundi delicatiſſimas, & caſtiſſimas delectationes dexteræ meæ.

Habeto fidem Dei, fili mi deſideratiſſime & nihil hæſitans deprecare me, & exquire formoſiſſimam faciem meam, & ego de cœlo exaudiam te per ignem amoris mei. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad affectus exultantes ab ara cordis tui. Elegi enim, & ſanctificavi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.

Tu enim, dulciſſime fili, es pars mea, & ſicut Jacob, funiculus hæreditatis meæ. Et licet modo verſeris in terra deſerta, in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis: Ego circumducam, & docebo te, & cuſtodiam quaſi G pupillam oculi mei. Et ſicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos; expandam alas meas, & aſſumam te, atque portabo in humeris meis.

Ego ſolus dux ero tuus, nec erit tecum Deus alienus, & peragrato deſerto conſtituam te ſuper excelſam terram, ut comedas fructus agrorum, & ut ſugas mel tam expectatum de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo. Memor enim ero teſtamenti mei, quod diſpoſui ad Abraham, & iuramenti mei ad Iſaac, quod ſtatui Jacob in præceptum, & Iſrael in teſtamentum æternum. Ex his quippe tribus conpoſui nomen meum, & memoriale cordis mei in generatione & generationem, ut nihil tibi negare poſſim H propter fœdus electiſſimi populi mei.

Quod vero ſpectat ad dulciſſimum amorem meum, quem poſcis ardenter, & quo uno inter omnes reges terræ valde dives eris certum eſt, te rem magnam poſtulaſſe, pro qua æquum eſt, te vendere univerſa, quæ habes, ac ſequi me. Tam pretioſa quippe res eſt, ut pro minima illius particula cœlum, Scrip. An. circ. 1607. lum, ac terra libentiſſime vendi deberent. Quapropter vel ex hoc capite probandus eſſes, ut bonum tantum laboribus immenſis comparares.

Do tibi ſignificationem, fili amore prægnantis animæ meæ, ut fugias à facie arcus, quem tetendi, & in quo paravi vaſa mortis contra protervos inimicos nobiliſſimi A amoris mei. Percipe notas infiniti ardoris mei. Non enim eſt, qui ſe abſcondat à calore meo, niſi qui terga vertit, & ſequitur filias Principum Madian, quas ultus eſt Phinees fideliſſimus ſacerdos meus, & cuſtos dulciſſimi teſtamenti mei.

Imitare me, fili ſuaviſſime in diademate, quo coronavit me pulcherrima, & manſuetiſſima mater mea in die deſponſationis meæ, ac in die lætitiæ penetralium cordis mei; & tangam digito meo viſcera tua, & inſtillabo eis ſenſum amoris mei, qui tenet ſceptrum ex auro mundo in illuſtriſſimo regno meo.

Paſce, fili dulciſſime, lætiſſimas herbas paradiſi mei, & lætaberis adipe agnorum pinguium, quos introduco in uberrima paſcua B mea. Ne polluaris de menſa regis Babylonis, more Danielis invictiſſimi pueri mei, & apparebit vultus tuus formoſiſſimus in præſentia potentiſſimi, & excelſiſſimi Patris mei.

Contemplare, fili dulciſſimæ Hieruſalem ſponſæ meæ, dignitatem meam, & infinitam pulchritudinem meam, & traham te poſt me, & curres in odorem unguentorum meorum; ſuaviſſimum quippe nomen meum oleum effuſum eſt. Si Divinitatem meam conſideres, candor ſum lucis æternæ, ac ſpeculum ſine macula excelſiſſimi Patris mei. Si humanitatem aſpicias, ſum Filius unigenitus ſpecioſiſſimæ, ac ſuper cœlos ſereniſſimæ Matris meæ. Nihil in me deprehen- C des, quod non ſit amore digniſſimum, cum ſim ipſa abſolutiſſima, & perfectiſſima univerſorum cordium domina, pulchritudo.

Sum Rex dulciſſimæ Sion, & aſpectu placidiſſimo, amplexuque ſtrictiſſimo excipio venientes ad ſolemnitatem meam; & corda rego, non tam imperio, quàm ineffabili dulcore, ac ſuavitate mea.

Sum corde mitiſſimus ſuper omnes, qui morantur in terra, nec niſi invitus iraſcor. Sponte autem mea miteſco, & reconcilior, & quemvis inimicum meum quantumvis obduratum vel ſemel ad me ſuſpirantem amplector. Quin etiam, ſi populus ille interfector meus ſemel clamaſſet ad me, non elevaſſem lanceam meam ſuper eum. Nunquam enim nocui viro, qui vellet ſervire D Patri meo.

Sum eloquio ſuaviſſimus, & euchari lingua ſuſpendo confugientes ad aſylum meum, quos inflammo æternis deſideriis ſecretiſſimæ eruditionis meæ.

Sum ad benefaciendum propenſiſſimus, & expleo deſideria quærentium me. Ego ſolus cepi leænæ prædam, & ſatiabo animam catulorum ejus, nec unquam conquieſcet cor humanum, donec perferatur ad me. Ego enim ſum, qui ſum, omne ſcilicet bonum, ultra quod nihil deſiderandum eſt.

Si ergo amare cupis, dilectiſſime, fili, tanquam in agone contendens ab omnibus te abſtine, & pro tanto bono viriliter age. Suſpiriis, ac gemitibus pulſa fores cordis mei. Si enim perſeveraveris pulſans, amen E dico tibi, eſto non darem tibi, eò quod filiùs, & amicus meus ſis, ſaltem propter improbitatem tuam dabo tibi panes, quotquot habes neceſſarios. Quin etiam, o fili dilectionis meæ, dabo tibi meipſum, ut nunquam tibi deſit panis vivus, qui de cœlo deſcendit.

Dabo tibi non partem ſubſtantiæ, quaſi filio prodigo peregrè profecturo; ſed totam ſubſtantiam domus meæ, quaſi majori natu fideliſſimo filio meo, poſſeſſuro cuncta, quæ mea ſunt. Etenim, ſi ignem veni mittere in terram, & opto vehementer, ut accendatur, & ardeat; quo pacto negare potero, quæ ardentiſſime largiri deſidero?

Dilata dulciſſime fili, cujus deſiderio ardet anima mea, dilata os tuum, & implebo F illud ſuaviſſimo paſtu amoris mei.

Pande mihi penetralia cordis tui, & flammis ſempiternis uram illud, & erit juge holocauſtum ſacratiſſimi altaris mei.

Offer mihi amoris jaculo vulneranda viſcera tua, & ſauciabo illa delectabiliſſimo illapſu meo.

Sine, veſcar præcordiis tuis, & mutaberis in me à facie efficaciſſimi caloris mei.

Redde mihi tributum animæ tuæ, & illuſtrabo illam clariſſimo lumine vultus mei.

Exibe mihi pectus molle, & penetrabo illud ſubtiliſſimo gladio vivi ſermonis mei.

Trahe ſuſpiria ignita è medullis tuis, & alligabor tibi arctiſſimo vinculo charitatis meæ.

G Celeriter curre ad amplexus meos, & intimè agglutinabitur tibi anima mea.

Quære me ſolum totis viribus, clama, & require vultum meum, & eris compos ardentiſſimi, & vivaciſſimi, ac mihi jucundiſſimi voti tui.

Sic ſcriptura ceſſat. Cæterùm non ceſſabit creberrima inſpiratio, & eruditio mea, ô fili amabiliſſime, ac ſuper mundi opulentiam pretioſiſſime cordis mei. Non te deſeram, ô fructus ſuaviſſime, acerbæ nimis paſſionis meæ. Extenſis brachiis, o expectatiſſima præda mea, expectabo te, donec veniat tranſmigratio tua. Per cancellos proſpiciam te, dulciſſime comes peregrinationis meæ. Agam apud clementiſſimum Patrem meum cauſam optatiſſimæ ſalutis tuæ. Et H licèt corpore abſim, corde tamen tibi præſentiſſimus tuebor te; & deducam te per vias rectas ad regnum, quod efflagitas, ſempiterni amoris mei.

* * *

JE-

Scrip. An.
circ.1607.

JESU CHRISTO
PAULO POST MORITURO

Quidam ejus ſervus S.

A
EPISTOLA TERTIA.

Epiſtola hæc nihil aliud eſt, quam meditatio Chriſti crucifixi, ſtatim morituri.

DUlciſſime Fili Dei, ac manſuetiſſime Regum Rex, qui regnas, & pendes à ligno, dum intueor vitam meam pendentem ante me ac ruptis fontibus abyſſi magnæ, deleto chirographo decreti abluentem multis doloribus culpas meas, tactus dolore cordis intrinſecùs, dico tibi linguam, & manum meam, velut calamum ſcribæ velociter ſcribentis; & mœſtiſſimum funus tuum, antequam in manus Patris commendes ſpiritum præcurrentis.

Audio ſermonem tuum vivum, & efficacem, B penetrabiliorem omni gladio ancipiti, & uſque ad diviſionem animæ, ac ſpiritus pertingentem, doloris inquam plenas querimonias tuas, quibus duriſſima ſaxa, nedum corda moventur: & doleo ſuper te amantiſſime Deus, & ſpes firmiſſima cordis mei.

Cujus enim vel ferreum cor non emolliat derelictio illa, qua clementiſſimus Pater tuus propter ſcelus populi ſui percuſsit te; quaſi non eſſes unctus oleo præ conſortibus tuis, & quaſi perpetraſſes verba delictorum tuorum, quæ pertuliſti in formoſiſſimo corpore tuo ſuper lignum.

Circundederunt te dolores mortis, ô Unigenite Fili Dei, & optatiſsima ſalus mea, omnes amici tui dereliquerunt te: & hæreditas tua facta eſt, quaſi leo in ſilva, & C dedit contra te vocem ſuam: quomodo ergo potero in hac tua ſolitudine non flere, ac diſcerpere crudelia viſcera mea?

Miror valdè, ſuaviſſime Deus cordis mei, adamante duriorem animam meam, ante cujus oculos proſcriptus es, & crucifixus; quomodo ferre poteſt ſuſpiria tua, & ignitum eloquium tuum vehementer?

Clamas ad Patrem, & non exaudit Te, ſtas, & non reſpicit te, videtur tibi mutatus in crudelem, & in duritia manus ſuæ adverſari tibi.

Utinam, o tenerrime Fili virginis, & lumen ſplendidiſſimum vultis mei, appenderentur peccata mea, & calamitas, quam pateris in ſtatera: quaſi arena maris hæc gravior appareret: unde non ſine cauſa verba D tua dolore ſunt plena, quia ſagittæ Domini in te ſunt, & terrores ejus militant contra te.

O nive candidior Nazaræe, & ſereniſſimo cœlo ſerenior, quomodo pulcherrima facies tua denigrata eſt ſuper carbones deſolatorios, & oculi tui languent præ inopia? Hæccine eſt facies perfecti decoris, gaudium univerſæ terræ? Quomodo obſcuratum eſt aurum, & pretium ejus cogitaverunt repellere, filii alieni hæreditatis Dei?

Obſtupeſco, atque perturbor, o pax tranquilliſſima cordis mei, & ſuaviſſime potus ſitientis animæ meæ, quomodo primogenitus tuus Iſrael dereliquit aquam ciſternæ Bethleem, & fodit ſibi ciſternas diſſipatas, E quaſi requiem invenire poſſet extra te?

Migravit à te portans ſecum afflictionem, ac multitudinem ſervitutis: habitavit inter gentes ignaras tui, nec invenit requiem. Qualis enim requies vel gaudium eſſe poſſit homini, qui te lumen cœli non videt, & regem Sion montis ſancti tui ſæviſſimo Pharaone permutat?

At cur memoro necem infandam populi fugientis te, & non potiùs comitor morientem, & poſt tergum monentem inimicos tuos, & pacem offerentem iis, qui oderunt te? Mihi certè adhærere tibi bonum eſt, & ponere in corde fideliſſimo tuo ſpem meam. & timere, velut mortem, ſeparari à ſalutari umbra vitaliſſimæ hujus arboris tuæ.

Negotiatores Madianitæ, atque Sabæi F exquirant divitias, & prudentiam, quæ de terra eſt: ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo. Licèt enim o invictiſſime vir dolorum, & ſciens infirmitatem, ſolitudo tua ſatrapis non placeat, ego tamen ſum vir pauper, & dolens, & cupio, ut ſalus tua ſuſcipiat me.

Cupio, o fortitudo, & vita mea, roborari, ac vivere de te, &, ut audivi, hic abſcondita eſt in infirmitate fortitudo tua, & ante faciem tuam ibit mors. Pateat mihi per te recta via ligni vitæ, puriſſimum ſpeculum oculorum meorum, & ſaluberrimo collyrio ſanguinis tui medere pupillis meis.

Si detergis nebulas meas, attentiſſimè intuebor te, & formoſior mihi videberis in G patibulo, quàm fallax omnis mundi gratia, & vaniſſima carnis pulchritudo.

O ſublimiſſima virtus Dei, & perfectiſſime decor animæ requirentis te, quàm fortiter, ac ſuaviter corda trahis exaltatus è terra.

Mihi abſit gloriari, niſi in cruce tua, ubi latet magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti imitantibus te. Ibi & inde regnum mitiſſimi Filii David, quem fidelia corda requirunt, & cui ſpontanea dilectionis tributa reddunt non ſolùm Reges Tharſis, & Arabiæ, ſed etiam reges magni univerſæ terræ.

Dulceſcat mihi, oro te, ſumme Sacerdos & Rex Salem; hoſtia hæc, ſine qua non fit remiſſio, & imprimatur cordi meo cupienti H te, & ſacrificabo tecum vitulum novellum ferveſcere ſatagentis amoris mei. Utinam, ô Sponſe ſanguinum, tecum crucifigar, & ſuaviſſima ſtigmata tua in corpore meo portem, ne dum calcas torcular, derelinquam te, ſed inebrier dulciſſimo, & calidiſſimo muſto tuo.

Qua-

Scrip. An. circ.1607.

Quare; ô ſpecioſiſſimè, ac ſereniſſime Deus, & illuſtriſſime ſplendor cordis mei, primogenita civitas tua Hieruſalem projecit te, qui filias ejus cocco bis tincto, & candidiſſima byſſo veſtiebas?

Quare inſtat, & inſultat morienti, & ponit te velut ſignum ad ſagittam?

Quare properat vitam interficere, & era- A dere te de terra viventium, qui non poſſunt vivere ſine te?

O ſpectaculum certè funeſtiſſimum! O hæres domus Jacob ſempiterne, cui comparabo te? Utinam præ doloris magnitudine dirumperentur præcordia mea, & uſque ad fines orbis terræ vox erumperet, ac perſonaret è penetralibus cordis mei, & cervæ parerent ſpiritum ſalutis, commotæ vehementiſſimo rugitu meo. Utinam oſtenderem elephantibus ſanguinem uvæ, quo lavas pretioſiſſimam ſtolam tuam ad acuendos eos ad prælium.

Sed hei mihi, quia vir pollutus labiis ego ſum, & expedit mihi magis mundari, quàm mundare: quapropter precor te, qui ſordes abluis filiarum Sion, aſperge me hyſſo- B po, & mundabor, lava me recenti hoc balneo tuo, & ſuper nivem dealbabor; & apparebit vultus meus formoſior coram te, quàm vultus nobilium puerorum, qui bibunt de calicibus regis Babylonis.

Anima mea cupit te, dulciſſima requies mea, & more columbæ avolans, nec inveniens in diluvio aquarum multarum, ubi poſſit requieſcere pes ejus, nidum quærit in foraminibus petræ, ac in deſideratiſſima caverna maceriæ. O dilectio, ò aula delicioſiſſima, & humanitas amabiliſſima Filii Dei, quæ multis portis amoris pates, ſicut mare magnum, & ſpatioſum manibus, miſerere mei ſecundum magnam miſericordiam tuam, & paſtu cordis nutri me. Abſcondar in te à vultu irati Dei, & eris mihi arcus poſi- C tus in fœdus pacis, cum clementiſſimo Deo, & amico meo.

Sed quid quæro delicias in vulneribus tuis, Sponſe formoſiſſime animæ meæ, & non potiùs ſaucior, & excrucior doloribus tuis, & ardoribus æternis amo te? An poſſit non adhærere tibi, & immenſæ dilectionis brachiis amplecti te, qui te videt à duriſſimis inimicis odio habitum, & crucifixum, & dulciſſimo ac mitiſſimo corde veniam illis à Patre tuo deprecantem?

Uſquequò miteſces amantiſſime cuſtos hominum? Quid tua intereſt, tam ſeriò parcere peccatoribus, & ſollicitare corda virorum? Quorſum vivant flagitioſiſſimi prædones, qui oderunt te?

Vive tu mihi, cœleſtis conſolatio mea, D quia tu ſine illis mihi ſatis es.

Verùm ego tibi, ditiſſime Deus cordis mei, ſatis non ſum, & plura lucra conquiris: & quaſi egeres ſocietate inimicorum Regis, nec ſine illis vivere poſſis, in hoc extremo agone tuo poſtulas inſtantiſſimè à Patre gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam, terminos terræ. O chariſſime, ô pulcherrime, ô nobiliſſime, & gratia præſtantiſſime Fili ancillæ tuæ, quam miſericors, & ſuavis es? Quis mihi det, ut in dulciſſimo ſilentio curarum, & cogitationum univerſarum contempler incendium cordis tui, ut cantem in æternum invictiſſimas miſericordias tuas?

Non ſine conſilio pendes inter latrones, E potentiſſime cordium Impetator; ad prædam quippe aſcendiſti, ut catulus leonis Judæ:

Quamobrem multis gemitibus flagito, ut acceleres ac præderis me, ut fruar expectatiſſima captivitate tua.

Pone te ut ſignaculum in corde meo, & dominare viſceribus meis, & crucis trophæum erige ſuper caput meum, quid enim mihi proderit, o dulciſſima vita cordis mei, filiorum Adam ſolicitudo, ſi tecum non ſuſpendar, & oſtentui habear, ut memineris mei, dum veneris in regnum tuum?

At dum conſidero te mori feſtinantem, & eloquia caſta velut argentum igne examinatum proferentem, cupio, puriſſime candor lucis æternæ, cordis auribus audire te, & concipere penitiſſimos ſenſus tuos. Verba F ſunt amore prægnantia, quæ flammis immenſis corda conſumunt. Quis enim, o amantiſſime Frater mi, adeo ferus ſit, qui cum audit te rauca, & intermoriente voce dicentem, Sitio, non miteſcat, & liqueſiat, ut totus convertatur in potum, & leniat ſitim amore captæ animæ tuæ?

Quis mihi det, o unicum ſolatium animæ meæ, ut dirumpas fontes, & torrentes in medio pectore meo, ut de torrente in via bibas, antequam vitam morte claudas; nec videam propinari tibi fel draconum, & venenum aſpidum inſanabile. Torqueor enim, dum è vinea, quam plantavit dextera tua, video reddi tibi uvam fellis, & botros amariſſimos.

G Bibe Domine, obſecro te, bibe cor meum liquefactum, quod cupit infundi cordi tuo, & miſceri amore liqueſcentibus viſceribus tuis. Bibe cito precor te, & abſorbe vota mea, & innumera libamenta, quæ profero tibi de præcordiis meis: & celebrabo convivium Regis mei, convivium, cui præſidet ſollicitus amor, qui poculis alternis certare ſolet.

Verùm quid loquor, ſuaviſſime Deus cordis mei? quale refrigerium tibi paro cordis unius eliquatione, qua velut aquæ gutta magis irritabitur inexplebilis ſitis tua? Utinam liceret mihi, ternerrime Sponſe animæ meæ, univerſa generis humani corda liquare, ut hoc potu dulciſſimo ſitis tua ſedaretur? ſed ut video, cum tantus non ſuppetat potus, præ ſiti moriturus es. O ſitis, o ſempiterne ardor, ure me, ut ſatier à H fonte vivo, qui ſurgit in amœniſſimo paradiſo deliciarum, & irrigat civitatem Dei.

Nimis feſtinas, honeſtiſſime Fili virginis: baptiſmo quippe habes baptizari, & coarctaris admodum, uſque dum perficiatur.

Video, hei mihi, arentia labia, è quibus melle dulcior fluebat oratio, & animadver-

Scrip. An. circ. 1607. to, vix ſupereſſe mihi tempus impetrandi verba labiorum tuorum, quibus inflammer ad cuſtodiendas vias duras. Propter quod cum tibi morienti minus laborioſum videatur aſpicere, quam loqui, oro te, amabiliſſime Rex Salomon, aſpice in me, & miſerere mei ſecundum judicium diligentium nomen tuum, & pro intuitu ſaltem uno reddam A tibi pro fœnore præcordia mea, & imponam vitulos multos ſuper altare tuum.

Ne tibi moleſtum ſit, afflictiſſime fili hominis in hac hora tua ſemel intueri me, ac imprimere cordi meo imaginem acerbiſſimæ mortis tuæ, ut fleam & doleam ſuper te, ſicut doleri ſolet in morte primogeniti.

Suſpirabo & lamentabor te, ac demiſſo capite ambulabo, tranſlata eſt enim gloria de Iſrael, & arca Dei capta eſt. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis fontem lahrymarum, ut lugere poſſim mortem tuam, & obſcuratam lucem candidiſſimam, & pluſquam dulciſſimam pulchritudinem tuam? Quicquid enim extra te, amice quam ſuaviſſime cordis mei, inter filios Adam videre poſſum, torquebit me, & multis acceſſionibus B augebit ſenſum abſentiæ tuæ. Quamobrem, ſi tibi placet formoſe nimis Fili Dei, interfice me, & mori tecum erit mihi lucrum. Morietur certè anima mea morte juſtorum ſub ſalutari valde umbra tua.

Non poſſum non mirari, pretioſiſſima hæreditas & ſalus mea, quomodo terra ſanguine tuo perfuſa non clamat, ferre non valens vim efficaciſſimæ charitatis tuæ, qua ſeraphica corda liqueſcunt: Sol certè obtenebreſcit, & petræ ſcindi parant: ſed quam parum eſt hoc, dilectiſſima Vita & libertas mea, ſi cum excelſiſſimi Dei morientis exceſſu comparetur? Quomodo mundus non diſſolvitur, o firmamentum cordis mei? Quomodo & ego non intereo, dum de morte tua vel ſcribo, vel cogito?

C Jam oculi defunguntur, & mortem, quam non feciſti, pati feſtinas.

Quare, dulciſſime Frater mi, derelinquis me? cur non invenio gratiam coram te, dum mortis conſortium à te requiro? Quorſum dimittis me vagum, & profugum in terra aliena, ubi fame perenni laboratur? Auges privatione deſiderium, & non vis ponere me juxta te. Unde ſolitudine tabeſcam, ſaccum conſuam ſuper cutem meam, facies mea intumebit à fletu, & palpebræ meæ caligabunt.

Cur faciem tuam abſcondis, ſpecioſiſſime præ filiis hominum, & arbitraris me inimicum tuum, ſic tecum non una morior; amicorum quippe omnia ſunt communia, & tamen moreris ſine me? Potius certè mori D deberem ego, qui peccavi, & tu cum ſis innocens, à morte liberandus eſſes.

Vere innocens & juſtus es, o limpidiſſime innocentiæ fons, & inculpatiſſima juſtitia mea, & nihil morte dignum admiſiſti: quaproter cor meum expavit, & loco motum eſt eo quod tacet Deus conculcante impio juſtiorem ſe. Oculus fuiſti cæco, & pes claudo, nudi de velleribus ovium tuarum calefacti ſunt, oſtium cordis tui viatori patuit, orphano, pupillo fuiſti adjutor, contriviſti molas iniqui, ac de illius dentibus abſtuliſti prædam, & propter viſcera miſericordiæ tuæ populi te laudant, & omnis turba quæſivit tangere te.

Nunc autem, o æterna majeſtas, derident E te juniores tempore filii ſtultorum, & ignobilium, qui vita putantur indigni; multis ſubſannationibus execrantur te, & exultant interitu tuo. Quare ergo vivo in terra inimicorum, formoſiſſime Deus cordis mei? Melius eſt mihi ſemel mori, quam tot audire maledicta, & improperia inſanientis populi, qui crucifixit te.

Profectò, fortiſſime Regum Rex, & expectatiſſima redemptio mea, licet flagitioſiſſimus latro, & vir ſanguinum crudeliſſimus fuiſſes, tamen in tanta diræ mortis anguſtia corda etiam dura mollires: quare ergo, dum jam jam exhalas animam, hoſtes tui, pro quibus moreris, tibi ab inſultatione non parcunt, ſed petunt, ut ſi filius Dei es, liberet te nunc, ſi vult? O altiſſime, qui non F rapinam arbitratus es, eſſe te æqualem Deo, ſed uſque ad lignum exinaniſti te, qui ponis animam tuam, quam à te nemo tollere poteſt, cur diligis populum obſtinatum, & redimere pergis illum ſanguine, quem fundit? O Hieruſalem civitas ſancta, quàm citò ſedebis ſola, & viduata Deo tuo, & inſanient principes tui, ambulantes in tenebris, quia ſplendidiſſimus ſol eis occidit in meridie? ô luctuoſa deſolatio! ô infelix ſolitudo!

Væ mihi, dilectiſſime Jeſu Chriſte, vir potens in opere, & ſermone, quàm celeriter curris, exhauſto jam ſanguine, & conſumpto humore vitali tuo, friget corpus, à cujus calore non eſt, qui ſe abſcondat, rauceſcit ſpiritus incitatus, & inclinas caput G confeſtim moriturus.

Annuis morti, ó validiſſime pugnator, ne trepidet irruere in te, & ictum ejus poſtremum expectas. Quid dicam tibi, cujus miſericordia melior eſt ſuper vitas? Quid ſentiam de ultima ſuper favum dulciore voluntate tua, qua diſponis teſtamentum electis tuis?

Das, ô homo, qui natus es in Sion, quam fundaſti donas certè pro dilectione omnem ſubſtantiam domus tuæ, & quaſi nihil deſpicis eam præ magnitudine immenſi cordis tui; ò liberaliſſime, uſquequò non parcis tibi, nec dimittis te, ut glutias ſalivam tuam?

Cur non avertis mortem jam tibi proximam, ſicut avertiſti ab Iſaac ſervo tuo? Cur tenſa non laxas viſcera, & rigor lenteſcit H ille, quem genuit zelus domus tuæ, qui comedit te? O dulciſſime amor, qui uſque in finem diligis amicos tuos, majorem dilectionem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis; & ideo, ut animadverto, libenter moreris, ne dilectio major poſſit inveniri.

Demittis caput, Imperator, ſempiterne,

Scrip. An. circ. 1607.

& glorioſiſſime humanæ gloriæ contemptor, & inſcripto tibi regis titulo hærere non vis; ſed in obedientiæ amplexu, obedientis habitu, quem ex iis, quæ paſſus es, didiciſti puriſſimam, & pulcherrimam, fortiſſimam, & ſuaviſſimam, & humanæ ſalutis avidiſſimam animam inclinato capite cupis efflare,

A Morere igitur, creatrix vita languentis morte tua cordis mei, morere perennis conſolatio mea, morere, quia ſic placitum fuit ante Patrem tuum benigniſſimum, & te: expedit quippe, ut unus moriatur homo pro populo.

Heu, quàm breves dies hominis ſunt, hominis etiam ejus, qui neſcit occaſum? Quàm brevi tranſeunt omnia ſub ſole! Dicis, ô chariſſime amice cordis mei, dicis conſummatum eſſe opus tuum, & inclinato capite mortis vulnus expectas. Benè omnia feciſti; & ſurdos feciſti audire, & mutos loqui, pacificans per ſanguinem crucis tuæ, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt, & perfectiſſima gratia, & decore tuo litem filiorum Adæ diremiſti.

B Jam cor Patris æterni tui placatum eſt, & aſcendit ſuavis valdè odor medullati ſacrificii tui: reddidiſti ſolennia vota tua in atriis domus Domini, & in monte à ſeculo expectatæ viſionis ſuæ. Dinumerata ſunt omnia oſſa tua: pedes, qui confecére viam redemptionis Judæ, in altum ſublati ſunt: manus, quæ libertatem captivis reddidere, tetendiſti. Pelli tuæ conſumptis carnibus adhæſit os tuum, & derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes tuos, ut pro interfectoribus tuis Patrem mitiſſimum exorares: aures opprobriis, & contumeliis apertas exhibuiſti, & corpus totum obtinuère livores. Quid amplius a te requiram?

C Certè conſummatum eſt: & impletæ ſunt Scripturæ. Conſumptus es tu, pulcherrime Sponſe animæ meæ, & dum verba prophetica conſummas, conſumor ego diſceſſu tuo, & mœſtiſſimo ſpectaculo defunctionis tuæ. Quare miſero mihi data eſt lux, & vita iis, qui in amaritudine animæ ſunt? Vellem, o vitaliſſime Jeſu cordis mei, delicatiſſima, & acerrima voce penetrare cœlos tuos, opera digitorum tuorum, quæ tu fundaſti, & mundum lamentationibus implere præ ſenſu receſſus tui.

Quò me vertam ſine te Magiſtro meo, & ſpeculo puriſſimo vultus mei? Utinam commendares me humaniſſimæ Matri tuæ, quæ ſermonis juſtitiæ expertem lactaret me, & uteretur quaſi mancipio cœleſtis pulchritudinis ſuæ? Hac enim hæreditate ditares me dono pretioſiſſimo cordis tui, & te citò rediturum patientiùs præſtolarer.

D Cæterùm totius conſolationis expers ſuſpiro ad te amantiſſime Fili Dei, qui nunc expiras, & ſuſpendo in ara crucis viſcera mea, quæ jamdudum immolavi tibi. Admitte ſaltem in hoc extremo ſpiritu cupidiſſimum amicitiæ tuæ cor meum, & fer tecum illud in manus clementiſſimi Patris tui: & memor ero tui de terra Jordanis, & Hermonii, & in cubilibus leonum, & montibus pardorum memorabor juſtitiæ tuæ ſolius.

E Abſit à me, ut ob abſentiam obliviſcar tui, o gratia præſtantiſſime Deus animæ meæ, & magna valdè merces mea: quin immò, o immortalis gloria, & corona mea, hic ultimus agon tuus ſollicitabit, & urgebit me, & celebrabo multis gemitibus funus tuum in ſtratu meo, & organa lætitiæ ſuſpendam è ſalicibus meis.

Tu verò fideliſſime amice, cujus amor fecit ac refecit me, admitte (iterum peto) ardentiſſimum hoc votum meum, ut liceat commori tibi morte ſaltem dulciſſimæ dilectionis: trahe me poſt te, & obſequio ſempiterno adhærebo tibi.

F Sic dum expiras, defungor, & feror ad te volatu quodam cordis ſatagentis agglutinari animæ tuæ, & ſepeliri tecum, ſuaviſſima ſimilitudine mortis tuæ. Sic tecum, quoad poſſum, morior, deſideratiſſima, & pretioſiſſima Vita mea, nec verò quieſcam, ſed donec in me reſurgas, requiram innumeris ſuſpiriis optatiſſimam, & jucundiſſimam, & ſuper cœlos ſereniſſimam præſentiam tuam. Vale.

SÆRENISSIMO
DEI FILIO
SUB EUCHARISTICO VELAMENTO LATENTI,

Quidam ejus ſervus S.

EPISTOLA QUARTA.

Epiſtola hæc nihil aliud eſt, quam Euchariſtiæ Sacramenti meditatio.

G TAnta eſt, dulciſſime Fili Dei, vis immenſi amoris tui, à quo montes ſicut cera fluunt, ut aquæ multæ non potuerint extinguere charitatem, nec flumina poſſit obruere exultantem flammam cordis tui.

Propter quod, ut erigeres ſuper me vexillum ſuaviſſimæ charitatis tuæ, poſtquam factum eſt cor tuum tanquam cera liqueſcens, te in amplum animæ meæ vas, commercio dilectionis transfuſurus, paras mihi lautiſſimam amoris menſam, quæ ſaxea corda poſſet emollire.

H Licèt enim tuæ ſunt, amantiſſime Deus cordis mei, omnes feræ ſylvarum, jumenta in montibus, & boves: non mihi tauros & altilia quævis præparaſti, ſed agnum tenerrimum, & candidiſſimum, qui ſui appetentiam irritaret, & licèt pulchritudo agri tecum ſit, & tibi plantæ omnes juſſu tuo vireſcant, non me ad lactucas agreſtes, aut fructus hortorum acerbos, ſed ad vitæ jucundiſſimæ arborem invitaſti, ſub cujus umbra ſederem, & caperem vitale pomum, quo nutrirentur viſcera mea.

Scrip. An. circ. 1607. Feciſti memoriam mirabilium tuorum, ſpecioſiſſime Deus animæ meæ, & in eſcam unam omnes amoris vires contraxiſti, ut mulceres voluptatis avidiſſimum pectus meum.

Miror valdè ingenioſum amorem tuum, qui tam efficaciter te inſinuat in penetralia mea cupidiſſima decoris tui. Quis unquam, ô pulcherrime virginis Fili, credere potuiſſet A in amandi arte tot ſubtilitates tuas, quibus exerces avida formæ tuæ præcordia mea? Ergone novorum prodigiorum inventor ſemper eris? Audivi certè amicos, fratres, ſponſos ab amore creari, at nutrimentum amoris amantem ipſum fieri, neque cogitare, neque niſi priùs feciſſes, ſuſpicari potuiſſem.

O ſuaviſſima dilectio, ô amabiliſſime Deus, & potentiſſime prædo cordis mei, uſquequo cum viſceribus meis bellum geres, ut emollias lapideum pectus meum? Satis pugnatum eſt, amice fortiſſime, & precioſiſſima hæreditas mea, ſatis pugnatum eſt: non poſſum repugnare ſempiternis ardoribus amoris tui. Age jam triumphum de capta præliis tuis anima mea, & in ara dulciſſimæ Sion, odorare holocauſtum medullatum cordis mei.

B Quid quæris, amabiliſſime Fili Dei, dum te condis intra corpus meum, ut te quaſi algentem foveam calore meo, & digeram velamen, quo tegeris in cœleſti pane animæ meæ? An ego trahor, & artificioſo cibo captus mutor in te, ſecretis viribus tuis?

Quare, formoſiſſime amice, ſollicitas me, & pro convivio requiris viſcera mea? Nonne gratis ad convivium vocor, & cœnæ magnæ conſors fio? Cur ergo ligor in compedibus, & funiculis Adam retineor, ne tam liber, quàm acceſſi, recedere queam? Cur tam rapidè trahis me poſt te, ô puriſſima voluptas mea?

Delectabile eſt, ô amantiſſime Deus, ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo, & manna de cœlo lapſum omni ſa- C pore ſuavitatis plenum eſſe certum eſt. Medulla tritici tui, & ſanguis tuus meraciſſimus cor exhilarat, & calix tuus inebrians quàm præclarus eſt? Regales epulæ tuæ, ô gratia præſtantiſſime, ſapore trahunt, & aſtricta dolore viſcera dilatant, & fœcundant, ſicut matutinus ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion, ubi regnat amor.

Propter hoc adoleſcentulæ dilexerunt te, memores uberum tuorum ſuper vinum, quo corda clareſcunt: & anima mea dulciſſimi cordis tui cupidiſſima deſiderat te, & patet ſicut terra ſine aqua tibi.

Non placent mihi, o fons vitæ puriſſimæ fluvii Damaſci, nec Aſſyriæ, qui cœno turbantur: ſed aqua ſpontè fluens è ciſterna optatiſſimæ Bethleem, quam in vinum generoſum convertit amor. D

Utinam, dum alii villam emunt, juga boum parant, & uxorem ducunt, inter chariſſimos amicos tuos regio cibo veſcar, & appareat vultus meus nitidior, quam illorum, qui terreno convivio veſcuntur voluptuoſè & nutriuntur in croceis, donec amplexentur ſtercora quæ ſequuntur.

Pando tibi, ô potus & eſca mea, & pingue nutrimentum cordis mei, pando tibi latentia, ſed tibi ſatis nota ſuſpiria mea, & appetentiam ſaporis tui. Filiæ Regum concupiere te allectæ lauta valde menſa tua, ubi abſcondiſti diligentibus te infinitam multitudinem dulcedinis tuæ.

Abjuro certè Regis Chaldæi profanas epulas, ut caſtius vivam & ad frumentum ele- E ctorum, ac vinum germinans virgines inter filios Sion inclitos admittar, & inebrier ab ubertate tua.

O ſuaviſſima dilectio mea, cui comparabo te? o panis vitaliſſime, ubi poſuit amor caſtiſſimas delicias meas, eſurio te. Hei mihi, Sponſe ſpecioſiſſime, quam acri amoris ſtimulo urges me? Quam multis, & ſecretis vulneribus ſaucias me?

Veni amice formoſiſſime, amplectar te, feſtina, ut deficientem nutrias & robores; ut curram quaſi cervorum hinnulus ad montem pinguem, & coagulatum fruitionis tuæ, ubi revelata facie contempler pulchritudinem tuam, & paſcar ſuavitate amoris tui.

O Deus abſcondite, cui ſine cibo ſuſpirant viſcera mea, quare ſpeciem tuam ſub- F trahis oculis meis, dum reconderis ſub imagine panis in pectore meo, & alis ſeneſcentem vitam meam?

Intus gero ſecreta, quæ non novi; & renovatur me inſcio, ſicut aquila juventus mea, & ſuggeritur fomentum amori meo. O artificioſa nimis dilectio, quam tu ſolus excogitare potuiſti, fortiſſime victor cordis mei, cui ferrea pectora cedunt, & amore ſoluta liqueſcunt.

Utinam rareſceret ſollicita valde anima mea, & penitus conciperet halitum oris tui, ac viveret de pane dulciſſimo, quem compoſuit dilectio tua.

Firmet cor meum nova conſperſio hæc, ut Ægyptias ollas oblivioni tradam, nec poma viſu pulchra & ad veſcendum ſuavia hæ- G res Hevæ requiram. Satis eſt mihi, o pinguiſſime paſtus cordis mei, panis hic à filiabus Tyri multis precibus expetitus, ut ſicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis te laudet os meum.

Si dederis mihi panem hunc nive candidiorem ad veſcendum, & veſtimentum charitatis tuæ, qua operiar, eris mihi in Deum animæ meæ, & in puriſſimum ſpeculum vultus mei; Et in voce exultationis & confeſſionis cantabo tibi canticum novuum, quod ſeneſcere non ſinet fervorem meum.

O pulcherrime Rex in canalibus ligate, ac purpura veſtite, quam cupide tibi patent oſſa mea, ut illabaris in latibula mea, & augeas nutrimento tuo tabeſcentes me- H dullas meas. Adhæreat, oro te, cœleſtis eſca viſceribus meis, & transformer in te, ut jam non vivam ego, ſed vivat ſplendor illæſus amici mei, & in me ſit verum fœdus illud: Amicus eſt alter ego.

Guſtavi ſemel, & vidi, quia bona eſt in pane tuo negotiatio mea, & propterea non extinguetur in nocte lucerna mea; ſed vigil

Scrip.An. circ.1607. ob ſtimulum famis in lecto meo ſupplicabo tibi, & urgebo te gemitibus amoris mei ſatagentis appropinquare menſæ tuæ, ac ſaturari pane dulcoris tui.

Quis mihi det, ut ſim os ex oſſibus tuis, & caro de puriſſima carne tua, cui divinitas inſerta eſt, ut creſcam ad menſuram ætatis plenitudinis tui, quam corda generoſa requirunt? A

Utinam permiſcear tibi, o formoſiſſime Fili Dei, & liquidus transfundar in te, ut nulla me teneat diviſionis imago, quam velut mortem perhorreſco. Exerceat, oro te, vim ſuam ſubtilem, & efficacem ardor ſempiternus hoc pane concluſus: erumpat, & conſumat me, meoque funere triumphet amor.

Reddo tibi, ó cordium Imperator, tributum primogenitum cordis mei pro eſca una, qua nihil dulcius inveniri poteſt, quæ cum voluptate multa ſpiritum rectum creet in viſceribus meis, & enervet indomitam carnem meam, quam allicias, precor te, ſtillicidio quodam ſuavitatis, qua plena eſt dextera tua.

O convivium pinguium medullatorum vindemiæ defæcatæ, B deſidero te, & univerſos mundi honores, divitias & voluptates propter te citò deſpicio: ne fortè filiorum panem ſervorum pane permutem. Hæc ſit omnis lautitia mea, & hæreditas tota cordis mei.

O dulciſſime ſeductor, quid de pane tuo dicam? Seducis me comedentem, quaſi in me vertendus eſſes, & emollis præcordia mea, ac liqueſcere facis viſera mea, donec transformer in te. Verùm benè eſt, ò amice fideliſſime, ut iſta ſimulatione me decipias, ut creſcam cibo grandium, & aſcendam in palmam collecturus fructus ejus.

Sed rogo te ſapientiſſime, quid cogitas, dum lates in Sacramenti velamento, & paras viſitare domum meam, ubi cupit abſcondi pulchritudo tua? C Licèt enim ad liberandum ſuſcepturus hominem non horrueris formoſæ valdè Virginis uterum, deberes tamen horrere hoſpitium meum, ubi nihil eſt, quod deceat excelſiſſimam majeſtatem tuam. Cur non recedis à me, o clementiſſime, cùm graviſſimus peccator ſim, & ferre non poſſim infinitam dignationem, & manſuetudinem tuam? Recordare, obſecro te, quod olim dicebatur amicis tuis: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magiſter veſter? Nihil habeo ſpecioſiſſime Deus cordis mei, quod tibi congruat; ne precor opprimas me immenſitate gloriæ tuæ.

Sed me miſerum cupio non perſuadere, quod hortor, ſis precor, o victor animæ meæ fortior precibus meis, & illabere penitus D in centrum cordis mei, ubi requiem tibi parare feſtino; & imprime non ſolum animæ, ſed carni quoque meæ elegantiſſimam formam tuam, cujus deſiderio cœli terraque tabeſcunt.

Inebrier ab uberibus conſolationis tuæ, o ſereniſſime decor animæ meæ, & vegeter viribus tuis, quas ſuggerit mellitiſſimum nutrimentum meum, quod paravit amor tuus.

Non poſco, ut famem expleam, pluas ſicut pulverem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata, quemadmodum perierunt, qui neſcierunt te. Sed firmamentum panis ſuaviſſimi, qui cor hominis confirmat, ne labore deficiat. Hæc ſit, oro, portio mea in terra aliena, donec amoto velamento, ſuccedat nova portio in terra viventium, E quam inquiro.

Hac eſca roboratus per itinera æternitatis velox ferar, & fugiam ſicut hinnulus cervorum ad montes aromatum, ubi ſplendent aſtra lucidiſſima matutina, & jubilant omnes Filii Dei.

Penetra, obſecro te, ô dulciſſima refectio mea, penetra citiſſimè omnia oſſa mea illapſu ſecretæ nutritionis tuæ, quæ firmet levitatem, ac roboret imbecillitatem meam delicioſiſſima operatione tua. Si enim hoc pane cœleſti priver, exhalabo languentem animam meam cupidiſſimam dulcedinis tuæ è Libano cum impetu fluentis.

Cogitavi dies antiquos. & annos æternos in mente habui, & ſimile amoris inventum non inveni: F licèt enim, o tota dilectio mea, homines amore capti amatoria pocula propinare conſueverint, ut in ſua vota dilectos allicerent, nemo tamen unquam ſe alterius viſceribus indidit, ut cor ſollicitaret, neque id fieri poſſe in mentem alicui amatori venit. O certè immenſum Dei viventis incendium, o Charitas Regina cordis mei, o victoria dilectionis ſempiternæ, quare tanto pondere premis me?

Conſtituor, hei mihi, ſuper excelſam terram, ut comedam fructus agrorum, & è malo inter ligna ſylvarum mite pomum carpam: & conſumor eſca mea, quæ immittit voraces flammas viſceribus meis. Utinam eliquarentur oſſa mea, & fierem ſimilis cœleſti nutrimento meo, quod eſt ignitum vehementer. G

Anima mea liqueſcit præ deſiderio paſtus mei, quem reges & prophetæ cupierunt, nec ſumpſerunt, tametſi non obſcuris notis æternum ſacerdotem indicarunt ſecundùm ordinem Melchiſedech. At non feciſti taliter omni nationi, o formoſe valdè Fili Dei, neque ad epulas tuas omnes homines admiſiſti, ſicut invitaſti me. Quapropter ſacrifico tibi præcordia mea, & cupio te ad ſingulos halitus meos; ſi fortè ſic veſcar te, ut vertar in amabiliſſimam formam tuam, cujus deſiderium tenet, ac urit me.

Placeant aliis ſeptuaginta palmæ, & duo fontes aquarum erumpentium in Elim, mihi certè placebit potus, & eſca tua, ſereniſſime Deus cordis mei, & recreabor à latitudine peregrinationis meæ; H ut de montibus leonum, & cubilibus pardorum pertingam verticem Sion montis ſancti tui.

Nunc dormio inter medios cleros columbæ deargentatæ, cujus poſteriora bona ſplendent in pallore auri, quæ a te nutrita volatu celeri fertur ad faſtigia ſublimitatis tuæ. Precor ergo te, ſuccreſcant mihi pennæ, dum

Scrip. An. circ.1607. nutrior pane tuo, ut volem, & requieſcam in caverna immortalis conſolationis, quæ fluit à propinquo corde tuo.

Verùm quid loquor? Quare te præſentem, ſed latentem, ac ſilentem non interpello validiſſimis gemitibus meis? Quomodo obtexiſti velamento dulciſſimam pulchritudinem tuam, Rex Hieruſalem, cui ſupplicant A Reges univerſæ terræ? Quomodo non lugebo, quaſi abeſſes, cùm ſciens, ac prudens occultaveris mihi infinitum decorem tuum? Penè tango, ſed non intueor te, velut cæcitate percuſſus. Certè dolendum eſt, o ſpecioſiſſime Fili Dei, me per ſingulos dies tecum ad menſam lautiſſimam veſci, nec te de facie cognoſcere.

Utinam dirumperetur velum à ſummo uſque deorſum, ut avidiſſime ſpectarem te amicum meum, qui pro dilectione dediſti omnem ſubſtantiam domus tuæ, ut æternæ dilectionis alimentum miniſtrares. Lavaſti in vino ſtolam tuam, & in ſanguine uvæ pallium tuum, ut convivium deliciarum Dei mihi præparares.

Propter hoc deſidero te, vitalis calor B cordis mei, & pro cœna una omnia mundi oblectamenta contemno. Quippe odore cibi condito trahor, qui eſt ſicut odor agri pleni, cui benedixit clementiſſimus, & liberaliſſimus amoris Deus. Melior eſt certè miſericordia hæc tua ſuper vitas, & proptereà labia mea laudabunt te, & dilatabuntur præcordia mea, conceptura ſuavitatem nuptialis menſæ tuæ.

Neſcio certè, ô pinguiſſimum nutrimentum amoris mei, quomodo te præſente, ac hominum voluntati tam libenter expoſito, ſiccantur ſpecioſa deſerti, & exultatione colles non accinguntur, neque valles abundant frumento.

Pauci ſunt, væ mihi, in quibus ſuperextollitur ſuper Libanum fructus tuus, & C ego non ſum de numero lectiſſimo paucorum, qui omnia poſſunt, & hoſtes vincunt: quos; & ego vincere poſſem armatura menſæ, quam paraſti in conſpectu meo adverſus omnes, qui tribulant me.

Non ſine culpa pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea, ô amantiſſime Deus animæ meæ; potuiſſem enim a fructu frumenti; vini, & olei tui multiplicari, & rore cœli, ac pinguedine terræ creſcere, & ab humero, & ſurſum populo multò altior eſſem, & ſicut Gigas ad currendam viam exultarem.

Nunc verò pinguis panis tuus, ô Princeps ſereniſſime cordis mei, animos invictos creat, & præbet delicias regibus, qui accumbunt menſæ ſapientiæ miſcentis vinum D ſed video præ defectione ex illis eſſe, qui cum poſſint abſque argento, & abſque ulla commutatione emere vinum, & lac, quo ſimplicitas nutritur, egeſtate, & fame conſumuntur.

Verùm abſit à me conſilium hoc filiorum Adæ; qui cùm in ſudore vultus veſcantur pane doloris ſui, meliorem panem gratis oblatum recuſant.

Venio feſtinus ad te, formoſiſſime Fili Dei, ut comedam bonum, & delectetur in craſſitudine anima mea, quam explere valet ſola pulchritudo tua.

Fruſtra expenderem argentum non in panidus, & laborem meum non in ſaturitate, licèt omnes Ægypti cœpas, allia, & ollas plenas carnium compararem.

Te quippe ſolum, ô panis candidiſſime, E credo eſſe victum meum, & innumeris ſuſpiriis expetitam ſaturitatem meam. Pone igitur amice fines meos pacem, & adipe frumenti ſatia me.

Sed in ſaturitate hac ô Sponſe delicioſiſſime, viget fames, quia ſuaviter palato cordis ſapis, & puras delectationes ingeris amicis tuis requirentibus formoſam valdè faciem tuam. Illaberis blandè in corda tacta deſiderio tui, & excitas incendium omnipotentis amoris tui.

Guſtatur in fonte dùlcedo tua, quæ ſitim creat revelandæ formæ tuæ; pro qua certant in agone animoſi milites, & populus electus acquiſitionis tuæ. Utinam ſoleris me, optatiſſime decor animæ meæ, quæ montem F viſionis jamdudum petit, ut hæc eſca roborata quadraginta dierum longam viam conficiat & ſatietur, apparente illuſtriſſima gloria, & dulciſſima pulchritudine tua.

Quid enim mihi proſunt Ægypti horrea in annos ſeptem ſterilitatis reſervata, ſi poſt ſeptennium eſuriendum eſt, æterna fame ſuccedente? quantò mihi ſalubriùs eſt, pane vivo victitare, qui famem æternam vitæ paſtu depellit.

Pugnat cùm morte panis tuus, ô fideliſſime cuſtos cordis mei, & ſeneſcere non ſinit vitam meam, quam multis acceſſionibus auget calor tuus.

Verùm quid loquor? Calor panis hujus conſumit me, ac depaſcit interiora mea, quæ amore reſoluta defluunt præ magnitudine pulchritudinis tuæ; & tamen, ô lux G puriſſima vultus mei, reſolutus amore vivo, & influo in thalamum cordis tui, ubi latent ſolatia mea.

Propter hoc in ſilentio noctis ſuſpirabo, nec ſomno relevabor in lecto meo, quia ſollicitabunt me crudelia nimis viſcera mea, quæ torquebantur egeſtate panis. Propterea prævenient te oculi mei diluculo, & ſurgam velox inter alios, quos paupertas fecit expeditos, ut quærerent te.

Pauperes enim edent, & ſaturabuntur, & ſaturati laudabunt te, quia tu das illis eſcam melle dulciorem in tempore opportuno; ſed ſi non fuerint ſaturati, fortaſſe murmure fideli murmurabunt avidiſſimè dicentes: Quis det nobis de carnibus ejus, H ut ſaturemur, & fatigata corda noſtra recreemus?

O potens in opere, & ſermone, quot corda pane tuo domuiſti? Verè cognitus fractione panis, quem coxit amoris calor.

At ſi ita eſt, quomodo viæ Sion lugent, eò quòd non ſint, qui veniunt ad ſolemnitatem convivii tui? Quomodo parvuli qui di-

Scrip. An. circ. 1607. diligunt infantiam, exhalant animas ſuas in plateis Hieruſalem, in ſinu matrum ſuarum, quaſi non eſſet triticum, & vinum? Ergo ne credendum eſt, ullum Adæ filium eſſe, qui ſcientiam à parente ſuo affectatam ſic depellat, & nolit eſſe ſicut Deus? In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non ſit gloria mea. Certè ego A requiram epulas tuas, & adhærebunt viſcera mea viſceribus tuis, ſi fortè concorporeus, & conſanguineus tibi fiam, & gloriari poſſim nobilitate generis tui.

Præcingam certè renes meos uſtos igne tuo, & ſine vetuſtis cæremoniis comedam feſtinanter: quia properabunt attrahere te ſingula membra mea. Et ego velociter devorabo te puriſſimam voluptatem meam.

Ineamus ergo amoris fœdus in altari tuo, amice fideliſſime cordis mei; ego veſcar te, & tu veſcere me, miſce calori tuo calorem meum, & ſuaviſſima pulchritudo tua penetret medullas meas.

B

SUPERNÆ

HIERUSALEM REGINAE

CLEMENTISSIMAE MARIAE

Exul homo ſalutem.

EPISTOLA QUINTA.

Epiſtola hæc nihil aliud eſt, quàm frequens, aſpiratio ad puriſſimam Virginem, pro ejus amore, & conſolatione, ac interceſſione erga Filium.

DUlciſſima Salomonis Mater, cum qua C crevit ab infantia miſeratio; fama tenerrimi cordis tui, quo univerſos Adæ filios ad immortalem Regem, quem genuiſti, quaſi mater introducis, urget me, ut non verbo tantùm & perenni gemitu, verum & ſcripto te ſalutem. Expedit enim mihi, humaniſſima, & decora valdè Regina cœli, ſcripto etiam excitare ad te præcordia mea, & ardentia deſideria pulchritudinis tuæ caſto corde concipere. Cupio enim, o ſpecioſiſſima Virgo, & puriſſima voluptas animæ meæ, te medullitùs amare, & in tuis optatiſſimis amplexibus à labore mundi requieſcere; ut Filiùs tuus, quem exorare deſidero, te mihi propitiam eſſe cognoſcens, oculis illis, quibus corda vulnerat, me leniter aſpiciat, & ad vitam meliorem amoris ſui vulneribus interficiat. D Tu certè, o formoſiſſima, illum vulneraſti, & tam arctè aſtrinxiſti tibi; ut, paulò minùs, non poſſit non implere petitiones cordis tui. Propter hoc anima mea trahitur à te, & cupit vehementer adhærere tibi, ſciens etiam in corde Dei te regnare, ſpecie tua, & pulchritudine tua. Propter caſtiſſimas cordis tui delicias optavit ille eſſe cum filiis hominum. Sauciaveras quippe illum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui, & quidem Hieruſalem tota, quæ ædificatur, ut Civitas, Regem imitata ſuum, mirificè capta eſt lætiſſimo intuitu Reginæ ſuæ forma præſtantiſſimæ, & ſuaviſſimo crinis unius laqueo innexa eſt. Nec enim, o lux mea matutina, tenebrarum mearum expultrix, æquum erat, E dum Rex ligatus eſt in canalibus, peregrinam urbi placere libertatem. Cepiſti certè, o cordium victrix pulchritudo, cepiſti, & traxiſti ad te omnia corda nobilia, quorum præda gloriatur Filius tuus, non ferro vel metu; ſed placidiſſimo aſpectu tuo, in uno ſcilicet oculorum tuorum, & in uno crine colli tui. Utinam, o pulhcra nimis, cujus deſiderio uruntur viſcera mea, crine uno illo me ligares, quo vincire potuit Filius tuus, & quo Reges alligare ſoles in compedibus. Nunquam deſiderarem libertatem, & in æternum nollem ſolvi vincula colli tui.

Bene pro captivitate hac venderetur libertas mea capta decore multo cordis tui. Certe inæſtimabilis odor, quem effundis nimis à veſtimentis tuis, me ſemper ligatum F recrearet, & ſomno valde dulci conſopiret. Propterea, pulcherrima virgo, & expectatiſſimum refrigerium ſervitutis meæ, in quam me conjecit Heva mater mea, amoris tui vinculo aſtringe me, ut in veram revertar libertatem; ſed & uno ſaltem oculorum tuorum intuere me, & illo cito prædare animam meam. Pertinge uſque ad diviſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum. Eliquabis intuitu uno arentia oſſa mea, & reddes mihi lætitiam ſalutaris tui. Propter hunc intuitum ingerentem delicias Dei vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis, & per ſingulos dies tibi reddent vota, atque tributa. Quin etiam mundus univerſus deprecatur te, ut læto vultu ſemel ſaltem velis illum intueri. Quam enim G partem haberet in illo Deus, ſi tu, ſpes lætiſſima laborum ejus, illum aſpicere recuſares? Sic ego velut alii filii Adam habitans in terra, quæ verſa eſt in ſalſuginem à malitia inhabitantium eam, in ſudore vultus mei veſcens pane meo, grandi pondere laborum oneratus, ardentiſſimo oculorum tuorum teneor deſiderio. Reddam tibi certe pro fœnore, o nobiliſſima præda cordis mei, in quam feruntur importuna vota mea vitam ipſam, qua vivo, eo quod ſine præſentiæ tuæ ſuavitate ſit mihi moleſtiſſima. Et quidem ſi tibi placet abeſſe, o vita jucundiſſima dejectæ nimis animæ meæ, longam mortem tolerabo, qua conſumetur caro mea. Profecto lenis aura, quæ perflas, & ſuſcitas diligentes te, omnes morimur, & H quaſi aquæ dilabimur ſuper terram, quia peccatores ſumus; ſed mors validior fit contra me, avertente te faciem tuam, faciem inquam tuam illam decoram, & dulciſſima pulchritudine, cælo ac terræ dominantem. Quapropter ſpiritus meus attenuatur, dies mei breviores fient, & ſolum mihi videtur ſupereſſe ſepulchrum, ſi abſentia tua per-

Scrip. An. circ. 1607.

gis conficere me. Moriar ſine te; ſed interdum ſuſcitabor, ſi illos tuos miſericordes oculos, quos deſiderat Eccleſia tua, convertis ad me.

Quaſi ſagittis amoris multis delectationibus penetrabor, ſi me dignaris aſpicere, ô lætitia viſcerum meorum, & lux ſereniſſima vultus mei. Utinam ſagittæ oculorum tuorum caderent in omnia corda inimicorum Regis, cito enim mutarentur in amicos, & emptitios ſervos ejus. O quam facile tibi eſt in oculis tuis, ad vulnerandum velociſſimis, ſubito honeſtare pauperem, & animam deficientem recreare. O ſi jam placeret tibi, Virgo venuſtiſſima, ſic honeſtare me, & eliſum celeriter erigere. Profecto imprimereris centro cordis mei, & elegans valde forma tua eſſet ſpeculum lucidiſſimum oculorum meorum omnibus diebus vitæ meæ. O ſpeculum certè puriſſimum ſupra omnem cœli ſerenitatem, quod nulla unquam nebula obduxit, in quo lucet candor lucis æternæ, dum in te formoſiſſimus repræſentatur Filius Dei; quis mihi det, ut fruar te, ac ſuſpendar gratia vultus tui? Quis tam cœleſtem, ac pulchram honeſtatem cordi meo ſociabit fœdere ſempiterno? O puritas, ô candor, ô ſerenitas, o decor pluſquam dulciſſime cordis mei, trahe me poſt te, ne momento quidem receſſurum. Oſtende mihi, obſecro, faciem tuam aurora multo pulchriorem, & auidiſſime intuebor illam, quia caſtiſſimis deliciis afficiet me. Excitabitur ad te incendium vehemens amoris mei, quem modo torques abſentia tua. Hei mihi decor animæ meæ, ſpes, & firmamentum meum in terra morientium, quibus flagro deſideriis tenendi te, & condendi in ſecreto thalamo cordis mei. Ibi certè, ſolo teſte Filio tuo, quem dilexi, & cui patere volo ſecreta mea, orarem te, ne fortè exhalarem animam meam in ſinu matris meæ, ut exhiberes mihi ineffabiliter formoſa ubera tua, quæ ſugerem ego reverenter quidem, ſed magis amanter, quam reverenter. Dulciſſima Regina ſuſtine patienter; ne obſecro tam ſitientem ablactes me. Ne velis audentem animum repulſæ doloribus extinguere. Novi enim ego Filium tuum primogenitum, qui fecit te, permittere deſiderantibus vulnera ſua, è quibus bibant amici ejus, & chariſſimi inebrientur. Propter hoc, o Mater ſuaviſſima permitte mihi ubera tua formoſiſſima, quæ ſimul lacte & amore tument, & eris mihi feſſo requies mea, & nutrimentum amoris mei, o ubera, quæ funditis ſalutis rivos, o pignora fidelia fœlicitatis meæ. Quis mihi det, ut etiam morte intercedente hauriam ex vobis vitam, quam inquiro? O amœnitas paradiſi, ex qua pependit multis diebus infans Deus, deſideriis fatigatum ſuſpende me. Certe ſpecioſiſſima Virgo, cujus delectationes concupivi, ſuſpendium hoc elegit anima mea. Monſtra igitur mihi te eſſe Matrem, & ſaltem una ſtilla lactis confirma me, & pro dulcore lactis, quod guſtabo, deſpiciam omnes mundi voluptates. Meliora ſunt enim ubera tua vino, & in eis valde potens eſt pulchritudo tua. Sæpè certe illa deſideravi, ſicut deſiderat cervus aquarum fontes, & viſa mihi ſunt cœlo pulchriora, & deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & favum. Trahitur enim cum lacte tuo ſapientia de occultis, & palato cordis dulciſſime ſapit. Ibi latet theſaurus ſaporis Dei, cui oblivio mundi permiſcetur. O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem, puriſſima Virgo, certè non effunderem eam, nec abſtinerem, ſicut fecit David pater tuus, quando libavit eam Domino. Nec enim abſtinuiſſet ille, ſi dulciſſimum potum, quem expoſco nactus eſſet. Recordare, Nutrix amantiſſima, Filio tuo dilectiſſimo opus eſſe, ut perficiatur laus divina ejus ex ore infantium & lactentium. Quomodo enim, Regina cœli, implebuntur Scripturæ, quas dictavit Filius tuus? Paſcar igitur, o Mater ſuaviſſima rivo lactis tui, quod exquiro; ut ex Aegypto ſemel egreſſus feraciſſimam promiſſionis terram inhabitem: Terram certè non vomere proſciſſam, ſed cœleſti rore valde pinguem, ac fœcundam; dulciſſimoque melle, & lacte manantem. Hæc ſit pars mea, & potus ſuaviſſimus, quem præparaſti diligentibus te.

Sed anima mea uberum tuorum cupidiſſima, dum ſolo deſiderio ſugit illa, recordata eſt, ſe valde appropinquare cordi tuo, quo poſt Filium tuum nihil eſt amabilius, & animadvertens quantum ibi, & quam urentem ignem abſcondit charitate dives filius dilectionis tuæ, igne tuo incendi concupivit. Bonum eſſet illi, o Virgo dilectiſſima, quæ habitas cum ardoribus æternis, igne tuo liquefieri, & ibi, ut tecum vivat, expurgari. Si vis, o pulchra nimis, annuere voto meo, ingrediar in ſacrarium cordis tui, & ejus motus explorabo. Ibi erit requies mea in ſæculum ſæculi, & habitabo ibi, quoniam elegi eam. Utinam ſemel illuc introirem, & exitus in æternum non pateret. Biberem ex abyſſo voluptatis, & ſedaretur mare meum. Anima mea teneret portum, quo fertur ardens ejus deſiderium. O portus, & tranquillitas diu deſiderata, quando requieſcam in te? Quando tandem ſedebo in pacis hujus pulchritudine? Cur o ſpecioſitas dulciſſima cœleſti delectatione privas me? Bene mihi eſſet, puriſſime candor oculorum meorum, acerba morte cito mori, ut ad nidum cordis tui raperetur anima mea, & ibi amoris eſca paſceretur. Certo ſperavi, Regina deſideratiſſima, quod regnatura ſis in corde meo, eò quod ſis formoſa nimis ſuper univerſas creaturas, ſed nunc poſco mihi nidum in corde tuo, ut vivam, dum fovetur calor meus. Duo certe deſideravi, quæ, oro te, mihi dones, antequam moriar. Vulnera dulciſſima Filii tui, quibus paſcar, & ubera tua amoris plena, quibus lacter. Nunc tertium expedit mihi poſtulare, cor ſcilicet unum tuum, & Filii tui: Certè enim illi, & tibi eſt cor unum, & ani-

Scrip. An. circ. 1607. anima una. Porro hoc unum mihi neceſſarium eſt, ſine quo fruſtra laborarem, & anni mei cum mœrore deducerentur ad inferos. Quis mihi det, Virgo prudentiſſima, ut pro hoc uno vendam univerſa, quæ habere poſſum, & emam illud? Neſciunt inſipientes filii Adam pretium ejus, nec invenitur in terra ſuaviter viventium. Non dabitur aurum A obrizum pro eo, nec appendetur argentum in commutatione ejus. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, qui corda ſtulta ſeducunt. Hoc ergo unum exquiram intereà, dum à dulciſſima Hieruſalem exulare cogor, & ſuſpenſis è ſalice organis juxta flumina Babylonis multa lachrymarum vi captivus aberro. Certè ſatis hoc uno dives eſſem, & puriſſimis delectationibus affluens, nec Imperatorum aulis inviderem. Profectò non timerem domui meæ à frigoribus nivis, byſſus enim, & purpura eſſet indumentum meum. Comederem butyrum, & mel, & medullam tritici puriſſimam. Precor ergo te, ſuaviſſima Regina mea, ut adhæreat anima mea cordi tuo, quod exquirit, & uniatur illi ſtrictiſſimo conplexu. Optabilis profectò B amplexus tantæ pulchritudinis; ſed optabilior mihi penetratio, qua cor tuum amantiſſimum à meo, velut à ſpongia traheretur. Tunc explerentur omnes pori mei; & ſicut adipe, & pinguedine repleretur anima mea, ac exultationis labiis te laudaret os meum. Sed interea, dum non exaudis votum ſervi tui, quem abſentia torques, quaſi ſtellas cœli multiplicabo tibi deſideria, conabor ſaltem cogitando tecum eſſe, & abſentis imagine recreabor. Enumerabo tibi annos, & dies vacuos meos in amaritudine animæ meæ. Exponam jam tibi notos dolores meos, quos & Filii tui formoſiſſimi, & tua parit abſentia: Sed numquid propterea refocillabor? Nunquid ſi febris vexat me, C ſola recordatione fontis recreabor? Multi dicunt, Recreaberis. At, o candidiſſima Sponſa, & vera ſerenitas animæ quærentis te, quale refrigerium eſt hoc? Quam exiguum? Quam ſæpè evaneſcit, nec ſiſti poteſt hæc jucunda, ſed inconſtans cogitatio? Certe optatiſſima vita cordis mei, neque hoc mihi ſupereſt refrigerium, ut de te quantum cupio poſſim cogitare. Propter quod ardeo deſiderio imaginem tui vultus conſtantem concipiendi, quam reſpiciant ſuſpiria mea. Utinam prudentiſſima Virgo, quæ delitiis affluis, non in horrore, ſed in lætitia viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines, me præſente tranſires, & ſubſiſteres, antequam pertranſires, o Filia Principis, cujus greſſus pulchri ſunt, ſed pulchrior quieta præſentia ſubſiſtentis. Utinam, D inquam, læta ſubſiſteres, & arrideres mihi, & voce ſubmiſſa loquereris mecum, & ego vocem, quaſi auræ lenis audirem. Certè auris mea furtivè ſuſciperet venas ſuſurri ejus, & dilatarentur penetralia viſcerum meorum ad puriſſimam voluptatem hauriendam. Nollem tunc, ut mihi oriretur ſol, ne me à lucis tuæ claritate diverteret. Theſaurizarem tunc, non ignorans, cui divitias congregarem. Sed nunc hujus boni recordatione, & abſentia tabeſcere facis, ſicut araneam, animam meam, eò quòd apud te ſit expectatio mea, & ſubſtantia mea tecum ſit. Quapropter, o animæ meæ Vita optabiliſſima, exaudi anxiam deprecationem meam, & auribus percipe amore tui fluentes E lachrymas meas. Ne ſileas, quoniam advena ego ſum, & in terra aliena, non multi intelligunt hos gemitus meos; ſed tu, o cœleſtis eloquentiæ Parens, è cujus ore melle dulcior fluit oratio, quæ linguam diſertam adepta es, & deſideriorum verba capis, remitte mihi, ut refrigerer reſponſo tuo, cui tota patet anima mea. Et anima mea inter filias Tyri ſupplicabit tibi in muneribus ſuaviſſimæ dilectionis tacta ardentiſſimo deſiderio formæ tuæ. Docebis me ſecreta cordis tui, quod eſt gazophylacium Filii tui, & ego intelligam ſuper ſenes, cùm didicero prudentiam tuam; o ſecretum, o prudentia, o ſublimis gratia Reginæ Hieruſalem! Doce obſecro, Regina ſapientiſſima, poſtquam adducuntur Regi electarum virginum F multa millia, doce amanter, & ſuaviter animam meam cupidam eruditionis tuæ. Conſtituit enim te ſapientia dives, Filius tuus, Magiſtram ſuaviſſimam domus, ac Regni ſui, ut meliùs, quàm Joſeph, erudires Principes ejus ſicut temetipſam, & ſenes ejus prudentiam doceres.

Propter hoc diù optavi, & rogavi te, ut ſaltem dormientem, quaſi tranſiens erudires, ita ſcilicet, ut dormirem ego, & cor meum vigilaret tibi, ô generoſiſſima, & ad fundendas delectationes caſtas propenſiſſima Virgo; quouſque ſuſpendis animam meam avidam ſapientiæ tuæ, quam amavi, & exquiſivi à juventute mea? Quæſivi ſponſam mihi eam aſſumere, factus amator formæ G illius. Tu vides inconſtantes cogitationes meas vagantes, eò quòd non habeant cibos, & avolantes præ tortura famis ad eſcas diripiendas. Et tu dulciſſima genitrix potes illas in tuum, & Filii tui thalamum congregare, ſicut & cum Filio tuo potes congregare aquas maris, & ponere in theſauris abyſſos. At ſi tu, Sponſa venuſtiſſima, nec per ſomnium, & in tranſitu vis ſolari me, dies mihi vertetur in noctem, quam tenebroſus turbo poſsidebit. Et egredientur catuli leonis rugientes, ut rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi. Forſitan enim quaſi violenti prædones incompoſiti ſenſus mei prædabuntur mundi apparentem figuram, & prætereuntem apprehendere, ac tenere conabuntur, ſed fruſtrabitur anima mea, quæ vera bona ſatagit invenire; veruntamen vera bona non dabunt mihi, niſi amici mei, H non fraudulenti, & oneroſi conſolatores, qui verbis inanibus me ſubvertere nituntur. Propter quod in toto corde meo exquiſivi te, dulciſsima amica mea, & Virgo ſuper aſtra matutina ſplendidiſsima, & precor, adſis mihi læta in noctis ſilentio, ut fruar bonis, quæ ſunt non tanquam in juventute cele-

Scrip. An. circ.1607. celeriter, ſed tanquam in canorum ſenſuum ſenectute, quæ nunqam patiatur virium detrimentum. Tu enim cum locuplete valdè Filio tuo implebis ſubſtantia ſapientiæ domum meam; & firmabis fortitudine cor meum, in quod ſe inſinuabit pulchritudo tua. Inſinuabit ſe pulchritudo tua, & candor gratiſsimæ præſentiæ tuæ in cor ſervi tui A ad te jugiter ſuſpirantis, & vigilias noctis cuſtodientis; & erit hæc nox illuminatio mea in delitiis meis, ſive potiùs tuis, aut certè utriuſque; quia ex tenero valdè corde tuo influent in cor meum, & exhilarabunt amore pulſata, & pinguia iam præcordia mea. Sed ubi eſt hæc nox? Ubi eſt tranquilla viſitatio tua? Ubi eſt, quam poſco requies mea? Certè apud te eſt bonum meum, ſine quo incaſſum compono ſermones meos, quorum memoria cum ſonitu peribit. Veni igitur ſpecioſiſsima, & halitu tuo ſuper omnia aromata odoratiſsimo recrea me, quem creavit Filius tuus; & attrahent medullæ meæ ſpiritum ſuavitatis tuæ, qua cœli exhilarantur.

B Quòd ſi, & hoc tibi non uſque adeò placet, electa inter Reginas preparatas thalamo Filii tui: intinge ſaltem extremum digiti in aquam limpidiſsimam fontis vivi, quem genuiſti; & in quiete noctis veniens, refrigera linguam meam; quia crucior in hac mundi flamma inferno propinquiſsima. Non enim magnum chaos firmatum eſt inter te, & me filium tuum cupidum amoris tui: cùm pertineam ego ad imperium tuum, ad imperium inquam pulchritudinis tuæ, quam corda caſta requirunt. Hæc omnia præſtabit mihi modica pars noctis unius, ſi tu, o lux mea ſereniſsima, vis replere me jucunditate cum vultu tuo, à quo egreditur fluvius voluptatis ad irrigandum paradiſum. O voluptas, qua perficitur caſtitas, & amor C ſuaviſsimus nutritur. O ſerenitas pulcherrimi vultus, quæ omnia cordis nubila diſpellis, o Virgo, quæ decore tuo corda rapis, & quaſi mancipia trahis; oſtende mihi, ſi placet, ſemel in viſu faciem tuam, etiamſi oporteat me in poſterum oculis captum ſupervivere. Agam enim reliquos dies vitæ meæ in jubilo, memor vultus tui gratia præſtantiſſimi, & omnem mundi gratiam inopinus præteribo, veniat, oro te, dulciſſima Sponſa cordis mei, viſum hoc expectatiſsimum. Forſitan hoc modo lenietur dolor meus nam in aliena pulchritudine renuit conſolari anima mea. Sic univerſa corda filiorum Adam Filio tuo dona dilectionis ferant; effigies vultus tui ſole pulchrioris, & candidioris nive abſentem conſoletur me. Duo hæc, o Mater, audivi, quia poteſtas D Dei eſt, & tibi grandis miſericordia, & quòd ſis valdè ſuavis, & mitis, & multæ miſerationis omnibus invocantibus te. Porrige ergo mihi candidam, & formoſam manum tuam, quæ pingat decorem tuum quem dilexi; & ex voto ad altare tuum pendebunt præcordia mea, & quærent ſine fine ſpeciem tuam. O ſi placeret tibi, Princeps ſereniſsima, manu ſaltem altera tam molli attrectare fatigata viſcera mea. Profectò quaſi cera liqueſcerent præ magnitudine amoris, & caſtiſsimæ voluptatis. Et velut magnete tacta ſemper aſpirarent, & moverentur ad te; & vileſceret illis mundus, & fallax gratia ejus. Tange obſecro me, & optatam ſalutem affer cordi meo.

Quòd ſi ſupplicans pro tactu non exaudior, E ingere ſaltem odorem veſtimentorum tuorum naribus meis, & ſolaberis me. Scio enim, quòd aſsiſtis Filio tuo pro nobis in veſtitu deaurato circumdata varietate, & veſtimentorum tuorum fragrantia eſt, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Deus. Utinam mihi liceat odore iſto tuo, Filia Sion, & prudentiſſima Virgo, roborari; illo enim percepto, quaſi de gravi ſomno evigilans reviviſcam, & eris mihi in æſtu mundi temperies, & gratiſſimum in fletu ſolatium, & exultabo ſuper agro pleno tuo, ſicut exultare ſolent agni ovium. O fragrantia toto cœlo profuſa, quomodo non ſentit anima mea vim tuæ ſuavitatis, quam odoratur, & placatur Deus, & quieſcit à vindicta? O Filia Hieruſalem ornata monilibus, quam adamavit Dominus, F quæ pignoribus amoris tui exhilaras corda deprecantium te, imbue me odore tuo, & ſuper omnia deſiderabilia mundi deſiderabo te. Deficiet in te præ deſiderio anima mea. Ne igitur voluntate labiorum meorum fraudes me. O quoties deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo, licèt minùs ardenter, quam optarem, & quaſi aerem verberarem, inania dimiſiſti ſuſpiria mea; ſed non propter hoc ſilebo, Regina manſuetiſſima ſuper omnes, qui morantur in terra.

Non enim uſque in finem miſericordiam tuam abſcindes, & tametſi me occidas, in te ſperabo, immò precor, occide me impetu vehementi amoris tui, & tunc mihi major fiducia ſalutis erit. G O Vita amabiliſſima cordis mei, quantò mihi meliùs eſt à te interfici, quàm ab aliis ſuſcitari? Veniat hæc mors ſuper me, & mihi dominetur in æternum. Quod ſi morte repentina non vis corripere me, ſed in prolixam mortem reſervare, incipe ſaltem ad mortem vulnerare me; ut gaudeam optata morte moriturus. Vellem enim ſubtili dilectione magnæ pulchritudinis tuæ corpus, & animam meam ita penetrari, ut nulla mihi ſpes evadendi ſupereſſet. O dulcedo cœleſtis, ô puriſſime fons aquarum, quæ fluunt cum impetu de Libano Filii tui, o formoſa valdè Filia Sion, cujus gratiam expetivit anima mea, jaculare citò ſpicula amoris tui in mortis avida viſcera mea, & confige non timore, ſed amore tuo H carnes meas, quæ didicerunt deſiderare te. O ſplendidiſſima ſtella cordis mei, quis mihi det, ut affulgeat mihi candida lux tua, dum navigo hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus, ubi ſunt reptilia, quorum non eſt numerus. O gratia longè ſuaviſſima, qua duriora ſaxa liquefiunt, allice me ac leni feritatem cordis mei, quod ſola volu-

Scrip. An. circ.1607. luptate novit demulceri. Et reddam tibi multiplices amoris, motus, & lachrymas dulciſſimè fluentes donec aſpiret mihi dies Filii tui, & videam lætus ortum ſurgentis auroræ. Sic tibi, o ſpecioſa ſicut columba, expono debiles, & rudes gemitus meos: factus amoris, & viſitationis tuæ poſtulator importunus, & opto univerſa diligentium A te corda furari, ut ſatisfaciam deſiderio adhærendi tibi. Magna enim fœlicitas eſt, cordi tuo dulciſſimo placere.

Sed nunc rem unam intimè deſideratam peto à te. Ne obſecro confundar repulſa tua. Loquere pro me bona ad Filium tuum ut ſuſcitet me jacentem in umbra mortis, ubi non lucet amor ejus. Tam ardenter enim diligit te propter eximiam gratiam, & decorem tuum, ut nihil ſit tibi negaturus, etiam ſi petas dimidium Regni ejus. Ipſe velut, abortivum repulit me, & ſubtrahit ſe mihi, quaſi non eſſem unctus oleo; & màledictionem montium Gelboe videtur intuliſſe mihi, ut nec ros, nec pluvia cadant ſuper me. Unde aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, adeo ut B in pulverem terræ, unde me formavit, videatur reduxiſſe me, ac ſi pœniteret eum, quod me hominem feciſſet. Credo equidem propter gravia peccata mea. Sed nunquid vanè conſtituit omnes homines? Non enim eſt homo mundus à ſorde, nec infans quidem cujus eſt unius diei vita ſuper terram, ſed ego gravius deliqui. At quid faciam ei? Certe unum ſupereſt, ut plus diligam eum, quia plus mihi donavit. Hoc ergo cupio vehementer, o dulciſſima Virgo, & ſuper omnes mitis Mater mea, ut per te quæ portam aperire vales, introducar in thalamum Filii tui nuptiali veſte dilectionis ornatus. Per cor illius, charius tibi vita ipſa tua, obſecro te ut moneas illum de hac moleſta ægritudine mea, qua laboro. De cœlo mittat ignem, C & exurat viſcera mea, quæ clamant ad eum languentia ſine cibo. Cibus meus, amor ejus eſt. Utinam Regina clementiſſima, & pluſquam lepidiſſima ſermone, in cujus labiis eſt gratia diffuſa, ſemel pro me Filio tuo ſupplicares. Fierem interventu tuo in animam viventem, & inciperem nova ſacrificare deſideria, quibus dulcoris tui ſapor miſceretur. Hoc votum meum. Hæc ſatis frequentia ſuſpiria mea, ut te intercedente, erga Filium tuum, & te inextinguibili amoris igne conſumar.

Et ut voti compos fiam, o ſapientiſſima Virgo, divinam poſco viſitationem, ut illuſtrer formoſiſſima luce Filii tui, & in ſecreto cellario ſapientiæ contempler infinitam ejus pulchritudinem. Hæc ſit hæreditas mea, D qua interdum in exilio reficiar, ut invaleſcant amoris flammæ, quibus in hac vita nihil delectabilius. Veniat, oro te Mater generatione caſta fœcundiſſima, Dilectus tuus, & adimplebit me lætitia vultu ſuo. Lætabiturque anima mea deſerta, & invia, & exultabit ſolitudo. Pane cœli ſaturabor; & ſanguinem uvæ bibam meraciſſimum. De lauta ejus menſa pinguis fiam, dabit enim mihi latitudinem cordis velut arenam maris. Fac ergo ſpecioſa valde, ut feſtinet ille, ſicut hinnulus velociſſimus, ut caſtis ejus fruar amplexibus. Certè ut audivi, tanta eſt in ejus contactu ſuavitas, ut inducat mundi oblivionem, & intolerabilis fiat carnis obſcœna delectatio coram eo, ac ſi eſſet inferni cruciatus, unde merito pro tam incredibili E conſolatione pugnare debeo, ſed ut fortis in prælio fiam memor uberum Filii tui, Virgo pulchritudine coronata; fac una ſaltem oblatione cordis tui, quo capitur Filius tuus, ut ſedata procella cogitationum, & paſſionum quibus premor, tranquillo corde illi uniatur anima mea his diebus quibus milito, donec veniat immutatio mea; timeo enim, ne ſenſus mei quærentes creaturas, velut arietes non invenientes paſcua inſaniant, & ſubvertant cor meum. Quapropter adhærere Filio tuo mihi bonum eſt, & in eo paſcua cordis invenire.

Quod ſi tu, ſuaviſſima Virgo, & cœleſtis decor domus Dei, ſimul cum eo veniens cordis mei penetralia præſentia tua, & candore puriſſimo velis exhilarare, & paſcere; F non incipiet anima mea vagari poſt greges ſodalium Filii tui, quo nihil eſt amabilius. Certe Regina miſericordiſſima, ſi annuis deſiderio meo, dabis mihi ſexum virilem amoris, quem conſecrabo Domino per omne tempus vitæ meæ. Vigilabo, & propter amorem vehementem ſomnus recedet ab oculis meis, & fiam ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Vitabo conſortia hominum, & effundam cor meum in ſolitudine, ubi tecum adſit mihi formoſiſſimus Filius tuus. O dulciſſima cœli lætitia, & impetus deliciarum exhilarans civitatem Dei, concilia cordi meo cor Filii tui, ut cænet mecum ſemel in domo mea, & adipe frumenti ſatiet me. Profecto incraſſatus, impinguatus, dilatatus non recalcitrarem amplius illi, ne forte paſtu meo privaret me. Et viſcera mea poſt paſtum ſemper G illum eſurirent dicentia: Quis nobis det de carnibus ejus, ut ſaturemur: Et ſi tu gloria Hjeruſalem, & lux clariſſima ſperantium in te, aſſiſtens in decore tuo Filio, quem genuiſti, ingrederis, ut habites in præcordiis meis; cor meum lapideum vertetur in carneum, & liqueſcet à facie pulchritudinis tuæ. Hanc unam inter fortia fortiſſimam credo. Omnia enim domat, & ſuaviſſimo prælio capit pulchritudo, & omnis creatura cupit adhærere illi, & timet ab ea repelli. Magna enim eſt gratia formæ. Propter hoc ſtatui, o Regina, quæ ſpecie tua mundo toti dominaris, quærere te, & perennibus deſideriis hærere tibi. Et timeo à te ſeparari, ſicut mors timeri ſolet. Utinam placerem tibi H, ut appropinquans tenaciſſime te apprehenderem. Valde bonum mihi eſſet hoc, & libenter pro tanta pulchritudine omnium detrimentum facerem. Tu enim forma tua, quam ſol, & luna mirantur, o dulciſſima Virgo, efficeres me magnum, & divitem, ut nihil mihi deeſſet, quia nihil aliud opta-

Scrip. An. circ. 1607.

rem coram te. Tecum quippe eſſet divina præſentia, & pulchritudo Filii tui, qua ſimul impleretur anima mea. Nolo hæreditatem aliam inter egenos filios Evæ. Hoc votum meum. Hæc tranquillitas mea. De cætero nemo mihi moleſtus ſit, ut ſequar Deos alienos, & conſilia filiorum Adam, qui ab vero erraverunt. Tui, o puriſſima Virgo, hæres A eſſe curabo. Et erit hæreditas mea dulcis ſuper mel, & favum. Propter hanc hæreditatem ſuſpirabo ad te, & memor ero tui nocte in ſtratu meo. Innumerabilibus gemitibus meditabor, ut columba. Bene mihi erit, ô dilectiſſima Virgo, & lætiſſima ſerenitas cordis mei, ſi gemens perſeveravero, & exoravero te. Bonus luctus, quem expellet præſentia tua. Utinam ſint ſemper lachrymæ meæ in maxillis meis, & non ſit, qui conſoletur me, & dummodo poſt longa ſuſpiria formoſa manus tua abſtergat omnem lachrymam ab oculis meis. Certè non eſt contemnenda tanta pulchritudo, ut non merito pro ea pugnare debeam. Quis mihi det, ut magna ſollicitudine cordis curram poſt decorem tuum, donec mergar in B abyſſum ejus. Opto, ſuaviſſima Virgo, & nobiliſſima præda mea, penetrare cœlos, opera digitorum Filii tui, & ambulans ſuper pennas ventorum volare uſque ad ſedem excelſæ nimis gloriæ tuæ, ut requieſcat ibi cor meum cum iis, qui exultant in gloria tua, & lætantur in cubilibus ſuis. Quis poterit, o Regina formoſior cœlo, cogitare vim formæ tuæ? Quibus oculis intuetur te Civitas ſancta Hieruſalem? Omnia corda feruntur in te, trahit enim ſua quemque voluptas. Habitabit ibi anima mea ſuſpenſa deſiderio, & cupiet ardentius deſiderare, & torquebit illam dilatio ſatis dura. Hei mihi, quia defectio tenuit me, defectio moleſta, & longa nimis. Adeſto mihi Virgo ſuper omnes ſpecioſa, ſicut aurora valde rutilans, & in C hac nocte prolixa fac me videre lucem tuam. Infer motum vehementem cordi meo tactu manus tuæ, & impera paſſionibus meis, ut quieſcant, & erit pax in anima mea loco habitationis tuæ. Omnia oſſa mea dicent, Domina, quis ſimilis tibi? Sentient præcordia mea ſuavitatem manus tuæ, & gaudebunt lenitate tua manſuefactis beſtiis, quæ perſequuntur me. Computreſcet mihi jugum Filii tui à facie olei dulciſſimæ miſericordiæ tuæ, quæ certè melior eſt ſuper vitas. Sacrificabo tibi vitulos labiorum meorum, non enim potero non laudare magnitudinem dulcedinis tuæ, quæ, ut ſuſpicor, inebriat omnes dilectores tuos.

Sed & nunc abſentem ſupplex adoro, & laudo te, caſtiſſima Virgo, & ſplendor D illuſtriſſime cordis mei: & reddo tibi tributum deſiderii, quo te ſequar in æternum. Feſtina obſecro, curare me à languore moleſto in tortura viſcerum meorum, & fac, ut oriatur mihi ſol non tam juſtitiæ, quam miſericordiæ, à cujus facie montes, ſicut cera fluunt, & terra ſterilis lacte, & melle manare ſolet. Fac, oro te, ut cor meum impetu amoris erga Filium ſuum, & te dehiſcat, & æterno vulnere torqueatur, & admiſce tormentis delicias animæ tuæ, ut glorier in infirmitatibus meis. Sic fatigatus, licet non deſperans, ſcribendi, ſed non ad te ſuſpirandi finem facio, Regina mitiſſima Hjeruſalem & firmiſſima ſpes invocantium & quærentium te. Teſtor enim, quandiu vivam in exilio, quoties halitum emittam, ferè toties E ad te, ſicut & ad optatiſſimum Filium tuum, dirigam deſideria mea, quæ nunquam requiem invenire poſſint ſine te, ſed inveniant eam in elegantiſſima forma, & vultu formoſiſſimo tuo, in quem deficit anima mea.

DULCISSIMO
REGINAE SUPERNAE
HIERUSALEM SPONSO JOSEPH,

Exul homo ſalutem.

EPISTOLA SEXTA. F

Hæc Epiſtola nihil aliud eſt, quàm multiplex meditatio divinarum affectionum, quas paſſus eſt ſanctiſſimus Joſeph, & frequens excitatio cordis, & aſpiratio ad ejus amorem, ac petitio ſuæ erga Chriſtum, ac Beatiſſimam Virginem interceſſionis, & viſitationis.

POſtquam tantæ Reginæ conſortium adeptus, es fili David nobiliſſime, ut non Ægypti panem citò pereuntem, ſed panem cœli ſuaviſſimum cuſtodires, quo aluntur corda quærentium Deum, quærentium faciem formoſiſſimam Dei Jacob; Ego parum felix habitator terræ Chanaam, ubi exquiſitores G divitiarum hujus ſeculi premuntur inopia panis, deſiderio panis, quem aſſervas, magnopere incenſus ſupplex per literas te veneraturus accedo. Fama enim lætiſſimi nominis tui, & Principatus, in quo non Pharao, ſed optabiliſſimus dilectionis Deus conſtituit te in univerſos fines terræ, perlata eſt; eò quòd ille, cujus ſonus in omnem terram exivit, cuſtodis quoque ſui nomen produxit à ſolis ortu uſque ad occaſum; ut ab univerſis cordibus laudareris, & populi omnes coram te genua flecterent, non metu potentiæ, ſed tenerrimi cordis tui amore puriſſimo: Sic quippe honorabitur, quemcunque Rex æternus voluerit honorare.

Delaturus ergo tibi, vigilantiſſime cuſtos theſaurorum Dei, honorem, & amorem, H quem purpura ardentiſſimæ charitatis tuæ ſuo jure depoſcit; mitto tibi epiſtolam hanc vultus tui jucundiſſimi deſideriis plenam, & fatigati cordis mei ſecretariam. Credo enim te miſericordia prægnantis Sponſæ tuæ mores didiciſſe; ut ſicut illa Mater, ita tu ſis pater miſericordiæ fideliſſimæ, quam requirunt, & expectant diligentes te. Mallem ego cer-

Scrip.An. circ.1607. certè, o puriſſime decor domus Dei, & fidiſſime promotor ſalutis meæ, toti cœlo gratiſſima præſentia tua, qua laſſi recreantur, per horam ſaltem unam in hac valle frui, quàm ad abſentem ſuſpiria deſtinare. Illa quippe hora expediretur lingua mea, ſicut calamus ſcribæ velociter ſcribentis: & effunderem coram te animam meam ſatagentem, A & à tauris pinguibus obſeſſam; & offerrem tibi, mitiſſime tutor cordis mei, ſenſus meos abeuntes abſque fortitudine ante faciem tribulantis, ut reduceres illos ex Ægypto in terram Juda, interfectis iis, qui quærunt animam meam. Reverterentur illi, te dulciſſimo ductore ſuo, è Babylone redempti à captivitate ſua, & ingrederentur hilares per patentes portas deſideratæ Hieruſalem, quam futuram inquiro.

E captivitate igitur mea, innumeris gemitibus, quos producit egeſtas, clamo ad te, o potentiſſime, qui ſedes cum Principibus, & ſolium gloriæ tenes; ut ex magnitudine amoris, quo tuum cor in fornace decoræ nimis Sponſæ tuæ liquefactum eſt, eiſdem oculis, quibus illa intuetur afflictos, B aſpicias me: & feras patienter, mollia valde præcordia tua clamoribus meis elatis commoveri. Hanc enim ſpem repoſui in ſinu meo: me tria corda ſuper omnem opulentiam, voluptatem, & honorem amabilia ad meum deſiderium flectere poſſe, ſi te ſemel ſyncero affectu cordi meo conciliavero. Suaviſſima enim, ſimulque fortiſſima dilectionis catena Sponſæ tuæ ſpecioſiſſimæ, ac Filio ejus ſupra cœlos ſplendidiſſimo anima tua colligata eſt, & ex tribus effectum eſt cor unum, & anima una; ut neceſſe ſit, qui furatur te ſpontanea amoris rapina, tria ſole pulchriora, nive candidiora, & rubicundiora ebore antiquo ſimul corda furari. Hoc uno potiſſimùm trahor deſiderio; ut rectè mihi dictum videatur, quòd ſapienter etiam C hujus ſæculi licèt minùs ſapienter crediderunt (Tria ſunt omnia) omnia etiam bona, honeſta, utilia, & delectabilia, tribus his cordibus incluſa contemplor; & quanam arte illa mihi mutuò dari poſſint, conor meditari.

Propter hoc diu optavi invenire gratiam coram te, ô dives valdè Præpoſite familiæ Dei, cui commiſſum eſſe videtur, ut des in tempore tritici menſuram, menſuram inquam bonam, & confertam, & cogitatam, dignam certè, quæ in ſinu cordis recondatur, ut pane cœli cor alatur, & vivat. Tecum ergo paratus ſum pactum inire, & quicquid poſtulaveris, dummodo viſcera tua ſentiam mihi propitia, libenter dabo. Effundam tibi, o ſingulare nimis cordis mei D refrigerium, omnes mundi divitias, quas deſpicio, ſi excites in præcordiis meis amorem totius domus tuæ, agentæ Filio Sponſæ tuæ dilectiſſimo. Doce, obſecro, me, tu, qui ſub eodem tecto habitaſti cum ſapientia, & hauſiſti aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: Qui dulciſſima ſalutis meæ ſecreta apud Filium Sponſæ tuæ condita, & in theſauris ejus ſignata cognoviſti; doce me motus, & bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam cordis tui, ut attracta tibi adhæreſcat anima mea, & eris mihi clariſſima ſuper ſtellas lux oculorum meorum, & grande fomentum amoris mei, liceat, precor, o manſuetiſſime Rector, & Paſtor amantiſſime gregis, in quo eſt nive candidior Agnus E Dei, liceat interrogare te, ut diſcam ſecreta domus tuæ. Nec mihi exprobare velis curioſitatem, velut alienæ domus ſcrutatori; ſed paſcere amoris flammam vehementem, quæ ob decorem domus tuæ urget me: Si fortè rerum tuarum conſcius admittar in tuum famulatum, & igne ſempiterno, quo flagrat tota domus, ego quòque feliciter urar.

Dic, oro te, ſponſe fœliciſſime Reginæ Hieruſalem, cujus aſpectu ſol quoque teneb reſcit. Indica mihi, quibus motibus lætitiæ, & quo ſenſu caſtiſſimæ voluptatis cor tuum geſtiebat, & affluebat; quando Virgo illa dulciſſima & tenerrimà tibi nutu divino deſpondebatur. Etenim (ut credo) cœli diſtillaverunt à facie Dei Sinai, à facie Dei F Iſrael, & pluviam voluntariam ſegregavit Deus hæreditati ſuæ. O Sponſe deſideratiſſime animæ me (cui parcat, obſecro, Regina cœli) quòd cùm illa ſponſum velit habere comunem. O dilectionis fornax ardentiſſima: quis mihi det, ut experimento diſcam, & patiar motus illos ineffabiles, & conſumar illis flammis vehementibus? Quis mihi det conſortium fœderis illius, quod ſtabilivit incendium charitatis? O anima charitatis jaculo vulnerata, quibus affectibus commota es, quando vidiſti verecundiſſimam, & mundi totius deſideriis expectatiſſimam Virginem illam, cujus præſentiam cæli cupiebant & corde, & corpore tibi ſubjectam tradi, & amore caſtiſſimo ſociari tibi? Quomodo non exhalaſti animam in illo pacto G nuptiali; vir ejus electiſſime effectus poſſeſſor tantæ pulchritudinis? Nunquid ſicut adamantem poſuit te Deus illius fœderis auctor, ne fortè præ lætitiæ magnitudine corde dilatato morereris? Quid eſt hoc? Doce, precor, doce me, quomodo ferre potuiſti vim ſubtilis charitatis, qua, velut gladio ancipiti, vulneravit te uſque ad mortem omni decore formoſior Sponſa tua. Quando, ſcilicet tu, auro pretioſior, pignus æternæ hæreditatis meæ, ſenſiſti viſcera tua viſceribus Sponſæ arctiſſimè adſtringi, & divinæ delectationis aquam oſſium tuorum medullas penetrare. Altum eſt valde ſecretum hoc; volucres quoque cœli latet. Ego exiſtimabam, ut aliqua ex parte cognoſcerem hoc; ſed labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in noviſſimis H ejus. At propter hanc cœleſtem, ac ignotam mihi dignitatem charitatis tuæ ſuſpiciam, & amabo te, & laqueo ſuaviſſimo amoris tui ſuſpenſa pendebit à te anima mea; non ſicut Abſalon è quercu, ſed ſicut Regina Saba, quæ contemplata Salomonis domum obſtupuit, & non remanſit in ea

ha-

Scrip. An. circ. 1607. halitus propter rerum magnitudinem. Sed quanta eſt hæc magnitudo, qua cor Reginæ ſapientis ſuſpenſum eſt, o excelſe nimis Paterfamilias Regibus altior, in cujus familia numeratur Deus? Quanta eſt hæc magnitudo, o lumen illuſtriſſimum cordis mei, ſi cum domus tuæ magnitudine comparetur? Quòd ſi perſpicacibus oculis animæ tuæ pa- A radiſum amœniſſimum Dei manu conſitum, & ad delicias ejus, ac Matris ejus comparatum intueri mihi detur; ſuſpendar ego proculdubio captus decore tuo; & incompoſita videbitur mihi Salomonis aula, & omnis Regum, ac Imperatorum apparatus vilis apparebit. O pacatiſſima ſtatio animæ meæ, quæ inſtar navis multis procellis agitatur, introduc me ad ſinus, & latebras cordis tui, ut fructu pulchro viſu, & ad veſcendum ſuavi, nec prohibito veſcar; & inveniet ibi amor meus arborem vitæ, ac ſcientiæ, quam requirit; novum etiam Adam, & Hevæ inſtauratricem. Viror paradiſi hujus trahit me, & ſpem fœlicitatis generat in corde meo. Sed hei mihi, quia mitiſſimus Deus viſcerum meorum, ut erudiret me, collo- B cavit ante paradiſum Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem. Sed tu pacis conciliator amantiſſime, fac, ut gladius confletur in vomerem; & aperiatur via ligni vitæ; cujus deſiderio totus inflammor; & eris mihi quaſi ſereniſſima cæli facies, poſtquam nubila tranſierunt: & quaſi aquæ limpidiſſimæ rivus nive frigidior, quando calor æſtatis vexat me.

Sed exoritur mihi affectio, deſiderium, ſcilicet, rogandi te, ad augendum amorem meum, paſtu cordis tui, quo vivet incraſſatus, impinguatus, dilatatus, nec recalcitrabit, ſed obſequio ſynceriſſimo ſuccumbet tibi. Dic, obſecro, dulcedo vitæ meæ, quæ deles mundi amaritudinem, ut ſapientia reſponſi tui, ſicut adipe, & pinguedine re- C pelcatur anima mea; qualis fuit ſenſus cordis tui in agone illo quando vidiſti, & conſideraſti Sponſam tuam prægnantem, & expertem, conſortii tui? Quantus dolor, & quam vehemens invaſit te, & vulnere diriſſimo ſauciavit? Quo abiit illa pulchritudo pacis, in qua ſedebas? Quis mihi det, ut repurgatis mentis oculis, aſpiciam anxium amorem erga Sponſam tuam, & mille cogitationum telis vulneratum, quem dulciſſimus Deus ad oſtenſionem juſtitiæ tuæ inebriavit abſynthio? O ſi mihi licuiſſet animam tuam ſtrictiſſimè amplecti, & animæ meæ vinculo amoris alligare, quando cum eſſes juſtus, & nolles eam traducere, cogitabas occultè dimittere eam. O puriſſime candor, quid eſt hoc? Adeone juſtus eras, ut de columba illa tua, amica tua, formoſa tua, & imaculata tua ne D ſuſpicari quidem poſſes adulterium? Certè gratiſſimum ſolatium meum illius innocentiam, quam Seraphin admirabantur, tam perfectè cognoveras, & amaveras, ut credibilius videretur tibi Virginem ſine viri conſortio poſſe concipere, quàm peccare Mariam. O fideliſſimum cor, o ſanctiſſima anima, ô Joſeph ſalutare nimis medicamentum, & firmamentum cordis mei. Propter hoc diligam te, & aperiam tibi latebras animæ meæ, & hoc patrimonium, & theſaurum meum ſervabo per ſingulos dies vitæ meæ; & ſimilis ero iis, qui purgatum ſeptuplum, & in amoris igne examinatum argentum theſaurizant.

Sed ſi tantus amor innocentiſſimæ Sponſæ E cepit te clariſſime ſplendor, qui depellis tenebras meas, quomodo cogitabas occultè dimittere eam? Nonne melius erat occultè retinere eam, cujus deſiderio ipſe ſuaviſſimus amoris Deus conflagravit? Quale conſilium eligere cogitabas? Quis, obſecro, qui poſſederit tam inſignem pulchritudinem, illam patietur abire? Miror planè hoc, & videre mihi videor juſtitiam cum amore certantem, & luctantem in fatigato corde tuo. O lucta difficilis valde, quæ dilanias viſcera amabiliſſimi Tutoris mei, ſub cujus umbra ſedet, ac deſiderat anima mea. O crudele ſpectaculum, ô invictiſſime certator, cujus animam etſi perſecutoris gladius non abſtulit; martyrii tamen palmam in hoc mortis agone, non amiſit. Propter agonem hunc, ô firmiſſima ſpes mea, & exultatio cordis mei, tra- F do tibi præcordia mea tecum ævo ſempiterno permanſura. Imprime mihi, rogo te, manu formoſa Filii Sponſæ tuæ motum, & ſenſum agonis hujus & agnoſcam divitias cordis tui.

At interea dum contemplor te in lucta laſſum, & dormientem præ triſtitia; ſuccreſcit mihi deſiderium explorandi motus animæ tuæ ſub mœroris magnitudine jacentis; & repentino monitu Angeli vires reſumentis. Lux cœleſtis, & valde nova tibi orta eſt, quando de Conjugis tuæ fideliſſimæ innocentia, cœlo teſte, certior factus es. Tunc aperti ſunt oculi caligine obducti. Tunc lingua, quæ præ dolore obmutuerat, ſoluta G eſt. Tunc ſaliit ſicut cervus claudus, quia os Domini locutum eſt. Tunc anima gaudio magno valdè dilatata eſt. Tunc juſtitia, & pax oſculatæ ſunt, & veritas de intactæ Virginis terra orta eſt. Tunc relaxato corde, filius verè accreſcens Joſeph. Tunc melliflui facti ſunt cœli, ut deſcenderet ros lætitiæ ſuper caput Joſeph, & ſuper verticem Nazaræi. Sed quò fertur lingua mea præceps, auſa ingredi ſanctuarium, quod firmaverunt manus Dei? Quis cognovit ſenſum cordis tui, aut quis conſiliarius, vel à ſecretis ejus fuit? Dum abyſſum divinæ voluptatis, qua perfuſus es, conſidero, dulciſſime conſolator animæ meæ; non tam ſcripturam, quàm ſilentium, & cordis expanſionem concupiſco. Ecce quaſi malum punicum, dirupto cortice, tibi cor meum ape- H ritur, ut capiat exundantis lætitiæ tuæ rivum aliquem, quo reficiar in hac exilii ſolitudine, ô gratia inter omnes orientales valde dives, quàm læto vultu, quàm gratis oculis innoxiam Conjugem tuam aſpexiſti, & quàm fidenter amaſti? Quàm dulces amoris lachrymas effudiſti, recogitans te illam dimittere cogitaſſe. Quis mihi det amoris hujus

Scrip. An. circ.1607. vel unam guttam, ſuper puriſſimum balſamum pretioſam? & omnes mundi voluptates, ac divitias aſpernabor. Aperti ſunt fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cæli ruptæ ſunt, & prævaluit amoris diluvium, quo feliciter immerſus es; ut nullum deinceps jam ſecurus faceres amandi modum; ſed ſuper omnes difficultatum, & laborum montes aqua A viva tolleretur. Propter hoc amabo te, o ſydus meum fulgentiſſimum, & vexata ſiti deſiderabit te anima mea, ut bibat aquam è paradiſo voluptatis tuæ, quæ irrigat omnem terram.

At ulterius fertur deſiderium meum, quod aſſumit pennas ſuas diluculo; ut volet ad nidum cordis tui, & videat, & lætetur, propter inventum ibi bonum, ſicut lætari ſolet, qui invenit ſpolia multa. Reſcribe mihi, oro te, magiſter ſuaviſſime, qui prudentiam juſtorum docere ſoles, qua ſedulitate cuſtodiſti horreum tritici electi tui, prægnantem ſcilicet Sponſam tuam; poſtquàm non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine gravidam agnoviſti. Utinam liceret mihi penetrare in clauſtra animæ tuæ ſuper gregem B tuum excubantis, & vigilias noctis cuſtodientis. O quot lampades ignis, atque flammarum urebant te; ne permitteres oculis tuis requiem, & palpebris tuis dormitationem. Sollicitudo cordis excitabat te, & furtim capiebas ſomnos interciſos, quos auctus amoris gladius interſecabat. O ſi mihi dediſſes, ut tecum ſollicitus vigilarem ſuper arca fœderis Domini, & ſuper Man, quod ibi latebat. Pro ſomnis interciſis diſpexiſſem molles Regum lectos, & pro vigilia omnem mundi requiem abjuraſſem. Sed nunc, ne nimis langueat anima mea, fac me, o Princeps ſereniſſime, participem ſollicitudinis tuæ, quam producit amor. Infer mihi ſtimulos amoris, ut fortis æmulatio pungat me ad imaginem, & optatam valde C ſimilitudinem amantiſſimi cordis tui: Et eructabunt labia mea hymnum ad proportionem dilectionis tuæ. In peritia quam docueris me, requiram modos muſicos, & in pſalterio decachordo pſallam Filio Sponſæ tuæ. Sed in ſilentio noctis tui memor ero, & inter negotiorum tumultus non obliviſcar tui. Jura tua tibi reddet fidelis amor, quem beneficentia tua generabit.

Verum rem unam poſco è ſecretis tuis; ut amore tuo cor meum vehementius accendatur; deſidero enim ardentiſſimè amare te, & inter clientes tuos numerari. Et quidem certò credo, te amandi artem ineffabiliter didiciſſe, ita ut poſſis rudes animas erudire, & ardoribus immenſis inflammare. Quibus, oro te, affectibus æſtuabat cor tuum amandi D peritiſſimum; quando cùm Conjuge tua ſpecioſiſſima, jam partui proxima, proficiſcebaris in dulciſſimam civitatem Bethlehem, ubi juſtitiæ ſol erat naſciturus? Qualis anxietas comprimebat te ob temporis, & itineris incommoda, quæ duo illa cœli luminaria magna, Filius & Mater ejus, patiebantur? Quot ſagittis confixa ſunt viſcera tua propter crudeles repulſas ab hoſpitiis? Mirum eſt valde, quomodo tam acerbus dolor qui crevit ad menſuram amoris, non ſuſtulit animam tuam, quam pertranſivit gladius. Utinam ô dulciſſimum refugium meum, imprimeretur ſenſus ille tuus præcordiis meis, & ingredereris ſic anxius in abditiſſimos receſſus, & interiora mea, ut ebiberem E ſpiritum tuum, cujus amaritudo melle dulcior mihi videretur. Expectarem ego in comitatu tuo citò ſuperventuras delicias Dei, quales in ortu Regis Hieruſalem, civis Bethlehem, Filii Sponſæ tuæ percepiſti. Imber abiit, & receſſit, & ver novum in corde tuo amore vulnerato apparuit, oriente ſole ab Sponſa tua.

Quis mihi det, ut fruar gratiſſimo aſpectu tuo, & voce juxta cæli concentum ſuaviſſima loquaris mecum, & fiam conſors illius exultationis, quæ exundavit, & obruit viſcera tua. Si dignaris viſitare me, ac tui ſenſum immittere cordi meo, deſiderii, & amoris brachiis adſtringam te mihi, & orabo, & tenebo te, & flebo, donec larga benedictione ſoleris oſſa mea: Et ero dives F præſentia tua, & victorias multas comparabo. Dabit mihi Dominus, te volente, regiones gentium, & labores populorum poſſidebo. Subjugabo rebelles mihi paſſiones, & hoſtes me perſequentes procul arcebo. Unus ego perſequar mille, & tecum fugabo decem millia. Et eris mihi virtus, & fortitudo mea; Tu unus ex fortiſſimis Iſrael. Non timebo certa mala, nec bona quantumvis magna deſperabo, ſi mecum es. Novi enim, quàm ſit magna celſitudo tua, & quàm ſis potens, & glorioſus inter primos cœleſtis curiæ Principes. Imò, quod obſtupeſcunt Angelorum chori, affectu dulciſſimi amoris, ac reverentiæ honorantes te, mihi inter mortales, & exules laboranti notum eſt: Te ſcilicet tuum Principatum provexiſſe uſque ad ſuaviſſimum G cor ipſius Dei; ut ibi jure ſingulari regnes inter univerſas creaturas. Pater quippe æternus te ſui nominis conſortem admiſit, ut ejus unigeniti Pater dicereris. Filius tibi quaſi Patri obtemperavit. Spiritus Sanctus Sponſæ tuæ Sponſus multas tibi conjugalis pacti functiones tribuens, unam fœcundandi Sponſam tuam formoſiſſimam ſibi actionem aſſumpſit, ut ejus eſſes conſors in utraque deſponſa Virgine puriſſima. Si in cælorum faſtigium aſcendero, & univerſorum beatorum ſedes perluſtravero, quem inveniam vel hominum, vel Angelorum, cui honorem tantum detulerit Deus? Propter hoc Princeps excelſe nimis, & potentiſſime defenſor quærentium te, fac ut cœli gaudia prælibem, & dulcore tuo imple me, ut ad æterna bona totus ferar, H quaſi vehiculo adjutorii tui.

Porrige mihi manum dexteram tuam, & ure igne illo, quo arſiſti erga decoram valde Sponſam tuam, & amabiliſſimum Filium ejus. Facile quippe tibi erit corda etiam lapidea tuo tactu emollire, & captivitatem Sionis ope tua convertere; ita ut repleatur os meum gaudio, & lingua mea exultatione.

Scrip. An. circ.1607.

ne. Ecce tibi ſubiicio cor meum, ut amoris imperio regas illud, & paſcas Regum epulis, quibus abundant cellaria tua.

Sed quò fertur anima mea, quæ cœpit recenſere laudes tuas? Sive te regnantem aſpiciat, ſive in terris laborantem; cupit certè placere tibi, ob eam, quam expectat à te boni magnitudinem. Sed revertor ad te A dulciſsime Comes peregrinationis Dei, qui in terra advena, & colonus factus eſt; ut contempler actus, quos admiror, qui tanquam ſtellæ lucent in firmamento vitæ tuæ. Utinam, o pingue nutrimentum ſpei meæ, dediſſes mihi, ut quaſi pedeſter famulus comitarer te, quando peregrinabaris in Ægyptum; ut tecum operaretur Deus terribilia ſimul, & amabilia in terra Cham. O peregrinatio optabiliſſima, o fuga ſuper omnem patriæ requiem, & habitationem dilectiſſima, o ductor itineris fideliſſime! Quis mihi det, ut ſequar te deſideriorum quaſi cervorum pedibus, & impellar impulſibus cordis tui? Amor immenſus, & more olei ebullientis proiiciens ſe ſuper ſe, pulſat te ſuper teneritudine pulchræ nimis Sponſæ tuæ, B ac Filii ejus priùs fugientis, quàm loquentis. Amor hic tuus urgeat me, & exurat medullas meas. Loquere, obſecro, & aperi mihi ignita præcordia tua, & emollies, ac vulnerabis me jaculis charitatis tuæ. Erunt certè molliti ſermones tui ſuper oleum, & ipſi erunt mihi jacula. O quoties fideliſſime vir Reginæ Hieruſalem ornatæ veſtitu deaurato; quoties ſive in itinere, ſive in hoſpitio, ſive in natali domo Sponſæ tuæ formoſiorem cælo Filium ejus accepiſti in ulnas tuas, & adſtringens illum pectori tuo ſitienti, oſcula multa impreſſiſti ei? Oſcula certè labiis imprimebas, & mille deſideriis æſtuabas, & ſpiritum vitalem hauriebas, quo nihil delectabilius æſtimari poterat. De ore quippe prudentis procedebat mel, & dulce- C do mellis erat ſub lingua ejus, favus diſtillans labia ejus. At hei mihi, qui à dulcore tanto procul fio. Da mihi, oro te, ut ſemel ſaltem fruar dulcedine Filii Sponſæ tuæ, amore potiùs ductus, quàm reverentia. Et flagrabo deſideriis divinæ pulchritudinis, quam exquiro, & prædabor mihi prædam ejus, qui appellabatur Filius tuus, quam cuſtodiam in æternum. Tu certè, quantùm capio, habes clavem David, clavem ſcilicèt cordis ejus; & aperire vales, quando tibi placet, & introducere languidos, & eliſos ad ardorem ſempiternum; ut erigantur, & convaleſcant in dulciſſimis ſimul, & fortiſſimis flammis ejus, à cujus facie montes ſicut certa fluxerunt.

Verùm, ut inveniam, quam cupivi gra- D tiam apud te, o arx tutiſſima cordis mei, opto comitari te longis itineribus, quæ cogitavit amor. Opto certè, ſed ingens labor eſt, hominem oneratum, qui emit non unum, ſed quinque juga boum, ſequi te; qui ſine mundi onere, imitatus Filium Sponſæ tuæ, exultaſti ſicut gigas ad currendam viam: Sì vis, o magna pars charæ nimis libertatis meæ, ad quam gravatus ingemiſco, depellere à cervicibus meis pondera mea graviſſima; curram deſiderio, & imitatione poſt te, cujus amore trahitur anima mea. At multas vias, quas pertranſiſti, perſequi ſcribendo cùm non valeam, claudus ex utero matris meæ unam conabor percurrere in dulcoris plena, & anxia ſocietate tua, & E puriſſimæ Sponſæ dilectionis tuæ. Quis mihi det, ut fiam particeps illius ſenſus, quem genuit amor, quem cor tuum in triduo Filii amiſſi tulit. Vox certè deficiet me aquam ex alto puteo haurire cupientem, ac ſine ſenſu loquentem. Elanguit anima tua, & magnitudine doloris, & amoris ægrotans, quaſi mole magna oppreſſa eſt. Quis revolvet mihi molem hanc ab oſtio cordis tui, ut ingrediar, & videam, & paſcatur, ac delectetur in craſſitudine anima mea? Bonum erit mihi paſtum ibi reperire, & comedere farinæ medullam, & ſanguinem uvæ bibere meraciſſimum. Comedam id, pro quo non laboravi, & alar ex tranſacto labore, ac præſenti lætitia tua. Tu enim in hoc mihi etiam laboraſti, triduo non videns dile- F ctum tuum. Sed pro eo quod laboravit afflicta valdè anima tua non videns, nunc videt, ac videbit ſemen longævum, quod regnabit in æternum, & ultrà.

Non audeo tridui itinera ſcribendo percurrere; quia neſcio amoris, ac doloris tui magnitudinem ponderare. Melius mihi eſt itinera hæc amare, quam intelligere. Melius mihi eſt ad illa toto corde perenniter aſpirare, ut diſcam flere ſine teſtibus abſentiam pulcherrimi Sponſi animæ meæ, cujus præſentia nihil eſt pretioſius. Sed ut amem, fac obſecro, ô miſericordiſſime, ut ſumat Dominus de ſpiritu tuo, & mihi conferat. Et eris fomes amoris mei, ac ex abundantia cordis annunciabo in Sion nomen tuum, & laudem tuam in Hieruſalem.

G Sed ex itinere cupio reverti domum; & contemplari te, non laborantem, ſed quieſcentem, ac ſilentem in medio domus tuæ; ubi Deus amore dives propitia ſemper oracula reddebat: Si forte reſpondeat mihi Dominus, & propitietur, favente mihi Sponſo Matris ſuæ; cujus vota ſemper fuerunt acceptiſſima ei in medio dulciſſimæ Civitatis Hieruſalem. Rogo te gratia potentiſſime, & divinarum affectionum conſultiſſime, quoties in medio domus tuæ ſediſti tacitus, admiratus ſapientiam, & decorem Filii intemeratæ Sponſæ tuæ? Quoties amoris magnitudo ab exercitio ſenſuum alienavit te; cum videres Verbum caro factum tecum ſub eodem tecto converſari? Quoties in meditatione tua H exarſit ignis, & elevaſti te ſuper te? Bonum eſſet mihi ſedere tecum in angulo domus tuæ ad prudentiam addiſcendam in ſilentio. O ſilentium cœli rore ſuaviſſimo fœcundum, quando diſcam te? O ſilentium; in quo loquitur amantiſſimus Deus, & multis blandimentis corda ſolatur, quis mihi det, ùt obſervem te; & contemnam omnem mundi eloquentiam, & linguas ſine ſenſu menda-

ciſ-

Scrip. An. circ. 1607.

ciſſimas? Doce me: oro te, præceptor optatiſſime, quo pacto fiam mutus, & ſedeam taciturnus in receſſu meo, & fac me conſortem ſilentii tui, ut ſentiam caſtiſſimas cordis tui delicias; & ſuſpenſus audiam, quid loquatur in me Dominus Deus meus; loquetur enim ſine dubio pacem, quam quæſivi.

Pacem quæro, & in omnibus requiem quæ- A ſivi, hoſtes enim mei perſequuntur me. Propter quod, rogo te, affer tranquillitatem ſollicito cordi meo, & amabo te. Sed quæ eſt pax mea? Quæ eſt tranquillitas mea, niſi ſereniſſimus, & pulcherrimus, & dulciſſimus Filius Sponſæ tuæ, cui jamdudum conſecravi præcordia mea? Sed & mater ejus ſplendidiſſima, & ſuper omnes creaturas ſpecioſiſſima requies mea eſt, cui vovi viſcera mea. Non enim Filium ſine Matre requiſivi. Non erat quippe mihi tam bonum, hominem eſſe ſolum, quam cum adjutorio ſimili ſibi. Hæc eſt Portio mea. Hæc eſt fœlicitas mea. Hæc eſt requies, tranquillitas; & pax amabiliſſima cordis mei. Sed hinc ducit originem labor meus, quod cum hæc ſocietas ſit omne refrigerium animæ B meæ, careo omni refrigerio, quia longè diſto ab ea ſocietate. Propter hoc hoſtes mei facti ſunt in capite, & inimici mei locupletati ſunt. Ac ita egreſſus eſt ab anima mea omnis decor ejus: recordatur Hieruſalem dierum afflictionis ſuæ, & prævaricationis omnium deſiderabilium ſuorum, quæ habuit a diebus antiquis.

Nunc populus meus videtur cadere in manu hoſtili; & anima mea depoſita eſt vehementer, non habens conſolatorem. Quapropter, oro te, (ne tu etiam ſis mihi formidini) ingredere ſemel ad cor unum Sponſæ tuæ, ac Filii ejus; quorum deſiderium penetravit animam meam, & quorum repulſa conſumit me, ut ineam fœdus amoris perpetui cum corde illo, & fruar aliquando C conſortio ejus. Dabo certe pro fœdere hoc omnem ſubſtantiam domus meæ, & pro eo quaſi nihilum deſpiciam illam. Non poſco ſanguinem inimicorum, non divitias multas; ſed pactum, quo dominetur cordi meo cor illud unum, quod inquiro. Non ſecundum pactum, quod pepigit fortiſſimus Deus cum populo illo, cujus manum apprehendit, ut educeret illum ex Aegypto; ſed pactum, quo det legem amoris ſui in viſceribus meis, & in corde meo ſcribat illam. Offer igitur, dilecte valde aſſertor dejectæ animæ meæ; offer Filio ac Matri, apud quos gratia vales hæc importuna deſideria, & ſuſpiria mea. Porrige meo nomine tot ſupplices libellos, quot gemitus emitto; ſi forte Rex, & Regina Hieruſalem donent mihi jura Civitatis D ſanctæ, & exilium civitate permutent. Et propter domum Domini Dei noſtri, ad quam admittar, exultabit certè ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Et ex hoc die cor, & caro mea requieſcent in ſpe; & pro dulciſſima miſericordia, quam expecto, animam meam non imagine pictam; ſed eandem, qua vivo, catenis dilectionis appenſam ex voto ſuſpendam è portis Sion, ad quam ſuſpiro, propter infinitam Regis ac Reginæ pulchritudinem.

Ut verò tu, o tutiſſimum aſylum meum, ac fideliſſime expeditor negotiorum ſalutis meæ, ſis mihi propitius, & patiaris me in abſcondito viſcerum tuarum habitare; ita ut claudat à foris oſtium Dominus, ne tem- E peſtas demergat me; ineamus fœdus dilectionis, quam cupiunt præcordia mea. Dilige me, oro te, & gere curam mei, ut ſolet mater curam gerere filioli, quem ſuis lactat uberibus. Solare me dejectum, & viſita me. Trado tibi claves cordis mei, ut pro libito ingrediaris. Sed precor, ne diſferas tempus, Ingredere citò, & obſervabo ego ingreſſum tuum, ut mecum moreris in æternum. Tunc excitabitur cor meum, & reſurget à tenebris, & umbra mortis; & lætabitur propinquitate, ac tactu Nutritii ſui. Quin etiam, & caro humiliata reviviſcet, & exultabit, & jubilabit in neomenia ſua, in inſigni ſcilicet die ſolemnitatis ſuæ: more populi, qui ludebat in organis carminum Domini; quæ fecit David Rex, ad F laudandum Dominum; quoniam bonus, quoin ſæculum miſericordia, & ſuper mel dulciſſima dilectio ejus. Hæc bona pariet mihi, quam poſco, atque repoſco viſitatio mea. O ſuper nivem candidiſſime, & amore fœcundſſime. Ut ergo me viſites, ſæpiùs precor dilige me, & ego ex pacto ſubiicio tibi animam, & corpus meum, potentias, & ſenſus omnes meos, cogitationes, verba, & opera mea, quibus imprimatur character Joſeph; & imago perfectiſſima, & contra faſcinationes potentiſſima, dilectiſſimi Tutoris, & amici mei. Sic quocunque jero, tuus ero, & notatus ſigno amoris tui, ſigno inquam ſuaviſſimæ libertatis, ex toto corde meo tibi ſerviam, & curam geram dilectionis tuæ. Et ne ſim auctor diviſionis, G quam non amat domus tua; tria corda velut unum colam, & amabo, & inveſtigabo omnibus diebus vitæ meæ, cor videlicet tuum ſtrictiſſimè unitum cordi Sponſæ tuæ, ac Filii ejus electiſſimi, & quoties reſpirabo toties trino cordi me cum cogitationibus, verbis, & operibus meis devovebo. Sic ſtatuo fœdus hoc ſalutare nimis, & pactum firmo ſine fine.

Quia verò ſcriptio finem habet, & dilectio non habet finem, quæ generat deſideria tanquam ſcintillas ab igne diſſultantes ſine fine; Epiſtolæ huic, quæ pro corde meo legatione fungitur, finem laſſus impono. At, ut ſpero, amor, & deſiderium tui, o dulciſſime Joſeph, jucundiſſima lux oculorum meorum, & amabiliſſimum ſolatium meum non habebunt finem. H Quæram enim te per noctes, atque dies: ſolus, & in comitatu requiram te. Non ceſſabunt à ſuſpiriis oſſa mea, donec abſoluto mortalitatis curſu videam te. Sic inter ſuſpiria ceſſo, ut collectis ad interiora viribus, ſuaviſſimi Joſeph deſideria feliciùs creſcant in ſilentio.

Scrip. An. circ. 1607.

CLARISSIMAE

VIRGINI B. TERESIAE

A JESU CARMELITARUM DISCALCEAT. FUNDATRICI

A Quidam ejus Filius S.

EPITOLA SEPTIMA.

Epiſtola hæc nihil aliud eſt, quam meditatio divinarum affectionum, quas paſſa fuit B. Virgo Tereſia, & petitio ſuæ erga Sponſum interceſſionis pro dono Orationis impetrando.

NObiliſſima mundi contemptrix, & dulciſſima Virgo, ſuaviſſimi Sponſi tui munere effecta ſapiens, & una de numero prudentum: mirum eſt, quomodo tam degener filius, ſedens ſuper flumina Babylonis, dum organa lætitiæ è ſalicibus pendent è Chaldæorum exilio, audeo B tibi Hjeroſolymitanæ civi litteras mittere; non tam atramento, & clamo, quam deſiderii ſtylo celeriter exaratas. Miretur ſanè mundus, cœleſtis urbanitatis ignarus, in cujus conſilium non veniat anima mea; quia non cognovit in ſapientia Deum, quaſi circa cœli cardines ambulet, nec noſtra conſideret, ac ſi à conſortio noſtro Deus eſſet excipiendus, nec eſſet ei nobiſcum converſatio. Certè mihi non placet conſilium hoc ſed melle dulcius conſilium Dei; qui facit omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, qua dilexit me. Quapropter contemplatus ego voluntatem tuam eò ferri, quò fertur voluntas Sponſi tui, videor mihi, pulcherrima Virgo, poſſe tecum familiariùs agere, & epiſtolam hanc affectibus æſtuantem, & C votorum pennis ad cœlos elatam, non fore tibi prorſus injucundam, propter cor tuum humaniſſimum, ſperare. At verò licet plenus ſim ſermonibus, & coarctet me ſpiritus uteri mei (non ſicut Eliu facundiæ oſtentatorem, ſed ſicut præconem gratiæ tuæ fideliſſimum) in veſtibulo tamen domus tuæ antequam ingrediar, obſtupeſco, magis ſanè, quàm ſi in comitatu Reginæ Sabæorum Salomonis aulam inſpectarem. Poſtquam enim introduxit te formoſus valdè Hjeroſolymorum Rex in cellaria ſua, & nardus ardentiſſimi amoris exhalavit odorem ſuum in accubitu tuo; non ſolùm capior ineffabili pulchritudine tua, o filia Sion venuſtiſſima; ſed veneror celſitudinem gloriæ, quæ dimanat è puriſſimo complexu Sponſi tui: & ad- D miror te, quaſi novam Hjeruſalem ornatam viro ſuo.

Ab ornatu ergo tanto placet auſpicari ſermonem, & habenas laxare cordi meo cupidiſſimo gratiæ tuæ, quam cœlis intuliſti, & qua corda multa conciliaſti tibi. Invictiſſima quippe fortitudine excelſi cordis tui, in cujus centro ſedet vir ille tuus, manum tuam miſiſti ad fortia, & in Eccleſiæ acie divinitus ordinata, agmen quoddam candidatum condidiſti, quaſi mulier fortis, quam procul, & de ultimis finibus magno pretio dives amore Deus exquiſivit. Et quia virilem magnitudinem è Sponſi tui ornatu tactuque traxiſti, confidit in te cor viri tui, & familiæ ſuæ præfecit te; ut mirum ſit, E te multorum virorum caput eſſe, cum ſit caput mulieris vir. Novum ſanè fecit Dominus ſuper terram; ut arcano modo fœmina circumdaret virum; ut ſcilicet amplexu ſtrictiſſimo viſceribus tuis apprimeres Sponſum tuum, è throno, quem poſuit in te, multa mira patraturum. Hæc eſt dulciſſima gratia, & decor omnis tuus. Hæc lux Sole clarior, quæ micat è penetrali cordis tui; cui preſidet optatiſſimus Deus, & amicus tuus. Hæc ſuaviſſima pulchritudo tua, non mollis, & ſoluta, qualem Moabitides, & Sidoniæ tam ardenter inquirunt; quæ certiſſimè avertunt cor humanum; ſed quæ cœleſti majeſtate plena corda caſta demulcet, & inimicis apparet formidabilis, ut ſuavi- F tatem firmet fortitudo; ſic quippe Sponſus tuus formavit te ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, ut novo quodam jure non primi, ſed ſecundi Adæ ſis os ex oſſibus ejus non ſolùm caro de carne ſua. Propter hoc o lumen illuſtriſſimum oculorum meorum, deſidero te; & cœleſtis eloquentiæ particeps fieri opto vehementer; ut poſſim enarrare mirabilia tua, & adumbrare magnitudinem internæ pulchitudinis tuæ, ſolvente linguam meam lepidiſſimo Sponſo tuo, qui ſurdos facit audire, & mutuos loqui: licèt enim me non egeas laudatore; cùm te ſatis laudent in portis opera tua; & nobilis conjugio vir tuus ſedens cum Senatoribus terræ glorietur forma elegantiſſima Sponſæ ſuæ; egeo tamen ego jacundiſſimo G vultu tuo, & mea certè intereſt evulgare laudes gratiæ tuæ. At, ſi tibi placet, tenerrima Mater mea, quæ Virgineo lacte cœleſti paſtu nutris filios tuos, vellem tua geſta publica præterire, & in ſancta ſanctorum cordis tui, ubi ſedet amantiſſimus Deus, ſuper Seraphim altiùs, quam olim ſuper Cherubim penetrare. Quamvis enim laude digniſſima ſis, quòd feceris confuſionem in domo Regis Nabuchodonſor, & gentem electiſſimam condideris: mihi certè non uſque adeò mira videntur hæc, cum incipio ſcrutari divitias cordis tui, ubi habitat Deus Clementiſſimus: quem paſcis ineffabili amore tuo, & ligas in funiculis charitatis tuæ. Profectò ſpecioſiſſima Virgo, ſi ut olim Jacob adeptus ex lucta nomen Iſrael contra Deum prævaluiſti, & amoris H prælio illum fauſtè cepiſti; quid mirum, ſi contra homines prævalueris, & ſpolia multa diripueris, quibus locupletares domum viri tui? Hæc ergo prætermittam; & inſinuabo me in ſecreta divinitus affectæ animæ tuæ.

Sed cùm ſecreta hæc condita ſint in te, & ſignata in theſauris Sponſi tui, ô ſplendidiſſima ſtella, quæ dirigis curſum navi-

Scrip. An. circ.1607.

gationis meæ, opus eſt, aperias mihi clauſtrum cordis tui, ut explorem opulentiam domus Dei. Et lætabor ego in paradiſo voluptatis, quem plantavit, & excoluit dulciſſimus amoris Deus. Annue igitur votis meis, ſpecioſa ſicut columba Mater mea; oſtende mihi candorem ſapientiæ, quam ex ore Sponſi labiis tuis ſua labia imprimentis, A halitumque infundentis attraxiſti. Miratus eſt enim mundus univerſus ſapientiam fœminæ unius arcana Dei perſpicaciſſimè intuentis, & cœleſti lepore, ac ſuavitate luculenter enunciantis, & ad memoriam ſempiternam, velut ab ore Dei (inſtar exceptoris) velociter ſcribentis. O Virgo divinarum affectionum conſultiſſima, Hermonis rore ſæpè conſperſa; ſereniſſimo intellectu Sponſi tui pulchritudinem creberrimè contemplata, porrige formoſam manum tuam & deterge nebulas intellectus mei caligantis in Ægypto, & adhærebit tibi anima mea avidiſſima ſapientiæ tuæ. Quis mihi det hujus claritatis conſortium, ut tecum, o humaniſſima præceptrix mea, promovear ad ſtatum tranquilliſſimum intellectus in B æterna ſpectacula directi, & admiratione ſuſpenſi. Certè pro ſcintilla una ſapientiæ hujus omnem Ægyptiorum ſapientiam aſpernarer, ſederem ſolitarius, & tacerem; quia levarem me ſuper me. O quoties affulſit tibi, puriſſime ſplendor animæ meæ, lætiſſimum ſydus Sponſi tui, & ſuſpendit te, ac incerta, & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtavit tibi. O excelſa nimis Sulamitis, Pacifici Regis amiciſſima, & ex ſexaginta Reginis una, ſtaturam ſapientiæ grandem adepta, ut Sponſo tuo cœleſti congrueres, quoties à proxima luce illius propinquantis reſplenduit facies tua ſicut ſol, & veſtimenta tua interna facta ſunt alba ſicut nix; ut in dulciſſimum Deum fœliciter aſſumpta, cœlituſque mutata transformareris à clari- C tate in claritatem ad imaginem eandem Sponſi tui. Verùm hæc latent in gazophylacio templi Salomonis; cujus vultum deſiderat univerſa terra. Utinam mihi liceat inter eos, qui veſcuntur voluptuosè, & nutriuntur in croceis ingredi ſemel in promptuarium hoc, ne ſinar in æternum eſurire. Tu certè propter gratiam nobiliſſimi cordis tui, cùm eſſes variis intenta occupationibus, invitabaris à ſereniſſimo Sponſo tuo intùs agente, & quaſi funibus trahi videbaris tibi ad locum orationi deſtinatum, ut more Magdalenæ amiciſſimæ, & amore ſimillimæ tibi, ſederes ſecus pedes ejus, & immenſa dulcedine paſcereris, ſediſti, & illius pingui pane ſaturata fuiſti; qui præbere ſolet delitias regibus. Quapropter oro te, D porrige mihi modicum fragmentum ejus, ut creſcam quaſi filius matris meæ. Aut certè da mihi urceum aquæ frigidæ tantum, ſi panis cariùs emitur, & refrigerabor, nam, & Rebecca Virgo, cum qua geris ſimilitudinem, leviter rogata non ſervo Abrahæ tantùm, verùm, & camelis ejus potum dedit, quem venit haurire.

Nunc verò reſponde mihi, oro te, puella Regina Hieruſalem, cujus immenſo decore civitas ſancta gloriatur: Quale genus amicitiæ interceſſit tibi cum amabiliſſimo Reginæ tantæ Filio te invitante, & aſſiſtente lateri tuo; ut quoties liberet de illo cogitare, feſtinus adeſſet tibi, velut expoſitus tenero valdè cordi tuo? Certè ſi non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appro- E pinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis; neceſſe eſt te in natione hac è grandioribus eſſe; ut licèt multæ filiæ congregaverint ſibi divitias, tu ſis è numero excelſiorum, quæ ſupergreſſæ ſunt univerſas, ob miram propinquitatem Sponſi tui. O propinquitas optatiſſima, univerſis mundi bonis præferenda, miror te. Ergone credibile eſt, caſtiſſima Virgo, pulcherrimum Deum cordis tui, effectum jam amicum, & cuſtodem animæ tuæ, à latere tuo nunquam potuiſſe divelli? Quo igne, rogo te, flagrabas, cùm tanti decoris amicum tecum ſemper eſſe dignoſcebas? An poteras reprimere cordis æſtum, cordis inquam exultantis, & ardentis? Profectò ipſe præ amore pulchri- F tudinis tuæ non potuit cohibere manus ſuas tornatiles, ac formoſas nimis, quin oſtenderet illas tibi earum cupidiſſimæ. Quin etiam & (quod multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt) totum corpus digito Dei mirificè compactum tibi exhibuit avidè ſpectandum; ut tibi ſuaviſſimè blandiretur. Dic ergo mihi, dulciſſima nutrix mea, quibus oculis illum intuita es? Et quàm altè impreſſa fuit forma ejus viſceribus tuis? O quantùm invaluit Zelotypia! O deſideratiſſima Virgo, quantùm tibi ſorduit omnis carnea venuſtas: & quàm generosè cor tuum omnem mundi voluptatem faſtidivit. Sed ſilere malo, quod effari neſcio; & boni tanti conſortium poſtulare. Quamobrem oro te, puriſſimum ſpeculum G animæ meæ, ut vel ſummorum digitorum aſpectu dignetur me Amor ille tuus, apud quem gratia vales; ut qui tribus digitis appendit orbem terræ; ſuſpendat etiam humi defixum cor meum; ut ſordeant illi picta mundi bona, & impetu celerrimo feratur in unam illius pulchritudinem. Si animam Sponſi tui ad mea vota flexeris, inſonabo tibi in neomenia tuba, in inſigni die ſolennitatis meæ. Dilatabuntur præcordia mea præ magnitudine voluptatis Dei. Fiet vinea dilecto tuo in cornu filio olei. Implebuntur areæ meæ frumento, & vino torcularia redundabunt. At vero trahit me deſiderium explorandi te, in cordis tui thalamum te abdentem, & ad Sponſi tui feſtiviſſimi vocem exultantem. Quapropter rogo te formoſiſſima Virgo; quibus ardoribus urebaris, H quando ad vocem dilecti tui vires animæ ſibilo ſuo tenuiſſimo convocantis te condebas intra te, præſentique pulchritudine Dei capiebaris, ita ut liberet corpori voluptatis divinæ ſtillicidia præcipienti oculos obſtruere, aures obturare, quo ſe totam anima in dulciſſimum Deum effunderet, & caſtiſ-

Praeſentia Dei familiariſſima.

O·atio receptus, ſeu collectionis.

Scrip. An. circ. 1607

Oratio quietis.

ſimo complexu illi miſceretur? Quando ſcilicet ſedebas in pulchritudine pacis, in convivio pinguium medullatorum, & vindemiæ defæcatæ, parante ſcilicet Sponſo tuo non tauros, & altilia ſed lautiſſimum convivium deliciarum Dei? Quando videbaris tibi (ô ſplendidiſſima lux cordis mei) plena, & tota patebas Sponſum tuum præſentiſſimum A conceptura, & quaſi limpidiſſimam aquam more ſpongiæ bibitura? Propter hoc ô lepidiſſima Virgo, ac divinæ facundiæ peritiſſima, ſæpe ſilebas, cum ſermo diſpliceret, corporiſque pars ulla loco ſe movere nollet, nec vis animæ ulla à præſente Sponſo vellet ablactari. Quis mihi det pace hac certè pretioſiſſima vel tantillum frui, & contemnam opulentiſſima regna, quæ imagine pacis ſolicitæ, citoque perituræ inaniter lætantur. Si exaudieris importunos gemitus meos, ô gentis noſtræ clariſſima Princeps, vivam tecum fœderatus amoris fœdere ſempiterno,&adhærebit cordi meo lætiſſima tui vultus imago, quam repetent oculi mei, exitus aquarum deducentes.

Somnus.

Utinam corriperes me B ſomno ſuper favum planè dulciſſimo, quo identidem dormiebas, dum cor tuum vigilabat. Quando vigilantiſſimus Sponſus tuus cuſtodiebat te; & lucerna ejus ſplendebat ſuper caput tuum. Quando egrediebatur ſuper te ſplendor ejus; & ipſe quaſi lampas accendebatur. Si, agente te, dilectione dives Deus animæ tuæ immiſerit mihi, quemadmodum & tibi, ſoporem, & allexerit me; ſacrificabo ei millenos vitulos pinguiſſimos jugum charitatis ſubituros. Liqueſcent viſcera mea amoris excubias perenniter actura. Vigilabo ſine requie, ſicut paſſer ſolitarius in tecto, & proferam amoris querimonias, eò quòd vexat me tam diuturna ſolitudo. Sed obſecro te, mundi debellatrix potentiſſima, diſſipes ſaltem inimicorum meorum caſtra, quibus terreri ſolent præcordia C mea: præcludunt enim mihi viam dulciſſimæ Sion; & ſanctificatio deſerta eſt, altare cordis mei profanatum, & in atrio Domini, velut in ſaltu, virgulta nata. O ſi nova fieret templi hujus dedicatio, & appareret Deus in nube lucida, quæ templum mirabiliter obumbraret; ut per te, Virgo ſuper nivem candidiſſima, deſcenderet humaniſſimus Deus ſuper me, ſicut imber ſuper herbam, aut certè, ſicut ſtillæ ſuper gramina; & viſitatione lætiſſima requieſceret in me ſicut in capite Joſeph, & in vertice Nazaræi.

At intereà dum de rore cœli, & pinguedine terræ viventium cogito, & tuæ fœlicitatis in his bonis, optatiſſima Virgo re- D cordor, quò te altiorem contemplor, eò me dejectiorem auimadvertens extabeſco. Videor enim mihi vir videns paupertatem meam in virga indignationis Dei. Qui vetuſtam fecit pellem, & carnem meam; contrivit oſſa mea, & collocavit me in tenebroſis quaſi mortuos ſempiternos. Certè Virgo ſpecioſiſſima, dum tu ſpendidè epularis cum Sponſo cordis tui, ego jaceo ante fores tuas, & crucior appetentia menſæ tuæ. Hei mihi, quia attenuantur oculi mei ſuſpicientes in excelſum. In excelſum inquam ſtatum aquilarum oculos vincentem divinæ Unionis, ad quam in exilio noſtro ſæpiſſimè elata fuiſti, intellectu altè ſuſpenſo; memoria craſſis imaginibus ad cæli ſerenitatem evecta, voluntate divinis flammis ignita, Deoque caſtiſſimè permixta; ita ut videre- E tur tibi cœlum terraque liqueſcere. O quàm cœleſtes motus amore diſtentum cor tuum patiebatur; & quanto ſe conatu in mare magnum immergebat! O quàm ſubtiliter divinæ delectationis aqua medullas animæ penetrabat! O quantum virtutum heroicarum proventum divinus ille complexus referebat! Fac, precor te, Mater fœcundiſſima, innumeros filios ſine læſione Virginitatis enixa, ut fiam conſors tantæ ſuavitatis, qua nihil in terris eſt optabilius. Et rependam tibi fœnus amoris, quo jam pridem cepiſti me; tradamque tibi clavem cordis mei, quod patebit tuo. Sanè, generoſiſſima Virgo, pro inſigni lucro à te regi ducam. Eliciam è me- F dio cordis tui rivos ſapientiæ, quos evergit Sponſus tuus, non certè rivos à fluminibus Aſſyriorum, ſed à puriſſimo Jordane, quo lavabor; ſi forte reſtituatur caro mea, ſicut caro pueri parvuli, & miro modo caro ipſa pro captu ſuo Deo diſcat ahærere. Fiam tunc, ut ſpero, te favente, ſicut Nephthali cervus emiſſus, dans eloquia pulchritudinis.

Unio.

Verùm enim dum forma tua ſubit animam meam pulchritudinis cupidiſſimam, miror, quàm ſit potens decor tuus, quem Rex tantus concupivit, & trahor, cupioque trahi, tanta venuſtate fruiturus. Sed, hei mihi, quia omnis gloria tua ab intus eſt; nec illabi poſſum in ſacrarium cordis tui. Placet tamen mihi, ô pulchra nimis, illapſus forma præſtantiſſimi Sponſi tui, frequentiſſimo ra- G ptu amplectentis te, ac permeantis præcordia tua penetratione quadam profundiſſima. O quoties, velut moræ impatiens, non ſolum in receſſu tuo, verùm & in mediis hominum colloquiis feſtinavit, & arripuit te renitentem, & epilepſiam ſimulantem, quaſi pœniteret illum cunctationis; & ferre non poſſet, te totam ſecum non morari, tanquàm Zelotypia premeretur. Quid eſt hoc? Quid egiſti dulciſſima Virgo? Nunquid genæ tuæ ipſius ſanguine rubentes rapuerunt oculos ejus, & pulchritudo tua captivam fecit animam ejus? Puteus hic altus eſt: & in quo hauriam aquam, non habere convincor. Didici tamen ex te, mitiſſima columba mea, quoddam irritamentum Sponſi tui ad amplexus tuos accurrentis, & in vigilia dilectionis excubantis. Et quemadmodum tu H ipſa ſcripſiſti, credo, miro quodam amoris artificio ad multiplicem raptum te fuiſſe ſubvectam, ſæpè enim ſine ulla præcurrente oratione irruebat ſuper te ſpiritus vehemens, non certè conterens naves Tharſis, ſed in portum voluntatis tuæ te velociſſimè impellens, & incredibili amoris impetu corripiebaris ob abſentiam Sponſi tui. Mœrebas ſo-

la,

Scrip. An. circ. 1607. la, & ad mortem uſque torquebaris. Intolerabilis quippe tibi videbatur abſentia tanti decoris. Et cùm illo frui, niſi morte intercedente, nequires, nec tibi poſſes mortem inferre; diriſſimo quodam mortalis vitæ genere non vivere, ſed mori tibi videbaris. Ubi certè obſtupeſco, quomodo multoties non crepuit cor tuum, & exhalaſti amore ſauciam animam tuam. Propter hoc feſtinabat, & blandiebatur tibi dulciſſimus Deus cordis tui; & in ecſtaſi ſuaviſſima faciebat ſui copiam, ut ſedaretur impetus, & acerrima ſollicitudo tua. Subvehebat te in verticem Sina, & in nebula tecum habitabat, & ut olim cum Moyſe viro mitiſſimo ſuper omnes, qui morabantur in terra, tecum loquebatur, ut loqui ſolet vir cum amico ſuo. Quin etiam & in montem Nebo aſcendere juſſa es, non certè punienda propter prævaricationem ad aquas contradictionis; ſed contemplatione terræ promiſſionis animanda, donec veniret immutatio tua. Ubi, dic obſecro, quàm divino ſenſu delectationum Dei dilatabatur cor tuum, animadvertens, excelſiſſimum Deum tibi amore languenti B tam humaniter accurrere, & de impetu anxiam amantiſſimè ſolari. Profectò clariſſima Virgo, ſuſpicor, immenſis te fuiſſe dulcoribus abſorptam, quemadmodum abſentiæ dolor in immenſum excreverat: ut ſecundùm multitudinem dolorum tuorum in corde tuo conſolationes Dei lætificarent animam tuam. O impetus vehementiſſime corripe me, & morte longa moriar in agone vitæ: dummodo, ſicut hinnulus accurrat mihi pulcherrimus Deus cordis mei. O utinam dulciſſima Virgo, ſubire liceat motus hos, quibus concuſſa fuit cœleſtis anima tua; & deſpiciam omne aurum, in quo confidunt homines, & voluptates brevi perituras. Vulnus. Verùm ulterius fertur ſecretorum tuorum avida anima mea. Cupit enim noſſe, C quibus te vulneribus ſauciavit amiciſſimus titibi Sponſus tuus: quando ſcilicet ſubtiliſſimo dolore, quaſi jaculo tranſvèrberabat animam tuam; & videbaris tibi per illum ſenſum doloris acerrimi pœnas animarum, quæ igne tartareo, vel purgatorio torquentur, miro modo dignoſcere. Vulnerabat te amoris exactor, Deus cordis tui, ut tecum agone dulciſſimo certaret, & amoris vulnera mutuo quoque ſubiret. Sic anceps dilectionis gladius pertranſivit animam tuam, & amoris martyrio coronata es, effectaque ſimillima Sponſo tuo. Nec vero hic ſubſtitit amor æternus ſuaviſſimi Dei ligati catenis internæ pulchritudinis tuæ; ſed miſſo cœleſti nuncio, qui tibi totus ardere, quaſi Seraph viſus eſt, mirificè ſauciavit te. Ardentiſſimus D quippe ſpiritus ille aureo jaculo trajecit cor & viſcera tua æternis flammis ignita, ut ſolicitius æſtuarent amore dilectiſſimi Dei tui, jaculumque retrahens, ſimul viſcerum partes retraxit abſciſſas, quaſi pro eſca miſſus fuiſſet, qua libenter veſceretur Sponſus tuus. Certè ibi perſpexiſti, atque guſtaſti, quia fortis eſt ut mors dilectio; dura ſicut infernus æmulatio. Quis mihi det, ut expendere ac ſentire poſſim ſenſum divinitus illati vulneris tui? O formoſa valde Sponſa mea, cupio flere propter te; ſi forte recludas mihi theſauros vulneris hujus, quod melius eſt ſuper vitas. Aperi mihi, obſecro, fontis hujus venam; ſi fortè inde fluat ſanguis, & aqua, ſicut è latere vulnerati Sponſi tui. Doce me ſapientiſſima Virgo hunc ſenſum canæ mentis, E licet enim tibi ſenes erudire, & in populo gravi occulta quævis explanare, eo quod ſis intepres viri tui. Norunt enim, quotquot ſedato corde legerunt, & ex parte intellexerunt ſcripta tua, te cœleſti dono, pro Sponſo tuo, hac ætate, legatione fungi, ut des ſcientiam ſalutis plebi ejus; & quæ angelico intellectu concepiſti, in thalamo illius dulciſſimo tradas magiſterio. Si docueris me grandem hanc ſapientiam, me condam intra me, & accendar velut potens, ſobrie crapulatus à vino: Vileſcent mihi Regum pompæ, & pelago divinæ voluptatis abſorbebor.

Attamen ſi vulnus ſentire non datur, eò quod ſit cibus grandium, è ſecretis incrementis pertingentium ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti dilecti tui; ô amabiliſſimà Virgo, detur ſaltem, oro te, requies F Alloquium. mea expectatiſſima, ut per te loquatur mecum in aura leni decorus valdè Sponſus tuus; quemadmodum ſæpe tecum locutus fuit; quando ſcilicet animam tuam perturbatam more quadrigarum Aminadab, & multis anxietatibus circumſeptam unico verbo ſadabat: & ad cœli ſerenitatem diſſipatis nubibus extollebat. O quoties invictiſſima Virago, quæ de Viro tuo ſumpta es, in mediis turbinibus laborum, quibus obluctabaris, audiſti vocem dilecti tui ad cordis aurem ſic dicentis: Quieſce, confide, & alia ſimilia blandimementa, & pacatiſſimo corde cœleſtis lætitiæ guſtu totam illi patuiſti; ut altius illaberetur, & agglutinaretur animæ tuæ? Utinam dignaretur Sponſus tuus imperare procellis meis, G & increpare illas, ſicut increpuit mare rubrum, & exſiccatum eſt, & deduxit amicos ſuos in abyſſis, ſicut in deſerto. Utinam poſt increpationem poneret fines meos pacem, & adipe frumenti ſatiaret me. Certè, ſpecioſiſſima Virgo, facilè poteſt ille emittere eloquium ſuum terræ, eo quod velociter currit ſermo ejus. Cito poteſt, vel uno verbo, ſolari me, ſicut te identidem ſolatus eſt.

Sed quorſum avocavit me dolor meus cœli gaudia referentem? Nonne tecum lætari æquius eſt, & divitias cordis tui alacrius recenſere: Quid enim lætius, quam internam pulchritudinem tuam, quæ lætificat civitatem Dei, explorare; & eruptiones malorum punicorum paradiſi tui attentius intueri. H Certè dicam ſincerius, quam Balaam, cujus obturatus erat oculus: quam pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Iſrael; ut valles nemoroſæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quæ fixit Dominus, quaſi cedri prope aquas: Mihi enim nimis operoſum eſt virtutum eximiarum, quibus clares, cel-

Scrip.An. circ.1607.

celſitudinem, pulchritudinemque mirari quam exprimere. Stupor circundedit me ſuper magnitudine tanti decoris, quem adamavit Dominus: & ſuper paſcuis uberrimis, in quæ amicos ſuos deducit: quemadmodum deduxit olim ſicut ovem Joſeph.

Miror campos, qui repleti ſunt ubertate, & pinguiſſima ſpecioſa deſerti; & viroris A æterni lætitia capit me. At vero ne omnino ſileam, quod intereſt evulgare, ô electiſſima Virgo, cujus omnis gloria ab intus eſt; licet ſis circumamicta varietatibus vel ex uno capite, videor mihi ex parte poſſe perpendere auream texturam virtutum perfectiſſimarum, quibus ornavit te Sponſus tuus; qui te adhuc exulantem cocco bis tincto, & retorta byſſo veſtiebat: non ſicut filias Tyri quæ purpura gloriantur; ſed ſicut filiam dulciſſimæ Hieruſalem, cujus Rex rubrum induit veſtimentum. Caput autem illud unum, quod attonitus cœlo proximum ſuſpicio, eſt votum quod filias Sion in altiſſimam rapit admirationem: votum inquam, quod clariſſimo lumini oculorum tuorum, & pluſquam ſuaviſſimo Sponſo, & amico tuo nuncupaſti, præ- B ſtandi quicquid inter multa grata, quæ paſ- Votum. ſim occurrebant, noſſes illi gratius eſſe. Profecto quantum capio, quantum ſapio, à ſeculo non eſt auditum tam ingenuum, tam cœleſte, tam divinum amoris promiſſum, quod excogitavit ingenioſus amor tuus. Nam & inter Filios hujus ſæculi, qui in generatione ſua prudentiores filiis lucis ſunt, nemo uſque adeo inſanivit amando, ut tam arcto nexu ſemetipſum obligaret. Et tamen, qui amandi artem neſcio quam confixere, multa commenti ſunt mendacia ut amoris vim ad vivum exprimerent. At tu tenerrima atque fortiſſima Virgo, ſinceriſſimo divinæ pulchritudinis amore figmenta filiorum Adæ ſuperaſti; & Seraphico more, æternis flammis arſiſti. Hoc ſane palam evincit votum hoc. O votum ô cœleſte promiſſum, ô generoſiſ- C ſimum cor, tot catenis innexum, quot ſubibant cogitationes rerum, quæ dulciſſimo Deo videbantur fore gratiores! Quam heroicas oportebat eſſe virtutes tuas, ô Virgo ſplendidiſſima, quibus inſtructa fuit candidiſſima anima tua quæ te agilem expeditamque redderent ad divinæ voluntatis amplexum, quoties opus eſſet, aliquid acceptius Sponſo tuo, viriliter obire. O Virgo invictiſſima, quam magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis ejus?

O dilectio, pro qua Sponſus dedit omnem ſubſtantiam domus ſuæ. Certè dilectio hæc non eſt audita in Chanaan, neque viſa eſt in Theman, ſed in generoſo valdè corde tuo, ô formoſiſſima Virgo, quod innumerabilibus D amoris motibus in omnibus quærebat requiem ſuam, hoc eſt, dulciſſimum cor Sponſi tui; & in noctis præſertim ſilentio capiebat ſomnum interciſum ob Sponſi ſollicitudinem, quem ex voto requirebat. O votum! ô incendium ſempiternum! Quis dabit aquarum rivos oculis meis, ut fleam large in holocauſto voti hujus: & incendii, quod produxit amor? Si feceris me conſortem cordis tui audentis talia, & promittentis, ô amantiſſima Virgo, reddam tibi cor meum cum uſuris, ut conſumas illud igne amoris tui.

Sed dum hoc attonitus meditor ſuccurrit mihi libertatis tuæ recordatio: quam reticeri non pateretur jucundiſſimus Sponſus animæ tuæ. Donavit quippe te omnipotens ille E amicus tuus quadam cordis libertate, qua omnes orbis Principatus eſſes facilè contempturа, & optimates mundi domitura: ut quot vinculis te obſtrinxiſti tam grandi promiſſo, tot gradibus divinæ libertatis potireris: & nullo pondere negotiorum, quibus premitur mundus, premereris. Hinc ſuſpicor, ô potentiſſima, pollicebaris quæ nondum habebas: & ad præſtitutum diem promittebas, te debita quantumvis magna ſoluturam: quaſi ſpiritu Beniamin afflata fuiſſes, & mane comederes prædam, veſpereque divideres ſpolia. Certè ſi præda cordis tui erat dives valdè inter omnes Orientales Sponſus tuus; cui tributa reddunt Reges univerſæ terræ; amicitiæ jure facta conſors divitiarum ejus, fidentiſſimè poteras di- F videre ſpolia domus ſuæ. Hinc etiam ſuſpicor extitiſſe libertatem agendi cum viris doctrina clariſſimis, malè de te opinantibus; antequam perſpectam haberent, ô prudentiſſima Virgo, vim ejus, quæ ab intus eſt formæ tuæ. Conveniebas enim illos, & tam cœleſti eloquentia, & lepore hauſto è labiis Sponſi tui aggrediebaris illos, ac exponebas æternam pulchritudinem animæ tuæ, Libani gloria, decore Carmeli, ac Saronis ornatæ: ut incredibili ſuavitate primo congreſſu caperes illos: & jam non modò tui propugnatores fierent, ſed & quaſi mancipia decoris tui ſervirent tibi. Veniebant ad te curvi, qui humiliaverant te; & adorabant veſtigia pedum tuorum omnes, qui de- G trahebant tibi: & vocabant te Civitatem Domini, Sion Sancti Iſrael. O Sion cœleſti rore fœcundiſſima, cujus portas dilexit Dominus, quot animas cœpiſti facundia tua, & quot ſervos emptitios comparaſti tibi?

Sed quomodo ſum auſus altitudinem ſupernæ libertatis tuæ, qua cordibus dominabaris, Illuſtriſſima Virgo commendare, cùm dulciſſimus Deus deduxerit in lacum vitam meam, & poſuerit lapidem ſuper me. Hoſtes quippe mei facti videntur in capite, & inimici mei nimis locupletati; & gravi penſo laterum, & palearum ſervio ſervitutem Pharaonis. Hei mihi inter captivos ſuſpiranti, quando ô puriſſime candor cordis mei, apparebit mihi libertatis dies: aut certè nox, quæ ſit illuminatio mea in deliciis meis: nox inquam, quæ expoliavit Æ- H gyptios, & ditavit Hebræos. Si exoraveris pro me Sponſum tuum, quem dilexi: ut me donet libertate ſua: proferam ei panem, & vinum, ſicut fecit Sacerdos Dei altiſſimi Melchiſedech Rex antiquiſſimæ Salem, & laudis hoſtiam immolabo ei, appareboque coram illo non in ſanguine vitulorum, & hircorum, ac in cinere vitulæ aſper-

Scrip. An. circ. 1607.

aſperſo: ſed in ſacrificio teſtamenti ejus, quod produxit amor.

Veruntamen revertor ad te, ô excelſa turris Libani, quæ reſpicis contra Damaſcum, & rogo te, ſi placet, proferre de theſauro tuo nova, & vetera, & oſtendere mihi, quibus armis tot victorias conparaſti, & in palmam aſcendens collegiſti A fructus ejus? Quot annis, obſecro te, fideliſſima Virgo, ſecuta es Sponſum tuum in deſerto, in terra, quæ non ſeminatur? Certè vidiſti à longè requiem, quòd eſſet bona; & terram viventium, quòd optima: & ſicut Iſſachar ſuppoſuiſti humeros tuos ad portandum, factaque es tributis ſerviens. Quot tributa repulſarum, & ariditatis, morborum, perſecutionum, detractationum infamiæ, anxietatis internæ rependiſti? Quot incommoda peregrinationum ad propagationem ordinis tui pertuliſti? Quot incendia ſuſcitavit in te ſalutis noſtræ ſæviſſimus hoſtis? At omnia ſuperaſti, ô robuſtiſſima, & fortiſſimus Sponſus tuus pro te pugnans, & quaſi reſpiciens per columnam ignis ſuper caſtra Ægyptiorum, interfecit exercitum B eorum, & ſubvertit rotas curruum, & exercuit manum validam ſuper eos. Tu verò, ô glorioſiſſima Virgo, pro eo quod laboravit anima tua, videbis ſemen longævum & quia de fructu manuum tuarum plantaſti vineam, ſatiaberis ab ubertate domus Dei, qui amavit te. Fecit enim te artifex ille humaniſſimus, & dulciſſimus. Ille Salomon ferculum ſuum, & quia columnas argenteas, aureumque reclinatorium efficere cogitaverat: voluit aſcenſum eſſe purpureum, ut ei pulchrior appareres. Propter hoc tamdiu laboraſti aſcenſura de cubilibus leonum, & de montibus pardorum, & de multis meritis receptura coronam, & de virginitate candidam, & (ut exiſtimo) de doctrina viridem: quin & arcano quodam modo non C de tyranni vulnere, ſeu gladio, ſed de amoris martyrio, ſeu paſſione, purpuream. Propter hoc te videntes, ac ſtupentes filiæ Sion beatiſſimam prædicaverunt ſed, & Reginæ te laudarunt, mirantes, quo pacto aſcenderes de deſerto laborioſo delitiis tantorum meritorum affluens, innixa ſuper dilectum tuum. Propter hoc, o puriſſima Virgo, quæ neſciſti thorum in delicto, habebis fructum in reſpectione animarum ſanctarum, quas amantiſſimè reſpicit Dulciſſimus Deus animæ tuæ. Viciſti, & ſedebis ad menſam Sponſi tui: ſicut ille vicit, & ſedet cum Patre ſuo. Attamen, intereà dum ad te ſcribo, & ſuccurrit mihi imago excelſæ gloriæ tuæ: qua incedis coronata per plateam ex auro mundo, quod eſt ſimile vitro mundo, in urbe D ſuaviſſima Hieruſalem; & animadverto, me à pulchritudine tuæ civitatis extorrem; langueo in ſolitudine hac ubi non modo non invenio ſeptuaginta palmas, & duodecim fontes aquarum: ſicut invenit Iſrael caſtrametatus in deſerto: ſed nec modicum cœli rorem, qui ſicut à vellere Gedeonis hauriatur ab anima mea. Quamobrem mihi neceſſarium eſt, currere in ſiti, & pennis deſideriorum cœlos ipſos penetrare; ſi fortè deſcenderet in cor meum læto vultu optatiſſimus dilectus tuus, ſicut pluvia in vellus, aut certè ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Credo equidem, oriretur in corde meo juſtitia, & abundantia pacis, donec auferretur luna. Oro ergo te, miſericordiſſima Virgo, quæ miſericordias Domini E in æternum cantare decreviſti; ut leniter aſpicias me, ac legas ad te miſſos gemitus meos; preceriſque Sponſum tuum diſſipet gentes, quæ bella, volunt, & afferat ſerenitatem cordi meo. Liceat jam mihi de via longiſſima feſſo, collectis animæ viribus, cum illo agere in ſecreto cordis mei; & ab illo ne puncto quidem temporis cogitatione diverti. Doceat me attentiſſimè orare ſine voce, vel etiam cum voce, in cantu ſuave ſonantis Eccleſiæ: ſi fortè in hac interna peritia diſcam requirere modos muſicos ipſius auribus jucundè ſonituros. Fateor equidem habere me labia, ſed arentia, quibus malè verba formantur, pelli enim meæ, conſumptis carnibus, adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodo F labia circa dentes meos; ut ſi minus laborare, loqui ſaltem poſſim, niſi præ roris defectu exareſcam. Propterea rorem poſco, o dulciſſima Mater mea, ut interna, externaque verba facere valeam cum formoſiſſimo Sponſo tuo. Hæc ſit ſapientia mea. Hæc pars magna hæreditatis meæ. Hic eſto victus; & portio mea, cum filiis Levi, qui terrena ſorte privati, grandi patrimonio ditati ſunt: altiſſimus quippe Deus hæreditas eorum eſt. Nunc verò, dum ſpero bonum, expectoque reſponſum à benigniſſima anima tua, quæ vivit in cœleſti Curia, poſtquam reliquit in terra virgineam carnem, quæ adhuc non vidit corruptionem comitabor te multis deſideriis, quæ feruntur ad eximium decorem tuum; & ſuſpirabo G ad te o clementiſſima Virgo, factus reſponſi exactor importunus. Tu verò vive fœlix, o gratioſiſſima Virgo: vive fœlix, ac tene, quem tamdiu deſideraſti: cujus amore toties defeciſti. Lætare honeſtiſſima, & altiſſima Virgo infinitæ pulchritudinis Oceano immerſa, & ſempiterno complexu Sponſo tui cordis adhæſura. Pande dulciſſimo ſplendori animæ tuæ intimos viſcerum tuorum ſinus: & attrahe calorem infinitum amoris ſui. Adſtringe pectori tuo decorem immenſum; cujus fonte potatur Hieruſalem mater tua. Liqueſce in fornace dilectionis æternæ; quæ facit animas, velut ignem urentem in incendio charitatis ſuæ: Extende manum tuam in arbore jam non vetitam ſcientiæ Dei vitaliſſimæ vitæ tuæ. H Spaciare amabiliſſima Virgo, per amœniſſimum paradiſum delitiarum Dei, quem requiſivit anima tua. Erumpe, & clama in torrente voluptatis, quo abſorpſit te dilectus tuus. Clareſce in ſplendoribus Sanctorum, à quibus reſplendet formoſa facies tua. Jubila innumerabilibus motibus lætitiæ, Scrip. An. circ. 1607. in impetu fluminis; quo te perfundit Amicus tuus. Suſpendere ſuſpendio dilectionis; quod elegit anima tua. O ſuſpendium, o quies, o tranquillitas Hieruſalem; quando requieſcam in te!

Recordare fœliciſſima Virgo filii parum fœlicis, cujus hæreditas verſa eſt ad alienos; qui aquam pecunia bibit, & ligna ſua A pretio cogitur comparare. Et tamen abſit à me, ut Ægypto dem manum, & Aſſyriis, ut pane ſaturer; tametſi pellis mea, quaſi clibanus exuſta ſit à facie tempeſtatum famis. Laborabo clamans, & ſicut Jacob, æſtu urar per diem, & gelu per noctem; & ſomnus recedet ab oculis meis: ut detur aliquando frui conſortio tuo, & intemeratiſſima pulchritudine tua. Vagabor per ſolitudines, & hominum conſortia fugere ſtudebo; ne fortè diſtrahar à ſtudio formæ tuæ, cujus deſiderio capta eſt anima mea. Anima inquam mea, quæ tecum converſabitur, memor gratiæ tuæ in ſtratu meo; ſi fortè quaſi magnes trahes illam, & condas tecum in foraminibus petræ, ac in optabiliſſima, B & voluptate refertiſſima caverna maceriæ, ut ibi vivat Sponſo tuo. Quem, oro te, Filia Sion tota formoſa & ſuavis, admoneas de infirmitate mea, & ſalutes nomine meo cupidiſſimo gratiæ ſuæ. Dic obſecro illi, recordetur ſe magnum Sacerdotem Patri ſuo ſacrificaſſe pro me; non more aliorum Sacerdotum, qui habent neceſſitatem quotidiè offerre prò ſuis delictis, deinde pro populi. Hoc enim fecit ille ſemel ſe offerendo, & una oblatione pretioſiſſima conſummavit in ſempiternum ſanctificatos. Quapropter, ora illum, factis jam ſumptibus, conſummet, atque conſumat me; quandoquidem ſine jactura ſuarum divitiarum poteſt propitiari mihi. Immò) ſi licet ita loqui) erit ille ditior; quia tot bona lucrabi- C tur, quot dona erogaverit cordi meo ad eum ſine requie ſuſpiranti, ac illi adhærere ſatagenti, demumque à cuſtodia matutina uſque ad noctem in eo firmiter ſperanti.

Sic inter deſideria ceſſo, & poſito calamo, multis motibus feror ad te, ſpecioſiſſima Virgo, & dulciſſima Mater mea; cui ſollicitudine multa cor meum ſatagit adhærere propter magnitudinem cordis tui, & illuſtriſſimum ſplendorem animæ tuæ, quæ exhilarat Civitatem Dei. Feſtina reſpondere, o expectatiſſimum refugium, & fidiſſima tutela mea, cujus paſtu enutriri cupiunt præcordia mea. Feſtina reſpondere. Ne deſeras domeſticos, quæ ſolaris externos. Quòd ſi differre placet, o deſiderariſſima lætitia, & tranquillitas dulciſſima cordis mei; veni ſaltem celerrimè hora obitus mei, & por- D rectis brachiis, ſuſcipe quam efflabo animam; & tecum fœderatam offer humaniſſimo Sponſo cordis tui, cujus præſentiam affectat ipſa anima mea.

* * *

UNIVERSAE

CIVITATI DEI,

QUAE REGNAT IN COELIS, E

Exul quidam S.

EPISTOLA OCTAVA.

Epiſtola hæc nihil aliud eſt, quàm multiplex meditatio cœleſtis patriæ, & aſpiratio ad fœlicitatem.

OPtatiſſima mihi Civitas Dei, dulciſſima Sion, cujus portas dilexit Dominus pluſquam tabernacula Jacob, è mediis Eccleſiæ militantis, & pacem tuam bello quærentis caſtris, ubi milito, donec veniat immutatio mea, ſupplices literas in Senatu, populoque lectiſſimo tuo pubblicè legendas per celerrimos votorum meorum curſores mitto. F

Cupio enim, ô ſereniſſima regio vivorum, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, tui conſors eſſe, ac inter multos candidatos pro decore tuo in terribili caſtrorum acie dimicare: ſi fortè detur poſt agones frui te, licèt cùm in ſordibus jaceam, videar majora cogitare quàm merear.

At cum perſonarum acceptrix non ſis, ô ſuaviſſima Hieruſalem, quæ non excludis alienigenas, Tyrum, & populum Aethiopum, mea intereſt, vilitate propria non deiici, ſed nobilitatem tuam pretio quamtumvis magno comparare.

Deſcendi ut ſervus in Aegyptum, ut colonus eſſem ibi, & Aſſur calumniatus eſt me, ac duriſſima afflixit ſervitute, ut ad libertatem ferventiùs aſpirarem. G

Nunc verò, ô pulcherrima ſtructura Dei, & feraciſſima promiſſionis terra, cujus deſiderio tenetur anima mea, quia jugum ſervitutis excutere, & ad te cum electorum agminibus aſcendere conor, infeſtos patior reges Amorrhæos.

Circumeo terram Edom, qui odit me. Robuſti quoque Moab importuna conſtituunt mihi prælia: monteſque aſperrimos, & lacunoſas valles armatus cogor obire: ſed ſpes alit fatigatum, quàm velut anchoram cordis tutam, ac firmam mecum gero: donec ſtatuar ſuper excelſam terram: quæ fundit rivos lactis, atque mellis è dulciſſimo corde Dei.

Utinam ſicut Nephtali fiam cervus emiſſus, velociſſimè petens fontem vivum, qui H ſolus explere valet ſitim meam, in qua curro, atque cucurri. Scio enim è Libano formoſiſſimi Filii Dei aquam viventem cum impetu decurrere, ac interfluere hortos penſiles vere ſempiterno virentes in urbe florentiſſima Hieruſalem.

Amœnitas hæc tua, ô viretum voluptatis Dei, trahit me tanquam onagrum liberum,

Scrip. An. circ. 1607.

& vincula detrectantem; qui ſortitus in ſolitudine domum, & tabernacula in terra ſalſuginis, circumſpexit montes paſcuæ ſuæ, ac virentia quæque perquirit.

Sed, ô gens illuſtriſſima, & hæreditas ditiſſimi amoris Dei, cor meum avidum ſocietatis tuæ validiſſimè oppugnatur ab hoſtibus obſtinatis meis. Pro iniquitate mea video A inimica mihi tentoria Æthiopiæ, & iraſcentes, ac turbatas pelles Madiam, quæ pertinaciter oderunt ſalutem meam, & multis ſæculis expectatam inſtaurationem tuam.

Verùm, ô Eccleſia magna, & popule gravis altiſſimi Dei, adeone deſpicabilis es, ut pro te pugnare non debeam? Certè dignitas, & gloria tua tanta eſt, ut pro modica illius parte cum regibus Chananæis, qui habitant ad occidentalem plagam, animosè debeam concertare.

Glorioſa quippe dicta ſunt de te Civitas Dei, & jam fœlix juſtorum congregatio; quæ degeneres animos arguunt, & generoſos inflammant. Si enim dum exulamus à tè, o dulcis valdè patria noſtra, deformis hæc mundi noſtri figura virorum etiam B fortium corda ſollicitat, quid par eſt, ſuaviſſima tua efficiat pulchritudo? Incedis per plateam auro mundo conſtratam, pulchris greſſibus, ſtatura celſa, velut filia Principis, forma elegans, dilectionis motu decora, mira cœleſtium ornamentorum varietate circundata. Candore lucis æternæ luces, o pars nobiliſſima, & pretioſiſſima præda Dei, qui fabricatus eſt auroram, & ſolem, & luce ſua veſtit te: cujus ope tibi præſentiſſima ſubnixa, ſplendoribus irradiata permanebis cum ſole, & ultra lunam in generatione, & generationem.

Jam hyems tranſiit, & receſſit, & amantiſſimus Sponſus cordis tui abſterſit omnem lachrymam ab oculis tuis: gaude nunc, & amoris æterni motibus, & ardoribus exulta; C vives enim ſine fine: Citò labor evanuit, ô fortiſſima cohors Dei viventis, citò fletus abſceſſit: at requies tranquilliſſima, & immenſa Dei voluptas, qua perfrueris, nunquam interibit, quia dilexit te, qui regnabit in æternum, & ultrà.

O quàm fœlix es domus Dei, quæ dilectionis paſtu nutriris, quæ candidiſſima exultas in gloria, & lætaris in cubilibus tuis.

O lectule dulciſſimi Salomonis odoratiſſimis floribus ſparſe, & ad puriſſimas delicias comparate; quis mihi det cor in te feſſum recreare? Bonum mihi mori pro te, ac in agminibus purpuratis recenſeri, in iis inquam, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine agni, qui occiſus eſt ab origine mundi: Quis enim D non ſpernat mundi mortalem vitam, & aura vitali tua, ô cœli ſerenitas, ſine morte vivat? ut ex arbore vitæ vitaliſſimæ fructus quàm ſuaviſſimos carpat? ut ſatietur ab ubertate tua? ut bibat de torrente voluptatis tuæ?

Quàm pulchra tabernacula tua Sion, Civitas Dei ſummi: quàm delitioſi thalami amoris tui? ô prudentia mercatorum, o fortitudo militum, qui emiſtis & pugnaſtis, ac pro momentaneo agone æternæ gloriæ pondus comparaſtis in cœlis! O merces magna nimis!

Hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. Certè habitavi cum habitantibus cedar, quorum tentoria imbribus, ac ſolis ardore peruſta, crudulitati, ac prædis vacant, E ut ſit vera poſteritas Iſmaelis.

Audivi famam filiorum Iſaac, qui æſtimantur in ſemen, & tabeſco: timeo enim exhæredari, quaſi ſervitutis reus: quippe non erit hæres Filius ancillæ cum Filio liberæ, quæ gaudet prærogativa libertatis Dei.

O libertas regis pacifici, corda triumphantium moderantis, & ad penetralia dilectionis introducentis, non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo: ſed lætabuntur in te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, cùm dividunt ſpolia.

Reſponde mihi, obſecro te, ô Eccleſia primogenitorum, ubi nunc eſt labor ille, quem currente mundi rota tuliſti? Quomodo ceſſavit exactor, quievit tributum? Ubi F ſunt, qui perſequebantur te, qui non dignabantur te componere cum canibus gregis ſui?

Pro brevi nubilo puriſſima cœli facies tibi orta eſt ævo ſempiterno permanſura. Incoluiſti domos luteas, & in cavernis terræ latuiſti: nunc autem conſtrueris in cœlis vivis ex lapidibus, & portis è ſapphiro, & ſmaragdo compactis, ac cælatis exornaris, & immortali fama ultra orbis metas pennis columbæ deargentatæ volas.

O labor certè fœcundiſſimus, ô mellitiſſima ſolatia Dei, o gens electiſſima cordis mei. Ergone fieri poteſt, ut ſub onere vitæ morientis hujus tranſeam per ignem & aquam, & educar in refrigerium? In refrigerium inquam illud, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis G aſcendit.

Utinam, urbs beatiſſima Hieruſalem, rectè dicta pacis viſio, fiam velut Iſſachar, aſinus fortis accubans inter terminos, & pro dulcore tuo ſupponam humeros ad portandum, & fiam tributis ſerviens. Etſi enim per tempus fleam, dum ſpargo ſemina mea; in convertendo tamen dominus captivitatem Sion fiam conſolatus, ſicut ſomnians præ lætitiæ magnitudine.

Certè inimica tibi prudentia filiorum Adam, qui ædificant Babylonem, deberet urgere me, ut tantùm ſaltem pro te laborarem, quantùm illi pro confuſionis turre laborant.

Tradiderunt oblivioni te, quaſi amore parum digna fores: & pretium quod pro te H offerunt, quando tui recordantur, vix eſt unius panis.

Quis enim, o cœleſtis pulchritudo populi reformati, & configurati ad exemplar claritatis Dei, pro te abit, & feſtinanter vendit univerſa, quæ habet, & emit fœlicitatem agri pleni tui? Quis animosè Filia Dei

Scrip. An. circ. 1607.

compatitur, ut conglorificetur, & centuplum cum exultatione recipiat?

Quis fortiter tentari fert, ut faciat cum tentatione proventum?

Utinam diſceret Iſrael, ubi ſit prudentia, ubi longiturnitas vitæ, ubi lumen oculorum & pax. Si enim, o civitas opulentiſſima, & holocauſtis medullatis plena, oculis car-
A neis appareret pars aliqua ubertatis tuæ: ſive dulciſſima concordia, ſive ſublimiſſima ſapientia, ſive abſolutiſſima pulchritudo, ſive amabiliſſima gratia tua, inſana certè hominum corda ſtillicidiis tuis curata ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent. Inciperent illis dulceſcere tormenta, & ad labores duros avidiſſimè feſtinarent; Avarum ſcilicet cor hominis eſt, & lucro vehementer adhæreſcit. Si te guſtat, o decor immenſe domus Dei, & videt, quia bona eſt negotiatio ejus, non die ſolum laborabit, ſed nec extinguetur in nocte lucerna ejus. Quis enim formam tuam elegantiſſimam lucrari non queat?

Propter hoc expavit cor meum, & diſſoluta ſunt genua mea; video enim filios homi-
B num, curſores leves, explicantes vias ſuas; ut attrahant ventum vaniſſimi amoris ſui grandi pretio interitum æternum comparantes, & te ô Sponſa Dei, vitæque immortalis amica, ne mediocri auſteritate parare volentes. Quid eſt hoc, ô ſuavis valdè Hieruſalem ſplendoribus æternis coronata, & ad veſtibulum divinitatis evecta?

Nonne melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia? Itane dulciſſimos & ſtrictiſſimos amplexus, & ſubtiliſſimos illapſus formoſiſſimi Dei, quem cupit anima mea, mundus vilipendit, ut operibus ſaltem neget ſe pro bono tam immenſo ſumptus magnos facere velle?

Certè non placet mihi conſilium hoc, aut Ægyptum deſerere recuſantium, aut in Ægy-
C ptum revertentium. Meliùs eſt, ô amœniſſima regio viventium, cum immanibus Filiis Enac pro te pugnare; quàm in ſervitute palearum, & laterum ſub tyrannide Pharaonis interire; nec putare ſatis, quemcunque laboris modum pro dulciſſima requie tua tollerare.

Contemplor agmina excelſiſſimi Dei redimita coronis vel de virginitate candidis, vel de doctrina viridibus vel de paſſione purpureis, & admiror fortitudinem ex utroque ſexu coronatam, & æterno triumpho gloriantem, ac pro nihilo ducentem diſcrimina vetera, quæ tranſierunt. Contemplor hæc, o invictiſſima caſtra Dei, miror & obſtupeſco.

Quapropter oro te, civitas inexpugnabilis, & victricium legionum laudatiſſima multitudo; liceat mihi tecum de præliis tuis
D agere, ac in clariſſimas victorias tuas cogitando ſaltem introire.

Rogo vos puellæ, formoſiſſimæ Reginæ cœlitum obſequio addictæ, dulciſſimæ; ac tenerrimæ virgines, omnem ornatum ſeculi aſpernatæ, nuptias, opulentiam, illecebras execratæ, quæ ætatis florem, ac decorem incomparabilem ſuaviſſimo Jeſu Chriſto Sponſo veſtro dedicaſtis, quæ cœleſtes nuptias exquiſiiſtis; ergone fieri potuit, ut ſexum domaretis, ut pro mundi blandimentis inediam & vigilias, pro muliebri cultu cilicinas veſtes, pro ſermonis affectatione ſtudium perenniter Deum orandi elegeritis? Quomodo nobilitas, pulchritudo, divitiæ non vicerunt corda veſtra?

E An non poteratis mitiorem vitæ rationem inire, nec tam ſeverè cuſtodire vias duras? Nemo enim unquam carnem ſuam odio habet, ſed magis nutrit, ac fovet eam, ô virgines prudentiſſimæ, in Jeroſolymorum Regis thalamum admiſſæ, quam ſapienter egiſtis. Infantia quidem computabatur in annis ſed erat mentis ſenectus immenſa. O ſapientia, quanto fuit utilius decorem carneum deformare, ac immortalem pulchritudinem acquirere; o adoleſcentulæ ſpecioſiſſimæ quam legitime certaſtis, quid dicam vobis? eſtis nive candidiores, & ſanguis Sponſi ornavit genas veſtras, formoſiores cœlo vultus veſtros deprecabuntur omnes divites plebis.

Et tu, o liberaliſſima juventus, quæ ſpem mundi fefelliſti, & in clauſtris ſuave Chriſti
F jugum ferre properaſti, quid mihi reſpondebis? Num fieri potuit, ut pueritia ſuper ſenes intelligeret, niſi quia ſenectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata, ſed cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata? Quare vos renitens mundus inhorruit, niſi quia illum ſterili valdè flore marcentem ſpreviſtis? Quomodo tenella membra diſtrictiorem diſciplinam membrorum legi adverſantem ſuſtinuerunt? O filii Sion inclyti, & amicti auro primo, decori forma, & cœleſti eruditi ſapientia, quomodo auſi eſtis Nabuchodonoſor epulas reſpuere, & Medorum, atque Perſarum decreta contemnere? Siccine pulchritudo caſtitatis, & cœleſte deſiderium tenuit vos? Quis concluſit oſtiis mare, quan-
G do erumpebat quaſi de vulva procedens? Quam feliciter vobiſcum actum eſt, o candidiſſima lilia, quibus datum eſt ætatis florem immortalitati conſecrare? Quanto felicius vobis fuit, lacte loti agnorum greges, dulciſſimum decorem veſtrum, quem filiæ Madian appetiverunt, illæſum inferre cœlo, quam voluptatibus carnis in terra conſumi? lætamini ergo mundi contemptores, & buccinate in Neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ; ludite in organis carminum Domini, quæ fecit Rex David ad laudandum Dominum, quoniam bonus, quoniam in æternum ſuaviſſima miſericordia ejus.

Jungite fœdera cum formoſiſſimis virginibus, præſide virginis Filio, qui facit concordiam in ſublimibus ſuis, & per auguſtiſ-
H ſima Dei palatia choreas ducentes caſtis vocibus perſonate.

Contendiſtis intrare per anguſtam portam & arctam vitæ viam confeciſtis; dilatamini nunc cordibus amore diſtentis, & latiſſimos vitæ campos perluſtrate. Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua, & per juſtitiæ viam feſtinarit.

Scrip. An. circ. 1607.

Vos autem, ô patres verè conſcripti, qui vitæ ſenatum laureati poſſidetis, qui verba vitæ dulciſſima ſeminaſtis, & immenſis laboribus ad juſtitiam multos erudiſtis, qui tanquam ſydera clariſſima ſplendetis, dicite, quæſo; Pœnitetne vos laboris exhauſti, quo die, noctuque in veſtra peritia requiſiſtis modos muſicos, & narraſtis carmina ſcriptu-
A rarum? Quantis laboribus & vigiliis aſtitiſtis ad poſtes oſtii ſapientiæ, ut ſciretis legem vitæ, & diſciplinæ? Quam perennibus lachrymis Hieruſalem vaſtitatem lamentati eſtis? Quoties ſole per diem, lunaque per noctem, æſtu, & gelu uſti fuiſtis, ut converteretis cor patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum? Quoties prava mutaſtis in directa, & aſpera in vias planas? Quoties, o vigiles civitatis Dei, enſe ſuper femur accincti, cuſtodiſtis lectulum Salomonis propter timores nocturnos? O quam ſæpè caſtigaſtis corpora veſtra, & in ſervitutem redegiſtis, ne fortè cum prædicaſſetis aliis, ipſi reprobi efficeremini.

Jam labores manuum veſtrarum manducatis: & pro eo quod laboravit anima ve-
B ſtra, videbit ſemen longævum gloria, & honore multo coronatum.

Verùm, ô vos martyres invictiſſimi, & fideliſſimi præcones Regis Hieruſalem, quibus ceſſit lacerans fortiter ungula, & tyrannorum feritas ſuccubuit, dicite rogo; videturne vobis acerba paſſio, quam tuliſtis? An recordamini equulei, rotarum, enſium, cæterorumque ſuppliciorum, quæ mundum terruerunt? Cur tenera, & decora membra feris lanianda objeciſtis, cùm poſſetis vel ſine culpa vos non prodere, vel certè etiam occultare? Adeone vos cæpit amor fœlicitatis, qua gaudetis, ut moram ferre non valentes, per ignem, ac ferrum ad ſupernæ civitatis bravium curreretis? Miror valdè, o nobiliſſimi victores, & prætoria cohors
C imperatoris illius, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, miror admodum generoſiſſima corda cruciatibus obvia, & paſſiones non condignas ad futuram gloriam vobis revelatam contemnentia. Tunc ſane, o caſtra Dei, & magnanimi mortis triumphatores pœna levis viſa eſt ad lumen lucernæ, quæ lucebat in caliginoſo loco: Quid ergo nunc, poſtquam dies illuxit, & ſplendidiſſimus lucifer vobis ortus eſt, dum revelata facie gloriam Dei contemplantes voluptatibus divinis abſorbemini? O cordis firmamentum! o fructus pretioſiſſime Filii Dei! Quid dicam vobis Regis purpura veſtitis? Aut quid mihi reſpondebitis præclariſſimi certatores, niſi exiguo vos pretio æterna ſolatia comparaſſe?

D O ſolatia ſempiterna, quàm fuit levis pugna quàm brevis agon, agite nunc feſtivos dies ritu perpetuo, victores ſtrenuiſſimi, non enim tanget ultra vos tormentum mortis, quia ſuper occaſum aſcendiſtis.

Ad quid ego Virginum, Doctorum, Martyrumque choros in Sulamite recenſui, cùm ne minimam illorum aureolam dicendo poſſim æquare? Ignoſce mihi glorioſiſſima civitas dulciſſimi Dei: quem requiro, & fac tui copiam ſitienti te.

Utinam liceret mihi audire concentum ſuavitatis tuæ, quæ ſopiret me, ac ſuſpenderet ardentiſſimo deſiderio fruendi te: ut dum cor ſuſpiraret tibi, vileſcerent mundi bona, quæ lacerant præcordia mea. O cœ-
E leſtis decor, o juſtorum concilium, trahe me. Cupio certè diſſolvi, & tecum eſſe, ac dilectionis aura recreari.

Beati certè, qui ad cœnam Agni vocati ſunt, qui lautiſſimo convivio lætabuntur in te, o cariſſima Hjeruſalem, & veſcentur voluptuosè in medio tui. Quouſque torques animam meam exulantem à te; & ad te reverti cupientem?

Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei, qui exhilarat te, ac nutrit paſtu cordis ſui? Quid faciam, cùm non poſſim requieſcere in terra aliena, ubi cum ſcorpionibus habito, & pungor aculeis venenatis?

Miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, filii matris meæ, quæ ſurſum eſt; mittite languenti ſalutaria, & læta conſilia, ſicut
F ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Jam ſaturati ſine faſtidio eſtis, jam divites facti eſtis; quapropter liceat mihi, o delitioſiſſima viventium habitatio, dum peregrinor, vivere de ſuaviſſimo ſpiritu veſtro, de reliquiis ſaltem, quæ cadunt de cœna magna, veſtra.

O cœna magna, o dilectionis pocula, o corda nobiliſſima in æterni amoris fœdus conſpirantia, ſuſpendite me deſiderio conſuetudinis veſtræ, quam dilexi.

Suſpirabo in ſolitudine mea ad uberrima paſcua tua, o tranquilliſſima regio, & pro dulciſſimis ligni vitæ fructibus inter extorres laborabo.

Recedite à me mendaces filii hominum, qui cor meum ſubvertere conamini, & ab
G ingreſſu terræ viventium retardare. Quid mihi cum Aſſyriis, & Chaldæis, qui theſaurum meum deprædantur?

Te, te, o pulcherrima Sion, & lux puriſſima cordis mei, te requies optatiſſima, & immortalis amœnitas vitæ meæ, te jucundiſſime decor domus Dei, te civitas illuſtriſſima viventium, die nocteque requiram. Contemplabor amabiliſſimam pulchritudinem tuam, & deſiderabo te, ob immenſam gratiam tuam, & ſtimulos acerrimos amoris tui.

Lege, obteſtor te, ſuſpiria mea, quæ feruntur ad te, ſubſcripta nomine meo, & obſignata cupidiſſimo formæ tuæ cordi meo. Vale.

H LAUS DEO, AC D. N. JESU CHRISTO, AC BEATISSIMÆ VIRGINI MARIÆ.

⁂

Scrip. An. circ. 1607.

ALIAE,

Ex Italico idiomate a P. Paullo ab omnibus Sanctis in Latinum A verſæ, ut ſupra præmonuimus.

SERENISSIMAE
SUPERNAE HIERUSALEM
REGINAE CAELOS ASCENDENTI,

Quidam ejus Servus S.

EPISTOLA NONA.

SEreniſſima civitatis Dei Regina, cum ad te ſcribere meditor, & recolo mecum gloriam aſſumptionis tuæ, deſideratæ nimis ab Unigenito viſcerum tuorum, & iis omnibus, qui in libro vitæ B ſcripti ſunt, jamque ſummum ac æternum bonum ſecuri poſſident, procul omni metu illud aliquando perdendi; duplex motus bifariam diſtrahit me, & affectus duos mutuo oppoſitos in animo meo ſuſcitat. Unum lætitiæ de tua Aſſumptione; alterum mœroris ob abitum tuum; per quem orbatur terra noſtra ſingulari valde refrigerio præſentiæ tuæ, amabilioris quidem, quam omnia amabilia hujus exilii, ſed, & ſuavioris omnibus ſuavitatibus, quibus ſolicitantur, trahunturque paſſim corda filiorum Adam, procul exulantium à paradiſo deliciarum Dei.

Cæterùm, obſequutus prædominanti huic affectui, auſpicabor epiſtolam meam ab eo ſenſu, quo abſentiam tuam ad ejus modum C expendo, qui orbatur optima, ac tenerrima matre ſua, jam ſolvente in exteras, & fertiliſſimas regiones ab ora ſterili, in qua filius ipſe remanet, afflictus ab hæreditate Evæ, matris miſeriarum, & dolorum ſuorum. Jure ſanè meritiſſimo, quæ in terris militat Eccleſia, lectiſſima Sponſa Filii tui, primas glorioſi tranſitus tui Veſperas ab his verbis orditur: *Virgo prudentiſſima, quo progrederis, quaſi aurora valde rutilans? Filia Sion tota formoſa, & ſuavis es, pulchra ut luna, electa ut ſol.* Tamquam diceret: Quid ſibi vult, o Regina ſuaviſſima, iſthæc tua profectio, quæ iſta ſeceſſio eſt, & qui potero ego ferre hanc ſeparationem, ipſa etiam morte graviorem?

Viator, qui forte per iter comitem offendit, ejuſdemque conſuetudine hilariter, D una ſaltem hora perfruitur, ubi animadvertit illum aliorſum flectere, ſeque ita privari eo ſolatio, quod itineris difficultatem magna ex parte elevabat; nequit abſque lachrymis intueri recedentem à ſe: ſed tanquam corporis, animique viribus deficeretur, ſiſtit gradum, & corditus propter eum ſuſpirat, quem tamen non uſquequaque agnoſcit. Et qui igitur potero ego non ſentire eam tui à me ſejunctionem, o amantiſſima Mater, & fideliſſima Socia, cujus converſatio non habet amaritudinem, imò plena eſt ineffabilis ſuavitatis, paritque caſtiſſimas delicias in cordibus eorum, qui illa fruuntùr.

E O Pulcherrima Regina Sion, o lux puriſſima, lucens in nocte vallis hujus obſcuræ ab eclipſi, quam peccatum induxit, in cujus unquam mentem venire poſſit tui à ſe receſſus, nec experiatur extremam ſolitudinem, ac veluti vaſtitatem in anima ſua? Certè quo tempore tu, o Clementiſſima, habitaſti in terra noſtra, habuit hæc mortis regio, ſummæ conſolationis anſam, firmum adverſus hoſtiles impetus propugnaculum, & in iram indignantis Dei tutelam longè ſolidiſſimam. Semper enim benignè fixi fuere in te oculi Altiſſimi, cujus etiam cor theſaurizavit in te remedium noſtrum, per æternum decretum ſacræ incarnationis, quo ſanxit imprimis, ut Verbum æternum in te, & ex te corpus aſſumeret, ac ita per te F divitias miſerationum ſuarum in nos miſeros derivaret. Attento igitur tam immenſo bono, quo olim te præſente potiebatur terra noſtra, quomodo non eliquaretur in lachrymas, cum te videt recedentem à ſe?

O Virgo nive candidior, ſplendidior ſole, & deſiderabilis ſuper omnia pretioſa mundi, non eſt reſiſtere ſenſui acutiſſimo diſceſſus tui, quin omnino neceſſe eſt affectum ipſum currere poſt te, ſeſeque permittere ſuavi violentiæ, quâ trahitur ad te aſcendentem ad thronum gloriæ, quaſi virgulam fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, incenſis igne, ſymbolo vero charitatis tuæ.

Cuncta corda, quæ vehementer tui deſiderio exæſtuant, quaſi medio aere ſuſpenſa, te ſuſpiciunt, enituntur que tecum G aſcendere, o ſublimis Domina, & gratioſa valde Sponſa Altiſſimi: at ubi jam intentæ eorum aciei ſubduceris, relabitur in terram infima mortalitis, depreſſa ponderibus Adam tumque omnia circumſpiciendo quærunt, ſi fortè reperiant quidquam acceptabile ſibi, ſed non inveniunt: qui enim vel ſemel oculos ſuos advertit in te, o terſiſsimum ſpeculum caſtarum animarum, omnia præ te contemnit, ac deſpicit.

Horti amœni, campi floridi, & virore quaſi ſmaragdo veſtiti, baſilicæ raro artificum ingenio conſtructæ, elaboratæ induſtria, auro vel argento cælatæ, fontes flumina, ſylvæ, nemora & quidquid aliud eſt, quo filii hujus ſæculi capi ſolent, dulces converſationes, epulæ, muſicæ, amici, parentelæ, & cætera hujuſmodi ſuapte indole H illicientia, & delectantia videntur ei prorſus abominabilia, quiſquis aliquando te intuitus eſt, o Sereniſsima Maria.

Profectò ſimilis facta es Unigenito tuo. Proinde, ſicut Apoſtolus omnia arbitratus eſt detrimenta, & ſtercora viliſsima, propter eminentem ſcientiam, ſeu cognitionem Jeſu Chriſti, ita ſervi tui inſtar luti ducunt

quos-

Scrip. An. circ. 1607. quoslibet theſauros, & amores terrenos, vixque extra faſtidium ea queunt aſpicere, ubi ſemel ſaltem conſpexerunt te, ob eminentem, gratiam, quæ elucet in te.

Quid itaque facient aliud tui iſti clientes, ô Paradiſe deliciarum Dei, recogitantes qualiter procul à ſuis oculis recedas, quàm ſuſpirare ad te, uti olim Filii Iſrael ſedentes A ſuper flumina Babylonis flebant & anhelabant ad chariſſimam ſibi Jeroſolymam, cujus ideo ſummo ſuo mœrore recordabantur, quod ejus poſſeſſione orbati erant. Ac præter dubium eſt, etiam plus æquo auctum iri ſenſum abſentiæ tuæ, ſi ii famuli tui, his mœroris affectibus fræna laxarent; ut proinde conſultum ſit temperare illos, tandemque locum dare conſiderationi motivorum lætitiæ inenarrabilis, quam abunde ſuggerit aſſumptio tua.

Advenerat ergo tempus, o Virgo, cælorum Regina prædeſtinata, ad ſubeundum thalamum deliciarum Dei, tempus (inquam) advenerat, quo aſcenderes in paratam tibi ſedem à diebus æternitatis, appareresque oculis ſupernorum civium, ornata infinito B decore, & veſtita auro primo, uti decebat regiam dignitatem tuam, quâ potieris amodo ſine fine. Deficiunt verba, & ſenſus conſideranti attentè ſolemnem illum ingreſſum tuum, tam expetitum, & expectatum ab Eccleſia triumphante, adeoque celebratum, non modo à ſupremis illis Hierarchiis, ſed ab ipſo quoque Creatore earum, & ſuaviſſimo fructu uteri tui!

O Virgo pulcherrima! ah! quibus te ſpectat oculis, aut qualibus te verbis ſalutat Rex Sion, qui ſuxit in terris puriſſimam ambroſiam lactis tui.

Veni, ait ille, Electa mea, & ponam in te thronum meum, ubi cor meum acquieſcat, velut in aureo reclinatorio cujus pretium ſuperat valores omnis alterius puræ creaturæ.

C Veni candidiſſima columba, tot ac tanta olim perpeſſa, ut placeres mihi: veni tenerrima Mater mea, ſede juxta Filium, ſimul, & Deum, tuum cincta diademate pretioſo, multumque honorata in regione viventium, qui fructibus arboris vitæ æternæ veſcuntur.

Veni dulciſſima amica mea, fruere mercede laborum, quos tam arduos exantlaviſti in terra. Aſpice campos iſtos æterno virore ridentes, ſerenitatem illam nullo nubium intercurſu delibatam, plagam denique novam in qua nullus eſt locus dolori, aut anguſtiis mortis, ſed vitæ duntaxat, ejuſque divinæ, & æternæ. Converte animum ad nobilitatem, excellentiam, ſapientiam, & ſupremam gloriam Electorum meorum, te venerantium D ceu matrem Regis ſui, cui ſine exceptione flectitur genu omnis creaturæ. Audi etiam ſuaviſſima illa cantica vocum multiplicium, una amoris harmonia conſonantium totque inſuper cordium concorditer intentorum ad amandum te, ſicut animam ſuam.

Intuere tandem, tamquam legitima earum Domina, univerſas regiæ meæ gazas: reipſa enim omnes tuæ ſunt, ac ſummo quidem jure, cum memetipſum totum poſſideas in theſaurum tibi, habeaſque penes te claves cordis mei, quibus id recludas, quoties tibi libuerit, o dilectiſſima præda mea.

Et hi quidem ſunt affectus Unigeniti tui in te, o ſolida ſpes, & unicum ſolatium meum quibus nempe mutuo reſpondet illi charitatis, qua ipſum deperis, incendio. Quod E totum advertit, & ſummo gaudio, ſtuporeque ſuo contemplatur attente ſuperna Hieruſalem, perſpiciens magnificentiam occurſus, quo te excipit divina Maieſtas, atque eatenus Marianis ignibus effervefcit, ut in te dulciſſimam Reginam ſuam, jugiter, ac ſine remiſſione ſuos omnes affectus collimet.

O Lux candidiſſima, o Splendor immenſe, o pulchritudo efficax ad corda, quantumlibet ſaxea, mollienda; o ſi mihi liceat tecum aſcendere, affectu ſaltem amoris fortis, puri generoſi, contemptoris mundi, victoris mortis, & inferni! o ſi cor meum potentiſſime trahatur ad te, vultumque Mariæ ingenti deſiderio requirat! o ſi ego, felicibus tandem auſpiciis, nuntium remittam cunctis F amoribus, qui deprædantur animam meam, regnetque, in illa ſola Regina virginum cum primogenito Filio ſuo.

Næ illi veriſſime beati ſunt, qui corditus diligunt te, o Sereniſſima; quos utique à regali ſolio tuo, benigniſſimè tueris amœnis illis oculis, pleniſſimis gratiarum, & divina præditis energia, ad erigendos jacentes animos, eoſdemque ſolandos ſpe viva vitæ ſempiternæ. Reſpice, obſecro, o Manſuetiſſima, afflictum hunc famulum tuum, & inſculpe præcordiis meis vivax tui deſiderium ut nullo eorum, quæ mundi ſunt, ſed ſolo capiar amore mei Jeſu, & Mariæ, Reginæ protectricis, ac amantiſſimæ Matris meæ.

Ad te, o Virgo beatiſſima, mitto, tanquam expeditiſſimos curſores ſuſpiria mea, G gratulatura tuis ſolennibus, quorum fragrantia orbem univerſum implevit; & qua demum ratione poſſum me, per affectum unio civitati Dei vivi, unaque canto magnalia Domini, coram te Arca dulciſſimi teſtamenti ſui. Utinam autem jubilare, ac plaudere queam ob gloriam Reginæ meæ, charitatis purpura, cum virginitatis byſſo indutæ: exultare inſuper in Domino Redemptore meo, talem adepto Matrem, quæ citra ullum ſupercilium, ultro etiam ſeſe demiſit, ut eſſet ſuaviſſima Mater, & ſingulare refugium meum.

Trahe igitur me, poſt te, o Maria, vitæ Genetrix, gratiæque Inventrix deſideratiſſima, trahe, inquam, in caſtum odorem roſarum, ac liliorum, quibus vernantiſſimis circumſepiris: &, ut tui ſolius reminiſcar, H expunge de mea memoria omnes alienas ſpecies rerum hujus mundi, quibus diſtrahor à te.

O Regina pacifica, cui pendent amoris tributum, nobiliſſima quæque corda univerſæ terræ, adiuva me potentiſſima interceſſione tua, eamque pacem, quæ exuperat

Scrip. An. circ. 1607.

omnem ſenſum, impetra mihi à Filio tuo, qui, quod lubet; operatur in animis, quos creavit ad ſe. Deſcendat ſuper me, à ſede majeſtatis tuæ, copioſus imber miſerationum ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion: & offeram Domino juge ſacrificium matutinum, meridianum, ac veſpertinum laudis perpetuæ; ſicque adhuc confitebor tibi A magnalia ſuavitatis, manſuetudinis, & miſericordiæ tuæ, ut tametſi corpore in terra habitem, animus tamen, per continuam intimæ charitatis aſpirationem, jugiter verſetur in cælo, ſuſpirando ſine ulla requie ad Chriſtum Jeſum verum centrum ſuum: ſimulque ad puriſſimam, ac pulcherrimam Virginem Mariam.

MAGNAE DEI

PARENTI, ANGELORUM,

HOMINUNQUE DOMINAE AUGUSTISSIMAE,

B Quidam ejus Servulus S.

EPISTOLA DECIMA.

Clementiſſima Regina, ſolita ſemper afflictos, qui ex hac lachrymarum valle ad te ſuſpirant, ſuaviſſimè conſolari; ſimulque rigare cæleſti refrigerio, tanquam rore matutino, corda arentia: en, ad te dulce valde ſolatium meum, ex ima abyſſo viliſſime ſordentis cordis mei, exclamo: hancque epiſtolam, per internuntium deſideriorum meorum, ad te dirigo, ô ſolidiſſima ſpes & amabiliſſima vita mea. Novit ſcilicet certiſſime ſolutum iri interventu tuo ea vincula, quæ me olim captivum tenent in terra Chaldæorum, ubi langueo, ſedens C ſuper flumina Babylonis, ſenſimque abſumor in mœrore exilii mei.

Porro inter ſuſpiria, ac lachrymas frequenter reminiſcor tui, o dulciſſima Regina illius Sionis, quæ poſt periculoſos agones, parta jam pace, tua præſentia potitur, ſtupetque mirabiliter ad perfectiones vultus tui nec non ſuaviſſimæ gratiæ tuæ. Cuncta corda civium omnium ſupernæ Hieruſalem, fixa in te, o Domina cordium, ardent immenſo incendio puriſſimi amoris, & ſtillante in eis caſtiſſima quadam voluptate, liqueſcunt inſtar ceræ a facie ignis. Mira ſiquidem pulchritudo tua, qua, infra Unigenitum tuum, nihil amabilius concipi poteſt, imperat cordibus generoſis, quæ ſe ſponte ſubjecerunt tibi, victa utique vi immenſa de- D coris tui. Dum horum memini, per eo totus à deſiderio faciei tuæ, o candidiſſima lux, cujus ſplendor multò vincit radios ſolis, & longiſſimè ſemotus à te, lugeo inter denſiſſimas tenebras, quæ nihilominus denſantur amplius quotidie, jamque languent oculi mei præ inopia, donec videam ortum ſurgentis auroræ, quæ mirificè me recreet jacentem in tenebris, & umbra mortis. O Aurora per longiſſimam noctem deſiderata, quam Sol juſtitiæ ſequitur! O Maria, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus! O munificentiſſima Diſpenſatrix, & optatiſſimum refugium meum!

Anima mea, nihil uſquequaque proſperum ſibi promittit abſque te, imò perſuaſum ſibi habet, quidquid, demum boni optat ac E ſperat, id omne debere per te obtinere, o invicta ſpes cordis mei. Nempe penes te ſunt claves theſaurorum dilectiſſimi Filii tui, poteſque, ut tibi libuerit, aperire, ditareque inopes Adæ Filios, qui proſtrati ante te, altis valde gemitibus implorant miſericordiam tuam, quæ non habet finem. Inter hos extorres, ac proſcriptos ſuſpiro ego quoque ad te, fatiſcens ſub onere pœnarum, ac peccatorum: ingentique prorſus deſiderio requiro ſereniſſimam faciem tuam. Peregrinor enim in terra deſerta, invia & inaquoſa, inquirens futuram illam Dei civitatem, tactus deſiderio cordis intrinſecus, ſpectandi mitiſſimam Genetricem Regis Salomonis, quæ in veſtitu deaurato, circumamicta varietatibus, ad ejus dexteram ſedet tamquam F Sponſa ornata viro ſuo.

O Sponſa innixa ſuper dilectum tuum, ô Speculum ſine macula, in quo ſemetipſum contemplatur Filius Altiſſimi! Quis cogitando aſſequi valeat magnitudinem decoris tui, quo ſauciaſti cor ipſius Dei? Quæ lingua exprimere queat verbis ornatum interiorem animæ tuæ, vel deſcribere illud aureum reclinatorium, in quo ſuaviſſimè diſcubuit unigenitus Filius tuus? Adamavit enim Dominus Filiam Hieruſalem cultam monilibus pretioſis, & incenſus dilectione multa nimis, ſe immiſit in caſtiſſima viſcera tua, ut opertus amictu, quem illi dediſſes, procederet quaſi Sponſus de thalamo ſuo, ad viſitandum in plenitudine delitiarum ſuarum ple- G bem ſuam. Elegit ipſe habitare in te, tanquam in tabernaculo novi fœderis, ut percuſſo nobiſcum fœdere, poſſet digito ſuaviſſimi ſpiritus ſui, inſcribere cordibus hominum legem gratiæ ſuæ. Per te igitur Rex pacificus attulit nobis pacem, & omne bonum, fecitque te fontem perpetuum aquarum ſalutis, ex quo hauriunt rivos limpidiſſimos aquæ vivæ, ſalientis in vitam æternam, ii, qui contemptis mundi crepundiis, avidè requirunt victricem cordium pulchritudinem tuam.

Hæc ego advertens, ô ſublimis valde Cælitum Regina, proſterno ante te memetipſum, deſiderio deſiderans, acutis gemitibus ſumma cælorum penetrare, quatenus pertingant ſuſpiria mea uſque ad cor tuum, o H Maria! Quando enim latrones, homicidæ, aliique ſceleratiſſimi peccatorum, de quorum æternâ ſalute meritò conclamatum videbatur, in te, o unica ſpes noſtra, præſidium illicò invenere, ac ad te valide clamaverunt, & de faucibus mortis reſpiraverunt ad vitam; ſpero etiam ego, tametſi infixus ſum in limo profundi, quod mihi

Scrip. An. circ. 1607. ipſe defodi, dum ad te clamavero, emergere rurſus, veniam conſequi, & accipere conſolationem.

Eja ergo advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos, uſque adeo ab Eccleſia Sponſa unici tui deſideratos, ad nos converte, ac vel unius benignioris aſpectus indulgentia, fac naſcatur in me firma ſpes vitæ, A ac præſentiæ tuæ, deſiderabilis ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum.

Suſcipe me, quæſo, o fidele nimis præſidium pauperum, & ſuccurre velociter ſupremæ inopiæ meæ, ſub qua gemo. Indue nuditatem meam, paſce famelicum adipe pingui charitatis tuæ; ut roboratum in fortitudine cibi illius cor meum, ambulet perſeveranter per anguſtam viam vitæ, quam nobis præivit dulciſſimus Redemptor meus, vitaliſſimus autem fructus uteri tui.

O Turris David, ex qua pendet omnis armatura fortium, arma me inermem famulum tuum, ſupplicantem tibi in angore ſpiritus mei: quatenus auxilio tuo fortior, feliciter dimicem adverſus Philiſtæos iſtos, crudeliſſimos animæ meæ hoſtes, qui B quaſi totidem gigantes obſident me. Nam, & virtus cordis mei attrita eſt, à diuturnitate terribilis prælii, tremuntque omnia interiora mea, non modo quia canes multi obſederunt me, verum etiam, quia ſagittæ Domini ebibunt ſpiritum meum, & terrores ejus militant adverſum me.

Proinde ad te confugio, o potentiſſima Reginarum, quæ contriviſti caput ſerpentis, ut ſub umbra protectionis tuæ, certem bonum certamen, faciamque tandem victoriam magnam, ac poſtremo cantem in æternum; inæſtimabiles miſericordias tuas.

Eja, per cor tenerrimum Unigeniti tui, rogo te, imprime intimo animæ meæ centro, dulce ſuper lac, & favum nomen tuum, quod ſcilicet ibi ego conſervem, roburque C ex illo deſumam: meque inſuper dignare regali ſigillo Mariæ, quod undique circumferens, dignoſcar emptitium mancipium tuum nec proinde cogitem, loquar, aut agam quidpiam, quod non protinus in te dirigam, o ſublimiſſima Regina, invicta fortitudo, & cordialis conſolatio mea. Ita liber de manu hoſtili quærentium animam meam; potiar pace, quam hoc bello inquiro, & quietis jam paſſionibus meis contemplabor te amictam ſole, & ſtellis duodecim coronatam: captuſque in decore tuo immenſo, dicabo tibi viſcera mea, ac multiplicabo inſtar arenæ maris ſuſpiria cordis mei ſolliciti propter te. Meditabor in te die ac nocte, puriſſimis te affectibus diligendo ſuper omnes filias Sion, quæ induuntur purD pura, & byſſo: pendamque ultroneum tributum tibi, certus inſumere totam, quanta eſt virtus mea, in obſequium Mariæ.

O Maria, o Virgo una, ac præcipua de numero prudentum! o Scrinium Sapientiæ Altiſſimi; & infinitarum gazarum Dei! deſpicio præ te, o imperatrix gratia plena, filias Tyri, & Sidonis, & quidquid demum pulchrum, aut ſpectabile ducunt mortis damnati filii Evæ; adnitarque pro virili parte mea, cenſeri inter familiares tuos, quo vel ſic digneris paſcere me, ac protegere ſub umbra alarum tuarum.

Cæterum, quia familiam tuam minimè augebo, niſi placuero tibi, nec porrò placebo, niſi ſolidis virtutibus probe ornatus, E maxime velim quatuor tibi pro me concedat Unigenitus uteri tui.

Primum eſt, cor contritum intima contritione; qua, exitus aquarum deducant oculi mei, quia non cuſtodierunt legem dulciſſimam Filii tui. Amabo te, ſubeat animam meam ſenſus acutiſſimi doloris, qui potum meum cum fletu miſceat, ut ita laver tanquam aquis alterius Jordanis, & ſuper nivem dealber, quatenus ornatus hoc candore novo, placeam oculis tuis Virgo pulcherrima.

Alterum quod opto, eſt ſincera cordis humilitas; quæ, inquam, uſque adeò profunda ſit, ut memetipſum contemnam, ac contemnam me contemni, idque ut tibi acceptus ſim, ô humilium, & manſuetorum F Regina.

Tertio loco, caſtitatem efflagito, quæ utinam ſic floreat, vigeátque in anima, & corpore meo, ut rejiciat omnem peregrinum amorem, meque ſimilem faciat Reginæ virginum, cui lilia placent, amœniſſimoque ejuſdem Filio, qui paſcitur inter lilia.

Quarta tandem petitio mea ſinceram charitatem ambit; quâ te, qua Filium tuum diligam, incendarque ea totus, & abſumar æternis ardoribus, jamque vivam non ego, vivat vero in me Chriſtus, regnetque ſummo cum imperio, tui dilectio.

Hæc ſunt vota mea, ô amabiliſſima Virgo, fons inexauribilis miſericordiæ, hæc à te ſemel, & iterum, ſemperque poſtulo, proſtratus humi humillimè, ô Regina libeG raliſſima. Ah! ne deſpicias preces pauperis; & afflicti tui, quæ afflictis ſemper te præbuiſti propitiam. Miſerere quæſo gementis ad te, o candidiſſima columba, quæ poſt multos gemitus in paratum tibi à Filio nidum evolaſti. Memento mei non invenientis requiem, idque age, quo dentur mihi pennæ ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam.

O Collum Eccleſiæ ſanctæ, ebore puro amœnius, quo mediante jungitur illa capiti, & Sponſo ſuo! ah! junge me ſummo illi ac ſempiterno bono, & Jeſum benedictum fructum ventris tui, mihi poſt hoc exilium, oſtende. O gaudium ſupernæ Hieruſalem, quæ ebria à præſentia tua, ardentiſſimis affectibus, pro validis brachiis, comH plectitur te ſedentem ſuper Cherubim, lætifica animam ſervi tui. Expedias me à laqueis culparum, ut converſis ad te oculis mentis meæ, invadam deſideratiſſimam prædam meam, quæ es tu, o eximium univerſi terrarum orbis decus ſuaviſſimumque refrigerium cordis mei.

DILE-

DILECTISSIMAE
JESU CHRITI
SPONSAE S. MARIAE MAGDDALENAE

A Pœnitentium Anteſignanæ.

Quidam ejus Cliens S.

EPISTOLA XI.

MItto tibi non ſolum hanc epiſtolam; verum etiam cor meum, vehementer anhelans ad te, O Magdalena beatiſſima, præda nobiliſſima unigeniti Filii Dei, qui charitate perpetua dilexit te, ideoque attraxit, ut te copularet ſibi fœdere amoris ſempiterno.

Dum mecum repeto vitam tuam priorem; qua mundo adeo ſtuduiſti: & poſteriorem, qua complacuſti nimis ſereniſſimis oculis Jeſu Chriſti, cui conſecraſti tenerrimam animam tuam; invadit me deſiderium vehe- B mens, fundendi ex oculis meis juges lachrymarum fontes, canendique ſine fine abſcondita miſericordiæ Dei. Videtur enim mihi, non modo potentiſſima; ſed & dulcis ſuper mel, & favum, hæc mutatio dexteræ Excelſi, configurantis te ſibi; ut è peccatrice evaderes ſponſa chariſſima, ac thalamus deliciarum ſuarum.

Arſiſti certè immenſo charitatis incendio, quo pura efficereris ſuper argentum igne examinatum, probatum tetræ, purgatum ſeptuplum; ac ita demum fieres vas electionis, ex quo biberet ille, qui, non ex operibus juſtitiæ, ſed ex inæſtimabili ſua miſericordia ſecundum propoſitum gratiæ ſuæ, vocavit te induendam utique candidſſima veſte nu- C ptiali, in qua, plurimum ei placeres, appareresque ſpecioſa inter filias Hieruſalem, quæ devoverunt corda ſua manſuetiſſimo Agno Dei.

Ab æterno dilexit te Dominus, quem poſtmodum ferventiſſimè redamaſti: & ex hoc Creatoris tui incendio adhæſit viſceribus tuis ea flamma, quæ non exinde requiem tibi indulſit, donec inſtar cervæ à canibus fatigatæ cucurriſti ad limpidiſſimam aquam, & optatiſſimum refrigerium tuum.

Nam cum inſonuiſſet auribus cordis tui, ac illuminaſſet interiores mentis tuæ oculos fama unigeniti Filii Dei jam induti tunica carnis noſtræ, illico rupiſti vincula colli tui, ſub graviſſimo mundi jugo fatiſcentis, & reſpiraſti ad jugum ſuave Redemptoris, ac liberatoris tui: tantique ardoris impatiens, D nec potens reſiſtere impetui ſagittarum amoris, quæ inebriabant ſpiritum tuum; intraſti animoſa domum convivii, in quo accumbebat unica ſalus, & vitaliſſima vita tua. Intraſti, inquam, importuna convivio, ſed valde opportuna beneficio, & intimo deſiderio Jeſu Chriſti, qui præſtolabatur te.

O Magdalena ſuper mel ſuavis, quam gratum, lautumque epulum præparaſti pacifico Regi tuo? Ah nullatenus poſſum exprimere teneritudinem cordis Redemptoris, ad cujus te pedes proſtraviſti. Credo equidem eum, ſimul ac percepit te ſibi propinquare, ſenſiſſe odorem penetrantiſſimæ ſuavitatis, emanantis ab holocauſto animæ tuæ mirabiliter ſauciatæ: ac Dominus odoratus fuit illum E odorem, quem & Phariſæus potuit olfeciſſe: ſed præcipue eá fragrantia captus eſt, quam liquentia viſcera tua exhalabant, cujus ſenſus neutiquam demulſit Phariſæum, non utique gnarum odoris juſtitiæ.

Beata es, ò amabiliſſima pœnitentium magiſtra, quandoquidem cor tuum uſque adeo acceptum fuit Filio Altiſſimi, ut conſenſerit pedes illos ſuos, qui ambulabant viam redemptionis noſtræ, lachrymis tuis infundi, ac tandem detergi capillis capitis tui. O Pulchra, jamque ſuper nivem dealbata, qualibus oculis te intuitus eſt amabiliſſimus Dei Filius, cum primum ad te amore ſauciam, ac deinde ad munera tua reſpexit, teque prætulit Phariſæo qui invitaverat eum. Suſpicor ego ſane, ut primum intraſti locum F convivii, inſonuiſſe auribus cordis tui verba Sponſi, ſecreto dicentis: veni electa mea, & ponam in te thronum meum.

Porro ſi in ipſo acceſſu adeo ſuaves fuere voces, quibus te excepit, quales, amabo, fuerint illæ, quibus affabatur te dilectus tuus, interea dum lavabas, ſiccabas, & oſculabaris pedes ejus? verba illa, quæ tum interius percepiſti, ſunt equidem mihi abſcondita; ex iis tamen, quæ ille tum protulit poſſum colligere, quid intus locutus ſit ad cor tuum, & quibus id jaculis ſauciarit.

O fæliciſſima; quam auſpicato ſors tibi cecidit, quando author pacis noſtræ tibi pacem impertiit, & poſt lachrymarum tuarum diluvium, apparuit ſuper te, ex præſentia G Solis juſtitiæ, arcus fœderis, ſignum certum Deum, quem prius offenderas, cogitare ſuper te cogitationes pacis, & ſummi amoris. adeo non afflictionis, iræ vel vindictæ.

Ab illo epulo adhæſerunt tibi, fixæ in corde tuo, ſagittæ potentis acutæ, uti ne unquam in poſterum delectari poſſes bonis, quæ prius amaveras; ſed potius ſumma mentis attentione requireres dilectum tuum, nunc quidem in lectulo receſſus tui, modo per vicos, & plateas, in variis itineribus, ac multiplici occaſione. Vincit nempe omnia amor æterni & ſummi boni, & trahitur quilibet ab objecto, quo delectatur. Ubi autem receſſiſti in pace, jam emundata ſicut greges tonſarum, quæ reſident juxta fluenta pleniſſima, cœpit potentiſſimus amor dominari tibi, ac indies altius imprimere ſuacio jam H cordi tuo ſereniſſimam faciem, & longe ſuaviſſimum decorem Chriſti tui. Hinc factum, ut cum hoſpes ageret in caſtello, & Martha ſollicita eſſet, turbareturque erga plurima, tu pia contemplatrix vultus ejus, intenta ſtudio, ac epulo ſapientiæ, ſederes ſecus pedes Domini, teque ita paſceres ineffabilibus deliciis.

Scrip. An. circ.1607.

O certè beatam ſortem! o ignitum eloquium vehementer, ô audientiam multo amabiliorem, quam omnia delectabilia mundi hujus! Inſonabant verba hæc auribus tuis; & eliquabatur in cor tuum divina veritas, ac invaleſcebat affectus amoris, abſumentis oſſa cum medullis tuis. O formoſa & gratioſa nimis, quis valeat explicare charitatis ſenſum & A ſaporem ſapientiæ, qua mirabiliter capta es?

Credo equidem, te, cum urgeret Martha ut ſurgeres, ſeque adiuvares vehementer timuiſſe, ne ſuaviſſimus Magiſter tuus diceret tibi. Surge, & adiuva ſororem tuam. Implebatur enim anima tua pabulo cæleſtium voluptatum, jamque viluerat tibi, quicquid obſoniorum excogitatum eſt à nauſeantibus filiis Adam. Atque ſic timor turbavit animam tuam intentam nimis verbo vitæ, (amor enim res eſt plena ſolliciti timoris) ſed qui dilexit te, timorem pepulit, eo dulciſſimo reſponſo, quo te aſſeruit optimam partem elegiſſe, unde confirmata ſediſti etiam ſecurior, & dilataſti ſinus cordis tui, ad excipiendum caſtiſſimas delicias, ab eo torrente, quo te potabat veritas, & ſapientia, quæ ex ore B Altiſſimi prodivit.

Didiciſti, o columba, gemitibus aſſueta, doctrinam dulciſſimam, qua molliuntur corda lapidea, & ipſæmet feræ manſueſcunt; decreviſti proinde contemnere omnia ob amorem ejus, qui tam fortiter, ac ſuaviter allexit te; ſtatimque per ardua laborum, ac dolorum quæſiviſti ſapientiam, quæ non reperitur in terra ſuaviter viventium.

O generoſa mundi contemptrix, tartarique debellatrix; & quam viriliter cucurriſti poſt dilectum tuum inter perſecutiones & anguſtias perſecutionis, ac mortis ejus! Gladius Sponſi tuam ipſius animam petranſivit, & dolor, quem patiebatur, afflixit idem te, deſiderantem utique affigi ligno, à quo pependit, regnavitque manſuetiſſimus ille C Agnus, de cujus vellere operta eſt nuditas veteris Adam. O vulnus amoris! ô Magdalena fideliſſima; cujus anima adhæſit ligno vitæ, quam peperit nobis divina charitas!

Ego ſane ſancta quadam æmulatione, tibi invideo amorem illum invictum, accenſaque eà deſideria, quorum flamnis arſiſti: vellemque maxime particeps fieri amoris tui, qui fuit aureum reclinatorium Sponſi dum ſe fatigabat in terra, quam dedit filiis hominum, à quibus immaniſſime abjectus eſt.

O utinam liceret mihi te alloqui, audireque ab ore tuo, quibus tunc ardebas affectibus, dum ſequereris fatiſcentem in terra noſtra Redemptorem, per quem ſalutem conſecuti ſumus! Puteus hic nimium altus eſt, non ſufficio ad rimandum profunda ejus. D Cæterum, credo abſque dubio, cum Sponſus, clamans voce magna, emiſit ſpiritum, animam tuam valide admodum concuſſam fuiſſe, uti minime videretur tibi nimia commotio petrarum, quæ tum ſciſſæ ſunt, comparatione quidem exceſſivæ affectionis tuæ.

O Magdalena cujus lux, moriente Sponſo mœſtiſſima eclipſi elanguit, quam verax viſa tibi fuit ea ſententia, quam amantes ſoli ac plenum capiunt: *Fortis eſt, ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* Quî non etiam tu exhalaſti animam amore ſauciam, cum ſuam ille emiſit, quem dilexiſti uſque in finem; Quomodo vel una ſaltem hora ſupervivere potuiſti, poſteaquam defecit lætitia, & amabiliſſima vita cordis tui? Haud dubie E qui creavit te, idem etiam vitam tibi tuam ſervavit, ut conſummares aliquando opus amoris, fiereſque in exemplum aliis, qui poſt te currunt in odorem Sponſi, inter adoleſcentulas, quas traxit unguentum ſpàrſum à ſuaviſſimo nomine ejus. Hincque accrevit valor ac robur cordi tuo: uti experientia teſtatum fecit, cum cucurriſti cum aromatibus ad ſepulchrum, non hoſtes, non milites, non tenebras noctis, non denique mortem ipſam verita: quin potius eo facta es animoſior, ut quem amaſti vivum, etiam mortuum diligeres, profuſoque largiſſime gemitu propalaveris nimis ſenſum charitatis tuæ.

Hic, o ſuaviſſima Regis pacifici Sponſa, ſilere me oportet, cum prorſus impoſſibile ſit, ullatenus exprimere eos affectus, quibus circum ſepulchrum indulſiſti, etiam ſi omnia F corporis mei membra in facundiſſimas linguas verterentur. Ex eo tamen coniicio, quis fuerit ardor ſolicitantis cordis tui, quod Sponſus videns te maximopere anxiam, placidiſſime tuo te nomine conpellavit, tanquam ferri non poſſet ſollicitudo tanta languentis animæ tuæ, à qua plus ſatis noverat ardentiſſime ſe amari. Neque tamen incaſſum fatigaſti temetipſam, ô filia Sion dulciſſima, circumamicta veſtitu deaurato, imo vero induta auro primo, quo ipſe induitur Rex Salomon, Sponſus tuus. Non inquam fruſtra laboraſti quærens, & requirens prædam tuam quam utique poſt planctum, & multa ſuſpiria tandem feliciter inveniſti. Reſpondit item tibi gementi, ſeque interroganti, ac ita G immiſit jacula ſua fideliſſimo cordi tuo.

Eſto, precor, mihi propitia, o paradiſe delitiarum Filii Dei, meiſque viſceribus alte imprime ſenſum illum, quem ſecreto reſponſo dignatus eſt ille Rex, qui miſerando ſimul, & amando magnificatus eſt vehementer, ſuper omnes reges univerſæ terræ. Et tu quidem, ô prudentiſſima mulierum, memor, quod recepto in cælum dilecto tuo, ſimul à te omnis conſolatio receſſiſſet, haud pluris res mundi hujus, quam viliſſimum fimetum æſtimans, te in ſolitariam ſpecum abdidiſti, in qua attenderes, & videres, quam ſuavis eſſet Sponſus, cujus ſpeciem olim perceperas, unaque contemplareris raras divitias cordis tui.

O ſolitudo nimis amabilis, cui neutiquam H defuerunt præſentes conſolationes, & ſuaviſſima colloquia Unigeniti Dei, cujus gratia omnia deſpexiſti, quæcunque in terrenis nata ſunt mulcere cor humanum.

O Magdalena tota pulchra, maxime vero illa pulchritudine, quæ intrinſecus latet! quam tibi familiares fuerunt Angelicæ illæ mentes, à quibus toties ſurſum attollebaris

Scrip. An. circ. 1607. cælicam auditura melodiam, qua partim remitteret, partim invaleſceret magis puriſſimus amor tuus. Multæ quidem filiæ congregaverere divitias, ſed tu ſupergreſſa es innumeras, non modo de filiabus Tyri, vel Sidonis, ſed è filiabus electis Hieruſalem, quæ veſtiuntur biſſinis, purpura, & cocco bis tincto duplicis charitatis.

A Tandem finiviſti longam valde amoris viam ut imitareris illum, cui olim deſponſa fuiſti. Nunc autem lætaris pelago ſuavitatum immerſa, ad quod tanto tempore ſuſpiraſti: ſatiaris etiam abundantia divinarum conſolationum, certa frui in poſterum, citra ullum timorem, æterno bono, dudum tibi cupito, jugiterque intuitura terſiſſimum ſpeculum oculorum tuorum, cujus divinum decorem ex intimo corde amaviſti.

Memento igitur tu jam opulenta, hujus pauperrimi ſervi tui, comedentis panem doloris, & de ſervitute Chaldæorum ſuſpirantis ad optatiſſimam patriam ſuam, quæ eſt civitas Dei, & amœniſſima regio vivorum, ubi Sancti exultant in gloria, & delectantur in cubilibus ſuis. Adiuva me, ô potentiſſima B amatrix, ut per te ejus efficiar amoris particeps, qui Filium Dei ſuaviſſimum ac gratiſſimum reddit cordis palato; cui animam meam tuæ unitam conſecro, cupidiſſimam incendii tui, & optatiſſimæ, caſtiſſimæque ſocietatis tuæ.

VIRO SECUNDUM

COR DEI,

D. FRANCISCO ASSISINATI,

Quidam ejus Cliens S.

C

EPISTOLA XII.

COnſiderans ego ſublimem valde ſanctitatem tuam, o Franciſce glorioſiſſime, velim potius ubertim flere, quam aliquid ſcribere. Nec enim eſt tam rigidum pectus, quod non molliatur, dum ſaltem concipiat animo tuam illam ſpeciem, veram utique imaginem Chriſti Crucifixi, cujus præſentiam ne petræ quidem, citra ſciſſionem, ac contritionem ferre potuerunt. Malim igitur profuſe lachrymari, quam ad te litteras dare, dum reminiſcor tui. Scribo tamen, quo ſaltem profitear tibi amorem tui meum, & toties ad te tranſmittam ardentiſſima ſuſpiria cordis mei, quoties hanc epiſtolam relegero.

D Habent ſcilicet profundiſſima illa humilitas, ditiſſimaque paupertas tua, neſcio quid occultæ virtutis, ſolicitantis attrahentiſvè corda magnetis inſtar, quam equidem facilius eſt experiri, quam eloqui. Præfers etiam, o Franciſce, flos omnis ſanctitatis, cum verbis, tum operibus tuis, quandam veluti fragrantiam manſuetiſſimi Jeſu, cujus vi etiam ipſæ feræ miteſcerent. Atque ideo expedit mihi meditari, & ſcribere de te, quia forte tuo hoc, caſto ſimul ac ſuaviſſimo odore illectus, trahar tandem ad te, & poſita protinus feritate, eliquabitur à facie ignis tui, duriſſima glacies cordis mei.

O Patriarcha ſanctiſſime, o viva imago E patientis unigeniti Filii Dei: unde quæſo primum auſpicabor epiſtolam meam, qua tecum agere, tibique intima ſenſa, quæ mihi animus ſuggerit, aperire decrevi.

Certe enim mirabilia facta ſunt nimis; quæ Chriſti amore percitus, plurima operatus es: moventque potentiſſimè peccatores ad pœnitentiam, & juſtos ad imitationem, quoties vel relata audiuntur, vel ſcripta leguntur.

Ac imprimis, quem id non moveat, quod ubi cuidam pauperi, ſtipem ob Chriſti amorem mendicanti, præter morem tuum adhuc ſæcularis abnuiſſes, commotis exinde conſcientiæ ſtimulo præcordiis tuis liberaliter illam largitus es; tumque nuncupato voto promiſiſti te in poſterum nemini eleemoſynam F petenti negaturum. Æſtimabas nempe, fuiſſe te eo caſu crudelem, ac proinde non valens cohibere immenſum illum pietatis ſenſum, evaſiſti, o cor Chriſto fidele, dives in miſericordia; quæ quidem tam altè penetravit viſcera tua, uti optares omnes mundi divitias liberaliter elargiri, pauperumque inopiam nullatenus ferre poſſes.

Haud ſatis deliberata, adeoque leviori duntaxat culpæ obnoxia fuerit ea pauperis mendici repulſa, cujus tamen occaſione latiſſime ſe diffudit miſeratio cordis tui. Porro, pupugit id acerrime parentem carnis tuæ, quando ad Aſſiſinatem Præſulem, bonis paternis coram eo ceſſurum te pertraxit, veritus ſcilicet, ne ſuppellectilem univerſam in pauperes erogares. Iviſti tu G quidem, nil repugnans, imo ſponte etiam maxime adproperans, quatenus ocyſſimè à patre terreno rejectus, adoptarere felicius à cæleſti, qui ſanè ſemper eximie te dilexit fecitque conformem imagini Filii ſui.

Nunc autem, o nobiliſſime mundi contemptor, in cujus captum cadere poſſit, quanta lubentis animi promptitudine nuntium rebus temporalibus remiſeris, quando dilectiſſimam tibi paupertatem expeditius amplexurus, proprias quoque veſtes abjeciſti, & carne tenus ſpoliatus omnibus remanſiſti. O rarum, mirumque ſpectaculum! quod præſentes equidem ad miſerationem movit, ſed orbem penitus univerſum pariter afficere potuit. O norma omnis perfectionis Franciſce! quibus putas oculis te nudum aſpexit ambitioſus amicitiæ tuæ Deus? H o mercator in æternorum bonorum negotio longè prudentiſſime, quanta ſapientiæ laude teipſum exuiſti, & terræ illa pondera, quibus gravabaris, abjeciſti, ſequuturus exinde velocius Dei Filium, qui exultavit ut Gigas ad currendam viam virtutis longiſſimam. O ſapientem valde ſtultitiam! quam ediſ-

Scrip. An. circ. 1607. ediſcunt humiles, ac manſueti diſcipuli Jeſu Chriſti, qui nihil habentes omnia poſſident; Dei ſcilicet providentia ſuccedente in curas, quibus eorum ſatagebant ſui parentes.

Credo, indubiè, o Franciſce, paupertatis theſauris inæſtimabilis, patrem tuum cæleſtem, ex quo te momento ſpoliaſti, cuſtodiviſſe te quaſi pupillam oculi ſui: ipſum A Agnum Dei, de proprio vellere, veſtimenta rejectis longè meliora tibi paraſſe: neque dubito, quin præcordia tua immenſo ſuavitatis ſenſu protenſa fuerint, uti quadantenus cælorum gaudia delibares.

Nam ſi prodigus, poſt abſumptam luxu nimio ſubſtantiam ſuam, à patre peramantiſſimè exceptus, delinitus oſculis, amplexibus cumulatus, & muſico concentu, cujus meminit Evangelium feſtiviſſime recreatus eſt; par omnino eſt credere, te, qui temporalia bona tua, non cum meretricibus luxurioſe prodegeras, ſed in pauperes ſanctè, & piè erogaveras, ſenſiſſe inter amplexus, & oſcula miſerantiſſimi patris, gaudium multum nimis, & pacem, quæ exu- B perat omnem ſenſum.

Jam autem expeditus à temporalibus, & divinis ſolatiis intus confirmatus, cœpiſti currere viam æternæ vitæ, & potiri libertate Filiorum Dei, qui mundi legibus conculcatis, jugo Chriſti ſuavi cervices ſubmittunt, ut inveniant requiem animabus ſuis, fatigatis utique à tribulationibus vitæ hujus. O Curſor perniciſſime! ah! quam velox excurriſti in odorem unguentorum Sponſi, acervando ſine numero, & menſura opera bona; ad quæ acerrimis Dei deſideriis excitabaris, quæ inter ipſam bonorum operum exercitationem invaleſcebant quotidie, tanquam ignis à facie olei. Ipſa quoque virtutum aromata, ab anima tua ſanctiſſima, tanquam è ſua theca, longè lateque diffu- C ſa, dederunt odorem ſuavitatis, quem Deus ſummo delicio odoratus eſt.

Jam ergo gratiarum ditiſſimus, o Franciſce! magna pauco tempore peregeras: jam, ceu miles violentus, regnum Dei, quod vim patitur, rapere didiceras: jam parta de te ipſo illuſtri victoria, ea omnia ſuperaveras, quæ ferè plures pro monſtris invincibilibus habent: neque tamen his contentus, ad ulteriora teipſum extendiſti, in ſummum ſanctitatis apicem intento corde aſpirans.

Hinc aliquando perceptis his de Evangelio verbis: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris:* Matth. 10. *non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: &c.* tanquam ignito amoris torre ſuccenſus, cæleſtique oraculo permotus calceos quidem illico exui- D ſti, ſed & unica veſte, eaque rudi indutus, generoſe auſpicatus es vitam Apoſtolicam: & factus ſpectaculum Deo; Angelis, & hominibus, Religionis filiorum innumerabilitate lætantis fundamenta jeciſti.

Cui ſuppetat tam admirabilis facundia, ut exponat, quam valido Dei impetu correptus, & commotus es, dum Evangelicæ illæ voces, quaſi ſagittæ potentis acutæ, ſubivere cor tuum? Profecto, abunde expertus fueris, ut *vivus, & efficax ſermo Dei, penetrabilior ſit omni gladio ancipiti, pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus,* Hebr. 4. *compagum quoque, & medullarum.* O Franciſce, inſignis portio populi acquiſitionis Filii Dei, qui verbis vitæ, & acutiſſimis amoris jaculis ſauciavit teneram valde animam tuam. E O Luctator fortiſſime, qui modo animo celſiore, quam cum patriam hæreditatem renueres; veſtimenta inſuper abjeciſti, ſucceſſurus in campum, ad luctandum adverſus mundum univerſum, & incorruptibilem gloriæ tibi coronam merito tuo parandam.

Rite cæpiſti, porro feliciſſimè proſequutus es: caſtigans amplius corpus tuum, & in ſervitutem redigens, priuſque incipiens facere quam docere. Quis ſatis expromat, o potens valde carnis domitor, ac invicte Chriſti pugil, ut rigide corpus tuum habueris: quot etiam aſſultus ab humani generis hoſte pertuleris? Id equidem memini, ô Heros incomparabilis, te, cum aliquando F validiſſime per carnis ſtimulos tentareris, in medias nives nudum abjeciſſe corpuſculum: alias etiam ſolicitatum à laſciva muliere, ſuper ardentes prunas decubuiſſe: & tam præclaras victorias vehementer admiror. O quoties horrendas diaboli machinas ſuperaſti, probante te per illas Deo tuo, & expurgante ſicut argentum in clibano tribulationis!

Ubi vero cibo ſolido patientiæ aſſuetus, inſtar palmæ floruiſti, jamque aptus evaſiſti, ut eſſes pater multarum gentium, & inſtar cedri Libani in immenſum propagareris; zelus domus Dei comedit te, ſtatimque efficaciſſimis bonorum operum exemplis, & quibus affatim abundabas, vitæ æternæ ſermonibus, in humilium, & manſuetorum ſcholam, innumeros diſcipulos coegiſti, qui pro- G pter verba labiorum Sponſi, vias duras generoſiſſimè elegerunt. Fundaſti ſcilicet Ordinem florentiſſimum, cujus fragrantia, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Omnipotens. Qui multiplicatur etiamnum quotidie, ſicut ſtellæ cæli, quæ præ multitudine numerari non poſſunt: ac ita à ſolis ortu uſque ad occaſum ardor immenſus charitatis tuæ, luculentiſſime refulget.

Obſtupuit mundus grandem hunc animum quo ſimplices, & rectos diſcipulos tuos in varias orbis plagas delegaſti, minimè quidem potentia, ſcientia, vel humana eloquentia armatos, ſed columbina ſimplicitate, juſtorumque prudentia inſigniter ornatos: ut regnum hujus ſæculi deſtruerent, & ſaxea hominum corda virtute Chriſti mollirent.

H O vir potens opere & ſermone, domuiſti Orbem non ferro, ſed ligno, dum Crucis amorem, cujus flammis uſqueadeo exarſiſti, altiſſimè hominum cordibus impreſſiſti. In fame & ſiti, in frigore & nuditate, in plagis & vigiliis, in itineribus abundantius per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, prædicaſti Chriſtum crucifixum, unicum amorem; ſapientiam, &

Scrip. An. circ. 1607.

fortitudinem tuam: ob quem etiam mori percupiens, ſolviſti in Syriam, in qua martyrii copiam affuturam tibi ſperaveras.

Nempe impar eras ferendo illi incendio, quod ferventiſſimum mediis medullis conceperas: ideoque anxiè deſiderabas ſanguinem tuum amore ſuaviſſimi Redemptoris, & amici tui, profundere: compoſiturus eo pacto A irrequietos cordis tui motus, vi charitatis nimiæ palpitantis. O deſiderium, o animi tui ſolicitudinem, non reperientis requiem à jugibus amoris impulſibus! o nova, ac inſolita Franciſci negotatio! qui quaſi nihil deſpiciens dediſſe pauperibus pro dilectione ſubſtantiam ſuam; voluit inſuper ponere pro eadem etiam animam ſuam.

Verum tibi hæc animo agitanti, aliud martyrium parabatur, quod immenſis laboribus compoſitum, Sponſæ Chriſti Eccleſiæ foret utilius. Ita ergo, o Franciſce, neutiquam eo modo, quo tibi viſum fuerat, mortem oppetere licuit, ſed infideles ipſi, mira manſuetudine, & humilitate tua mitigati, te in Italiam, additis etiam ultro honoribus direxerunt: ut præcipuam illam B Eccleſiæ portionem ſuaviſſimis virtutum fructibus enutrires, porro ipſe ornareris illis, quæ mundum in admirationem rapuere, ſtigmatibus Crucifixi; pro cujus fide, & gloria, jam olim mori optaveras.

Iviſti nempe, ducente te divino Spiritu in devotas Alverniæ ſolitudines; inibique poſt exactum rariſſimo modo quadraginta dierum jejunium, ſub recurrens feſtum exaltatæ Crucis, in qua ſolitus es gloriari, apparuit tibi fulgentiſſimus Seraphim, Crucifixi effigiem ſub alis exhibens, qui manibus, pedibuſque tuis, patientis unigeniti Dei vulnera mirabiliter impreſſit. O dulcem impreſſionem! ô tenerrimum Jeſu Chriſti amorem! ô vivam, & genuinam imaginem Redemptoris! Ecce jam poſſides, Patriarcha illuſtriſſime, C quod uſque adeo deſideraſti. Optaſti ſcilicet aſſimilari Salvatori pro tuâ ſalute morienti: hoc autem iſtâ ſtigmatum impreſſione, feliciſſime conſecutus es. Et quando alias tam admirabilis impreſſionis modus viſus, aut etiam auditus eſt?

Quis uſpiam Sponſus, amantiſſimam Sponſam eatenus deperiit, ut tanta ei ſuæ dilectionis argumenta præberet, quanta tibi Franciſce, Jeſus Chriſtus amator tuus exhibuit? Quæ iſthæc eſt amicitiæ neceſſitudo, o incarnate Seraphim, quæ tibi cum Dei Filio intercedit, Angeloſque ſimul & homines in ſtuporem ſua novitate pertraxit? Sæpius equidem Poetæ varia ſtrictiſſimæ amicitiæ officia commenti ſunt, quibus paſſim lectoribus admirationem ingenerant: atqui D ambitioſa hominum mendacia longiſſime prægreditur ſimplex amoris veritas, quâ te Jeſus Chriſtus complectitur.

O Vas electionis, & quanto tandem charitatis incendio concaluit cor tuum intra te, quando ſubibant in carnem tuam vulnera dilecti tui, deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, porrò dulciora ſuper mel, & favum? O plagas charitatis! o ignita jacula divini Amoris! Ah, quomodo non medium crepuit ardens amore cor tuum: aut quî non illico exhalaſti æſtuantem flammis cæleſtibus animam tuam? o felicem Alverniæ ſolitudinem! o verè montem coagulatum, montem pinguem, ubi cæli abundantiſſimè lacte & melle depluunt, ſigniſque tam evidentibus palam fit, quam ſit ineffabilis E amor Dei! Quid amplius eloquar, o vir dolorum, & miles deſiderabilium vulnerum, quid de interiore illo vulnere ſoli Deo cognito, cujus vi anima tua Chriſto configurata eſt? ſi configuratio extima & corporalis uſque adeo rara eſt, quid par eſt æſtimare de intima? O illuſtris divinorum arcanorum myſta, qui ſubiviſti in penetralia ſecretorum Dei, & conſiliorum ejus particeps fuiſti! O quanta familiaritate poſt impreſſa tibi ſua ſtigmata, tecum converſatus eſt Filius Altiſſimi! ô vis immenſa Chriſtianæ humilitatis, quæ effert miſeros homines uſque ad ſummam amicitiam, & longe ſuaviſſimam cum Deo neceſſitudinem.

Viciſti Franciſce, viciſti, poſſediſti, & tibi F veluti proprium vendicaſti cor Jeſu amabiliſſimum, juſtiſſimo bello captum: ac proinde amavit ipſe te, velut animam ſuam, multò ardentiùs quam David Jonathan olim dilexerit. Et, quia amicorum omnia communia ſunt, ſubmiſit juri tuo cum rebus omnibus ſuis etiam ſemetipſum. Hincque potes cordibus hominum imperare, vi & efficacia verborum, & operum tuorum; quorum energiâ haud ſecus plures affecti ſunt, quam ſi ipſum incarnatum Dei Filium potentem opere & ſermone præſentem aſpexiſſent. Certaſti legitimè in arduo valde prælio, o Franciſce, leone fortior, bene cucurriſti, imò verò volaſti, multò quam aquilæ velocior. Nunc autem in ſupremo gloriæ throno feliciſſime regnas; omnia potes G impetrare ab amantiſſimo tui Rege gloriæ, quæcunque deſideras.

Te igitur, per hæc Crucifixi vulnera, oro, obteſtorque, uti velis veram cordis humilitatem à Domino mihi obtinere, quam nempe ſtrictiſſime amplecti cupio, præ cunctis hujus mundi honoribus. O vallis humilitatis & mons charitatis, fac ut Rex humilium Jeſus Chriſtus, fideliſſimus amicus tuus, imprimat viſceribus meis altiſſimam ſapientiam humilitatis Chriſtianæ, qua facile contemnam fucatam mundi gloriam, & bibam abunde cum ſuaviſſimo Redemptore noſtro, de torrente tribulationis & contemptus, ut exinde caput exaltem.

Exaudi vocem gemitus mei, o piiſſime Pater, dives in miſericordia, cui deſiderat agglutinari anima mea. Ne repellas H oppreſſum anguſtiis famulum tuum, cupientem nimis proſternere ſeſe ante ſuacium ſacris ſtigmatibus corpus tuum, quod pro ditiſſimo theſauro patria tua reſervat. Ita precor, ô lumen mundi, ornamentum cæli, atque ingens orbis miraculum Franciſce, cui offero cor meum, & anxiè ſuſpirantia ad te viſcera mea.

SCHO-

SCHOLA DE ORATIONE
ET
CONTEMPLATIONE.

IN SEQUENS OPUS PRAEMONITIO.

ID Operis, a Ven. Scriptore, in majorem idiotarum utilitatem, Italico ſermone exaratum, exſtabat etiam in anteactis editionibus, Tomo ſecundo, a pag. 539. *Illud, etiamſi procurandis totius Congregationis negotiis tunc temporis diſtentiſſimus, ſcripſiſſe an.* 1610. *ex ſubjecta Ordinis facultatae demonſtratur, quae primae editioni Romanae, anno immediate ſequenti abſolutae ſic praefigitur :*

„ *Fr. Ferdinandus a S. Maria Vicarius Generalis Congregationis*
„ *S. Eliae, probo hunc librum inſcriptum*, Scuola di Orazione, Con-
„ templazione, Mortificazione delle paſſioni &c. *a R. P. F. Joanne a Jeſu*
„ *Maria praedictae Congregationis Procuratore Generali compoſitum,*
„ *ut typis mandetur, ſi placuerit Reverendiſſimo D. Viceſgerenti, &*
„ *Reverendiſſimo P. Magiſtro Sacri Palatii. Datum Romae, Cal. De-*
„ *cemb.* 1610.

„ *Fr. Ferdinandus a S. Maria Vicarius Generalis.*

Cui haec ſubnectitur P. Blaſii Aloyſii Societatis Jeſu Theologi cenſura : „ *Recognovi hunc librum R. P. F. Joannis a Jeſu Maria, qui in-*
„ *ſcribitur*, Scuola di Orazione, Contemplazione, Mortificazione delle
„ paſſioni, &c. *ex ordine Reverendiſſ. Patris Magiſtri Sacri Palatii*
„ *F. Ludovici Yſtella, & nihil inveni, quod judicaverim cenſura dignum,*
„ *imo viſus eſt mihi digniſſimus qui typis mandari debeat. Romae* 24.
„ *Januarii* 1611.

„ *Blaſius Aloyſius Societ. Jeſu.*

Tanta vero ejus apparuit ubique gentium utilitas, ut pluries non modo Italice, ſed diverſis etiam idiomatibus vulgatum ſit, Hiſpanice, Gallice, Germanice, ac tandem Latine in ſuperioribus Coloniae omnium Operum editionibus ann. 1622. *&* 1650. *Putaverim quoque, ex uno illo Libello inſigniores Aſceticarum rerum Magiſtros ſuas hauſiſſe ſaniores, tutioreſque praeceptiones; quin & illud forte veluti compendio refeciſſe crediderim laudatiſſimum Scriptorem, ſub Ratimi Eridanii nomine latentem, Italici Opuſculi, cujus titulus,* Aſceticae Inſtructiones pro Oratione mentali &c. *eximio Animarum fructu Venetiis editi an.* 1759. *At de his ſatis. Nunc jam veterem Auctoris nuncupatoriam Epiſtolam, quam Editores Colonienſes praetermiſerant, ex Italico textu ita heic Latine reddimus.*

VETUS AUCTORIS

NUNCUPATORIA EPISTOLA,

NUNC PRIMUM EX ITALICO LATINE REDDITA.

ADM. RR. PATRIBUS, CARISSIMISQUE FRATRIBUS,
ET SORORIBUS IN CHRISTO
CARMELITIS EXCALCEATIS
CONGREGATIONIS S. ELIAE
FR. JOHANNES A JESU MARIA S.

Illud pro certo ſemper habui, Monaſticorum hominum Cœtus, qui rerum ſpiritualium ſtudio florent, etiam ſuarum obſervantia legum, mutuaque inter ſe concordia facilius teneri, & augeſcere, proximorum verò ſaluti maxime prodeſſe. Si enim ſummo, aeternoque Bono, cujus ſuavitas nonniſi eo ſtudio dignoſcitur, totis animis inhiant, quum probe ſciant, ſeſe neque id, quod quaerunt, conſequi, neque illi adhærere poſſe, niſi inter ſe quoque mutuo vinciantur, & ſuo pergant inſtituto incumbere, ceu cujuſdam myſtici, & Spiritu Dei animati corporis partes, aut membra; alterutrum fiat neceſſe eſt, ut vel coeleſti illa ſpe, & ſollicitudine penitus cadant, vel quae ſuae Profeſſionis ſunt munia, ut modo faciunt, cumulatiſſime compleant. Haec Veſtra, PP. Fratreſque Cariſſimi, beata ſors eſt, qui tanto Regularis diſciplinae, paciſque communis praecellitis amore, utique ab intoriori illa rerum coeleſtium cura parto, qua totus homo Monaſticae vitae actibus mirifice conformatur. Beatiſſima, inquam, ea ſors eſt, cui verus quiſque noſtrae Congregationis filius manum admovere, & operam omnem impendere debeat. Quamobrem, quum nemo praeterea ſit noſtrum, qui ea peculiari ratione ad hanc miram, ſuaviſſimamque ſapientiam capeſſendam non compellatur, quod Beata Parens Tereſia in ea adeo excelluerit, ut divino prorſus ingenio, perſpicacique intellectu, qui ſummis etiam hujus aetatis Theologis admirationi fuerit, ad cœleſtia omnino viſa ſit nata; hinc ego divino fretus auxilio, ut ejuſmodi in Vobis ſpiritus, qui in magnam Eccleſiae utilitatem, & proximorum exemplum promanat, augeatur, hunc librum conſcripſi, quo praecipua eorum ſpiritualium cariſmatum capita complector, quibus Deus ſervos ſuos intime agit, majori, qua poſſum perſpicuitate, ac diſtinctione haec arcana pertractans, idque ex animo cupiens, ut univerſa Congregatio noſtra cum in divinae bonitatis, & ſapientiae notione, & amore, tum etiam in ſpirituali cum aliis conſuetudine proficiat, quemadmodum noſtra ex contemplatione, & actione miſta Profeſſio ferre videtur. Dei autem miſericordia confido, haud ſterilem laborem hunc meum futurum, quin & propoſitum mihi finem conſequuturum, non a Vobis tantum, ſed, veſtris precibus, ab iis etiam pleriſque omnibus, qui magnifica illa munera, quae Deus Optimus Maximus iis elargitur, qui ei fideliter reſpondent, pernoſſe cupiunt. Ea igitur, qua eſtis, inſigni dilectione, & humanitate hoc, quod vobis obſero, excipite, meique in veſtris cum Deo penitioribus receſſibus mementote; qui vos diu ſoſpites, & incolumes ſervet.

Veſtrum, RR. Adm. PP. & FF. Cariſſ.

Servus in Domino
F. Johannes a Jeſu Maria.

AUCTORIS PRÆFATIO LECTORI

INter cætera, quæ in hoc exilio, Chriſtiane Lector, hominem maximè, & delectant, & proſunt, non poſtremam partem occupat ipſa rerum ſpiritualium, & impreſſionum divinarum, quas Deus ex infinito amore in illorum operatur animis, qui ſincerè ſe divinæ ejus majeſtati conſecrant, cognitio. Sunt quippe hæc mirabilia quædam opera, & divinæ magnitudini, & liberalitati ex æquo reſpondentia. Sed non parum deplorandum eſt, homines in rebus adeò ſublimibus, tantumque ſalutem ſuam promovere natis, intelligendis ita negligentes eſſe: & quod etiam pejus eſt, multos inſigni prudentia viros, negotiorum temporalium mole oppreſſos, ſi quando à Dei ſervis commonentur, ut rebus ad ſpiritum ſpectantibus animum aliquantulum applicarent, neſcio quam averſionem præferre, ſeque excuſare, dicendo nimis hæc recondita eſſe, & ad intelligendum difficilia. Quæ reſpondendi ratio parum pia eſt, nec proximum ædificat: ſi enim ſummi hæc momenti ſint, ac fructum ſingularem, & conſolationem ſuis cultoribus adferant; non deberent ſanè viri ſapientes ab illorum ſtudio, & amplexatione ob ullam difficultatem avocari; cùm nec à facultatibus, & cenſu augendo, nec ab honoribus comparandis maxima, quæ in horum comparatione certiſſimò ſubeunda eſt, difficultate deterreantur. Idque eò magis, quòd quæ in rerum ſpiritualium ſtudio occurrit difficultas, magnos ab homine non requirat ſumptus, nec graves labores, ſicuti ſtudia, & prætenſiones temporalium ſolent depoſcere; ſed moderatam tantum animi applicationem, utque vel modicum temporis lectioni, orationique ſine ulla prorſus corporis moleſtia impendatur. Neque verò credendum eſt, illos, qui in rebus temporalibus uſque eò ſunt ſubtiles, ut aliena ſeſe corda penetrare, nec non id quod alii cogitatione agitant, ſcire poſſe ſe jactitent; luce affulgente divina, (quæ, ſi ſe humiliarint, haud dubiè cœlitus communicabitur) ad ſpiritualia intelligenda rudes, & ineptos fore. Porró prudentes ſæculi faciant prout ipſis videbitur; equidem, cum Domino cupiens, pro modica illa luce mihi collata, cooperari, quò lectorum, ad quorum manus libellus hic venturus eſt, animos ad rerum divinarum ſtudium inducam, & alliciam, & non ignorans, in multis ſcriptorum ſpiritualium libris hæc certa methodo tradita non eſſe, neve ita declarata, ut à quolibet facilé prout voluerit, queant intelligi, ſtatui quam poſſem breviſſimè ac diſtinctiſſimé de præcipuis maximeque neceſſariis, quæ quidem ad ſcientiam hominis interioris ſpectant, materiis nonnihil ſcribere; nimirum de Oratione, Mortificatione, contemplatione, ſtatibus Incipientium, Proficientium, Perfectorum, diſcretione ſpirituum, Viſionibus, Revelationibus, Theologia myſtica, & de omnibus propemodum quæ ad ſpiritualem vitam pertinent; adeó ut tractatus hic uſui eſſe poſſit tum hominibus ſpiritualibus, tum eorum inſtructoribus, & magiſtris. Materiæ autem in diverſos diſtinguuntur tractatus, ut in ſubjecto videre licebit indice. Deum Optimum Maximum quam poſſum affectuoſiſſime rogo, ut lectorum animos ad operum interiorum, in quibus ſapientiæ, bonitatis, charitatis, ac miſericordiæ ipſius magnitudo ſublimius atque evidentius eluceſcit, amorem, & ſtudium pertrahere dignetur.

VENERABILIS
P. FR. JOHANNIS
A JESU-MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI CALAGURITANI
SCHOLA;
IN QUA DE ORATIONE, CONTEMPLATIONE, Mortificatione Paſſionum, atque aliis præcipuis ad doctrinam ſpiritualem ſpectantibus materiis præcepta traduntur.

TRACTATUS
DE RELIGIONIS NOSTRÆ
Inſtituto, deque hujus fine, vel partibus, & ſtatus noſtri obligationibus, ut ſuum hinc alii Religioſi ſtatum perſpectum habeant.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

A

Relligioſorum obligationes.

Religioſus quilibet noſſe tenetur, quod proprium ſuum ſit inſtitutum, quæ ejus partes, quæ obligatio; quemadmodum & unumquemque, qui aliquid profitetur, par eſt ſcire id, quod profitetur. Ut vero Religioſi noſtri diſtinctam harum tanti momenti rerum cognitionem habeant, ſequentia hæc eos obſervare non inutile fuerit.

Ultimus hominis finis, qualis?

Notabile I. Certiſſimum eſt, ultimum Religioſorum ac ſæcularium finem eundem eſſe: quia omnes, ſi vitam ſanctè, recteque inſtituant, ſimul ad vitam æternam tendunt. Adeo ut & bonus Religioſus, & bonus Chriſtianus in ſæculo vivens, pro ſtatu ſuo quiſque, claram viſionem Dei, & perfectæ charitatis fruitionem, qua in cœlo donabuntur, intendant, & ſpectent. Hæc vita eterna eſt, & ultimus hominis finis.

B

Notabile II. Religioſo vero non ſufficit hanc veritatem noſſe, ſed & aliam quamdam norit oportet; ſcilicet, antequam ad ultimum, & beatiſſimum illum finem perveniat, alium adhuc quendam finem eſſe non ultimum, in quo omnes Religioſorum congregationes, ac familiæ conveniunt, & ad quem omnes illæ tendunt. Hic autem finis non ultimus omnibus in genere Religionibus communis, eſt ipſa charitatis, quæ in hac vita & poteſt, & ſolet acquiri, perfectio, quæ tametſi ad ſummam illam charitatis, quæ in ſtatu glorioſo habebitur, perfectionem non pertingat; excellentiſſimus tamen quidam perfectionis eſt gradus, dignus ſanè, qui omnibus monaſticæ vitæ laboribus, & exercitiis comparetur.

Finis Religioſi non ultimus, qualis?

C

Religioſi obligatio.

Notabile III. Scire adhæc Religioſus debet, ſe eo ipſo, quo ſtatum ſuum profitetur graviſſimè obligari, ut ſemper ad perfectionem charitatis tendat; adeo ut ad hanc eum perfectionem ſemper reſpicere, & huc omni ſtudio conniti oporteat. Propterea tamen non requiritur, ut in illa perfectus ſit, uti id ab Epiſcopis requiritur, quorum nimirum ſtatus, ſtatus eſt magiſtrorum perfectionis, cum ipſe Religioſorum, non magiſtri, ſed diſcipuli, aut incipientis, qui vitæ Chriſtianæ perfectionem addiſcere procuret, ſit ſtatus; prout communiter Sancti, ac Doctores ſcholaſtici tradunt. Ad hujus ad perfectionem tendendi obligationis intelligentiam commune illud magiſtrorum ſpiritualium notandum eſt axioma: *In via perfectionis non progredi, nec proficere, eſſe velut deficere ac retrogredi.* Quod ſic probatur; quia omnis actio humana in particulari vel bona eſt, vel ma-

Epiſcoporum ſtatus, qualis?

Axioma.

D

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

la, ſecundum communem Thomiſtarum ſententiam: dum bona eſt, proficit homo; cum vero mala, deficit ac retrocedit, idque vel graviter, dum videlicet mortale committit peccatum, vel leviter, quando peccatum veniale eſt; per quod peccatum ipſi gratiæ, charitatis, & aliarum virtutum habitus non idcirco depereunt, ſed ſuæ intenſionis gradus amittunt. Notandum præterea, ipſam perfectionem Chriſtianam primario & eſſentialiter in mandatorum charitatis cum erga Deum, tum erga proximum exercendæ obſervatione conſiſtere; ſecundario vero & inſtrumentaliter in conſiliis Evangelicis, quæ ad exactiorem præceptorum obſervantiam faciunt. Nota adhæc rationem, cur perfectio in ſola charitate conſiſtat, ut quidem ſanctus Thomas quæſtionis ſupra allegatæ aſſerit, hanc eſſe, quod omnis rei perfectio in eo ſita ſit, quod cum ſuo ipſa proprio fine uniatur. Atque ideo omnem hominis perfectionem in charitate, quæ animam noſtram Deo, qui ultims ac perfectiſſimus noſter eſt finis, uniat, conſiſtere.

A

S. Thom. 2. 2. q. 184. art. 3.

Perfectio Chriſtiana, ubi ſita?

S. Thom. ibid. art. 1.

Notabile IV. Debet præter ſupradicta puncta, quæ omnibus in genere Religionibus communia ſunt, unuſquiſque Religioſus proprium Religionis ſuæ finem, aut fines noſſe; cum ſuum omnis Religionis ſpecies proprium habeat inſtitutum, quod è propriis ejus finibus, & principalibus obſervantiæ ejus partibus componitur. Ex hac ſpecifica differentia mirabilis illa Religionum, quæ pulcherrimum Eccleſiæ ſunt ornamentum, diſtinctio, vel varietas naſcitur: adeo quidem, ut unaquæque cum particularibus, vel ſpecificis, & propriis finibus (in quibus omnes Religiones non conveniunt) ad perfectionis charitatis finem contendat (in quo omnes conveniunt.) Sic ab una Religione velut proprium inſtitutum, ac finem ſuum ſeligi videmus contemplationem, ab alia piam prædicandi, ac docendi actionem; ab alia vero duos hoſce fines ſimul jungi, ita eoſdem mirabiliter inter ſe temperando, ut cum ſibi, tum proximo queant benefacere: atque adeo omnes cum hac finium immediatorum varietate ad mediatum & communem divinæ charitatis finem, uti diximus, aſpirare. Notandum vero, plures Religiones duos hoſce immediatos fines ſibi ſelegiſſe, diverſos tamen gradus, ac differentes regulas, vel conſtitutiones, ac modos, quibus ad hoſce fines pertingant, habere; ob quæ etiam inter ſe diſtinguuntur; cum ad ſpecificam rerum moralium diſtinctionem ipſa in hujuſmodi rebus differentia ſufficiat.

B

Varios Religionum fines.

C

Et varia media ad illos conſequendos.

Notabile V. E ſuperius propoſita doctrina ſequitur, Religioſos noſtros noſſe teneri, quod noſtrum ſit inſtitutum, ut ſciant nimirum, quinam immediati ſint fines, per quos ad mediatum charitatis, & ultimum æternæ vitæ, ad quam aſpiramus, finem perveniamus. Reſpondeo itaque, inſtitutum noſtrum mixtum eſſe, & è duobus finibus ac partibus conſtare: quarum una ipſa ſit contemplatio, altera actio, ita tamen ut contemplatio præcipua ac primaria pars ſit, ac finis. Quod perinde eſt, ac ſi diceremus: Religioni noſtræ primario ac principaliter propoſitum eſſe, ad perfectionem charitatis per vitæ contemplativæ exercitia, ſecundario autem per vitæ activæ ſtudia contendere. Et ſane per Dei gratiam, & per Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & B. Matris noſtræ Tereſiæ merita, dicta exercitia ſunt egregrie admodum ad utrumque finem, & partem inſtituti noſtri ordinata, & proportionata, idque tam in conventibus Monachorum noſtrorum, quam monaſteriis Monacharum.

D

Lege tractatum de vita activa & contemplativa.

E

Notabile VI. Ex eo, quod immediate dictum eſt, ſequitur Religioſum aliquem de noſtris, ſi quando interrogatur, quonam per illam obſervantiam, quam profitemur, conitatur, reſpondere debere: Ego ad divinæ charitatis perfectionem per inſtitutum quoddam, è contemplatione, & actione mixtum compoſitumque contendo; adeo ut primarium ac præcipuum ſtudium meum ſit, diſciplinæ noſtræ exercitiis quæ ad Domino Deo vacandum, & divina contemplanda inſtituta ſunt, ſerio intendere; quod ſanè me in progreſſu in charitate ejus faciendo permultum juvat. Secundariò vero iis intendo adimplendis, quæ obedientia mihi quoad vitam activam præcipit, ut, dum mihi injunctum eſt, ut proximi cauſâ ſtudeam, prædicem, confeſſiones excipiam, ac manibus laborem, id ex animo exequar.

Relligioſorum Carmelitarum Excalceatorum ſtudium.

F

Notabile VII. Notandum Religionis noſtræ inſtitutum duos illos, quos diximus fines, complecti, ac præterea regulam, conſtitutiones, & exercitia, ceu media, per quæ duo illi fines obtineantur. Hinc Religioſus noſter ita ad fines noſtros reſpicere debet, ut alias eum vias ac media, quibus ad eoſdem perveniat, requirere neceſſe non ſit, præter ſola ea, quæ in noſtris legibus, ac ſtatutis præſcripta ſunt. Atque ideo fideliter dictas obſervare leges debet, perſuaſum habens, ſic, & non aliter ad charitatis ſe perfectionem per proprios inſtituto noſtro fines, & partes perventurum. Hac itaque doctrina præſuppoſita, cuidam magni momenti quæſtioni ſimul reſpondetur; quid nimirum ſit ad perfectionem tendere? Quod non aliud eſſe dico, quam præcepta divina, & ea, quæ Criſtianis omnibus communia ſunt, nec non ea, quæ inſtituto propria & eſſentialia ſunt, cum intentione & intuitu ad perfectam charitatem contendendi, obſervare.

G

Ad perfectionem tendere, quid?

Notabile VIII. Porrò quo ad ſtatus noſtri obligationem aliud dicendum hic non occurrit, quàm tria ſolemnia vota, & quartum de non ambiendo adhæc formalia expreſſaque ſuperiorum mandata, nec non ipſum divinum officium, Religioſos noſtros profeſſos ad peccatum mortale obligare; Regulam verò ad veniale duntaxat; Conſtitutiones, Inſtructiones, & alia Superiorum decreta ad nullum prorſus peccatum, ſed ad pœnam tantùm ubi, & quando impoſita eſt, obſtringere. Boni tamen Religioſi

H

Regulae Carmelitricae obligatio.

non

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

non aliter ſtatuta, quæ ad nullum peccatum obligant, obſervare debent (uti, & Dei gratia obſervant) quam ſi mortalem reatum prævaricantes abligarent.

A

Status Religioſi & Chriſtiani diſcrimen.

Notabile IX. Superiora puncta ubi Religioſus perſpecta habuerit, facilè, quodnam inter ſuum, & ſæcularium Chriſtianorum ſtatum diſcrimen ſit, intelliget. Hinc fiet, ut monaſticum ſimus ſtatum pluris facturi, & infinitas divinæ Majeſtati, quod majoribus nos, quam ſæculares reliquos beneficiis affecerit, gratias acturi. Nam præter gratiam, quam Deus iis, ad divinam legem ejus auxilio ſervandam, præſtat, ac præter Sacramentorum, & aliquorum exercitiorum & mortificationum, quas interdum boni ſæculares ſuſcipiunt, remedia noſtro ſanè ſtatui de tot auxiliis ad perfectionis Chriſtianæ acquiſitionem optimè proportionatis proſpexit, ut magna foret cæcitas, hæc non agnoſcere, inſignis verò ingratitudo, eadem parvi pendere, nec debitas eo nomine divinæ bonitati gratias agere. Vota ſiquidem, Regula, Conſtitutiones, Superiorum Inſtructiones, & Decreta, orationis, ac mortificationis exercitia, vitæ communis, & regularis capitula, exhortationes ordinariæ, ſolitudo, ſilentium, pia in iis, quæ ad obſervantiam ſpectant, æmulatio, charitatis, ac humilitatis actus, aliaque quæ noſtrum inſtitutum continet; permagna quædam Dei beneficia ſunt, nec non convenientiſſima ad hanc perfectionem, ac vitam æternam, ad quam tendimus, comparandam media.

B

Parfectio monaſtica, quomodo acquirenda?

Notabile X. Quicunque ad perfectionis monaſticæ apud nos finem pertingere cupit, duo potiſſimum reſpicere capita debet, ſcilicet primò ſtudium orationis, deinde mortificationis; ita ut in diſciplinæ noſtræ exercitiis, & in omnibus, quæ ſeſe offerent, occaſionibus duo ſemper puncta præ oculis habere debeat, primum, ut animum Deo ſemper unitum, & conjunctum habeat; alterum, ut ſuum judicium, voluntatem, & proprios appetitus abneget. Hæc regia via eſt, quam, & Chriſtus Dominus prædicavit, & Apoſtoli aliique ſancti ſectati ſunt, ideoque ex toto corde à noſtris debet Religioſis amari, ac uniri.

C

Finis noſtri Inſtituti primarius, qualis?

Notabile XI. Ex eo, quod de immediatis inſtituti noſtri finibus, aut partibus diximus, nimirum quod præcipuè ad contemplationem, velut ad finem ejus primarium obligati ſimus, quoddam oritur dubium: videri ſcilicet ſuæ eum Religioſum obligationi non ſatisfacere, qui ad contemplationem non pervenit? cùm immediatus hic Religionis noſtræ finis, ceu efficax quoddam medium, quo ad perfectionem charitatis ad quam omnes, quotquot ſunt Religiones, tendunt, perveniatur, electus ſit. Ipſum porrò dubium formaliter ſic concipitur. Quomodo in charitate progreſſum facere poteſt, qui primarium, quod ad progreſſum in ea faciendum elegit medium, non adhibet nec uſurpat? Reſpondeo: Qui orationi (quæ ad contemplationem via eſt) incumbit, ut noſtri Religioſi paſſim faciunt, primariæ ſuæ obligationi ſatisfacit, tametſi alioquin ad veram, & propriè dictam contemplationem non pertingat. Eò quod non proprius contemplationis actus, qui gratuitum quoddam Dei donum eſt, quodque pauciſſimis obtingit, ceu medium quoddam univerſale, ad progreſſum in charitate faciendum ſit electus; ſed tantùm univerſaliter ipſa contemplativa vita, quædam ſcilicet vitæ ratio, quæ ſpiritualibus exercitiis, ac maximè orationi ſtudeat; cujus terminus ac finis vera, & propriè dicta contemplatio eſt, à qua ipſa vita contemplativa nomen, & appellationem ſortitur. Quamobrem Religioſus, qui ad hunc terminum tendit, vel ſaltem tendere contendit, ſuæ ſatisfacit obligationi, & charitatis obtinere perfectionem poteſt; etſi alioquin toto vitæ tempore, ne quidem per quadrantem horæ, propriè dictam contemplationem habeat. Sed pauci illi, quibus ingens hoc bonum obtigit, incredibilem quendam in divina charitate progreſſum faciunt; quod nullis poteſt à quoquam verbis explicari.

D

Omnes Religiones ad quem tendant finem?

E

Vita contemplativa unde dicta?

F

TRACTATUS

DE ORATIONE

Orationis definitio.

ORatio quidem propriè quædam eſt à divina Majeſtate petitio: ſed juxta ordinarium, & jam tutum ſenſum, vox hæc oratio ad quandam mentis ad Deum elevationem, & ſublationem ſignificandam uſurpari ſolet, & in ſecundo hoc ſenſu omnes orationis partes includuntur, cùm primus ſenſus ultimæ ſolùm parti orationis conveniat.

Quot ejus partes?

Partes orationis ſunt ſex. Prima, ipſa eſt præparatio; Secunda, lectio; Tertia, meditatio; Quarta, gratiarum actio; Quinta, oblatio; Sexta denique, ipſa petitio.

G

Praeparatio.

Præparatio porrò duplex eſt: una remota, altera proxima. Præparatio remota in fuga conſiſtit diſtractionum, nec non eorum, quæ recollectionem interiorem turbare queunt. Proxima verò in majeſtatis divinæ magnitudinis, ac propriæ vilitatis conſideratione, ut ſe nimirum homo per affectus reverentiæ, & amoris erga divinam majeſtatem, & per affectus humilitatis, ſemetipſum diſpiciendo, ac de peccati vilitate dolendo diſponat. Et hunc oraturus præferre affectum, cùm ſeſe ad orandum componit, debet; uti publicanum Evangelicum feciſſe legimus, cujus oratio Domino Deo tantoperè placuit.

Lectio.

H

Lectio deinde, primò attenta ſit, ſecundò lenta, tertiò punctum aliquod cæteris efficacius ſeligendum, tale nimirum, quod majorem ad meditandum, vel de eo mente diſcurrendum, ut eò voluntas tandem permoveatur, vim habet. Parum verò refert, utrum ipſa præparationem lectio præcedat, an ſequatur.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

Meditatio,

Meditatio primò eſſe debet moderata, deinde efficax. Notandum verò è meditatione, in qua divina conſiderantur beneficia, quamdam gratitudinem enaſci, quæ duas habet partes; primò, affectum gratum interiorem, quo excitatur homo, ut ideo ei gratias agat; deinde reciprocam pro modulo noſtro in beneficio reddendo reſponſionem: & ad hoc quædam fieri ſolet oblatio, in qua virtutum tum interiorum, tum exteriorum opera facere firmiter proponimus. A

Gratiarum actio.

Gratiarum actio conſiſtit primò in affectibus gratitudinis excitandis, deinde ut meditans aliquot amoris, & laudis divinæ actus propter accepta beneficia in ipſa meditatione perpenſa faciat.

Oblatio,

Oblatio ſita primò eſt in eo, ut meditans totum omnipotenti Deo ſeſe conſecret; ſecundò, infinita ſi haberet corda, offerat; tertiò, excellentes quoſdam virtutum cum interiorum, tum exteriorum, ac præſertim earum, quæ maxime neceſſariæ ſunt, facere, & generosè adverſus paſſiones, & tentationes, à quibus maxime oppugnatur, decertare proponat. B

Petitio.

Petitio eſt, ut petamus primò bonum, quodcunque homini congruum, & conveniens eſt; ſecundò, victoriam de illo vitio aut tentatione, quæ plus cæteris nos affligit; tertiò, virtutem tunc nobis potiſſimùm neceſſariam; quartò ut etiam aliquid pro proximis petamus; quintò, ut magna quadam fide per Chriſtum Domum noſtrum hæc omnia petamus.

Sex harum partium ratio hæc eſt: Rationi quàm maximè conſentaneum eſt, ut, quiſquis potentem aliqem principem, & multò magis divinam allocuturus eſt majeſtatem, ſeſe antè præparet, & conſideret, quocum tractare velit, & quis ſit ipſe, qui hunc alloqui proponat. Atque huc ipſa facit Præparatio. Deinde par eſt, ut ſecum C cogitet, quanam de re acturus ſit, atque hunc in finem adhibetur lectio, quæ orationis materiam ſuppeditat, neceſſe quoque eſt, ut ipſa, de qua agendum eſt, materia antè ſeriò ponderetur, & expendatur: Huc ipſa ſpectat meditatio, quæ hanc materiam excutit, & ponderat, ſuper eandem diſcurrendo, Sequitur dein affectus applicatio, quæ ex ea oritur meditatione, in qua accepta à divina majeſtate beneficia conſiderata ſunt: eadem quippe ratio, quæ ad præparationem faciendam, & ad materiam eligendam, & ad ſuper ea diſcurrendum excitavit, exigit, ut, dum in illo diſcurſu divinæ miſericordiæ clarius jam perſpectæ agnoſcuntur, tanto ſeſe anima benefactori obſtrictam, & D obligatam ſentiat, atque idcirco ex intimo affectu ei gratias agat, huic uſui eſt ipſa gratiarum actio. Conſentaneum adhæc eſt, ut præter gratitudinem illam interiorem, quam maxima poteſt contentione anima grata tanto benefactori viciſſim reciproco beneficio ſtudeat reſpondere. Ad hoc confert oblatio, in qua nimirum ſe homo totum ex hoc gratitudinis affectu offert, & virtutum opera propter Dominum Jeſum facere proponit. Sed juxta Catholicam veritatem præſuppoſito, non poſſe hominem ſine Domini, & Creatoris ſui auxilio, & gratia debitum hoc perſolvere, vel pium aliquod opus facere, ratio ipſa poſtulat, ut ultima orationis pars ſit ea, qua ad ipſum per petitionem recurramus, E illius opem ad hoc debitum perſolvendum, ad peccati onera deponenda, ad virtutes comprandas, denique ad omne id, quod vel neceſſarium, vel conveniens eſt, quo ad finem vitæ perveniatur, acquirendum poſtulantes.

BREVE EXEMPLUM ORATIONIS

E ſupradictis partibus compoſitæ, idque circa dolores & ignominias Jeſu Chriſti crucifixi. Prævia autem de hoc myſterio lectio præſupponitur.

PRAEPARATIO.

EGO viliſſimus peccator tecum, o Altiſſima Majeſtas, Supreme Domine, ac Deus meus, locuturus ſum. Magnum F quid hoc eſt, Domine. Minimè autem dubium eſt, quin tu ex infinita bonitate, & dulcedine permittas, ac digneris, ut ego, qui abjectus quidam ſum vermiculus, quique æterna quadam repulſa à te deberem repelli, cum divina tua loquar Majeſtate, acceſſumque inveniam cum eadem propiùs, ac de plano agendi. Ego te, potentiſſime Regum Rex, adoro, & me coram immenſa tua magnitudine proſterno, tibique cor meum conſecro, ut ipſum vacet tibi, quin meorum me maxime pœnitet peccatorum, & ex toto corde meo te deprecor, ut ea mihi propitius digneris ignoſcere, mihique adeſſe, ut horam hanc fructuosè orationi queam impendere.

MEDITATIO. G

Nota, meditationem hanc, aliaſque partes magis extendi poſſe, ſecundum temporis ſpatium cujus potiſſima portio tribus ſequentibus partibus impendenda eſt, atque hic bonae meditationis fructus eſt.

DE tua mihi, ô Fili Dei vivi, crucifixione cogitandum eſt: & vellem ſane, graviſſimos hos dolores, & ignominias, quas pro me paſſus es, pro merito poſſem ponderare. Certò autem novi, o infinitum bonum meum, dolores hos tuos majores eſſe, quam ut ullis à me verbis exponantur, quia quando te in ligno illo extentum video, oſſa tua loco mota, manus ac pedes tuos, clavis illis transfixos, & ſacratiſſimum caput tuum horrendis illis ſpinis perforatum, & in crudeliſſimæ mortis agone conſtitutum; & ſimul in mentem revoco, puriſſimum corpus tuum tali à Spiritu S. temperatura formatum fuiſſe, ut maximè ſenſibile id foret, & magis, quam ullum alterius hominis corpus, dolores & H cruciatus ferre natum; dolores ſanè tuos ineffabiles fuiſſe mihi perſuadeo, & ipſos etiam lapides ad ſummam quamdam compaſſionem iiſdem permoveri debere. Cui ſi admirabilem divinæ tuæ perſonæ inventionem addidero, qua nimirum maximè ſtupendum hunc modum, quo ſe naturæ cuidam paſſibili, ad tantos cruciatus ferendos, univit, adinvenire

Scrip. An. 1010. Ital. Idiom.

nire potuit, aliud quid dicam, neſcio, quam eſſe me & crudeliſſimam, & ingratiſſimam quandam creaturam, quæ immanis hujus ſpectaculi juſtitiæ in innocentem Dei vivi Filium, qui pro me mortem ſubiit, exercitæ cauſa exſtiti. Si deinde auribus tuorum illuſiones, & improperia inimicorum excipiam, qui tametſi te in ſummis cruciatibus conſtitutum viderent, infernalibus te linguis ſuis de novo crucifigebant, inſultantes, exultanteſque, quod te tanta cum ignominia & dolore emorientem cernerent, aliud non habeo, quod ad hæc reſpondeam, quam eſſe me illum Judam, qui gravibus te peccatis meis in rabidorum horum luporum manus tradidi, ut ea, quam tantopere concupierunt, præda cruentam famem ſuam exſatiarent. Dic mihi, obſecro, Domine amantiſſime, qui fieri potuerit, ut mea cauſa in tam atrocium inimicorum manus te ultro tradideris? Scio, me antè deliquiſſe in te, & ad iracundiam te provocaſſe: quomodo ergo tanta dulcedine ultro, ac benignitate me provocas? Cur innocens pro reo, & pro ingratiſſimo peccatore mori debet?

A

B

GRATIARUM ACTIO.

INfinitas tibi gratias ago, Æternum bonum meum, quin infinita habere corda vellem, ut iis omnibus ſonoris factis opulentiſſimam miſericordiam tuam decantare, ac celebrare queam. Hi, & ſequentes actus pro temporis modo, ac diſpoſitione multiplicandi ſunt.

OBLATIO.

EGO tibi, benigniſſime Domine, meipſum totum, nec non infinita, quæ habere vellem corda, quo ea tibi ſacrificem, offero, & ut tantæ caritati aliquatenus reciproca gratitudine reſpondeam, fideliſſimè tibi ſervire, & in hac, & illa re, quæ mihi difficultatem exhibet, mortificare, &c. propono.

C

PETITIO.

VErùm nihil prorſus ſine te facere poſſum, Domine: quamobrem adjuva me, Rex liberaliſſime, & gratiam concede, ut quæ me affligit, paſſionem expugnem, illamque comparem virtutem, quam mihi maximè comperio eſſe neceſſariam, ac per te ipſum omne id mihi præſta, quod, quo ad æternam gloriam perveniam, mihi deeſt.

DE PARTIBUS ORATIONIS IN COMMUNI.

DUbium I. An plures ſint orationis partes præter eas, quas aſſignavimus? Reſpondeo, quod non, atque idcirco multi eas ſancti ad pauciores reſtringunt: ſed ea, quam dedi, diviſio, tironibus utiliſſima eſt. Nota: Aliqui quidem ſcriptores ſpirituales contemplationem ad hunc partium orationis ordinem referunt; ſed id errandi junioribus occaſio eſt. Quanquam enim hæc ſub orationis nomine comprehendi queat, quod altiſſima quædam mentis in Deum ſit elevatio, propriè tamen loquendo, magna eſt inter hæc duo differentia, & tirones dum contemplari conantur, & ſuum tempus, & ut pulrimum fructum omnem orationis perdunt; quod tum manifeſtiùs & clariùs oſtendemus, cum ſuo loco de contemplatione agemus.

D

Orationis, & contemplationis diſcrimen.

Dubii hujus & ſequentis reſponſio

E

item habetur dub. 14.

Dubium II. An neceſſe ſit, omnes haſce partes ſimul facere? Reſpondeo, utile quidem id eſſe initio, quo tempus hoc fructuosè, & utiliter impendatur: at non adeo id neceſſarium eſt, ut ſi orans ſe, verbi gratia, in præparatione (atque ita de reliquis partibus affectivis dicendum) bene occupatum ſenſerit, certum hunc affectum, & paſtum relinquere pro incerto, vel aliis ſeſe partibus neceſſario occupare debeat. Nota: Quando præparatio initio facta non eſt, eam neceſſariò in ipſo orationis loco faciendam eſſe.

Praeparatio necaſſerio facienda.

Dubium III. Utrum neceſſariò is ſervandus ſit ordo, quem hic poſuimus? Reſpondeo, utile quidem eſſe eum ſervare, quamdiu anima â Domino aliter tracta & mota non fuerit; at quando ſe primo velut impetu abripi, & detineri ſentit, verbi gratia, in petitione, vel oblatione, hunc illi ſequi impulſum licere, etiamſi nulla præcedat meditatio, ac poſtea meditationi ſeſe dare.

F

Nota, lectionem indifferenter inſtitui poſſe tum ante, tum poſt præparationem. Nota præterea, minimè conveniens videri, ut poſt factam eam meditationem anima ad trium ultimarum partium affectivarum ordinem illigetur; ſed illi liberum eſto, ei ſeſe parti ante alias dare, in qua maximè affectum ſuum ſenſerit excitari.

Animadverſiones perutilet.

DE PRÆPARATIONE.

DUbium IV. An materia orationis ante præparanda ſit, quàm ipſe orationis locus adeatur? Reſpondeo, præparandam eſſe. Sed hic notandus quidam eſt error, qui in ipſa præparatione intervenire nonnunquam poteſt. Cum enim præparationis forma ſit ea, quam ſupra produximus, & in ea bonæ præparationis excellentia contineatur, in materia præparanda non raro contingit, ut, qui adeo practicus non eſt, metuens, ne ſibi deficiat meditandi materia, in qua ſe in orationis loco occupet, multum temporis in præcogitandis ante multis conceptibus impendat, quos poſtea in oratione animo revolvat, atque hoc pacto ipſum orationis fructum nimio, hoc diſcurſu amittat. Verum in eo peccat, quin imo ſatius eſt, ut ſolitarum meditationum ordinem ſervet, & aliquo tempore ſecum in cella conſideret, quo puncto magis permoveatur. Verbi cauſa, ſi hac veſpera illi ſit de inferno meditandum, obſervet, quo ſe puncto magis moveri ſentiat, an pœnæ acerbitate, an Dei privatione, an cruciatuum duratione perpetua, &c. Det deinde operam, ut ſenſum hunc conſervet, & eum poſtea tempore orationis reſumat, niſi fortè alio quodam è lectis puncto efficacius ſe moveri ſentiat. Neque verò multi præparandi ſunt conceptus, vel argumenta, ut ea dein in oratione ar-

Error praeparationis.

G

H

Quomodo facienda praeparatio!

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

artificioſè repetantur; ſed cum ſumma humilitate, & ſimplicitate hic procedendum: hoc enim pacto anima illuminatur, & à Domino per argumenta, & cogitationes, quas in ipſo orationis loco is inſpirare dignatur, confortatur. Similiter opus non eſt, ipſum, quem elicere vult, affectum magna arte antè præparare: ſi enim meditatio bona eſt, A & proportionata, ipſe per eandem affectus excitabitur. Etſi alioquin verum ſit poſſe eum, & debere, non quidem ſemper, ſed interdum hic cum certo & deliberato propoſito procedere, ſicut eliciendi, verbi gratia, affectum doloris de peccatis, quando ad generalem confeſſionem inſtituendam ſeſe examinata; vel humilitatis, ſi quando ad ſeipſum magni faciendum, & de ſe altum quid præſumendum excitatur, illorum nempè dierum meditationem ad contritionem, & humilitatem dirigendo, ſed dicitur hoc intentio potiùs, quàm præparatio affectus. Dixi, neceſſe non eſſe ſemper certum, & determinatum aliquem affectum elicere: neque enim ſpiritus nimium conſtringendus eſt, ſed liberè evolare ſinendus, ut per meditationem B ad bonos, ſalutareſque in genere affectus excitetur: ſi enim ſemel voluntas benè nota ſit, facilè poſtea quemlibet bonum affectum eliciemus, eam in hac concitatione ceu ceram aliquam ductilem, eò quò voluerimus, verbi gratia, ad peccati odium, & ad hujus, vel illius virtutis amorem, & ad hujus vel illius paſſionis mortificationem, denique ad omne bonum ducendo, & inflectendo.

Spiritus nequaquam conſtringendus.

De Meditatione.

Meditationis definitio.

Dubium V. Quid ſit meditatio? Reſpondeo, eſt quidam intellectus diſcurſus, ad movendam voluntatem ſpectans; unde ſequitur, non aliter eam adhibendam, quàm C in quantum ad voluntatem movendam neceſſarium eſt.

De Præsentia Dei,

Dequæ imaginibus.

De hac materia agetur in alio tractatu ſingulari.

Praeſentiae Dei definitio.

Dubium VI. Quid eſt Dei præſentia? Reſpondeo, Eſt quædam mentis applicatio ad cogitandum de Deo, idque vel maginariè, vel intellectualiter, & per hanc applicationem benè & propriè dicimur eum habere præſentem. Nam etſi omni in loco præſens Deus adſit (quamvis fortè id ipſi non conſideremus) non tamen eum habere præſentem, aut ſecundum ſenſum Sanctorum, in ejus præſentia verſari dicimur, niſi hanc mentis applicationem faciamus. Quando autem mentis applicatio fit, nullis formatis imaginibus, D id intellectualis Dei vocari præſentia ſolet, cùm autem aliquæ concipiuntur imagines, præſentia imaginaria. Et juxta hanc doctrinam, aut cum imaginibus, aut ſine illis meditatio poteſt inſtitui.

Dubium VII. Quomodo Dei præſentia cuicunque materiæ, quæ in oratione meditando percurritur, appropriari queat, ea inquam præſentia, quam ſibi unuſquiſque initio diei aut ſeptimanæ ceperit? Reſpondeo, Quo ad hanc appropriationem neceſſe non eſt, ut orans magnoperè ſeſe in artificioſa convenientia & proportione materiæ, & præſentiæ Dei quærenda fatiget, ſed ſatis eſt, ut eo ſe modo coram Deo præſentem fingat, quem ejus diei Dei præſentia fert, atque ita de materia occurrenti meditari ſtudeat, E tanquam ſi coram ipſomet Chriſto conſiſteret. Si autem ipſa meditationis materia cum hac Dei præſentia coincidet, proportionaliter erit ipſa Dei præſentia, puncto, quod meditandum eſt, accommodanda: at ſi non coincidat, ſatis fuerit ſupradictum reſpectum in Deo ſibi præſentem fingendo habere: tempus alioquin ſine ullo fructu in nuda ſpeculatione, & non in oratione ex affectu fundenda impenderetur. Unde reſponſum hoc intelligi debet, quando meditationis materia de ſimili re non eſt (verbi gratia, de Chriſto in quantum Deus, vel in quantum homo; (ſed de rebus aliis, puta de judicio, morte, &c. Tunc enim ſuadeo, ut talis fingatur Dei præſentia, qualis occurrit, & de materia ſua ita cogitet, quaſi F ſi coram Chriſto verſaretur. At ſi quis antè Chriſti columnæ alligati præſentiam elegiſſet, ac deinde meditari de Chriſto crucifixo vellet; tunc certum eſt, eum præſentiam & imaginem columnæ relinquere, & crucifixi capere debere.

Hæc pars orationis maximam difficultatem habet.

Dubium VIII. Utrum circa meditationem aliqua ad meditandum formari imago debeat? Reſpondeo, debere: niſi orans, poſtquam jam aliquam experientiam habuerit, & director conceſſerit, licentiam ſine imaginibus formatis, ſed intellectuali duntaxat Dei præſentiæ intendendo orandi habeat. Notandum, eſſe aliquos, qui ſibi imagines formare nequeunt, quibus uſui erit id, quod jam diximus, poſtquam ſcilicet bonam rei G hujus experientiam habebunt:

Dubium IX. Num, qui fingere ſibi imagines nequeunt, niſi imperfectè admodum, imagines relinquere, & tantum præſentiam intellectualem habere ſtudere debeant? Reſpondeo, non debere, ſed formatione illa imperfecta contentos eſſe debere, & tamdiu exercere ſe, donec aliud director & inſtitutor ſuus conſulat. Nam etſi non bene imagines forment, imperfectus tamen ille modus ſatis illis eſt ad perfectam orationem peragendam, ad quam neceſſaria non eſt, imò interdum nec conveniens perfecta harum imaginum efformatio. Præterquam, quod tutiùs & conſultiùs ſit, tam cito ad res intellectuales non deſcendere, imaginaria quatuor noviſſimorum & humanitatis Chriſti Domini præſentia relicta. H

Imaginum efformatio an neceſſaria?

Dubium X. Quomodo paſſionem Dominicam, & alias res imaginabiles meditari poterunt illi, qui nullam pene imaginem formare queunt, vel ſi quam forment, ſtatim ab aliis impertinentibus imaginibus turbantur? Reſpondeo, breves illas figurationes ſatis iis eſſe debere; & ſuper iiſdem diſcur-

rere

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

Comparatio.

A

rere conati, neu de imaginibus impertinentibus multum debere laborare: ita enim bona fiet oratio. Nec vitæ & paſſionis Chriſti conſiderationem eſſe ob inconſtantiam imaginativæ, vel propter imagines ineptas omittendam. Deinde ac ſi quis cum alio, veſpertino ingruente crepuſculo, agens, etſi per tenebras ejus effigiem diſtinguere nequeat, non tamen idcirco negotia ſua cum eo tractare deſinit, contentus eum præſentem habere, ab eo audiri, & reſponſa ad negotiorum tractationem ſpectantia ex ejus ore excipere.

Perfectio imaginationis nocere poteſt.

B

Dubium XI. Num, quibus facile eſt quælibet ita mente ſibi efformare, ut videre ſe illa exiſtiment, formationem illam perfectam adhibere debeant? Reſpondeo, quod non, ſed hos ſuam vivacitatem & vehementiam illam temperare, nec, verbi gratia, in lineamentis vultus Chriſti, aliiſque particularitatibus minutis efformandis multum occupari, ſed rudi quodam modo & imperfecto contentos eſſe, & ipſis potius partibus, actibuſque orationis intendere debere. Hæc alioquin imaginationis perfectio multum iis noceret, & interdum indubitate certoque ſibi perſuaderent veras ſe viſiones, & revelationes habuiſſe, cum potius imaginationes quædam craſſiores, & illuſiones diaboli ſint, qui id genus hominibus diverſimode illudere conſuevit.

Ubi efformandae imagines?

Dubium XII. Num imagines debeant apud, vel juxta, an vero procul ab homine formari? Reſpondeo, ſi rem in ſe, prout eſt, inſpiciamus, ſatius multo eſſe eas effingere apud ſe, vel intra ſe, quod id ad interiorem recollectionem magis faciat. Verum aliqui difficultatem in hoc ſentiunt, & ipſa experientia demonſtrat, etiam aliis modis bonam fieri orationem poſſe. Atque ideo quiſque apud ſe experiatur, quænam orandi ratio majorem illi fructum adferat, cujus rationem inſtructori ſuo reddat, modumque eum ſequetur, qui magis ſibi convenit.

C

Quomodo imago reſpicienda?

D

Animadverſio.

Dubium XIII. Num utile interdum ſit, formatam ſibi imaginem, verbi gratia Chriſti Jeſu Domini noſtri, fixè firmiterque, ſine ullo mentis diſcurſu intueri? Reſpondeo, interdum id faciendum eſſe, quando ſcilicet voluntas jam inflammata eſt; ita tamen, ut ſincerus, humilis, & affectuoſus is intuitus ſit: quod ad affectum magis excitandum conferre ſolet. Sed adverte, conſultum non eſſe, ut ii, qui perfecta imaginativa pollent, uti diximus, violenter oculos in illam imaginem defigant, vel oculos ejus, os &c. fixe intueri aſſueſcant; ſed ſatis illis eſſe indiſtincta illa præſentia debet, uti jam ante diximus. Nota præterea, quod diximus, quando accenſa jam voluntas eſt, conſultum eſſe interdum fixè Chriſtum Dominum intueri; ita id intelligendum videri, ut parumper ipſe diſcurſus & actuum frequentia tunc interrumpatur; non ita tamen otioſè interquieſcendo, ut orans ſuſpendere mente ſe ipſe velit, ac velut obdormire, ad Chriſti præſentiam non reſpiciendo. Hoc namque ſtultitiæ quædam ſpecies foret, cum ſuſpenſiones mentis per noſtram nobis non obveniant diligentiam & conatum, ſed per ſolam gratiam, quando ſcilicet eas Deus concedere fuerit dignatus.

De Motione affectus.

E

Dubium XIV. Num, quando anima, efficacius, magiſque ſe per alia puncta, quæ ad præſtitutam materiam, & diſcurſum, quem in oratione facit, minimè ſpectant, moveri ſentit, ab iiſdem ſe trahi ſinere debeat? Reſpondeo id fas eſſe, ſi modo puncta ea pia ſint, & utilia (quod præſuppono) hæc namque motio ſignum eſt, Dominum animam in re alia magis importanti, quam ſit illa, quam meditabatur, reficere ac paſcere velle. At ſi motiones illæ frequenter jam contingerent, & animadverteret homo, ſibi, poſt fervorem hunc motus, quem ſentit, nullum inde aliud bonum manere, & exiguum inde ſibi ſequi lucrum, facile ſe attrahi iis non ſinat: perdet enim continuum orationis diſcurſum, qui & intellectui illuminando, & voluntati ſolidè convincendæ & movendæ mirificè prodeſt, ac quaſi panis quotidianus eſt, qui animam ſuſtentat. Qui hujuſmodi quid in ſe percipiet, nihil hic agrediatur, quin ante ſuum directorem conſuluerit.

F

G

Veri virtutum actus, qui?

Affectus nomine, quid intelligatur?

H

Dubium XV. Quid faciendum, quando percipit homo ſuam in meditatione voluntatem non emoveri? Reſpondeo, ſi hæc ſtatim non moveatur, aliquantulum adhuc eſſe in meditatione pergendum, & Deum orandum, ut cum hoc affectu concurrat: at ſi, verbi gratia, medium horæ orationi præſcriptæ tempus elabatur, ipſa meditatio infructuoſa relinquenda eſt, & aliud quodlibet punctum aut conſideratio aſſumenda, erga quam anima afficitur, certa cum ſpe ſecuturæ motionis, aut potius ad ultimas orationis partes gratiarum actionem ſcilicet, oblationem, ac petitionem, tametſi multa in iis ſenſibilis devotio ſentiatur, progrediendum. Sunt enim hi veri virtutum actus, & orationis finis ac fructus, & hæc voluntatis motio, quæ modo quodam ſenſibili fit, neceſſaria omnino non eſt, & ſæpius non conveniens. Doctrina hæc locum habet, quando quis tentatus eſt, & diſcurſum formare nullum poteſt: qui proinde ſe geret, uti dum voluntatem meditatio non movet, nec affectus ullos elicit. Nota, per voculam *Affectus* in hac materia noſtra intelligi & ſignificari quemcumque voluntatis actum qui cum aliquo ejuſdem motu, vel calefactione producitur. Intelligi quoque per vocem *affectus* quemlibet appetitus ſenſitivi actum, qui alio nomine dicitur Paſſio, eo quod cum aliqua commotione corporis; vel immutatione producatur. Oratio affectuum voluntatis officina eſt, qui vel ſoli, vel cum actibus appetitus ſenſitivi produci & enaſci ſolent. Unde ſequitur, dum aliquis cum ariditate orat, & nihilominus bonos actus, & propoſita voluntate facere contendit, eum propriè dictos

affe-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

affectus non elicere, multos alioquin bonos actus magni meriti faceret.

Dubium XVI. Quid faciendum, quando meditatio ſtatim vel breviter quidem affectum commovet, ſed ſtatim etiam is refrigeſcit? Reſpondeo: eum reſumendum eſſe, & ſecundò, vel ſæpiùs ignem inflandum. Hîc verò utile fuerit, breves illas meditationes A ultimis partibus affectivis intermiſcere, itaque ceu ignem ſæpius folle ſufflare, & flammam excitare, & ſtatim atque extinguitur, Animadverſio. iterum ſufflare. Nota, aliquos eſſe, quibus exigua opus ſit ad affectum movendum meditatione: in aliquibus quidem id ortum habere poteſt, quod præcedentium meditationum frequentiori exercitio voluntas jam facta flexilis ſit, & facilè mobilis: quod virtutis eſt argumentum. In aliis verò provenire id poteſt è naturali conditione, & debilitatis, & imbecillitatis, & exiguæ firmitatis animæ ſignum eſſe ſolet. Primi benè faciunt, ſi parum meditentur: ſecundi non benè, niſi in converſionis ſuæ initio vim ſibi aliquam ſatagant inferre, ubi primum ſeſe orationi dare incipiunt. Rei B hujus ratio eſt, quia ſicut ſubitò, & ſtatim commoventur, toti ſe ſuſpiriis, & planctibus, quæ parum utilitatis adferunt, occupant, & de punctorum, quæ ad virtutem movent, conſideratione parum laborant: quod locum habere non poteſt in iis, qui poſtquam debitum tempus, & locum conſiderationi materiæ dederunt, quandam ſibi facilitatem ad affectum movendum comparant: quod in primis notandum eſt.

Dubium XVII. Quid facere oporteat, quando vi meditationis affectus multum accenditur? Senſibilis commotio, cur temperanda? Reſpondeo, commotionem ſenſibilem temperandam eſſe, præſertim in incipientibus: eo quòd id capiti, & pectori noceat, nec ſpiritui aliquem profectum adferat, nec hominem virtutum, aut vitiorum C cognitioni, nec Sanctorum imitationi attendere ſinat, quæ omnia intellectum requirunt, & non ſolum affectum.

Dubium XVIII. Quid faciendum, quando nec per materiam præparatam, nec per ea, quæ in Oratorio leguntur, affectus movetur? Reſpondeo, poſſe, & debere aliud quodcumque punctum ſumi, in quo aliqua ad res divinas motio inveniatur. Ut ſi, verbi gratia, hodie de morte meditatio inſtituitur, *Lege n. 14.* & me ipſe non poſſum ad partium affectivarum (quæ ſunt orationis fructus) exercitium excitare, & magis me conſideratione Chriſti crucifixi movendum videam, *Lege n. 15.* etiamſi dies illi meditationi deſtinata non ſit, non malè faciam, ſi de illa re cogitem. Idem fieri poteſt, quando (ſuppoſito materiam D præparatam eſſe) initio orationis aliud ſeſe offert punctum, vel materia, ad quam vòluntas magis propendet.

Dubium XIX. An, quando per bonum aliquem affectum in meditatione voluntas mota eſt, & oranti hic affectus magis inflammandus videtur, ſi amplius ſuper hoc diſcurreret, quin, & inclinari ſe ſentit ad pluribus ſuper eo diſcurrendum, an id illi faciendum ſit? Reſpondeo, quod non, ſi nimirum ipſa motio competens, & conveniens ſit: quia ſuppoſito eum pabulum ſufficiens inveniſſe (qui finis eſt meditationis) Finis meditationis notatur. certum non eſt propter incertum, & finis propter media relinquendus, ſed partium affectivarum, & ultimarum orationis actibus attendendum. E Reſponſio hæc bona eſt, & utilis, non tamen idcircò ſcrupulum ſibi movere anima debet, ſi interdum, voluntate jam mota, ulterius in diſcurrendo pergat, quò magis inflammetur: fieri enim poteſt, ut hoc illi benè ſuccedat; ſi verò comperiat, parum ſibi id ſucceſſiſſe feliciter, erit ut hinc in poſterum diſcat eſſe cautior.

Dubium XX. Quid agendum, quando ipſe in Deum affectus quidem movetur, non tamen in ullum particulare, ejus cauſa ſuſcipiendum, obſequium ſeſe inclinare ſentit? Reſpondeo, Illarum rerum propoſita, & actus particulares facere orans debet, in quibus majorem ſentit difficultatem, nec non diverſos virtutum actus, verbi gratia ſpei, amoris, &c. adeò ut affectus, quem erga Dominum ſentit, ita illo paſcatur, ut ſem- F per magna quædam, ejus cauſa, ſi quando poſthac futura occaſio eſt, facere intendat.

Dubium XXI. Utrum, qui meditari duo, aut tria puncta vult, & particularem quamdam in voluntate motionem inter diſcurrendum non ſentit, expectare debeat, ut ſimul in fine diſcurſus ſupra tria illa puncta affectum eliciat, an verò è ſingulis eum elicere debeat? Reſpondeo, tamdiu eum diſcurrere debere, donec ad certum aliquod pervenerit ſignum (quale verbi gratia eſſet, media orationis hora vel circiter) experiendo, num aliquo horum punctorum moveatur. Si tunc quidem voluntas non moveatur, ad ultimas partes affectivas orationis, tametſi G ariditatem ſentiat, attendat, quod hæ partes quidam ſunt actus virtutum, ad quos illa motio, quæ expectatur, uti ſupra Dubio XV. dictum eſt, non eſt neceſſaria. Sed ſi prima media hora affectus excitetur, etiam cùm adhuc ſupra primum punctum diſcurritur, ſatius eſt diſcurſum penitus abrumpere, & affectui parando intendere. Animadverſio. Nota, circa hoc dubium incipientes errare ſolere ſibi perſuadentes, neceſſe eſſe violenter affectum elicere, ſuam quodammodo animam exprimendo, ſicut uva è botro exprimitur. Sed non ſic id intelligendum eſt, nec faciendum, ſed danda opera, ut ſuaviter diſcurratur, & anima recolligatur, quò ipſa moveatur; nec eſt neceſſe violentia aliqua affectum elicere; cum voluntas H rationibus ſoleat, non verò vi aliqua corporali moveri.

Dubium XXII. Quid agendum, quando voluntas ad bonum aliquem affectum vel alicujus virtutis deſiderium movetur? Propoſita in oratione facienda. Reſpondeo, multa oranti propoſita facienda ad labores aliquos, quibus eam acquirat, ſuſcipiendos, aliquas ſibi occaſiones excogitando, do, quas probabiliter putat eidem exercendæ eventuras, & animosè viriliterque illas ſuperare difficultates proponendo, quin etiam inſtanter illi ad hanc acquirendam auxilium à Deo Optimo Maximo petendum, atque in his actibus diutinis poterit occupari.

Dubium XXIII. Num in meditatione de paſſione Dominica utile futurum ſit, illo A in puncto diutius hærere, in quo aliquem bonum elicere in ſingulari affectum poſſet? Reſpondeo; inprimis conſultum eſſe, in quocunque puncto, è quo bonus aliquis naſcitur affectus, diutius hærere: non tamen probari, ſi vim ſibi orans faciat, ut è quolibet puncto affectum velut violenter expreſſum eliciat, ſed meditatione continuata duos eum fines intendere debere: Quorum unus ſit intellectum illuminare, alter verò, affectum inflammare. Ubi ergo affectum particularem elicere voluerit, non inutile fuerit interdum huc meditando reſpicere. Verbi gratia, quando de præteritis peccatis meditatio inſtituitur, intendere meditans debet, ut affectum contritionis eliciat: ſi autem circa improperia Chriſti verſetur B meditatio, humilitatis intendendus affectus eſt. At ſi poſtea alii boni affectus inexpectati ſubnaſcantur, non erunt illi reiiciendi, ſed illorum adminiculo quædam propoſita facienda, ad in genere operandum, & in puncto particulari, quod occurrit, propoſitum contritionis, humilitatis, &c.

Orans quos fines intendere debeat?

Dubium XXIV. De aliquo paſſionis myſterio, puta de vulnere lateris Chriſti meditans me rogabit, quomodo in materiis aliquibus particularibus, quæ earum, quas ſibi acquirere decrevit, virtutum motiva continere, nec daturæ videntur, humilitatis, & modeſtiæ affectus eliciet: hi enim dum in oratione hinc inde anxiè emendicantur, diſtractionis eſſe ſolent cauſa? Reſpondeo, C id genus diligentias non eſſe ad propria illa motiva invenienda adhibendas, ita enim tempus ut plurimum inutiliter perdi: at ſi circa talia paſſionis Dominicæ puncta, vel aliud quodlibet objectum materia verſetur, in quo non facile propria hæc motiva homo invenit, communibus utendum eſſe: verbi cauſa: ſi modeſtiam acquirere velit, & meditatio circa vulnus lateris Chriſti verſetur. Conſtat porrò myſterium hoc vulnerationis lateralis, uti, & omnia alia myſteria, ad ſanctificationis noſtræ finem à Chriſto Domino ordinatum fuiſſe, ad quam ut ipſi perveniamus, modeſti, humiles, &c. ſimus oportet. Qui porrò particulares aliquas rationes hic facilè invenire non poteſt, eum ſaltem adhibeat finem, quem habuit Chriſtus in quo cùm modeſtia, D tum alia quælibet virtus includitur, ſimulque aliquot modeſtiæ exercendæ actus faciat ut Chriſti aliquatenus intento finique ſatisfaciat, denique ex animo, ferventerque modeſtiam, & alias virtutes ab eo efflagitet.

Vulnus lateris, ad quid a Chriſto ordinatum?

Dubium XXV. Num eos, qui afflicti, & tribulati ſunt, ſatius ſit inter orandum ſeſe in vulnerato Chriſti Domini corde conſtituere, & ibi immenſam illius pietatem conſiderare, quàm in aliquo alio myſterio è magis converſationem excitantibus, quo ejuſdem doloribus compatiatur, & vires inde ejuſdem imitandi colligat, inhærere? Reſpondeo, Certior hic dari regula nulla poteſt, quam ipſa experientia: adeò ut probatio hic, & exploratio aliqua præmittenda ſit. E Id autem unicuique myſterium magis utile futurum, in quo plus lucis, & affectus realis ad Chriſtum imitandum inventurus ſit. Cavendi verò hic ſunt quidam orandi modi planè fœminini, & parum decentes circa vulnera Chriſti Domini, quibus ſcilicet homo certa quadam ratione, & nimis familiaribus actibus in illa ſeſe ingredi fingit. Bonam autem devotionem ſemper magna comitari debet reverentia.

Quid cavendum in meditatione vulnerum Chriſti?

Dubium XXVI. Num, quando in omnibus aliis objectis, præterquam in uno (verbi gratia, in cœleſtis gloriæ conſideratione) devotio non ſentitur, alia omnia, illi ſoli intendendo, relinquenda, & ſeponenda ſunt? Reſpondeo, bonam rei hujus antè faciendam experientiam: ac ſi manifeſtè orans videt, F unum illud objectum cùm ad virtutum acquiſitionem, tum paſſionum mortificationem, & ad obediendum, ad ſeſe humiliandum, &c. ſibi ſervire (uti revera aliquibus ſervire ſolet) regulariter ad illud tunc attendendum eſſe, nec aliorum conſiderationem planè omittendam; ſed interdum eam adhibendam, ut hoc pacto rerum ſpiritualium notitia comparetur; quas, qui ita fecerit, magno cum calore, & fervore, quem in unico illo puncto, à quo movetur, invenit, exequetur.

Dubium XXVII. Num, qui pœnas infernales meditatur, ſuæ intermiſcere meditationi meditationem de gloria cœleſti, aut ſimiles poſſit? Reſpondeo, id licere; quando nimirum hæc miſtura ad voluntatis motum G conducit; uti revera poteſt, & ſolet, dum certo quodam modo à pœnis infernalibus ad æternam conſolationem meditans ſalit, cum qua ſi pœnæ ſempiternæ comparentur, melius eæ percipientur. Idem, & de aliis caſibus dico; ſic dum de propria vilitate, & miſeria meditatio inſtituitur, divinæ ſimul magnitudiuis, majeſtatis, bonitatis, & miſericordiæ conſideratio intermiſceri poteſt.

Dubium XXVIII. Num illud orationis genus, quod nonnulli docent, nempè ſimpliciter meditandum eſſe, quomodo melius quis Domino ſervire, ſancta ejus præcepta obſervare, probè officio ſuo fungi, & ſtatus ſui obligationibus ſatisfacere poſſet, omni hominum generi indiſcriminatim conſulendum, & uſurpandum ſit? Reſpondeo, conſultum eſſe omne omninò hominum genus H ad quatuor hæc puncta, vel capita attendere, & eos, qui in oratione motos ſe comperient, actus, & propoſita facere, quatuor his punctis attendendi, & gratiam a Domino ad eadem poſtulandi. Verùm doctrina hæc ſatis non eſt, ut pœnam norint ſufficienter ii, qui nullum adhuc aſſumpſere

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

vitæ ſtatum, quid ſibi hic agendum ſit, niſi ad particularia, aliqua puncta deſcendatur, & quidam orationis iis, tum quantum ad formam, tum quantum ad materiam faciendæ modus præponatur, unde neceſſe quandam iis ex arte methodum, nec non ipſas orationis partes ordinatim dare, quin ipſam ejus materiam præſcribere, à quatuor noviſſimis, A & vita, & paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti communiter incipiendo. Hac autem doctrina præſuppoſita non inutile fuerit unumquemque quatuor ſupradictis punctis intendere: uti revera, & realiter faciunt omnes illi, qui verè, & ſincerè ſancto orationis exercitio incumbunt: ita enim hi rebus ſupererogatoriis attendunt, ut tamen eorum prima, & principalis cura ſit de obligatoriis, ad quas quatuor propoſitorum in dubio punctorum tria referuntur.

Dubium XXIX. Si is, qui jam meditationi de beneficiis divinis aſſuevit, & planè perſpicit, quidquid ad iis aliquo modo reſpondendum vel facit, vel hactenus fecit, vel faciet poſthac, vel facere poterit, nihil prorſus eſſe; ſi is inquam petat, melius ne B ſit, incumbere meditationi, ut exinde ad contemplationem perveniat, & affectus elicere; an verò eo tempore in variis virtutum actibus, puta gratitudinis, charitatis, &c. concipiendis ſeſe exercere, gratiam tum ſibi, tum aliis petendo, & ſeſe offerendo? Reſpondeo, ſi talem is jam habitum compararit, ut per præteritas conſiderationes vel meditationes ita ſit ejus intellectus illuminatus, ut quamprimum ſe ad orandum componit, liquidò perſpiciat moveri voluntatem incipere, eum communiter tempus orationi deſtinatum hujuſmodi actibus faciendis poſſe impendere, cùm per ſuperiorum meditationum laborem jam finem, & fructum meditationis (qui ſunt dicti illi actus) adeptus ſit. Debet nihilominus ſæpius continuativè meditari, non C tam ad affectum aliquem acquirendum quàm ad virtutum puncta ponderanda (verbi gratia dum vita Chriſti Jeſu Domini noſtri meditatur) & ut illas imitari ſtudeat.

Dubium XXX. Num, qui in meditationis principio ab aliquo ſe trahi ſentit affectu, qui tamen à meditatione lecta diverſus ſit, idque ſinè ullo prorſus mentis diſcurſu, qui tamen non adeò diu duret; num is inquam ad brevem ac tenuem illum affectum ruminandum redire, aut potius materiam lectam reſumere debeat? Reſpondeo ſi id rariùs eveniat, affectum illum ruminare poteſt, & per eum partes affectivas, & ultimas orationis, quamdiu durat, facere, idque, ut boni, quod hujuſmodi affectus adfert aliquam notitiam comparet: qui D interdum etiam continuatæ orationis loco eſſe poteſt, maximè quando ſe eum reſumendo ſentit inflammari. At ſi ſæpè id contingat, & calorem hunc ſtatim evaneſcere comperit, nihilque aliud inde ſibi ſequi, debebit materiam lectam, vel præparatam meditari: alioquin ſe ipſe intellectus illuminatione, quæ è meditatione ſequitur; & impreſſione fundata, quam in voluntate bona meditatio facit, privabit. Ubi verò affectus hic ſæpè contingit, erit is cum directore communicandus: circumſtantiæ namque poſſunt eſſe ejuſmodi, ut bonum ſit ſæpiùs, vel rariùs, diutiùs, vel breviùs ſimilibus affectibus intendere.

Dubium XXXI. Num in ipſo meditationis diſcurſu, præter illas materias, in quibus E circumſtantiæ conſiderantur, alios anima diſcurſus, & verba ad ruminandum, & voluntatem per puncta præparata movendam quærere debeat; vel nuda ſolùm horum punctorum verba repetere, & reſumere, donec affectus emoveatur? Reſpondeo, neceſſarium non eſſe, ut ſe homo ad illa ſolùm verba repetenda conſtringat, ſed tam illis, quàm omni alia cogitatione, quæ ad affectum circa puncta præparata movendum ſerviat, uti poſſe.

Dubium XXXII. Num ad bonos affectus ex oratione eliciendos neceſſe ſit ita circumſtantias meditari, & eo ordine, quo aliqui tradunt (videtur enim ariditatem potius hæc anxia cura cauſari) vel tantùm ſimpliciter F procedere? Num item neceſſe ſit, omnes ſimul conſiderare; quia interdum fit, ut vel una duntaxat cor accendat, & qui ulteriùs ad alias progredi vult, bonum illum affectum amittat? Reſpondeo, in circumſtantiarum conſideratione non eſt opus certum aliquem ordinem ſervare, ſed tam has, quàm illas promiſcuè & indifferenter, prout ſeſe animæ offerunt, & prout hæc erga unam magis quàm alteram afficitur, accipi poſſe. Similiter non eſt neceſſe omnes ſimul conſiderare, ſed illam, & illas tantum, quas revera ſufficientes noverit ad affectum inflammandum.

Dubium XXXIII. Quis paſſionem Dominicam meditandi modus fructuoſus, & ſuavis ſit iis, qui omnes in eadem, circumſtantias G perpendere non valent, & propter rationis vehementiam nullum ex illa affectum, aut nonniſi magna cum difficultate, & corporis, & animæ defatigatione elicere queunt? Reſpondeo; bonum erit, ſi ſibi leniter Chriſtum Dominum ſua in paſſione conſtitutum ob oculos ponant, nullam ut capiti vel pectori vim inferant; & magna cum ſimplicitate magna quoque reverentia, & gratitudine illi adſtare velint pro eo, quod pro ipſis paſſus eſt, illum comitari, & ſtipare; quin, & ſæpenumerò adorationis, amoris, gratitudinis actus excitent, illumque ex corde rogent, ut hos dolores ſuos in animabus ipſorum imprimere dignetur, quò unà cum ipſo pati, & ferre adverſa cupiant, aliquando H etiam majeſtatem divinæ illius perſonæ, & peccatorum ſuorum, pro quibus patitur, ſuaviter gravitatem recordentur: orationem deinde cum firmo pro eodem patiendi propoſito concludant. Qui hoc modo orant, meditationem ſimul cum partibus affectivis conjungunt, ita ut meditans defatigatus non ſegneſcat. Et id facere utile eſt, licet nullam devotionem ſentiat.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

Dubium XXXIV. Quomodo affectus in oratione dilatari, & magis excitari debeant? Reſpondeo, in affectuum ampliatione vel dilatatione cavendum, ne artificioſè, & de induſtria illi conquirantur, ſed ita recipiantur, prout Dominus illos communicare dignabitur; qui per ſimplicitatem, & voluntatis abundantiam potiùs, quàm arte rhetorica A fovendi ſunt, multos virtutum actus, & benè vivendi propoſita, interim dum affectus durat, prout Dominus inſpirarit, concipiendo.

Dubium XXXV. Quomodo boni affectus conſervari, & bona propoſita in oratione concepta executioni mandari poterunt? Reſpondeo, fiet id, ſi ſæpe per diem eadem reſumantur, exerceantur, & per ordinariam pro die illo Dei præſentiam, vel alium quemlibet, quo cor ad Deum elevetur, modum, quem faciliorem ſibi anima eſſe ſenſerit, confirmentur. Ad hanc etiam conſervationem non parum facit, ut ſedulò caveat, ne per incautos aſpectus, & inutilia verba anima ſeſe diffundat. Ut verò propoſita concepta executioni mandentur (ſi B quidem circa ordinariam obſervantiam actus virtutum, vel paſſionum mortificationem verſentur, quæ nimirum ad ordinarium illum ad perfectionem tendendi modum, quem boni habere Religioſi ſolent, referuntur) nihil homini aliud præcipiendum eſt, quam ut Domini gratiæ cooperetur, & difficultates perfringere, & magno illo fervore, & æſtu, quem in oratione acceperit, omnibus uti occaſionibus contendat, Chriſto Domino ſe fidelem exhibere ſatagendo. Si autem concepta propoſita circa extraordinaria quædam opera verſentur, cum ſuperiore eadem erunt communicanda, ut is modum, ſi id ita illi expedire viſum fuerit, eorundem exequendorum præſcribat, adeò ut voluntas, quantum erit ex parte ſua, ad hoc prompta C ſit, & parata.

Dubium XXXVI. Quomodo ſeſe habebit is, qui quòd virtutum actus, quos in oratione concipit, hinc inde emendicare cogitur, diſtractum ſe, & exiguum feciſſe fructum invenit? Reſpondeo, in Religioſa vita unumquemque facile, quanam potiſſimum virtute opus habeat, è quotidiana experientia, & aſſidua in perfectione proficiendi ſollicitudine noviſſe. Unde neceſſe non eſt, ut, hinc inde evagando, diverſos virtutum actus emendicet, ſi quando idcircò mentem ſuam diſtrahi comperit: ſed eas primum arripere ſtudeat, quas ſibi ante alias opus eſſe comperiet, illarumque actus vel cum devotione, vel ſine eadem faciat. Ita enim nec divagabitur, & veros virtutum D actus cum minori diſtractione exercebit. Ubi autem ſeſe devotum ſenſerit, aliquot ex illis exerceat actibus, erga quos per affectum prædominantem ſe ſentiet inclinari; item ex illis, quos (ſicut dictum eſt) certiſſimo novit plus cæteris ſibi neceſſarios eſſe, itaque vanè ſeſe in aliis conquirendis non diſtrahendo, ne ſcilicet anxia hæc inquiſitio omnem affectum elidat, & elumbet. Poterit item & alios virtutum actus formare, ſi per eos ſe minimè diſtrahi comperiat.

Dubium XXXVII. Quid faciendum illi, qui ob exiguam, quam recipit voluntas fortitudinem, ſe ad nulla virtutum propoſita producenda reſolvit, cognito ante ſe eadem non obſervaturum? Reſpondeo, erroneam E hanc conſcientiam deponendam eſſe, & aliquot horum actuum faciendos, cum per gratiam Dei illos exequi ſe poſſe norit, & ſuam Deum gratiam illi minimè negaturum, modò divinis ipſe auxiliis cooperetur; adeo ut noſtra hic fragilitas obſtaculo non ſit, cum omnes virtutum actus per auxilium & robur, quod divinitus datur, exerceantur. Conſtabit hoc magis, ſi præteritam quiſque vitam in mentem revocet, nec non victorias divino auxilio de vitiis, quæ ſuperari non poſſe videbantur, relatas. Quid ni ergo minores difficultates divina ſperet ope expugnandas, cum eadem jam longè majores perfregerit?

Dubium XXXVIII. An ſenſus & motiones voluntatis, quæ in oratione obveniunt, F annotandæ ſint? Reſpondeo, annotandas videri, quo illarum directori ratio reddatur, non tamen ante determinatum aliquod de iiſdem judicium ferendum, quam eoſdem ipſa dijudicet obedientia. Et hac in parte fideliſſimi ſint oportet ii, qui orationi dediti ſunt, nunquam ut ſuo unius judicio nitantur ac fidant. Nota, cum voluntas efficaciter rationibus aliquot prægnantibus mota eſt, non inutile fore has per aliquot dies repetere, & eadem puncta è Magiſtri directione ac conſilio meditari.

Animadverſio.

Dubium XXXIX. Quænam ut plurimum in meditatione accipi materia debeat? Reſpondeo, ordinarie à ſolis quatuor Noviſſimis, vel à ſola vita & paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel etiam à duabus illis G materiis ſimul, in ipſo principio (ſed horis diſtinctis) incipere, ac deinde ad divinitatis myſteria tranſire debet. Sed quia multæ ac variæ in hominibus orationi addictis ſunt circumſtantiæ, unuſquiſque directorem ſuum ſpiritualem, ne in materiæ in particulari electione erret, conſulat neceſſe eſt.

Quaenam meditationis materia ſeligenda?

Dubium XL. Quid faciendum, quando meditationes, quæ ordinariè in orationem eliguntur, aliquod, quod ſemper unæ & eædem ſint, faſtidium generant, ac conſequenter exiguum adferunt meditanti fructum? Reſpondeo, aliam ex conſilio directoris ad meditandum capi materiam poſſe, cavendo ne faſtidium ac nauſea hic irrepat. Nam meditationum, prout à noſtris Religioſis diſponi & diſtribui ſolent, ſecundum dies hebdomadæ, diſtributio commodiſſima eſt, ad præci- H pua, quæ Incipientibus, & Proficientibus conveniant, puncta perfectè meditanda: atque idcirco ſæpius eadem repetenda, & recogitanda, quo penitus illa penetrentur, & bonum ſolidumque in fabrica ſpirituali fundamentum collocetur.

Dubium XLI. Num inter meditandum ſit ſem-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

Quomodo in meditatione cum Chriſto loquendum?

ſemper in ſecunda perſona cum Chriſto Domino loquendum? Reſpondeo, hunc alloquendi modum planè neceſſarium non eſſe, etſi ſæpius ita id fieri conveniat. Utile proinde erit, ut unuſquiſque ſeipſum hic probet, & eo loquendi utatur modo, qui illi ad affectum excitandum plus conducat. Alias ſi quidem quis magis excitabitur loquendo cum Domino, alias ſi ſecum ipſa anima lo- A quatur; alias etiam punctum quod meditatur ponderando, etſi interim nec cum Domino, nec ſecum loquatur.

Bona oratio pauca continet verba.

Dubium XLII. Num bona ſit meditatio, quando plures ſunt conceptus, & longior eſt meditatio? Reſpondeo, hanc ut plurimum orationem exigui momenti eſſe; quod longe ſecus ac Chriſtus Dominus præcepit, multiloquium hæc oratio contineat, nec ultimatis orationis partibus, quæ meliores ſunt, ullum tempus detur. Bona autem oratio pauca continet verba, ſed deſiderii erga Deum plurimum. Bonum nihilominus eſſe orationis genus ſolet, quando ita in longum meditatio protrahitur, ut ſimul illi multi intermiſceantur affectus, qui ceù ſcintillæ, ipſà ra- B tionum, quibus voluntatem intellectus accendit, vi elicitæ prorumpunt & emicant.

Dubium XLIII. Num inter meditandum vocales aliquot orationes, quæ propoſito quadrent, & ad materiam faciunt, legere fas ſit? Reſpondeo, quod ſic, quando nempe privato in oratorio oratur, & orationes hæ vocales ad affectum excitandum ſerviunt; non autem quando in communi loco & publicè oratur, niſi fortè labiorum eſſet motus tam quietus, ut nemo adſtantium eum audire poſſit, & orans ab hac ſè verborum prolatione ad affectum excitandum adjuvari ſentit.

Animadverſio.

Nota, multos homines ſpirituales ſimul & vocalitèr & mentalitèr, quando ſoli ſunt, orare, & cum magno animæ ſuæ fructu alta voce loqui.

C

De Ariditate.

Dubium XLIV. Quomodo is, qui in principio orationis magnam in ſeſe recolligendo ſentit difficultatem, gerere ſe, debeat? Reſpondeo, humiliet ſe, & Dominum precetur, gratiam ſibi in hoc loco juxta divinæ voluntatis ſuæ beneplacitum manendi præſtet, adhæc qualibet re pia, quæ ſuo judicio recollectionem interiorem cauſari nata eſt, utatur; qualis, verbi gratia eſt orationem Dominicam, vel aliquem è Pſalmis verſiculum repetere, nec non aliquam Chriſti vel ſanctorum vel mortuorum imaginem in memoriam revocare, denique aliud quodcunque in genere recollectionis motivum, itaque ſe ſuaviter recolligere, ut anima ſe D horum objectorum alicui firmiter alliget, aut ſaltem à diſtractionibus ſeſe revocet, quo de materia ſua præparata meditetur.

Dubium XLV. Quomodo ea ſe anima in oratione geret, quæ ſummam quandam difficultatem ſentit, ut vel unum cum Deo loquatur verbum; idque propter odii, impietatis, blaſphemiæ & diffidentiæ, & alias multas, quibus eo tempore exagitatur, tentationes, vel etiam ſcrupulorum, aliaſque id genus, quæ impediunt, quo minus Domino Deo ſeſe applicare queat? Reſpondeo, Anima hæc primo Domino dicat, id ſe tentationum genus pro nominis ejus gloria, modo quo poterit meliori tolerare paratiſſimam. Secundo, pactum quoddam cum Domino ineat, E aſſeratque ſe jam inde ab hoc momento velle, ut hæ odii, blaſphemiæ, &c. tentationes, contrarium penitus habeant ſenſum, quin immò velle, ut hæ totidem ſint oblationes & ſpiritualia ſuiipſius ſacrificia. Tertiò licet id maxima cum pœna fiat, quædam ſubindè verba, vel vocalitèr, ſi ſola ſit; vel mentalitèr, ſi adſint alii, dicat, quæ in laudem & gloriam Domini tendant. Quartò, aliquot adorationes faciat, vel ſpirituales, vel corporales, pro locorum ac ſociorum, ubi, & apud quos fuerit, diverſitate. Quintò, actus hi, uti & patientia & reſignatio in animabus graviter afflictis excellens quoddam orationis genus ſunt.

Dubium XLVI. Quomodo ſeſe habebit, qui tempore orationis tentationes ſentit pa- F rum honeſtas, etiam circa orationem? Reſpondeo, qui ſic vexatur, non eſt quod propterea angatur aut torqueatur, ſi modo caſtè, & circumſpectè vivat. Solet enim dæmon etiam circa objecta puriſſima & ſanctiſſima, verbi gratia, ipſam Jeſu Chriſti Domini noſtri humanitatem, & Beatiſſimam Virginem Mariam, de ſuo offendicula, & ſcandala interiicere: ut etiam interdum inordinatæ quædam ſentiantur voluptates, & motus, & aliqua humoris ſequatur etiam effuſio. Qui id genus afflictionis patitur, ad directorem ſuum ſpiritualem remedii cauſa confugiat, & eis, quæ ipſe conſuluerit, pareat. Iis autem, qui hoc modo exagitantur, conſulendum eſt, ut obſervent diligenter, num in aliis objectis aliquem animæ guſtum, & bonos affectus inveniant: G eo enim caſu * ordinariè abſtinere id genus objectis deberent, è quibus inordinati hi motus enaſcuntur: at ubi experientia conſtat, nullum animam guſtum, & delectationem invenire niſi in illis, è quibus tales motus exoriuntur, & excitantur; ſignum eſt, meram id dæmonis tentationem eſſe, ad haſce animas vexandas ſuggeſtam. Talibus igitur perſonis conſuli ſolet, ut hujuſmodi motus, & immunditias contemnant; ita enim fiet, ut eo facilius illæ abituræ ſint.

** Nota hoc verbum ordinarie: ſunt enim caſus & circumſtantiae perſonarum, in quibus aliter fieri queat, cum ſcil. re ipſa apparet, hanc prohibitionem nocere, & perſona ipſa caſta eſt.*

Lege tractatum de diſcretione ſpirituum, numer. 32.

Dubium XLVII. Num ſi in oratione, quæ extra communitatem, & privatim fit Religioſus ſibi perſuadeat, aliquid ſeſe boni cogitare non poſſe, ſtatim eam abrumpere, relinquere, & aliud exercitium aſſumere debeat? Reſpondeo, probet ante ſe, & H experiatur: & ſi deinde comperiat, ita ſibi ordinariè contingere, pios libros legere poterit, atque in iis ſeſe punctis detinere, quæ majoris ſibi efficaciæ, quamdiu hic fervor durat, videntur; qui ubi deferbuerit, priorem lectionem reſumere. Itaque faciet orationem lectioni miſtam.

Scrip. An. 1010.Ital. Idiom.

A

Dubium XLVIII. Quid faciendum, quando capitis dolore laboramus? Reſpondeo, ſuaviter tunc orandum eſſe, nec tanta applicatione intendendum, quanta dum caput rectè ſibi conſtat: quare ſi difficultatem tunc in diſcurrendo ſentimus, vel etiam mentem planè colligere nequimus, ſatis nobis ſit humiliter coram Domino verſari, aliquot diverſarum virtutum actus eliciendo: ſic namque faciendo; ſatis debito fecerimus. Doctrina hæc ſervire etiam poterit iis, qui vel naturalitèr, vel ob caſum aliquem accidentarium, uti è morbo vel doloribus interioribus, vel tentationibus vel defatigationibus, vel alia qualibet de cauſa nequeunt diſcurrere.

Ariditas unde? & ejus cauſſae.

B

Remedia inſinuantur. Primum.

C

Secundum.

D

Tertium.

Quartum.

E

Quintum.

F

Quid ſi ſupradicta remedia adhibeantur fruſtra?

G

H

Dubium XLIX. Quomodo nos geremus, dum nihil nobis occurrit: quod moveat; ſed magnam in omni re ariditatem experimur? Reſpondeo, ariditas è diverſis oriri cauſis ſolet; & juxta illarum diverſitatem diverſa adhibenda ſunt remedia. Cauſæ igitur ejus ad has ſequentes reduci ſolent. Prima ſunt imperfectiones, ſecunda multitudo rerum agendarum; tertia, naturalis habitualis indiſpoſitio ex inconſtantiſsima imaginativa proveniens; quarta, naturalis accidentalis indiſpoſitio, cujus origo eſt ipſa humorum revolutio, tempus &c. quinta dæmonis tentatio; ſexta, Dei ordinatio, qui hoc ad ſervorum ſolet ſuorum probationem diſponere, etſi omnem ex ſe alioquin ipſi diligentiam adhibeant, & magna puritate vivant; ſeptima, quidam prædictarum cauſarum concurſus, quæ aliquando, licet rarò, longo durare tempore ſolet. Primæ itaque mali hujus cauſæ remedium promptiſſimum eſt: cum enim hæc ſint imperfectiones, quæ videndo, loquendo, & parum mortificatè vivendo committuntur; non parum conducet, iisdem quàm maximè abſtinere. In ſecunda, ipſa ſcilicet negotiorum, etiam ex obedientia iniunctorum multitudine, utile erit cautè vivere, atque in medio negotiorum æſtu, maximæ cordis ſui cuſtodiæ intendere, ſæpè ipſum ad Deum ſuſtollendo, ne id in operando agendoque totum abſorbeatur, & valdè diſtrahatur; quin etiam omni qua poteſt ope, & niſu in ipſo orationis loco animæ vires colligere ſtudeat, & ad Dominum magna cum humilitate, & fiducia clamare, ut ſibi gratiam det, qua in rerum ſuarum tractatione meditari queat: unde etſi aliam orationem non faceret, quam ſolum hanc ſuo hæc fructu minimè fruſtrabitur. Et ut demus hanc illi à Deo gratiam non concedi, (eò quod non ſemper hæc illi conveniat) multos pios facere poterit actus & conceptus, vel oratiunculas aliquot fundere jaculatorias, quæ etiam ſine meditatione formali magnum afferunt fructum; uti per experientiam norunt multi, qui vix ullum poſſunt mente diſcurſum formare, & totam vel prope totam vitam in hiſce actibus vel ejaculationibus traducunt. Tertia causa, ſcilicet naturalis habitualis imaginativæ inconſtantis indiſpoſitio, iisdem tolli poterit remediis, quæ in ſecunda cauſa aſſignavimus, & imprimis per actuum & jaculatoriarum orationum uſum. In quarta cauſa, puta indiſpoſizione naturali accidentaria, quam humorum influxus, & tempus ipſum, &c. cauſant (in quo nulla prorſus eſt culpa) utile futurum eſt, ariditatem ipſam patienter tolerare, multos virtutum actus concipiendo, etſi cum aliqua moleſtia fiant. Utile etiam hic foret, ſi ſuperiores hanc animam non cogerent, illo tempore tam ſtrictè & præcisè orationi incumbere, ſed alii eam rei vacare permitterent ad vitam activam ſpectanti, ita tamen, ut in negotiorum medio ſuum hæc animum ad Deum ſuſtollere allaboret. In quinta cauſa, id eſt, in tentationibus & diſtractionibus, omne id adhibendum eſt, quod animam delectare, & reficere decenter poteſt, uti eſſet, orationem Dominicam, vel aliquem è Pſalmis verſum, vel quandam Evangeliorum ſententiam recitare, eam prout optimè poteſt, mente recogitando, nam conatus hic fructus & præmii expers non erit. Verùm ſi nec hoc quidem facere queat, ut accidere iis ſolet, qui divina diſpoſitione (quod ſextam ariditatis eſſe cauſam diximus) interiorem afflictionem patiuntur, & talem quidem, quæ incurabilis videatur, minimè profectò credendum eſt, eum, qui hoc patitur, fructus omnis expertem eſſe. Etſi enim aliud non faceret, quam quod in orationis loco perſeveret decertans, & tentationes, & importunas cogitationes, ad divinæ majeſtatis gloriam, à ſe repellens, optimam haud dubiè orationem inſtituit, & fortè meliorem, quàm ſi multos à Deo guſtus acciperet. Quando autem tentationes, & moleſtiſsimæ diſtractiones, & derelictiones à Deo tam graves ſunt, ut ſupradicta remedia vel alia his ſimilia fruſtra adhibeantur, bonum erit, ſi cum Superiorum licentia in loco aliquo ſeparato librum ſpiritualem iis horis, quæ orationi deſtinatæ ſunt, legat, idque cum attentione & tractim, in illis verbis hærendo, in quibus ſeſe emoveri ſentit, atque cum æſtus hic deferuere incipit, reſumere lectionem. Verum quando id ſine aliorum offenſa fieri nequit, optimum remedium eſt patientia, & firma in Deum, qui animam probare vult, ſpes, & cum ea unà cum aliis in communi loco orare: hæc namque tribulatio brevi evaneſcet, & ingens ejus loco ſuccedet pax, & ſpiritualis abundantia. Hoc ſeſe conſolandi modo uti etiam poſſunt illi, qui à multis vel omnibus ſimul vexationibus, quas ſupra diximus, affliguntur; qui ſunt illi, quos ſeptimo loco deſignavimus.

Dubium L. Num, quando quis poſt multos orationis frequentatæ menſes vel etiam annos ſemper & aſsiduo ariditatem vel derelictionem à Deo experitur, ſuum mutare exercitium debeat activæ ſeſe vitæ applicando? Reſpondeo negativè; ſed hunc

alli-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

Perſeverantia in oratione Deo gratiſſima.

aſsignatis ſupra remediis utendo perſeverare debere, ſibique perſuadere, hunc cum ariditate orandi modum gratiſsimum quoddam divinæ eſſe majeſtati ſacrificium, ſibique cum primis proficuum. Et ſanè ipſa declaravit experientia, derelictos hoſce à Deo homines, poſt diuturnam probationem, à Domino non modo per inſignem quamdam orationem, verum etiam per altiſsimam contemplationem viſitari ſolere. Joſeph Patriarcha quamvis fratres ſuos, fame ingraveſcente, in Ægyptum frumenti coemendi cauſa profectos duriùs, & immitiùs tractare videretur, variis eos modis tentando, eoſque ceù exploratores habendo; ita tamen illorum malis compatiebatur, ut quo ſuum affectum, & lachrymas diſsimularet, illicò intra conclave ſeſe abdere cogeretur; qui demum cum ulterius continere ſe non poſſet, ſe cognoſcendum dedit, omnem ſuam potentiam ac dignitatem ipſis communicando. Sic cum aliquot chariſsimis ſervis ſuis Dominus quodammodò agere videtur: hos ipſe quidem initio probat ſeverè, ac rigidè eos habendo, & variis afflictionibus premit; tandem tamen viſceribus miſericordiæ ejus motis, quaſi ampliùs ſeſe retinere non poſſet ſe totum ſpectandum dat, intraque familiaritatis atque amicitiæ ſuæ brachia eos receptos divina conſolatione inebriat.

A

Gen. 43.

Comparatio.

B

DE CONSOLATIONIBUS.

Devotionis definitio.

Dubium LI. Quid eſt devotio? Reſpondeo, Devotio quidam eſt voluntatis actus ab ipſamet voluntate per habitum virtutis, quæ Religio nominatur, productus; & hic actus non eſt aliud, quam promptum & reſolutum quoddam velle erga ea, quæ ad divinum cultum ſpectant. Quod velle C etiam ſine ſenſibili devotione, mò etiam cum ſenſibili portionis inferioris repugnantia conſiſtere poteſt. Nota, juxta Sanctorum exempla, devotionem etiam ſenſibilem fovendam eſſe, & ſi quando defuerit, per induſtrias & conatus, ad cor erga ea, quæ divini ſunt cultus, emovendum deſtinatos, ſedulò quærendam.

Devotio etiam ſenſibilis fovenda.

Dubium LII. Num in oratione conſolationes, & guſtus deſiderandi ſint? Reſpondeo negativè: niſi in quantum ad majorem perfectionem conducere queunt: atque hoc bono Dei beneplacito, & voluntati remittendum eſt, qui novit, quales ad hanc perfectionis acquiſitionem conſolationes guſtuſque homini ſint neceſſarii. Notandum verò, ut theologicè loquamur, D conſolationes divinas, & deſiderari, & rogari propter ſequentes hos bonos effectus poſſe, Dei ſcilicet lucem, mundi contemptum, & alia multa bona, quæ inde producuntur, etſi ſpirituales magiſtri ordinariè conſulant, ut eæ nullo modo deſiderentur, vel à Deo petantur; quod pauci ſint ita puri, ut in hiſce guſtibus deſiderandis vel petendis ſolam Dei gloriam, & ſpiritualem animarum ſuarum profectum reſpiciant.

Conſolationes divinae quando deſiderari, & rogari poſſint?

Varia illarum genera.

Dubium LIII. Num interiores delectationes unius omnes ſint generis? Reſpondeo quod non; ſed diverſas, & varias eſſe, prout eas Dominus communicare voluerit. Aliquando enim homo quandam velut ſentit in portione inferiori ſuaviſſimi odoris fragrantiam, quæ animam ſimul, & corpus confortat. Alias quemdam etiam in lingua corporali ſoporem, qui multum adfert refrigerium. E Alias quamdam in parte inferiori lætitiam omnia mundi gaudia ſuperantem, qua novi ſervi Domini acti, in actus exteriores, tanto jubilo mentis ſolent prorumpere, ut ſeſe continere nequeant: ſolet hæc ebrietas ſpiritualis nominari. Ipſe conſolationum impetus aliquando tam magnus eſt, ut ſanguinem homo violenter exſpuat. Alias in ipſo meditationis diſcurſu magnum ſpiritus, comitantibus lachrymis, & ſuſpiriis cordialibus, gaudium ſequi ſolet. Aliàs ſine ullo meditationis labore in intimo animæ fundo quidam conſolationis ſuaviſſimæ fons enaſci videtur, qui ſe magna pace, & quiete per omnes hominis partes extendit, & diffundit. Et hæc ſpecies omnium, quæ in parte inferiori ſentiuntur, optima, & minus F ſuſpecta videtur. Etſi ſuam in hiſce conſolationibus nemo fiduciam penitus collocare debeat, ſed cautè ſemper vivere, & virorum ſapientum, & ſpiritualium conſilium exquirere. Eſt præterea quidam ſatisfactionis interioris modus, animæ etiam interdum oboriens; qui propriè guſtus, vel delectatio non eſt, ſed quædam (ut diximus) ſatisfactio; ut animæ bonum ſit, ſic eſſe. Sunt denique altiora quædam in parte ſuperiori gaudia, quæ diverſimodè Dominus communicat; ſunt ea delicatiſſima, & verbis commodè exponi nequeunt, & quo puriùs partis intellectualis ſunt, eò etiam ſecuriora ſunt. Sunt hæc contemplationi, & myſticæ Theologiæ propria. Circa guſtus verò novelli G orationis ſectatores notent, non benè facere eos, qui dum in oratione guſtus hos ſentiunt, velut attonita mente eos percipere, ac ſemiſopiti hærere, atque ita multo ſeſe tempore continere aſſueſcunt. Hi ergo expergefacere ſeſe debent, & vitæ virtutumque Chriſti conſiderationi, paſſionum mortificationi, & virtutum acquiſitioni attendere. Si autem ſeſe excuſent, dicentes ſeſe diſcurrere non valere, eò quòd ſubitò affectus rapiatur, & conſolationes de repente ingruant; vim ſibi aliquam inferant, & ſi non poterunt diſcurrere, diverſa tamen concipient propoſita, & actus virtutum, atque advertent in divinæ ſeſe majeſtatis præſentia verſari; atque adeò abſtractionem hanc parum utilem, imò verò animæ, & corpori, H quod nimis inde debilitatur, potius nocentem cavebunt. In hac porrò conſolationum materia obſervandum, ipſas, quando multis cum lachrymis, & ſuſpiriis affluunt, temperandas eſſe, ne hominem debilitent, & noceant; ac propterea conſultum eſſe, eas divertere, & declinare. Verum huic doctrinæ non adverſatur, ſuas lacrhymis in aliquot,

Ebrietas ſpiritualis notata.

Partis ſuperioris gaudia notata.

Conſolationes quando temperandae?

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

quot caſibus ſpecialibus habenas permittere, uti fecit Sanctus Auguſtinus, dum ſe converteret, qui nimirum in lachrymas totus reſolvebatur; nec non in caſibus aliis extraordinariis, uti dum magna quædam animi præceſſit ariditas, & ipſæ ſine ulla commotione corporali lachrymæ veniunt, atque adeò à ſeipſis, à Domino immiſſæ, pluere videntur.

A

Quae meliores?

Dubium LIV. Utræ conſolationes meliores ſint, illæne quæ vi meditationis expreſſæ ſunt, an verò eæ, quæ ſine illa vi adveniunt? Secundi generis meliores eſſe reſpondeo, ab iiſque animam magis fœcundari: ſunt enim hæ velut lenis pluvia; primæ verò inſtar aquæ per conductus, & canales defluentis.

Conſolationes num contemnendae?

Dubium LV. Num, quando in oratione conſolationes ſentiuntur, illæ aut contemnendæ ſint, aut magni faciendæ? Reſpondeo, nec contemnendas eſſe, eò quòd à Deo fortè dimanant; neque etiam magni faciendas, quòd fortè à dæmonio veniant. Eſto autem à Deo deſcendant, non propterea communitèr majoris ſunt perfectionis indicia, quin imò animæ imperfectioris eſſe ſigna ſolent, quæ ſi hoc modo mollitèr à Deo non haberetur, in via ſpiritus retroſpiceret. Notandum verò, quod, quando hæ conſolationes animabus provectioribus, jam poſt multos labores & probationes Domini, adveniunt, pluris faciendæ ſunt; quod ita probabilius ſit, eas a Deo venire, ceu probatæ virtutis, nec non animæ, quæ *per ignem ad refrigerium pertranſiit*, argumenta.

B

Animadverſio.

Pſal. 65.

Quomodo eas anima excipere debeat?

Dubium LVI. Num, quando ſpirituales conſolationes ſentit, iis excipiendis ſe dilatare debeat anima? Reſpondeo, quod non: ſed aſſuefacere ſe debet, ut eas cum moderatione excipiat, nec conniti, ut eæ adaugeantur, vel majores fiant. Nota, quando jam anima per longam quamdam ariditatem tranſiit, huic doctrinæ non adverſari, ſi ſuos velut poros ſpirituales aperiat ad cœleſtem pluviam excipiendam, uti terra ſuos, ad pluviam, qua longo tempore caruit, ſinu excipiendam, quo irrigetur; quod de novellis animabus, & ſæpiùs per ſpirituales conſolationes viſitatis minimè intelligendum eſt, ne in quandam velut ſpiritus laſciviam ſaginatæ impinguatæque degenerent.

C

Dubium LVII. Num, quando tales adveniunt conſolationes, de quibus nullum eſſe videtur periculum; & viſiones tales, ut à Deo venire videantur, nec ulla de iiſdem dubitandi ſubſit occaſio, eæ ſint magiſtro ſpirituali aperiendæ? Dico aperiendas videri, etſi res clara alioquin, & ſolis inſtar meridiani perſpicua eſſe videatur: atque inprimis id, & quam citiſſimè faciendum, quando viſiones aut revelationes ſunt, ne ulli deceptioni, aut dæmonis per ſpeciem Dei apparentis impoſturæ aſſueſcat, & innutriatur. Nota periculoſum eſſe, ſtatim illa cum viris prudentibus, & in ſcientia Theologica verſatis non communicare: Anima enim ſi ſecus faciat, graviſſimo ſe errandi exponit periculo, cùm una eademque imago apparens, tam Dei quam diaboli, quin etiam propriæ imaginationis eſſe queat.

Num Directori aperiendae?

D

Dubium LVIII. Quomodo ſe pater ſpiritualis cum iis geret animabus, quæ in oratione viſiones, aut revelationes, aut allocutiones habent? Reſpondeo; examinare debet orantis naturam, & indolem, num ſcilicet ea vehementior ſit, num melancholica, fragilis, &c. nec non mores; an ſcilicet boni ſint: ſi boni, quando tandem boni eſſe cœperint, &c. Notare etiam debet, an hæ viſiones, revelationes, allocutiones veræ ſint, & cum ſcriptura, ac doctrina ſanctorum conſentaneæ. Reſpicere etiam, num viſionum, allocutionum, &c. materia honeſta, ſancta, utilis, vel neceſſaria ſit, an verò vice verſa curioſa, & divinam majeſtatem parum decens: nec non effectus, qui à rebus hiſce interioribus oriuntur, illi notandi erunt: ſi boni ſint, & alia inſuper ad benè de illis judicandum neceſſaria aſſignata ſupra concurrant, eos adjuvet, ut ſpiritui divino cooperentur. Si verò ſecùs ſe res habeat, eos divertat, quò à ſpiritu maligno liberentur. De hac materia legendus tractactus eſt de ſpirituum diſcretione.

E

Viſiones quomado dignoſcendae?

F

DE PARTIBUS AFFECTIVIS.

Dubium LIX. Num gratiarum actio, oblatio, & petitio, quando in iiſdem aliqua ſentitur difficultas, omitti queant, & tempus in aliquot virtutum actibus concipiendis liceat impendere? Reſpondeo, aliquando eas partes omitti, & habenas laxari affectui poſſe, ſi ad alios actus bonos magis ſe ſenſerit inclinare. Nota, ordinem partium orationis non ita ſervandum eſſe, ut is pro inviolabili, exceptionemque nullam patiente regula habeatur, quando nempe ad alios actus pios novo quodam ordine anima ſe ſentit excitari. Notandum præterea, non eſſe, ceu infallibilem regulam, ſervandum, ut meditatio primo fiat per ſe, deinde partes affectivæ, vel alii virtutúm actus peragantur: neque enim ſi in ipſo meditationis contextu diverſi affectus vel jaculationes (uti ſolent) occurrant, eæ ſunt repellendæ, ſed ſuus iis locus dandus, eæque meditationi intermiſcendæ, quia ab impuluſibus, quos illa volùntati ſuggerit, illæ variorum affectuum ſcintillæ reſultant.

Num ordo partium ſemper in oratione ſervari debeat?

G

Dubium LX. Quomodo in aliquibus materiis particularibus, ut puta de morte, judicio, &c. aliquot partes orationis (puta gratiarum actio) ab eo qui particularia beneficia agnoſcere nequit, poterunt appropriari? Reſpondeo optime appropriari poſſe, Domino ſcilicet gratias agendo, qui nos ab infelici ſtatus peccati morte liberavit, quique nobis tempus, quo ad eam præpararemur paulatim, conceſſit. Hoc etiam intuitu exerceri ipſa poteſt oblatio, & bonam mortem petendo meditatio terminari. Nota non eſſe animam violenter adigendam, ut omnes has partes propriè, quando non facile id fieri poteſt, peragat: at multo melius eſſe

H

Perutilis animadverſio.

bo-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

bonos affectus libere elicere, & exercere, prout anima per vim meditationis ſe ſentiet inclinari: verbi gratia, in meditatione mortis timorem Dei elicere, actus & propoſitum facere cautè vivendi, peccatorum occaſiones evitando, & miſericordiam poſtulare, &c. prout affectus prædominans ſuggeſſerit; etſi gratiarum actio, vel alia orationis pars interdum omittatur.

A

DE ORATIONE IN COMMUNI,

Ejuſque circumſtantiis.

DUbium LXI. Num, quo ad locum & tempus orationis aliquid obſervandum ſit? Reſpondeo eſſe: & quoad locum quidem, eum quam fieri poteſt maxime ſeparatum, & quietum ſeligendum. Quo ad tempus vero, ipſum noctis, utique poſtquam tantum dormiveris; quantum ad caput liberum habendum ſufficiat(id eſt, ut ſomno id gravatum non ſit) eſſe ad orationem peragendam aptiſſimum; etſi alioquin aliis horis oportunè oretur, maximè in locis ſolitariis, in quibus etiam de die ea ſilentii, quæ de nocte habetur, commoditas poteſt haberi.

Tempus nocturnum orationis aptiſſimum.

B

Dubium LXII. Num magna cum attentione in ea verſandum? Reſpondeo, quod ſic; non tamen magnam capiti aut pectori violentiam inferendo, ſed ſuaviter animam applicando, divinas inſpirationes permagni faciendo, & certa ſpe gratiarum divinarum accipiendarum concepta: nam rei, de qua agitur, momentum pro dignitate æſtimatum, ad attentionem habendam mirificè conducit. Nota, multos quoad hoc graviter errare, dum diſcurſum orationis interrumpunt, & magna quadam attentione in quiete ſeſe ad Chriſtum Dominum audiendum componunt, perindè ac ſi revera, ſtatim ac ipſi tacent, Dominus ipſos alloqui inciperet. Sed non eſt quod ſic agant: quando enim Domino lubuerit, multos ipſe adinuenit modos, quibus ſe ab anima audiri faciat. Unde etiam eorum apparet ſtultitia qui cum Dominum interrogarunt, ſtatim quieſcunt, quo eum loquentem audiant, & ſibi ipſis ſtupidis quibuſdam imaginationibus reſpondent.

Inſpirationes divinae magni faciendae?

C

Multorum error.

Dubium LXIII. Num aliquo ſit ſtudio & arte corpus in orationis loco componendum? Reſpondeo, componendum commode videri, ne animam impediat: atque ideo magna cum compoſitione; quiete & reverentia in eadem verſandum, omniſque inquietudo fugienda, quæ vel ſpuendo, vel fortiter reſpirando, vel huc illucque ſeſe movendo oritur. Omnis quoque commoditatis ſpecies, quæ neceſſaria non ſit, cavenda, qualis eſſet, brachio inclinare, ſedere, &c. Certiſſima quippe experientia conſtat, eum, qui ita negligenter ad orationem accedit, ut etiam in rebus minimis commoditates ſuas quærat (quando videlicet id juſta aut morbi, aut imbecillitatis, aut alia ſimilis cauſa non exigit) omnia diſſipare, nullumque ex oratione fructum colligere.

Corpus quomodo componendum?

D

Nimia commoditas fugienda.

Dubium LXIV. Quando oculos conſultum ſit in oratione habere apertos, & obtutum in res alias defigere? Reſpondeo, id non improbari, quando ſcilicet orans id ſibi ad collectionem interiorem conducere perſpicit. Nota autem quoſdam eſſe, qui mentalem facere orationem ſe poſſe deſperant, niſi oculos claudant; alios verò, niſi eos aperiant.

Oculi num clauſi vel aperti?

E

Dubium LXV. Quid faciendum, quando à ſomnolentia orans opprimitur? Reſpondeo, diverſa eum adhibere poſſe remedia, puta, brachium compungere, pedem inter ſtandum erigere, cilicium aut catenulam (ſi hæc geſtat) conſtringere, aliquot cordis elevationes cum fervore & efficacia facere, pigritiam omnem à ſe excutiendo, uti facere aves ſolent, dum expergefiunt, quas idcircò ſuas interdum alas concutere videmus. Denique præter alia varia quæ adferri poſſent remedia, ſummopere conniti, ut cum intenſa animi applicatione oret, nec non auxilium à Domino, & Angelo cuſtode ad hoc poſtulare; præſertim cum apparet, ſomnolentiam hanc à diaboli tentatione provenire; uti fit, dum antè in lecto ſatis ſufficienterque naturæ dormivit. Quod ſæpiùs contingit, uti reipſa videmus. Nam ſi, qui hoc modo tentantur, ad dormiendum ſeſe conferre jubeantur, ſomnum penitus capere nequeunt, & dum ad orationem redeunt, ſtatim dormitant. Notandum porrò, ſomnolentiam hanc interdum à tempore ipſo, vel aliis cauſis naturalibus procedere. Tunc vero bona futura oratio eſt, ſi cum ſomnolentia orans viriliter conflictet, quo in illo orationis loco coram divina majeſtate præſens aſſiſtet. Doctrina hæc locum habet, quando evindenter apparet, ſomnolentiam hanc, ac ſoporem ab ipſo cauſatum eſſe tempore, uti per æſtatem fieri ſolet.

Somnolentia quomodo vitanda?

Angeli tutelaris auxilium poſtulandum.

F

Unde aliqnando ſomnolentia?

Dubium LXVI. Quid faciendum, quando orans horam orationi deſtinatam propè effluxiſſe, ac nihil penitùs, ob diſtractiones vel negligentiam vel aliam quampiam ob cauſam ſe effeciſſe animadvertit? Reſondeo, tunc intenſos aliquot virtutum actus eum elicere debere, verbi gratia, contritionis, humilitatis, amoris, amiſſi illius temporis jacturam tanto majori affectione reſarcire geſtiendo, quo quod reliquum adhuc eſt, tempus breviùs eſt; viatores ſcilicet imitando, qui diei imminere finem cernentes, & quod lentè tardèque proceſſerint, dubitantes num in tempore ad deſtinatum diverſorium perventuri ſint, animosè feſtinant, & nova quadam facta diligentia ſuperioris negligentiæ damnum compenſare allaborant. Si itaque tunc aliqua ſe illi offerat ratio, quæ voluntatem emoveret, (poſito eam antea oblatam illi non fuiſſe) & tempus quod reliquum eſt, ad illam rationem formandam, & aliquam in voluntate impreſſionem faciendam ſufficiat conſultum fuerit, diligenter huic rationi attendere, & vel hanc voluntatis motionem ex oratione colligere, ac deinde ad cubiculum aut aliò ſe conferre, ad ultimas orationis partes peragendas. Si autem

G

Comparatio.

H

ob

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

ob neceſſarias occupationes ſeſe inde ſubducere nequeat ſatis fuerit partes illas breviſſimis quibuſdam cordis elevationibus perficere, atque ita ſe ad negotiorum tractationem conferre.

Quando facienda petitio?

A

Dubium LXVII. Quomodo in oratione ipſa inſtituenda eſt petitio? Reſpondeo, ſi res indifferentes petantur, eas ſub conditione, tacita ſaltem, petendas: expreſſam autem, & apertam non ſemper conſultum eſt addere, quod hæc imminuere fervorem ſoleat. Quæ autem ad veram ſanctitatem, vel ſalutem animæ ſpectant, abſolutè magna quadam fiducia, & contentione petenda ſunt.

Et quibusnam conditionibus adponendis.

Dubium LXVIII. Quænam conditiones ſint ad petitionis efficaciam neceſſariæ? Quatuor eas eſſe, ex communi ſanctorum ſententia, reſpondeo: Prima, petere ea, quæ ad ſalutem æternam neceſſaria ſunt: ſecunda, eadem petere piè, id eſt, cum fide, ſpe, bonoque deſiderio: tertia, petere ea ſibi: quarta, perſeveranter.

B

Quot orationis effectus?

Dubium LXIX. Qui ſunt orationis effectus? Reſpondeo: ſunt tres, mereri ſcilicet, ſatisfacere, & impetrare. Duos priores cum omnibus aliis operibus piis ac ſatisfactoriis communes habet: tertius orationi magis proprius eſt, utpote quæ deſtinata eſt ad ea à Domino impetranda, quæ debitis cum conditionibus petuntur. Sunt & alii miri ejus effectus: utpote Dei lux, cordis ad æterna erectio, ac temporalium contemptus.

Signa profectus, quae?

Dubium LXX. Quæ ſunt profectus in oratione ſigna? Reſpondeo: major ad ſui ipſius, & Dei cognitionem lux, major in interiori recollectio, major mortificatio, aliaque id genus.

C

Cur multi non proficiant? Prima ratio.

Dubium LXXI. Quænam cauſa eſt, ut cum multi ſint, qui orationis exercitio ſeſe dedunt, tam paucis tamen ea feliciter ſuccedat? Reſponſio: Duæ ſunt præcipuæ rei hujus cauſæ, una eſt exigua noſtri mortificatio, qualis, verbi gratia, eſſet nimis multum loqui, curioſè hinc inde oculis divagari, &c. quæ imperfectiones, eò quòd quotidianæ ſunt, tantum aut etiam magis deſtruunt, quantum quotidiana oratio conſtruit & ædificat. Et eſt id experientia notum in iis, qui gravia quidem peccata non admittunt, aliquam nihilominus vim ſibi facere nòlunt ad arctiùs ſecundùm diſciplinam ſanctorum vivendum.

Secunda ratio.

Altera hujus infelicis ſucceſſus ratio eſt, quod ſanctum orationis exercitium parvi faciant: unde fit, ut parum ſe ad id præparent, &, dum ipſum exercent, animi languori irrepenti dent locum; unde nullo modo animum collectum habent, nec ſpiritum applicant, atque inde fit, ut qui hujuſmodi ſunt, à tentationibus, & diſtractionibus ita invadantur, ut civitas aliqua propugnaculis, & excubiis deſtituta.

D

De orationis diuturnitate.

Dubium LXXII. An oratio debeat eſſe longa? Reſpondeo, quando in communi cum aliis ipſa inſtituitur, tam eam diu extendi oportere, quamdiu Superiores præſcripſerint; qui orationis tempus bene inſtituerunt, & ſatis commodum, ita ut nec nimis id breve ſit, nec nimis longum. Verùm dum in privato quis loco orat, eo eſſe ſolet oratio fructuoſior, quo productior; ita tamen ut aliquam orans ſanitatis, & roboris ſui corporalis rationem habeat. In quo nuperi, & novitii oratores, juxta directoris ſui ſpiritualis conſilium debent procedere.

E

De iis qui communi orationi nequeunt intereſſe.

Dubium LXXIII. Quomodo ſe gerent illi qui ob diverſas cauſas intervenientes ſolito orationis tempore orare impediuntur, vel in commodo ei faciendæ loco non verſantur, & commodo eam tempore, ab ipſis præſtituto, inſtituere nequeunt? Reſpondeo, ſi habeant tempus, eam ante vel poſt communitatis orationem facere poterunt; & quod ad locum ſpectat, locum omnem ut oratorium habeant, ſi modo illis ſuppetat tempus. Si autem integra hora orare nequeant, ſemi horam, vel horæ quadrantem continuæ orationi dent, & quod reſtat jaculatoriis, & interruptis cordis elevationibus interioribuſque virtutum actibus, per reliquum diei reiteratis, compenſare ſtudeant.

F

Idiotae quomodo inſtruendi?

Dubium LXXIV. Quomodo ſimplices, & idiotæ aliquam ſaltem orandi methodum edoceri debeant? Reſpondeo: Utile futurum, ſi edoceantur cogitare, Deum omni in loco præſentem adeſſe, iiſque declaretur, quomodo Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti humanitatem ſibi repræſentare, & quatuor noviſſima debeant: utque ad orationem cum quadam divinæ majeſtatis reverentia, dolore, & confuſione de peccatis ſuis accedant, & eorum, quæ indicavimus, ſaltem aliquid cogitando, prout poterunt, percurrant, incipiendo ab ipſis Noviſſimis, aut Salvatoris noſtri Jeſu humanitate. Atque ita fiet, ut, dum in illo orationis loco coram infinita Dei majeſtate verſantur, & bonæ vitæ omniſque peccati fugiendi propoſita concipiunt, ſimul etiam Domino ſeſe offerunt; in ipſum credunt, ipſum amant, opemque ab illo poſtulant; inque omnibus illis actibus cum ſimplicitate, & bonæ voluntatis abundantia procedunt, bonam quamdam orationem inſtituturi ſint.

G

TRACTATUS

DE PRÆSENTIA DEI.

Dei Praeſentiae definitiones variae.

1. QUÆritur, Quid eſt Dei præſentia? Reſpondeo: Per præſentiam Dei in ſenſu, quem viri ſpirituales uſurpant, non intelligi ipſam Dei in omni loco exiſtentiam, uti nec divinæ ejus majeſtatis ſuper nos, & res noſtras attentionem; multò etiam minùs, quod nos, uti, & reliquæ creaturæ omnes, ipſi præſentes ſimus: ſed hoc nomine exercitium quoddam interius, quod in vita ſpirituali permagni ſit momenti, intelligi. Duabus in rebus id conſiſtit; una eſt, repræſentatio ipſa, quæ inte-

H

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

riùs de rebus divinis, de humanitate Chriſti, aliiſque id genus objectis formatur; alia verò, pia mentis, & affectus ad Deum, & alias res, per imagines, quæ formantur, repræſentatas applicatio. Atque hæc applicatio præcipua ejus præſentiæ Dei, quæ à ſpiritualibus hominibus uſurpatur, pars eſt, & ſine qua ipſa rerum divinarum, vel humanitatis Chriſti Domini repræſentatio parum utilis futura eſſet.

A

De hoc legatur tractatus de Oratione a dubio VIII. uſque ad XIV.

Quotuplex Praeſentia Dei?

II. Qæritur, Quotuplex ſit Dei præſentia? Reſpondeo: Præſentia Dei dividitur communiter in præſentiam imaginariam, & intellectualem: Imaginaria eſt, in qua rerum corporalium efformantur imagines, verbi gratia, Chriſti Domini figura in quocumque vitæ ejus actu, vel opere, ut paſſione, reſurrectione, aſcenſione, &c. Intellectualis eſt, in qua tales non formantur imagines, ſed quæ ad Dei in omni loco exiſtentiam attendit.

B

Cap. 1. coeleſt. hierar. 22. q. 174. art. 2 ad 4.

Intellectualis, & imaginariae diſcrimen.

Circa doctrinam hanc nota, quòd quamvis imaginativæ phantaſmata vel imagines, etiam ad res divinas, eo quò in hac quidem vita fas eſt, modo intelligendas, juxta doctrinam S. Dionyſii Areopagitæ, & D. Thomæ concurrant; intellectualem tamen Dei præſentiam vocent illam, in qua ipſa animi applicatio in rebus aut rationibus intellectualibus terminatur; etſi anima impropria quadam imagine utatur, ad præſentiæ imaginariæ differentiam, in qua ſcilicet imagines propriæ formantur, & quibus inſpectandis contemplandiſque anima intendit. Quod in præſentia intellectuali locum non habet, utpote quæ ſupra omnem repræſentationem ad res evolat intelligibiles.

Quinque puncta ad intellectualem intelligandam. Primum.

Porrò ad intellectualem præſentiam intelligendam ſequentia puncta conducent,

Primum Conſiderare, hominem opem, & ſubſidium aliquod ex alterius præſentia ſentire, idque non tam per corpus, quod videt, quàm per animam, quam non videt: unde dum anima ab hujus corpore decedit, corpus illi adeò non ſocietatem præſtat, & ſubſidium, ut etiam timorem, & terrorem iniiciat.

C

Secundum.

Secundum. Quando cæcus aliquis apud mutum verſatur, etſi eum ipſe non videat: nec reſponſum ab eo exſpectet; quia tamen certus eſt eum adeſſe, aliquam hæc ei ſocietas conſolationem adfert; ſic quiſquis intellectuali Dei præſentiæ intendit, etſi divinam majeſtatem oculis ſuis non videat; nec ullum ab eo exſpectet reſponſum, nihilominus confortatur: quòd certo norit, eum adeſſe præſentem, ab eo ſe videri ac protegi.

Tertium.

D

Tertium. Quando meticuloſus aliquis in locum timori incutiedo obnoxium, (verbi gratia, cœmeterium de nocte) cum comitibus aliquot ingreditur; nihil timet; atque adeo ſi fortè eo in loco illi ad dormiendum ſe componant, ipſe tacet & quieſcit: quin etiam ſi eo inſcio inde ſocii digrediantur, nequaquam timet, eò quod imaginatio, qua illos adhuc adeſſe putat, ipſum confortat. Si itaque vel nuda cogitatio, quòd tres aut quatuor præſentes adſint, (etſi revera abſint) hominem meticuloſum confortat, corque illum dilatare facit; quomodo intellectualis Dei præſentia debilem aliquem non confortet, ubi fide divina cogitarit vel credierit ſummum illud bonum ac fortitudinem ſuam præſentem adeſſe.

Quartum.

E

Quartò, ipſi ſervi Chriſti confortari ſe ſentiunt, dum apud ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum verſantur; & quanvis corpus Chriſti non conſpiciant, nihilominus confortantur, quòd illis fides dictet realiter ac verè ipſum adeſſe. Cur igitur ſe hi confortari non ſentient, ubi intellectuali præſentiæ attendunt? quandoquidem, ſicut per fidem divinam credunt, Chriſti corpus in Venerabili Sacramento verè eſſe, ita eadem fide credunt, ipſam Chriſti perſonam ac divinitatem in omni, quo verſantur, loco præſentem adeſſe.

Quintum.

F

Quintò. Ad intellectualem Dei præſentiam ſentiendam non parum facit, cogitare, quid futurum eſſet, ſi certò divina Majeſtas in loco aliquo determinato adeſſet; (verbi gratia, in cœlo) & tamen non adeſſet in terra? Hoc ſanè in caſu ipſis Dei ſervis illa abſentia graviſſima foret, & aliquod ſibi ejus conſolationis motivum imaginarentur, quam per fidei certitudinem habent, à qua videlicet docentur, omni loco quo ſunt, verè, & realiter præſentem illum adeſſe. Huc quoque facit, cogitare, quid futurum eſſet, ſi ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſolum in India (verbi gratia, occidentali) eſſet: quo in caſu nullus eſt, qui non ſolitudinem illam, quam Catholici in Europa noſtra ſentirent, perſpiciat.

Num alii ſint modi Praeſentiae Dei?

G

III. Quæritur, num alii adhuc ſint modi præſentiæ Dei, qui ſub diviſione ſupra aſſignata comprehenduntur? Reſpondeo eſſe; cùm homo divinæ gratiæ cooperando diverſas objectorum imaginabilium formare imagines, ac diverſimodè ſine imaginibus, rebus divinis modo quodam intellectuali attendere queat; ſed præter hoſce modos (qui etſi cum divino auxilio fiant, noſtra tamen ad hos concurrit cooperatio) Deus Optimus Maximus ſingulari quodam ſolet aliquot animas favore proſequi, dum in illorum imaginatione, vel in intellectu diverſos mirabilium præſentiarum ſuarum modos efformat: adeò ut inde dulciſſimam quamdam in amore correſpondentiam, & ſocietatem amabiliſſimam ſentiant; quam quidem interdum in diverſis vident formis, interdum verò minimè vident, ſed ſentiunt, & ſummum ab ea robur, quo ad perfectionem Chriſtianam tendant, recipiunt. Quando autem id genus gratias homo ſentit, ſtatim cum Patre ſpirituali eas communicare debet, nè fortè aliqua dæmonis illuſio ſubſit.

H

Comparatio.

IV. Quæritur, num intellectualis objectorum corporalium dari præſentia poſſit? Reſpondeo poſſe, adeò ut, ſicut Angelus videt, id eſt, cognoſcit, verbi gratia, Chriſti corpus, nullam formando imaginem corporalem,

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

lem ſicut, eam format homo, qui corporales habet oculos, & phantaſiam, vel imaginativam, per quam nimirum illam format imaginem, quæ dicitur phantaſma: ita homo divino auxilio poſſit videre, id eſt, cognoſcere, vel intelligere corpus Chriſti, & modo quodam intelligibili, & angelico ejus præſentiam habere, etſi eum alioquin oculis corporeis non videat, neve ejus per imaginativam formet imaginem. Verum tamen eſt, aliquod in hoc caſu inter Angelum, & hominem mortalem diſcrimen fore: quia dicere Angelus, verbi gratia, ipſa vultus Chriſti lineamenta poterit; ſed id homo non poterit; ſicut experientia conſtat de illis, quibus hanc Dominus facere gratiam dignatus fuit. Cujus rei ratio ſpeculativa hoc loco danda non eſt. Magiſtri ſpirituales benè hoc notent oportet, ne in quibuſdam divinis favoribus dijudicandis errent.

A

Angeli, & hominis diſcrimen.

V. Quæritur, num imaginaria obiectorum intellectualium, dari queat præſentia? Reſpondeo cum diſtinctione hòc modo: ſi enim hunc interrogatio ſenſum habet, an aliqua ſit Dei, id eſt, naturæ ac perfectionum divinarum præſentia cum aliqua imaginum, vel phantaſmatum formatione conjuncta? Reſpondeo, eſſe, juxta communem Theologorum cum D. Dionyſio Areopagita, quam ſupra indicavimus, doctrinam, docentium, res divinas, quamdiu in hac vita ſumus, per rerum corporalium ſimilitudinem intelligi, verbi gratia, quando ſublimem quamdam divinitatis ſuæ, vel myſterii diviniſſimæ Trinitatis intelligentiam Deus ſub aliquò magnæ cuiuſdam lucis, vel candidæ & pulchræ nubis ſymbolo ac ſimilitudine, aut alio quodam modo longè mirabiliori, quam ipſi indicare poſſimus, communicat. Hoc in ſenſu rerum corporalium imagines cum intellectualium ac divinarum intelligentia ſimul ſtare poſſunt. At ſi quæſtio ſic concipiatur, num illa propriè præſentia Dei imaginaria ſit? Reſpondendum eſt quod non: quia imagines hæ rem corporalem exiſtentem, cui propriè reſpondeant, non habent; ſed ideò formatæ ſunt, non ut res corporeas, verbi gratia imaginem Chriſti, B. Virginis, &c. repræſentent, ſed purè intellectuales ſignificent.

De imaginaria objectorum intellectualium praeſentia.

B

C

VI. Quæritur, num ad duas ſupradictas præſentiæ Dei ſpecies alia pia interiora circa creaturas exercitia reducantur? Reſpondeo reduci; idque partim per imagines; ſicut dum Beatiſſima Virgo, & Sancti præſentes finguntur, aut de morte, inferno, judicio univerſali, &c. cogitatur: quibus in rebus imagines formantur corporum, & actus corporei. Partim etiam ſine imaginibus, uti, dum de nobilitate naturæ Angelicæ, divinæ gratiæ perfectionibus, caritatis excellentia, aliiſque id genus rebus quis cogitat, idque modo quodam intellectuali, & nullas corporum formando imagines, ſicut in imaginaria fieri Dei præſentia ſolet. Exercitium hoc etiam præſentia Dei vocatur; quia ad hoc demum confert, ut anima ad Deum ſuſtollatur, & in eum per hanc mentis ad creaturas applicationem terminetur, cum intentione, & reſpectu, ut ipſa cum Creatore ſuo uniatur. Atque ita ſanctos aliquot monachos communiter in hiſce præſentiæ Dei modis ſe exercuiſſe legimus, & quidem majori longè cum fructu, quam ſe multi alii per diverſos præſentiæ Dei altioris ſublimioriſque modos exerceant.

Angelicae naturae nobilitas.

D

Altera Praeſentiae Dei ſpecies.

E

VII. Quæritur, utra præſentia ſit melior, intellectualis an imaginaria? Diſtinguo: quia verbum hoc (*melior*) vel majorem excellentiam, vel majorem utilitatem ſignificare poteſt. Quantum ad excellentiam, negari non poteſt, quin intellectualis ſit nobilior, altior, & excellentior; reſpicit enim objectum ſublimiùs, divinam ſcilicet naturam, eſtque imaginariæ quodam modo finis. At ſi utilitatem intueamur, nulla generalis regula practicabilis aſſignari poteſt. Quamquam enim ex ſe, & ſecundum eſſe ſuum præſentia intellectualis utilior ſit, in praxi tamen ſæpiſſimè contingit, ut imaginaria multis utilior ſit, uti experientia ipſa ſatis oſtendit.

Quaenam melior?

F

VIII. Quæritur, quid faciendum, ut bona præſentiæ Dei electio fiat? Reſpondeo, per aliquod tempus homini ejus eſſe experientiam probationemque faciendam, ut videat ſcilicet, ecquæ præſentia animæ ſit conducibilior; videat inquam, per quam præſentiam magis illuminetur, inflammetur, & ad ſtatus ſui partes, & munia exequenda, ad paſſiones mortificandas, ad virtutes acquirendas magis corroboretur. Deinde horum eſſe Magiſtro ſpirituali rationem reddendam, ac demum electionem faciendam. Notandum verò, non ideò eſſe imaginariam præſentiam omittendam, quòd perfectæ imagines formari nequeant; quia id minime neceſſarium eſt; imò ſæpè perfecta hæc imaginatio animæ nocet, quia periculum eſt illuſionum, ideoque imperfecta quædam imaginatio ſatis eſt. Conſiderandum igitur, num alia quadam de cauſa; verbi gratia, ob exiguam utilitatem, vel capitis debilitatem, aliaſque id genus cauſas ea omittenda ſit.

Quaeque eligenda?

Animadverſio.

G

Imaginaria periculoſa, & cur?

IX. Quæritur, num facta jam electione, verbi cauſa, imaginariæ, interdum intellectualem adhibere etiam liceat, & contrà intellectuali electa, aliquando imaginariam? Reſpondeo licere. In quo notandum eſt, conſultum non eſſe ſic animam conſtringere, ut ſemper uni modo ita alligetur, ut nunquam ei alios modos attingere liceat: hoc enim mentem angit, & ſuffocat. Cumque homo è ſpiritu conſtet, & corpore, hæc variatio ſatis illi ad animæ relaxationem, & ad majorem affectum, & alios bonos effectus confert. Dico adhæc, quamvis facta jam electione electa præſentia ut plurimum uſurpanda ſit; utile tamen eſſe, diverſas cogitationes pias in diverſis formis liberè admittere, adeò ut anima ſemper cogitationibus piis occupata ſit, non tamen conſtricta, & alligata. Nota, quando animam uni objecto Dominus, ad majus ejus bo-

Homo ex ſpiritu & corpore conſtat.

H

bonum, alligare voluerit, id ipſum cum ſpecialibus favoribus, animam neutiquam ſuffocando, facere ſolere.

Diligentia commendatur.

Illam hic ſuppono diligentiam, quæ homini manè facienda eſt ad præſentiam Dei capiendam; imitando ſcilicet eum, qui cum pretioſiſſimas in itinere gemmas geſtat, ſtatim atque è ſomno expergiſcitur, manum extendit, exploraturus num eas adhuc habeat, ſecuruſque ſit eas ſe adhuc penes ſe habere.

A

Quaenam Dei Praeſentia exercenda?

X. Quæritur, num conſultum ſit, eam Dei exercere præſentiam, quæ manè electa eſt, & circa quam oratio vel meditatio facta ſit? Reſpondeo quòd ſic; ſed cum ea moderatione, quæ numero præcedenti indicata eſt; cavendo nimirum, ne in eum novitiorum incidat homo errorem: qui ſi aliæ cogitationes piæ ipſis ſubnaſcuntur, eas accidere liberè non patiuntur, quod circa eam, quam manè meditati ſunt, materiam eæ non verſentur, atque adeò volunt ſpiritum cogere, ideoque eum amittunt.

B

Quomodo Dei praeſentia cum electa virtute concilianda? Animadverſio.

XI. Quæritur, quomodo Dei præſentia cum virtute, quæ ſeptimanatim vel menſtruatim eligitur, concilianda ſit, cum, juxta diſciplinam monaſticam, ipſa Dei præſentia, uti, & oratio continuata dictæ virtuti comparandæ ſervire debeat? Reſpondeo, tali modo conciliandam eſſe, ut è Dei præſentia, quæ præ manibus eſt, & electa, motiva eliciamus, quibus animus erga virtutis illius ſtudium inclinetur: ut, ſi præſentia ſit de Chriſto ad columnam alligato, & electa ſit humilitas, conſiderandam ſæpè humilitatem illam, qua denudatus, & velut mancipium in piſtrinum compactum effectus apparuit. Si verò electa ſit manſuetudo, conſiderandum ſæpè, quomodo Dominus ceu Agnus innocens illas excipiat injurias, ac dolores, atque ob eoſdem neutiquam indignetur, nec contra carnifices inſurgat.

C

Si electa ſit caſtitas, ſæpè perpendendum, quomodo puriſſima, & virginalis illa caro flagelletur. Hæ autem conſiderationes eſſe debent quàm breviſſimæ, & per reliquum tempus, quo oratio continua non peragitur, interruptæ. Pia adhæc propoſita, & virtutis electæ actus concipiendi ſunt, proponendo obvias difficultates generosè perfringere, modoſque excogitando ea, quæ occurrunt opera, aliter exequendi, qualiter ea Chriſtus Dominus ſimilibus in occaſionibus exequeretur.

Animadverſio.

Notandum verò quando anima in ipſa Dei præſentia non facilè rationes, vel motiva propria invenit, quibus ad virtutis electæ cultum inducatur, conſultum non eſſe, ut ſeipſa ſpeculando defatiget ad conceptus excogitandos & inveniendos; ſed ut magna cum ſimplicitate & affectu Dei præſentiam adhibeat, Deum frequenter, cùm per naturalem ejus bonitatem, tum per paſſionis merita, per dolores, & ſanguinis effuſionem, &c. rogando, ut quam elegit virtutem, ſibi elargiri dignetur; propoſita & actus virtutis illius faciendo.

D

Quomodo cum Deo loquendum?

XII. Quæritur, num cum Deo, in exercitio hoc præſentiæ ſuæ, in ſecunda ſit perſona loquendum? Reſpondeo, animam hic cogendam non eſſe; ut in ſecunda vel tertia perſona, vel cum Domino, vel ſecum, (advertendo; ſeſe in Dei præſentia verſari) vel aliis modis ſecundum affectum prædominantem loquatur.

E

De diuturnitate exercitii praeſentiae Dei.

XIII. Quæritur, num intenſa applicatio mentis, & affectus in exercitio præſentiæ Dei per diem totum ſit facienda? Reſpondeo, ſuaviter & mentis, & affectus applicationem faciendam, caput, ac pectus non lædendo: quia per hanc moderationem ipſa futura diuturnior eſt, deinde caput non gravabitur, & ſatis, ſufficienterque ipſum diſpoſitum erit, ut faciat ea, quæ ad Dei cultum faciunt; per hanc quoque fit, ut ipſi Dei ſervi non fiant ſegnes, nec tum erga ſe, tum erga proximos inutiles. In hac ſuavi mentis applicatione, quando præſentia eſt de Chriſto, intendere homo debet, ut bonum, & fidele ei contubernium præſtet, eum in rebus ordinariis occurrentibus, verbi gratia, in ſilentio, modeſtia, in inceſſu, ſeſſione, ſtando, &c. imitari ſtudendo, & ita hos actus facere intendendo, uti ipſemet Chriſtus eos faceret, quin & alia extraordinaria, etiam majora, ejus nomine facere proponendo, ad mortem uſque etiam eum comitando.

F

XIV. Quæritur, num huic Dei præſentiæ attendendum ſit, quando homo cum proximis tractat, quando cum amicis agit, aut quando corporis ſumit refectionem, & in aliis ſimilibus caſibus? Reſpondeo affirmativè, ſed cum ea moderatione, quam numero præcedenti attulimus, quæ in omni eventu commodiſſima eſt; ſicut videre eſt ex iis, quæ homines ſpirituales medias inter recreationes, & continuas cum amicis converſationes, aut dum rheda vehuntur, dum ambulatum concedunt, &c. faciunt; quibus in caſibus nec in urbanitatem, civilitatemque peccando, nec officia caritatis omittendo, cor interdum ad Deum ſuſtollunt, Dominumque, coram quo verſantur, interioribus mentis oculis intuentur.

G

Hoc pacto fit, ut nullum ex hac cum creaturis communicatione detrimentum anima capiat, & cor ad orationem, aliaque bona ſpiritualia aptum, beneque diſpoſitum conſervetur. Hæc in rebus terrenis tractandis fidelitas plurimi à Rege cœli fit.

Dei praeſentia commendata.

Ex hac doctrina ſequitur, ſervos Dei procurare debere, ut ſemper in Dei præſentia verſentur: ſi enim ut in media negotiorum tractatione illam habeant, eos ſatagere oportet, quanto magis, dum aliarum rerum, à quibus diſtrahantur, tractatione diſtenti non ſunt? Sic nimirum boni Religioſi faciunt, qui, ſicut rerum incompatibilium tractatione impediti non ſunt, ita in continua quadam Dei recordatione vivunt, actus meritorios aſſidue multiplicando.

H

Et licet per naturalem fragilitatem aliqua temporis pars ſine hac memoria ſubinde elabatur, diſtractio hæc voluntaria non eſt, atque adeo ſtatim ac ſui recordantur, Dei, in quocum-

que

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

que verſantur loco, præſentiam reſumunt.

Omnia naturalia, & artificialia quomodo debeant conſiderari?

A

XV. Quæritur, quomodo ſpiritualiter creaturæ videri, conſiderarique debeant, ut hic earum intuitus præſentiæ Dei fovendæ ſerviat? Reſpondeo, omnia quæ videntur, tam naturalia, uti ſunt campi, flumina, arbores, &c. quam artificialia, ſicut imagines, vaſa aurea, & argentea, palatia, &c. cum quadam ad Creatorem, & horum omnium Dominum, à quo omne bonum tam naturale, quam artificiale &c. procedit, relatione videri debere. Et, ſi Dei præſentia intellectualis ſit, vel imaginaria de Chriſto Jeſu, magnam inter horum conſpectum, & illorum auctoris reſpectum proportionem eſſe, ſi nimirum cor ad eum honorandum, & amandum per illa motiva, quæ in illis rebus reperiuntur, ſuſtollatur; ſicut verbi gratia, ſi florum pulchritudo videtur, ſtatim ad Chriſtum Dominum mens ſe reflectere, & affectus ad infinitam ejus pulchritudinem amandam applicari poteſt. Si inſigne aliquod palatium, quamprimum ad Deum mens ſuſtollenda, & ad civitatem Domini, quam ſuis is electis fabricavit, referenda. Si flumen, reſpicienda illico divinitas, quæ ceu mare quoddam eſt aquæ puriſſimæ, & ad eam, ardenti concepto deſiderio, in æternum illud refrigerium ingrediendi ſuſpirandum. Quando autem is, qui præſentiæ Domini intendit, nullam in hiſce aſpirationibus, & reſpectibus interioribus proportionem invenire poterit, ſatis erit, ſi ſimpliciter, & cum magno ſeſe divinæ Majeſtati uniendi deſiderio meminerit ſe ea, quæ videt, videre velut res heri ſui, & Domini univerſalis, eum ob hoc dominium, tam potenti dignum domino, laudando, & glorificando: hoc namque modo optimos affectus eliciet, timoris quidem, quando ipſa objecta involvunt timorem, verbi gratia, mors, judicium, infernus; deinde amoris, quando ea, quæ occurrunt, jucunditatem includunt, ut campi, flores, &c.

B

C

Quanti momenti ſit præſentiae Dei exercitium?

XVI. Quæritur, quanti momenti ſit præſentiæ Dei exercitium? Reſpondeo, permagni id momenti eſſe omnibus ad omne bonum ſpirituale, ac præſertim qui vel ob indiſpoſitionem naturalem, vel accidentalem habitualem diſcurrere mente non valent, & continuæ orationi multum temporis impendere: his enim loco continuæ orationis hæc Dei præſentia erit. Et univerſaliter quidem mirabiles videre effectus eſt in iis, qui præſentiæ Dei intendunt: qui enim in ſancto hoc exercitio fideles ſunt, divinum quid in intuendo, loquendo, in modeſtia, in negotiorum tractatione præferunt: ſatis enim oſtendunt ſeſe à ſpiritu divino regi.

Loco continuae orationis eſt.

D

* * *

TRACTATUS
DE TENTATIONIBUS.

I. Materia hæc maxime ampla eſt, multaque de ea in variis ſcripta libris leguntur. Hinc quæ utilitatis parum habent omittens, dicam Deo dante, quæ viris ſpiritualibus graviter tentatis magis profutura ſunt, ut ipſi tum ſe adjuvent, tum aliis bene conſulendo opitulentur.

E

Tentationes unde?

II. Præſuppono hominem in omni peccati materia, & contra omnem virtutem tentari poſſe. Suppono adhæc, tentationes è tribus præcipuis oriri poſſe capitibus; primò, à diabolo; ſecundò, à noſtra concupiſentia, quæ adverſus rationem; ac divinam legem inſurgit; tertiò, ſingulari Dei permiſſione, & ordinatione, qui nos probare velit. Rurſus præſuppono, tria hæc capita ita diſtingui non debere, quaſi primum, & ſecundum Deo diſponente, ac permittente non contingerent: ſed ita ut tertium particulari Dei conſilio, ac decreto attribuatur, quamvis alioquin nos concupiſcentia aut diabolus ordinario more ſuo non tentarent. Quia ſunt extraordinariæ quædam Dei diſpoſitiones, ſervum ſuum probare volentis, qui tum dæmoni permittit, ut eum inſolita quadam tentatione affligat, cum ad majorem gloriam gratiæ ſuæ, atque animæ illius bonum, tum ut hinc fortitudinis, & patientiæ exemplum alii hauriant.

F

Earum remedia quot? Primum.

Secundam.

G

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sexzum.

III. Præmitto adhæc communia in omnibus tentationibns remedia, quæ ad ſequentia revocari capita poſſunt. Primum eſt oratio: quia quicumque tribulatus eſt, ad eum recurrit, à quo juvari ſe poſſe ſperat; atque ideo ſtatim ac ſe quis afflictum comperit, ad orationem auxilii cauſa confugere debet. Secuudum, ſeſe coram divina Majeſtate humiliare: ita namque & multó citiùs, & efficaciùs ſubſidium auxiliumque obrinebit. Tertiùm eſt patientia in mœſtitia, ac deſolatione, quam tentatio cauſatur. Quartum fortitudo & conſtantia in reſiſtendo, maximè in ipſo tentationum initio, accedente timore Dei, & ſpe præmii. Quintum, firma in Deum fiducia, numquam animum deſpondendo. Sextum, virorum ſpiritualium, ac præſertim Prælatorum, & Directorum conſilium. Atque hoc quidem primo loco petendum eſt, ut deinde ex eorum directione cætera uſurpentur remedia: cum enim variæ ſint tentationes, varias etiam jam inde à principio directiones habere oportet. Notent hìc ſpirituales magiſtri, univerſaliter ſe, quando tentationes in magnas hominem coniiciunt anguſtias, (uti ſunt ea, quæ circa fidem, blaſphemias, & ſcrupulos verſantur, aliæque ſimiles) tentatis conſulere debere, ut ad tempus ab oratione, & aliis exercitiis mentalibus abſtineant, utque comedant, & dormiant, ne in quamdam tum ſpiritualem, tum corporalem ægritudinem, quæ quodammodo irremediabilis ſit, incidant.

Quomodo ſpirituales Magiſtri ſe gerere debeant cum tentatis?

H

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

Tentationes graviores.

A

IV. His præſuppoſitis, & innumeris tentationum modis, quibus ſervi Dei tentari ſolent, omiſſis ſolum de gravioribus, quæ occurrere ſolent, & quarum majorem habeo notitiam, loquar, & ſingulis, quas afferam, tentationibus, aliquot aſſignabo remedia, quæ iis tollendis efficaciora judicabo. Quas autem afferam tentationes, ſunt hæ, quæ ſequuntur, nimirum circa fidem, ad impuritatem, ad blaſphemiam, ſcrupulos, deſperationem, & odium Dei.

De tentatione contra fidem.

V. Circa tentationes de fide notandum eſt, multis viris ſpiritualibus magnas quoad hanc partem tentationes accidere: divina namque permiſſione diabolus eos in omni fidei myſterio vexat, & inquietat, ſexcentas ſuggerendo interrogationes, & argumenta efficaciſſima, nullam ut iis quietem indulgere videatur. Hæc tentatio eo hominem perducere ſolet, ut & valetudo, & judicium periclitentur: adeo ut ipſa quoddam exercitium ſit, corpus valde torquens, & vexans; verùm animæ parum nocet: quia quo ſuggeſtiones abſurdiores, & ineptiores ſunt, eo minus eſt conſentiendi periculum. Imo plerumque hujuſmodi luctæ & conflictationes magnum poſtea animæ adferre emolumentum ſolent. Cum enim ſervi Dei vident in ea ſeſe impeti materia, propter cujus confeſſionem mille, ſi haberent, vitas impenderent, tum, cum ſe maximè vexari, & tentari ſentiunt, in quoſdam fidei actus, eoſque nobiliſſimos prorumpunt, pari ſanè conſtantia ac robore, quo olim Martyres ante in Tyrannos abrepti. Quod in locis ſolitariis, & clam aliis potiſſimum facere ſolent, in quibus tum affectu, tum verbis, & exterioribus actibus, magna fortitudine, & generoſitate, Catholicas veritates profitentur. Quod gratiſſimum Deo ſpectaculum eſt, cujus bonitatem credibile eſt, graves haſce tentationes ideo permiſiſſe, ut excellentes hos virtutum actus, divinæ ſuæ Majeſtati adeo gratos ac ſuaves, colligeret.

B

C

Ejus remedia. Primum.

VI. Particularia tentationis hujus remedia, præter communia illa omnibus, ſupra indicata, ſunt hæc. Primum, argumentis diabolicis non auſcultare, nec cum ipſo diſceptare, vel de iiſdem diſcurrere, etſi tentatus tantùm ſe ſcire putet, ut tentantem convincere poſſit. Secundum, non ſe ſinere interius turbari, uti ſolent turbari nonnulli, quod hæc tentationis ſpecies fidei divinæ adverſetur. Non ſic autem faciendum eſt, ſed ipſa contemnenda tentatio, idque eo magis, quò manifeſtiùs ea oppugnatur veritas, quæ infallibilem certitudinem includit. Adeo ut qui hac in parte tentatur, ita ſe cum diabolo hic gerere debeat, perinde ac ſi ſtultus aliquis ſibi multas ineptias, & fatuitates abſurdas ac ridiculas oggeret; nihili ſcilicet eas faciendo. Doctrinam hanc commune virorum ſpiritualium confirmabit judicium, dum de damno, quod recipere ſolent illi, qui ſic tentantur, nihil omnino timent; quin imo majus damnum timendum cenſent, cum de rebus leviſſimis tentantur; verbi gratia, ut otioſa verba loquantur: hoc enim in caſu longe credibilius eſt, aliquem ſecuturum conſenſum, etiam in viris ſpiritualibus; quod de tentationibus quo ad fidem adeo firmiter, atque univeſaliter dici nequit. Tertium remedium eſt, ſimpliciſſimos, ſed ardentes, fidei actus concipere, nullam aliam ejus quærendo rationem, quam univerſalem illam divinæ auctoritatis, quam Eccleſia nobis ſancta propoſuit.

Secundum.

D

Tentationes contemnendae.

Tertium.

E

De obſcenis tentationibus.

VII. Quoad tentationes obſcenas notandum eſt, eas eſſe graviſſimas, & cæteris aliis periculoſiores; idque ob carnis humanæ fragilitatem; qua ceu armis uti dæmon ſolet ad animam oppugnandam. Tentationes hæ ſuum interdum in naturali complexione in hoc vitium prona fundamentum habent, præſertim quando corpus molliter & delicate habetur, & parum affligitur. Alias à parte corporis vix ullum eſt fundamentum, quod nimirum ipſum male tractetur, & extenuetur, quamvis alioquin infernali quadam ipſum inardeſcere videatur concupiſcentia. Ac tunc patet, tentationes has è ſingulari Dei providentia, & nutu oriri, qui animam hanc purgare & promovere deſiderat. Atque ita de aliquibus Dei ſervis morbidis & infirmis judicandum, quibus etſi continuæ ægritudines continuæ cujuſdam pœnitentiæ ſint loco, nihilominus graviſſimè tentantur. Denique idem dicendum de illis Dei ſervis, quibus licet objecta deſint, à quibus tententur, & ipſi ſe aſſiduè in iis, quæ ad Dei obſequium ſpectant, pro eo ac poſſunt exerceant, ne ullum tentationibus illicitis locum dent; graviſſimè tamen tentantur, & affliguntur.

F

Animadverſio.

De earum diuturnitate.

VIII. Notandum inſuper, luctam & certamen hoc graviſſimum, diverſis quoad tempus, & gravitatem, & magnitudinem modis obvenire. Quoad tempus quidem, ſolet in aliquibus quatuor, ſex, decem, aut etiam pluribus annis, per intervalla inſurgens, durare: alios verò continenter opprimere, ſine ulla intermiſſione; quod inprimis notandum eſt. Quoad gravitatem vero & magnitudinem, aliquando hæc tentatio ita ſævit, ut quædam ignis ſpecies videatur: nonnunquam etiam opera dæmonis, aliquæ ſequuntur indecentiæ, & res inſolitæ, de quibus diſtinctiùs hic agere ipſa vetat honeſtas & modeſtia; atque ideo ad particularitates non deſcendo, ſed lectores ſpirituales hìc admoneo, ne ob quemcumque caſum, etſi extraordinarium, in hac materia turbentur, dummodo voluntas per Dei gratiam non conſentiat, cum ex hiſtoriis Sanctorum, Sanctarumque caſtiſſimorum, qui graviter circa carnem tentati ſunt, res manifeſta ſit.

G

Et gravitate, ſive magnitudine.

H

Deque earum remediis.

IX. Particularia tentationis hujus remedia, præter communia illa, in hac materia fideliſſime, diligentiſſimeque executioni mandanda, ſunt ſequentia.

Primum.

Primum, occaſiones in intuendo, loquendoque fugere.

Secundum.

Secundum, caſtigare corpus, quando ipſum carnalibus obnoxium tentationibus videtur, quod benevalens, robuſtum, & pingue

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

gue ſit; tunc ſcilicet jejunia, cilicia, & corporalis afflictio, equo huic effreni edomando percommoda ſunt inſtrumenta. At quando corpus ita diſpoſitum non eſt; ſed extenuatum, vel morbidum, hiſce remediis vel parum, vel etiam omnino non utendum; ſed ad ſpiritualia orationum, ſacramentorum, &c. remedia confugiendum, tantò majori cura, ac diligentia, quantò minus corporalia ſuſcipere poſſunt.

A

Tertium.

Tertium, ita ſeſe occupare, ut cogitationi vix locus relinquatur, ut ſeſe objectis, circa quæ tentatur applicet. Occupatio talis erit, quam vel ſanitas permittit, vel ſtatus ejus qui tentatus eſt, ut legendi, vel ſcribendi, vel negotiandi, vel manuale opus exercendi; etſi, quando opera manualia ſine magno exercentur labore, vel aliquam intenſiorem mentis applicationem non exigunt, hujuſmodi cogitationes vix excludant.

Quartum.

Quartum eſt, ſanctiſſimam Communionem ea intentione frequentare, ut ejus adminiculo contra tentationes robur colligatur, in quo Confeſſarii, vel magiſtri ſpiritualis conſilium interveniat oportet. Quamquam autem hæc remedia carnalibus tentationibus, quæ extravagantes non ſunt, tollendis, atque adeo iis, quæ valde excedunt, multum conducant, ac præſertim quartum, in quo omnium malorum continetur remedium: divina tamen providentia permittente, aliquos ita à carne tentari videmus, ut, quamvis remedia hæc frequenter uſurpent, & viriliter ſemper reſiſtant, nullam alleviationem ſentiunt, etiamſi multis annis generosè pugnarint. At non propterea hi animum deſpondere debent, ſed Domino fidere; cujus gratiæ id certiſſimum habent argumentum (quod mirifice illos conſolatur) quod tanto tempore, quantum quidem meminiſſe poſſunt, nullum lethale interim peccatum admiſerint. Imo addo, etſi propter vehementem & continuam infeſtationem, in aliquam forte fragilitatem prolapſi eſſent, non propterea à certando deficere debere: quod in Scriptura, plurima Sanctorum, ac Sanctarum exempla videre, ſit, qui aliqua quidem interdum peccata mortalia commiſerint, ſed ſtatim, magna quadam generoſitate, ad aſſueta redeuntes certamina, magno ſuo merito Dominum poſtea maximopere glorificarunt.

B

Cur aliquando fruſtranea?

C

De tentationibus blaſphemiæ.

X. Circa tentationes autem blaſphemiæ notandus eſt furioſus Diaboli conatus & contentio, ipſos Dei ſervos in magnas impatientias continua ſua inſtigatione præcipitare ſatagentis. Tentatio hæc, quantum quidem intelligere potui, ſola venire non ſolet, ſed eam ut plurimum comitantur ingens quædam mœſtitia interior, tentatio ad deſperationem, Dei odium, denique graves contra caſtitatem vexationes. Cujus rei cauſa eſt, quia, cum inferior hominis portio ſe graviter afflictam, omnique conſolatione, & voluptate carentem cernit, adverſus rationem, & conſequenter adverſus Deum, inſtar furentis canis, eo immaniùs, & atrociùs inſurgit, quo à diabolo magis inſtigatur; atque inſtar feræ ſævit, quæ interim dum eam nemo vexat, aut laceſſit, quieſcere videtur; at mox ut laceſſitur, efferaſcit, & in inquietantem ſe fertur. Unde tunc horrendæ quædam cogitationes oboriuntur, quin etiam ſubinde in verba intemperantia, ac dura homo prorumpit, ſed ſolent hæc eſſe involuntaria, & indeliberatè effundi, propter tentationis impetum ac vehementiam. Unde etiam piè ea interpretanda, quia interdum in bono & tolerabili ſenſu poſſunt exponi; ſicut fit in aliquibus ſententiis Iob, uti dum in ærumnarum ſuarum vehementia diei ſuo natali maledixit, &c. Tentatio hæc multis durare annis ſolet, & malignus ille blaſphemiæ ſpiritus quemdam quodammodo habitum contrahere, atque ad minimam tentationem mœſtitiæ, impuritatis, &c. ſtatim foras prorumpere.

D

E

Earum remedia. Primum.

XI. Particularia tentationis hujus remedia, præter communia illa ſupra allata, ſunt ſequentia hæc. Primum ſæpe cum hominibus prudentibus & ſpiritualibus agere; cum iis præſertim, qui tentationis hujus aliquam experientiam habent, & monita, quæ hi ſuggerent, attentè conſiderare. Secundum, non ſolum occupationibus ſpiritualibus, verùm etiam indifferentibus quibuſdam recreationibus, vel licitis ambulationibus (quæ in id genus hominibus etiam excellentium virtutum actus ſunt) mentem diſtrahere & occupare, idque ea ſolum intentione, ut magno illo mœſtitiæ pondere animam exonerent, itaque occaſiones auferant, in quibus illos blaſphemiæ motus experiuntur. Unde multi Dei ſervi, docti alioquin & graves, animas illas ſummo periculo exponunt, dum importunis & indiſcretis exercitiis ſpiritualibus eas opprimunt. Quod & in aliis tractatus hujus tentationibus ſimiliter locum habet: quia omnes per diverticula, & diſtractiones mentis juvari debent, magnamque, quando huc extremitatis veniunt, in directoribus prudentiam requirunt. Tertium remedium eſt, ob tentationem hanc poſthac amplius non turbari, quin imo eam deſpicere & contemnere, ſicuti de tentatione circa fidem diximus; etſi hoc circa fidem modo quodam magis ſpeculativo contingat; ac minus videatur difficile impertinens quoddam argumentum, quàm opinionem & ſenſum furioſum, qui ipſum ad ſe affectum rapere videtur, ſicut in tentatione ad blaſphemiam fieri ſolet, deſpicere. Contemnenda hæc nihilominus, atque ejus vehementia & impetus parvi faciendus, quo non increſcat, animuſque paulatim magis ac magis, quam fieri poterit optime, ut ſerenetur, procurandum. Quartum eſt, ſæpe aliquos adorationis, & laudis Domini actus elicere, quamvis id ei perdifficile ſit, quia ſpiritualia illa ſacrificia in tribulationibus talibus oblata divinæ Majeſtati infinitè grata ſunt, atque ideo tales ipſe Deus pro ſua clementia animas quàm libentiſſimè juvat, & à tanta moleſtia & anguſtia liberat.

Secundum.

F

G

Tertium.

Tentationes blaſphemiæ contemnendæ.

Quartum.

H

De ſcrupuloſis tentationibus.

XII. Circa tentationes ſcrupuloſas, quæ ſervos Dei ita quidem interdum vexant & af-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

affligunt, ut inſanire debere videantur; & non novitios eos modo, verum etiam jam veteranos, quin & ſummæ doctrinæ viros; notandum eſt (ut nihil dicam de iis, qui nonniſi vulgari quodam modo ſcrupulis agitantur) tentationem hanc ſubindè adeo vehementem eſſe, ut fidem ſuperet; Probabiliter autem credendum eſt, multos ſic exceſſivè A tentari, non quod tentatio hæc aliquod in ipſis habeat aut ignorantiæ, aut diffidentiæ fundamentum vel originem; ſed quia ſic Dei complacitum eſt providentiæ, qui talibus hominibus ad majus ipſorum meritum tentationis hujus exercitium, quod martyrii cujuſdam ſpecies eſt, immittit. Non eſt autem neceſſe, ut diutius materiæ huic inhæreamus, cum quotidiana ejus rei videre exempla ſit, cum pauciſſimi ſint, qui non, licet judicio alioquin & doctrina valeant, & in vitæ jam extremo verſentur, vehementer, uti ante indicavimus, hoc in genere exagitentur.

Earum remedia Primum.

XIII. Remedia particularia, ut non dicam communia, ſunt hæc, quæ ſequuntur. Primum eſt, ſcrupuloſum debere conari, ut ex fide ſe dirigat, id eſt, confeſſarii ſui, qui B vir doctus ſit & ſpiritualis, conſilio directionique acquieſcat. Unicum hoc remedium ſufficeret, ſi generoſè tentatus, ut par eſt, illud exequeretur. Hoc namque remedium non in aliqua nonnullorum tantum poſitum eſt opinione: ſicut particulares aliquot peccatorum caſus, circa quos dicere tentatus aliquis poteſt, variare inter ſe Doctorum opiniones, ac diſquirere proindè ſe velle, ecquæ illarum ſit ſecuriſſima. Non autem hìc ita ſe res habet: non enim ſingularis aliquis eſt auctor, qui ita privatim ſentit, ſed communi omnes quotquot ſunt ſuffragio velut rem evidentiſſimam aſſerunt, pœnitentem, ubi ſemel bonum prudentemque confeſſarium elegerit, omnibus quæ dicit, & ſuadet acquieſcere debere, idque tutò ſecureque C admodum. Monitum pro ſcrupuloſis. Scrupuloſus itaque hanc, ſcrupuloſè licet, electionem faciat; at, poſtquam jam eam fecit, conſideret, nefas & diſſentaneum eſſe, ſe ſcrupulis poſthac locum dare. Quod adeò quidem verum eſt, ut quamvis confeſſarii hujus ſuaſu conſilioque aliqua peccata confiteri omittat, quæ ſe tamen confeſſum non credit, (eò quòd Confeſſarius ſecus videatur) vel, etiamſi verè ſe divino officio feciſſe ſatis non putet, confeſſario tamen aliter judicante ac ſuadente; nefas ſit ipſum tunc ſcrupulis ſuper hoc angi. Secundum. Secundum remedium in doctrina quadam communi fundatum eſt, eum, cum circa rem aliquam ei ſcrupulus enaſcitur, tutò ſecureque in contrariam debere, & poſſe partem D propendere: quod optimum id & univerſale ipſe principium morale, ad non credendum ſcrupulis particularibus, habeat, ſcilicet, hunc paſſionum, & infirmitatis ſuæ morbum eſſe. Tertium. Tertium remedium eſt ſedulò impedire, ne quem interius ſcrupuli locum occupent; ut ſcilicet ſcrupuloſus, quando cogitationem ſcrupuloſam in mente ſedem firmare velle percipit, eam diſſipare atque ſubvertere elaboret, ne illic ea corroboretur, & creſcat: quod ſecurè imprimis facere, & poteſt, & debet, qualiſcumque demum ea ſit cogitatio. Quartum. Quartum eſt, alios Dei ſervos conſulere, & etiam obſervare, quomodo ipſi confiteantur, & officium ſuum recitent, &c. ubi enim vident, multos ſanctitatis opinione claros anxiè adeò, & minutè in ſua non inquirere, E hoc ipſis & ad cor dilatandum, & obſtandum, ne hæc ſibi paſſio tantopere dominetur, auxilio eſſe poterit. Quintum. Quintum, & ultimum, bene de divina bonitate ſentire, & miſericordia, & de illis cum Dei famulis punctis conferre, quæ intellectum convincunt, quo is ſibi perſuadeat minimè credibile eſſe, infinitam illam charitatem tam minutè in apiculos & feſtucas, quas ſcrupuloſus reſpicit, reſpicere. Atque hanc de Domino Deo opinionem concipere procurans, cor ſuum dilatare, multoſque fiduciæ actus excitare proponat.

De deſperationis tentatione.

XIV. Circa tentationem deſperationis notandum, eam ſubindè à peccatorum præteritorum multitudine enaſci, magno concepto timore, quod, qui tanta totque ſcelera perpetravit, nunquam ſalutis ſit particeps F futurus. Interdum quoque, extra hanc occaſionem, eam diabolo inſtigante oriri, idque ob nimium quemdam rigoroſi divini judicii metum. Nonnumquam etiam Deo id ſingulariter permittente, ad majus videlicet meritum ejus, qui ſic vexatur, uti etiam de aliis tentationibus diximus. Hæc tentationis ſpecies maximè hominem affligit, quod omnis boni noſtri ſpem oppugnet, & in hominibus provectioribus, qui Deum ex toto diligunt corde, magnam turbationem ciet: graviſſimè namque & acerrimè eos cruciat, quod ſolitam ejus, quem ſuper omnia diligunt, ſpem minimè ſentiant.

Ejus remedia.

XV. Particularia tentationis hujus remedia, præter communia ante declarata, G conſiſtunt in eo, ut intellectus rationibus efficaciſſimis, quas graviſſimi etiam peccatores ſtatim atque ad Deum convertuntur, habent ad æternæ ſalutis ſpem concipiendam benè illuminetur. Tentationis, deſperationis natura. Deſperationis quippe tentatio in ſiniſtra quadam de divina miſericordia, deque iis, quæ ipſe ad hominum ſalutem omnibus providit, remediis, opinione conſiſtit. Unde contraria, ad obſcuratum intellectum illuminandum, utque is ipſa ſpei motiva magni faciat, & eadem perpendat, (utpote quæ ipſas etiam petras emollire queant) arma ſunt, propria tentationis hujus remedia. De hiſce motivis (quæ ad tria capita reducuntur, ad naturalem ſcilicet divinæ bonitatis ad benefaciendum inclinationem, deinde ad myſterium Incarnationis H & paſſionis Chriſti Domini, qui peccatores venit ſalvos facere, demum ad fideliſſima promiſſa in Evangelio expreſſa) tractavi pluribus in Arte benè moriendi, cùm deſperationis tentatio tunc potiſſimùm eos, qui inermes ſunt, affligere & impetere ſoleat. Non eſt porrò quòd diutiùs his immorer.

XVI.

Scrip. An. 1601. Ital. Idiom.

De tentatione ad Dei odium inſtigante.

XVI. Circa tentationem ad odium Dei inſtigantem notandum, ea multos Dei ſervos quàm acerrimè divexari, dum in parte inferiore magnam à Deo rebuſque ad ejus obſequium ſpectantibus averſionem ſentiunt. Et eſt profectò mirabile, illos, cum & puræ conſcientiæ ſint & vitæ, magnoque erga Deum amore ferantur, mortalem quamdam deſolationem ſentire, ac putare ſe ab illo opprimi: ſed quamvis hoc modo exagitentur, non minùs tamen ſedulò quam ante ea, quæ ad Dei cultum ſpectant, exequuntur, nec ab iis vel in minimo ſegneſcunt. Animæ hæ à prudentibus & ſpiritualibus Dei ſervis magnopere conſolandæ, & juvandæ ſunt: quia deſolatio hæc graviſſima eſt.

A

Ejus remedia, quae?

XVII. Particularia graviſſimæ hujus tentationis remedia, præter communia, illa ſunt hæc ipſa, quæ ſuprà in tentatione blaſphemiæ aſſignata ſunt, quæ plerumque ſimul cum tentatione odii concurrit. Unde minimè opus eſt, ut diutiùs hic his immorer.

XVIII. Quo ad alias tentationes, non adeò graves, quæ cum aliqua paſſionum commotione fiunt, conferet tractatus de Paſſionibus, in quo illarum remedia proponuntur.

B

TRACTATUS
DE PASSIONIBUS.

S. Thom. 1. 2. q. 22. 23. &c.

Paſſionis definitio.

QUæritur, quid ſit paſſio? Reſpondeo per nomen hoc in propoſita materia à Philoſophis Theologiſque quemdam appetitus ſenſitivi actum intelligi, qui ad boni, quod ſibi conveniens credit; vel mali, quod nociturum ſibi putat, imaginationem movetur: adeò ut aliqua hic corporis commotio vel mutatio, ac præſertim cordis, in quo potiſſimum paſſiones ſentiuntur, interveniat.

C

Appetitus ſenſitivus, quid?

Ejus ſedes, ubi?

II. Quæritur, quid ſit appetitus ſenſitivus? Reſpondeo, eſt quædam animæ cum corpore conjuncta facultas, quæ in inferiori hominis portione conſiſtit, & pro objecto bonum aut malum ſenſibile, illi per imaginationem, cum quadam convenientiæ vel diſconvenientiæ æſtimatione propoſitum habet. Sedem hic habet in hepate ſimul & corde, vel in ſolo corde, juxta aliorum opiniones: dividitur autem in duas partes, concupiſcibilem, & iraſcibilem.

Inferioris hominis portio, quae?

1. p. quaeſt. 79. art. 9.

Portionis ſuperioris, & inferioris diſcrimen.

III. Quæritur, Quæ ſit inferior hominis pars, in qua ſenſitivus appetitus reſideat? Reſpondeo; ad hanc inferiorem hominis partem intelligendam notandum eſt cum Sancto Thoma. Intellectum hominis, in quantum divina contemplatur, & æterna, vel ea ad actiones ſuas dirigendas, & alia facienda intuetur, rationem ſuperiorem dici; & in quantum contemplatur creata, rationem vocari inferiorem: adeò ut ipſe in rationem ſuperiorem, & inferiorem, vel in portionem rationis ſuperiorem, & inferiorem dividatur; quod idem planè eſt. Duabus hiſce portionibus reſpondent aliæ duæ in voluntate portiones, in quantum ipſa per ſuperioris, & inferioris partis intellectus rationes movetur. Notandum ad hæc, totam ſenſitivam hominis partem vocari poſſe rationem inferiorem, in quantum intellectus, ac voluntatis imperio obedire poteſt. Notandum denique, communiter à viris ſpiritualibus per partem hominis inferiorem totam partem ſenſitivam intelligi, in qua appetitus ſenſitivus includitur, ad cujus mortificationem neceſſe eſt ſcire ea, quæ præſenti tractatu continentur: nec non ſcire quid quoad hoc diabolus facere poſſit imaginationem, paſſiones, & humores emovendo. Ad hoc etiam juverit infra primos numeros Tractatus de diſcretione ſpirituum legere.

D

Senſitiva hominis pars ratio inferior dicta.

E

Partis iraſcibilis, & concupiſcibilis munus, quale?

IV. Quæritur, quod ſit officium partis concupiſcibilis, & iraſcibilis? Reſpondeo, concupiſcibilis munus eſſe, erga bona ſibi proportionata ferri ac moveri, mala autem ſibi contraria fugere: iraſcibilis verò debitum eſſe adverſus difficultates, quæ cum in bonorum conſecutione, tum in malorum, quæ in concupiſcibili ſunt, fuga occurrunt, decertare: adeò ut ipſa ſit inſtar hominis armati, & ad impedimentorum occurrentium difficultates ſuperandas præparati.

F

Paſſiones Concupiſcibilis, quot?

V. Quæritur, quot ſint paſſiones? Reſpondeo eſſe undecim: quarum ſex ſint in Concupiſcibili, quinque in Iraſcibili. Concupiſcibilis paſſiones ſunt, Amor, qui nihil eſt aliud quam quædam appetitus erga bonum jam cognitum propenſio, & complacentia: Deſiderium, ſive concupiſcentia; quod quædam amoris eſt progreſſio, & extenſio, ſeſeque ad bonum amplectendum extendit: Gaudium vel delectatio; quod nihil eſt aliud quam quidam appetitionis motus in ipſa boni poſſeſſione ſitus. Atque hæ tres paſſiones bonum reſpiciunt appetibile. Odium; quod quædam eſt mali in appetitu diſſonantia vel diſconvenientia: Fuga aut abominatio; quæ quædam eſt alienatio, & abſtractio appetitus à malo. Triſtitia vel dolor; quæ eſt appetitus per internam mali præſentis apprehenſionem, aut propter malum corpori conjunctum cum apprehenſione ſenſus oppreſſio. Et tres hæ paſſiones non aliter reſpiciunt malum, quam ut ipſum evitent. Paſſiones iraſcibilis ſunt ſpes; quæ aliud non eſt, quam quædam appetitus erga bonum arduum, quod acquirere ſe poſſe credit, motio, & erectio: Audacia; quæ quidam ſcilicet appetitionis erga bonum inſtans, & arduum motus: Deſperatio; quæ eſt appetitionis propter boni ardui, quod obtinere ſe poſſe diffidit, difficultatem dejectio. Timor; qui eſt appetitionis à malo futuro, arduo, ſed tamen evitabili, regreſſus, & ſubductio: Ira denique, quæ quidam appetitionis motus eſt ad vindictam, quando ſcilicet aliquam injuriam accipit.

G

Paſſiones iraſcibilis, quot?

H

De bono, vel malo, quod appetitus reſpicit.

VI. Quæritur, quod ſit bonum vel malum, quod appetitus ſenſitivus reſpicit? Reſpondeo, bonum quod appetitus ſenſitivus reſpicit, in tres illas ſpecies Philoſophis notas dividi; nempe in bonum honeſtum, utile, ac

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

delectabile; bonum inquam, verum vel ſaltem apparens, erga quod appetitus movetur, ſimul etiam tria mala contraria, ſcilicet infamiam, incommodum vel damnum, & meſtitiam, vel dolorem fugiendo: Quod notandum cum primis eſt, ut ipſe paſſionum ſcopus clarè, & diſtinctè hoc modo cognitus habeatur; adeò ut ex hac notatione unuſquiſque; ſi quando ab aliqua ſe paſſionum impeti ſentit, comperturus ſit, verum aliquod, vel apparens ſe bonum quærere.

A

VII. Quæritur, quis paſſionum ſit cum prima & principali, amore ſcilicet, ordo? Reſpondeo, ita reliquas paſſiones ſubordinatas & colligatas cum prima, id eſt, amore eſſe, ut non aliter quam hujus ratione, vel reſpectu (cujus nimirum motio præcedit) ipſæ moveantur: adeo ut nihil aliud homo deſideret, vel alio nullo delectetur, niſi eo quod amat; aliud non oderit vel fugiat, vel ob aliud doleat, niſi ob malum, quod bono amato opponitur; nemo etiam quid aliud ſperet, vel ob aliud pugnare audeat, niſi ob id quod amat; nemo denique deſperet, timeat aut iraſcatur, niſi etiam ob bonum, quod amat.

B

Paſſiones ratione regulatae actus boni.

Paſſiones virtutum origines.

VIII. Quæritur, num paſſiones actus ſint boni vel mali? Reſpondeo ex ſententia Ariſtotelis, & communi Theologorum cum D. Thoma ſententia, amorem propriè dictum, & omnes paſſiones ratione regulatas & directas, actus eſſe bonos; ſed ubi inordinatæ fuerint, & rationis normam ac præſcriptum excedunt, malos fieri. Unde egregia & digna hæc ſequitur obſervatio, ſcilicet, eum qui paſſiones mortificare intendit, per ipſos illarum, ad mediocritatem, quam ratio exigit, reductarum actus, excellentes quaſdam ſibi virtutes comparare. Et è contra qui inordinatè ſeſe ab iis abripi regique ſinit, peſſimos vitiorum habitus acquirere.

1. 2. q. 17. art. 7.

C

1. Politic. cap. 3.

IX. Quæritur, num paſſiones rationi totaliter obediant? Reſpondeo cum S. Thoma quod non; quia non ab anima tantum, ſed & à corpore dependent, cujus diſpoſitio non eſt rationis imperio ſubjecta: atque ita verum eſt illud Ariſtotelis ſcilicet rationem Iraſcibili & Concupiſcibili parti dominio & poteſtate politica (nimirum ſicut Rex imperat liberis, qui non ſemper obtemperant;) non autem deſpotica, quali Domini ſervis imperant, dominari.

Paſſionum effectus.

1. 2. q. 12. art. 7.

D

X. Quæritur, num paſſiones interdum hominem uſu rationis privent? Reſpondeo, privare: quod inprimis notandum, ut ſic de virorum ſpiritualium affectibus judicium feratur; maximè quando paſſiones à dæmonio commotæ, & agitatæ ſunt. Nota cum Cajetano ſæpenumero contingere, primum aliquarum indiſpoſitionum corporalium principium eſſe imaginationem, quæ aliquem in appetitu ſenſitivo motum cauſatur, & conſequenter corporis diſpoſitionem alterat. Nota cum eodem illo auctore, ob ipſam, quam dedimus, rationem, imaginationem ſæpè in cauſa eſſe, ut etiam inter vigilandum homini illuſiones contingant ſimiles iis, quas patiuntur phrenetici, aut dormientes: cujus rei cauſa eſt ipſa alteratio ſenſus, idque propter appetitus ſenſitivi, & conſequenter corporis, ſecundum naturales qualitates, calorem & frigus, &c. commotionem.

Amoris definitio.

E

XI. Quæritur jam diſtinctius, quid ſit Amor? Reſpondeo, definitionem amoris eſſe hanc, Amor eſt quidam motus complacentiæ vel propenſionis, quem bonum cognitum in appetitu cauſatur; adeò ut prima illa impreſſio, quæ aliquid in corde aut bonum, aut pulchrum apparere facit, dictam in ipſo complacentiam vel propenſionem excitando, vocetur, & ſit paſſio amoris: qui in amorem dividitur amicitiæ, & amorem concupiſcentiæ. Amor amicitiæ eſt illa appetitus propenſio, quæ reſpicit terminum per ſe, verbi gratia cum reſpicit aliquem hominem, cui dare gemmam vult: ipſe amor hominis amor eſt amicitiæ; amor gemmæ eſt amor concupiſcentiæ, quia non reſpicit gemmam per ſe; ſed in quantum ea amico vel utilis eſt aut jucunda.

F

Praecipuae amoris cauſae, quae?

XII. Quæritur, quænam præcipuæ ſint amoris cauſæ? Reſpondeo, generales cauſæ ſunt iſtæ; Prima, bonitas & pulchritudo; ſecunda, perſonarum ſimilitudo; tertia, amor ejus qui amat, qui alium in re amata amorem producit; eò quod amantem amato unit: quarta, beneficia. Sed cauſæ particulares, quæ aliquem amabilem reddunt, ſunt plurimæ, omnis, verbi gratia, excellentia doctrinæ, nobilitatis, prudentiæ, ingenii perſpicacitatis, induſtriæ, &c. Magnum quoque amoris incentivum eſt, gratia naturalis, quæ in ſcita actionum, & geſtuum conſiſtit compoſitione, ſicut pulchritudo in membrorum proportione. Ad hunc etiam finem multum ipſa confert modeſtia, ipſo etiam Ariſtotele teſte. Hoc Chriſtianos pulcherrimi vitæ humanæ ornamenti parum ſtudioſos, deberet confundere. Notent hic vero Religioſi, quantum ipſis modeſtiæ exercitium utilitatis adferat, cum ejus ope omnibus ſeſe quam maximè amabiles reddant. Ipſi quoque ſancti nobis conſulere ſolent, ut talibus nos adminiculis proximo amabiles reddamus.

Animadverſio.

G

Amoris effectus recenſentur.

H

XIII. Quæritur, quinam ſint effectus amoris? Reſpondeo, ſequentes hi. Exſtaſis, qua homo velut ſeipſo egreditur & rapitur, ut in rem amatam tranſeat. Liquefactio, quæ quædam velut teneritudo eſt, & animæ rararefactio, quæ ſi ſuos ipſa poros aperiret, ad rem amatam in ſe attrahendam, perinde atque ſpongia aquam attrahit. Unio, quæ unitiva duarum animarum quodammodo ſtipulatio, & contractus eſt. Inhæſio mutua, quæ rerum jam unitarum & conjunctarum, velut conſtrictio eſt. Penetratio, qua ſcilicet amans in amantem cordialibus quibuſdam affectibus intrat. Transformatio; qua amans in formam, vel perfectionem ejus quem amat mutari deſiderat. Zelus denique ardens quo nullum vult in bono quo fruitur rivalem aut ſocium. Hi autem amoris effectus majori exercentur energia, quando bonum amatum jam poſſidetur. Quando autem poſt ar-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

ardens deſiderium, qui fervor vocatur, ipſum non poſſidetur, ſequitur quidam amoris effectus, quem languorem vocant, qui ob exceſſivum, quem è boni amati carentia ſentit, dolorem & pœnam, eſſe mortis cauſa ſolet.

Num reſideant in voluntate paſſiones?

A

XIV. Quæritur, nùm paſſio amoris, ejuſque effectus, nec non aliæ paſſiones in voluntate ſint? Reſpondeo quod non, in ea tamen ſunt quidam ipſius voluntatis actus, qui iiſdem, quibus paſſiones, nominibus vocantur, amor, gaudium, delectatio, odium, &c. Id tamen inter utraſque diſcrimen eſt, quod illi actus voluntatis ſint actus ſimplices, & magis elevati, nec corporalem illam cauſentur commotionem, quam cauſantur paſſiones. Unde ſequitur, tractatus hujus intelligentiam eſſe ad ſublimiores ſpirituales partis ſuperioris res intelligendas utiliſſimam.

Ad amorem inordinatum curandum remedia.

B

XV. Quæritur, quibuſnam poſſit inordinatus amor remediis curari? Reſpondeo, hiſce ſequentibus; primò, cogitationes & ſenſus divertendo; ſecundò, rerum inordinate amatarum imperfectiones conſiderando; tertiò, damna ex amore inordinato promanantia perpendendo; quartò, aliis ſeſe rebus, quæ cogitationes diſtrahant, occupando; quintò, alia ſuaviora & amabiliora affectui proponendo, verbi gratia, honorem æternum, divitias, & conſolationem cœleſtem; & affectum ab amabilibus terræ rebus per divinam gratiam avellere, & ad meliora eum attollere procurando. Huc non mediocriter conferet religioſa quædam ſuper ſe ipſum vigilia & excubatio, quaque homines vere ſpirituales excubant, ut cum attentione, notent & obſervent, quinam in parte inferiori amores commoveri ſoleant, ut quamprimum hos per hanc cordis, quam diximus, elevationem reſcindant. Verbi gratia, cum videt Religioſus ab aliis ſe magni fieri, & honorari, & ſtatim interius ſe ab humanæ hujus æſtimationis amore moveri, & titillari ſentit; paſſionem hanc illicò abſcindere debet, ad æternum honorem cor ſuſtollendo, ac dicere: Abſit à me omnis vanæ gloriæ conplacentia? æternæ potius acquirendæ attendere volo, quæ per terrenæ & humanæ hujus contemptum comparatur.

C

Odii definitio.

1. 2. q. 29. art. 1.

XVI. Quæritur, quid ſit odium? Reſpondeo, ex doctrina, quam de amore tradidimus, de odio facile poſſe judicium ferri quantum ad eſſentiam, cauſas, effectus, & remedia ejuſdem. Et quantum ad eſſentiam, odium, juxta doctrinam Divi Thomæ, quædam eſt appetitus diſſonantia, averſio, vel alienatio ab iis rebus, quæ habentur vulgo malæ, vel noxiæ.

D

Quotuplex ſit?

XVII. Quæritur, quotuplex ſit odium? Reſpondeo, id dividi in odium abominationis, vel fugam; & in odium inimicitiæ; ſecundum, id eſt, quando appetitus ei, quem odit, mala vel ipſe facere vult, vel ut alii faciant cupit; primum vero non movetur cum aliqua proſecutione contra id quod odit, ſed cum ejus averſione.

Ejus cauſſae enumerantur.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

E

XVIII. Quæritur, quænam ſint odii cauſæ? Reſpondeo, generales odii cauſas eſſe illas, quæ cauſis amoris directe adverſantur. Prima eſt imperfectio, quæ bonitati opponitur, & deformitas, quæ pulchritudini. Secunda eſt diſſimilitudo: Tertia, malevolentia, qua is qui odio eſt, fertur in eum à quo odio habetur. Quarta, mala irrogata, verbi gratia, injuriæ, perſecutiones, &c. ſunt & aliæ plures odii cauſæ particulares quæ aliquem exoſum reddunt, ac præſertim, vitia, & maxime ea, quæ magis in aliorum oculos incurrunt & proximum magis offendunt.

Odii effectus.

XIX. Quæritur; quinam ſint odii effectus? Reſpondeo, motus contrarii illis effectibus amoris, quos diximus, ecſtaſi, unioni, &c. Hi autem ſunt notorii, & hos nemo non ex iis, quæ de effectibus amoris tradidimus, intelliget.

Ejus remedia recenſentur.

Primum.

F

Secundum.

Tertium.

G

Quartum.

Quintum.

XX. Quæritur, quænam ſint odii curandi remedia? Reſpondeo, remedia hæc pariter à contrario, vel à ſimili peti. In primo remedio conveniunt ex parte duæ hæ paſſiones invicem contrariæ: quia tam in amore inordinato, quam in odio inordinato, cogitationes hujuſmodi paſſiones excitare ſolitas opus eſt divertere. Non tamen totaliter hæc conveniunt, quia odii inordinati paſſio non raro curatur, dum homo agere & communicare geſtit cum iis, quos odio proſequitur; ut per experientiam cognitum eſt; maxime quando ipſum odium in falſis imaginationibus fundatur. Secundum remedium eſt conſiderare perfectiones perſonæ exoſæ, eas veris vel imaginariis, quas in ea ſibi fingit vel notat, imperfectionibus ex oppoſito obiiciendo. Ac licet nihil prorſus in ea notetur, quod ad amorem hominem invitet; illud tamen certum eſt, quod à Chriſto hæc ametur, qui cum doctrina, tum etiam exemplo proximi nobis dilectionem inculcat. Tertium ſimile etiam eſt ei, quo inordinatus amor curatur, conſiderare videlicet damna, quæ ex odio inordinato profluunt. Quartum etiam ſimile eſt, nimirum variis ſe rebus occupare, ne quis id genus cogitationibus, & paſſioni detur locus. Quintum proponere appetitui ea, quæ vere odio digna ſint, uti damnatio æterna, peccati deformitas, &c. & odium in illa convertere & applicare: per hanc quippe applicationem hæc odii refrenatur paſſio, ut non abominetur ea, quæ ſibi diſplicent, ideo tantum, quod pœnoſa & faſtidioſa ſunt. Quod ſane cum per conſiderationes pias, tum ipſum gratiæ divinæ, quæ nimirum ea, quæ vere odio digna ſunt, diſcernere facit ab iis, quæ talia non ſunt, robur & lucem fœliciter ſuccedit.

Concupiſcentiae definitio.

H

XXI. Quæritur, quid ſit Concupiſcentia? Reſpondeo, ſecunda, quæ immediatè poſt amorem ſequitur, & concupiſcientia vel deſiderium vocatur, paſſio eſt quidam motus appetitus circa bonum ſenſibile futurum, adeo ut hæc quædam velut amoris ſit extenſio. Bonum namque ſtatim atque æſtimari incipit, primam impreſſionem facit; ipſam

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

ſcilicet complacentiam vel propenſionem, quæ dicitur amor; deinde ipſe appetitus erga bonum hoc amatum ſe extendit, & hic extenſionis motus eſt ipſa paſſio concupiſcentiæ.

Quotuplex ſit?

S. Thom. 1. 2. q. 30. a 3.

A

3. Ethic. c. 11. & 1. Rhet. c. 11.

XXII. Quæritur, quotuplex ſit concupiſcentia? Reſpondeo duplicis generis eſſe concupiſcentias, ex ſententia Ariſtotelis. Aliæ quippe vocantur naturales vel irrationales, illæ ſcilicet quæ ex ipſa naſcuntur natura, vel complexione animalis; verbi gratia ipſa concupiſcentia cibi, vel potus. Aliæ dicuntur innaturales, vel rationales, illæ videlicet, quæ æſtimativam ſequuntur, in quantum nimirum homo bonum hoc; vel illud ſibi judicat eſſe conveniens, ut eo ſeſe oblectet. Primæ homini ſunt cum beſtiis communes; ſecundæ hominum propriæ, qui per facultatem cogitativam (quæ vocatur Ratio particularis) particulares formare de rebus, ad quas animalium æſtimativa non pertingit, notitias poſſunt, verbi gratia propter has vel illas circumſtantias judicare poſſunt, hunc vel illum ſibi honorem conſentaneum fore, & proinde erga hunc appetitum excitare, quod animal irrationale facere non poteſt, etiamſi alioquin in aliquibus animalibus, puta elephantis, aliqua æſtimationis honoris appareant veſtigia.

B

Et an finita, vel infinita?

S. Thom. 1. 2. q. 30. a. 4. 1. Polit. c. 6.

XXIII. Quæritur, num concupiſcentiæ finitæ ſint vel infinitæ? Reſpondeo, concupiſcentias naturales finitas eſſe, innaturales vero infinitas, uti recte obſervavit Ariſtotil. Quod in ipſis videre eſt animalibus ſuas concupiſcentias ita moderantibus ut ad certum quendam perveniant terminum, eumque non tranſiliant: ſed homines earum limites excedunt, ſicut manifeſte in auri, divitiarum, aliarumque rerum concupiſcentia videre fas eſt.

XXIV. Quæritur, quænam concupiſcentiæ ſint cauſæ? Reſpondeo eaſdem eſſe, quæ fuerunt amoris.

C

Ejus remedia trifariam diviſa.

XXV. Quæritur, Ecquæ ſint concupiſcentiæ remedia? Reſpondeo, eadem quæ amoris: ad quæ etiam tria hæc principalia adduntur. Primum, eam jam inde ab initio reſcindere. Secundum, ipſa mortis, &c. meditatio. Tertium, conſiderare non plauſibile concupiſcentiarum initium, ſed infortunatum earum exitum.

Fugae definitio. 1. 2. q. 30. art. 2. ad 3.

XXVI. Quæritur, quid ſit fuga? Reſpondeo; paſſio illa, quæ concupiſcentiæ vel deſiderio oppoſita ſit, ſecundum D. Thomam, proprium nomen non habet, ſed communi paſſionum in mali alicujus fuga conſiſtentium nomine illam deſignabimus. Fuga ſcilicet vel abominatione, ut ſic motum illum appetitus, qui motui concupiſcentiæ vel deſiderii opponitur, ſignificemus. Diximus, communi fugæ vel abominationis nomine me illam deſignare: quia ſub his nominibus omnes paſſiones, quæ in aliqua deteſtatione, vel averſione, vel fuga mali conſiſtunt, ſignificantur, & intelliguntur. Hæc porrò paſſio fugæ, quidam motus eſt, in eo ſitus, ut quis ab eo quod odit malo recedat, ac ſe ſubducat, & quædam odii velut extenſio eſt, ſicut ante deſiderium vel concupiſcentiam quamdam amoris eſſe diximus extenſionem.

D

Ejus remedia, quae?

XXVII. Quæritur, quænam ſint fugæ cauſæ, ac remedia? Reſpondeo, eadem eſſe quæ odii: quæ adeo ſunt intellectu facilia ei, qui quæ de odio dicta ſunt intellexit, ut aliud hic adferre neceſſe non ſit: quam, quod qui inordinatè odit, inordinatè etiam fugit ea, quæ nec odiſſe, nec fugere deberet, ſicut in diſciplina monaſtica videre eſt, quia quando quis laborem illius exoſum habet, non ſatis illi eſt eum odiſſe, ſed occaſiones etiam, ubi hic illi injungi, vel verbis commendari poſſet, fugere conatur. Neceſſe autem eſt hic viriliter certare, occaſionibus ſeſe ultro offerendo, ne anima in iis, quæ ad Dei cultum ſpectant, langueſcat, aut intepeſcat.

E

Delectationis definitio.

XXVIII. Quæritur, quid ſit delectatio? Reſpondeo, delectatio, vel gaudium, motus eſt partis concupiſcibilis circa bonum præſens, & ipſe amoris terminus. Per amorem quippe primo appetitus in rem amatam inclinat; deinde per deſiderium ſe extendit; demum quando eam jam præſentem habet ac fruitur, quieſcit, & in illa per actum quemdam, qui in beſtiis omnibus vocatur Delectatio, in homine vero Gaudium, (quia ſequitur apprehenſionem cogitativæ, quæ Ratio particularis vocatur) ſiſtit. Hæc paſſio, quando inordinata eſt, peſſima eſt, animæque maximè nocet.

F

Delectationis cauſſae, quae?

XXIX. Quæritur, ecquæ ſint delectationis cauſæ? Reſpondeo, cauſas eſſe omnia quæ amantur, & deſiderantur: quæ cum jam habentur, & iis homo fruitur, delectant: quia ſicut, quando abſentia ſunt, adferunt deſiderium; ſic cum præſentia ſunt, recreant, & oblectant.

Ejus effectus.. Primus.

G

Secundus.

XXX. Quæritur qui ſint effectus delectationis? Reſpondeo, hi ſequentes. Primus, dilatatio, per quam ſeſe animus dilatat ad bonum, quo fruitur, capiendum. Secundus, ſitis quædam vel deſiderium, quando nimirum bonum, quod habetur, non ſatiat; partim quod exiguum id ſit, & inſufficiens, uti videre eſt in bonis tranſitoriis; partim, quia ipſa animæ operatio eſt imperfecta, etſi alioquin bonum ipſum ſit perfectum: ſicut ex ipſa imperfectione operationum animæ erga Deum in hac vita colligitur; atque ideo delectatio, quæ ex Deo imperfecte à nobis cognito percipitur, quamdam perfectè ejus cognoſcendi, & eo fruendi perfectè generat ſitim ac deſiderium. Univerſaliter quoque omnis delectatio etiam ea, quæ circa gloriam verſatur, ſitim generare dicitur; per ſitim quandam intelligendo voluntatem, vel affectum intendendi bono, quod jam habetur.

H

Tertius.

Tertius effectus, ſecundo contrarius, eſt, quando anima à delectatione illecta, limites debitos excedit; quod in delectationibus corporalibus contingit, (verbi gratia quando quis, ciborum ſapore ineſcatus, nimium comedit) unde quoddam enaſcitur faſtidium; longè ſecus ac in bonorum

rum

rum ſpiritualium guſtu fieri ſolet, uti bene obſervavit Pontifex Gregorius. Nota, delicias ſpirituales, ex doctrina D. Thomæ, per ſe terminos excedere non poſſe, multo etiam minus animæ circa eaſdem operationes; ſed tantum accidentaliter, reſpectu operationum corporalium, quæ ſimul cum hiſce deliciis concurrunt, & corpus exhauriunt, vireſque ejuſdem elidunt. Quartus effectus, eſt, ipſam impedire cognitionem, intelligevidelicet, quando delectatio eſt alterius operationis quam ipſa congnitio, uti docet Ariſtot. & D. Thomas quia dum delectatio ex ipſa hauritur cognitione, eam citius perficit. Quintus delectationis effectus eſt ipſam perficere operatione, unde ſumitur, uti docet D. Thom. quæſtionis allegatæ & Ariſt. Ratio hujus effectus eſt, quod delectatio ea, quæ ſentitur, ſuavitate operantem exſtimulat, ut multo operetur intenſiùs. Nota hîc Dei providentiam, qui ideo delectationem in operationibus neceſſariis collocavit, ne aut defatigarent hominem, aut contemnerentur.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.
Hom. 36. in Evang.
1. 2. q. 33. art 2.
A
Lib.6.Ethic. c. 5. 1. 2. q. 33. art. 9.
Quartus.
Quintus.
10. Ethic. c. 4. & 5.

Delectationis remedia, quae?
B

XXXI. Quæritur, quænam ſint delectationis remedia? Reſpondeo, quod antequam ea capiatur, eadem ſint quæ amoris, & concupiſcentiæ. Quando vero jam ad actum perventum eſt, ſi quidem delectationes illicitæ ſint, optimum remedium eſt ab iiſdem deſiſtere; ſi licitæ ſint, remedium erit moderatio, ne terminos debitos excedant. Huc confert, & conducit ipſe Dei timor, conſiderationes judicii, mortis, inferni, nec non cæleſtis contemplatio gloriæ; ſicut de concupiſcentia ante dictum eſt: his enim conſiderationibus Dei ſervi appetitus vehementiam temperare ſolent, futura tormenta, vel alias delectationes majores, & meliores, illi obiiciendo: adeo ut etiam quando comedunt vel bibunt, vel aliud quid ſimile ad vitam præſentem neceſſarium, è quo licita aliqua hauritur delectatio, faciunt, animum ab eo diſtrahant, & ad cœleſtia ſuſtollant; ita ut è rebus hiſce corporeis parvam aut etiam nullam conſalationem voluptatemque ſentiant.

C

Doloris vel triſtitiae definitio.

XXXII Quæritur, quid ſit dolor vel triſtitia? Reſpondetur, dolor, vel triſtitia (quæ paſſionum in parte concupiſcibili conſiſtentium ultima eſt) motus eſt, quo appetitus ſub pondere mali præſentis affligitur, perturbatur, & inquietatur, præſentis dico, aut realiter vel imaginarie tantum, aliter longe quam in delectatione fit, in qua nimirum appetitus aliquam propter boni præſentis vel ſperati poſſeſſionem ſentit conſolationem.

Quotuplex ſit?
D

XXXIII. Quæritur, quotuplex ſit dolor? Reſpondeo; dividitur is in eum, qui apprehenſionem ſequitur ſenſitivam, cum æſtimatione inconvenientiæ, qui in aliis animalibus omnibus, uno excepto homine, eſſe poteſt: & in eum qui ſequitur cogitativam, qui ſoli homini proprius eſt; & hic propriè vocatur triſtitia; & eum cum dolore proportionem habet, quam gaudium cum delectatione, ut tradit D. Thomas. Dividitur adhæc dolor in interiorem, & exteriorem. Interior dicitur is, qui ſolam ſequitur interiorem alicujus mali appetitui repugnantis apprehenſionem; exterior vocatur is, qui non ſolam apprehenſionem interiorem, verum etiam apprehenſionem ſenſuum exteriorum alicujus mali, quod reipſa aliquam corpori læſionem infert. Dividitur deinde dolor, qui homini proprius eſt, & vocatur triſtitia, in alios multos triſtitiæ modos, verbi gratia, miſericordiam, invidiam, acediam, anguſtiam, vel anxietatem, pœnitentiam, nemeſin, zelum vel æmulationem. Miſericordia, eſt triſtitia ob malum alienum, quod quis habet ut proprium: Invidia eſt triſtitia de bono alieno, quod quis ceu proprium malum æſtimat: Anguſtia, vel anxietas, eſt triſtitia adeo gravans, & opprimens; ut evitari non poſſe videatur: Acedia, triſtitia eſt, quæ ita hominem occupat, ut membrorum impediat uſum: Pœnitentia, triſtitia eſt de temporali alterius bono, in quantum eum eodem indignum reputamus: Aemulatio eſt triſtitia de bono alterius, in quantum id æmulanti deeſt.

1. 2. q. 35. art. 2.
E
Miſericordia, quid?

Doloris, & triſtitiae cauſſae, quae?
F

XXXIV. Quæritur, quænam doloris, & triſtitiæ ſint cauſæ? Reſpondeo, eas varias eſſe, ſcilicet non conſequi bonum deſideratum, amittere bonum poſſeſſum, in id labi inconveniens quod timebatur, boni deſiderati dilatio; & aliæ plures, aut veræ, aut imaginariæ. Triſtitia etiam interdum ſine ulla cauſa oritur, & tantum ex invalitudine, & indiſpoſitione corporis, aut diaboli opera. Inter triſtitiæ cauſas etiam referri poſſunt ſeptem illi triſtitiæ modi vel ſpecies numero præcedenti explicatæ.

Inordinatae triſtitiae effectus.
Primus.
1. 2. q. 37.
G

XXXV. Quæritur, qui ſint inordinatæ triſtitiæ effectus? Reſpondeo eos varios eſſe, uti docet D. Thom. Primus, quando ea immoderata eſt, in tantum animam gravat, & corpus, ut intellectus operationem interdum adeo impediat, ut nihil de novo ediſcere homo valeat, & intellectus aliquibus in rebus nihil intelligere. Notabile quoad hoc eſt, quod de D. Gregorio notat D. Tomas ſcilicet hunc triſtitia oppreſſum commentationem in Ezechielem cœptam vel abrupiſſe, vel intermiſiſſe. Secundus, triſtitia omnia alia opera, quæ animo triſti peraguntur, enervat, aut infirmat. Tertiò, ipſa capitalis hoſtis eſt ſpiritus: adeo ut paſſim omnes ſpirituales magiſtri concordi ſententia aſſerant, nullam hac paſſionem eſſe animæ, vel corpori nocentiorem. Unde S. Bernardus tractatu de Interiori domo c. 52. ſic de ea loquitur; *Triſtitia omnis boni impedimentum eſt.* Quamobrem ſequendum illud Eccleſiaſtici conſilium *Triſtitiam longe expelle à te: multos enim occidit triſtitia, & non eſt utilitas in ea*, quod de triſtitia mala intelligendum eſt. Eſt namque etiam quoddam bonæ triſtitiæ genus, quam Apoſtolus vocat *triſtitiam ſecundum Deum*, ad diſtinctionem ejus, quam hic ipſe alio loco *triſtitium ſæculi* vocat. Illa, inquit, *pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*; hæc vero *mortem operatur*. Triſti-

quaeſt. 37.
Secnndus.
Tertius.
cap. 30.
H
2. cor. 7.

tia

Scrip. An. 1610.Ital. Idiom.

tia autem ſecundum Deum eſt illa, quæ propter patrata peccata, vel viſionem Dei dilatam, ſimileſve ob cauſas oritur. Quæ etiam, ſi nimiæ ſint & modum excedant, temperandæ & moderandæ ſunt.

Triſtitiae remedia, quae?

A

Quaeſt. 5. Tuſc.

Primum.

Secundum.

B

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Septimum.

C

Octavum.

7. Ethic. c. 14.

Remedia pro Religioſis.

XXXVI. Quæritur, quæ ſint triſtitiæ remedia? Reſpondeo, noxiæ triſtitiæ remedia adverſus malam æſtimationem, vel opinionem noſtram potiſſimum convertenda eſſe; quia revera triſtitia ſæpè magis ab æſtimativa oritur, & apprehenſione, quam è malo, ob quod contriſtamur: quia experientia videmus, nos ob rem aliquam, quæ prius nos valde contriſtabat, (verbi gratia facultatum vel filiorum jactura) poſt aliquot dies elapſos, non uſque adeo contriſtari. Cujus rei alia non eſt cauſa, quam ipſa mutatio opinionis, cum ipſum malum, quod cauſa erat triſtitiæ, mutatum non ſit. Quod ipſe etiam Cicero notavit. Remedia autem ſunt ſequentia: Primo, malum ipſum, quod ſequi pòteſt, præmeditari; tunc quippe minorem id, cum advenerit, in animo impreſſionem facit. Secundò, quando malum jam advenerit, cogitare, nobis hic magnorum bonorum acquirendorum, præſtantium ſcilicet virtutum, patientiæ puta, humilitatis, fortitudinis, &c. occaſiones offerri, Tertiò conſiderare, quid alii paſſi ſint vel patiantur: quia cum alium quempiam eadem tribulatione opprimi videmus, ipſa triſtitia propria multo fit tolerabilior. Quartò advertere, dum triſtitiæ habenæ laxantur, adeo malum, quod contriſtat, non minui, ut etiam adaugeatur. Quintò, ſuperiorum tribulationum, â quìbus patiens jam ereptus eſt, memoria. Sextò. lachrymæ triſtitiam etiam minuere ſolent: verum non propterea nimis illis habenæ laxandæ ſunt; quia ad malum, quod contriſtat, tollendum parum aut nihil proſunt. Septimò, conſiderare detrimenta, quæ triſtitia afferre conſuevit, de quibus egimus, dum de ejuſdem loquere mur effectibus. Denique quodcumque delectat, ad triſtitiam minuendam facit: atque hæc eſt ratio, cur melancholici tantopere ad delectationes captandas moveantur, ut notat Ariſtotiles. Circa triſtitiæ autem remedia notandum eſt, in ſtatu Religioſo maxima eſſe ad eandem curandam adjumenta, præſertim ob eximiam fraternamque illam caritatem, qua Religioſi ſibi invicem ſuccurrunt, & ſolantur, dum unus alterius, qui tribulatus eſt, afflictiones in ſe recipit, & proinde eum ſuo pondere exonerat.

DE PASSIONIBUS

Partis Iraſcibilis.

D

Spei definitio.

XXXVII. QUæritur, quid ſit ſpes? Reſpondeo, prima partis iraſcibilis paſſio, quæ dicitur ſpes, eſt quidam motus appetitus erga bonum arduum, vel difficile, ita tamen difficile, ut acquiri poſſe credatur. Eſt hæc quædam velut cordis erectio, quæ ad virtutes comparandas mirificè conducit, cùm bonis ſeſe ſubjectis applicat.

Spei cauſſae, quae?

3. *Ethic. cap.* 8.

lib. 2. *Rheto. cap.* 12.

E

1. 2. *qu.* 40. *artic.* 6.

XXXVIII. Quæritur, quænam ſint cauſæ ſpei? Reſpondeo, illæ quæ facultatem bona difficilia acquirendi conferunt, quales ſunt robur corporis, ingenium, induſtria, Principum favor, &c. Illæ etiam, quæ hominem credere faciunt, bona hæc poſſibilia eſſe. Hanc ob cauſam dixit Ariſtoteles ebrios plenos eſſe ſpei, quod ipſum aſſerit de juvenibus. Quod (ut teſtatur D. Thomas) à quadam ignorantia, & inconſideratione difficultatum, quin, & ab exigua oritur experientia: quia propter has cauſas facilè ſe acquirere poſſe credunt, quod volunt. Ad credulitatem hanc etiam facit fervens ætatis, vel vini calor, quo accenſi multò ſe ad aggrediendum ardua, quæ amant, animoſiores, & excitatiores ſentiunt. Sed ut ſpiritualiter loquamur, ipſa divini auxilii, quod nunquam deeſt, conſideratio potentiſſima eſt ſpei ad res arduas, & pias ſuſcipiendas excitandæ ratio. Atque hoc potiſſimum locum habet, quando jam uſu ipſo didicit homo, divina ſeſe ope magnas difficultates ſuperaſſe.

F

Ejus effectus trifariam diviſi.

XXXIX. Quæritur, quinam ſint ſpei effectus? Reſpondeo, primus, exhilarare; ſecundus, ad novas difficultates corroborare; tertius, hominem ad ardua, & generoſa opera expeditum, & velocem facere: quorum effectuum quotidiana, & notiſſima, tum in ſpe vana ſæcularium, tum in pia, & vera diſcipulorum ſcholæ Chriſti Domini, exempla videre licet.

Inordinatae ſpei remedia.

Primum.

Secundum.

G

Tertium.

Phil. 4.

XL. Quæritur, quænam inordinatæ ſpei curandæ remedia ſint? Reſpondeo, primò bonorum mundanorum, & apparentium, vanitatem conſiderare; ſecundò, exempla recolere eorum, qui cum ſuam in hominibus ſpem collocaſſent, miſerè & vixerunt, & mortui ſunt; tertiò, paſſionem hanc ad alia verorum bonorum, verbi gratia virtutum verarum, & æternæ fœlicitatis objecta convertere. Tertium hoc remedium & maximi momenti, & optimum eſt, & ipſum homines ſpirituales uſurpare deberent, permagni id ipſum faciendo, & imaginativæ ſuæ caſus arduos, & difficiles repræſentare, & magnis quibuſdam cordis erectionibus ſpem excitare, cum Apoſtolo dicendo: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.*

1. 2. *q.* 40. *artic.* 4.

Deſperationis definitio.

H

XLI. Quæritur, quid ſit deſperatio? Reſpondeo cum D. Thom. deſperatio eſt quidam motus appetitus, qui à difficultate in re aliqua ardua aſſequenda occurrente quodammodo victus deficit, & ab eadem ulterius proſequenda deſiſtit, quod ſe eam conſequi poſſe deſperet. Hoc conſecutionis nomine ipſam intelligimus difficultatum in boni alicujus acquiſitione, & mali evitatione occurrentium victoriam: cum circa duos hos intuitus ipſa deſperatio verſetur; ſed longè ſecus atque ſpes, quæ cum circa eoſdem etiam verſetur, eos ſeſe ſuperare poſſe credit, & confidit.

Ejus cauſſae enumerantur.

XLII. Quæritur, quænam ſint deſperationis cauſæ? Reſpondeo, eæ quæ contra-

riæ

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

Prima.
Secunda.
Tertia.

riæ ſunt cauſis ſpei. Prima, quædam eſt inſufficientia, vel virium, ingenii, amicitiarum, favorum, &c. defectus. Secunda, æſtimatio, etiam falſa, infirmitatis, quin & inertia, quæ in cauſa eſt, cur multi animo cadant, quibus tamen ſufficientes ſunt vires & induſtria par. Tertia eſt, deſolatio vel derelictio inferior, præſertim quando mala acceſſerit conſcientia. Inde eſt, quod multi mundani vivant (ut dicitur) à deſperatis, ideoque dùm de ſalute æterna iis fit mentio, peregrinum quid, & impertinens audire ſe credunt. Sunt deinde alii plurimi, qui tametſi paſſioni deſperationis habenas adeo non laxent, in materiis tamen ſpiritualibus magnam animi dejectionem ſentiunt, quando poſt longum tempus, & multos conflictus vident paſſiones ſe ſuas non poſſe ſubjugare, nec virtutum difficultatem perfringere. Hi nullo non tempore multis remediis opus habent.

A

Ejus effectus trifariam dividuntur.

B

XLIII. Quæritur, quinam ſint deſperationis effectus? Reſpondeo, eos opponi effectibus ſpei. Primò, deſperatio contriſtat; ſecundò, debilitat; tertiò, animam pigram, & corpus velut paralyticum reddit & iners.

Deſperationis remedia.

XLIV. Quæritur, quæ ſint deſperationis pellendæ remedia? Reſpondeo, remedia deſperationis circa bona, & deſideria terrena ad noſtrum propoſitum non faciunt: nolumus enim ſperare in hominibus mortalibus, & in bonis fallacibus, quinimmo ſupponimus viros ſpirituales in id genus rebus deſperare, ideſt plane diffidere, dum magna prudentia ſibi perſuadent, illa non eſſe bona, quæ quærunt. Remedia itaque afferam curandæ deſperationis, vel animi dejectionis, quando hæc circa bona ſpiritualia, vel etiam temporalia, in quantum hæc ad æterna ordinantur, verſatur. Quibus in caſibus ipſa deſperationis paſſio per ſpei excitatæ eſt paſſionem reprimenda, duo præcipuè ad hoc remedia uſurpando; primò ſcilicet exempla conſiderare aliorum, qui in caſibus qui planè deſperati videbantur, difficultates perrumpendo, quod piè deſiderabant, conſecuti ſunt. Deinde bonitatem & miſericordiam Dei perpendere, qui in rebus ad ſalutem æternam neceſſariis numquam deeſt, & non raro per clariſſima exempla in S. Scriptura oſtendit, quam ſibi glorioſum ducat tum opem, & ſubſidium adferre, quando res, & cauſæ videbantur deſperatiſſimæ.

C

Primum.

Secundum.

Audaciae definitio. S. Thom. 1. 2. q. 45.

XLV. Quæritur, quid ſit audacia? Reſpondeo, eſt quidam motus appetitus, quo homo animatus ad arduum & difficile bonum, quod ſe conſecuturum ſperat, conſequendum ſeſe aſtringit. Paſſio hæc ſpei quædam velut progreſſio, & extenſio eſt, & una cum ſpe bonum arduum, quod adipiſci ſe poſſe credit, intuetur.

D

Quaenam ejus cauſſae?

XLVI. Quæritur, quænam audaciæ ſint cauſæ? Reſpondeo, è ſupradictis ſequi, cauſas audaciæ eaſdem eſſe quæ ſpei: unde fortitudo, ingenium, aliaque homini facultatem ad magna quædam ſuſcipienda conferentia, nec non æſtimatio, vel perſuaſio, qua homo eadem ſe facere poſſe credit, audaciæ paſſionem excitant. Atque inprimis ipſum divinum auxilium, uti obſervavit Ariſtot. docens eos cæteris audaciores eſſe, qui circa divina optimè diſpoſiti ſunt. Ratio eſt, quia hi ſibi multò fidentius firmiuſque divinam opem promittunt. Atque idcirco idem Ariſt. eodem loco docet, eos, qui injuriis affecti ſunt, audaciores reddi, quod credatur iis Deus potiſſimum ſuccurrere, qui injuriis oppreſſi ſunt.

l. 2. Rhet. c. 5.

E

Audaciae effectus, qui?

XLVII. Quæritur, quinam ſint audaciæ effectus? Reſpondeo, cauſat hæc frigus, & exteriorem membrorum tremorem, uti notavit D. Thom. Ad hæc calorem circa cor counit, uti idem S. Doctor notat. Nota eos, qui è ſubita quadam apprehenſione in pericula, ſine ullo diſcurſu prævio ruunt, in principio quidem audaces eſſe, ſed progreſſu deficere, ſicut benè obſervat Ariſtoteles qui è rei novitate, & exiguo difficultatum improviſarum uſu naſcitur. Sed qui præmeditatione præmiſſa, audaciam excitant, in progreſſu multo ſunt fortiores, & conſtantiores, etſi in principio timeant, vel præ metu contremiſcant: quia dum in progreſſu ſunt nihil ipſis improviſum inpræmeditatumque occurrit, ſed omnia deliberatè antè præviſa ad eadem ſuperanda. Ipſa deindè audacia pia, optimos quoſdam effectus ſpirituales producit, (utpote quæ velut aptiſſimum fortitudinis, & magnanimitatis eſt inſtrumentum) peſſimos verò, quando rebus malis applicatur.

1. 2. q. 44. art. 4.

q. 44. a. 1. ad 2.

3. Ethic. cap. 7. q.

F

Ejus remedia, quae?

XLVIII. Quæritur, quænam ſint audaciæ inordinatæ remedia? Reſpondeo, eadem eſſe, quæ ſpei inordinatæ: nam quibus in caſibus non eſt bonum ſperare; non eſt bonum audere: & in quibus ſpes moderanda vel reprimenda eſt, in iis multò magis audacia reprimenda eſt. Itaque vanitatis bonorum terrenorum (quorum cauſa non eſt conſultum magno ſe periculo exponere) conſideratio; tum mali quam ſequitur inordinatè, & temerè audentes exempla, tum paſſionis contrariæ (ideſt timoris) motio, inordinatæ audaciæ ſunt remedia. Proderit etiam audaciam circa alia objecta vel difficultates, quarum victoriæ piæ ſunt, & perutiles, excitare, ad imitationem ſcilicet Martyrum, & Confeſſorum, qui piam ad excellentes virtutum actus exercendos audaciam protulerunt.

G

Timoris definitio.

XLIX. Quæritur, quid ſit paſſio Timoris? Reſpondeo, timor quidam eſt motus fugæ, per quem appetitus inſtantis mali horrorem concipit, ita tamen, ut aliqa ſemper ſit evaſionis ſpes; niſi enim talis ſpes ſit, non jam timoris eſt paſſio, ſed triſtitiæ, quæ eſt mali præſentis. Unde dicit Ariſtoteles eos qui jamjam ſupplicio afficiendi ſunt, vel interficiendi, non timere, ſed potius contriſtari, cum ſibi mortem repræſentent inevitabilem. Addit inſuper, mala quæ ut abſentia repræſentantur, nullo modo timeri, verbi gratia mors, quam nemo non à ſe longè adhuc diſtare credit: negari tamen non poteſt, quin ſaltem

H

Scrip. An. 1610.Ital. Idiom.
1. 2. q. 42. ar. 2.

tem aliquis hic ſic timor, uti docet D. Thom. ac ſane deberet timor hic eſſe magnus, cum omni hora, & tempore omnis ætatis homines, & quando minus cogitant, emori videamus.

Timoris ſpecies enumerantur.
A
1. 2. q. 41. art. 4.
Prima - Secunda;
Tertia;
Quarta;
Quinta;
Sexta;
B

L. Quæritur, quotuplex ſit timoris ſpecies? Reſpondeo, dividi poſſe timorem, uti & alias paſſiones, in naturalem & rationalem: rationalis porrò, qui hominis ſequitur apprehenſionem, & diſcurſum, in 7. diſtinguitur ſpecies ſecundum D. Thom. Prima vocatur Segnities, idem timor laboris, & difficultatis Vires excedere creditur. Secunda, Erubeſcentia, quidam ſcilicet timor de fama ob culpam aliquam jam commiſſam amittenda. Tertia, Verecundia, timor nimirum amittendi nominis ob culpam, quam quis adhuc admittere proponit. Quarta, admiratio, quod magni alicujus mali, cujus evadendi nulla apparet via, timor eſt. Quinta Stupor, quando timetur tale malum, quod ob novitatem & inexperientiam magnum eſſe videtur. Sexta, Agonia, qua malum timetur, quod timens non poteſt impedire. Sex hæc nomina in aliis etiam ſignificationibus uſurpari ſolent.

Timoris cauſſae, quae?
l. 83. *quaeſt.* q. 33.
1. 2. q. 43. a. 1.
2. *Rhet. c.* 5.
C

LI. Quæritur, quænam ſint timoris cauſæ? Reſpondeo, paucis eas verbis comprehendi poſſe, cum D. Auguſtino, & D. Thoma dicendo omnem timorem ab amore vel concupiſcentia naſci ejus boni, quod contrarium ſit malo quod timetur. Quod intelligendum eſt, dum in timente concurrit aliquis ad malum repellendum, vel ipſum fortiter ferendum virium defectus. Unde Ariſtotil. & D.Thomas in quæſtione allegata docent, eo minus quemquam timidum eſſe, quo majori pollet potentia, verbi gratia amicorum ope, divitiis, &c. & contra eos, quibus illa ſubſidia deſunt, timere magis ſolere. Ex hac doctrina ſequitur, eos qui malæ ſunt conſcientiæ, maximè timere ſolere, cum gratiæ, & amicitiæ divinæ potentia, & auxilium ipſis deſit. Unde Sapientiæ legitur: *Semper præſumit ſæva perturbata conſcientia:* cum bona conſcientia è contra ſecura ſit.

Ejus effectus.
Primus,
Secundus,
Tertius,
D
Quartus.
Sect. 27. *Problem.* q. 8.
Quintus;

LII. Quæritur, qui nam ſint effectus timoris? Reſpondeo, ſequentes hi. Primò, ſi timor moderatus eſt, intellectum illuſtrat, ut conſilium in rebus agendis capiat, ſecundum Ariſt. & S. Thomam. Secundò, efficit, ut opera multò ſint perfectiora, in quantum hæc ab animæ applicatione pendent. Unde conſulit Apoſtol. Philip. 2. ut *ſalutem noſtram operemur cum metu & tremore*. Tertiò, per aliam quandam rationem timor impedit operationis perfectionem, in quantum talem coporis motum cauſat, ut is præ frigore cor conſtringat: atque idcirco quendam in membris exterioribus tremorem cauſat, & exteriorem impedit operationem. Quartò ſitim adfert, ut obſervavit Ariſtotiles dicens, ideo timentes frigere, quod calor partes ſuperiores deſerat; & ideo ſitire, quod humore deſtituantur. Deinde ut ad ſpiritualia deſcendamus, timor inordinatus peſſimos in anima effectus producit, inertiæ ſcilicet & fugæ diſciplinæ religioſæ, &c. Timor verò ordinatus optimos, ſcilicet cautelæ ſpiritualis, obſervantiæ regularum, &c.

Et remedia.
Primum.
E
Secundum.
Tertium.
Quartum.
Quintum.
F

LIII. Quæritur, ecquæ timoris inordinati pellendi ſint remedia? Reſpondeo. Primò eadem quæ ſupra amori & concupiſcentiæ inordinatæ curandæ aſſignavimus: adeò ut qui nec amat, nec quid inordinatè deſiderat, totam timoris radicem præſcindat: cum nemo quid aliud timeat, niſi id quod amat vel deſiderat. Secundò, timori curando etiam conducunt illa, quæ ſupra triſtitiæ vel dolori effugando remedia dedimus: qui namque mala præſentia, ob quæ excitari triſtitia conſuevit, patienter tolerat, erit ad mala futura, quæ timoris ſunt cauſa, inordinatè non timenda optimè diſpoſitus. Tertiò, confert quoque non modicè ipſam virtutis relucentis in iis, qui tranquillitatem & magnanimitatem eximiam, quando gravia ipſis mala, & pericula ferenda imminent, præferunt, honeſtatem accuratius conſiderare. Quartò, utile erit rationes excogitare & invenire timori minuendo accommodas, cum ut plurimum malum longè appareat gravius quam revera ſit. Quintò, conferet denique divini auxilii conſideratio, qua animus egregiè confortari conſuevit.

Irae definitio.
G
7. *Ethic. c.* 6.

LIV. Quæritur, quid ſit Ira? Reſpondeo, eſt quidam motus appetitus, quo ad vindictam ſumendam homo exſtimulatur de eo, qui illi malum intulit. Paſſio hæc ipſam mali retributionem habet objectum ſuum. Ad hanc verò intelligendam notandum eſt, malum dum præſens eſt, in quantum eſt præſens, partem iraſcibilem non movere, ſed tantum concupiſcibilem per paſſionem triſtitiæ, ſcilicet, quæ directe malum præſens reſpicit. In iraſcibili tamen alium quendam motum excitat, ipſam ſcilicet paſſionem iræ, quæ non malum, ſed vindictam ob illud malum vel injuriam acceptam reſpicit: & quidem ut quid rationi conforme; perindè ac ſi rationi conſentaneum foret, malum par, & æquale rependere ei, qui malum antè nobis intulit. Atque idcirco iram dicit Ariſtotiles, aliqualiter conſequi rationem.

Ira bifariam dividitur.
1. 2. q. 46. *art.* 8.

LV. Quæritur, quotuplex ſit ira? Reſpondeo, dividi eam cum D. Thoma ſolere in iram, quæ dicitur cholera, illam ſcilicet quæ ſubitò accenditur & effervescit; & in maniam, quæ ex ira longa & permanenti naſcitur; denique in furorem, qui non antè quieſcit, quam ultionem de adverſario ceperit.

Ejus cauſſae, queae?
H
1. 2. q. 47. *art.* 2.
2. *Rhet. c.* 2.

LVI. Quæritur, quænam iræ ſint cauſæ? Reſpondeo, in homine omnes reduci poſſe ad parvipenſionem, quia ex omnibus cauſis communis videtur, dum ſe per illas homo iratus contemni vel parvi fieri cogitat, ſecundum S. Thom. Ariſt. & Plutarch. lege de ira cohibenda. Unde ſequitur, quod quo quis excellentior, & dignior eſt, eò indignetur, & iraſcatur magis, quo illi gravior injuria videatur. E contra ipſe excellentiæ & commoditatis defectus homines efficere iracundiores ſolet, in quantum eos contriſtat; unde

de

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.
1. 2. *q.* 47. *art.* 3.
l. 2. *Rhetor.* *c.* 2.

de enaſcitur ira. Hinc fit, ut qui calamitate aliqua vel infirmitate oppreſſi ſunt, faciliùs iraſcantur; quod S. Thomas, & Ariſtoteles obſervat. Adhæc iram non mediocriter incitat ipſa injurià afficientis vilitas. Unde conſequitur, divinam in peccatorem indignationem ut infinitam habendam, ſi ipſa peccatoris vilitas cum ſumma Dei Majeſtate conferatur. Ipſa autem injuria afficientis ignorantia iram multum diminuit A quod ignorans præſumatur non advertere ad injuriam quam irrogat. Idem quoque ſentiendum de iis, qui ſui ob aliquam cauſam compotes non ſunt, & mente capti, cum neſciant quid faciant.

Irae effectus.

LVII. Quæritur, quinam ſint iræ effectus? Reſpondeo, hi qui ſequuntur. Primus. Primus, certa quædam delectatio, quæ è vindictæ æſtimationis vel ſpe naſcitur, juxta D. Thom. & Ariſtotelis doctrinam. 1. 2. *q.* 48. 2. *Rhet.* *c.* 2. Secundus. Secundus, quidam caloris vel fervoris cordis, ad quod ſanguis aſcendit, accenſio. Tertius. Tertius, multa ſigna turbationis in corpore, uti videre eſt in oculis, lingua, tremore, &c. Quartus. Quartus, ira pluſquam alia quæpiam paſſio, rationis uſum impedit. Quintus. Quintus animam ad ſpiritualia, ac divina ineptiſſimam reddit. B

Ejus remedia.

LVIII. Quæritur, ecquæ ſint iræ remedia? Reſpondeo hæc ſequentia. Primum. Primum, propriam exiſtimationem, & rerum temporalium concupiſcentiam mortificare. Secundum. Secundum, non loqui vel facere conari ea, quæ animus eo ſuggerit tempore, quo ira fervet. Tertium. Tertium, procurare, ut eo tempore, quo iræ impetus cohibetur, ipſius injuriæ in nobis ipſis opinionem gravitatemque minuamus per ordinariæ experientiæ argumentum, qua ſcilicet conſtat, iræ jam fervore præterito, injurias admodum exiguas videri, vel etiam nullas. Quartum. Quartum, conſiderare injuriam tam nobis malam non eſſe, quam eſt ipſi eam inferenti, quod quidem ſentire Chriſtianum eſt. Quintum. Quintum, conſiderare damna, C quæ è vindictæ ſumptione ſequi ſolent; quæ tum animæ, tum corpori apprime nocent: quod omnibus notiſſimum eſt. Sextum. Sextum, ſanctorum ac præſertim Chriſti Domini manſuetudinem perpendere, eamque imitari.

Alia remedia.

Sunt adhæc alia alienæ iræ placandæ remedia. Primum. Primum non reſiſtere, primò eorum iræ impetui. Secundum. Secundum, quando ea nonnihil jam deferbuit, placidè humiliterque iraſcentes alloqui. Tertium. Tertium, oſtendere pœnitentiam, & veniam petere. Quartum. Quartum, indignantibus, & offenſis perſuadere, non eo animo cauſam datam eſſe, ut aliqua inde in eos injuria redundaret. Horum remediorum primum ipſe ſuggerit Apoſtolus Romanor. 12. Secundum Sapiens Proverb. 15. Tertium D Ariſt. 2. Rhetor. c. 3. Quartum Plutarchus, & ſanè omnia ſunt convenientiſſima.

Modus porrò ad praxin ipſius paſſionum mortificationis per actus interiores revocandæ è ſequentibus colligi poterit exemplis.

Agam de geminis amoris, & iræ paſſionibus: quarum illa prima, & facile principalis; hæc vero remedio imprimis opus habens, cum quod facillimè moveatur, tum quod magna ſecum afferat damna.

Quod ad amorem quidem ſpectat. Videbit fortaſſe quis veſtem ſuam, & honoratiorem & commodiorem, hinc ſtatim de illa appetitus ſibi complacet, amoris affectum in eo excitando. Tunc vero aliquo è tribus modis ſequentibus dictum motum amputare poterit: quorum primum ad diſtinctionem, voco moralem, ſecundum Chriſtianum, tertium E monaſticum, & perfectum. Itaque moralem applicando dicet; Expelle à te complacentiam hanc homine rationali, qui natura aliis animalibus ſuperior, & ad Sapientiæ, & virtutum ſtudium natus eſt, indignam; cum intellectus hiſce bonis adhæreſcens, ab illis divertatur. Sed per modum chriſtianum dicere poterit: Ne hæc tibi res placeat, nefas quippe eſt hominem Chriſtianum, qui prætioſiſſima immortalitatis veſte induendus eſt, & æternis bonis frui debet, ob vilem, & inornatam hanc veſtem ab illorum ſtudio, & acquiſitione alienari. Denique per modum perfectum, & religioſum dicere poterit, ne in hac tibi veſte complaceas, quia dedecet hoc eum, qui Chriſti ſequi imitarique nuditatem debet. F

In ira, quæ per injuriam aut contemptum ab alio acceptum exſurgit, dicet moraliter: Quieſce ferox appetitus: neque enim decet hominem ratione præditum Belluæ inſtar efferaſcere, & tam abſurda ebrietate inſanire cum paſſionis hujus turpitudo in ipſo etiam vultu eluceſcat, dum nimirum oculi inardeſcunt, labia tremunt verba ſemifracta proferuntur, totuſque homo manſuetudinem, quæ illum utpote animal ſociale, decet, amittat. Sed Chriſtianè dicet: Beati mites, quoniam poſſidebunt terram viventium. *Matth.* 5. Quid igitur? hac te hæreditate beata ob belluinam hanc paſſionem privare, & ſequeſtrari vis? Denique ut monachus dicet: Chriſtus ut agnus manſuetiſſimus coram tondentibus ſe obmutuit, *Iſaiae* 53. cum malediceretur benedicebat; G patiebatur, & non comminabatur, & velut ovis ad lanienam ductus eſt, & tu non placaberis, aut manſueſces?

Ad exemplorum circa paſſiones propoſitas methodum, ac modum reliquæ omnes mortificari poterunt.

Quod autem ad illas ſpectat paſſiones ad quarum mortificationem actus quidam externi requiruntur, & maxime aliqua corporis maceratio; ipſum Directorum ſpiritualium conſilium exquirendum eſt, atque ita fiet, ut qui eas mortificaturus eſt, ſecure proceſſurus ſit.

H

TRACTATUS
DE VIRTUTIBUS.

HOC tractatu propoſui deſiderio multorum hominum ſpiritualium ſatisfacere, brevem omnium virtutum deſcriptionem,

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

ac notitiam, ſimul & brevia quædam monita ad praxin earum ſpectantia afferendo, cum aliis in libris diffuſius pluribuſque de virtutibus ad diſciplinam religioſam ſpectantibus egerim,

Virtutis definitio.

A

I. Virtus, juxta communem Theologorum ſententiam, de virtute in natura noſtra loquendo, nihil eſt aliud, quam quædam qualitas, vel habitus, potentiam, in qua verſatur, optime diſponens, ad actus aliquos naturæ humanæ conſentaneos & convenientes producendos.

Virtus intellectualis, & moralis,

II. Virtus dividi ſolet in intellectualem & moralem, cum aliæ virtutum in intellectu, aliæ in appetitu rationali verſentur, idem in voluntate, & appetitu ſenſitivo, quæ nimirum ad mores ſpectant, juxta naturalem duorum dictorum appetituum inclinationem.

Virtutes intellectuales, quae? 6. *Ethic.* 1. 2. *qu.* 57.

B

Scientia, quid?

Prudentia. quid?

Sapientia, quid?

C

III. Virtutes intellectuales ſecundum Ariſtotelem & D. Thomam ſunt quinque, ſcilicet, Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, Intellectus. Ars quidam eſt habitus intellectus, qui rerum exteriorum factibilium, puta architecturæ, ſculpturæ, & aliquot actionum humanarum (etſi circa materialia vel opera exteriora verſentur, uti ſunt artes liberales, verbi gratia Grammatica, vel Rhetorica) modum præſcribit. Scientia eſt habitus rerum, quæ neceſſario ita ſunt, uti demonſtratur vel concluditur, demonſtrativus. Prudentia eſt habitus ad bene eligendum, & media ad bonum finem convenientia præſcribenda ſerviens: quæ licet virtus intellectualis ſit, poſteatamen inter morales numeratur, ceu illarum dux, & rectrix. Sapientia habitus eſt, quo intellectus ipſos effectus per cauſas univerſaliſſimas cognoſcit, deque ipſis ſcientiæ principiis dijudicat; atquæ hæc ex ſententia Ariſtotelis eſt Metaphyſica. Intellectus, primorum principiorum habitus vocatur, quo primis ac notiſſimis ſcientiarum principiis aſſentimur. Hæ ſunt virtutes intellectuales: quarum quatuor intellectui ad bonos actus ideſt ad rationis præſcriptum directos, & regulatos, in diverſis materiis faciendos facultatem conferunt: at prudentia inſuper facultatem confert, ut actus boni fiant in ordine ad bonum finem. Unde bonus ille futurus eſt architectus, qui ædificium aliquod conſtruit cum intentione mala: at propterea non erit prudens, quia hoc fabricæ medium ad bonum finem non dirigit, quantum quidem ipſa naturalis ratio judicat. Hæc ſufficiant, ut virtutes illæ intellectuales competenter cognitæ perſpectæque habeantur; de quibus plura non addo, cum ad propoſitum meum non faciant, ut qui de ſolis moralibus, & Theologicis agere virtutibus inſtituerim.

D

Virtutes morales, quae?

S. Thomas harum virtutum meminit in 2. 2. q. 8. art. unic.

E

F

IV. Circa virtutes morales quædam facienda diſtinctio eſt: quædam enim illarum ſerviunt ad bene agendum, & converſandum cum proximis, ea quæ cum ipſis agenda homini ſunt, ritè componendo ac diſponendo: aliæ vero, ut paſſiones propriæ bene regantur vel componantur. Circa ea quæ cum proximo agenda ſunt, decem enumerari virtutum ſpecies ſolent; Juſtitia ſcilicet, quæ reddit unicuique quæ ſua ſunt; Religio, quæ debitum Deo cultum reddit; Pietas, quæ debita parentibus, & patriæ preſtat obſequia; Obſervantia, quæ eos qui virtute ac dignitate excellunt, reveretur & colit; Veritas, quæ verum tum verbis, tum factis proferre conatur, promiſſaque exequi; & quoad ultimam hanc partem, de promiſſis videlicet ſervandis, dicitur fides & fidelitas. Gratitudo, quæ in beneficio accepto & gratias agere, & reipſa ei aliquo beneficio de ſuo reſpondere ſatagit; Vindicta, vel Juſtitia vindicativa, quæ in injuriis, prout rationis debitum poſcit, ulciſcendis ſita eſt. Liberalitas, quæ proximorum utilitatem ſpectat, aliqua in illos bona, præſertim pecuniaria conferendo, & elargiendo. Magnificentia, quæ magnos ſumptus rationi conformes, ad aliorum utilitatem præſtare intendit. Amicitia vel Affabilitas, quæ diverſimodè amicis gratificari ſtudet. Omnes hæ virtutes ſitæ ſunt in voluntate, aliaſque ſub ſe continent, veluti ſui partes, & membra; quod tum intelligetur, quando ſingillatim de iis tractabimus.

Lege Ariſt. 2. Ethic. c. 7. & S. Tho. 1. 2. q. 60. art. 5.

** id eſt, amor honoris.*

Magnificentia.

G

Magnanimitas.

Veritas.

Amicitia.

Eutrapelia.

H

Fortitudo.

Manſuetudo.

V. Circa paſſiones decem item ſunt virtutum ſpecies. Temperantia, quæ paſſiones appetitus concupiſcibilis circa objecta delectabilia, prout ſupra tetigimus, regit. Liberalitas, quæ etiam in appetitu concupiſcibili conſiſtit, & paſſiones regit amoris concupiſcentiæ, & delectationis, circa pecuniam videlicet, & efficit, ut homo debite rationabiliterque ſua pecunia utatur, maximè in eadem danda. * Philotimia, quæ in concupiſcibili ſita eſt, tres ſuperiores paſſiones circa honores, & dignitates moderatur. Magnificentia, quæ debitam pecuniæ acquiſitionem ſpectat, in quantum illa bonum eſt acquiſitu difficile; ideoque paſſiones regit ſpei, deſperaionis, eas ad debitum moderationis præſcriptum reducendo, inque parte iraſcibili verſatur, in qua dictas paſſiones invenire eſt. Magnanimitas, quæ in iraſcibili conſiſtit, & eaſdem paſſiones regit, dum circa honores, & dignitates verſantur; in quantum bona ſunt, quæ difficile ſit conſequi. Veritas, quæ id ſpectat, ut quod ſentit, verbis factiſque decentibus declaret, in quantum loquens hac ſui manifeſtatione gaudet: hæc porrò veritas in parte verſatur concupiſcibili, inque objectum ſuum hanc ſui communicationem habet, in quantum ipſa abſolutè communicantem delectat, & recreat. Amicitia, vel Affabilitas, quæ aliis ſeſe in rebus ſeriis comiter accommodare ſatagit, verſaturque in parte concupiſcibili. Eutrapelia, quæ comem facetamque ſe in ludicris & recreationibus oſtendere geſtit: ſita autem in concupiſcibili. Fortitudo, quæ in iraſcibili ſita, regit audaciam & timorem, iiſque paſſionibus utitur, in quantum eæ neceſſariæ & utiles ad bonum aliquod rationi conforme aſſequendum. Manſuetudo, quæ moderatur iram, & in Iraſcibili invenitur. Harum virtutum multæ alias ſub ſe, velut ſui partes complectuntur, uti ſuo oſtendemus loco.

Animadverſio.

VI. Circa Liberalitatem, Magninificentiam, Veritatem, Amicitiam notandum eſt, quod quamvis eadem harum virtutum ſint nomina quæ illarum, quas numeravimus in voluntate quoad operationes, & in appetitu concupiſcibili, & iraſcibili quoad paſſiones: diverſæ tamen vere ſunt virtutes. Eò quòd illæ, quæ voluntatis ſunt, ſuum objectum formaliter reſpiciant, in quantum eſt bonum proximi, ſed hæ, quæ appetitus ſenſitivi ſunt, ſuum formaliter objectum reſpiciant, in quantum tendit in bonum ipſius operantis. Hinc S. Thom. Liberalitatem, & Magnificentiam in voluntate poſuit, atque idem Liberalitatem in Concupiſcibili, Magnificentiam in Iraſcibili ponit: quæ ſimul conſiſtere nequit, niſi diverſæ ſint virtutes. De aliis autem virtutibus alia S. hujus Doctoris loca omitto.

A

1. p. q. 21. art. 1. ad 1.

1. 2. qu. 6. art. 5.

VII. Inter omnes virtutes, quæ bonum morale conformiter ad rationis rectitudinem reſpiciunt, ſunt ipſæ quatuor cardinales, ideſt principales; quæ idcirco principales & primariæ habentur, quod in harum ſingulis eximium quid eluceſcat, quod ad virtutis dignitatem pertinet. Prima eſt Prudentia, quæ excellenti quodam modo bonum morale, rationi conforme, ut objectum ſuum reſpicit, cum in ipſa ratione, ideſt in ipſo intellectu, velut in proprio ſubjecto verſetur. Secunda eſt Juſtitia, quæ excellenter bonum rationis reſpicit, quoad proximum. Tertia eſt Fortitudo, per quam homo cum inſigni excellentia bonum proprium rationi conforme, labores, & pericula, quæ ab hoc bono ipſum avocant, ſuperando conſequitur. Quarta eſt Temperantia, per quam homo bonum proprium rationi conſentaneum, illicitis delectationibus huic contrariis abſtinendo excellenter conſequitur. Juſtitia, & Fortitudo non modo bonum proprium, ſed & commune ſpectant, & ideo Temperantia excellentiores ſunt. Prudentia omnium harum virtutum ſumma eſt, & digniſſima, utpote ceterarum moderatrix.

B

Virtutes Cardinales, quae?

Prudentia.

Juſtitia.

Fortitudo.

Temperantia.

C

Prudentia moderatrix caeterarum.

Exemplares dictae.

VIII. Quatuor hæ virtutes dicuntur exemplares, in quantum ſunt in Deo, qui harum idea eſt, & exemplar. Dicuntur etiam Politicæ, in quantum ſunt in homine (qui animal politicum, & civile eſt) juxta proprias rationes: idque ad judicandam differentiam, quomodo ſcilicet ſint in Deo; quia non ita ſunt in Deo, quomodo in homine: ſed infinita quadam eminentia. Vocantur etiam Purgatoriæ, in quantum humano ſtudio ac diligentia adauctæ, & corroboratæ, in cauſa ſunt, ut homo perfectionem divinam imitari ſatagat. Vocantur & Virtutes animi purgati, in quantum ad ſummum perfectionis gradum pervenire ſolent; uti in Beatis, & in illis viatoribus qui ad ſummam perfectionem jam pervenerunt, contingit.

Et purgatoria.

D

IX. Omnes, quas ſuprà enumeravimus, virtutes morales, ſunt acquiſitæ ideſt tales, quod per actus noſtros poſſunt, , & ſolent acquiri. Sed propter has, ſecundum doctrinam S. Thom. ſunt, & totidem virtutes morales infuſæ, quæ iiſdem planè dicuntur nominibus. Hæ ſerviunt gratiæ, in cujus ordine ſupernaturali virtutes Theologicæ finem reſpiciunt ſupernaturalem; at morales infuſæ reſpiciunt media in ordine ad hunc finem ſicut in ordine naturali ſyndereſis, & naturalis beatitudinis appetitus finem reſpiciunt beatitudinis naturalis, at virtutes acquiſitæ media ad hunc finem dirigentia. Et licet morales infuſæ idem objectum materiale reſpiciant, quam acquiſitæ; formale tamen objectum aliud eſt, verbi gratia; Temperantia acquiſita reſpicit materiam delectabilem in quantum hæc regulæ rationis humanæ, & conſequenter regulæ divinæ, in quantum Deus naturæ auctor eſt, conformis eſt. Ideoque hac materia (verbi gratia cibo) utitur, in quantum ad ſanitatem naturalem; & ad benè ratione utendum conducit, & conveniens eſt; neque enim benè ea quis uti poteſt, ſi corpus male diſpoſitum ſit. Sed Temperantia infuſa hac ipſa materia utitur, in quantum ad vitam æternam quam divina fides promittit, conſequendam conducit; atque ideo hoſce actus ſuos ad regulam quamdam divinam ipſius Dei (in quantum ſupernaturalis eſt auctor) dirigit, & componit. Unde ſequitur, Temperantiam infuſam materia delectabili nonnullis in caſibus uti vel abſtinere, in quibus naturalis ratio per Temperantiam acquiſitam ea utendum, vel abſtinendum non dictaret, verbi gratia, quando corpus jejunio ad majoris gratiæ vel gloriæ acquiſitionem caſtigatur. Quod Religioſi ipſi conſiderent oportet, ut hoc diviniori, & altiori modo virtutum moralium actus exerceant.

1. 2. q. 63.

E

Virtutum moralium infuſarum, & acquiſitarum, idem objectum.

Temperantia infuſa.

F

X. Virtutes hæ morales infuſæ una cum gratia aut recipiuntur, aut perduntur; adeò ut quotquot per divinam gratiam juſtificantur, eo ipſo momento virtutes morales infuſas recipiant: & cùm gratiam amittunt, illas ſimul virtutes amittant. Morales acquiſitæ ſine gratia conſiſtere poſſunt, & ſunt invicem in ſtatu ſuo perfecto connexæ, & concatenatæ. Has ſervi Dei aſſiduè ſibi comparare ſtudent, maximè in ſchola Religionis: etſi enim ſimul cum gratia virtutes morales infuſas habeant, per quas habiles, & apti ſunt ad actus virtutum exercendos; hæ tamen non tam perceptibiliter difficultatem materiarum virtuoſarum auferunt, atque acquiſitæ; quæ per proprios actus, & aſſiduos conatus acquiruntur, cum paſſiones ſubjugando, tum vitiorum habitus, qui in animæ potentiis radicati erant, evellendo, quod infuſæ eo modo non faciunt, quo acquiſitæ. Ex hac doctrina, quæ è ſchola S. Thomæ petita eſt, ſequitur, quando Sancti, & Scriptores ſpirituales de virtutum acquiſitione agunt, de moralibus acquiſitis eos loqui intelligendos eſſe: adeò ut Dei ſervus, qui una cum gratia, & caritate omnes virtutes morales infuſas habet, in ipſis

Virtutes morales infuſae, quomodo recipiantur, vel amittantur?

G

H

occaſionibus exercendorum actuum virtutum circa earundem virtutum materiam laboret, eò quòd virtutes acquiſitas circa hanc ipſam materiam nondum acquiſierit. Hanc ob rem neceſſe eſt tota contentione hominem virtutum acquiſitarum ſtudio intendere: de quarum ſpeciebus in numeris ſequentibus, antequam de Theologicis loqui incipiamus, tractare propoſuimus.

A

Prudentiae definitio.

XI. Cum ergo de virtutibus moralibus acquiſitis, quæ ad quatuor ordines pro virtutum Cardinalium numero (inter quas prima eſt Prudentia) revocantur, nobis hic tractandum ſit, de hac primo loco tractabimus. Ut autem à definitione incipiamus. Prudentia vulgò ſic definitur; Eſt virtus intellectus, qui dicitur practicus, per quem benè homo ſtatuere, imperare, jubere, & decernere diſcat id quod ſibi in omni caſu particulari, juxta rationis præſcriptum, faciendum eſt.

Ejus officium, quale?

B

Syndereſis, quid?

6. *Ethicor. c. 12. & 13.*

C

An in peccatore ſit vera prudentia acquiſita?

XII. Prudentiæ officium eſt media proponere, quibus ſuos virtutes morales fines adipiſcantur, hos autem fines ipſa proponit Syndereſis, verbi gratia Syndereſis (quæ eſt habitus naturalis intellectualis principiorum practicorum; cujus partes ſunt approbare bonum, ac reprobare malum; & dicitur conſcientia) temperantiæ ſuum proponit finem, ſcilicet delectationibus tactus, & guſtus cum mediocritate quadam, quæ inter defectum, & exceſſum ſit media, uti. Prudentia itaque in caſibus particularibus dictat media, quibus ad hanc mediocritatem perveniatur, quale verbi gratia eſſet, tantum; & toties per diem, & tali hora, &c. comedere. Unde ſequitur, virtutes morales, per Syndereſeos directionem; bonum finem reſpicere, eumque prudentiæ præſcribere, eamque media ad bonum hunc finem conſequendum intueri, & præſcribere. Atque hanc ob cauſam dixit Ariſt. neminem poſſe eſſe prudentem, qui non ſit vir bonus, id eſt, virtuoſus per virtutes morales. Verum nihilominus eſt, veram prudentiam acquiſitam, in peccatoribus poſſe reperiri, verbi gratia poſito aliquem, qui Prudentiam, & virtutem moralem jam acquiſivit, poſtea peccare mortaliter, non propterea is ſtatim perdit virtutes, quas Ariſtoteles requirit.

Partes prudentiae integrales, quae?

* *Euſtochia id eſt, bona conjectura annumeratur ſolertiae, quae multo latiùs patet.*

D

XIII. Partes integrales prudentiæ ſunt, bona rerum memoria; particularium rerum occurrentium intelligentia; docilitas, (quia prudentes ſunt dociles) * ſolertia, id eſt, bona, & prompta conjectura; ratio, id eſt, diſcurrere, & rem unam benè ex alia deducere; providentia, id eſt, bona mediorum ad finem ordinatio; circumſpectio, id eſt, accurata circumſtantiarum circa res particulares occurrentes verſantium conſideratio; cautela, id eſt, quædam proviſio, & adverſus contraria, à quibus bona impediri poſſent conſilia, tutamentum. Hæc vocantur partes integrales, quòd ex iis omnibus prudentiæ componatur integritas, ſicut omnia ſimul membra corpus integrant, & conſtituunt. Opus autem non eſt, ut his partibus explicandis diutiùs immoremur.

Prudentiae ſpecies, quot?

XIV. Partes ſubjectivæ, & ſpecies prudentiæ ſunt: Regnativa, Politica, Œconomica Militaris, demum uniuſcujuſque particularis; de quibus quid ampliùs hic dicere extra propoſitum eſt.

E

Partes ejus potentiales, quot.

XV. Partes potentiales prudentiæ ſunt tres virtutes, quæ ei ſubſerviunt, videlicet, Eubulia, Syneſis, Gnome. Eubulia, id eſt, benè conſiliativa, eò facit, ut de mediis occurrentibus rectè homo conſultet. Syneſis, id eſt judicativa, eò ſpectat, ut bonum de convenientiſſimo medio juxta regulas ordinarias judicium formetur. Gnome, id eſt, regula, conducit, ut bonum juxta rationem naturalem, præter regulas communes vel leges ordinarias, quæ interdum ob caſuum particularium circumſtantias deficiunt, judicium feratur. Tribus hiſce virtutibus in ſpecie diſtinctis utitur Prudentia, & poſtquam conſultaverit, & bonum de medio, quod eligendum eſt, judicium tulerit, imperandi, & executionis præcipiendæ actum facit: atque hoc proprius, & principalis prudentiæ actus eſt. S. Thomas docet, Sollicitudinem, vel Diligentiam etiam ad Prudentiam pertinere: ſed intelligendum id eſt, quantum quidem ſpectat ad imperandum, & executioni mandanda ea, de quibus antè conſilium inierit, & judicium formarit. Sed ipſa conſultatio eſſe debet matura, executio verò velociter peragenda, ut docet Ariſtoteles.

F

2. 2. *q.* 47. *art.* 9.

6. *Ethicor. c. 9.*

Prudentiae actus, qualis?

XVI. E ſupradictis rebus ſequitur, Prudentiam formaliter in ſubditis non eſſe, in quantum ſunt ſubditi; cum proprius Prudentiæ actus ſit imperare; & proprius ſubditi obedire. His tamen non obſtantibus in ſubditis etiam vera eſſe Prudentia poteſt, in quantum ſunt homines, & parti appetitivæ, & executivæ animæ ſuæ imperare poſſunt, & debent id, quod ratio dictat. Quod boni verique Religioſi nullo non tempore faciunt, dum rationis imperium in paſſiones, & inordinatos hominis inferioris actus exercent; exteriorem verò imperandi ritum, qui proprius Prudentiæ Superiorum actus eſt, a ſe amovent. Atque in hac Prudentiæ monaſticæ ſpecie magno ſuo merito, imprimis ſolliciti, & diligentes ſunt.

G

XVII. Ut ergo tractatum de Prudentia abſolvámus; notandum eſt, quo illa modo acquiratur, quo etiam perdatur. Duobus mediis principalibus ea comparatur; ſcilicet experientia, quæ quid certi eſt, quia Prudentia virtus eſt, quæ caſus particulares ad notitiam experimentalem ſpectantes reſpicit. Deinde bono exemplo, & doctrina ſeniorum, qui quod juvenibus in notitia experimentali deeſt, ſupplent. Perditur autem cum per oblivionem, quæ notitiæ experimentalis, quæ acquiſita jam eſt, uſum aufert; tum verò per malos affectus, qui rectitudini actus proprii prudentiæ ab appetitu recto, & benè affecto dependentis opponuntur.

H

Quomodo perdatur prudentia?

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

Ex hac doctrina ſequitur, juniores, qui cum humilitate ſenes auſcultant ſpirituales, veram Prudentiæ viam inveniſſe.

Juſtitia, quid?

XVIII. Secunda virtutum cardinalium, eſt Juſtitia, qua virtute quiſque proximo reddit quod ſuum eſt: hæc autem in voluntate conſiſtit. Dividi hæc in duas ſpecies ſolet; quarum una dicitur Juſtitia particularis, quæ nimirum erga particulares exercetur, alia * legalis, quæ hominem immediatè in ordine ad communitatem vel rempublicam (cujus ipſe pars eſt) dirigit & perficit, & conſequenter etiam privatis, qui ejus communitatis pars ſunt, ordinat. Formalis ratio hujus juſtitiæ legalis eſt, reſpicere ea, quæ in materia cujuſcumque virtutis ſunt, quæque à legibus ſtatuuntur, in quantum ea ad bonum commune utilia ſunt: in quo differt ab obedientia, quæ eadem reſpicit, in quantum à Superioribus præcipiuntur. Dividi prætereà Juſtitia ſolet in Commutativam, quæ rerum cum proximo æqualitatem ſpectat; & Diſtributivam, quæ meritorum perſonarum, quoad bonorum communium diſtributionem proportionem ſpectat: adeò ut quo quis majoris meriti eſt, eo plus de bonis reipublicæ recipiat. Hæ ſunt ſpecies juſtitiæ.

A

B

** Epikia vel Æquitas virtus eſt juſtitiae legalis directrix, ut ſcilicet ſecundùm utilitatem communem, & ſecundum intentionem legis fiat; verba ejus in caſibus particularibus non attendando, ſed boni communis intentum ſequendo, non opponitur ea ſeveritati, quae verba legis ſequitur, quando in ejus rigore manere convenit.*

XIX. Sunt deinde multæ virtutes, quæ partes potentiales juſtitiæ dicuntur, quæ quamdam cum Juſtitia affinitatem, vel conjunctionem habent, uti potentiæ cum anima; perfectè tamen rationem, vel eſſentiam Juſtitiæ non participant, uti nec potentiæ animæ eſſentiam. Affinitas, vel conjunctio, vel ſimilitndo in hoc conſiſtit, quod dirigantur, ut benè cum proximo quis agat, ſicut ipſa dirigitur juſtitia; in voluntate quoque verſentur, ſicut verſatur juſtitia: ad juſtitiæ tamen perfectionem non attingunt, vel quod æqualitatem rerum perfectè non intueantur, vel quod cum perfecta debiti ratione, ſicut juſtitia non procedant. Sunt hæ præcipuæ novem virtutes morales, ſcilicet Religio erga Deum; Pietas erga parentes; Obſervantia erga eos, qui virtute excellunt, ad quam refertur obedientia; Veritas, per quam homo cum in verbis, tum in factis oſtendit, quod reverà eſt; ad hanc virtutem reducitur Fides, vel Fidelitas; Gratia vel Gratitudo, qua beneficio accepto, vel gratiæ aguntur, vel ipſum recompenſatur. Vindicatio, vel Juſtitia vindicativa, per quam juſta de peccatis vindicta exercetur; Liberalitas, quæ bonum ſpectat aliorum, idque potiſſimum per dona pecuniaria; Magnifinentia, quæ bona aliena ſpectat per ingentes ſumptus; Affabilitas denique, vel Amicitia, quæ variis obſequiis, & officiis hominem alteri gratum reddit.

C

D

Relligio Pietas, & obſervantia.

XX. Inter has virtutes Religio, Pietas, Obſervantia ad perfectam Juſtitiæ rationem non pertingunt, quod perfectè æquale cuique non reddant. Aliæ quoque huc non pertingunt, quod actus vel officia illarum erga proximos tam ſtricta debita non ſunt, ſicut propriè dictæ & perfectæ juſtitiæ actus. Hac de cauſa debitum Juſtitiæ, Religionis, Pietatis, Obſervantiæ, vocatur legale, eò quod ſtrictiſſimum, & à lege præſcriptum ſit, & ab hac obligatione civili naſcatur: reliquarum verò virtutum debitum dicitur morale etſi in caſibus particularibus debitum hoc etiam ſub peccati reatu obbliget.

XXI. Hiſce diviſionibus ac principiis præſuppoſitis ordinatè de aliquibus potentialibus Juſtitiæ partibus, quæ hominibus ſpiritualibus magis uſui futuræ ſunt, agamus, alia non uſque adeo neceſſaria, unà cum propriis Juſtitiæ ſpeciebus omittentes: quod ſpecierum juſtitiæ propriarum exercitium non ita paſſim vitam ſpiritualem ſectantibus occurrat: quibus proinde communis illa, quam cum aliis habent, notitia ſufficit, eſſe ſcilicet unicuique quod ſuum eſt reddendum. Veniamus jam ad ſupradictarum virtutum primam, ipſam ſcilicet Religionem.

E

Relligionis definitio.

XXII. Religio, ex communi Theologorum ſententia quædam virtus Moralis eſt, hominem inclinans, ut debitum Deo, ceu communi rerum omnium Domino ac Creatori cultum, & honorem reddat. Virtus hæc omnium aliarum virtutum moralium eſt excellentiſſima: nam etſi alioquin Theologalis non ſit (cum divinam majeſtatem, velut objectum ſuum immediatè non reſpiciat, quod virtutum Theologicarum proprium eſt) propius tamen quam ulla alia ad earum dignitatem ipſa accedit; cum Deum ceu finem, cui defert cultum; reſpiciat: qui cultus obiectum ejus eſt, quod immediate ſpectat.

F

XXIII. Porrò circa honorem, cultum, & reverentiam illam, quam virtus hæc Deo ſuo defert, notandum eſt, aliquid in eo materiale, & aliquid formale reperiri. Materiale dicitur quilibet actus, tam interior quam exterior; vel officium, vel ritus, vel cerimonia, quam ideo adhibemus, ut tum in nobis, tum in aliis talem de Deo æſtimationem concipiamus, qualis divinæ majeſtati debetur. Formale eſt, illa excellentiæ vel majeſtatis divinæ æſtimatio; quæ æſtimatio Dei dicitur gloria, notitia ſcilicet quædam illuſtris, cum reverentia coniuncta; quæ virtutis religionis ſcopus, & objectum eſt; hæc & aliis donari nominibus ſolet, quæ tamen omnia Dei cultum ſignificant, puta; Sanctitatis, Theoſebiæ; Euſebiæ, Latriæ.

G

Relligionis actus in tres claſſes diviſi.

XXIV. Virtutis hujus actus in duos diſtinguuntur ordines in primum referuntur omnes omnium aliarum virtutum actus; quia omnes poſſunt, & debent ad Dei æſtimationem, & gloriam referri, ſicut boni Religioſi eos referunt. In ſecundum referuntur proprii virtutis Religionis actus; qui ad tres reduci poſſunt claſſes, ſecundum ſubiectionem, quam hæc virtus erga Divinam majeſtatem profitetur, dum per eam homo ſe, & omnia ſua Deo ſubiicit. Ad primam claſſem refetur ſpirituale mentis bonum; quod per actus Devotionis, & Orationis Deo ſubiicitur, qui in hac parte ſunt maxime principales; & per actus votorum, quibus homo ſe divinæ Majeſtati velut Domino ſuo firmiter ſubiicit;

H

Actus primae claſſis.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

icit, nec non per actum juramenti, (quando id neceſſe erit) quo divinæ excellentiæ, excellentiam homo proteſtatur; denique per uſum Sacramentorum, quo Deum gratiæ, qua mentem noſtram illi ſubiicimus, auctorem eſſe proteſtamur. In ſecunda claſſe Deo ſubiicitur bonum externum corporis, quod per exteriores adorandi ritus, genuflexiones, proſtrationes, &c fit. In tertia claſſe divinæ Majeſtati ſubiiciuntur externa, quæ homo poſſidet bona; vel immediatè illa Domino offerendo, ſicut ſacrificium, quod in honorem vel recognitionem ejus cedit; vel mediatè, per illius miniſtros, uti dum decimas, ac primitias perſoluit. De his virtutis Religionis actibus aliud dicendum non eſt quam ea, quæ de Devotione & Oratione dicentur. Hoc dumtaxat obſervent Religioſi, ut, dum ſolitos ſtatus noſtri actus faciunt, videlicet vota (vel dum ea primo nuncupantur, vel poſtea renovantur) & ceremonias adorationum, geneflexionum, proſtrationum; cor ad divinam Majeſtatem ſuſtollant, cordiali quodam affectu eam honorare, & glorificare cupiendo, Et hunc in finem omnium virtutum ſine ulla exceptione actus referant.

Secundae claſſis.

Tertiae claſſis actus.

Devotio actus Religionis.

XXV. Circa Devotionem) quæ quidam Religionis eſt actus) notandum eſt, hanc eſſe actum volutatis, in qua etiam ipſa virtus Religionis verſatur: qui actus non eſt aliud, quam prompta, & reſoluta quædam voluntas faciendi ea, quæ ad divinæ majeſtatis cultum ſpectant. Unde colligere, eſt, veram, & ſubſtantialem devotionem in voluntate poſſe, ſine ſenſibili illa devotione, quæ in divini cultus rebus haberi ſubinde ſolet, conſiſtere, imò poſſe cum magna partis inferioris quoad ea, quæ cultus divini ſunt, obluctatiohe conſiſtere. Quod novitii Dei ſervi inprimis ponderent, oportet, qui nullum ſibi progreſſum facere videntur, nullam in parte inferiori devotionem ſentiunt. Sed errant, idque ex ignorantia.

Devotio ubi reſideat?

Devotionis cauſſae, quot?

XXVI. Devotionis, id eſt, promptæ illius, & expeditæ ad opera ad Dei cultum ſpectantia facienda, voluntatis cauſæ ſunt multæ; ſed duæ præcipuæ, præter divinam gratiam: ſcilicet ipſa divinorum beneficiorum, & propriorum defectum, & imperfectionum memoria. Prima voluntatem exſtimulat, altera excitat, & ut ad Dominum confugiat, movet, cum videat homo, quam ſibi neceſſe ſit ſub divinæ protectionis, umbra, & tutamine verſari. Et ſane negat Cajetanus eum Religioſi vel ſpiritualis nomine indignum eſſe, qui non quotidie ſaltem ſemel ſupradicta in mentem revocat.

Ejus effectus.

XXVII. Principalis Devotionis effectus quædam eſſe ſolet ſpiritualis lætitia, è divinæ bonitatis conſideratione naſci ſolita; quanquam hinc etiam ingens oriri mœſtitia ſoleat, quod anima bono illo infinito, quod deſiderat, non dum potitur.

Oratio Religionis actus.

XXVIII. Circa Orationem, qui virtutis Religionis quidam actus eſt, notandum venit, ipſam eſſentialiter intellectus practici actum eſſe, & alium quemdam voluntatis actum coniunctum habere per quem nimirum orans deſideret, quæ orat, à Domino ſibi conferri, & concedi. Oratio quidem propriè ſignificat petitionem, tamen omnibus illis orationis partibus, quæ in libris ſpiritualibus traduntur, accommodatur; quæ omnes in petitionem deſinunt. Et licet actus hic in intellectu verſetur, & Religio in voluntate, tamen, ut hic actus virtutis hujus actus ſit, ſufficit, hunc actum ab intellectu per id motivum produci, quo eum voluntas ad illum producendum impellit, ipſa ſcilicet quæ de divina Majeſtate concipitur æſtimatione; ad quam homo, inopem, & indigentem ſe eſſe perſpiciens, & à Deo ſibi auxilium advenire debere ſciens, recurrit.

Ut efficax ſit quid requiratur?

XXIX. Conditiones ad orationis efficaciam requiſitæ, ſunt quatuor, prout eas communiter ſancti tradunt. Prima, ut quis quid ſibi petat; ſecunda, ut pie petat, id eſt, ita ut petitio cum fide, ſpe, & bono deſiderio inſtituatur; tertia, ut petantur ea, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt; quarta, ut petantur cum perſeverantia. E quatuor harum conditionum conſideratione quædam pro bonis Religioſis, & maxime iis, qui noſtri ſunt inſtituti (quorum unicum ſtudium eſt continuo orationi, cum quatuor hiſce conditionibus ad mortem uſque incunbere) naſcitur conſolatio. Conſolationis hujus ratio eſt, quod vulgo Theologi aſſerant, orationem infallibiliter ſemper exaudiri, quando ſupradictæ conditiones in ea concurrunt.

XXX. Sequitur poſt virtutem Religionis, virtus Pietatis, per quam debitum honoris & ſubſidii, &c. parentibus, & patriæ, & conſequenter iis, qui parentibus noſtris ratione conſanguinitatis, & patriæ per benevolentiam, & amicitiam conjuncti ſunt, reddimus.

Hoc nomen Pietas, quid notet.

XXXI. Nomen hoc Pietas omnem primò ſignificare ſolet virtutem, per quam & Deo cultus defertur, & vita noſtra rectè ordinatur. Ita vocantur virtuoſi Pii, & Peccatores Impii. Secundò, in particulari ſignificat virtutem religionis, de qua jam egimus. Tertiò, Miſericordiam: atque hinc miſericordes dicuntur Pii. Quartò particularem illam, & propriam ſignificat virtutem, quæ dicitur Pietas, quam numero præcedenti deſcripſimus.

XXXII. Circa hanc virtutem, quantum ad Religioſos pertinet, aliud dicendum non eſt quam ut per officia ſpiritualia ſuis parentibus, & patriæ opitulentur, cum in illo ſtatu non verſentur, in quo aliis ipſos modis queant juvare. Caveant autem, ne quem ulli cogitationi, & affectui inordinato erga parentes, & patriam, &c. locum dent, quin potius eorum, eo obliviſci diſcant modo, quem Sancti cum exemplo, tum doctrina docuerunt.

Obſervantia.

XXXIII. Sequitur virtus Obſervantiæ, qua honoramus eos, qui in aliqua dignitate, qua vel nos regunt, vel regere apti ſunt, ſunt conſtituti, nec non eos, qui virtute præ-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

ſtantes ſunt. Auctores nonnulli varias virtutum in Obſervantia pro dignitatum, quibus debitum honorem deferunt, differentiis diſtinguunt ſpecies: ſed hiſce virtutibus proprium nomen non eſt impoſitum. Circa hanc verò virtutem videant Religioſi, ut eos, qui dignitate vel virtute excellunt, quam diligentiſſimè colant, & venerentur: quod hominum ſpiritualium proprium eſt, quod qui faciunt, proximum non parum ædificant, uti tum exemplis, tum hiſtoriis ſanctorum conſtat. A

Dulia.

XXXIV. Virtus Dulia vocata, quædam Obſervantiæ ſpecies eſt, & ipſa eſt, qua debitus honor ſuperiori ratione dominii redditur; & eſt hæc ſervorum propria erga Dominos, & heros. Eſt deinde & alia Obſervantiæ ſpecies vocata Dulia, qua honoramus Sanctos; eſt & alia vocata Hiperdulia, qua Beatiſſimam Virginem, propter ſingularem conjunctionis cum Verbo divino Incarnato excellentiam, honoramus. Circa duas haſce ſpecies notet Religioſus, eſſe ſe perfectiſſimum, & fideliſſimum Sanctorum, & præſertim Reginæ Sanctorum, honoratorem debere, per interiores videlicet æſtimationis ſanctitatis illorum actus, & verba laudem illorum, teſtantia, alioſque ad eos honorandos deſtinatos ritus, maximè per veram virtutem ipſorum imitationem. B

Alia obſervantiae ſpecies, & tertia Hyperdulia dicta.

Obedientia.

XXXV. Sequitur jam virtus Obedientiæ, qua quæ ſuperiores injunxerunt, exequi homo proponit, & ſatagit: cujus laudes nullis congruis queunt verbis exponi. Hujus materia ſunt omnes virtutum actus, quocumque modo è ſuperioribus injuncti. Forma, eſt illa ratio, ut fiant illi actus, quia præcepti, & juſſi ſunt. Quod Religioſi notent oportet, ut veri, & formales Obedientiæ ſint obſervatores, non alias ad obediendum rationes conquirendo, quàm quia juſſa à ſuperioribus injuncta ſunt; eos etiam magna cum reverentia, & amore, non ſecùs C ac Chriſtum Dominum noſtrum, intuendo, idque cum ſimplicitate, fidelitate, & magna mandatorum exequendorum promptitudine, nullatenus mandatum examinando, ſed magna id fide exequendo.

Gratitudo.

XXXVI. Sequitur Gratitudo, qua beneficium acceptum, & agnoſcitur, & compenſatur. Gratia, & Gratitudo eadem omnino virtus eſt: Cujus Religioſi noſtri magni cultores ſint oportet, cùm multis de cauſis tum verò maximè, quò B. Matrem noſtram Tereſiam hoc pacto imitentur, quæ magna, & rara illius obſervatrix fuit, adeò quidem ut erga eos, à quibus aliquod ſubſidium accipiebat; & erga Religioſos, qui ipſi in ordinariis Religionis rebus auxiliabantur, non aliter ſe in gratificando gereret, quàm D pecunia emptum mancipium. Præcipuè autem curent, ut recepta à Deo beneficia agnoſcant, ei gratias propter eadem agant, & magno affectu, & perſeverantia, velut in reciprocam correſpondentiam ſerviant.

XXXVII. Porrò circa quatuor haſce virtutes ultimas notandum, ſublimiori quodam & diviniori erga divinam majeſtatem eas eſſe modo, quàm erga creaturas, exercendas. Pietas quidem erga illum ut Patrem noſtrum amantiſſimum, à quo, & Eſſe, & omnigena bona accepimus: Obſervantia, velut erga Dominum noſtrum excellentiſſimum: Obedientia, ſicut erga ſuperiorem omnium ſupremum; Gratitudo, tanquam erga ſummum benefactorem noſtrum; Obedientia porrò, quando divina reſpicit mandata, vocatur obedientia; dum autem divinam voluntatem, ut ei ſe homo omni in eventu conformet, vocatur Reſignatio, atque hæc ſublimior, & perfectior quædam dici obedientia poteſt. E

Fortitudo.

XXXVIII. Sequitur tertia Cardinalium virtus, dicta fortitudo, quæ in appetitu verſatur iraſcibili, qua ita ſe animus in rebus aſperis ac terribilibus gerit; ut nec per inordinatum quem illæ incutiunt timorem, nec per inordinatam audaciam in aliquo rectæ rationis præſcriptum excedat. Adeò ut, prout ratio dictarit, modò ſe in his rebus ſubtrahendo, modò in apertum prodeundo, ſemper cum virtute operetur. Virtus hæc uti dictum eſt, in appetitu verſatur ſenſitivo, & in parte iraſcibili; & paſſiones ſpei, audaciæ, & timoris regit. Ordinariæ ejus partes ſunt alias virtutes defendere, propter quas animus adverſus difficultates inſurgentes corroboratur. Virtutis hujus materia ſunt omnia aſpera, & terribilia, quæ, ut virtutum officia, & actus exerceantur, ſuperanda ſunt; ſed propriiſſima, & principalis ejus materia ipſa mors eſt, quæ omnium terribilium, & ultimum, & terribiliſſimum haberi ſolet.

Ubi verſetur? F

Martyrium actus fortitudinis.

XXXIX. Inter reliquos virtutis hujus actus ipſum martyrium eſt; ad quod ſe boni Religioſi diſponere debent, difficultates, & vanos carnaleſque timores, quò virtutum actus exerceantur, ſuperando, & piam quamdam ad res arduas, & terribiles ex amore Dei faciendas audaciam exercendo. Hi ſunt, G qui verè eos ad miſſiones, in quibus pro Chriſti fide patiendi plurimæ occaſiones occurrunt, præparant.

Partes potentiales fortitudinis, quae? *S. Thom.* 2. 2. q. 129. & *alibi*.

XL. Fortitudo nullas ſpecie diſtinctas ſub ſe virtutes complectitur; ſed multas ſibi annexas habet, quæ partes vocantur potentiales. Sunt autem hæ: Fiducia, Magnanimitas, Securitas animi, Magnificentia, Patientia, Longanimitas, Perſeverantia, Conſtantia. Vocantur hæ fortitudinis partes, ob eam quam cum ipſa habent ſimilitudinem, & conjunctionem, etſi alioquin ad ejus excellentiam non perveniant.

Fiducia, quae virtus?

XLI. Fiducia virtus eſt, quæ animum perficit, ut is magnam quamdam promptitudinem in arduis rebus, citra mortis periculum tamen, ſuſcipiendis præferat. H Magnanimitas circa res magnas animum perficit præſertim in materia honoris, quem aut procurat, aut contemnit, prout id ratio dictarit. Securitas animum quietat, & adverſus moleſtias, & curas anxias, quæ è timore naſcuntur, corroborat. Magnificentia animum ad ſumptus magnos, prout eos ratio con-

Magnanimitas.

Securitas.

Magnificentia.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

Patientia.

Longanimitas.

A

Perſeverantia?

conformes judicarit, præſtandos diſponit; fortitudinemque in eo imitatur, quòd illam quæ in magnificis impenſis faciendis latet, arduitatem difficultatemque ſuperet. Patientia animum adverſus mœſtitiam confortat, & confirmat ne hac ipſe paſſione oppreſſus, operari ceſſet, prout operandum ratio ſuaſerit: Longanimitas animum perficit, ut ad futura, quæ diu differuntur, ſine afflictione ulla, & dejectione ſperanda ſeſe extendat. Perſeverantia facit, ut animus, non obſtante temporis diuturnitate, in virtutis alicujus ſtudio exercitiove firmus perſeveret, donec aut eam aſſequatur, aut opus aliquod bonum cœptum ad exitum perducat. Virtus hæc diverſum quid eſt à magno illo, & ſupernaturali perſeverantiæ dono, quod quædam divinæ gratiæ eſt conſervatio, & operum bonorum ad uſque vitæ finem continuatio. Conſtantia * animo dat, ut in bono adverſus difficultates vel impedimenta occurrentia conſtanter infracteque perſiſtat, adeò ut Perſeverantia cum temporis diuturnitate, Conſtantia cum ingruentibus durante illo tempore impedimentis decertet.

**Euphychia eadem eſt cum Conſtantia.*

Partes integrales fortitudinis, quae?

B

XLII. Sunt etiam quædam partes integrales fortitudinis; multæ inquam perfectiones, quas veræ fortitudinis opus vel actus habere debet; quæ perfectiones per ea ipſa virtutum numero ſuperiori productarum nomina exprimi, & denotari queunt, adeò ut actus fortitudinis ita compoſitus, & perfectus ſit oporteat, ut is, & fiducialiter, & magnanimiter, & ſecurè, & magnificè, & patienter, & longanimiter, & perſeveranter, & conſtanter peragatur. In haſce Religioſi noſtri partes ſingulari quadam contentione neceſſe eſt incumbant, quò difficilia, & ardua opera, quaſi ſui ipſorum & totius mundi domini, & ſuperiores ſuſcipiant; idque ad Beatæ Matris noſtræ Tereſiæ, quæ generoſiſſima quadam ad res arduas; & terrorem inferre natas aggrediendas prædita erat fortitudine, imitationem.

S. M. Tereſia.

C

Temperantia, & ejus ſedes.

XLIII. Sequitur quarta Cardinalis virtus Temperantia, quæ in appetitu concupiſcibili ſita eſt, & ejuſdem appetitus paſſiones (quæ circa ea, quæ corpori ex ſenſu tactus delectabilia ſunt, in ipſo cibi, potus, & actuum venereorum uſu occupantur) regere vel moderari ſatagit. Nota nullam propriè virtutem circa delectabilia aliorum ſenſuum objecta aſſignari, quòd reliquorum ſenſuum actus bonitatis vel malitiæ moralis rationem non habeant, niſi tantum accidentaliter, in quantum ad aliquod objectum ſenſus tactus, vel ad aliquarum paſſionum objecta referuntur.

Partes temperantiae integreles, quae?

D

XLIV. Temperantia alias habet partes integrales, alias ſubjectivas, alias verò potentiales. Integrales (illæ inquam, quæ certæ quædam perfectiones ſunt, in virtutis hujus actibus relucentes) ſunt duæ, Honeſtas, & Verecundia. Honeſtas quædam eſt perfectio, quæ in illa decentia vel decoro, quod operi Temperantiæ debetur, conſiſtit, inde oriens, quòd in opere illo quidam turpitudinis, quæ honeſtati contraria ſit, perſpicitur horror. Verecundia quidam eſt timor in rebus turpibus committendis. Duæ hæ perfectiones Religioſos noſtros quàm maximè decent, & propriæ ſunt utpote Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quæ omnis honeſtatis exemplar eſt, filios; atque idcirco quidquid impurum eſt, maximopere deteſtari debent.

Species temperantiae, quot?

E

XLV. Partes ſubjectivæ, vel potiùs ſpecies Temperantiæ, ſunt quatuor, ſcilicet, Abſtinentia, Sobrietas, Caſtitas (quæ, & alio nomine pudicitia dicitur) Virginitas. Abſtinentia cibi; Sobrietas potus uſum, ex rationis præſcripto, temperat. Bonus eorum uſus in quadam ſitus eſt mediocritate, perſonæ, operibus, & laboribus corporis proportionata, & conveniente. Multis de cauſis, ac præſertim ob continuum orationis exercitium (quod cum cibi exceſſu ac potus intemperantia conſiſtere nequit) Religioſi noſtri harum duarum virtutum ſtudioſiſſimi ſectatores eſſe debent, & cultores diligentiſſimi. Caſtitas, pulcherrima quædam virtus eſt, inordinati voluptatis venereæ uſus moderatrix. Virginitas denique perfecta quædam eſt Caſtitas, quæ facit, ut homo, firmo quodam propoſito, ab omni actu venereo, etiam qui licitus eſt (qualis eſt conjugalis) abſtineat, & perfectam integritatem, & puritatem corporis, quæ per corruptiones voluntarias, non autem violentas deperditur, conſervet. Aliud autem de virtutibus hiſce Angelicis dicendum hic non eſt, quàm eſſe has Religioſis quàm maximè proprias, atque ad virtutem religionis, vel latriæ pertinere, in quantum ſe per votum ſolenne, tanquam præſtans quoddam ſacrificium Domino conſecrant. Neque verò dubitandum, quin Religioſi, qui peculiares Beatæ Virginis ſunt filii, ſingulari quodammodo, ratione tam eximiæ filiationis, puritatem corporis colere debeant. Adverte porrò, caſtitatem pudicitiæ nomine dici, in quantum externa impuritatis ſigna, & argumenta (verbi gratia, oſcula, tactus, &c.) prohibet.

Caſtitas, quae virtus?

F

G

Partes temperantiae potentiales, quae?

XLVI. Potentiales Temperantiæ partes ſunt, virtutes quædam ei affines, vel ſimiles, in inordinatis appetitibus circa res aliquas delectabiles, tametſi non adeo vehementes (verbi gratia, circa delectabilia tactus objecta) verſantibus refrenandis ſitæ. Virtutes hæ ſunt octo: videlicet continentia, manſuetudo, clementia, modeſtia, humilitas, ſtudioſitas, eutrapelia, parcitas, vel ſimplicitas, vel moderatio.

Continentia, quae virtus?

H

XLVII. Continentia virtus eſt, quæ inordinatos voluntatis motus (quos paſſionum appetitus ſenſitivi, à quo voluntas ad ea, quæ rationi contraria ſunt, movetur, impulſus cauſatur) refrenat. Perfecta autem hæc virtus non eſt, quia non efficit, ut paſſionum impulſus omnino tranquillentur, ſed tantum ne ab illarum impetu voluntas ſuperetur. Etſi verò continentiæ nomine uti ſoleamus ad caſtitatem, vel virginitatem ſignificandam, unde ipſos caſtos vocamus continentes, in hoc tamen ſenſu illam hoc numero non accipimus.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

Manſuetudo.

XLVIII. Manſuetudo virtus eſt, in parte iraſcibili ſita, & à qua ira temperatur. Hæc diſcipulorum Chriſti imprimis propria eſt, qui, dum injuriis afficiuntur, inſtar agnorum manſuetè ſe gerere debent.

Clementia.

A

XLIX. Clementia virtus eſt, quæ mediocritatem in puniendis, caſtigandiſve culpis ſervandam præſcribit. Hæc rectorum & ſuperiorum propria eſt; ad ejus autem effectum permultum ipſa confert manſuetudo, virtus namque, quæ iram internam temperat, conſequenter etiam juvat, & conducit, ut caſtigationem exteriorem homo moderetur. Unde fit, ut harum duarum virtutum nomina indifferenter, & promiſcuè uſurpentur vulgo.

Ad duas has virtutes acquirendas uſui & auxillo erunt illa iræ curandæ remedia; quæ in Tractatu de paſſionibus producta ſunt.

Modeſtia, quae virtus & ejus partes.

B

L. Modeſtia virtus eſt, quæ actuum noſtrorum, ac præſertim exteriorum, moderationem ſpectat & præſcribit. Virtus hæc tres habet partes. Bonam ſcilicet in actibus externis ordinationem, ut nimirum hi fiant, vel non fiant, & eo ordine fiant, quo par eſt: deinde ornatum, ut ſcilicet hi ipſi actus decenter fiant: demum auſteritatem, ut ſcilicet curet homo, ut quamdam ſua cum amicis, aliiſve hominibus colloquia maturitatem ipſis perſonis, ac rebus conſentaneam præferant. Virtus hæc domus Dei decorum eſt, quod in Religioſis bene moratis compoſitiſque maxime cernitur, ac præſertim in oculorum moderatione (quæ dicitur vulgo Modeſtia) vel linguæ, quam vocant ſilentium. Atque hæ duæ modeſtiæ partes ſunt, quas infinitis Sancti omnes laudibus extulerunt.

Humilitas, & ejus ſedes.

C

Gradus humlitatis enumerantu.

D

LI. Humilitas virtus eſt, quæ in iraſcibili parte conſiſtens, ſpei & audaciæ paſſiones ita regit, ac moderatur, ut quis plus ſibi, quam ſibi reipſa conveniat pro dignitate perſonæ ſuæ, aſcribi nolit. Duodecim humilitatis gradus, aut potius ſigna enumerari ſolent. Primum eſt ſemper cum corde, tum oculis in terram dejectis humilitatem præferre. Secundum, pauca loqui, eaque rationi conſentanea, & ſine ullis clamoribus. Tertium, non eſſe in ridendo facilem ac levem. Quartum; tacere, donec ab alio interrogeris. Quintum, regulam, vel communem monaſterii obſervantiam ſequi. Sextum, omnium ſe viliſſimum credere. Septimum, indignum ſe, & inutilem ad quæcunque, ſi propriæ vires inſpiciantur, reputare. Octavum, proprias culpas confiteri. Nonum, patienter & prompte in rebus arduis, ac difficillibus obedire. Decimum, ſuperioribus ſe ſubiicere. Undecimum, propriam non libenter voluntatem facere. Duodecimum, Deum timere, ejuſque mandatorum recordari. Hi humilitatis gradus non ſunt proprii gradus, intra ipſam virtutis hujus eſſentiam conſiſtentes, ſed ejuſdem tantum ſigna vel effectus, quos in regulam ſuam ſanctus Benedictus retulit. Virtutis hujus laudes innumerabiles ſuut, & accuratum ejuſdem ſtudium ſcholæ Chriſti quam maximè proprium eſt.

Studioſitas, quae virtus?

LII. Studioſitas virtus eſt, ſciendi deſiderium moderans, quæ ſcilicet efficiat, ut aliud homo ſcire nolit, quam quod ſibi conveniat, & eo modo, quo conveniat ſcire. Virtus hæc Religioſis, vitæ contemplativæ deditis utiliſſima eſt, cuique curioſitas quam maximè nocet.

Eutrapelia, quae virtus?

E

LIII. Eutrapelia virtus eſt, quæ debitum ac convenientem in ludis, & honeſtis recreationibus, quæ ad decentem animi relaxationem adhibentur, modum, & moderationem ſervat. Circa hanc virtutem notandum eſt, multos Dei ſervos hac iis in rebus uti, quæ aliis ignorantibus, & parum illuminatis non videntur actus virtutum eſſe.

Parcitas, quae virtus?

LIV. Parcitas, vel ſimplicitas, vel moderatio virtus eſt, qua rebus exterioribus corporis, puta veſtibus, ornatu, &c. homo moderatè utitur. Vocatur autem Parcitas, in quantum ſuperflua fugit; ſimplicitas, vel moderatio, in quantum his in rebus exquiſita, & eminentia nulla quærit.

Theologales virtutes, quot?

F

G

LV. Sequuntur jam virtutes Theologales, Fides, Spes, Charitas, quæ cæteris omnibus excellentiores ſunt, & digniores. Fides virtus eſt, qua intellectus, in quo hæc eſt, ita firmiter, etſi inevidenter, aſſentitur omnibus, quæ illi Eccleſia proponit, ac ſi ſibi à Deo revelata eſſent. Magnam virtus hæc in bonorum Religioſorum animis facere impreſſionem debet, ad terrena omnia diſpicienda, idque per ipſam æternorum, quæ per fidem nobis revelata ſunt, æſtimationem. Ipſa quippe myſteriorum ſacrorum lectio, prophetiarum & veritatum, quas prædictas eſſe videmus, conſonantia, Martyrum fortitudo, Doctorum concordia, miracula, multaque alia id genus puncta, ſi quando attenta conſideratione recoluntur, ingentem animo conſolationem adferunt, eumque ad fidei confeſſionem faciendam maximopere corroborant. Unde etiam conſultum, & utile imprimis eſt, prædictorum punctorum meditationi Religioſos ſedulò incumbere. Hanc boni Religioſi vitutem exercere debent, divinæ auctoritati ſe magna conſtantia, reverentia, humilitate, quando ordinarios fidei actus exercent, ſubmittere procurantes.

Spes, Theologalis virtus.

H

LVI. Spes virtus eſt, qua voluntas erga Deum; in quantum ipſe noſtra beatitudo, movetur, quæ quidem beatitudo ad conſequendum ſit difficilis, ita tamen difficilis, ut per divinum auxilium, & per media à Deo ipſo ad eam conſequendam inſtituta difficultas hæc expugnari, & ſuperari valeat. Virtus hæc magni fieri, & inprimis exerceri debet, maxime ut in mortis articulo, & aliis periculis gravioribus, in hac vita occurrentibus, præparati inveniamur, in illis namque neceſſitatibus animam optimè in ſpe fundatam eſſe oportet, ſi perire nolit. Exercetur autem, ſi fortiſſimos ejus actus faciamus, & divinæ miſericordiæ, ac meritis Domini noſtri Jeſu Chriſti innitendo, certam quandam fiduciam concipiamus, gratiam nobis ab ipſo, ad bona opera, vitæ æternæ meritoria, facienda datum iri.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

Charitas virtus Theologalis; omnium virtutum regina.

A

Ejus effectus enumerautur.

LVII. Charitas virtus eſt, qua ſummum bonum, quod beatitudinis noſtræ ſupernaturalis objectum eſt, voluntas diligit. Hæc vitutum omnium regina eſt, atque earum ita forma appellatur, ſicut lux forma dicitur colorum, qui ut ſine luce quodammodo mortui ſunt, ita ſine charitate reliquæ virtutes. Nobiliſſima autem hæc virtus eximios habet effectus, videlicet gaudium ſpirituale, pacem, miſericordiam, quæ etiam diſtincta virtus eſt, & ejus actus per charitatis motionem imperiumque producitur. Miſericordiæ objectum aliena miſeria eſt, in quantum ea juvabilis eſt, & levari per effectum (id eſt, auxilium ipſius miſericordiæ) poteſt. Beneficentia etiam inter charitatis effectus numeratur, quæ aliud non eſt, quam exterior quædam actus interni charitatis erga proximum reipſa executio. Similiter, & fraterna correctio, & Eleemoſyna inter ejus effectus recenſentur. Magnæ hujus virtutis actus ſunt duo, Amor videlicet erga Deum, & erga proximum propter Deum.

Amor Dei, & proximi actus virtutis hujus.

B

LVIII. Circa excellentiſſimam hanc virtutem; quo ad ejus praxin notent homines ſpirituales, non mediocrem, & noxium in primis ſe commiſſuros errorem, ſi ea non bene uterentur. Tum vero bene ea utentur, ſi ſæpe ſuum verſus Dei bonitatem, & amabilitatem cor ſuſtollant, eum propter id, quod in ſe eſt, magnificando, & amando, & omnes alios reliquarum virtutum actus ad hunc ipſum finem dirigendo, ut hi per charitatis ipſius directionem ſint actus formati, & majoris gratiæ ac gloriæ meritorii.

TRACTATUS

DE TRIBUS STATIBUS,

Aut gradibus, videlicet Incipientium, Proficientium, & Perfectorum.

C

S. Tho. 2. 2. qu. 24. a. 9.

Incipientium ſtatus.

D

Proficientium.

Et perfectorum.

E

Dubium I. An bona, & ſufficiens ſit illa ſtatuum diviſio, quæ dari communiter ſolet, in Incipientium videlicet, Proficientium, & Perfectorum? Reſpondeo, quòd ſic, quia ipſi Sancti hanc ſtatuum, aut graduum diviſionem communiter aſſignarunt, juxta triplicem charitatis, cujus adminiculo ad vitam æternam tenditur, gradum. Atque hæc diviſio pro varietate ſit ſtudiorum & exercitiorum, in quibus homo, qui divinam charitatem habet, occupatur. Primum ſtudium, vel exercitium convenit incipientibus, qui nimirum jam ad Dominum converſi, & eum jam per charitatis in juſtificatione infuſæ virtutem amare incipientes, maximè dant operam, ut à peccatis ſeſe ſubducant, & concupiſcentiis ſuis violentis adverſus charitatem Dei militantibus reſiſtant. Secundum ſtudium, & exercitium proficientium eſt, qui hoc potiſſimum intendunt, ut in charitate, & conſequenter in aliis virtutibus, aliquem progreſſum ſemper faciant; cùm à vitiis, & concupiſcentiis non adeo oppugnentur, ut incipientes. Atque ideo, ad virtutes conquirendas, & charitatem, quam in ſtatu incipientium habebant, adaugendam longè ſunt expeditiores. Tertium ſtudium vel exercitium in perfectos cadit, qui hoc præcipuè curant, ut Deo ſe uniant, eoque fruantur: cùm per vitiorum expugnationem, & virtutum comparationem, ſublimem quemdam pacis, & amoris gradum ſibi jam adepti ſint, qui ad divinam unionem ac fruitionem nunquam non aſpirat.

Via purgativa notata.

Illuminativa.

F

Et unitiva.

Dubium II. Num tribus hiſce charitatis gradibus reſpondeant tres illæ viæ, vulgo dictæ Purgativa, Illuminativa, & Unitiva? Reſpondeo quod ſic. Purgativa namque incipientium eſt, quorum præcipuum ſtudium eſt, ſeſe à pravorum habituum, & inordinatorum appetituum vitæ ſuperioris fæcibus purgare, & emundare. Illuminativa proficientium, eſt quorum ſtudium omne in veris animæ luminibus (quæ ſunt nimirum virtutes cum majori Dei cognitione conjunctæ) conquirendis conſiſtit. Unitiva perfectorum eſt, qui Domino vacare, & arctiſſimè illi ſe conjungere ſemper, quà poſſunt, conantur.

Quaenam exercitia conveniant incipientibus?

Quae proficientibus?

G

Quaeque perfectis?

Auimadverſio.

H

Quid ſi proficiens vel perfectus i[n] peccatum labatur?

Dubium III. Num ſupradictis illis tribus gradibus diſtincta reſpondeant exercitia, principali uniuſcujuſque illorum ſtudio proportionata? Reſpondeo, affirmando: quia incipientium gradui ea conveniunt exercitia, quæ apta ſunt animam purgare, uti ſunt exercitia pœnitentiæ, & orationis circa quatuor noviſſima, & damna, quæ ſibi peccatum attulit, verſantis, ut hoc ſe pacto in Dei timore magis ſolident. Proficientium gradui conveniunt exercitia ad illuminandum idonea, uti ſunt meditationes de vita, & paſſione Chriſti Redemptoris, nec non uſus mediorum, quibus virtutes cum ipſomet Chriſto, exemplari noſtro, nos configurantes comparantur. Gradui perfectorum exercitia conveniunt contemplandi, & divinam majeſtatem amandi, nec non uſus orationum jaculatoriarum, aut aſcenſionum cordis, quæ omnia animam Deo uniunt. Nota, quando proficiens vel perfectus aliquis in peccatum mortale labitur (quod fieri poteſt, ſicut exempla ſacræ Scripturæ nos docent) non eum propterea exercitiorum ſuorum methodum, & curſum mutare debere, ad ea, quæ incipientium ſunt, redeundo, ſed aliquot, peccato ſuo plangendò, dies eum impendere, & pœnitentiam, prout ſpirituali ejus directori videbitur, agere, ac rurſus ordinarium ſuum curſum reſumere debere: cum qui ſic labitur, ut plurimum poſtea majori, quam ante habebat, fervore reſurgat. Imo quamvis lapſus ſit, non propterea virtutum comparatarum habitus perdidit, nec propter unum aut aliquot actus peccandi talem habitum rurſus contraxit, ut propterea ad viam purgativam eum denuo redire neceſſe ſit. Quod exempla SS. Petri, & Thomæ Apoſtolorum, & multorum aliorum con-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

confirmant, qui quamvis curſum ſuum peccando aliquantiſper interrumpant, non propterea in proficientium, vel perfectorum via ulterius pergere deſinunt; ut taceam, ipſis Dei electis tales lapſus ut plurimum occaſionem eſſe, ut poſtea ſolidè ſe in proficientium, vel perfectorum ſtatu confirment. A Quod inprimis notandum eſt.

Trium praedictarum viarum ſtatus apta comparatione notatus.

Dubium IV. Num tres illæ viæ vere tantum una ſint, vel tres? Reſpondeo, eas vel tres vias, vel unam in tres partes diſtinctam vocari poſſe. Sicut ſi, verbi gratia, via, quæ è Tuſculo Romam ducit, ita diſpoſita foret, ut in principio ejus multi occurrerent latrones, cum quibus viatori pugnandum eſſet: & in ſecunda ejus parte non tam multi eſſent, ſed è contra magna auri copia, & multi illuſtres honores repoſiti eſſent viriliter in cœpta via pergenti, cui etiam minus impetito multa horum colligere liceret: in tertia denique Romæ Proxima elegantiſſimi occurrerent horti, & fontes, in quibus viator requieſcere, & ſuaviſſimo, jucundiſſimoque Sanctiſſimi Domini ſui Pontificis colloquio gaudere poſſet. Harum viæ B partium prima gradui reſpondet incipientium & viæ purgativæ: ſecunda ſtatui proficientium, & viæ illuminativæ: tertia ſtatui perfectorum, & viæ unitivæ: Denique civitas ſancta feliciſſimo gloriæ ſtatui ex æquo reſpondet.

Tres gradus diverſi in caritate.

Dubium V. Quomodo una via ſpiritualis tam differentia habere poteſt exercitia, ut quoad hanc partem viæ materiali diſſimilis eſſe videatur? Reſpondeo, id optimè ſimul poſſe conſiſtere: quod clariſſimè è Sanctorum doctrina colligitur, dum hanc trium graduum differentiam in una eademque caritate aſſignant, quæ tamen una in ſpecie virtus eſt. Adeo ut una eademque virtus alio, quando incipit, exerceatur modo, dum vero creſcit, alio, alio denique, dum magna C & perfecta eſt; quemadmodum unus & idem homo alio in infantia, vel pueritia ſe gerit modo, alio in juventute, alio etiam in ætate virili; & eſto magna ſit horum inter ſe graduum differentia, unus tamen, & idem eſt homo. Sunt itaque in incipiente, proficiente, perfecto unæ eædemque in ſpecie virtutes, charitas, patientia, humilitas, &c. etſi maxima in illis ſit graduum differentia.

Dubium VI. Cur in tribus ſtatibus ſuprà aſſignatis ſecundi illi ſolum proficientes dicantur; cum etiam incipientes vere realiterque in charitate progreſſum faciant, & ,cur ſimiliter ipſi perfecti proficientium nomine non dicantur, cum multo majorem revera hi progreſſum faciant, quam qui proprie proficientes dicuntur, cum in hac vita cer- D tus aliquis caritatis terminus viatoribus non ſit præfixus, ſed ſemper ulterius progredi poſſint, & qui plus aliis amat, uti perfecti faciunt, majorem etiam profectum faciat? Reſpondeo, ita quidem revera ſe rem habere, uti dubium propoſuit, ſcilicet ipſos etiam incipientes progreſſum facere, & perfectos maximum: ipſos tamen Sanctos iis hæc nomina ſtudiis, & exercitiis, quæ unuſquiſque pro gradu charitatis, in quo reperitur, facit, adaptaſſe, uti antea dicere memini. Juxta hanc doctrinam dicendum, ſicut, & incipientes, & proficientes, quin ipſi etiam perfecti progreſſum faciunt (licet proficere ſit proficientium ſtudium) ita etiam hos E omnes ab aliquo ſe imperfectionum pulvere purgare; etſi alioquin purgatio ſit incipientium propria. Pari, quoque ratione dicendum eſt, non perfectos tantum, ſed, & ipſos proficientes, & incipientes ſtudere ſeſe aliquo modo cum Deo unire, etſi unio ſolorum ſit perfectorum. Rei hujus ratio eſt, quia omnes hi Dominum ſuper omnia diligunt, cum ejus in ſe charitatem habeant, unde hæc eos inclinat, ut ſeſe illi uniant: & quia etiam omnes (ipſi etiam perfecti) aliquid ex hujus vitæ rebus (tametſi minimum) habent, cui per affectum adhæreſcant, & à quo ſe expurgare, & emundare ſatagunt, etſi propterea perfectæ charitatis homines eſſe non deſinant.

Incipientium, Proficientium, ac Perfectorum ſtudium.

Dubium VII. Num interdum proficientibus, & incipientibus aliqua ſint perfectorum F permittenda exercitia? Reſpondeo permitti poſſe, ſed ad breve tempus tantum, puta in feſtis Natalitiis, & in Pentecoſtes, quæ tota uni amori (qui proprium perfectorum exercitium eſt) deſtinata videntur. His in occaſionibus ſua incipientes exercitia aliquantiſper etiam ſeponere, unique divino amori intendere par eſt, communi Eccleſiæ ſenſui, quæ illis temporibus divini amoris incendio tota, & penitus flagrare videtur, ſe accommodando. Ipſi è contra perfecti non raro ad incipientium deſcendere exercitia per auſteras pœnitentias intimum de peccatis dolorem, & uberes lacrymas ſolent, perinde ac ſi ſua haſtenus peccata non planxiſſent. Porrò magiſtri profectum, quem faciunt diſcipuli, diligenter notent, quo exercitia proportiona- G ta illis præſcribant, ne aut nimis diu eos in via purgativa detineant, aut vice verſa nimis accelerent, quo ad illuminativam eos perducant. Notandum, quatuor, aut ſex viæ purgativæ colendæ ut plurimum menſes ab aliquibus præſcribi. Sed regula hæc incerta eſt, etſi in Ordine noſtro ſimilibus regulis uti conſultum ſit, cum purgativæ & illuminativæ exercitia ſimul dentur: utile autem fuerit, aliquot jam à principio vocationis menſibus tranſactis ipſa illuminativæ exercitia liberius præſcibere. Illuminativæ etiam certum aliquod tempus præſcribere penitus impertinens eſt, quia res incerta eſt, ſed hoc tantum dico, in virtutibus, & luce, & cognitione Dei progreſſum ſemper faciendum. Vnitivæ denique certum tempus præfigi non debet, cum quoddam hæc æter- H næ unionis ſit initium. Sed cum manifeſte jam appareat, Religioſum aliquem multum ſibi virtutum continua longaque paſſionum mortificatione collegiſſe, & magnam Dei ſibi lucem, & præclarum erga divina affectum comparaſſe, non inutile fuerit, plenam illi poteſtatem facere, ut in unitiva

Tempus viae purgativae praeſcribitur.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

ſeſe exerceat, modo interim non obliviſcatur, & negligat in duabus præcedentibus viis ſeſe perficere.

in 3. part. quaeſt. 89. art. 2. ad 3.

A

Dubium VIII. Num incipiens aliquis altiorem intenſioremque habere charitatem poſſit, quam proficiens? Reſpondeo, poſſe, uti docet ſanctus Thomas. Adeo ut, quamvis hæc gratia, & charitas in uno eodemque homine major ſit, dum eſt incipiens, quam dum proficiens, nihilominus in nonnullis hominibus longè ſecus fiat; adeo ut nonnulli à longè intenſiore incipiant charitate, quàm habent alii, quando jam ſunt proficientes. Quod imprimis quoad vitam monaſticam notandum eſt: Multi enim in pueritia habitum, & veſtem religioſam aſſumunt, nondum gravibus ullis peccatis perpetratis, & hi lentè progredi ſolent, ut qui ſe magnis debitis gravatos non ſentiunt: atque idcirco modicum, & mediocrem profectum faciunt. Cum verò graves peccatores, & viri provectioris ætatis monaſticæ ſe addicunt, quòd ſe ſcelerum plagis vulneratos ſentiant, majori niſu, & contentione remedium iis quærunt. Atque ideo in principio hi magis, & ardentius Deum amare ſolent, quàm illi priores poſt multos exercitiorum monaſticorum annos, & nihilominus hi incipientium, & primi proficientium exercitia frequentant: quia hi, tametſi majorem habeant charitatem, non ideo tamen ſuperioris vitæ vitiorum habitus, & paſſiones inſolentes, vivaſque habere deſinunt, quarum occaſione viæ purgativæ eos diligentiſſimè neceſſe eſt incumbere, & intendere.

Converſorum peccatorum progreſſus.

B

Dubium IX. Num immediatè quis à ſtatu peccati ad tertium gradum, & viam unitivam tranſire poſſit? Reſpondeo poſſe, uti docet ſanctus Thomas, dicens, Apoſtolum Paulum jam inde à juſtificationis ſuæ initio ad perfectam quamdam juſtitiam à Deo promotum fuiſſe. Quod etiam in aliis nonnullis deinde Deum feciſſe veroſimile ſit. Sed id miraculoſum eſt, & à communi, ordinarioque in via ſpirituali procedendi modo devians. Notandum nihilominus, hoſce privilegiatos, quamvis ſint perfecti, ipſa viæ purgativæ, & illuminativæ exercitia modo quodam excellentiori, quàm ſit ordinarius, facere; uti exemplo eſſe poteſt Apoſtolus Paulus qui caſtigabat corpus ſuum, & virtutum acquiſitioni, & augmento modo quodam Apoſtolico attendebat.

1. 2. quaeſt. 113. art. 1.

C

Paulli ſtatim converſi ſtatus, qualis?

Dubium X. Num in tribus his charitatis gradibus diverſæ ſint deſolationes, & tentationes? Reſpondeo, diverſas eſſe, pro ſtudiorum diverſitate, adeò ut incipientes circa illarum rerum, in quibus peccarunt, materias graviter tententur, & affligantur, & vehementes quoſdam erga res ſæculi impulſus ſentiant, quos mali, quos habent habitus cum paſſionum vehementia, tum novæ vitæ, quam iniere, difficultas cauſare ſolent. Proficientes verò à tepore, languore, curioſitate, zelo indiſcreto, aliiſque ſimilibus rebus tentari conſuevere. Perfecti deniquè à propria ſuiipſorum æſtimatione, proprio judicio, aliiſque hujuſmodi punctis, idque occaſione excellentiæ virtutis, tentantur. Nihilominus videre eſt non rarò, provectos ab incipientium, & è contra hos ab illorum tentationibus impeti. Quod mirabili divinæ ſapientiæ diſpoſitione contingere ſolet, quæ provectos in humilitate continere vult, quorum nimirum tentationes, velut extrinſecus adhæreſcentes ſunt, non verò ab intrinſecus enaſcentes, ad majus ſcilicet tentatorum bonum.

D

Incipientium tentationes, quae?

Proficientium quae? & Perfectorum?

E

Dubium XI. Num diverſæ ſint in tribus hiſce gradibus conſolationes, & illuminationes? Reſpondeo eſſe: adeò ut, ſicut verè quidam ſunt gradus charitatis ab invicem diſtantes, ita & favores divini ſint unus ab altero diſcrepantes: nam favores incipientium quædam ſunt velut blanditiæ, & delinimenta parvulorum, proficientium, altiùs quid, perfectorum, dona ſunt altiſſima. Etſi verò magna inter hos tres gradus ſit perfectionis diſtantia, aliqua tamen etiam inter eoſdem eſt ſimilitudo, quæ hoc loco imprimis notanda eſt. Multi quippè incipientes, dum vitas Sanctorum, & Sanctarum legunt, & tamen ſufficientem lucem non habent ad perfectionis differentiam notandam, atque, prout oportet, æſtimandam, graviſſimè errant, dum ſibi perſuadent, tali ſe à Domino conſolationes, & illuminationes modulo accipere, quo Sancti, & Sanctæ ſolent; ſupradictam ab invicem diſtantiam, occaſione alicujus ſimilitudinis, vel ex errore, vel ignorantia, non advertentes. Aliqua, fateor, hic non rarò ſimilitudo eſt, ſed talis, qualis inter flammulam lucernæ, & Solis jubar eſt: hæc enim in eo invicem ſimilia ſunt, in quantum ambo illuminant; maxima tamen inter utriuſque lumen differentia eſt. Unde incipientes nonnulli, nullam adhuc maximæ illius perfectorum lucis experientiam, & notitiam habentes, quando vel aliquem radiolum (qui nonniſi inſtar flammulæ lucernæ eſt) accipiunt, graviſſimè falluntur, ipſam ſolis ſe lucem accipere exiſtimantes, quod ab admiratione, quæ cum ignoratione favorum perfectis dari ſolitorum conjuncta eſt, naſcitur. Quod enim radius hic lucis cujuſdam ſuperioris ſit, cui nihil in hac vita comparari poſſe videatur, ſummoperè eo recepto obſtupeſcunt, & eum de illuſtrium illorum favorum Sanctis datorum numero eſſe credunt, cum tamen vix de minimis ſit.

Eorum favores, quales?

F

G

Dubium XII. Num aliqua ſint in via perfectionis in tres gradus ſupra dictos diviſæ profectus, vel progreſſus indicia, vel ſigna? Reſpondeo eſſe: &, multis, quæ parum utilitatis lectori allatura videntur, omiſſis, dico, in omni virtute (tam charitate, quam alia qualibet) tres quodammodo poſſe gradus diſtingui. Primus, firmum quoddam propoſitum eſt, quo quis ſecum ſtatuat, in omnibus, quæ ſeſe offerunt, in ea virtute operandi occaſionibus, operari. Secundus eſt, ipſa his in occaſionibus, fortitudo, & conſtantia, ut quamvis difficultatem in operando ſentiat, ipſam tamen effectu per virtutis æſtimationem

H

Tres gradus in omni virtute diſtinguatur.

&

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

& amorem tranſiliat. Tertius denique, illos virtutis actus, qui primò amari, & aſperi erant, magna cum facilitate, & voluptate exequi. Quando ergo aliquis Dei ſervus advertit, non modò habere ſe reſolutam firmamque ad virtutis actus exercendos voluntatem, verùm etiam omnes ſe difficultates perrumpere, & amaritudinem perferre, ſeipſum revera vincendo, quo ex virtutis præſcripto operetur, probabili conjectura credere poteſt, aliquem ſe jam in divina gratia progreſſum facere. Denique cum hanc ipſam virtutem ſibi facilem, & ſuavem, poſt primam illam difficultatem, & aſperitatem, quam ſenſerat, reddi videt, multò etiam majori cum ratione, & fundamento judicare jam poteſt, divina ope magis ſe jam profeciſſe.

A

Dubium XIII. Num in hac conjectura, vel judicio aliqua intervenire poſſit deceptio? Reſpondeo poſſe: ſæpè namque evenit, ut blandè ſuaviterque Deus incipientes habeat, eos & conſolando, & illuminando, atque corroborando, ut viam univerſam ipſis complanare videatur: quibus, quamdiu hæ deliciæ, & conſolationes durant, nulla prorſus in mundo eſſe videtur difficultas, quæ aliquod iis afferre faſtidium poſſe videatur, atque adeo ipſa virtutum exercitia ſuavia judicant, uſque eò, ut talia hi propemodum in ſeipſis experiantur ac videant, qualia provectis obveniunt, quibus nimirum virtus poſt frequentes victorias reddita ſuavis, & dulcis. Verum errant: illa namque ſuavitas, quam in operibus virtuoſis exercendis ſentiunt, non eſt ipſorum progreſſui aut victoriis, quas jam retulere, aſcribenda, ſed quia clementiſſimus Deus per has conſolationes, & ſenſibiles confortationes, paſſiones ipſorum conſopit, atque inde fit, ut ipſis difficultas omnis dulceſcat, & ſuavis reddatur, ſed revera talem nondum progreſſum fecere, ut jam in ipſo ſint provectorum gradu. Quod evidenter patet. Mox enim ut blanditiæ illæ infantiæ ſpiritualis abierint, paſſiones denuò invaleſcere, & violenter inſurgere incipiunt, ut jam novitii hi tirones facilè advertant, nondum ſe provectos, nec in veris, & ſolidis virtutibus fundatos eſſe. Quando tamen viriliter paſſionibus vehementius inſurgentibus reſiſtunt, majorem communiter progreſſum faciunt, quam quando ſuaviter blandeque à Domino habebantur, ſeque credebant, & Deum ipſum, & virtutum honeſtatem ſummo amore proſequi.

B

Virtutum exercitia ſuavia.

C

Dubium XIV. Num perfecti, quorum exercitia propria ſunt amoris, & contemplationis, qua divinitatem contemplantur, omnem rerum corporalium imaginem à ſe repellere debeant? Reſpondeo, non debere eos ſe in totum imaginibus humanitatis Chriſti, cujus ſæpè meminiſſe debent, privare, cum & perfectiſſimi quique omne ſuum tempus rerum intellectualium conſiderationi non impendant, ſed ſubinde ipſa humanitatis Chriſti myſteria conſiderent, quod Chriſtus Dominus omnis perfectionis ſit dux, & exemplar. Non inutile quoque foret, interdum aliquantulum temporis Beatiſſimæ Virgini, & Sanctis colendis dedicare, ac ſemper magis, & magis in illorum imitatione ſe perficere, ita ſcilicet, ut minimè illis ſufficiat, quidquid hactenus hac in parte fecerunt. Doctrinam hanc tradit Beata Mater noſtra Tereſia, quæ hac in parte aſſeveranter admodum conſtanterque loquitur.

D

S. M. Tereſiae Doctrina.

E

Dubium XV. Num perfectis liceat interdum ſe perfectos eſſe agnoſcere, idque ſine ullo humilitatis detrimento? Reſpondeo, fas id eſſe, idque fieri cùm via quadam extraordinaria, ſcilicet per revelationem Dei (uti in ſancto Paulo contigit,) tum via non adeo extraordinaria, quando nimirum Dominus ſingulari quadam luce ſua communicata, mirabilem illos ſui facit mutationem agnoſcere, ſimul etiam lucem, & gratiam iis communicat, qua agnoſcant ſe omne illud, quod habent bonum, non à ſe, ſed à divina gratia habere: & agnoſcant id magno, & intimo quodam humilitatis, gratitudinis, amoris ſenſu, ac timore quodam filiali, qua divinam bonitatem vereantur offendere. Viatores autem ſpirituales nefas eſt curioſè ſpeculando inquirere, quonam in ſtatu vel gradu ſint, ſed ſufficit illos in via ſua ſemper intrepidè animoſeque progredi, reliquum directori ac patri ſuo ſpirituali committant, eumque ſibi ſinant exercitia præſcribere.

F

Dubium XVI. Ecquæ ſit compendioſiſſima, qua ad perfectionem perveniatur, via? Reſpondeo, humilitas, uti Sanctorum exempla ſatis declarant, adeò ut qui ſeriò, & ex animo ſeſe in omnibus rebus humiliaverit, eò citius ad altiorem perfectionis charitatis gradum elevandus ſit.

TRACTATUS

DE VITA ACTIVA,

Et Contemplativa, in quo docetur, quid ſit contemplatio?

G

QUando Sancti de his duabus vitis loquuntur, loquuntur de homine ſecundum intellectum. Dividitur autem hic in activum, & contemplativum, vel in practicum, & ſpeculativum. Practicus eſt, qui actionem aliquam exteriorem, & diverſas etiam interiores extra intellectum in finem habet, quo notitia practica, vel activa ordinatur: Speculativus eſt, qui cognitionem veritatis ut finem reſpicit, & hanc ſpectat vita contemplativa. Per nomen autem hoc vitæ illud exercitium, vel continuationem actuum ſignificare volunt, quibus quiſque noſtrum intendit: qui ſi ad contemplationem deſtinantur, vitam faciunt contemplativam, ſi autem ad actionem ordinentur, faciunt activam.

S. Tho. 2. 2. q. 179. 180. &c.

Intellectus, practicus, & ſpeculativus dictus.

H

II.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

II. Dubium I. Quinam actus ad vitam pertineant activam? Reſpondeo, huc ſpectant omnes actus virtutum moralium: hi enim omnes non ad cognoſcendum, vel intelligendum, ſed ad operandum ordinati ſunt. Adeò, ut non ſolum actuum exteriorum (uti ſunt opera manualia neceſſitatum præſentis vitæ, aliaque pia ad proximi utilitatem ſpectantia, qualia ſunt prædicare, confeſſiones excipere, docere, & alia hujus generis;) verùm etiam interiorum actuum virtutum moralium (uti ſunt actus obedientiæ, humilitatis, patientiæ, fortitudinis, caſtitatis, &c.) ſtudium, nec non exteriores harum virtutum actus vitæ activæ conveniant: denique ad eam illud ſpectat exercitium, quo paſſiones omnes, & exteriores, interioreſque ſenſus mortificantur. Eſt hoc quippè ampliſſimus quidam campus, quem non pauci magno ſuo quæſtu, & lucro ſpirituali ambulant, & in quo vice verſa alii capiuntur, & pereunt, hunc verò boni religioſi feliciter pertranſeunt, quam enim hi vitæ activæ exercent partem, nullos ea temporales reſpectus habet, ſed ſolas rationes ſpirituales, quæ magnorum, meritorum ipſis ſunt occaſio.

Vitae activae actus, qui?

A

B

III. Dubium II. Num hæc vita activa futura ſit in cœlo? Reſpondeo, quòd non: quia definet ibi omnis exterior occupatio, & ſi qui actus exteriores ibi futuri ſunt, ad contemplationis finem referentur, ac proinde ad vitam ſpectabunt contemplativam. Ipſæ etiam virtutes morales, quæ interiores actus producunt, quò hominem in hac vita reforment, tunc non hos, ſed alios ad vitam contemplativam ſpectantes actus producent, verbi gratia, virtutes, quæ jam regunt paſſiones, tunc non ad eaſdem mortificandas, ſed ad mirabilem quandam in parte inferiori, in qua paſſiones dominantur, quietem conſervandam conducent: & hæc ipſa quies ad vitam contemplativam, quæ in cœlo habetur, referetur.

Virtutes morales quos actus in patria producent?

C

IV. Dubium III. Quinam actus ad vitam pertineant contemplativam? Reſpondeo, quatuor actuum ſpecies ad eam pertinere; ſcilicet primò actus virtutum moralium, ceu quædam ad eandem diſpoſitiones, in quantum paſſiones ſerenant, & exterioribus occupationibus finem imponunt, ne ab iiſdem anima interturbetur. Secundò ipſi actus intellectus, & aliarum partium hominis, qui propriè contemplationes non ſunt, ſed præviæ tantùm diſpoſitiones, uti lectio, meditatio, conſideratio, &c. Tertiò, actus contemplationis de effectibus, & operibus divinis. Quartò, actus contemplationis de divina veritate. Tres actuum ſpecies ſunt nonniſi diſpoſitiones: quarta proprius, & principalis eſt actus, in quo vita contemplativa conſiſtit.

Vitae contemplativae actus, qui?

D

V. Dubium IV. Num vita contemplativa tota in intellectu verſetur? Reſpondeo, eſſentialiter quidem eam in intellectu ſitam eſſe, quia contemplationis actus eſt opus intellectus, ſed in affectu per ineffabilem quandam delectationem terminari, tunc quippe divina charitas per divinarum perfectionum notitiam mirabiliter inardeſcit.

Vita contemplativa, ubi verſetur?

VI. Dubium V. Num vita contemplativa continua ſit, & ſemper duret? Reſpondeo, quod ſic, ſed non uno, eodemque modo: quia alius eſt contemplandi modus in hac vita, alius in altera: in hac enim vita contemplamur ænigmaticè, in futura vero per claram Dei viſionem. Cæterum cum ſancti vitam contemplativam in cœlo etiam manere, & perſeverare docent, id in ſenſu quodam univerſali intelligendum eſt, qui nimirum tam unum, quam alterum modum contemplandi includat: quia hæc vita contemplativa nonniſi inchoatio vel imperfectus quidam contemplandi modus eſt, qui tum perficietur, cum in alium, contemplativum quidem, ſed perfectiſſimum commutabitur, ut ſi hominem, qui prius tenuis, & impotens quidam regulus erat, & deinde ad amplius, & majus regnum evehitur, ſemper regem eſſe, & perſeverare diceremus.

Contemplationis viae, & patriae diſcrimen.

E

VII. Dubium VI. Quid eſt contemplatio? Reſpondeo, contemplatio quidam eſt actus, vel potius intuitus intellectus, per quem is pure, & quiete res intelligit, vel intuetur. Quod per illam, quæ inter meditationem, & contemplationem eſt, diſtinctionem melius intelligetur. Meditatio ſiquidem eſt diſcurſus intellectus veritatem quærens, contemplatio verò eſt quietus veritatis inventæ intuitus. Adeo ut meditatio ſit velut via, contemplatio ejuſdem terminus. Nota, quod meditationem eſſe diximus viam, etiam de omnibus orationis partibus, quæ communiter in uſu ſunt, id intelligendum eſſe: quoniam per omnes has quæritur ipſe contempaltionis terminus, & ad eum tenditur. Quod facile intelliget is; qui ſupradictas orationis partes exercendo, à Deo ad veram contemplationem ſuſtollitur: neque enim ea per noſtram comparatur diligentiam, neve in ea tali modo anima operatur, quali dum orat mentaliter, ſed per ſingularem quandam Dei, animam quoties voluerit ſuſpendentis, gratiam infundi ſolet.

Contemplationis definitio,

F

Contemplationis, & meditationis diſcrimen.

G

VIII. Dubium VII. Quid eſt contemplatio divina? Reſpondeo, ea, quæ per donum Spiritus Sancti, quod dicitur ſapientia, exercetur. Ut hæc reſponſio, quæ communis eſt omnium, qui de divina contemplatione ſcripſerunt, doctrina intelligatur, notandum eſt, quandam eſſe contemplationem naturalem, quæ circa Deum, in quantum ipſe naturæ eſt auctor, & circa res, vel veritates naturales verſatur; aliam verò ſupernaturalem, quæ circa Deum, in quantum ipſe gratiæ eſt auctor, & circa myſteria, & opera ſupernaturalia verſatur: eſſe denique aliam contemplationem divinam, quæ circa Deum, ejuſque perfectiones divinas, idque per donum ſapientiæ verſatur. Perinde ac ſi diceremus, quemdam hic eſſe intellectus intuitum, purum, quietum & acutum; per quem aliquando ipſa per lumen naturale veritas naturalis vel videtur, vel intelligitur: ali-

Contemplationis naturalis. & divinae diſcrimen.

H

quan-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

quando vero per lumen ſupernaturale myſterium aliquod ſupernaturale cognoſcitur, ad quem intuitum alicujus veritatis naturalis cognitio per lumen ſupernaturale acquiſita reduci poteſt: interdum denique ſpecialiſſimo ſupernaturali lumine perfectio aliqua divino per ſapientiæ donum cognoſcitur. Primo modo contemplantur aliquando Philoſophi, A qui poſtquam ſuper aliquod naturæ arcanum diſcurſum formarunt, ad claram, tranquillam, & acutam ejus intelligentiam perveniunt, intellectus autem quietatur, paſcitur & hoc objecto cum aliqua mentis ſuſpenſione delectatur. Secundo modo contemplantur interdum ipſi ſervi Dei, idque per mirabilem quamdam myſteriorum gratiæ cognitionem; eadem quieta, & acuta notitia, & animi ſuſpenſione cognoſcendo, atque hoc modo contemplantur etiam ut plurimum Prophetæ circa ſupetnaturalia, vel per lumen ſupernaturale circa naturalia. Tertio modo contemplantur ii, qui donum habent ſapientiæ, & præter id ſpecialiſſimo quodam privilegio lumen quoddam divinum actuale recipiunt, cujus adminiculo divinæ contemplationis actum circa perfectiones divinas, B cum quadam admiratione, & animi ſuſpenſione producunt. Actus hic ita cum Sancto Bonaventura in 3. itinere æternitatis definiri poteſt: Contemplatio eſt quidam actus intellectus non impediti, per gratiam ſanati, ad æterna ſpectacula intentus, & præ eorum admiratione ſuſpenſus. Dicitur autem actus intellectus non impediti: ut enim divina quis benè contempletur, neceſſaia eſt quædam hominis à negotiis, & impedientibus paſſionum, & cogitationum humanarum interturbationibus abſtractio, dicitur intellectus debere eſſe per gratiam ſanatus, eò quod ejus lux, ignorantiæ, & tenebrarum, actum contemplationis impedientium C morbum tollit. Adhæc, quia divina contemplatio doni ſapientiæ, quæ cum gratia gratum faciente juxta Divum Thomam ſemper conjungitur, actus eſt; hinc intentus dicitur ſpectaculis æternis, quia divina contemplatio, divina, & æterna, objecta, puta bonitatem, majeſtatem, pulchritudinem, infinitatem, æternitatem, aliaſque divinæ naturæ perfectiones intuetur. Dicitur denique per admirationem ſuſpenſus, quia magnalia, quæ divino auxilio cognoſcit, maximopere demiratur, & ſtupet. Hæc eſt videlicet divina contemplatio, tantoperè à ſanctis Scriptoribus celebrata, ad quam omnimodis aſpirant illi, qui vitam contemplativam ſectantur.

Altera ex D. Bonaventura Contemplationis definitio.

S. Tho. 2. 2. q. 45. art. 2. & 3.

IX. Dubium VIII. Quale eſt illud ſapientiæ donum? Reſpondeo, eſt id altiſſimum, D & perfectiſſimum quoddam donum, quod in intellectu ſitum, tum ad divina contemplandum, tum ad humana per regulas divinas dirigendas conducit: adeo ut id primò ad puram, ſublimem, & tranquillam quamdam de divinis perfectionibus habendam notitiam; deinde ad rerum humanarum directionem, quantum ad divinarum notitiam ſpectat, ſerviat. Horum autem duorum actuum primus vocatur contemplatio divina, adeo ut divina contemplatio quidam ſit doni ſapientiæ actus. Quod etiam aſſerit S. Bonaventura 3. itinere æternitatis diſt. 2. Eſtque hæc doctrina conformis iis, quæ docet Divus Thomas.

Divina contemplatio, actus Doni ſapientiae.

1. p. qu. 43. art. 5. ad 2.

X. Dubium IX. Quàm excellens, & E eximia ſit illa ſapientiæ notitia, quæ dicitur contemplatio divina? Reſpondeo, eam eſſe quandam mirabiliſſimam, tranquilliſſimam; candidiſſimam, & ſubtiliſſimam rerum divinarum notitiam, de quibus ſcilicet judicat is, qui eas modo quodam affectivo conſiderat, divinam in voluntate charitatem præſupponendo, quæ per illam perfectionum divinarum notitiam maximè inflammatur, & creſcit. Donum quidem Spiritus Sancti, quod dicitur intellectus; confert, ut homo perfectiones divinas apprehendat, & percipiat, ſed donum ſapientiæ, ut de iiſdem per actum contemplationis formet judicium.

S. Tho. 2. 2. q. 180. a. 7.

XI. Dubium X. Num hæc notitia adeò ſublimis, quæ propriè vocatur divina contemplatio, delectabilis ſit? Reſpondeo ex communi Sanctorum, qui eam experti ſunt F doctrina, eam eſſe ſupra omnes conſolationes humanas maximè delectabilem, & delicioſam, & univerſam mundi eloquentiam ad eam explicandam, vel ad dignè de ea loquendum, parem non eſſe.

Contemplationis divinae effectus.

XII. Dubium XI. Ecquos divina contemplatio effectus in anima facere ſoleat? Reſpondeo, hanc ab ea adeo mirabiliter immutari, ut nulla lingua humana id valeat exprimere, quod videre eſt ex experientia; videmus enim aliquot Dei ſervos, quibus ſingulare hoc donum obtigit, uno quadrante horæ, quem contemplationi impendunt, majorem in anima impreſſionem experiri, quàm ſi multis annis ordinariæ orationi ſeſe dederent. Anima namque, quæ vel ſemel G in deliciarum divinarum thalamum introducitur, adeò divinæ pulchritudinis amore inebriatur, & rapitur, ut repentè, quidquid in terra amabile eſt, contemnat, & magna quadam reſolutione, carnis mortificationi, & ſuiipſius humiliationis ſe dedat, omnibuſque ſe occaſionibus, è quibus major Dei gloria ſecutura ſperatur, vitam, mortem, omniaque bona nihil morata, at de ſola divima majeſtate ſolicita, ultrò, & gratanter obiiciat.

Contemplationis impedimenta, quae?

XIII. Dubium XII. Quid ſibi vult, quòd omnes, qui in ſtatu ſunt gratiæ, donum quidem habeant ſapientiæ; adeo tamen rari ſint, qui donum habent contemplationis? Reſpondeo, multas ſterilitatis hujus poſſe eſſe cauſas: puta primò ipſam parvam vitæ puritatem, H quando nimirum homo multa venialia peccata committit, multas deinde occupationes, & negotia, ad hæc communicationis divinæ parvipenſionem, aliaſque hujuſmodi. Nota, omnibus quidem juſtis ipſum ſapientiæ donum (uti, & cætera Spiritus Sancti dona) conducere (quantum quidem ad ipſorum ſalutem neceſſarium eſt) cùm ad benè de rebus divinis judicandum, tum ad

res

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

2. 2. qu. 45. art. 5.

res humanas juxta regulas divinas ordinandas, ſecundùm ſententiam Divi Thomæ, ſed quàm pauciſſimos eſſe, qui cum tanta cordis cuſtodia vivant, ut ad propriè dictam contemplationem perveniant, & ſuaviſſima illa Dei communicatione potiantur, quæ quædam velut eſt felicitatis cœleſtis, & futuræ inchoatio. Tametſi alioquin plures ſint, qui ad alios inferiores contemplationis gradus perveniant.

A

Oratio via Contemplationis dicta.

XIV. Dubium XIII. Quæ ſit magis ordinaria, & recta ad contemplationem via? Reſpondeo, ipſum exercitium orationis; quia juxta doctrinam Sanctorum, rariſſimum quid eſt, & propè miraculoſum contemplationis habere donum, non præmiſſa antè oratione. Unde qui pretioſiſſimum contemplationis monile habere voluerit, videat ut, ſicut oportet, orationi ſe dedat, vitam ſcilicet vivendo mortificatam, & humilem, iiſque abſtinendo rebus, quæ interiorem quietem, & communicationem divinam impediunt. Deberet profectò doctrina hæc homines ſpirituales maximoperè exſtimulare, ut magna quadam cum mortificatione vitam inſtituere, nullique labori parcere proponant, quò ad qualemcumque contemplationis gradum, etiamſi minimum, tandem pervenirent: non tam, ut inde inſignem quamdam conſolationem hauriant, quam propter vitæ perfectionem, quæ ſic acquiritur, & delicias, ac delectationem, quam divina majeſtas ex arcta cum hominibus communicatione, & familiaritate percipit.

B

S. M. Tereſiæ doctrina.

XV. Dubium XIV. An ſint diverſi modi contemplationis? Reſpondeo eſſe: uti videre eſt in libris, & ſcriptis Beatæ Matris Tereſiæ de Jeſu, divinam ſapientiam ubique ſpirantibus: nam illæ diſtinctiones orationis, recollectionis interioris, orationis quietis, orationis unionis, matrimonii ſpiritualis, evolationis ſpiritus, &c. nihil ſunt aliud, quàm diſtincti contemplationis modi, & gradus: qui quidem omnes ſemper ſunt gradus contemplationis ſupernaturalis, ſed non omnes ſemper contemplationis divinæ: quia ſub illis nominibus diverſa contineri poteſt elevatio, & excellentia luminis interioris, nec non diverſa objecta, & diverſi perfectionis gradus: verùm certus præſcribi numerus, certuſque gradus perfectionis non poteſt, quia Deus, prout vult, illas quoad numerum, & perfectionem variare, & mutare poteſt.

C

D

S. Aug. l. 10. Conf. c. 40. S. Greg. 5. moral.

Animadverſio.

XVI. Dubium XV. Num divina contemplatio diu durare poſſit? Reſpondeo ex communi Sanctorum doctrina, eam in hac vita parvo tempore durare, etſi demus, vitam contemplativam ex ſe eſſe durabiliſſimam. Doctrinam hanc docet Auguſtinus, qui in Confeſſionibus ſuis deplorat, quod breviſſimum ſit ſpatium, quo homo cum Deo uniatur, & illam dulcedinem deguſtet, quodque ſtatim ad res creatas relabatur. Quod tum ob corporis, tum ob negotiorum ad vitam mortalem ſpectantium pondus fieri certum eſt. Nota, ita quidem ordinariè fieri: huic tamen doctrinæ non adverſatur id, quod de aliquibus Sanctis legitur; horum enim nonnullos longo tempore à mente abſtractos, & in contemplatione ſuſpenſos fuiſſe conſtat. De duratione autem ordinaria non eſt certum, quid à nobis hic ſtatuendum, an ea ad quadrantem horæ, vel mediam horam, vel tres quadrantes, plus aut minus extendatur. Hoc ſcire ſufficiat, tempus breve eſſe, & ipſam breviſſimi temporis (verbi gratia, horæ quadrantis) contemplationem mirabiles effectus producere.

E

Num majoris meriti activa vel contemplativa vita?

S. Tho. 2. 2. q. 182. ar. 2.

XVII. Dubium XVI. Utra vita majoris ſit meriti, activa an contemplativa? Reſpondeo, contemplativa natura ſua ex communi Sanctorum doctrina, majoris meriti eſt, eò quod directius in amore Dei (in quo meritum conſiſtit) occupatur: per accidens tamen fieri poteſt, ut in activa quis vita plus ſit promeriturus, quam alius quiſpiam in contemplativa: verbi gratia, ſi quis Dei famulus ex divini amoris abundantia, ut proximis benefaceret, & juvaret, ipſa contemplationis dulcedine ſeſe ultrò privare vellet.

F

Vita ſolitariorum periculoſa dicta.

2. 2. quæſt. 188. art. 8.

XVIII. Dubium XVII. Num vita ſolitariorum, qui contemplationi vacant, ſit contemplativa monaſtica perfectior? Reſpondeo eſſe, ſi debitè ſumatur, nempe poſtquam quis in exercitiis monaſticis aliquamdiu egiſſet. Ita enim præſupponitur is jam in aliorum conſortio, qui ei, & ad intellectum illuminandum, & affectus corrigendos opem præſtiterint, ad magnam vitæ perfectionem veniſſe. Alioquin ea periculoſiſſima eſt, uti docet ſanctus Thomas atque ideo, qui eam eligit per ſaltum, nulla dum antè perfectione acquiſita, graviſſimè errat, niſi gratiæ alicuius extraordinario Deus privilegio ſuppleat, uti in aliquibus illuſtris nominis Sanctis eum feciſſe legimus, puta in S. Antonio, & ſancto Benedicto.

G

TRACTATUS

DE FRUCTIBUS

Et donis Spiritus Sancti; deque beatitudinibus.

QUI ſpiritualibus rebus vacant, ac præſertim ii, qui magiſtri ſunt, & de aliis judicare debent, donis, & fructibus Spiritus Sancti, ac beatitudinibus quàm maximè ſtudere deberent: cum rerum ſpiritualium, ac divinarum plurimæ, quas in anima Altiſſimus operatur, ad dicta dona, fructus, & beatitudines pertineant. Deinde pauciſſima de id genus rebus in multis ſpiritualibus libris ſcripta eſſe cernimus, Hinc in Dei honorem, & proximi utilitatem ceſſurum arbitror, breviter diſtincteque præcipua materiæ hujus puncta ſcripto proſequi.

H

1, 2. qu. 68. Dona Spiritus Sancti, habitus dicta.

II. Suppono cum D. Thoma. Dona Spiritus ſancti, habitus quoſdam excellentes eſſe,

quos

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

quos juſtis Dominus communicat, quorum ope animæ, in qua ſunt potentiæ ad excellentes, & heroicos quoſdam actus, Spiritu Sancto impellente, faciendos inducuntur. Adeo ut in illis actibus producendis anima à ſolo Spritu S. impellatur, & dona hæc illi ideo communicentur, ut à divino illo Spiritu facilè ſe moveri conducique ſinat. Nam etſi virtutes Theologicæ longè perfectiores ſint donis, & magnam animæ ad ſe in Domino, qui harum finis, & objectum eſt, occupandam perfectionem conferant; hæ tamen virtutes tam perfectè ab anima non participantur, quin his etiam donis, velut auxiliis, quò facilè à Spiritu divino moveatur, neceſſariis opus habeat. Atque inde eſt, quod per hæc dona anima agilis fiat, & ad Dominum, velut impulſa emoveatur, cùm per virtutes Theologicas ſeipſa magis active moveat.

A

Virtutes Theologicae donis Spiritus Sancti perfectiores.

III. Diximus, dona Spiritus Sancti ad virtutum Theologicarum excellentiam non pertingere: cui inſuper addendum eſt, ea cæteris virtutibus etiam moralibus infuſis excellentiores eſſe: hæc namque dona animam in ordine ad Deum immediatè perficiunt, quod cæteræ virtutes non faciunt.

Virtutes Theologicae caeteris virtutibus, etiam infuſis excellentiores.

B

IV. Dona in Scripturis, ac libris ſanctorum Patrum recenſita, ſunt hæc ſeptem: Sapientia, Intellectus, Fortitudo, Scientia, Pietas, Conſilium, Timor, è quibus donis dona intellectus, ſapientiæ, ſcientiæ, & conſilii in ipſo intellectu conſiſtunt, donum pietatis in voluntate, donum timoris in parte concupiſcibili, donum fortitudinis in iraſcibili. Adeo ut omnes hominis partes, in quibus virtutum habitus verſantur, aliquod etiam donum Spiritus Sancti comitetur.

Dona Spiritus Sancti, quae?

Quid praeſtent ſingula?

C

Trina timoris diviſio.

D

V. Donum intellectus confert ad res divinas, quas docet fides vel apprehendendas, vel concipiendas: adeo ut ejus adminiculo hæ modo quodam penetrationis vel ſubtilitatis divinæ intelligantur. Donum ſapientiæ ſervit ad bene de rebus divinis, & creatis per rationes divinas judicandum. Donum ſcientiæ confert ad benè de rebus creatis judicandum. Per donum conſilii concludimus, & è judicio, quod per dona ſapientiæ, & ſcientiæ antè formatur, inferimus, & colligimus, quid in particulari nobis faciendum ſit. Qui quatuor donorum actus per ante dictum Spiritus Sancti impulſum fiunt. Per donum pietatis, debitum Deo, velut Patri, & Sanctis honorem reddimus, atque hoc intuitu divinum cultum intuetur. Dono timoris appetitum concupiſcibilem, in quo ipſe verſatur, à rebus delectabilibus animæ bonum impedientibus, avocamus. Timor in ſervilem, filialem, & initialem dividitur. Servilis eſt, quo quis pœnas, & ſupplicia, quæ Deus peccatoribus conſtituit, metuit, atque hac de cauſa tam à peccato recedit, quam bonum agit, & is tum bonus, & ſalutaris eſt, quando ab amore proprio bene ordinato provenit, ut ſcilicet quis damnum pœnæ pati nolit, ſed bene eſſe, illam pœnæ carentiam non ut finem ultimum reſpiciendo ſed eam ut bonum ſtatum, ad Deum velut ultimum finem referibilem, habendo. Timor initialis eſt quidam timor filialis imperfectus, quò homo ita Deum timet offendere, ut ſimul timeat pœnam, timoreque ſervili ex parte ad benè agendum impellatur. Timor filialis eſt, quo quis Deum veretur offendere, & ab eo per peccatum ſeparari. Cæterum tres hi timores à timore mundano diverſi ſunt; ita enim per hunc quis malum, vel aliquod vitæ hujus incommodum metuit, ut, quo ipſum evitet, Deum mortaliter offendat. Inter omnes illos enumeratos timores, mundanus Spiritus Sancti non eſt donum, uti nec ſervilis inter ſeptem hæc dona recenſetur, eò quòd cum voluntate peccandi is queat conſiſtere, uti Auguſtinus à Sancto Thoma citatus aſſeverat. Is tamen in ſua ſubſtantia bonus eſt, etſi ipſa alioquin ſervilitas mala ſit, uti Divus Thomas docet: ſicut fides informis bona eſt, quantum ad ſubſtantiam, etſi informitas in ſe mala ſit. Timor initialis ejuſdem eſt (ſi ſubſtantiam, & eſſentiam ejus ſpectemus) cum filiali ſpeciei, etſi aliquid ſervilis admiſtum habeat, à quo quoad eſſentiam diſtinguitur. Inter Spiritus Sancti autem dona non enumeratur, niſi ſolus timor filialis, qui alio nomine dicitur Timor caſtus, perfectæ charitati proportionatus: hæc enim timorem ſervilem à ſe reiicit, ut qui cum charitate nequit conſiſtere, in quantum ſervilis eſt: quia non aliter vocatur ſervilis, quam dum pœnam velut præcipuum malum timet: quod charitati, & timori filiali repugnat, ipſa tamen timoris ſervilis ſubſtantia cum charitate conſiſtere poteſt, excluſa ſervilitate; unde etiam timor pœnæ ſine ſervilitate, cum charitate conſiſtere poteſt. Quinimmo timor hic pœnæ minuitur, prout ipſa charitas creſcit; quæ dum perfecta eſt pœnam non formidat. Dono fortitudinis, donati, quæ in parte iraſcibili verſatur, difficultates, & pericula, Dei ſervitium, ejuſque unionem impedientia perrumpimus victores. In omnibus ſeptem donorum, quos diximus, actibus aliqua includitur excellentia, dum nimirum illi ex Spiritus Sancti motione peraguntur.

Timor initialis.

Et filialis.

E

2. 2. *quaeſt.* 19. *art.* 9.

F

Filialis tantum Spiritus Sancti donum.

G

VI. Ad præclara hæc dona referuntur multi mirabiles actus, quos ipſi Dei famuli per ſingulares quoſdam Spiritus divini motus, extraordinario quodam modo faciunt, quorum plurima in ſacris litteris, ac priſcis vitis Sanctorum legere eſt exempla. Verbi gratia, ad donum intellectus (quod ad res fidei penetrandas confert) ſubtilis, & delicata, quædam multorum Sanctorum, ac Sanctarum qui ſibi divina myſteria mirabili quadam ratione intelligere videbantur, refertur intelligentia. Dono ſapientiæ adſcribitur divina contemplatio, qua Sancti Sanctæque judicium velut connaturale de rebus divinis efformabant, quam arctiſſimè ſe cum illis puriſſimo quodam amore unientes. Dono ſcientiæ diſcretio vel diſtinctio, & æſtimatio veritatum attribuitur Catholicarum, quas Eccleſia nobis proponit, quas ipſi San-

Multiplices actus donorum Spirtus Sancti.

H

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

cti, & mirabiliter diſcernere, & contrarios errores refutare potuerunt. Dono conſilii mirabiles, & ſtupendæ quædam electiones ſtatus attribuuntur, quæ quamdam rationem convenientiæ in vitæ hujus perplexitatibus, & tenebris inveniunt: nec non multæ deciſiones, 3. *Reg.* 3. & reſolutiones in caſibus particularibus pares illi Salomonicæ, qua is puerum, A quem duæ meretrices ſibi litigando quæque depoſcebant, dividi jubens medium, per ſingularem Spiritus Sancti inſtinctum collegit, *Dan.* 13. ecquæ vera ejus foret mater. Simile huic fuit illud Danielis judicium, quo Suſannam per hoc donum conſilii ab iniqua duorum illorum impurorum ſenum malignatione liberavit, eoſque ipſemet convincens coram univerſa multitudine confutavit. Dono pietatis multa inſolita Sanctorum geſta Dei honorem ſpectantia attribuuntur, dum, & aperte in arenam deſcenderent, nec ferre valerent, ut qui vero Deo, & Patri noſtro debetur honos, idolis adſcriberetur, dum etiam indignarentur viſo debitum ſacris imaginibus, aliiſque rebus ſanctis honorem denegari, B imo vero dum publice tum tyrannos, tum hæreticos coarguerent.

Ad donum timoris referre licet ſtupenda aliquot Sanctorum, ac Sanctarum facinora, qui urgentiſſimas inter caſtitatis ſuæ amittendæ occaſiones ita timoris hujus freno concupiſcibilem ſuam partem refrenabant, itaque à Spiritu Sancto ad puritatem ſuam conſervandam incitabantur, & exſtimulabantur, ut per media pericula immunes, & indemnes iis metuentibus pertranſirent, in quibus alii, non ita à Spiritu Sancto excitati, minimè potuiſſent. Qua de re multas Sanctorum legere hiſtorias eſt. Dono fortitudinis audacia, & generoſitas aſcribenda Martyrum, qui conſtantia, & robore quodam leonino armati in mortem intrepidè ruebant. Quin C etiam in veteri lege multa fortitudinis hujus exempla videre fuit, uti illud Samſonis, quando columnis colliſis, ſeipſum, ſimul & *Judic.* 16. omnes, quotquot in domo illa erant, uni ruinæ involvit: nec non illud Eleazari Judæi, qui ſe ſub elephantum coniiciens eum interfecit; 1. *Mach.* 6. ſeque ab ejuſdem prolabentis mole opprimi paſſus eſt.

VII. Hac ex obſervatione ſpirituales homines diſcant non turbari, ſi quando alios Dei ſervos talia vident agere, quæ nimis quàm extraordinaria, vel etiam inordinata videntur; unde velim judicium firment, ſibi perſuadentes hæc Spiritus divini conſilia eſſe poſſe; uti fuit, quando David ſe coram Rege Getheo fatuum, & amentem 1. *Reg.* 21. finxit, & coram arca Domini, regiis D veſtibus exutis, ſaltavit; &, dum S. Alexius clàm ſe Roma ſubduxit, nova quadam SS. Alexius, & Alexander Carbonarius. arte mundum exſibilans: & dum Alexander Carbonarius carbonariam ea de cauſa exercuit, quò à mundo exploderetur, & ſcientiam, qua dotatus erat, abſconderet, aliique ſimiles eventus.

VIII. Ipſa donorum Spiritus Sancti intelligentia permultum etiam ad interiores, & ſpirituales magis elevatas contemplationis, & Theologiæ myſticæ res confert. Theologus enim; qui novit, unumquemque, qui in gratia Dei eſt multos habitus infuſos, à divina gratia inſeparabiles, in intellectu habere, qui vel ad res divinas penetrandas, (uti Donum intellectus) vel ad divinè contemplandum faciunt, uti Donum Sapientiæ, cujus Doni elicitus, & proprius actus divina E Contemplatio eſt; Contemplatio actus Doni ſapientiae. aliquod Theologicæ ſcientiæ fundamentum habebit, ad de cognitionibus ſublimibus interioribus, ac de divinis conſolationibus (quas animabus puris per nobiliſſimum donum Sapientiæ, ita intellectum illuminans, ut ad voluntatem, quæ Dei ſaporem deguſtat, inflammandam faciat, communicat) judicandum.

IX. Quoad fructus Spiritus Sancti, & Beatitudines (ut aliquot diſtinctiones Theologorum parum neceſſarias relinquamus) quantum quidem ad noſtrum propoſitum facit; notare ſuffecerit, fructus, & Beatitudines Beatitudines actus donorum Spiritus Sancti. virtutum, & donorum Spiritus Sancti non habitus, ſed actus eſſe: adeò quidem, ut virtutum actus dicantur fructus, quia ſunt quidam ultimi, & delectabiles hominis effectus; F ſicut fructus arboris, qui in arbore, & ultimi, & ſapidiſſimi ſunt. Vocantur autem hi fructus Spiritus Sancti, in quantum à gratia ſpiritus, velut à ſemine quodam divino, progignuntur. Sed Beatitudines in hoc illis majores ſunt, quòd hæ quidam actus perfectiores, Sed perfectiores, & excellentiores illis. & excellentiores ſunt, adeò, ut, & perfectionem fructuum in ſe includant, & ulterius etiam progrediantur. Atque ob hanc excellentiam Beatitudines ipſis Spiritus Sancti Donis attribuuntur, quia, uti ſuprà diximus, conferunt, ut heroicos, & excellentes quoſdam actus homo faciat: fructus autem virtutibus aſcribuntur, etſi hi non adeò excellentes virtutes ſint: quamquam ſubinde, & Beatitudines ipſæ realiter G virtutum ſint actus; & fructus, nonnunquam actus donorum. Ideoque præcipuè ad actuum perfectionem attendendum eſt, in qua notabilior differentia ſita eſt.

X. Circa Spiritus Sancti fructus aliud non eſt dicendum, quam eſſe eos delicioſos quoſdam actus, uti videre eſt in illis, quos numeravit Apoſtolus, Charitate, Gaudio, Pace, Patientia, Benignitate, Bonitate, Longanimitate, Manſuetudine, Fide, Modeſtia, Continentia, Caſtitate. Quibus aliud non intendit Apoſtolus, quàm oſtendere hos in juſtis Spiritum Sanctum fructos, cum magna ipſorum delectatione, id eſt, amore, gaudio interiore, pace interna, patientia in laboribus benignitate vel ſuavitate in converſatione, bonitate, vel malignitatis carentia, H aliiſque actibus ſequentibus producere: qui in hominibus ſpiritualibus paſſiones habentibus ſimul, & favores divinos conſiderandi ſunt. Si enim bona conjectura quis judicet, fructus Spiritus Sancti in illis animabus eſſe; probabili quoque argumento credere poterit illos à Spiritu Sancto regi. Non fuit autem Apoſtoli intentio, omnes Spi-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

1. 2. q. 70. art. 4.

Spiritus Sancti fructus enumerare, ſed præcipuos tantùm, ut benè advertit D. Thomas. Quod etiam de Beatitudinum numero dicendum eſt.

XI. Circa Beatitudines ipſa actuum notanda eſt excellentia, qui quidem adeò divini, & excellentes ſunt, ut quædam quodammodo ultimæ, & æternæ beatitudinis inchoatio vel principium dici queant: anima quippe, quæ per divinam gratiam hoſce actus producit, ad eam jam vitæ perfectionem pertigit, quæ à Beatorum in cœlo vita non longè diſtat. Quod profectò veriſſimum eſt, ſive illa D. Auguſtini præſupponenda opinio ſit, qua lib. 1. de ſerm. Domini in monte, præmia à Redemptore Jeſu in illo ſermone aſſignata, in hac vita ait prælibari, & prægustari: ſive etiam contraria ſancti Ambroſii, lib. 5. in cap 6. Lucæ; quia tæ perfectio, ad animam, quæ ejuſmodi ſit, pervenit, planè admirabilis eſt, & ſtatui gloriæ quodammodo affinis, ad quàm conſequendam hi actus mirificè conducunt, ideoque dicuntur Beatitudines.

A

Beati pauperes Spiritu.

XII. Illorum, quos Chriſtus Beatos vocat, ſtatus talis eſt, ut cum ſpiritus paupertate, id eſt, humilitate (quæ turgidæ inflationi ſuperbiæ contraria ſit) quoſdam ſummi ſui ipſorum contemptus actus producant; atque in hoc contemptu ipſum cœlorum regnum deguſtant. Mites mirabiles quoſdam manſuetudinis actus producunt, per quam, & multas de mundo victorias referunt, & inimicorum capitalium iram vincunt, altiſſimum quemdam de hæreditate, & pacifica terræ viventium (id eſt, vitæ æternæ) manſione, in qua ſcilicet ipſorum affectus non aliter quieſcit, quàm corpus in terra ſenſum habentes. Qui mœſtitia, & luctu ſancto, quem Chriſtus in Evangelio deſcribit, lugent altiſſimam quamdam perfectionem habent, & ad æternam lætitiam quam proximè accedunt, cum ob ſummi, & æterni boni (ad quod ex corde ſuſpirant) carentiam ſummopere dolentes, tum ejuſdem ſpe ſe conſolantes, & recreantes. Qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam ii ſcilicet, qui perfectum quoddam habent divinæ ſe voluntati conformandi deſiderium, (qualis eſſe eſurientium erga cibum, & ſitientium erga potum affectus, & ardor ſolet) magnam quamdam conſcientiæ ſatisfactionem, & ſatiem ſentiunt, haud diſſimilem illi, qualis habetur in cœna illa magna, in qua Deo Beati fruuntur, in qua ſine ullo prorſus faſtidio ſatiabuntur. Miſericordia perfecta miſericordium feliciſſima, ac beatiſſima ſors eſt, quia ſicut miſeros à ſua liberant miſeria, ita ipſi quoque à ſua liberandi, & beatificandi ſunt, atque adeò beatitudinis hujus firmiſſimam quamdam in hac vita concipiunt ſpem, quæ non immeritò ſupremæ beatitudinis dici poteſt inchoatio. Qui puro, & mundo ſunt corde, hac puritatis perfectione ad tam ſublimem Dei notitiam per donum Intellectus in hac vita perveniunt, ut ea cum Dei viſione comparari quodammodo mereatur, ſecundum ſenſum D. Thom. docentis, interiori oculo per Donum Spiritus Sancti, quod intellectus dicitur, purgato, Deum quodam modo videri poſſe. Quod colligere etiam eſt ex divina contemplatione, in qua ſplendidiſſimam quamdam lucem, & ineffabilem ſui notitiam Dominus homini communicat. Pacifici, id eſt, qui interiora ſua ita compoſita, & pacata habent, ut pars inferior ſuperiori, hæc autem Deo ſeſe ſubmittat, idque raræ cujuſdam perfectionis gradu (uti de multis ſanctis viriſque ſpiritualibus legimus;) ad talem ſerenitatem mentis perveniunt, ut Chriſto Domino ſimiles fiant; ut ſicut ille naturalis Dei eſt Filius, ita ipſi ſingulari quadam excellentia huic ſe, velut filii adoptivi, configurent. Qui perſecutiones propter juſtitiam magno animo, & fortitudine patiuntur, ad eum perfectionis perveniunt gradum, ut regnum cælorum jam in manibus habere videantur, idque propter teſtimonium bonæ, & puræ, medias inter perſecutiones, quas immeritò patiuntur, conſcientiæ. Hæ ſunt itaque Beatitudines, quas Redemptor Jeſus prædicavit. Circa quas, uti, & circa fructus ſpiritus notandum eſt, quamvis Donorum Spiritus Sancti, & virtutum actus eſſe dicantur; non id ita tamen intelligendum eſſe, quod omnes fructus, & Beatitudines propriè ſint actus; cum inter eos quædam ſint excellentiæ, quæ propriè non ſunt actus, ſed aliqua beatitudinis ſpecies, quæ ipſos actus ſequatur; verbi gratia, Pax, inter fructus; & cordis Puritas, inter Beatitudines.

B

Beati mites.

Beati qui lugent.

C

Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam.

Beati miſericordes.

D

Beati mundo corde.

1. 2. q. 69. art. 2. ad 3.

Beati pacifici.

E

Beati qui perſecutiones patiuntur propter juſtitiam.

F

XIII. Ceterum Beatitudinum notitia, & obſervatio, ſicut & Fructuum, ad ſpiritualium hominum conſolationem mirè facit; nam cum hi ſciant, quam inæſtimabile Deus bonum amicis ſuis etiam in hac vita communicet, generoſe laborare conniti, & magnum in perfectione Chriſtiana facere progreſſum proponunt. Conducet etiam (uti ſupra, cum de Donis Spiritus Sancti agerem, dicere memini) ipſis vitæ ſpiritualis Magiſtris, & Judicibus; qui in multis caſibus, in quibus conſulentur, actus delectabiles, & excellentes, qui Theologicè dicuntur Fructus, & Beatitudines, perſpicient, nimirum circa examen hominum ſpiritualium, qui favores participant divinos. Quod cum ad bonum ipſorum, tum ad conſolationem proximi conducet.

G

* * *

TRACTATUS

DE GRATIIS GRATIS DATIS.

H

Gratiae gratis datae, etiam peccatoribus dantur.

I. QUamvis gratiæ, quas Theologi vocant, *gratis datas*, quæ quædam ſunt Dei dona, ad inſtruendum, & adjuvandum proximum, quò ad vitam æternam perveniat, inſtituta, interdum peccatoribus communicari ſoleant; ut plurimum tamen juſtis, qui eximiæ ſunt ſanctitatis, Scrip. An. 1610. Ital. Idiom. communicari eas conſtat, uti nos docent exempla ſanctorum, qui & Prophetiæ ſpiritum, & gratiam miracula patrandi, & diſcretionem ſpirituum, aliaſque id genus gratias habuerunt. Quin etiam noſtra hac ætate hujuſmodi in aliquibus hominibus ſanctitate illuſtribus chariſmata videre eſt. Unde non inutile futurum, aliquam harum gratiarum A breviter notitiam dare.

1. Cor. 12. II. Apoſtolus Corinthiis ſcribens, gratiarum gratis datarum catalogum hoc modo contexit: *Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eumdem ſpiritum; alteri fides, alii gratia ſanitatum; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum.*

1. 2. q. 111. III. Significatio vel ſenſus illarum gratiarum gratis datarum, ſecundum D. Thomam hic eſt ſermo; Gratia Sapientiae. id eſt, cognitio ſapientiæ, in rara quadam rerum divinarum, id eſt, concluſionum, quæ ex principiis, & veritatibus Catholicis; quas fides docet, deducuntur, notitia conſiſtit. Gratia Scientiae. Gratia ſcientiæ in rara quadam effectuum, & rerum naturalium, & humanarum cognitione conſiſtit, B ut earum adminiculo quis proximum ad res divinas perducat. Gratia Fidei. Gratia fidei non conſiſtit in eo, ut quis veritates Catholicas (quod omnibus omninò fidelibus commune eſt) credat, ſed in rara quadam, & eminenti fidei firmitate, qua idoneus quis, & promptus reddatur ad aliis veritates divinas perſuadendas. Tres hæ gratiæ ad rerum divinarum cognitionem ſpectant in ordine ad proximum. Quoniam verò ad ſupernaturalia, & divina, quæ omnem rationem tranſcendunt, perſuadenda, rationes, & argumenta non ſufficiunt, ſed inſuper opera requiruntur, quæ virtutis divinæ propria ſint; hac de cauſa alias Dominus gratias communicat, C in quibus homines effectus, qui virtutis divinæ ſint proprii, videant, quibus convicti credant, doctrinam, quæ ipſis prædicata eſt, veram eſſe, & divinam.

IV. Quæ hunc in finem (doctrinæ ſcilicet per opera, & ſigna divina confirmationem) conferunt, ſunt gratia ſanitatum, miracula, prophetia, & diſcretio ſpirituum. Gratia ſanitatum. Gratia ſanitatum in eo ſita eſt, ut ægri morbidique ſine ulla medicina externa mediiſque humanis ſanentur. Gratia miraculorum. Quæ verò virtutum (id eſt, miraculorum) operatio dicitur, in ipſa miraculorum, ad ſolam divinæ potentiæ manifeſtationem deſtinatorum patratione conſiſtit; qualia ſunt, imperare, ut ſol quieſcat, obſcuretur, aquas maris vel fluminis dividere, &c. in quo hæc gratia à gratia D ſanitatum diſtinguitur; nam quamvis hæc etiam miraculorum ſit patratio, non eſt tamen ad ſolam divinæ potentiæ manifeſtationem, verum etiam ad utilitatem, & conſolationem proximi deſtinata. Gratia prophetiae. Gratia prophetiæ in quadam cognitione ſupernaturali, ad ea, quæ ſolus Deus ſcire poteſt (puta Diſcretionis ſpirituum gratia. futura) manifeſtanda deſtinata conſiſtit. Diſcretio verò ſpirituum in quadam cognitione ad occulta cordis proximorum, quæ ſine ſingulari Dei luce perſpici nequeunt, detegenda aperiendaque deſtinata. Quatuor hæ gratiæ homines movent, & adaptant, ut in doctrina Catholica confirmentur: verùm ut hominibus ea exteriùs modo quodam humano, id eſt, loquendo, perſuadeatur, aliæ quædam gratiæ requiruntur, gratia ſcilicet linguarum, & interpretatio ſermonum. E

V. Gratia linguarum. Gratia linguarum in uſu ac locutione earum conſiſtit linguarum, quibus proximus utitur, quæ diverſarum ſunt ſpecierum; Domino earum cognitionem vel pronuntiationem concedente. Interpretatio ſermonum. Interpretatio ſermonum, id eſt, ejus, quod vel propria, vel alienis linguis profertur, in convenienti quadam verborum, ac ſententiarum, quæ dicuntur, expoſitione ſita eſt. In duabus his ultimis gratiis ſupponendum eſt; particularem quamdam Dei fortitudinem cùm in loquendo, tum in interpretando concurrere, quò proximo vera fides, & cultus Dei altiſſimi perſideatur, & ad eum ipſe inducatur. Sic tata aliquos concionatores, quin, & alios quoſdam Dei ſervos de plano, & privatim loquentes, ſacram Scripturam videmus potentia, & energia exponere, ut nemo iis F reſiſtere poſſe videatur.

TRACTATUS
DE RAPTIBUS,
Viſionibus, & Revelationibus.

I. SUppono tria hæc inter ſe differre, vel in totum, vel in aliqua ſaltem parte; cùm, ut de Raptibus communi modo, uti loquitur vulgus, loquamur, multos videre ſit aptos, & à ſenſibùs alienatos, quos tamen G neſcias an viſiones habeant vel revelationes. Conſtat præterea, multos habere viſiones, non tamen revelationes, quia nihil ipſis per illas viſiones aut declaratur aut revelatur. Denique conſtat, permultos viſiones habere, vel videndo aliquid, vel verba interiora audiendo, aut alio quopiam modo.

II. Divinæ ſapientiæ ordo, qui vel in ſacra Scriptura, vel ſcriptis, & exemplis Sanctorum perſpicitur, eſt (quando ita Domino placuerit) per veros Raptus animas ad ſe attrahere, quo aliquid ſupernaturale ipſis demonſtret, ejuſque ſignificationem aperiat. Adeò ut ſpiritus Dei animam, ipſam uſu ſenſuum, & potentiarum privando, non ideò ad ſe rapiat, ut eam ineptam, inſenſatam, H & ſemimortuam reddat, itaque nihil aliud agat, (uti dum alicui ſpaſma vel deliquium animi contingit) quia ex illo nullus ſequitur fructus; at, dum animam ad ſe attrahit, bonum aliquod illi facere intendit; quod per viſiones, & Revelationes tum illi, tum etiam interdum aliis utiles fieri ſolet.

III. Ut autem ad raptum veniamus; com- S. Tho. 2. 2. q. 175. art. 2.
mu-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

Raptus definitio.

A

munis ejus definitio eſt hæc ſequens : Raptus eſt quædam per ſpiritum divinum facta elevatio, per quem anima ad quid ſupernaturale cum quadam abſtractione à ſenſibus ſuſtollitur. Raptus quamdam ſignificat violentiam, quæ ſita non in eo, quòd anima ad Deum ſuſtollatur (eò quòd hoc naturæ, & inclinationi ejus conforme ſit; & nulla tum res violentiam patitur, cum ea illi contingunt, quæ ejus propenſioni conformia ſunt;) ſed in eo, quod velocius, & celerius per hanc abſtractionem à ſenſibus anima elevetur, quàm natura poſtulet; ſicuti lapis, dum vi quadam ad ſuum trahitur centrum, nullam omnino patitur violentiam, quòd ad centrum trahatur; ſed quia velociùs trahitur, quam naturali ſuo modo ferretur.

Raptus unde fiat?

B

Cur in voluntate fieri nequeat?

Animadverſio de raptibus ſpuriis.

C

IV. Raptus non in voluntate, vel appetitu ſenſitivo fit, ſed in potentiis cognoſcitivis, cùm ipſe intellectus, vel cum quadam alienatione à ſenſibus ad res intellectuales, vel cum aliqua viſione intellectuali, aut phantaſia, aut imaginativa ad aliquam viſionem imaginariam rapiatur. Ratio cur Raptus in voluntate fieri non poſſit, eſt, quia, cùm voluntas quædam ſit ad bonum propenſio vel inclinatio, quo plus hæc violentiæ vel vehementiæ erga illud bonum habuerit, eo ſuæ conformior inclinationi erit; & idcirco à Raptu, vel violentia remotior. Ipſa nihilominus affectus voluntatis, vel appetitus ſenſitivi vehementia multorum eſſe raptuum ſolet cauſa; cùm anima magna quadam vi illis rebus quas amat adhæreſcat, atque illa vi potentias cognoſcitivas ad amata illa objecta impellat, eas impetu quodam ab omnibus aliis rebus avocando. Quod notandum inprimis eſt, ut de raptibus illorum formetur judicium, qui vehementes naturales affectus habent, per quos facili negotio in Raptus parum ſinceros bonoſque rapiuntur; ac præſertim quando ad orandum cum rei alicujus obtinendæ deſiderio ſeſe conferunt. Quibus conſulendum, ut, quando ſeſe inflammari ſentiunt, mentem divertant: quia, quando verè raptus divini ſunt, tametſi ipſi iis obluctari geſtiant, nihilominus rapientur.

Eſtaſis, & raptus diſcrimen.

D

V. Exſtaſis communiter idem ſignificat quod Raptus; etſi ſi vim proprietatemque nominis conſideremus, aliquod inter utrumque ſit diſcrimen: Raptus ſiquidem quamdam violentiam ſignificat, non autem Exſtaſis; ſed ſimplicem dumtaxat à ſeipſo egreſſionem: atque ideo convenit voluntati, quæ egreditur, & verſus objectum amatum movetur; & conſequenter appetitui ſenſitivo, qui ſimilem dum amat, effectum producit. Atque hæ egreſſiones, cum vehementes ſunt, dictorum raptuum intellectus, & imaginativæ cauſa ſunt.

Raptus cauſſae, quae?

E

VI. Circa Raptus ipſæ eorum notandæ ſunt cauſæ, & motiva; quæ quædam Dei eſſe ſolent vocationes, vel tactus interiores, vel abſtractiones variæ, quibus magna quadam vi Dei majeſtas animam ad ſe attrahit ceu ejus dominus. De interioribus autem his motivis nihil hic dicemus, quia poſſunt pro divinæ voluntatis beneplacito innumera ac diverſiſſima eſſe; nam modò luce quadam, vel flamma interiore, modò quadam dulcedinis in appetitum ſenſitivum inſtillatione, modò etiam ſecreto quodam ſibilo, aliiſque occultis modis animam Deus ad ſe tam efficacitur, & potenter vocat, & attrahit, ſatis ut oſtendat eſſe ſe rerum omnium, & Dominum, & conditorem.

Raptus imperfecti.

F

VII. Notandæ quoque ſunt impreſſiones, quæ in eorum, qui rapti ſunt, apparent corpòribus; quales verbi gratia ſunt, quod corpus defectis viribus, frigidum ac vita quodammodo privatum deliquium patiatur; quod interdum etiam à terra ſublime ſuſtollatur, & in aere ſuſpendatur. Sunt, & alii Raptus, qui dicuntur imperfecti, per quos anima non ita à ſenſibus abſtrahitur, quin verba aliqua proferat, & aliquot gemitus, ſuſpìria aut voces emittat. Vehementia quoque eorumdem interdum ſanguinem elicit; ipſum quoque corpus ſubinde inſolitis quibuſdam tremoribus concutitur, ſubſultat, diſcurrit, cordialiſſima quadam actum lætitia, & jubilò, ſicut de multis ſanctorum legimus. Solet hæc ſobria eſſe ſpiritus divini ebrietas.

VIII. Porrò cum exteriora illa, quæ in Raptibus videntur, tam Dei quam Dæmonis operationes eſſe queant; nam, & ipſe illas, quas numero præcedente dedimus, impreſſiones cauſare poteſt; hinc qui de Raptibus ferre judicium volet, accuratè interiora illorum motiva, ſecundum ordinarias paſſionum vel affectuum ſpiritualium (quos in tractatu de diſcretione Spirituum deſcripſimus) regulas examinare debebit; parvi ducendo ea, quæ in corporibus raptis videntur, ſi alia bona ſigna non concurrant.

G

An Angeli novas ſpecies intellectus infundere poſſint?

H

IX. Circa viſiones vel apparitiones, in raptibus repræſentari ſolitas notandum eſt, duas res concurrere ſolere: una eſt ipſa repræſentatio vel imagines, quæ intellectuales, & imaginariæ eſſe poſſunt, prout ipſa futura eſt viſio; altera eſt judicium, quod de rebus per imagines illas repræſentatis homo format. Repræſentatio per ſpecies fit intelligibiles, vel imaginarias, quæ ſunt ceu diverſæ quædam imagines in intellectu, vel in imaginatione poſitæ: quod fieri poteſt, Deo eas vel novas infundente, vel eas quæ in intellectu vel imaginatione jam ſunt uſurpante, vel ita eas ordinante & componente, ut aptæ ſint repræſentare id, quod divina Majeſtas revelare voluerit. Ubi notandum eſt, ne quidem Angelum, multo minus dæmonem, novas infundere ſpecies poſſe, non intellectui tantum, ſed ne imaginativæ quidem, [ut S. Thomas aſſerit.] quamquam illas ordinare, & componere ſpecies aut imagines poſſint, quas in imaginativa inveniunt, ut id repræſentent, quod voluerint. Judicium vero, quod de rebus repræſentatis homo efformat, per ſupernaturale fit lumen, quod Dominus infundit, quando illi ali-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

aliquid revelat. Hoc vero judicio nihil quoad Viſiones dari nobilius poteſt: per illud namque Dei ſenſum cognoſcit homo: cum ſine hoc judicio Viſiones imperfectum quid ſint, quod etiam nonnullis, qui ſenſum Domini non comprehendunt, uti in Pharaone, & Nabuchodonoſore factum eſt, communicari ſolet.

A

Dan. 5.

X. Quoad has repræſentationes, vel Viſiones notandum eſt: quod, quando apparitiones exteriores contingunt, uti dum Baltazari Regi Chaldæorum manus illa, in pariete ejus mortis ſententiam ſcribens, apparuit. Similiter quoque, quando repræſentationes aliquæ intellectuales occurrunt (de quibus jam non eſt loquendi locus,) uti dum Deus Salomoni, & Apoſtolis ſapientiam una cum ſupranaturali quodam lumine infudit; locum in illis non habeat illa abſtractio vel à ſenſibus alienatio, quæ videtur in Raptibus: at ſolum tum, cum Deus aliquìd in imaginativa repræſentat. Differentiæ hujus ratio eſt, quod in duobus primis caſibus intellectus judicat ſeſe ad ſenſibilia convertendo; ſed in tertio neceſſe eſt, ut homo à rebus ſenſibilibus (id eſt, exterioribus, quæ ſenſus movent exteriores) recedat, ne interna imaginativa apparitio decipiatur, dum ſibi perſuadet, videre ſe exterius, quod per imaginationem tantum videt vel cognoſcit. Atque inde fit, quod, quando abſtractio vel alienatio à ſenſibus imperfecta eſt, non facilè diſcerni queat id, quod quis tantum imaginatur, ab eo, quod exterius videtur. Quod Magiſtros, & Directores ſpirituales notare oportet, ut prudenter de hiſce rebus judicent.

Apparitionum, externarum, & Raptuum diſcrimen.

B

XI. Viſiones intellectuales & imaginariæ contingunt, quando anima vel per contemplationis vehementiam, vel per aliquem raptum à ſenſibus alienatur. Viſio imaginaria in tres diſtingui gradus ſolet. Primus eſt, quando videntur ſigna vel imagines. Secundus, quando non modo apparent ſigna, verum etiam percipiuntur verba. Tertius eſt, quando ſimul cum ſignis, & verbis aliqua apparet perſona, quæ vel loquatur vel aliquid declaret. Atque hoc poſtremum ceteris eſt præſtantius, & dignius. Verum viſio intellectualis his tribus gradibus longè eſt nobilior, quod ad beatam cæli viſionem quam proximè accedat. Nota Viſiones imaginarias multis eſſe obnoxias periculis: dæmon namque, & propria imaginativa vehemens multas viſiones ſibi fingunt, ſimiles illis, quas Deus immittit. Atque hinc eſt, quod viri ſpirituales eas metuant, & quantum poſſunt, declinent.

Trina viſionum imaginarium diſtinctio.

C

Viſio intellectualis nobilior imaginaria.

D

XII. Revelationes, quæ unà cum Apparitionibus his obtingere ſolent, & propriè in Viſionum, & ſignificationum interiorum intelligentia conſiſtunt, ſunt variæ, prout ſua communicare ſecreta tum præterita, tum præſentia, tum abſentia, tum futura Dominus dignatus fuerit. De quibus, uti & de Viſionibus, aliud nobis dicendum non eſt, quam debere nos ad ſigna communia, de quibus in Tractatu de Diſcretione ſpirituum loquuti ſumus, recurrere. Hoc ſolum moneo, eos, quibus hæc interiora contingunt, eſſe debere tum cautiſſimos, ne ſcilicet nimis cito, & temerè credant; tum prudentiſſimos, ne illa paſſim divulgent; deinde viros doctrina præſtantes, & ſpiritu Dei repletos antè conſulere debere, quam vel minimum quid eorum, quæ vel ſibi, vel aliis erunt revelata, exequantur.

Variae revelationes in apparitionibus.

E

TRACTATUS

DE THEOLOGIA MYSTICA.

Etſi de Theologia myſtica (quod altiſſimum quid ſit, & tam arcana ratione, ut reverentiam in legentibus excitet, à D. Dionyſio Areopagita tradita ſit) lingua vulgari nihil conſcribi debere videatur; tamen cum ætatis hujus noſtræ ſtatum conſidero, qua nimirum multi de hac ipſa materia, in terminis parum intelligibilibus, idiomate vulgari conſcripti libri leguntur; è quibus non mediocre ſpiritualibus hominibus damnum accedit: cum etiam utilitatem perpendo ſecuturam ex eo, quod magna cum brevitate, & claritate idiomate vulgari conſcribantur ea, quæ hac in parte admodum intricata, perplexa, & obſcura ſunt; ad majorem Dei gloriam futurum putavi, dictæ Theologiæ puncta clarè diſtincteque, ipſam rerum realitatem, & ſubſtantiam, juxta communem Doctorum, ac præſertim DD. Thomæ ac Bonaventuræ doctrinam producendos complecti.

F

S. Bonav. ſermon. 2. de luminar. Eccleſ. ponit definitionis hujus ſenſum, quem poſteà auctores poſteriores ſunt ſecuti.

II. Dubium I. Quid eſt Theologia myſtica? Reſpondeo, eſt altiſſima quædam Dei notitia, vel experimentalis illius cognitio, per elevatiſſimam quamdam voluntatis cum ipſo unionem obtineri ſolita.

G

Theologiae myſticae definitio.

III. Dubium II. Quænam notanda ſunt, ut in definitionis hujus Theologiæ myſticæ intelligentiam homo perveniat? Reſpondeo, ſequentia hæc notanda ſunt. Quando quis eſt in gratia Dei, inter cetera bona ſpiritualia, quæ habet, quandam poſſidet qualitatem, vel habitum excellentiſſimum, ipſam inquam ſapientiam, quæ inter dona Spiritus Sancti numeratur, & in ipſo intellectu verſatur. Si quando autem Deo placuerit, ſpeciali quodam auxilio, & luce mirabili indita huc concurrit; & intellectus, per hunc Sapientiæ habitum, deinde per illud divinum, nobiliſſimum quemdam producit actum; qui actus non eſt cognitio quædam divina ordinaria, ſed extraordinaria, & tam efficax, ut in affectu terminetur, ingentem quemdam divini amoris æſtum in voluntate accendendo. Conſentanea hæc ſunt iis, quæ tradidit D. Thomas, quo loco de inviſibili filii Dei miſſione loquens, miſſionem hanc ait non in quacunque intellectus perfectione fieri, ſed tunc, quando talis inſtructio vel notitia intellectui communicatur, ut in amoris affectum pro-

H

1. p. q. 45. art. 5.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

Lib. 4. de Trinitate.

A

Itin. 3. Aeternit. diſt. 2.

prorumpat. Atque ad hoc propoſitum Auguſtinum in teſtem citat dicentem. *Filius mittitur, cum à quoquam cognoſcitur, vel percipitur:* id eſt, tunc ad animam mittitur, quando quis eum perceptione vel guſtu experimentali cognoſcit. Atque idcirco ſubnectit D. Thomas: *Perfectio autem experimentalem quamdam notitiam ſignificat: & hæc proprie dicitur ſapientia, quaſi ſapida ſcientia.* S. Bonaventura hanc doctrinam his verbis declarat: *Actus ſapientiæ eſt contemplari Deum, non quomodocumque, ſed ex dilectione, cum quadam experimentali Dei ſuavitate in affectu,* vel voluntate. Voluntas porrò per hanc bonitatis, pulchritudinis, aliarumque perfectionum divinarum notitiam Seraphico quodam ardore inflammatur, & virtus charitatis in hac voluntate conſiſtens ardentiſſimi amoris actum producit, & mirabili quodam modo ſupra intellectum elevatur, idque propter majorem elevationem, quam illi charitas confert, quam non fides, & ipſum etiam ſapientiæ donum confert intellectui. Cum inter tres virtutes Theologicas charitas omnium ſit altiſſima, & ſublimiſſima, uti docet Apoſtolus; & omnes virtutes Theologicæ, ac præſertim charitas, altiores, & excellentiores ſint, quam dona Spiritus Sancti, juxta ea, quæ tradit D. Tom. Unde ſequitur id, quod diximus, ſcilicet voluntatem in hac vita magis ad Dominum ſuſtolli, quam non ipſe intellectus; quia nimirum majorem elevationem illi confert charitas, (quæ etiam in ipſa verſatur) quam non fides, & ſapientia intellectui, in quo prædicti habitus ſunt. Quod hoc loco rationibus ſpeculativis à nobis demonſtrari neceſſe non eſt, cum doctrina certa ſit. Ut autem ulterius progrediamur, Deus ineffabili ſua dulcedine ad ſe voluntatem attrahit, atque in hac elevatione eam tangit, amplectitur, unit vel oſculatur amore quodam cœleſti, & deliciis divinis. Denique, poſt unionem hanc, & delicias divinas, intellectus clariorem multò, & ſublimiorem de Deo notitiam formet, quam ante habebat, quamvis prima illa admodum eſſet, elevata, & ſublimis. Hæc primaria, & principalia ſunt puncta, quæ ſervanda ſunt, quo ad myſticæ Theologiæ notitiam quis perveniat.

Charitas inter Theologales virtutes omnium altiſſima.

B

Voluntas in via magis extollitur ad Deum quam intellectus.

C

D

IV. Dubium III. Quodnam prædictorum ſit Theologia myſtica: num habituale illud Sapientiæ donum, quod in intellectu verſatur; an actus ille contemplationis, qui ab illo habitu per ſingulare Dei auxilium enaſcitur, & ipſos voluntatis actus præcedit; an verò ipſe actus amoris, qui per hanc contemplationis notitiam ab habitu promanat charitatis in voluntate exiſtentis; an etiam ille Dei guſtus, qui ſequi ſolet, quando voluntas per ſingularem Dei opem ad altiſſimam hanc cum Deo unionem ſoſtollitur; an denique ſit clarior, & mirabilior illa contemplatio, quæ poſt hanc unionem, & guſtum Dei ſequitur? Reſpondeo, inter quinque illa jam enumerata, quartum, (ſcilicet illum guſtum vel experientiam Dei, qui quidam voluntatis eſt actus magis elevatæ, quam ipſe elevetur intellectus) Theologiæ myſticæ actum, & maximè proprium, & præcipuum eſſe; ſecundum autem actum illam eſſe notitiam, vel contemplationem clariorem, quæ poſt Dei guſtum, & experientiam, per quam intellectus mirificè illuſtratur, ſequitur. Inter Theologiæ myſticæ actus numerari quoque ſolet actus divinæ contemplationis, qui hunc Dei guſtum antecedit. Quod mihi ſanè quam maximè probabile videtur; cum ipſe actus ſit doni Sapientiæ, quæ Theòlogiæ myſticæ (ut nonnulli ſcriptores aſſerunt) habitus eſt. Circa hoc autem reſponſum notandum eſt, propriiſſimam, & ſecretiſſimam Theologiæ myſticæ partem, de qua auctores, plus, & quidem verbis ſententiiſque graviſſimis, quam de aliis loquuntur, eſſe guſtum illum, & experientiam ac perceptionem Dei, ad quam (uti diximus) voluntas elevatur, & divinè à Deo attrahitur. Jam ſupereſt aliquibus difficultatibus circa doctrinam ſupradictam occurrentibus reſpondere.

E

Theologiæ myſticæ actus.

F

V. Dubium IV. Si Theologia quandam de Deo notet ſcientiam, quomodo ergo Theologia vocari poteſt actus ille guſtandi Dei, qui nec propriè ſcientia, nec actus ſcientiæ eſt, cum non ſit notitia, nec cognitio, ſed tantum guſtus, & experientia Dei? Reſpondeo, notitia, fateor, non eſt; ſed ſicut communi Viſionis nomine omnes reliquorum ſenſuum functiones denotantur (adeo, ut etiam quando quis cibum aliquem ſapidum comedit, dicere ſoleat: Nullum hoc unquam ſapore vidi gratiorem ſapidioremque) ita in actibus interioribus nomen ſcientiæ vel notitiæ (quæ viſio quædam interior eſt) pro quacunque perceptione, ac velut ſenſatione interiore uſurpatur. Atque hoc in ſenſu dicimus, hanc perceptionem, & guſtum Dei, Theologiam eſſe, addi verò etiam, myſticam, ideſt ſecretam, ad illud ipſum denotandum.

Theologia myſtica, guſtus, & experientia Dei dicta.

G

VI. Dubium V. Num voluntas magis Deum diligat, quam eum intellectus in hac Theologia comprehendat? Reſpondeo, quod ſic, ex doctrina D. Thom. quod etiam in multis aliis rebus accidit: uti exempli cauſa, dum quis pictoriam vel verſificatoriam magis amat, quam fortaſſe intelligat, hac autem doctrina videre eſt, quam verum ſit illud, quod diximus, voluntatem, in qua amor eſt, ad Deum magis ſuſtolli, & elevari, quam intellectum. Unde facile intelligetur (quantum quidem ſufficiat lectoribus) quomodo voluntas ſublimiſſima, quadam elevatione attrahatur, ad quam intellectus ipſe non pertingit: in hac autem elevatione illa fit per tactum, guſtum, & experientiam Dei unio. Variis id nominibus exprimere debeo, quod res ex ſe ſit ineffabilis.

1. 2, q. [illegible] *art. 2.*

H

Quomodo voluntas attrahatur?

VII. Dubium VI. Quomodo verum ſit id, quod diximus, ſcilicet poſt illam Dei experientiam vel guſtum quendam ab intellectu notitiæ vel contemplationis clarioris de Deo actum produci, quam non ſit alter ille contemplationis actus, qui dictum guſtum præcedit? Reſpondeo, id veriſſimum eſſe, & inprimis credibile videri, etiam iis, qui nullam rerum divinarum cognitionem habent; ſicut quotidiana experientia in aliis rebus liquidò videre eſt. Continget interdum, ut aliquis toto vitæ tempore mel non guſtaverit: qui dum de ejuſdem dulcedine alios loquentes audit, credit, & alium quendam conceptum clariorem, & dulcedini huic proprium efformat, à guſtu ipſo, qui illam notitiam ultimam præcedit, convictus. Ita accidit iis, qui ante divinas perfectiones contemplantur, quam eas deguſtent, vel poſtquam eas jam guſtarunt, longè aliter, & mirabili quadam differentia quam ante; quam ſummopere obſtupeſcunt. Nota, notitiam hanc quantumvis elevatiſſimam, ad gloriæ perfectionem, & claritudinem non pertingere ſed eſſe tantum quandam velut æternæ beatitudinis inchoationem.

A

Comparatio.

Fruitio, actus voluntatis.

B

1. 2. qu. 11. art. 1.

VIII. Dubium VII. Cur hic Dei guſtus voluntati attribuatur? Reſpondeo, quod hæc è ſublimioribus Dei fruitionis ſpeciebus ſit, quæ quidem in hac vita haberi queant: ac ſecundum communem Theologorum cum D. Thoma ſententiam, fruitio actus quidam eſt voluntatis.

Contemplatio unde fiat?

C

IX. Dubium VIII. Quibus in partibus aut portionibus rationis hæc perceptio, vel guſtus Dei, & illa contemplatio, quæ guſtum præcedit, ac denique alia illa contemplatio, quæ poſt dictum guſtum ſequitur, verſetur? Reſpondeo, tres hoſce actus in ſuperiori rationis, id eſt, intellectus, & voluntatis parte eſſe; adeo ut duo illi contemplationis actus in parte, vel portione inferiori intellectus, & ille Dei guſtus in ſuperiore parte aut portione ſit voluntatis, quæ reſpondet illi ſuperiori intellectus parti; in qua intellectus parte ipſum ſapientiæ donum etiam eſt. Verum notandum eſt, in illo guſtu, vel myſtica Dei perceptione, voluntatem magis quam intellectum juxta doctrinam num. 6. aſſignatam elevari.

1. part. qu. 79. art. 9.

Ratio ſuperior, quae?

Quaeque inferior?

D

Pars inferior, quae communiter intelligatur?

E

X. Dubium IX. Quid eſt portio vel pars ſuperior, & inferior rationis? Reſpondeo, ex mente D. Thom. intellectum, in quantum divina & æterna contemplatur, vel in quantum ea reſpicit ad actiones ſuas dirigendas, vel ad aliud quid faciendum, rationem ſuperiorem vocari: at in quantum creata conſiderat, eaque ſecundum rerum creatarum rationes diſponit, vocari rationem inferiorem: & idem prorſus per nomen partis, vel portionis ſuperioris rationis intelligi, quod per rationem ſuperiorem, & per nomen partis vel portionis inferioris rationis, quod per rationem inferiorem. Et juxta hujus diviſionis analogiam ſimilis alia in voluntate formari ſolet, in quantum portionis ſuperioris vel inferioris intellectus lucem ipſa ſequitur. Nota, univerſam ſenſitivam hominis partem vocari ſolere rationem inferiorem; in quantum intellectus, & voluntatis obedire poteſt imperio. Notandum inſuper, communiter à ſpiritualibus viris per partem hominis inferiorem, totam partem ſenſitivam; & per ſpiritum hominis partem intellectivam intelligi: ideoque dici ſolere: Talis hunc, vel illum ſpiritum habet, ideſt talis, quoad intellectum (& conſequenter quoad voluntatem) hoc vel illo modo procedit. Ex his melius intelligetur id, quod in priori dubio reſponſum eſt, ſcilicet Theologiam myſticam in ſuperiori intellectus, & voluntatis parte, vel portione ſitam eſſe; cum Theologia hæc nihil ſit aliud, quam guſtus, & ſublimiſſima quædam de divinitate notitia: & jam ſupra diximus, intellectum, in quantum divina æternaque contemplatur, & cognoſcit, rationem ſuperiorem dici.

Quid de Intelligentia, & Apice mentis; nomina a quibuſdam Theologis inventa?

F

XI. Dubium X. Num vera ſit illa duarum potentiarum diſtinctio, quam nonnulli Theologi adinvenerunt, ut ſcilicet earum una dicatur Intelligentia, nec non aliis nominibus; quam quidam intellectu eſſe dicunt altiorem; altera, quæ voluntate ſit altior, Apex vocetur mentis, & aliis variis nominibus? Reſpondeo, cum communi Theologorum, & præſertim D. Thomæ, ſententia, diſtinctiones has non eſſe veras, nec ullas revera eſſe intellectus, & voluntatis potentias aliis altiores, neque opus eſſe ſublimiora elevatioraque quædam circa quaſcunque paſſiones divinas, quæ in auctoribus, tum antiquis, tum modernis leguntur, comminiſci. Addo inſuper diſtinctiones has, & illam nominum (quæ ſtudio ſupprimo) varietatem, & copiam exiguum, ut quidem ipſe colligo, fructum attuliſſe; quin potius magnæ confuſionis cauſam fuiſſe, ac feciſſe, ut divina (quæ intelligibiliora eſſent, ſi quam pauciſſimis iiſque clariſſimis terminis declararentur, incognitos, & cum Theologia ſcholaſtica parum conformes terminos ſtudioſè non conquirendo) intricata, & inacceſſibilia fiant, quemadmodum præſtantiſſimi quique, & ſpiritualium rerum ſtudioſi Theologi confitentur.

G

Lib. 10. de Trinitate. 1. 2. q. 27. art. 2.

XII. Dubium XI. Quæritur, verumne ſit illud, quod nonnulli de myſtica Theologia tradiderunt, ſcilicet, voluntatem amare poſſe, etiamſi intellectus amare non intendat, adeo ut omnem operationem intellectus excludant? Reſpondeo, id verum non eſſe, cum S. Auguſtinus, quem citat S. Thomas. De quo puncto aliud hic dicendum non eſt, quàm ſolidiſſimam, & fundatiſſimam illam doctrinam tenendam eſſe, ſcilicet voluntatis objectum eſſe bonum cognitum, & ſine objecto nullum prorſus eſſe amorem poſſe.

H

Quid de variis nominibus a Theologis inventis?

XIII. Dubium XII. Num verum ſit id, quod multa nomina à Theologis myſticis uſurpata ſignificant, ſcilicet potentias intellectus, & voluntatis in rebus divinis recipiendis, vel dum in myſticis illis cum Deo unionibus verſantur, velut attonitas manere, quaſi otioſæ agerent, ac nullum actum producerent, ſed tantum quid paterentur, & lucis, & guſtuum divinorum ſolum influxum reciperent? Reſpondeo, harum rerum plurimas piè eſſe interpretandas, quod ſint quidam loquendi modi amatorii: qualis etiam

exem-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

exempli loco foret, ſi mori diceretur anima ut in Deo viveret, vel, non ſibi vivere, ſed in Deum transformari; & ex ſe nihil agere, ſed operationes Dei tantum in ſe admittere, aliique loquendi modi, ſimiles illi Paulino. *Vivo ego; jam non ego; vivit verò in me Chriſtus.* (Gal. 2.) Unde hæ loquendi formulæ benignè ſunt intelligendæ, & interpretandæ: A ſed, quod ad rem ipſam pertinet, conſtat intellectum, & voluntatem in illis altioribus unionibus modo quodam tranquilliſſimo operari. Quod ad præſentem quæſtionem ſufficiat.

Quid de lectione librorum illorum, qui praedicta nomina habent?

XIV. Dubium XIII. num conſultum, & conſentaneum ſit, illos myſticæ Theologiæ libros legere, in quibus hanc nominum adinventorum, & diſtinctionum parum cum Theologia Scholaſtica conformium varietatem invenire eſt? Reſpondeo id ordinarie conſultum non eſſe: quamquam bono cuidam Theologo id utile eſſet; qui ſcilicet omnem doctrinam internoſcere, & iis, quæ parum propria ſunt, relictis, alia, quæ ad majorem lucem, & Dei amorem excitandum, & proximum docendum illi ſcripſerunt, B ſibi norit ſeligere.

TRACTATUS

DE DISCRETIONE

Spirituum.

Nomine ſpiritus quid intelligatur?

I. DUO ſignificat nomen ſpiritus, Primum id quod ſpirat, vel inſpirat, vel aliquo impellit; quale eſt Deus, Angelus, dæmonium, & proprius ſpiritus, vel anima hominis. Deinde ipſam, quam ab illis ſpiritibus homo recipit impreſſionem, quæ vento, & flatui non diſſimilis eſt, (un- C de etiam is per nomen ſpiritus exprimi, & ſignificari ſolet) quæque non aliter hominem ſpiritualiter impellit, ac ventus corporaliter.

1. p. q. 111. Quomodo Deus, & Angelus movere poſſint voluntatem?

II. Hoc in loco communem illam Theologorum, & inprimis D. Thomæ doctrinam ſupponimus, ſcilicet ſolum Deum voluntatem movere poſſe quoad illius interiora; Angelum autem vel dæmonem ſolum quoad ejus exteriora: quod faciunt, vel illi proponendo ea quæ apta ſunt eam movere, vel paſſiones ad eam inclinandam movendo, ita tamen ut voluntati liberum ſemper ſit vel conſentire, vel diſſentire.

Quomodo Angelus hominis intellectum illuminare poſſit?

III. Supponimus adhæc, Angelos hominis intellectum illuminare poſſe: idque non immediatè quidem ſuum hominibus conceptum declarando, uti unus Angelus alteri: ſed aliqua illis ſigna, tum exteriora, tum D interiora; ideſt phantaſmata in imaginativa repræſentando: ipſum etiam dæmonem dicta ſigna facere poſſe, quo hominem inſtiget, vel decipiat. Adhæc tam dæmonem quam Angelum in imaginativa operari poſſe, tum phantaſmata commovendo, tum diverſa repræſentando, tam cum aliqua alienatione ſenſuum, quam ſine illa; ſpeciem tamen ante per ſenſus non receptam imprimere non poſſe, uti docet D. Thom. (1. p. q. 111. art. 3. ad 2.) Movere quoque appetitum poſſe ſenſitivum, humores immutando, quo paſſiones excitent: poſſe denique ſenſus movere exteriores, tam perturbando ſenſoria, ut res ſenſibiles aliæ videantur quam revera ſint, quam per varias formas exterius eas repræſentando. E

Omni in Spiritu duo notanda, & quae?

IV. Supponimus adhæc, omni in ſpiritu duo notanda eſſe. Primum eſt, quædam lux tum vera, tum apparens, in intellectu cauſata, ſaltem indirecte, quæ vocatur inſtinctus. Alterum eſt, quædam voluntatis motio, quidam ſcilicet affectus, puta gaudii, amoris, odii, &c. In his duabus rebus multi contingunt errores, cum per ſpiritus maligni illuſiones, tum per propriam imaginationem.

Motio Dei, & Angeli differunt in multis.

V. Circa ſpirituum differentiam quædam facienda diviſio eſt; alia enim eſt inſpiratio, & inſtinctus Dei, vel Angeli; alia dæmonis Inſtigatio, alia ipſa ſpiritus hominis motio. Etſi enim multis in rebus motio Dei, & Angeli differant, in eo tamen conveniunt, quod ambæ ſint bonæ. Nec obſtat, F quod neſciat homo patiens, ab utro horum ſpirituum moveatur; divinone an angelico, cum effectus ſit ſemper bonus. Ipſa autem ſpiritus humani motio non ſemper malos habet effectus, uti dum quis per naturalem lætitiam mentis movetur, & eam ipſe à Dei ſpiritu venire putat. Eſt hic quidem error materialis, ſed non ſemper ideo mali ſequuntur effectus,

Spiritus omnium ſecuriſſimus, qualis?

VI. Hiſce principiis præſuppoſitis quæritur, quis ſit, univerſaliter loquendo, ſpirituum omnium ſecuriſſimus? Reſpondeo, illum ſpiritum ceteris ſecuriorem videri, qui voluntatem movet, ut tamen nulla, uti ordinarie fieri ſolet, imaginationis vel intellectus operatio præcedat. Quod fit, quando nulla G omnino præcedit cauſa vel objectum, quod voluntatem ordinario modo emovere potuiſſet; voluntas tamen ſe erga Deum moveri ſentit. Nota, non dicere nos voluntatem ſine intellectus operatione moveri, ſed tantum ſine ea intellectus operatione moveri, quæ ordinario modo præcedat. Quod fieri poteſt, cum intellectum eo ipſo in puncto Deus illuminat, quo voluntatem ab interiori ejus parte impellit. Doctrina hæc conformis eſt iis, quæ ſupra ex communi S. Thom. & aliorum Theologorum ſententia dicta ſunt; ſcilicet, ſolum Deum voluntatem ad intus movere poſſe: Nec non iis, quæ idem Doctor tradit (1. p. q. 11. art. 2.) etſi efficax aliqua præcedat apprehenſio, quæ voluntati aliquod bonum quaſi appetibile vel deſiderabile proponat. Quia etiam illo modo ſolus Deus efficaciter movere voluntatem poteſt, Angelus ſolum H ei perſuadere.

VII. Ut verò ulterius pergamus: ex illorum Theologorum (qui docent, intellectum in hac vita per ſpeciale divinum auxilium intelligere aliquando poſſe, quamvis tamen ad nulla ſe phantaſmata convertat,

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

Impreſſiones purę intellectuales, cur ſecuriores?

tat, ideſt intelligere ita poſſe, ut tamen imaginatio operando non concurrat) ſententia optime concluditur, & bona conſequentia efficitur, inſpirationes, viſiones, revelationes, allocutiones, & alias quaſcunque impreſſiones, purè intellectuales, multò eſſe ſecuriores, cum non ſolum diabolus, ſed, & Angelus bonus nonniſi indirectè per imaginativam in hominis intellectu operetur. Unde ſi quædam ſint impreſſiones, vel paſſiones divinæ purè intellectuales, ſine ulla imaginationis cooperatione productæ (uti viri ſpirituales probabiliter oſtendunt,) ſequitur eas, & multò ſecuriores, & ab imposturis ſpiritus maligni, vel ſpiritus privati liberiores eſſe. Atque adeo in omni opinione eò minus periculi eſſe, quo minus ea imaginarii habuerit, ſecundum doctrinam ſuprà circa ea, quæ ſpiritus malignus efficere poteſt, allegatam.

A

VIII. Quæritur, num juxta ea, quæ Theologi docent communes aliquot ſtatui poſſint regulæ ad ſpiritus univerſaliter diſcernendos, ſive ii ſint animæ motiones, ſive viſiones, vel revelationes? Reſpondeo eſſe, quia, juxta doctrinam communem, ex ipſis effectibus, quos faciunt, diſpiciendum eſt, num ad majorem puritatem, humilitatem, &c. hominem excitent. Diſpicienda etiam verborum veritas, quando aliqua audiuntur, vel conceptus formantur. Diſpiciendum quoque, quæ eorum ſit cum ſacra Scriptura, & Sanctorum doctrina conformitas. Videndum denique, num is, cui obtingit inſpiratio, vel qui viſiones habet vel revelationes, benè ſit tum quoad ſpiritum, tum quoad corpus diſpoſitus; videndum inquam, an ſit ſuperbus, contumax, melancholicus, in amore, & aliis paſſionibus immoderatus, ac præſertim in rebus ſibi per imaginationem efformandis; num curioſus, incompoſitus, immodeſtus, nec non aliis imperfectionibus obnoxius, quibuſcum ſimul Dei ſpiritus nequit conſiſtere. Circa res autem revelatas, ut illæ bonæ ſint, advertendum eſt, an Deo dignæ, num inutiles, indecentes, curioſæ ſint, num tales, ut ſine revelatione aliqua etiam cognoſci queant; denique num debitam cum divina majeſtate, ſapientia, ac bonitate, & cum perſona eas recipiente, & cum tempore, & loco, aliiſque decentiæ & convenientiæ circumſtantiis proportionem habeant. Itaque ſi hæc capita obſerventur, adhæc in iis, quibus viſitationes hæ interiores obtingunt, magna notetur veritas, & inſignis cum S. Scriptura, & ſanctis omnibus conformitas; nec non eximii pietatis effectus, major perfectio, & vitæ ſanctimonia notabilis; piè prudenterque judicari poteſt, hunc ſpiritum eſſe Dei; ſi ſecus, ſpiritum diaboli, vel propriam imaginationem videri.

B

Regulae communes ſtatuuntur ad Spiritus diſcernendos.

C

D

Divinae inſpiratiouis effectus.

IX. Circa effectum, quem inſpiratio facit, quæritur, quemnam divina inſpiratio effectum initio, & in fine faciat? Reſpondeo, in principio timorem vel turbationem afferre ſolere: quod à rei novitate magnitudineque ortum habet, nec non ab ipſius ſubjecti diſpoſitione, quando nimirum hoc iis non aſſuevit: ſed tandem in optimos pietatis effectus deſinit, dum mentem illuminat, flectit, calefacit, & exhilarat, &c. Diaboli verò inſtigatio planè ſecus agit: nam primo quandam boni exerit apparentiam, poſtea vero deſinit in malum. Nota tamen, ſpiritualibus, quibus anima purgata eſt, etiam ſub initium inſpirationem divinam cum aliqua ſuavitate, ac ſine terrore ullo contingere ſolere. Vice verſa nonnullos flagitioſiſſimos, diaboli communicationi jam aſſuetos; eò tandem venire, ut ſine ullo terrore, etiam teterrima apparentem figura, eum videre ſuſtineant.

Diabolicae inſtigationis effectus.

E

X. Quæritur, num ipſi, quibus favores hi interni obtingunt, differentiam illam percipiant, quæ inter bonum aut malum aut privatum ſpiritum eſt? Reſpondeo, percipere; quando jam iis favoribus recipiendis aſſueverunt. Sicut de ſancta Monica legitur. Non propterea tamen ſuo niti debent judicio, ſed cum ſapientibus, & ſpiritualibus viris ſua arcana conferre.

S. Aug. lib. 6. Conf. cap. 13.

F

XI. Quæritur, num illæ inſpirationes vel favores breves ſint? Reſpondeo eſſe; uti etiam contemplatio, juxta communem ſanctorum opinionem.

XII. Quæritur, num frequenter hæc accidere ſoleant? Reſpondeo, nonnullis Dei ſervis ſæpius hæc dari, etſi alioquin frequentiores ſint inſpirationes, quàm viſiones, vel revelationes, vel locutiones interiores.

Alia ſigna ad diſtinguendum Dei ſpiritum a maligno, ex D. M. Tereſia. Primum.

XIII Quæritur, num alia particulariora ſigna ſint ad probabilius ſpiritum Dei à maligno, vel privato diſcernendum? Reſpondeo, Sanctos, & ſcriptores ſpirituales multa illorum obſervaſſe, inter quæ inprimis notabilia ſunt illa, quæ B. Mater Tereſia obſervavit. Primum eſt, Dei animam alloquentis potentia, & imperium: quia loquitur ſimul; & operatur. Unde exempli cauſa, uno verbo (puta *noli timere*) magnam nonunquam perturbationem ipſe quietat, animaque hoc audito tranquillitatem ſummam experitur. Signum hoc B. Matri noſtræ cæteris omnibus viſum eſt ſecurius. Secundum eſt pax, quies recollectio interior, devotio, & magna in laudibus divinis promptitudo. Tertium, ſi anima, quando loquentem Dominum audiit, longo verba ejus tempore, & nonnulla etiam quoad vivat memoriæ inſculpta geſtet. Quartum eſt, magna de futuro eventu impreſſa ſecuritas etſi illi variæ deforis difficultates obiiciantur. Præter ſigna hæc aliquot alia Beata Mater noſtra annotavit, quæ in quodam Dei ad animam loquendi modo conſiſtunt, ut ſcilicet ei per aliquam viſionem intellectualem in intimis ipſius animæ penetralibus tam ſecretò loquatur, ut ne ipſe quidem diabolus hæc intelligat. Primum horum ſignorum eſt ipſa verborum, & locutionum Dei claritas, ut quæ ſupra omnem claritatem mirabilis eſt; nec non tenacitas memo-

G

Secundum.

Tertium.

Quartum.

H

Alia ſigna in quodam Dei loquendi modo ab eadem B. M. Tereſia tradita. Primum.

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

Manſuetudo.

Secundum.

Tertinm.

A

Quartum.

Quintum.

B

moriæ, qua anima verba illa comprehendit, & retinet, ut illorum etiam ſtylum, & voculas, & ſyllabas annotet. Alterum eſt, ſi ſæpè nulla de illis rebus præcedat cogitatio, divinaque verba extempore efformata alicui cogitationi tunc per mentem magna velocitate tranſeunti, vel alii cuidam cogitationi ante illud tempus habitæ reſpondeant. Tertium, quod hæc verba intimis auribus anima percipiat, ad differentiam illorum, quæ ipſa ſibi imaginatur; cum imaginatio propria quædam ſit compoſitio. Quartum, ſi ad horum verborum vel unum magna in anima lux oboriatur; quod ſecus ſit, quando vel ipſamet operatur, vel diabolus. Quintum, ſi unà cum illis verbis ſublimiora quædam animæ revelantur, quam verba illa ſignificant. Etſi verò ſupradicta ſigna à B. Matre Noſtra ſint circa locutiones interiores obſervata, nihilominus uſui ſunt etiam, ut de viſionibus, revelationibus, & univerſaliter de omnibus inſpirationibus divinis judicium fiat, eæque ab inſpirationibus ſpiritus maligni, & propriæ imaginationis diſtinguantur. Ideoque cum ſignis illis communibus, quæ ſupra è communi Doctorum ſententia produximus, obſervanda, & conjungenda ſunt.

S. Aug. l. 10. Confeſſ. cap. 45.
Gregor. lib. 5, Moral. c. 23.
S. Beruard. &c.

C

Animadverſio.

XIV. Quæritur, num bonus ſit ille nonnullorum ſpiritùs, qui ſemper ſe actualem cum Deo unionem habere dicunt? Reſpondeo, durum id eſſe, & cùm doctrina Sanctorum parum conforme, docentium uniformiter mentem in ſublime elatam, & cum Deo unitam habere, breve quid eſſe, anima namque ſtatim ab illa mentis erectione per corporis molem recidit; ideoque viſionem illam actualem, adeo diuturnam, & perſeverantem, ut ſuſpectam habendam, ut dicunt nonnulli. At quando alia bona ſigna ſupra indicata concurrunt, actualis illa multi temporis, vel etiam dierum aliquot unio ut ſuſpecta non eſt habenda. Nota, diververſum quid eſſe, unionem illam actualem, & Deum ab anima ſemper inveniri, quoties ſeipſa recolligit, & ad ſe ingreditur. Secundum hoc veriſimile eſt hominibus nonnullis ſanctitate præſtantibus, certis temporibus etiam obtingere: ita tamen id differt à primo, perinde ac differt ſemper, quoties lubuerit, Pontificis alloquendi commoditatem habere, ſed non ſemper cum reipſa alloqui.

Quid de ſpiritu illo in deliciis enutrito?

D

Animadverſio.

E

XV. Quæritur, num bonus ille ſit ſpiritus, qui totus in deliciis ſpiritualibus verſatur? Reſpondeo, id ut plurimum ſuſpectum videri, quando deliciæ illæ longo durant tempore, in iis præſertim, qui magnas antè difficultates aut labores non ſubierunt. Ideoque inprimis diſquirendum, num illæ deliciæ in perſonis ſint per mortificationes, & tribulationes prævias exploratis, & num illæ eò referantur, ut illarum adminiculo ii, quibus offeruntur, majorem in perfectione progreſſum faciant, majorem erga humilitatem, patientiam, aliaſque virtutes affectum ſentiant. Tunc enim veriſimilius eſt, bonum ſpiritum eſſe, etſi eæ deliciæ ad multos continenter dies durent. Obſervandum præterea, num cum aliquibus doloribus vel afflictionibus, alternatim ingruentibus, permiſtæ ſint; quia etiam tunc veriſimilius eſt, ea à ſpiritu Dei deſcendere, ita tamen ut ſemper locum habeat communis illa de ſignis antè indicatis doctrina, ac præſertim illa de effectibus, ad virtutum exercitium, & progreſſum ſpiritualem faciendum conducentibus. Ex hac doctrina ſequitur, quando anima quædam multos dies alienatis eſt ſenſibus, & ſe ipſa credit interim in deliciis illis ſpiritualibus abſorptam eſſe, nullo alio præterea inde collecto fructu; hoc ſuſpicione non vacare; ideoque ſe illam excitare, & meditationi de virtutibus, imitationique ſanctorum vacare debere, ne ſic obtorpeſcat, & ad opera bona agenda inutilis, & inepta reddatur.

F

XVI. Quæritur, num bonus ille ſit ſpiritus, quando quis tractando cum Deo, intellectu vel voluntate operari ſe negat; ſed intra ipſam animæ eſſentiam operationem, vel illapſum Dei ſolum ſe recipere dicit, eum ſolum operari ſinendo, itaque quieſcendo, ne divinam hoc pacto operationem impediat? Nego hunc bonum ſpiritum eſſe, quam erroneæ cuidam, & à Theologis illuſtrioribus condemnatæ doctrinæ conformis eſt, quæ docet ipſam beatitudinem & fruitionem Dei in hoc illapſu conſiſtere: præterquam quod magna ſecum incommoda, & non mediocre multorum gratiæ, & gloriæ meritorum detrimentum ferat, ac ſimul verarum, & ſolidarum virtutum, ſtudium, per inanem humilitatis cujuſdam imaginariæ prætextum auferat.

G

Quid de ſpiritu illo qui putat, *roſeo, ſerto, annulo &c.* a Deo beari?

H

XVII. Quæritur, an ille bonus ſit ſpiritus, quando ſe anima ſola imaginatione putat extraordinariis quibuſdam viſionum donis, & amicabilibus quibuſdam amoris indiciis (puta roſeo ſerto, annulo, ſponſalium celebratione) à Deo beari? Reſpondeo, hæc quia extraordinaria ſunt, & ſummi, Theologi, virique admodum ſpirituales, ne in iis quidem, qui ad ſummam quandam jam vitæ ſanctimoniam pervenerant, crediderunt habere locum poſſe, niſi fortè poſt longam explorationem, vel etiam poſt mortem, ſanctitate opinione vulgo celebratam, & miraculis coruſcantem, ut plurimum ſuſpecta videri, & à Dei ſpiritu non venire, præſertim quando ii, quibus hujuſmodi occurrunt, adhuc tirones & nuper in Dei cultu novitii ſunt, & nondum graves continua ſui mortificatione, & diuturnis humilitatis, & aliarum virtutum exercitiis, labores exantlarunt. Hac doctrina confutari refellique poterunt ii, qui ſe vulnera aut ſtigmata Chriſti in corpore ſuo habere dictitant: quod minimè ſanè credendum eſt, niſi ea, quam diximus, antè maturitate adhibita, præſertim perſpectis illis impoſturis, & illuſionibus, quibus noſtra hac ætate quoad hoc plurimi illuſi fuere. Ut non dicam, hæc ſtigmata arte aliqua humana, & dia-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

bolica efformari poſſe; & ita quidem manifeſtè. ut patiens norit ea diaboli opera fieri; & ita quoque tectè, ut hæc à Deo facta ſibi eſſe credat.

Quid de illo qui poſt multas tribulationes blande a Deo habetur?

A

XVIII. Quæritur, num ſit bonus ille ſpiritus, quando anima, poſtquam jam diu mortificata eſt, & multos annos in pœnitentia, & in lacrymis egit, pacificè blandeque à Deo habetur? Reſpondeo credibilius videri hunc ſpiritum eſſe Dei: obſervandum tamen poſſe hic aliquam dæmonis illuſionem intervenire, ſi nimirum illæ blanditiæ parum ſpirituales, id eſt, nimis ſenſuales, & parum decoræ (ut nonnunquam accidit) ſint. Propterea nemo ſuperiori ſuæ fidere debet pœnitentiæ, ſed ſemper in metu, & timore vivere, ac Dominum rogare, ne ſe hic à ſpiritu maligno decipi ſinat.

Quid de illo qui facile raptus, & extaſes patitur.

B

XIX. Quæritur, num bonus ſit ſpiritus ille, quando quis facile raptus, & exſtaſes patitur? Reſpondeo, hunc ſpiritum ſuſpectum eſſe: hæc namque facilitas è vehementiori natura oriri ſolet, quæ ſtatim atque ulli affectui ſeſe applicat, exceſſivè inflammatur, & extra ſeſe rapitur. Naſci quoque ex dæmonis operatione poteſt, qui in imaginativa, in appetitu ſenſitivo, & in ſenſibus exterioribus operatur. Nec veriſimile eſt tot à ſpiritu Dei raptus cauſari, qui nec ad ſanctitatem eos patientis, nec ad proximorum bonum neceſſarii videntur: atque ideo iis, qui vehementioris naturæ ſunt, conſulendum, ut dum ſe ſentiunt inflammari, hos raptus avertant, aliqua ſibi ad hoc vi illata, maximè in locis publicis.

C

XX. Quæritur, num bonus ſit ſpiritus, quando eorum, quibus viſiones, & revelationes contingunt, aliquis ſubinde in errorem labitur? Reſpondeo, ſi vitæ, ſanctitatiſque ratio, & ordinariæ revelationes bonæ ſint, & ea probabilitate, quæ in hac quidem vita haberi poteſt, juxta ſigna ſupra indicata, veræ univerſaliter ideo eum indicari non debere à ſpirtu illuſorio, & nequam decipi, quod aliquo in caſu aliquando fraus, & illuſio intervenerit. Quanquam hic nos caſus ut circumſpecte, & caute in aliis poſt ſequentibus caſibus nos geramus, admoneat. Doctrina hæc conſentiens eſt iis, quæ S. Gregor. hom. 1. in Ezec. docet, nimirum ſanctos Prophetas, per aſſiduum prophetandi uſum, ſuo nonnulla ſubinde privato ſpiritu loqui, exiſtimantes à Dei ſpiritu hæc proficiſci. Unde ſubinde eos errare contingit, tametſi in aliis revelationibus ſuis propterea non errent. Similiter conformis eſt iis; quæ D. Thom. aſſerit, docens. Etſi Prophetæ certiſſimo norint, id, quod per expreſſam revelationem intelligunt, à ſpiritu divino deſcendere, ſecus tamen eſſe, quando alios quoslibet ſentiunt inſtinctus, quos ſemper diſcernere nequeunt, utrum à Deo, vel à ſpiritu ſuo privato proveniant. Unde eruitur, & ſequitur doctrina illa, quam in dubii reſponſione attulimus.

2. 2. q. 171. art. 5.

D

Quid de illo qui deliquium patitur?

E

XXI. Quæritur, an bonus ſit ſpiritus, quando qui ſe interius moveri ſentiunt, ſtatim deliquium animi patiuntur, & velut exanimes prolabuntur? Reſpondeo, certo efficaciterque hoc è ſigno erui non poſſe, utrum is bonus, an malus ſit ſpiritus: cùm in Scriptura nonnullos, viſis Angelis non modo ſummopere legamus turbatos. verum etiam viribus deficientes, in terram ſemianimes cecidiſſe. Deinde, ipſos etiam arreptitios turbari, & in terram concidere conſtet. Si vero deliquia hæc, & caſus in terram cum aliqua indecentia, & immodeſtia, inconditiſque geſtibus contingant, multo tum veriſimilius eſt, ſpiritus tartarei, vel vehementioris alicujus paſſionis hæc effectus eſſe. Et ut demus has prolapſiones incompoſite non fieri, ſed ſimpliciter tantum, ac tanquam ſi homo exanimaretur; nihilominus admodum probabile eſt, hæc capitis infirmioris, & languentis argumenta eſſe naturamque affectus inordinati vehementiæ velut victam ſuccumbere. Qui hujuſmodi rebus obnoxii ſunt, melius juvari non poſſunt, quam ſi ad aliquod tempus oratione abſtinere, bene comedere, & multum dormire jubeantur.

Paſſiones an cauſare poſſint exſtaſim?

F

XXII. Quæritur, an paſſiones efficere queant, ut homo velut exſtaticus, & abſtractus fiat? Reſpondeo, poſſe: quia interdum ita vehementes ſunt, ut omnem uſum rationis impediant, ut docent Theologi de paſſionibus agentes: Adeo ut per nimium gaudium, vel magnam triſtitiam, ii qui paſſionibus obnoxii ſunt, extra ſe ferantur. Unde colligere eſt, cum diabolus appetitum ſenſitivum (in quo paſſiones regnant) immutare queat, & una cum illo imaginativam, & ſenſus exteriores turbare; non raro aliquem raptu quodam divino abreptum viſum iri, cum aliud tamen non erit quam quædam dæmonis operatio, & naturalis paſſionis vehementioris exceſſus.

G

XXIII. Quæritur, num ille bonus ſit ſpiritus, quando quis alterius ſtatum interiorem non raro ſibi dicet revelari? Reſpondeo, ſpiritum hunc communiter ſuſpectum eſſe; niſi quando poſt longam experientiam, & diuturnam vitæ ſanctimoniam, & poſt exactiſſimum examen ſpiritus hic à viris cum pietate, tum doctrina eximiis approbatus erit; & reipſa patebit, hanc de ſtatu proximi notitiam ſterilem, & inanem non eſſe, ſed ad proximo ſuccurrendum tendere, & ab eo, qui ipſam habet, caute admodum, & prudenter adhiberi. Atque per hoc reſpondetur illis, qui cum revelationes habent, interius ſibi ſentiunt ſignificari, ut proximo hæc, & illa indicent. Sed hi ſedulo prudenterque, uti antè diximus, examinentur, oportet; nec facile credere debent, bonum ſpiritum eſſe illum, à quo ad hujuſmodi arcana enuntianda impelluntur.

H

Quid de ſpiritu illo, qui ſecunda & adverſa proximo prædicit?

XXIV. Quæritur, num ille bonus ſit ſpiritus, quando quis futurum proximi ſtatum ſe noſſe aſſeverat; ſicut quando, verbi gratia, ipſum prædicit exagitandum, infirmitate opprimendum, ad opes vel honores, &c. evehendum? Reſpondeo, viſiones has ordinariè meras illuſiones eſſe à malo genio

cau-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

cauſatas. Nam, ut jam non dicam, reipſa jam ſæpe compertum eſſe, aperta hæc fuiſſe mendacia, non parvum etiam animabus proximi damum inferunt, dum ſub hac vana ſpe ſuſpenſas eas detinent, maxime dum ad altiora ipſæ evehendæ prænuntiantur. Ita quidem, ut illorum nonnulli, etiam in ipſa A mortis, quam jam in præcordiis præſentiunt, hora ſibi perſuadere nequeant, ſeſe morituros, niſi ante illuſionum harum effectum reipſa videant. Præterquam quod divinam ſapientiam, & majeſtatem dedeceat, ſine fructu quidquam revelare. Cum etſi demus revera hæc eventura eſſe; nemo prudens ad has prædictiones ſe ſuaque dirigere debeat, præſertim quando ii, quibus hujuſmodi revelari ſolent, non uſque adeo probatæ ſunt ſanctitatis, & occaſiones, in quibus hæc dicunt, neſcio quid humani admixtum habere videntur.

Quid de ſpiritu illo, qui diabolicis illuſionibus infeſtatur?

XXV. Quæritur, num bonus ſit ſpiritus, quando quis diabolicis viſionibus infeſtatur? B Reſpondeo; quando ipſe ſanctæ vitæ eſt, & apparitiones diaboli aliud non intendunt, quam ut vexent, & prælia moveant, in quibus afflictus, atque oppugnatus non ſuccumbit; piè probabiliterque judicari poteſt, hunc à divino ſpiritu dirigi; cum adverſus ſatanam, & ſpiritum nequam prævaleat, uti de ſanctorum plurimis legimus, quos id genus apparitiones non parum divexarunt.

XXVI. Quæritur; num bonus ille ſit ſpiritus, quando tentatus, & patiens per indecentes, & turpes quoſdam geſtus communiter vexatur, & reſiſtit, dum ab aliquo corporaliter ſe tangi, aut aliter, perinde ac ſi quis illi adſtaret, percipit? Reſpondeo, id videri ſuſpectum, etſi is ſe propter impuritatem, quæ ſibi inde adhærere ſolet, reſiſtere exiſtimet. Atque ideo ipſæ circumſtantiæ C accuratè examinandæ ſunt, quæ poſſunt eſſe tales, ut pie etiam credibile ſit, hunc à ſpitu divino agi, & hoc exercitium eſſe, quod magnæ cuidam fortitudini, & raræ virtuti reſpondeat.

XXVII. Quæritur, num bonus ille ſit ſpiritus, qnando in apparitionibus ipſemet Chriſtus Dominus, vel Sanctus, vel Sancta aliqua ſe corporaliter ſpectandos dare videntur, & inde ſequuntur tactus, non dico parum honeſti, ſed admodum amatorii? Reſpondeo in geſtibus hiſce amatoriis magna opus eſſe diſcretione, & examine; ac ſi valde ſenſuales ſint, ſuſpectos videri, quia cum ſumma Salvatoris Jeſu puritate non ſatis coincidunt: at ſi quando patiens probæ eſt vitæ, ſolidaſque jam virtutes acquiſivit, & modo quodam ſpirituali fiunt, quo inter Chriſtum, D & animam eos fieri deceat; (qualem ipſi in duobus angelis, quando noſtro intelligendi modo uniuntur, & ſe mutuo contingunt, imaginari poſſumus) tunc inquam non eſt, cur adeo ſuſpecti hi tactus habeantur, quemadmodum è ſimilibus Chriſti Domini cum B. Gertrude, modo quodam ſpiritualiſſimo peractis amoris, & familiaritatis indiciis videri poteſt.

Num Dæmon apparere poſſit eadem forma, & figura, qua Chriſtus apparet?

XXVIII. Quæritur, num cacodæmon extrinſecus, & intrinſecus eadem prorſus apparere forma vel figura queat, qua vere Chriſtus Jeſus apparere conſuevit? Reſpondeo, poſſe: atque idcirco qui ejuſmodi habet apparitiones, non ſtatim debet figuram hanc adorare: ſi tamen interdum bona fide ipſam adoret, non eſt quod ſe propterea cruciet, E vel angatur: non enim eſt error formalis, nec materialis voluntarius. Notandum verò, non ipſum diabolum modo, ſed, & propriam imaginationem talem imaginem formare ſolere, qualis eſt Criſti Ieſu, ubi ſe ſpectandum dat: unde magna hic circumſpectione opus eſt.

Quid de ſpiritu indocili?

XXIX. Quæritur, num bonus ſit ſpiritus, quando quis viſiones habere ſolitus, certo ſibi perſuadet aliquam harum à Deo eſſe; & aliis viris magnis, & in Theologia verſatis contrarium aſſerentibus cedere, & credere renuit? Reſpondeo, ſpiritum hunc minime eſſe bonum, niſi is ab alia quadam efficaci ratione veſtiatur, & excuſetur; qualis verbi gratia foret, ſi in ſuperiore animæ parte fortiſſimam quamdam impreſſionem F ſentiret: quam hominibus ſanctis imprimere Dominus ſolet, cum tanta quadam eventus ſecuturi ſecuritate, ut ſibi dubitare de eo non poſſe videantur. Quando autem poſito, hanc ipſum in ſe impreſſionem ſentire, nihilominus exactè ſuis obedit directoribus; ut B. noſtra Mater Tereſia faciebat, dum (quod ita illi injunctum id eſſet) viſiones à ſe averteret, etſi alioquin interiorem hanc in ſe ſecuritatem experiretur; confeſſariorumque ideo ſuorum juſſum omnibus revelationibus anteponebat, quamvis indubitate has ipſa crederet tutas, & illuſionibus non obnoxias eſſe: hoc inquam in caſu non deberet ſpiritum hunc ut malum damnare G is, qui animam talem regit, quæ per eximiam ſanctitatem, & longam cum Deo communicationem tales interdum ab eo favores recipit, & quantum poteſt ac fas eſt, ſuperioribus ſe ſuis ſubiicere conatur; cui etiam proinde gratum foret, interiorem hanc ſecuritatem, quam ſentit, non habere, quo liberius credat iis, quæ illi proponuntur. Sed hi favores non ſunt tironum nuperorum, multo etiam minus eorum, qui per continuum aliquot annorum orationis exercitium, & per mortificationem, obedientiam, & humilitatem probati non fuerint.

XXX. Quæritur, an ſpiritus bonus ſit; quando quis ſomnia de rebus futuris, quæ poſtea eo modo ſuccedunt, quo ſomniavit, habere conſuevit? Reſpondeo, communiter loquendo, rem hanc ſuſpectam eſſe, quia, uti docet S. Thomas, dæmones nulla homini per ſomnium revelare poſſunt, quæ ipſi naturaliter ſciunt, quod naturam, & intellectum quendam ſuperiorem habeant. Unde prudenter creditur, ſomniatores, alium fructum ſpiritualem è ſuis ſomniis, vel ſibi, vel aliis non elicientes, quam quod multis divinationibus inutilibus hac ratione repleantur, à ſpiritu Dei non regi, nec dirigi, ſed po-

2. 2. q. 127. art. 2. H

potius à nequam; qui tum ex intelligentia ſua, tum multa experientia, vera multa prædicit, ſed cum intentione, ut hinc malum ſequatur.

XXXI. Quæritur, num ille aliquorum bonus ſit ſpiritus, qui orationem inſtituunt, quando res aliqua ipſis facienda incumbit, ac poſt eam impulſum, quem ſentiunt, ſeriò A notant, eumque Dei eſſe motionem credunt? Reſpondeo, ſpiritum hunc multis illuſionum ac propriæ imaginationis erroribus expoſitum eſſe, præſertim, quando ita ſe ad orationem componunt, ut certum quid impetrare à Deo velint. Quoniam ipſamet imaginatio ſibi res ſecundum affectum, quem ſentit, figurat, & dæmon huic illuſioni ſe admiſcet cooperando. Huic verò doctrinæ non adverſatur ſenſus, & impulſus ille quem multi viri ſpirituales perfectiores in oratione ſentiunt, etſi nullam antè aliquò in ſe inclinationem habeant, ſed indifferenter ſeſe, & cum plena animi reſignatione in oratione gerant; deinde verò ſe ad propoſitum, vel actum aliquem particularem ſentiunt impelli. Hic autem impulſus non eſt repellendus, etſi alioquin certa B regula dari nequeat, è qua colligatur hunc Dei ſpiritum eſſe.

Quid de ſpiritu illorum, qui in Lachrymas proni ſunt?

XXXII. Quæritur, an nonnullorum, qui facilè compunguntur, & in lacrymas proni ſunt, bonus ſit ſpiritus? Reſpondeo, magni eum faciendum non videri, nec facilè credendum, hunc Spiritum Dei eſſe, cum id à teneritudine quadam, & fragilitate naturali, nec non dæmonis operatione ortum habere queat: quemadmodum quotidie in permultis videre eſt, qui cum ſint in ſtatu peccati, & in eodem perſeverare decreverint, tamen in lacrymas, & ſuſpiria illico prorumpunt, ſi quando de rebus piis aliquos loquentes audiunt. Verum, quando natura non adeò flexilis, & mollis eſt, & hæc ad compunctionem, & lacrymas facilitas poſt multa mortificationis, & orationis exercitia ſequitur, C piè prudenterque judicari poteſt, hunc à Deo ſpiritum venire. Hac doctrina quoque ſibi reſponderi comperient illi, qui ad lacrymas duri ſunt, & ægrè admodum molliuntur, aut ad compunctionem concitantur, qui idcirco perſuadere ſibi non debent, a non bono ſe ſpiritu duci, interim, dum cum parte ſuperiore vera piaqua divinæ majeſtati ſincerè ſerviendi propoſita concipiunt.

XXXIII. Quæritur, an ille ſpiritu bono ducatur, qui, quando orationi incumbit, in parte inferiori aliquas nonnunquam ſpiritus voluptates ſentit, poſt quas ſequantur pollutiones? Reſpondeo, ſi qui hujuſmodi res patitur, verus Dei alioquin ſit ſervus, & hæc illi immundities diſpliceat, non propterea D eum turbari debere, vel affligi, quaſi decipiatur: cum experientia conſtet, eos etiam, de quorum probitate nemo prudenter dubitare poteſt, hujuſmodi impuritatem in ſanctis puriſque meditationibus ſuis pati. Verum tamen, quando hac ſe quis in parte affligi vexarique ſentit, ſua cum viris ſpiritualibus doctiſque communicare arcana debet, quò ipſæ expendantur circumſtantiæ, & cautius in eo procedatur: ſi enim inconſultè procederetur, ſpiritus nequam facilè ſe clam ſubingereret. Qui igitur hiſce rebus obnoxii ſunt, omnis abſolutè illis non eſt de iis rebus interdicenda meditatio, in quibus hæc pollutio ſequi ſolet: quin potius ſpirituale, quod inde eliciunt bonum perpendant, atque ipſum cum damno ex prohibitione hac ſequi E nato conferant, ſuique periculum faciant: cum conſtet ſæpè multò ſatius eſſe hæc contemnere, & è talibus caſibus parum laborare. Doctrina hæc communi illi Theologorum ſententiæ conformis eſt, qua opera bona, verbi gratia, confeſſionem, ſtudium, &c. ob aliquas immunditias accidentarias, & involuntarias, quæ interdum intercidunt invitis, omittendas negant.

XXXIV. Quæritur, num ille ſit bonus ſpiritus, quando alicui graviter tentato, etſi tentationibus reſiſtere viriliter contendat, nihilominus aliquæ immunditiæ oboriuntur non modò dormienti, verùm etiam vigilanti? Reſpondeo, probè pieque judicari poſſe, Spiritum, à quo illi ducuntur, bonum eſſe, quando quidem tentatori generoſè obluctantur; F præterquam quod multos, qui hoc modo affliguntur, tantæ probitatis eſſe videamus, ut de ea nulla ſit controverſia. Hi tamen ſibiipſis fidere non debent, ſed ſua cum viris ſapientibus, & ſpiritualibus arcana communicare.

Quid de ſpiritu tentato a ſpiritu blaſphemiae?

XXXV. Quæritur, num bonus ſit ſpiritus, quando pius aliquis ſolidarumque virtutum vir à ſpiritu blaſphemiæ tentatus, quamquam conſtanter reſiſtat, ita tamen violenter ab eodem impetitur, ut interdum in verba aliqua aſperiora invitus prorumpat? Reſpondeo, id hominum genus nequaquam turbari angive debere, a Spiritu malo ſeſe regi, impellique arbitrantes. Etſi enim ab eo vexentur, quia tamen viriliter repugnant, à Spiritu Dei illos regi veriſimilius ſit. Multos quippe conſtat etiam excellentis ſanctimoniæ viros à ſpiritu G blaſphemiæ acerrimè exagitari. Neque verò ob verba illa aſperiora, in quæ ſubinde prorumpunt, contrarium formandum de illis judicium eſt, eò quod aut indeliberata ſunt, aut in ſenſu aliquo commodo, & tolerabili exponi poſſunt, quòd qui ea proferunt, graviſſimè tententur.

Quid de illo qui averſionem ſentit a Deo?

XXXVI. Quæritur, num ille ſit bonus ſpiritus, quando qui Dei obſequio ſincerè intendit, ingentem quamdam in ſe ſentit non modò à rebus piis, verum etiam à Deo ipſo averſionem? Reſpondeo, quando talis Deo fideliter ſervire, & famulari pergit, etſi alioquin graviſſimam illam averſionem, & ſenſibile Dei odium ſentiat, eum à bono regi H ſpiritu prudenter judicari, & poſſe, & debere: alias enim in pio hoc officio famulatuque, parte inferiori adeò repugnante, non perſeveraret: ut taceam, multos viros piiſſimos quam maxime hac in parte affligi.

XXXVII. Quæritur num qui dæmoni familiaris aliquando extitit, & jam, poſtea quam ad Deum converſus eſt, illas in parte

infe-

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

Et de illo, qui motus inordinatos ſentit, quos ante converſionem ſentiebat?

inferiori paſſiones, & inordinatos motus ſentit, quos ante converſionem ſentire ſolitus erat, nonnumquam is bonum habere ſpiritum cenſendus ſit? Reſpondeo, eum, ſi viriliter pugnat: credendum eſſe à bono ſpiritu regi, quo ſpiritum malignum, & tartareum vincat, neque verò animo horrenda ob tetraque illa, quæ in ſe, vel apud ſe ſentit, cadere debet: hac quippe ratione à priſtinis anima immunditiis purgatur, quemadmodum experientia permultos conſtat hoc modo magnum in via ſpiritus profectum feciſſe. A

Lege num. 8. in hoc ipſo tractatu.

Quomodo examinandus ſpiritus, quæque obſervanda in examine?

XXXVIII. Quæritur, quonam ſit ſpiritus modo examinandus? Reſpondeo, ſequentia erunt obſervanda. Conſideranda primò naturalis hominis patientis complexio, num is ſcilicet melancholicus, vehemens, inquietus, curioſus, in cedendo difficilis ſit, aliæque ſimiles proprietates. Secundò notandi erunt mores tum præteriti, tum præſentes: num ſcilicet humilis, obediens, mortificatus, caſtus, modeſtus, taciturnus ſit, & num extraordinaria quædam in ſpiritus rebus conſectetur. B Tertio, examinanda ſunt ea, quæ ipſe vel audit, vel videt, an ſcilicet vera ſint, pia, caſta, neceſſaria, vel ad fines aliquos ſpirituales utilia. Quartò, excutiendum, an ea ſint ſacris litteris, & doctrinæ exemploque Sanctorum conformia. Quintò, num bonos ea producant effectus, majoris ſcilicet humilitatis, mortificationis, deſideri erga Deum, C &c. Hæc præcipua ſunt capita expendenda: unde ſi poſt bonum, & accuratum examen cenſor comperiat, diſpoſitionem hujus naturalem, & moralem bonam eſſe, & ipſas inſpirationes, vel viſiones pias, veras, puras, utiles, Sacræ Scripturæ, & doctrinis, exemplisque Sanctorum conſentaneas, atque inſuper majoris bonitatis, & vitæ perfectionis effectus producere, benè de eo judicare, & poterit, & debebit; ſi ſecus, malè: ſimul etiam circa primam obſervationem (in qua de naturalibus melancholiæ, inquietudinis, &c. D imperfectionibus agitur) notet imperfectiones has à ſpiritu Dei per gratiam quam confert, corrigi ſolere, ſicut & communis Theologorum doctrina, & multorum Sanctorum experientia teſtatum facit.

IN SEQUENTEM OPELLAM

PRAEMONITIO.

Praecedenti iungitur natura ſua haec alia brevior de Oratione Tractatio; quippe quae nihil aliud ſit, niſi illius aut veluti praeformata idea, aut compendioſus epilogus: Quapropter etiam circa eadem tempora ſcripta videtur, Latine tamen, & diu Archivis obcluſa, a quibus eruit P. Paullus ab omnibus Sanctis ac quarto Operum Tomo a ſe adornato addidit, a pag. 313. *Cui aliud ſubnexuit Commentariorum,* de Fide Orationis, *a ſe ex Italico latine verſum; quod & nos ſuo eodem loco relinquimus, cum brevi ejuſdem P. Paulli ad Lectorem Præmonitione.*

VEN. P. F. JOHANNIS A JESU MARIA CARMELITÆ DISCALCEATI

Tractatus de Oratione.

CAPUT PRIMUM.

Scrip. circ. An. 1610.

Amor temporalis, unde?

I. OMne malum eſt ex amore temporali, quo nos ipſos proſequimur; hoc enim cœno potiſſimum à Deo divertimur.

II. Amor hic ex ignoratione dimanat. Si enim cognoſceremus bona majora, puta divina, & æterna, non caperemur temporalibus, ac fluxis bonis, quæ apparent pulchra, quamdiu cœleſtium cognitione non detegitur eorum turpitudo: omnino autem exploratum eſt, perſpecta majori pulchritudine minorem haberi neglectui.

A

Ignorantia, unde?

III. Ignoratio ex inconſideratione, vel incuria oritur. Conſtat enim lumen divinum aſpirantibus ad rerum divinarum cognitionem, & amorem, non deeſſe. Iis vero dumtaxat deeſſe, qui eas nec amare, nec cogitare conſueſcunt.

IV. Hinc, exiſtimo, ignoratio tam densè concrevit, & corda hominum adeo obtenebravit; ut Regius Pſaltes cenſuerit oportere de iis rebus nos admonere, quas nemo, niſi plane ſtupidus, ac vecors, poſſet ignorare. Hoc enim ſibi voluit, ajens; *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus: ipſe fecit nos, & non ipſi nos:* & alibi, *Bonum eſt confidere in Domino: quam confidere in homine.* Quæ patet eſſe univerſis hominibus naturæ lumine perſpecta, at incuria, & neglectu, ſic oblivioni tradita, ac ſi prorſus ignorarentur.

B

Pſal. 99.

Pſal. 117.

In oratione omnia bona reperiuntur.

V. Statuendum eſt autem in hoc Tractatus primordio, quod viris clariſſimis experimento divinæ ſuavitatis compertum eſt, bona univerſa, quibus flectitur cor humanum in hoc cœleſti orationis mentalis exercitio cumulate reperiri. Ineſt enim in eo eximia utilitas, honeſtas, & delectatio. Quæ enim utilitas major, quam ita hominem corde, corporeque affici, ut non egeat iis rebus, in quibus boni utilis ratio poſita eſt? conſtat autem ad divina aſpirantes, inedia, & egeſtate non torqueri, nec incommoda corporis formidare. In iis autem procul arcendis omnis hominum opulentia decoquitur, nec boni utilis gratia, tam acerbos cruciatus homines ſubirent, ſi non niſi parciſſimè victu, & veſtitu uti iis libeat.

C

Honeſti laus

VI. Honeſti verò laus quænam major excogitari poteſt, quam hoc uno exercitio, non modò divinæ gratiæ incrementa plura conquirere, verum, & familiaritatem cum Deo inire, ac ex ejus conſuetudine (ut olim Moyſes) vitæ ſplendorem, ſummis mundi Principibus ſuſpiciendam aliis exhibere? Hoc vero liquet ſatis. Mox enim ac viri alicujus Dei conſuetudinem orando adepti fama percrebuit, Principes etiam cordatiſſimi, ac viri doctrina clariſſimi impense nituntur ei familiaritate ſociari; ejus non modo verba, verum, & obtutus, & nutus perpendere. & nihil non excelſum in eo ſuſpicari. Qua in re ſanè turpiter errarent, niſi rationem honeſti inſigniter ibi ſplendentem agnoſcerent.

D

At quod ſe ſpectandum exhibet modicum eſt valde, & tantummodo tenuiter indicat animi celſitudinem, cordis generoſitatem, & Majeſtatem illam pœnitiſſime latentem, quam ex Dei conſuetudine homo contrahit. Princeps quippe illius magnitudinis pars lateat neceſſe eſt. At dum quis mundi gloriam ex ea cordis magnitudine aſpernatur; ſatis latentem gloriam certè demonſtrat.

E

Caeleſtis delectatio

VII. Delectatio autem cœleſtis, quæ orando percipitur, quanta ſit, fruſtra quis tentat exprimere, niſi queat alios experimento internæ voluptatis erudire: quod cum Dei ſolius ſit; illius juxta erit, humano cordi tantæ rei ſenſum indere, quo idoneam rei pariat cognitionem. Verùm ab iis, qui ſe totos huic ſtudio devovere cupiunt, multa credantur oportet, quæ poſtmodum, aſpirante Deo, fœliciter experientur.

VIII. At enim facile quis fatebitur in exercitio hoc tot à nobis recenſita bona latere, propter virorum illuſtrium auctoritatem, quam mundus ignorare nequit, cum eam laudet, licet æmulari nolit. Verùm habet difficultatem, qua una avertitur, ne tantam boni magnitudinem amplectatur. Profectò intemperans, & libidinoſus ſuſpicit caſtitatis cultorem, & ſummòpere miratur, ac obſtupèſcit rei cœleſtis honeſtatem, ac decorem,

F

quo

Scrip. An. circ. 1610.

Orationis ſtudium facillimum.

quo carere nollet, niſi mallet difficultati ſuccumbere. At vero id quod ad noſtrum ſpectat inſtitutum. ratione hac neutiquam infirmari poteſt. Eſt enim orandi ratio planè facillima; ita ſane, ut ab univerſis hominibus, quantumvis agreſtibus, & incultis exerceatur, tametſi non illam item quoque dignoſcant.

A

Rhetorica, ac Logica naturalis.

IX. Sane quemadmodum naturæ conditor Rhetoricæ, ac Logicæ ſemina quædam humanæ menti impreſſit, quibus homines etiam feri, ac barbari, argumentationes, & figuras deducunt, quas tunc prorſus ignorant, & ſtudio poſtea artis internoſcunt, ac expoliunt, ſic etiam ipſe naturæ compactor, gratiæque Largitor naturali, ac ſupernaturali lumine impreſſit humanæ menti orationis (quæ latriæ ſeu religionis actus eſt) ſemen quoddam, quo inertes etiam, & ignari homines, fœminæque ſimpliciores orare conſueverunt, quid agant minimè advertentes, qui poſtea de hac re à peritis admoniti mirificè perficiuntur: quod, vel uno patebit exemplo.

B

Deus ubique exiſtit.

Orationis definitio.

C

X. Profectò univerſis Orthodoxis compertum eſt Deum ubique exiſtere, ac proinde licet id non ſemper animadvertant, pro comperto habent ſe ab eo audiri; quapropter cum aliqua obſidentur calamitate, ipſo naturæ, ſed potiſſimum gratiæ divinæ ductu mentem ad Deum, erigunt, & ſuſpiriis, ac gemitibus Deum exorare contendunt; quod eſt planè orare juxta definitionem orationis à Sanctis Patribus traditam, quæ ſic habet: Oratio, *eſt elevatio mentis in Deum*. Quo vero pateat rem hanc eſſe facillimam, & mox exerceri poſſe, cogitemus tantillum Deum hic præſentem eſſe, ad quem cor attollere, & ab ipſo bona depoſcere conemur. Id enim verè orare eſt. Quanta id ſit non modo facilitate, ſed etiam ſuavitate, & fructu! Certè ſi præſentia animæ corpori vitam, & motum præbet, abſentia verò tollit, & in vile cadaver permutat; ſi homo cœcus loquens cum alio muto quidem, ſed tamen perſpicaciſſimi viſus, à quo ſe audiri certo ſcit, & promotum iri ſperat, tantum ſolatii deſumit; ſi denique qui in tenebricoſo loco, ac horroris pleno ſolus pavet, eo tantum quod in proximis cubiculis amicos eſſe noverit, fidentius, ſecuriuſque quieſcit, & cor, timore pulſo, cogitatione præſentiæ hominum, qui diſcedere potuiſſent, ſtabilitur; quidni etiam poſſimus ſimilem firmitatem ſuavitatemque à Deo præſente nanciſci: ante, ac ita etiam, quam arcana hæc ſcientia tradatur, & in partes digeratur facere non deſpiciendos in oratione progreſſus? Porrò partes orationis ſunt *Præparatio*, *lectio*, *meditatio*, *gratiarum actio*, *oblatio*, *petitio*.

Partes ejus, quae?

D

CAPUT II.

De Præparatione.

Praeparatio duplex, & quae?

XII. DUplex eſt præparatio; *proxima* ſcilicet, & *remota*. Nunc de remota. Præparatio *remota* præter fugam cujuſvis peccati mortalis, exigit circumſpectionem ad præcavenda venialia, & occaſiones amputandas, puta ſodalitia vana, verba inutilia, curioſitatem &c. Eſt enim anima (quæ pura Dei reddit imaginem) ſimilis aquæ ciſternarum, cui ſi vel calculus iniiciatur, inepta ſit. Exigit etiam abdicatarum curarum, ut ſcilicet nemo cupiat, vel quærere decernat, niſi quæ Deo placitura, & ſibi profutura opinatur: verbi gratia nolit fieri æquo lucupletior, &c.

E

Matt. 19.

XIII. Rationes ad præparationem perſuadendam efficaces plures exiſtunt. Prima; ex æterna mercede. Hoc enim ſibi voluit Chriſtus, cum Petro reſpondit: *Amen dico vobis*, &c. Præmiſerat factam præparationem, ajens: *Ecce nos reliquimus omnia*, Chriſtus ſubjecit ad calcem Dialogi: *Omnis qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem*, &c. *centuplum accipiet*, & *vitam æternam poſſidebit*.

F

XIV. At quia æterna vita longè abeſſe multis videtur (quaſi non paſſim moreremur) expendamus illud *centuplum*, quod ſpectat ad præſentem vitam, quod ſic interpretatur S. Hieronymus lib. 3. in Matthæum. *Senſus ergo eſt: qui carnalia pro Salvatore dimiſerit, ſpiritualia recipiet: quæ comparatione, & merito ſui ita erunt, quaſi ſi parvo numero centenarius numerus comparetur.*

1. Cor 2. Animalis, & Spiritualis hominis diſcrimen ex D. Paullo.

Hìc perpendenda, & exponenda ſententia illa Pauli: *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere: quia ſpiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia.* Animalem appellat eum, qui vivit, ut animæ functionibus, puta vegetatione, incremento, &c. gliſcat; ſpiritualem autem, qui vivit, ut pars animæ ſuperior, quæ ſpiritus nuncupatur, Deo jugiter adhæreat.

G

XV. Qui verè ſpiritu ducitur, rectè dignoſcet illud *centuplum*, quod præſens vita nanciſcitur. An non *centuplum* eſt gaudium juſti mox exhalaturi animam? Perpendas velim mortem viri ſpiritualis, divinis voluptatibus perfuſam, & componas nonnihil eam cum fluxis mundi bonis.

H

Qui majora adeptus eſt minora ſpernit.

XVI. Verùm, & mors longè abeſſe multis videbitur; quapropter cogitemus, an non ſenſus Dei, quem non modò perfecti, ſed & incipientes concipiunt, univerſa mundi bona ſuperet. Quando ſcilicet Religioſus, exempli gratia, recenter indutus, & orationi aſſueſcens, extempiò dulcore quodam divino pervaditur, blandientis Dei manu leniter attractus; an, inquam, velit id bonum univerſis mundi bonis permutare? Certè non annuet ullo modo. Hæc eſt illa efficaciſſima ratio, propter quam orandi periti omnia mundi bona contemnunt, & pro nihilo ducunt. Nec mirum, ſumus enim homines ſic à natura comparati, ut minora illico ſpernamus, cum majora nacti ſumus. Epiſcopus quippè non appetit Parochi officium, imò non magni facit, quia excelſiorem dignitatem adeptus eſt; ſic Cardinalis ſe habet ad Epiſcopum, ſic Pontifex ad Cardinalem. Au-

Scrip. An. circ. 1610.

Delectatio, & ejus vis.

getur vis rationis exemplo vulgatiſſimo ruſtici recuſantis honores urbis, quia rure gaudet. Habet enim delectatio tantam vim, ut reſpuat honores; ideoque homines honores aucupantur, ut lætentur explentes deſideria. Unde quantumvis dignitas honorifica ſit, ſi quis præſagit, ſe illa non fore contentum, eam certè detrectat.

A

Praeparatio proxima.

XVII. Præparatio *proxima*, curis omnibus abjectis, canit receptui. Imitatur nempè militem, qui imminente jam prælio, non duntaxat impedimenta reiicit, ſed arma etiam, aliaque belli inſtrumenta ſibi ſumit; ita oraturus neutiquam ſatisfecerit, ſi contentus removiſſe ſupradicta, non inſuper ſolitudinem, & cætera orationis auxilia providet. Gerit quippe ſingulare certamen inter Deum, & hominem. Unde ſicut olim Jacob *juxta vadum Jaboc, traductis omnibus quæ ad ſe pertinebant, manſit ſolus; & ecce vir luctabatur cum eo uſque mane*; ita qui luctari cum Deo adornat, omnibus ad ſe ſpectantibus ablegatis, ſolus cum Deo confligere debet, ac ſi ab illo benedictionem extorquere deberet. Gaudet ſcilicet Deus intenſa precatione, & orationis conatu; ac ſi non uſque adeò ſponte dona largiretur, cùm tamen dona largiri ardentiſſimè cupiat. Spectat hoc ad lucrum noſtrum, & vuluptatem ex victoria promanantem.

Gen. 32.

B

XVIII. Appoſita ſimilitudo verſatur inter ſopiri incipientes, & animum colligentes, ut in ſolitudinem vaſtam demerſi Deo adhærere diſcant. Sicut enim quos ſomnus invadit, fortè cum aliis colloquentes, ſenſim removentur à functione ſenſuum, & quo altius inſerpit, eò longiùs dimoventur, ita ut colloquentium verba eminus audire ſibi videantur; ſic qui orandi peritia, divini Spiritus adjutorio, à mundi rebus alienantur; eò pertingunt, ut non ſemper animadvertant quid agatur coram ipſis propter intimam virium animæ collectionem. Huc ergo debet conatus noſter incumbere, tempore ſaltem illo, quod orationi dicamus, ut omnes omninò curas procul arcentes, enitamur ſolum Deum amplecti, & pertractare.

C

XIX. Collectis ergo viribus animæ duo capita expendere oportet, ex quibus conflatur *preparatio*; unum ad divinam ſpectat Majeſtatem, alterum ad propriam orantis vilitatem. Quoad primum brevi debemus divinam Majeſtatem conſiderare; quæ infinita cum ſit, & omnem boni rationem perfectiſſimè complectens, puta magnitudinem, pulchritudinem, ſapientiam, claritatem, &c. ex amoris tamen magnitudine cupit me ad colloquium excipere, ac donis cœleſtibus augeri.

D

XX. Mox de propria vilitate pauca mente repetenda, puta corporis notiſſima corruptio, & animæ infirmitas multiplex; puta ignoratio, inconſtantia, & præſertim culpa, qua nihil vilius, & ſordidius excogitari poteſt. Hæc confertim mente tractanda: non ſigillatim, & aliquot doloris, vel execrationis actibus curſim repellenda. Hoc enim ſat eſt ad affectionem præparatoriam, de qua mox agemus.

Praeparationis fructus.

E

Exod. c. 4.

XXI. Ex hac duplici conſideratione uberes fructus proveniunt, quibus voluntas afficitur, & urgetur: ex prima quidem exoritur affectio, vel ſenſus quidam reverentiæ, quam incutit divina Majeſtas, & ſolet ſtupor quidam invadere animum, ſicut olim Moyſem; propterea enim dixit: *Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius: & ex quo locutus es ad ſervum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum*; & uſque adeò territus eſt, ut oportuerit indulgeri ei à Domino, quod Aaron legatione fungeretur: ad hunc ergo modum oratores veri afficiuntur. Hæc eſt ratio, ob quam plerique ante animoſiores, & mundi prudentia clariores, ſtatim ac huic ſcientiæ Sanctorum operam dare auſpicantur, incipiunt demitti, contrahi, ac expaveſcere, & quodammodo ad opera familiaria inertes fieri, quod in clauſtris ſæpenumero jucundè experimur. Oritur etiam ex prima conſideratione amoris motus, ob dignationem divinæ Bonitatis, non reſpuentis hominis viliſſimi commercium.

F

XXII. Ex ſecunda verò conſideratione, vilitatis ſcilicet propriæ, quæ mori in allato nuper loco ſeipſum neglectu digniſſimum perſuaſit, oritur humilitas, qua nullum firmius in oratione fundamentum inveniri poteſt; nec verò excogitari ullus motus, quo brevius, faciliuſve divinum cor humano cordi concilietur. Sic publicanus non auſus oculos ſublevare. Sic ſervus decem talentorum millibus obnoxius, procidens veniam, quàm citiſſimè impetrarunt; ſic (quod mirum eſt) filius prodigus veniam, & ſtatum priſtinum adeptus eſt.

C A P U T III.

De Lectione.

G

Lectio.

XXIII. Lectio ſecundo loco reponitur ad ſuggerendam materiam meditationis, licet ordo hic neceſſarius non ſit, cum & ante præparationem ipſam meditationis materia eligi poſſit, & facta præparatione in memoriam revocari ad meditationem incipiendam. Sive ergo ante præparationem, ſive poſt eam lectione utendum ſit, ſubjectis præſcriptionibus aſſueſcere oportet eos, qui ex lectione cupiunt referre proventum. At ante ipſas præſcriptiones nonnulla excludamus oportet, quæ huic exercitio tam ſalutari vehementer officiunt.

H

XXIV. Extinguenda eſt quædam curioſitas à vanitate prognata, profanos libros perluſtrandi; ac ſi ex eis vera ſalus poſſet hauriri, & firmiſſimè ſtatuendum, quod reliquum eſt vitæ ſelectorum ex conſilio librorum lectioni ſalubriter impendere, quod certè libenter à quovis cordato homine præſtandum eſſet, quamvis à nemine moneretur.

Scrip. An. circ. 1610.

XXV. Primò ex ipſa ratione, qua multi urgentur ad tot libros evolvendos, ſcilicet ex ſciendi deſiderio, quod ut à natura procreatum prætexitur à multis. Si enim ſcire cupiunt, animadvertere debent, non in librorum volutatione poſitam eſſe ſcientiam, ſed inde dumtaxat hauriri, unde clarior paritur Chriſti notitia.

A

Act. 26.

Paulus enim, cui quidam inſipiens objecit: *Inſanis Paule: multæ te litteræ ad inſaniam convertunt*, apertè profeſſus eſt, ſe nihil præter unum Chriſtum ſcire:

1. Cor. 2.

Et ego, inquit, *cum veniſſem ad vos, fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti: Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc Crucifixum*. Et certe ei, qui Chriſtum cognovit, nihil ſciendum ſupereſt. Huc ergò feratur ſciendi aviditas. Vidimus plures doctiſſimos poſt longas ſcholarum rixas piorum librorum ſcrutatores fieri, unde noverant alios ab eis in admiratione habitos ſcientiam Sanctorum hauſiſſe. Id eò ſanè, quia nobiliora, & diviniora eis ignota, videbant inde aliis patuiſſe.

B

Certè objectum intellectus, ut Philoſophi ajunt, eſt veritas, unde nihil ſciri poteſt niſi veritas; nec enim extra objectum ulla facultas ferri valet.

Joan. 14.

Cum ergo Chriſtus dicat: *Ego ſum veritas*, efficitur eos, qui Chriſtum neſciunt nihil ſcire; quapropter ſolus Chriſtus ſciendi cupiditatem valet explere.

XXVI. Secundò à bono delectabili, omninò enim exploratum eſt ex Sacrorum, ſive piorum librorum lectione plus elici voluptatis; cujus ſanè rei plura ſunt argumenta, & experimenta, & ipſa ratio id convincit. Delectabiliùs enim eſt, vel pauca de divinis etiam exiliter noſſe, quam humilia hæc, & terræ finitima percallere, ut ipſi etiam Philoſophi tradiderunt, quod vel hoc exemplo liquet. Jucundius eſt de cælorum orbibus,

C

& ſyderibus pauca, quàm de terræ mole multa cognoſcere. Sic meteora, quia cælo propinquiora, licet non ita nobilia, avidiſſimè diſcuntur, & delectant. Quid ergò de ſcientia, quæ parit divinam voluptatem, puta ſacrorum Bibliorum ſtudio? Appoſitè 1. *Mach.* 12. Jonathas ſummus Sacerdos, & ſeniores, & ſacerdotes, & reliquus populus Spartiatis ſcribentes referunt legationem ab Ario ad Oniam: & ſe velle renovare amicitiam licet non egeant ob ſanctorum ſcilicet librorum ſolatium:

1. Mach. 12.

Nos, inquiunt *cum nullo horum indigeremus, habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris, maluimus, mittere ad vos, renovare fraternitatem, & amicitiam, ne fortè alieni efficiamur à vobis*.

D

XXVII. Tertiò ab utili. Quot enim lucra animorum (hoc enim eſt verè bonum utile) ex hac lectione? quot ſubitaneæ cordis, & vitæ mutationes palàm factæ? S. Auguſtinus in ſua converſione legit illa Pauli verba:

Rom. 13.

Non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis &c. Et ſtatim captus eſt. S. Antonius Eccleſiam ingreſſus (ut refert Auguſtinus *lib.* 8. *confeſſ. cap* 12.) audiens ex Evangelio: *ſi vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus &c.* ſenſit vim verborum, & mirificè mutatus eſt.

Matt. 19.

Matt. 10.

S. Franciſcus cum illud ex Evangelio audiſſet: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, &c.* expoliavit ſe, & detractis calceis, &c. mirabiliter immutatus eſt.

E

Sed quorſum hæc tam vulgata? Quis enim non experitur vim ſermonis, qui eſt *vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti?*

Hebr. 4.

An non manifeſtum eſt verba Dei corda mulcere? Certè Pharao Moyſis legatione fungentis verbis ſæpè emollitus fuit; licet poſtea recrudeſceret. Habeat ergò quiſque delectum librorum, è quibus vim hauriat, & non ferat in re tanti ponderis ſe ſeduci. Ad eum verò delectum conſulat peritos. Hoc modo generatim ſuademus, ut breve hoc vitæ tempus ſacris, & piis libris impendatur, quoad fieri poteſt.

Piae lectionis methodus traditur.

XXIX. Nunc ergò tradenda methodus piæ lectionis, ejus præſertim, quæ ſuggerit materiam meditandi ſubjectis præſcriptionibus. I. Suſcipiatur non ſtudio ſciendi, ſed amandi bonum, & execrandi malum.

F

II. Attentiſſimè legatur, valde ſedatè, & detur opera, ut reconditum verborum ſenſum animus capiat. III. Intercidatur lectio, ubi excitatur cor, & animus illo Dei ſenſu paſcatur. IV. Cùm ergò orandum fuerit ex lectione, ſeligatur ea ſententia, qua animus potiſſimùm commovetur. V. Confert valdè è pia lectione ſententias, ſeu verba ſelectiſſima excerpere, quibus cor vehementer excitari experientia docuit, & in codice deſcripta interdum relegere ad cor languidum erigendum.

CAPUT IV.

De Meditatione.

G

Meditationis definitio.

XXX. Selecta jam materia de qua cogitandum eſt, ac præparatione facta, ſuccedit meditatio, quæ ſic definiri poteſt; *Meditatio* eſt diſcurſus intellectus, voluntatem ad bonum adhortantis, vel à malo dehortantis. Quæ certè definitio rectiùs intelligetur, ſi claritatis gratia fingamus intellectum, ac voluntatem duas eſſe perſonas, quarum altera Oratorum mòre, alteram compoſitis rationibus, quo expedit flectere, ac bonum ei perſuadere velit. Per hoc enim ſatis appoſitè, quid ſit meditatio innoteſcet: ea enim functio, vel exhortatio perſuadentis, meditationis ingenium apertè demonſtrat, & concluditur; meditari nihil aliud eſſe, quam de re propoſita diſcurrere ad voluntatem commovendam.

H

XXXI. Meditatio hæc, ſive diſcurſus de re quavis bifariam fit, vel ſcilicet ſub imaginibus corporeis, quando nempè fit de rebus, quæ figuris, & imaginibus exprimuntur; qualis eſt vita, & paſſio Chriſti: vel fit de rebus, quæ ad intellectum potiùs, quàm ad imaginationem ſpectant; ut cum de

Scrip. An. circ. 1610.

de divina bonitate, vel æternitate cogitamus, &c. A primo autem modo meditatio imaginaria, à ſecundo intellectualis appellatur. Unde facillimè intelligetur, quod à viris ſpiritualibus de duplici Dei præſentia, intellectuali ſcilicet, & imaginaria tradi ſolet, quod ſic habendum eſt.

A

Praeſentiae Dei definitio.

Praeſentia Dei bifariam dividitur.

XXXII. Præſentia Dei nihil eſt aliud, quàm admotio, vel applicatio mentis ad Deum vel intellectuali, vel imaginario modo conceptum. Et ſi quidem intentio, vel applicatio ad Deum ſit, quoad ea, quæ ſpiritualia, & intellectualia ſunt, appellatur Dei præſentia intellectualis; ſi verò ſit ad Chriſti humanitatem, quæ ſcilicet imaginatione figuratur, & verſatur, dicitur Dei præſentia imaginaria. De quarum utilitate, ac uſu modo non diſſerimus, ſed hoc unum pronuntiatum obiter ſtatuimus; oportere uti prius imaginaria, quam intellectuali ſola, ut dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc in inviſibilium amorem rapiamur; niſi peculiares circumſtantiæ, & rei experimenta aliud expoſcerent. Res quippe conſultationem exigit, & ſi experientia doceret imaginariam non prodeſſe, puta ob fugacitatem phantaſmatum, & organi ineptitudinem, poſſet etiam incipientibus intellectualis permitti.

B

Exemplum meditationis de Chriſto Crucifixo.

XXXIII. Quando ergo meditandum eſt, collectis animæ viribus intra nos rerum imagines (puta Chriſti Crucifixi animam exhalantis) concipere debemus, more apum, quæ conditæ intra alveos effingunt favos, & melle opplent. Hic ſubiiciemus exemplum meditationis de Chriſto Crucifixo, ad oſtendendum meditari in hoc puncto nihil aliud eſſe, quam expendere, ſeu ponderare, & quaſi digerere dictum hoc: *Chriſtus Dei Filius pro me crucifixus eſt*: expenſa dignitate perſonæ patientis, & ignominiis ejus, ac doloribus, & aliunde vilitate propria ponderata, pro qua Dei Filius paſſus eſt. De tua mihi, o Fili Dei vivi, crucifixione meditandum eſt, & vellem ſanè, graviſſimos hos dolores, & ignominias, quas pro me paſſus es, pro merito poſſem ponderare. Certò autem novi, o infinitum bonum meum, dolores hos tuos majores eſſe, quam ut ullis à me certis ſenſibus exponantur, quia quando te in ligno illo extentum video, oſſa tua loco mota, manus, ac pedes tuos clavis illis transfixos, & ſacratiſſimum caput tuum, horrendis illis ſpinis perforatum, & in crudeliſſimæ mortis agone conſtitutum, & ſimul in mentem revoco puriſſimum corpus tuum, tali à Spiritu Sancto temperie formatum fuiſſe, ut maximè ſenſibile id foret, & magis, quam ullum alterius hominis corpus, dolores, & cruciatus ſentire natum; dolores ſanè tuos ineffabiles fuiſſe mihi perſuadeo, & ipſos etiam lapides, ad ſummam quandam compaſſionem iiſdem permoveri debere, cui ſi, admirabilem divinæ tuæ perſonæ dilectionem, coram qua Seraphim illi ſupernæ Hjeruſalem genuflexi procumbunt, addidero, quæ modum hunc maximè ſtupendum uniendi ſe naturæ cuidam paſſibili, ad tantos cruciatus ferendos, adinvenire potuit, aliud quid dicam neſcio, quàm eſſe me, & crudeliſſimam, & ingratiſſimam quandam creaturam, quæ immanis hujus ſpectaculi juſtitiæ in innocentem Dei vivi Filium, qui pro me mortem ſubiit, exercitæ cauſa extiti. Si deinde auribus tuorum illuſiones, & improperia injuriorum excipiam, qui tametſi te in ſummis cruciatibus conſtitutum viderent, infernalibus te linguis ſuis de novo crucifigebant, inſultantes, exultanteſque, quod te tanta cum ignominia, & dolore emorientem cernerent; aliud non habeo, quod ad hæc reſpondeam, quam eſſe me illum Judam, qui gravibus te peccatis meis, in rabidorum horum luporum manus tradidi, ut ea, quam tantopere concupierunt, præda cruentam famem ſuam exatiarent. Dic mihi, obſecro Domine amantiſſime, qui fieri potuerit, ut mea cauſa in tam atrocium inimicorum manus te ultrò tradideris? Scio me ante deliquiſſe in te, & ad iracundiam te provocaſſe; quomodo ergo tanta ultrò dulcedine, ac benignitate me provocas? Cur innocens pro reo, & pro ingratiſſimo peccatore mori debet? Certè magna mea eſt durities, quandoquidem pro te mori, & tecum crucifigi nolim. Si neſcirem Majeſtatem tuam, hunc actum ſummè ſtupendum pro me viliſſimo vermiculo, æterna infamia, & pœna propter hoc, quod te offendi, digno, exercuiſſe, aliquo modo ingratitudo mea excuſabilis videretur: cùm autem optimè ſciam, te altiſſimum Dei Filium, extremum hunc cruciatum pro me perpeſſum, nullam profectò excuſationem invenio, niſi ut te omnibus rationibus inſtigantibus ſequar, tuæque infinitæ charitati reſpondeam, &c. Ecce exemplum meditationis, quam brevem, & efficacem eſſe oportet, ut voluntatem moveat ad alias orationis partes affectivas, qui fructus ſunt proprii bonæ meditationis, exequendas; ita ut plus temporis affectibus, quam diſcurſui tribuatur; ſiquidem diſcurſu ſolùm ut medio ad partes affectivas producendas utamur; ac proinde exerceri non debet, niſi in quantum ad eas requiritur, & non ulteriùs. Eſt etiam bene attendendum, quo tendat ea meditatio; tendit enim ad cor flectendum, ut Chriſtum ardentiſſimè redamet, & ei medullitùs compatiatur, peccata execretur, benè operari, mala præcavere firmiſſimè ſtatuat, &c. qui ſunt affectus ex meditatione geniti, de quibus ſermo redibit.

C

D

E

F

G

Fructus bonae meditationis, qui?

H

Regulae meditationis traduntur.

XXXIV. Huc tradendæ regulæ meditationis; pars quippe hæc eſt multis præceptis illuſtranda.

Prima.

1. Res de quibus cogitamus, vel nobis proximas, vel intra nos potiùs eſſe imaginari; verbi gratia ſi de Chriſto crucifixo cogito, non imaginari me abire Hieroſolymam, & loca pererrare illa, &c. ſed intra me, & loca, & Chriſtum ipſum concipere, alias diffi-

diſſipatur cogitatio, & à collectionem virium fit alienior animus.

Secunda. 2. Non defigenda imaginatio in iis phantaſmatibus, ita ut intensè illa volutet. Nam præter defatigationem ſuborieretur erroris occaſio, dum quæ quis vehementer imaginatur vera putare poſſet.

Tertia. A 3. Inter meditandum, ſi fortè extra materiam præparatam aliqua ſe offerat cogitatio, qua cor magis urgeatur, & ex qua dulcedo, vel lux clarior eliciatur acceptanda eſt. Ratio eſt, quia finis meditationis ibi obtinetur, & inquirenda non ſunt alia, cum Deus ad finem (ſcilicet proximum) cor perduxit, ſed in hoc nimia mutandi licentia fugienda.

Quarta. 4. Non ſpeculandum, niſi modicè, ſed omnis conatus in voluntatem incumbat. Cant. 6. *Averte oculos tuos à me, quia ipſi me avolare fecerunt*; quaſi dicat; Oculum intellectualem ſuo tempore contine, alias brachia pii affectus me conſtringere nequibunt, ſed elabi, ſeu evolari ſinent. Uunde peccant, qui ſic meditantur ac ſi conceptus ad conciones excogitarent; loquendum parcè, amandum valdè, Matth. 6. B *Orantes nolite multum loqui, ſicut Ethnici, putant enim, quod in multiloquio ſuo exaudiantur.*

Quinta. 5. Voluntas etiam temperare debet ſibi, ne quid nimis; ne ſcilicet velit devotionem quaſi torculari exprimere, ſed conetur, quoad poteſt, ut Dei ſenſum, & lacrymas donatas acceptet, vel exſpectet, patienter, ſed non nitatur nimis. Inde enim cor potius obdureſcit, & areſcit. Sic à contrario; ne nimis conſolatione dilatetur, & ſuſpiriis ac gemitibus aſſueſcat, ſed, conſueſcat ſedate iis delectationibus affici. Verum eſt tamen in hujus boni primordiis, novas lagenas diſrumpi, ac ſi muſtum evaporaret. Novitas enim id efficit, ſed conſuetudo ſedat motus.

Sexta. 6. Attentio magna eſto, ſed non ſine modo, ſi excedendum, attendendo potius excedatur. C Attentionis quippe remiſſio, & animi relaxatio, pluribus annis, remiſſos oratores fructu deſtitutos in paupertatem redigit. Notetur tamen impenſè, ſuo ipſum initium non defatigandam mentem attentione nimia, ſed reſervandam ad proceſſum orationis. Quod obviis patet exemplis, verbi gratia curſoris, concionatoris, &c. qui ſi initio plus æquo ferveant, languidius ſub finem agere coguntur. Potiſſima ſit animadverſio, ne propter ariditatem, & repulſas animum deſpondeamus, nec ſenſu, ſed fide ducamur. *Bonum eſt enim præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei*, Thren. 3. ſed ſi poſt longa, & multa experimenta, videtur ſibi quis operam perdere ex conſilio periti magiſtri poterit orationem permutare.

D Septima. 7. Lectione ſedata, & bene librata, non quovis guſtu, vel devotionis ſenſu levi conquieſcere; ſed prolixius orare, ut perfundatur tota anima, & gliſcat. Simile eſto de pluvia, & rore modico ad terram arentem; ſimile de inquirentibus theſaurum, qui perveſtigata vena non deſiſtunt. Facile diſflatur devotio levis: ſed intima devotio non extinguitur aquis multis.

Octava. 8. Quando flat ſpiritus non prætermittenda ſalutis occaſio; ille enim flatus eſt ſibilus Dei paſtoris vocantis ovem; ſic S. Franciſcus iter agens tactus divina inſpiratione, ac viſitatione præcurrere ſocium faciebat, E ſubſiſtens donec audiret quid loqueretur Dominus, qui loqui ſolet pacem in plebem ſuam.

Nona. 9. Quando voluntas ardere conſpicitur, ſive in quiete contemplationis ſilere, ac frui, ſive mira lætitia perfundi, &c. intercidendi diſcurſus, & in affectum tunc prædominantem incumbendum eſt: quemadmodum in quovis opere ſine obtento, ratio inquirendi ceſſat; evaneſcente vero affectu, meditatio repetenda eſt ad eum modum, quem de legendi ratione tradidimus. A contrario affectus intercidendus, ſi nimis vehemens ſit, & ad aliquam meditationem, puta paſſionis Chriſti &c. exeundum, ut cor requieſcat, nec lædatur.

Decima. 10. Nota hic nonnullos vix egere diſcurſu, vix enim cogitare cœperunt, cum repentè flammeſcunt, F quod, & ex anteactis diſcurſibus, & præſertim ex divina miſericordia provenit, & in quacumque orationis parte affectus hic excitetur, à quavis alia meditatione abſtinendum eſt (niſi eſſet quid ex obligatione agendum) tametſi totum orationis tempus in eo affectu inſumatur. Nota pariter aliquos ex feminea quadam teneritudine citò commoveri, quod non eſt virtutis argumentum.

Undecima. 11. Nota oculate, imagines intus cogitando compoſitas, & propriæ imaginationis, & Dei, & dæmonis opus eſſe poſſe: ſicut, & Chriſti eadem imago aſpectabilis à Deo per miraculum, à dæmone per illuſionem, & à pictore per artem exprimi poſſet; quapropter diſcretione opus eſt, & prudentum conſilio. G

Duodecima Regula, de meditationis materia. 12. De materia meditationis nihil decerni poteſt, quia variè corda ſingula afficiuntur, & ea eſt unicuique aptior materia; unde fructus, major provenire ſolet, ſed non ſeligatur ſine peritorum conſilio. Incipientium mos eſt, quatuor noviſſima, & Chriſti paſſionem per dies hebdomadæ digeſtam meditari.

CAPUT V.

De gratiarum actione.

XXXV. POſtquam quis meditatione diſcuſſit divina beneficia, vel opera, ob quæ ſe illi plurimum debere cognoſcit, appoſitè ſubſequitur gratiarum actio, H Gratiarum actio. uti ſi de Chriſti vita, paſſione, morte &c. cogitavit, ac proſpexit ea Chriſti opera eſſe ſingularia erga ſe beneficia; quemadmodum & reliqua omnia, quæ cogitari poſſunt, ut mors, infernus &c. a quibus ſæpè Dominus orantem præſervavit; tunc ex intimis viſceribus in gratiarum actionem debet incumbere

bere, ac præſenti, quod agnovit beneficio, alia quæ recepit univerſa ſubnectere, tum univerſalia, puta creationem, redemptionem (ibi vita, & mors Chriſti Domini noſtri) fidei donum, Sacramenta &c. tum particularia, puta naturalia dona, ingenium, vires &c. & ſupernaturalia, ut inſpirationes, præſervationem à multis peccatis, remiſſionem A aliorum &c. optabitque infinita gratitudine erga Deum affici, & omnia illi placentium corda habere cupiet, ad immortales ei gratias agendas, convocabitque creaturas univerſas ad eam gratiarum actionem, ſubjecto (pro affectus proportione) cantico: *Benedicite omnia opera &c.* vel Pſalmo: *Laudate Dominum omnes gentes*, vel alio ad id opportuno.

CAPUT VI.

De oblatione.

XXXV. GRatiarum actioni ſubtexitur oblatio, oportet quippe, ut qui ſe debere quidpiam profitetur, non mo- B Oblatio. do gratiam habeat, verum, & quoad poſſit referat. Quapropter, poſtquam affectus gratitudinis efferbuit, debet qui orat, quod per vires licet offerre, ut gratitudinis partes expleantur. Offeret autem hæc, ſeipſum ſociatum Domino noſtro Jeſu Chriſto, ac ejus beatiſſimæ Matri: offeret animam, & corpus, potentias, & ſenſus, cogitationes, verba & opera, ſtatuens omnia hæc Domino ſuo Quid offerendum? ſpontè in mancipia ſubiicere, nec paſſurum, ut ab eo divertant.

Omnia itidem corda Deo grata, ipſius etiam Beatiſſimæ Virginis, & Domini Jeſu Chriſti, & eorum vitam, mortem &c. cogitationes, verba, & opera offeret in hoſtiam pro peccato: hoſtiam laudis, & gratiarum C actionis pro acceptis beneficiis, hoſtiam pacificam pro accipiendis, uſque ad beatitudinis obtentum: & in holocauſtum ad proteſtationem divinæ Majeſtatis, omniaque verba, cogitationes, & opera diriget in hoc quadriforme ſacrificium. Sigillatim autem offeret incruentum altaris ſacrificium, cum interfuerit Miſſæ.

CAPUT VII.

De petitione.

XXXVI. HÆC eſt propriè oratio, & ab hujus partis nomine totum exercitium nomen adeptum eſt; quæ proinde pars nobiliſſima eſt, & ab hac videtur totius exercitii pendere victoria, adeo ut Petitio. D ultimo loco reponatur, ac ſi præcedentibus actibus cor benè afficiatur, & ad petendum comparetur.

Hujus partis laus à Chriſti Domini noſtri oraculo confirmatur, rogatus quippe à diſcipulis, ut doceret eos orare, præſcripſit ſalutarem illam petendi formulam orationis Formula petitionis quae? Dominicæ, quæ complectitur omnia poſcenda, Quid petendum? quæ proinde huic poſtremæ orationis parti optimè congruit, eritque non abs re, illam pro petitione primo loco depromere, ut in hoc præſcriptioni ipſius Chriſti morem geramus.

XXXVII. Duo autem in hac parte exponenda ſunt, quorum primum ad res petendas, ſecundum ad modum petendi ſpectat, E quod ad res pertinet, petenda eſt venia peccatorum, petendæ virtutes, petendum perſeverantiæ donum, petenda victoria paſſionum, & univerſim quidquid neceſſarium eſt ad æternam fœlicitatem: ſed ea præſertim virtus, qua magis egemus, & ejus paſſionis victoria, qua magis infeſtamur depoſcenda eſt, non pro nobis tantum, verum pro univerſis proximis, idem eodem modo poſcendum eſt.

Quomodo petendum? XXXVIII. Quod ad modum ſpectat; potiſſimum expendi debet, ut ſcilicet Dei miſericordia, ac D. N. Jeſu Chriſti merito, ipſiuſque ampliſſima promiſſione ſubnixi fidentiſſimè poſcamus, ſine ulla hæſitatione. Miſericordia quippe ad ignoſcendum prona eſt, & ipſe Deus ad beneficientiam ſuopte F ingenio propenſiſſimus. Cum autem bonitatis effundendæ in nos ſit avidiſſimus; nulla opportunior occaſio, quam peccatum, cujus veniam deprecamur. Eſt quippe triplex bonitatis modus, benefacere gratis, benefacere non gratis, benefacere ingratis, iis præſertim, à quibus quis eſt laceſſitus injuria, quo in genere divina bonitas ſummoperè eluceſcit. Sed tunc potiſſimum flectitur, & emollitur, ut per ἀνακεφαλαιωσιν dicamus cum quis abjecta voluntate peccandi, benè jam affectus, ſed vulneribus confoſſus ſupplex veniam expoſcit. Obliviſcitur tunc dulciſſimus Deus peccatorum, ut ſunt ejus injuriæ, ac vulneribus medetur, hoc eſt peccatis, ut ſunt vulnera noſtra, nec de ſe ulciſcendo cogitat. G

XXXIX. At quod de Jeſu Chriſti D. N. meritò protulimus mirificè ſpem acuit. Conſtat enim illum inſolidum pro me, ac ſi pro nullo alio mortem obiiſſe, & pœnas &c. pertuliſſe. Statuamus ergo Deum per hoc ſacrificium ad nulla alia peccata, niſi mea condonanda urgeri. Rogamus tunc, me deprecante, & ſacrificio infiniti valoris urgente, Deoque ſua natura ad benefaciendum propenſiſſimo, an quis mentis compos poſſit non magnopere ſperare, & niſi deſipiam ſalutem ſibi promittere. Certè hac ratione convincitur, quemlibet niſi planè vecordem, ac ſtultum, erigi debere, ac ſine hæſitatione poſtulare.

XL. Verum quod mirum in modum vim ſpei auget, eſt ipſius D. N. Jeſu Chriſti ampliſſima promiſſio, ſuo ſanguine obſignata, H in hæc verba, *dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis*) Marc. 11. certum eſt hic intelligi debere præſertim bona quæ ad ſalutem æternam conferunt, & facilè credi debere Deum præſtiturum ea, quæ magnoperè ſuopte in-

ge-

Scrip. An. circ. 1610.

genio præſtare cupit, & ad quæ præſtanda proprii Filii morte exoratus eſt. Mox verò ſi quis firmiter prædictis rationibus permotus credat, & ſine hæſitatione petat ea ſalutis bona, exhibet conditionem, ſub qua ei Chriſtus illa pollicetur, obtinebit ergò illa, Hæc ratio ſtabilit miro modo cor humanum, ut mirum ſit, quo pacto ſub pro- A miſſione tam ampla non quotidie mille ſalutis lucra conquiramus, & mille de hoſte victorias reportemus.

Poſtquam de orationis partibus ſatis dictum eſt, expedit nonnullas rei circumſtantias expendere, quarum obſervatio ad orationis vim acuendam plurimum confert.

CAPUT VIII.

De Corporis habitu, vel poſitu.

I. OMnis languor, & relaxatio corporis procul abſit, non enim poterit juxta David oraculum aſcenſiones in corde diſponere, qui corpore decumbit. Malè quippè afficitur cor à corpore dejecto, ac in tedium B degenerat, ſicut è contrario corporis vigore, ac intentione juvatur, & erigitur; unde nec ſedendum, nec accumbendum, nec verò proſternendum, quibus ſanè modis animus hebetatur, excipitur eventus ægritudinis, vel imbecillitatis, vel aliqua peculiaris cauſa, cum peritis viris conferenda.

In oratione an ſtandum, vel ſedendum &c.

II. Modi aptiores ſtatio, vel genuflexio. Secundus hic videtur tranquillior, & permanentior, eſtque uſitatiſſimus. Animadvertendum eſt autem aſſueſcere oportere iis motibus, & geſtibus quibus uteremur, ſi ſub aſpectabili effigie Deum ipſum cerneremus, unde efficitur, ut reverenter admodum, & modeſtè ſe quiſque gerere debeat, ac ſi viſa præſenti Majeſtate moveretur. Quamobrem à ſtrepitu quovis, puta, motione corporis, C & execratione, vel emunctione debet abſtinere.

III. Non oberit interdum, cum ſine ſociis oratur, geſtibus aliquot ad cor excitandum opportunis animum languentem impellere, ſicut ſcriptum eſt: *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.* (Pſal. 133.) *Ad te levavi oculos meos; qui habitas in cœlis.* (Pſal. 122.) Expedit aliquando pectus tundere more Publicani in templo orantis, & quandoque ſoliloquiis, & ſuſpiriis animam dejectam urgere.

IV. At verò cum quis orat cum ſociis, ſibi temperet, ab iis omnibus, & quibuſvis aliis, quibus aliorum capita lædi poſſint; cujuſmodi ſunt vehemens reſpiratio, & ſuſpiria. *Bonum eſt* quippe, *in ſilentio præſtolare ſalutare Dei.* (Thren. 3.)

D

CAPUT IX.

De loco orationi opportuno.

I. EX doctrina Sanctorum, & exemplo, locum orationi opportunum exquirere opus eſt, ratioque ſuffragatur. Quoties enim quid ſerio agendum eſt, negotiorum occaſiones vitare, & abdita loca petere conſuevimus; ne mens dum ab aliis occupationibus diſtrahitur, minus impensè in opus incumbat.

De loco ubi oratio facienda.

II. Sic D. N. Jeſus Chriſtus docuit, quoties ſolus oravit, auſpicatus à deſerto; ſic E ſancti Patres utriuſque teſtamenti eremos pererrabant, & in antris latebant, non corde tantùm, verùm, & corpore ab hominum commercio longiſſime remoti. Rectè: congruit quippe animæ divinas res affectanti, quod Dominus ait per Oſeam: *Ecce ego lactabo eam* (ſive ut vertunt LXX.) ſeducam eam, *& ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*, loqui ad cor, eſt ſolari. (*Oſee 2. Lxx. Interp.*)

III. Sic viri divinarum affectionum cupidi, vel domi oratoria, vel in agris ſacella conſtructa, & templa minus frequentata petunt, ac ubi deambulandum eſt, ſoli libentius incedunt, ne comitatu hominum ab intentione cordis relaxentur. S. Martinus Turonenſis (ajente Sulpitio in vita illius) habebat locum ſecretum in Eccleſia, in quem vulgò ſe abdebat oraturus. At præter hoc, F ſæpe Epiſcopatus negotiis, & curis prorſus abdicatis per aliquot dies ſe recipiebat ad Cœnobium quoddam per duo milliaria ab urbe remotum, ubi cellam habebat orationi prolixiori deſtinatam. Idem propè modum de S. Hugone Epiſcopo Lincolnienſi in Anglia, & de S. Aquilino Epiſcopo, Ebroicenſi in Gallia, & de S. Laurentio Archiepiſcopo Dublinenſi in Hybernia, & aliis. Certè S. Bernard. (ut Guilielmus in ejus vita) inter medios occupationum graviſſimarum fluctus, ſe ſubtrahebat in nemora, & loca ſolitaria, unde, & intelligentiam Sacræ Scripturæ ſe hauſiſſe fatetur, potius quam ex ſtudio. Idem prope de S. Franciſco, ut multa illuſtria exempla prætereamus. Quiſque G igitur det operam, ut vel domi, vel foris loca ſecretiora perquirat, & dulciſſimum Dei commercium ſolus affectet.

S. Martinus Turonenſis. S. Hugo Ep. S. Aquilinus. S. Laurentius Epiſc. S. Franciſcus

CAPUT X.

De Tempore Orationi opportuno.

I. TEmpus omnium opportuniſſimum eſt, quod à media nocte uſque ad diem procurrit juxta Sanctorum doctrinam, & exempla frequentiſſima. Ratio ſuffragatur. Tunc quippe noctis obſcuritas, altum ſilentium, & creaturarum omnium quies plurimùm conferunt, ut anima ſine interpellatione, ſeu perturbatione ulla res divinas contempletur.

Oratio in nocte facienda.

II. Sic Deus, qui naturæ diſpoſitionem fovet, & gratia ſua perficit, eo tempore H ſervis ſuis cœleſtia ſecreta revelat, quemadmodum Abrahæ, de quo ſcriptum eſt: *Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtravit aſinum ſuum, ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum &c.* (Gen. 22.) Sic Samueli eodem ſacro Eloquio atteſtante: *Samuel autem dor-*

Scrip. An. circ. 1610.

1. Reg. c. 3.

miebat in templo Domini, ubi erat arca Dei, Et vocavit Dominus Samuel, &c. Sic David profitetur ſe media nocte, ac diluculò etiam ſurrexiſſe, ut eloquia divina meditaretur, &c.

III. Expedit ad eum finem, ſic vitam inſtituere, ut ſomno prius indulgeatur, A quantum neceſſitas expoſcit, & victui modus præſcribatur, ne caput, vel imbecille, vel obtuſum, tam divino exercitio nequeat aſſueſcere.

De orationis diuturnitate.

IV. De quantitate temporis certum quid definiri non poteſt, ſed duo aſtruenda ſunt. Unum, ne dies ulla prætereat, ſine modico ſaltem orationis paſtu, quo anima nutritur. Alterum, ne tempus corripiatur, dum valetudo, & tempus ſuppetunt, ſed qui decrevit per duas dimidias horas intercalatas orare per unam continuatam, qui per duas intercalatas per duarum tempus continuum (ſaltem aliquoties) orare ſtudeat Hoc quippe modo, ut experti tradunt, multò clarior rerum divinarum notitia, & ſenſus hauritur. Et hanc temporis protractionem mirificè B viri ſpirituales commendant, eò quod ſæpe contingit languentem animam orationem incipere, arentemque aliquandiu producere, ſed conſtanti permanſione ſubita divinæ claritatis, ac ſuavitatis luce perfundi, qua cor exhilaratur, & cœleſti fortitudine invaleſcit.

LECTORI.

Tractatui de Oratione cognatus eſt hic alter Tractatulus: quippe qui clarè ac breviter methodum tradat orandi cum fide, ſeu fiducia illa ſpeciali, qua Sancti uti ſolent, eſtque præcipuum impetrandi inſtrumentum: & in quam propriè cadere videntur hæc C *Chriſti Domini ac magiſtri verba: Quidquid orantes petitis, credite; quia accipietis. Lege amice Lector, & lege attente, ſpondeo, nunquam te pœnitebit tam ſanæ, & utilis lectionis. Vale.*

Definitio, fiduciae.

FIdes, quæ aliàs fiducia dicitur, eſt ſpei quidam veluti vigor, ortum trahens ex aliqua ejuſmodi conſideratione, quæ poſſibilem alicujus boni acquiſitionem oſtendit, ac firmiter perſuadet; à D. Thoma dicitur ſpes roborata. Et verò, propriè loquendo, haud aliud eſt, quam modus quidam, fortiter ac generosè ſperandi, qui proinde ab eodem ſancto Doctore ad virtutem magnanimitatis reducitur, cujus utique D indoles eſt ad magna bona, quibus acquirendis incumbat, animosè contendere. Ipſa quoque anima media paſſione, quam itidem ſpem nuncuparunt, & reſidet in ea appetitus ſenſitivi parte, quæ paſſim iraſcibilis audit; altiore quodam modo, ac certiore etiam adniſu eandem fiduciam exercet, ſperando ſe ea bona indubiè nanciſci, quæcunque deſideraverat, opitulante maximè Dei auxilio, quo potiſſimum ſpes ipſa nititur, & hæc pro fide, ſeu fiducia cognoſcenda, dicta ſunto, nunc pro ejuſdem praxi.

Naturalis inclinatio.

Suppono I. Inclinationem naturalem, qua Deus ad benefaciendum propendet, in infinitum majorem eſſe ea propenſione, quam E habent res inanimatæ ad proprios ſuos effectus, verbi gratia ignis ad calefaciendum, aqua ad humectandum, &c. quin, & ea quoque, qua homines ſuis paſſionibus mancipatis in ſuas delicias, & oblectamenta feruntur; adeo, ut nemo unquam quantumvis ambitioſus tanto ardore honores venatus eſt, nemo guloſus tantopere crapula delectatus, quantopere Deus ad exibendam miſericordiam inclinat iis præſertim, qui eam, quomodo debent, implorant.

Suppono II. Patrem æternum idcirco unigenitum Filium ſuum in mortem tradidiſſe, ut ſibi ſuæ miſericordiæ manifeſtatione gloriam pareret; ita ut Filius meruerit de toto rigore juſtitiæ; ut Pater iis omnibus ignoſceret, qui pretioſo ejus ſanguine proficere F vellent, ſimulque illis bona gratiæ, & gloriæ ad beatitudinem conſequendam neceſſaria conferret: quin immo, & alia plurima non item ad beatitudinem requiſita. Adeo ſicubi Pater exercet in me miſericordiam; ideo fit, quod jam antea de toto rigore juſtitiæ per ſanguinem Chriſti Domini ſatisfactum ſit: quod equidem non fieret, niſi Chriſtus propter me incarnatus fuiſſet. Quæ una ratio ad maximam erga Deum confidentiam potentiſſime urget.

Suppono III. Chriſtum Dominum noſtrum hanc ſanctam doctrinam variis tum parabolis, tum apertis verbis, imo promiſſionibus ſæpius inculcaſſe; puta his: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis;* & his. *Petite & accipietis, quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: qui quærit, invenit;* G *& pulſanti aperietur.* Item iſtis verbis: *Habete fidem Dei. Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.*

Suppono IV. Has promiſſiones eſſe ejuſmodi; ut quando is, qui eas pollicetur, neutiquam foret Deus, ſed homo; iſque duntaxat mediocri prudentia, potentia, ac miſericordia præditus; eas nihilominus indubiè ſervaret; præſertim cum inde nullam jacturam; ſummam verò gloriam ſibi conquirat: quin imò delicium, & lucrum; ita facit, ut ſi Deus aliqua ratione poſſet ditior, aut felicior evadere, hoc inde conſequeretur, conferendo ſcilicet denuo bona iis, quibus antea minus indulſerat, utpote H quorum dominium nihilominus retinet.

Hæc omnia ſuppono eò quod fuſius alibi de iis diſſeruerim. In præſenti autem unum tantum adverto, in quo totius rei cardo vertitur. Si quidem pro allatis rationibus, nullus intellectus ſui ſaltem compos aliundè reſiſtere poteſt, præter quam eò, quòd neſciat, an id, quod a Deo pe-

tit,

Scrip. An. 1610. Ital. Idiom.

tit, illi acceptum ſit, nam cum Chriſti omnes promiſſiones eo indubiè ſenſu ſumendæ ſint; an ſcilicet, id quod petitur, ſit Deo gratum; quoties verò id in controverſiam venerit, (ſæpius autem venire neceſſe eſt) nequaquam poterit exprimi is affectus, ani- A mique tanta firmitas, quam verba Chriſti requirunt.

Verùm hæc difficultas in iis animabus, quæ divinarum rerum ſtudio deditæ ſunt, parum admodum roboris obtinet. Eſſet enim error nimis notabilis, velle fundare in verbis Chriſti eum teporem ac remiſſionem animi, quæ ferè ſolet orantibus accidere, quoties ejuſmodi dubiis ſe permittunt, ſitne conveniens, aut etiam gratum Deo quod poſtulatur. Neque Sancti, quibus familiariſſimum fuit ſtudium orationis, unquam ſub eam talibus dubitationibus locum fecere, nec in eis quidem rebus, quas non uſque adeò conſtabat Deo placere, dummodo tales ab eis exiſtimarentur; quod ſubjecta ratio efficaciter evincit.

B Certum eſt Chriſtum, Dominum noſtrum in ſuperius allegatis promiſſionibus non ſolùm ſermonem inſtituiſſe de illis rebus, quas evidenter conſtat ei placere, ut ſunt humilitas, obedientia, remiſſio peccatorum, & ſimilia; cum alia plura natura ſua indifferentia, prædeſtinatis ad conſequendam ſalutem ſervire queant; ut ſunt bona temporalia, bona valetudo, &c. quæ juxta D. Thomæ, & Theologornm omnium ſententiam cadunt ſub meritum, tamquam utilia ad obtinendam vitam æternam. Atque ideo ſæpenumerò mediante Oratione impretrantur, veluti effectus prædeſtinationis juſtorum; quæ ſi vera ſunt, ſequitur per bonam conſequentiam, pro illis etiam rebus utpote ad ſalutem animæ conducentibus orandum eſſe, nec ul- C lam video rationem in contrarium,

Praedeſtinatis etiam indifferentia ſerviunt ad ſalutem.

Admiſſo autem hoc principio, ulterius ſequitur, eo modo etiam tum orandum eſſe, quem Sancti docuerunt, nimirum magna cum fiducia, ſupponendo ex notitia ſeu opinione ſaltem probabili, eam rem eſſe convenientem, & gratam Domino Deo, reſciſſis in reliquo multis diſcurſibus, & torporibus, qui ſunt proprii partus nimiarum ſpeculationum; quod amplius hoc exemplo patebit. Eſt prudentibus uſu receptum; ubi quis exiſtimat (tametſi id certò ei non conſtet) bono ſuo temporali, ſeu etiam ſpirituali conducere, vel iter agere, vel expenſas facere, vel etiam magnatem aliquem, cujus opere niti poſſit convenire; vel alia ejuſmodi præſtare, quæ nihilo minori diligentia exequatur, quam ſi pro comperto haberet talia, ſibi utilia. Verbi D gratia, obſervantur Romæ per noctes ſingulas à militibus ſtationes, ſeu vigiliæ, quamvis ut plurimum nullum probabile, ſed poſſibile duntaxat periculum immineat. Multi antidotis utuntur ex probabili tantummodo opinione firmioris exinde ſecuturæ valetudinis. Non paucis ambiunt beneficia, quæ tamen minimè conſequuntur, nec expedit, quod illa obtineant. Certum eſt nihilominus in his caſibus, & aliis conſultò prætermiſſis, eundem prorſus laborem adhiberi, qui adhiberetur, ſi conſtaret rem deſideratam per talia media obventuram; dato, quod objectum præſens vehementiùs moveat affectum, quam ſi illud ipſum abeſſet; id enim adductæ rationis efficaciam nullatenus enervat. E

Exemplum.

Verùm ut hoc ipſum in rebus ſpiritualibus ſpecialiter oſtendatur, certum eſt plurimos eorum qui militiæ religioſæ adſcribuntur, in illa non perſeverare, nec infrequenter, vel ob infirmitatem, vel propter incapacitatem citra omnem ipſorum culpam expelli, de quibus interrogo, an quando Religionem ingreſſi fuerunt, Deumque ſupplicaverunt, ut ipſis perſeverantiæ donum largiretur, quod per totum vitæ decurſum maximè ſibi conveniens eſſe credebant, habuerint certitudinem, voluntatem Dei eſſe, quod in illo ſtatu perſeverarent? Eam haud dubiè non habuerunt, ſiquidem, licet abſque culpa, non perſeveraverint. Nihilominus ferventiſſimè pro hoc ſtatu, utque in eo morerentur Deum F oraverunt: ita quidem, ut à nemine quantumvis ſpirituali, doctrinave prædito abduci ſe in contrarium paterentur. Id autem non alia ratione, quam quia tum æſtimarent, ſe iis precibus, quas pro impetrando perſeverantiæ dono fundebant, gratum ſe Deo obſequium præſtare. Quandocumque igitur ejuſmodi Probabilitas habebitur, gratum eſſe Deo quod petitur, ſimili quoque fiducia, ac cia, fervore erit poſtulandum; quamvis interim aliter ſeſe res haberet: eritque talis Oratio dubio procul eximii meriti, & fundata in doctrina Sanctorum.

Verificat hoc, id quod ait S. Paulus de ſtimulo carnis. *Ter*, inquit, *Dominum rogavi, ut diſcederet a me*, quibus verbis quæro, an viva fide petierit, an non? Indubitatum G certè eſt, cor illud generoſum ampliori affectu, grandique fiducia petiiſſe, qui ſcilicet ad hoc graviſſima illa afflictione impellebatur, quam ipſe ibidem inſinuat, cum ait: *Spiritus Sathanæ, me colaphizat, &c.* cum certum ſit, illum non impetraſſe quod petebat, quoniam non expediebat, ſed accepiſſe reſponſum: *Sufficit tibi gratia mea*, &c. Cur amplius tam abſolutè à Domino petiit, hoc ſibi dæmonium auferri, & non potius addidit: ſi tibi ita videtur, aut ſi mihi expediat? Nimirum tunc temporis credebat, rem bonam, & animæ ſuæ proficuam ſe poſtulare, qua credulitate ſuppoſita, ſuperfluere judicabat, omnem aliam ſpeculationem, vel diſcurſum, quandoquidem ad hoc ſatis erat habitualis voluntas, qua ita affectus erat, ut omnino nihil vellet, niſi quod Deo gratum eſſet: imò eo ipſo quòd tempore Orationis ejuſmo- H di ſpeculationi attendiſſet, non potuiſſet inſtituere Orationem ſublimi illo modo, & Apoſtolica confidentia digno, quæ nobis in exemplar proponitur, quatenus addiſcamus (quemadmodum ait S. Jacobus) ut qui orat, poſtulet in fide, nihil hæſitans.

1. Cor. 12.

Ibidem.

Ibidem.

Hanc doctrinam quoniam non rectè intelligimus, fit quod in Orationibus noſtris mi-

Scrip. An. circ. 1610. Ital. Idio.

nus meremur, neque poſtulata impretramus, ſiquidem extra omnem controverſiam eſt, Sanctos plurima iis, quæ modo in adductis exemplis retulimus non abſimilia ideò obtinuiſſe, quod in fide petiiſſent, quæ alias non fuiſſent conſecuti; quibus tamen non conſtabat, ea eſſe Deo grata; neque erant ad ſalutem A abſolutè neceſſaria, ſed ut majorem profectum tam ſibi, quam aliis duntaxat acquirerent. Cujus rei dubitatio nulla poteſt eſſe iis, qui vitas Sanctorum revolverunt, qui fidei ſuæ efficacia plurimis ſanitatem miraculosè obtinuerunt, qui nihilominus in infirmitate ſalvari potuiſſent; de quibus quæri poſſet, quo animo illorum incolumitati preces fuderint, cum ignorarent, an magis expediret, quod ipſi infirmarentur; ad quod nil aliud dici poteſt, niſi quod ideo eum in modum oraverunt, quoniam probabiliter credebant, id Deo gratum eſſe; ſi verò diſcurſibus, aut dubitationibus locum dediſſent, certum eſſe eos in fide non fuiſſe oraturos, neque conſequenter impetraturos.

S. M. Tereſia.

In horum numerum, qui pene innumerus eſt, referri poteſt S. M. N. Tereſia, quemad- B modum in multis caſibus ex ejus vita conſtare poteſt; in hac enim virtute invincibilis fuit animo: ſed arctius difficultatis nodum perſtringamus. Nonnullis in caſibus in quibus evidenter patet non fuiſſe Dei beneplacitum, quæ petebantur concedere, (ut in tentatione Apoſtoli conſtat,) oratio fuit ardentiſſima, & nixa fide planè Apoſtolica; quidni eadem fiducia pleraque alia, quæ jure potiori putantur eſſe, è Dei gloria. à Deo petenda ſint? verbi gratia ſanitas alicujus perſonæ, quæ verbo, & exemplo multis ſaluti eſſe poteſt, vel etiam liberatio quorundam graviſſima, per tentationes varias afflictorum, præſertim cum unum eorum, quæ Dominus Deus hìc intendit, ſit ipſa petitio, ſeu ſupplicatio, quippe qui parcendo, liberando, ac ſolando gloriam ſuam manifeſtat. Sanè nihil C his obiici poteſt, præter id, quod jam pridem ſolvimus, nimirum ignorari ſæpe ſit ne conveniens, an non. Verum cum illa ratio nulla fuerit penes Apoſtolum, non eſt cur nos minus eo peritos monere debeat. Nec valet ſi dicas, Deum cum gratias impertiri decernit, prius etiam dare id fidei robur, quod ipſe requirit; nam tametſi ita ſubinde contingat, non tamen ſemper, imo nec admodum frequenter. Porro ea doctrina quod abſque hæſitatione petatur, omnibus communis eſt, quemadmodum ex præallatis Chriſti verbis luculentiſſimè apparet. Quod ſi doctrina communis eſt, ea autem fidei firmitas non ſemper communicatur, ſequitur, quod ob Chriſti rationes in Evangelio expreſſas, D ſimul cum auxilio gratiæ, quæ nulli deeſt; poteſt ac debet unuſquiſque dum orat, ad hoc eniti, ut abſque hæſitatione poſtulet, eandemque firmitatem etiam in rebus non omnino certis conſequatur, dummodo ea probabilitate ducatur, quam Sancti in ejuſmodi rebus habuerunt, ea ad Dei obſequium facere.

Quid petendum?

Poſtulandum abſque hæſitatione.

Debilitas fidei in Dei ſervis, unde?

Porrò ut aperiam quid in hac parte ſentiam, cum ego quidem adductis rationibus convincar; arbitror ſanè, debilitatem fidei in Dei ſervis ortum ducere ex puſillanimitate, & quadam impatientia, ſub humilitatis, reſignationiſque prætextu latentibus; magni enim ſervi Dei cum diutius ſuis in orationi- E bus deſolantur, ac nihilominus perſeverantes, ſed neutiquam exaudiri arbitrantur, eo quod nulla interim conſolatione donantur. Ac, ſiquidem eos dœmon ab Oratione totaliter abſtrahere non poteſt, illud ſaltem procurat, ut per cogitationes in ſpeciem ſpirituales ſenſim in torporem dilabantur, cauſantes eam fortaſſe Dei voluntatem non eſſe, quandoquidem tam diu non reſpondet. Qua in re animæ illæ flaccidæ cum graviſſimum ſibi nocumentum inferunt, tum maximam Deo irrogant injuriam, qui præſtantiſſima eos virtute, perſeverante videlicet patientia, & fide condecorare, & illuſtrare volebat. Nec video qua ratione de Deo conqueri poſſint, minúſque ſublimiter loqui de ea fide qua orandum eſt, niſi quod dæmonis ſuggeſtionibus, propriiſque ſuis paſſioni- F bus non mortificatis in hujuſmodi opinionem adducuntur.

Moyſes, Joſue, Elias, & Judith.

Nam ſi propterea quod (ut ipſi quidem arbitrantur) Deus tardat, diffidentiæ ac puſillanimitati cedendum eſt; corruat oportet maxima pars graviſſimarum Scripturæ auctoritatum, & tot opera ſanctorum, quæ luctando (ut ita dicam) cum ipſo Deo, per multos annos præſtiterunt, donec tandem, quod poſtulabant, impetrarent. Notiſſimæ ſunt hiſtoriæ Moyſis, Joſue, Eliæ, &c. qui per orationem vicerunt. Notiſſima etiam ira Judithæ eo ſuccenſa, quod Hebræi, etiam Sacerdotes, ſpatium quinque dierum poſuiſſent, quibus adjutorium à Deo exſpectarent.

Unde inferri poteſt, infidelitatis quoddam genus eſſe, ea fidei debilitate orationem inſtituere, & eos, qui ob hujuſmodi puſillanimitatem labuntur, præter maximorum, quam G faciunt meritorum jacturam, anima quoque ipſa in hora mortis periclitari, quando inſtante judicio, aliiſque circumſtantiis, quæ tranſitum illum comitantur, ea debilitas amplius invaleſcit.

Ad magnanimitatem acquirendam, quid?

Atque idcirco familiariſſima eſſe deberet Dei famulis hæc fidei doctrina, utpote maximi momenti ad cordis acquirendam magnanimitatem; & ad generosè cum ipſo Deo tractandum, non abſque ingentibus omnium virtutum incrementis, paſſionum, & hoſtium animæ victoria, tametſi ſe videant multis annis tentatos, & derelictos, quantalibet etiam precum vi enitantur, ut impetrent, neque tamen ullam a Deo affectus reciprocationem ſentiant, quinimò ſecus omnia ex- H periri ſibi videntur, ac fides ipſa præſcribit. Cum enim veriſſimum ſit, Dei promiſſiones errare non poſſe, patet, Deum conſultò fideles amicos ſuos ita tractare, quo ſcilicet eos tanto auguſtiùs coronet, qui neglectis rationibus à ſenſu petitis, omnia certamina, & vitæ ſuæ cruciatus, ac dolores ſola fide fulciunt.

Dei promiſſiones errare non poſſunt.

Ex

Scrip. An. circ. 1610. Ital. Idio.

Ex adductís rationibus concluditur, quanta fiducia etiam in rebus, quæ probabiliter tantùm æſtimantur Deo gratæ, orandum ſit, & conſequenter concluditur ulterius, argumento, quod vocant, à minore ad majus, quod quando res ſunt ejuſmodi, ut citra omnem controverſiam Deo placere cognoſcantur, verbi gratia remiſſio peccatorum, virtutum, ſalutisque æternæ conſecutio, inſignis foret dementia, imo brutalis quædam inſenſibilitas, dubitare, aut animo hac in parte cadere, cum potius magnopere confidendum ſit, quamvis ab uno eodemque homine peccata tot admiſſa eſſent, ut numerum arenarum maris excederent. Nulla enim ratio occurret adeo valida, quæ merito dubium, & diffidentiam generet, cum homo quantumlibet gravibus irretitus laqueis peccatorum, divinam miſericordiam veraciter implorat. Siquidem certam habet ex parte Dei correſpondentiam, in Scripturis ſacris promiſſam, quam quicunque amittit, eo amittit, quod eam nolit recipere.

A E

IN SEQUENTEM TRACTATUM

PRAEMONITIO.

B F

EIuſmodi breviſſima, ſed perutilis aeque, ac amoena Tractatio quae in quarto veteris editionis Tomo ad pag. 250. *iacebat, certiſſimè ſcripta eſt poſt an.* 1610. *quum in ea ſuperiores de Oratione Commentarios a ſe ſcriptos revocet, forte ſpiritualis exercitii gratia, in aliquo ad Montis Tuſculani receſſu, dum Generalis munere fungeretur, ubi ex eius vita cap.* 19. *ſholam veluti ſpiritus ſui quietius aperiebat? Illi igitur conſignamus annum circiter* 1612.

C G

VEN. P. F. JOHANNIS A JESU MARIA

CARMELITÆ DISCALCEATI

Phyſiologia interioris Hominis.

Scripta An. 1612.

Vires tres in homine. Prima vis, quae?

D

TRES in homine vires cognitioni ſerviunt, triplexque ad proportionem eis reſpondet appetitus. Prima vis appellatur ſenſitiva, quæ ſenſus omnes tum externos, tum internos, ſenſum communem videlicet, imaginativam, cogitativam, & reminiſcentiam amplectitur; & cognitionem his ſenſibus hauſtam, ſequitur appetitus ſenſitivus, ex parte Concupiſcibili, Iraſcibilique compoſitus, qui modis undecim, quas Paſſiones appellamus, commovetur: ex quibus ſex, hoc eſt amor, deſiderium ſeu concupiſcentia, delectatio, odium, fuga ſeu abominatio, atque triſtitia ſunt in parte Concupiſcibili, quæ ſedet in jecore: treſque priores feruntur in bonum, & tres poſteriores averſantur malum. Quinque vero ſunt in parte Iraſcibili, quæ ſedet in corde. Spes, & audacia, tendunt in bonum arduum: deſperatio, timor, & ira horrent

Paſſiones Concupiſcibilis, & earum ſedes.

H

Paſſiones Iraſcibilis & earum ſedes.

rent

rent contrarium. Licet autem ſex priores paſſiones, quin etiam omnes, ut nonnulli putant, incipiant in hepate, ſed perficiuntur in corde, in quo & affectus omnes ſedem habere aliqui tradidere.

Prima vis pars inferior.

Vis hæc deſcripta vocatur inferior hominis pars, ſive anima: unde, & qui neglecto rationis ſuperioris lumine, huic nimis indulgent, *animales* ab Apoſtolo vocantur. A Vis hæc propterea à Theologis myſticis infimum cælum appellatur.

Secunda vis, quae?

Secunda vis rationalis dicitur, quæ una cum tertia ſtatim adiicienda ſuperiorem hominis partem componit, eſtque ipſe intellectus, prout notitiam ex notitia deducit: ita ut ſi ratiocinetur erga temporalia, portio rationis inferior, ſi erga æterna, portio rationis ſuperior nuncupetur. Huic reſpondet rationalis appetitus, ſeu liberum arbitrium, quæ eſt ipſa voluntas, quà ratione ab inferiore, vel ſuperiore rationis portione movetur. Vis hæc intellectu, voluntateque conſtans, medium cælum appellatur: ex cujus parte ſuperiore, ac vi tertia mox deſcribenda ſpiritus hominis conflatur.

Tertia vis, quae?

Tertia, & ſuprema vis (in qua eſt Syndereſis) cujus actus eſt conſcientia, B eſt ipſe intellectus, qua lumen à Deo proximè accipit, ut prima principia conceptis duntaxat terminis vi naturali, vel occulta divinæ Sapientiæ, per ſupernaturale lumen, ſine diſcurſu cognoſcat. Hæc appellatur intelligentia, mens, umbra intellectus Angelici, ſcintilla ſeu apex rationis; cui, obſervata proportione reſpondet voluntas, prout quandam propenſionem naturalem, ad bonum ſimplicis intelligentiæ conceptum ſibi repræſentatum à Deo proximè recipit; quæ apex mentis, ſcintilla intelligentiæ, inſtinctus indelebilis, ſupremum cælum, affectus, ſtimulus naturalis ad bonum, virtus amatrix ſuperior, portio virginalis animæ appellatur; C quæ ſane nomina ob ea paradoxa, quæ ibi contingunt excogitata videntur.

Vis hæc intellectus, voluntatiſque ſuprema, cælum tertium nuncupatur.

Diviſione partium hominis tradita, appoſitè dicendum, quo pacto ſpiritus cæteras partes moderetur.

Spiritus ratio ſuperior dictus.

Spiritus ergo, qui ſuperiorem rationem, & intelligentiam, reſpondenteſque, ſervata proportione, voluntatis gradus amplectitur, in rationem inferiorem dirigendam, ſenſuſque tum externos, tum internos moderandos, & appetitum regendum incumbit: inſigni tamen diſcrimine; cum rationem inferiorem ſuperiori non cohærentem ſemper reiicere poſſit, externis verò ſenſibus, & D (excepto pudendo) membris omnibus, dominio quodam deſpotico, internis vero non ita facile, ſed appetitui politicè imperet: membra quippe, ac externi ſenſus, imperio nequeunt reniti, interim vero multifariam intellectum obumbrant: appetitus autem pertinaciter etiam reluctatur.

Modus tamen illum reprimendi opportuniſſimus eſt, vi præſertim amori uni, velut omnium capiti paſſionum illata, bono meliore ab intellectu voluntati propoſito, animæ vires illuc avocare: ut ſi conſpecta pulchritudine carnea Concupiſcibilis amore flagret, abſolutiorem Chriſti formam cogitare, in quam voluntas impenſius feratur, & appetitum ſecum trahere conetur. Quo certè conatu, appetitus, cui paſtus minimè adimitur, ſed mutatur, afflante Deo, ſolet eò E promoveri, ut cæleſtem decorem affectet, ſicut ſcriptum eſt: *Sitivit in te anima mea: quam multipliciter tibi caro mea.* *Pſalm. 62.*

Verum rem adeo ſublimem ſpiritus moliri nequiret, niſi clementiſſimus Deus hominis vires, tum ſuperiores, tum inferiores, donis cæleſtibus ornaret, ac propterea eſſentiam animæ divina gratia, ſeque ipſo arcano valde, ac ineffabili modo ibi exiſtente, ac more puriſſimi radii, illapſu, qui Dei ſolius eſt, animam quaſi cryſtallum pervadente decoravit.

Intellectus quibus exornatus virtutibus?

Intellectum Fidei virtute Theologica, Conſilii, Scientiæ, Intellectus, & Sapientiæ donis, & Prudentiæ virtute exornavit. Voluntatem Spe, ac divina Charitate, Pietatis dono, Juſtitia, aliiſque permultis virtutibus inſtruxit. Concupiſcibilem Temperantia, Caſtitate, aliiſque ſimilibus affecit. F Iraſcibilem Fortitudinis, ac Timoris donis, & Fortitudinis quoque virtute inſtruxit, ac inter alias multas Humilitate munivit. Et quod paſſionibus ſubjugandis erat appoſitiſſimum, ad parandas virtutes, quæ acquiſitæ nuncupantur, auxilia multa ferre conſuevit.

Virtutibus Theologicis ſpiritum ad æternitatem erexit. Moralibus duplicem intellectum, & utrumque appetitum, ut honeſtum ſequerentur, excoluit. Spiritus Sancti donis Intellectum, Voluntatem, & Iraſcibilem, ut ab ſpiritu ipſo expeditius regerentur, quaſi currus rotas, inunxit. Æternæ felicitatis prælibationem, perfectiſſimis, ac ſuaviſſimis donorum, & virtutum actibus, quos Beatitudines, & Fructus, appellamus, indulſit. G Pretioſiſſimus tamen ornatus hic, veſti Joſeph polymitæ ſimilis, gratia per mortalem culpam amiſſa deperditur, exceptis virtutibus acquiſitis, Theologiciſque Fide, ac Spe, quæ oppoſitis tantum infidelitatis, ac deſperationis peccatis intereunt.

Gratiae gratis datae, etiam peccatoribus elargitae.

Gratias vero gratis datas, puta Prophetiam, genera linguarum, diſcretionem ſpirtuum, & reliquas minime recenſemus, cum & peccatoribus ad aliorum bonum concedantur, tametſi juſtis frequenter, & major illarum copia fieri ſoleat.

Ex donorum, & virtutum agmine recenſito, ſolæ partæ virtutes negotium juſtis potiſſimum faciunt: nam cæteri habitus, una cum divina gratia, in ipſo juſtificationis momento, H infunduntur. Quapropter ad has parandas, peculiari quodam modo enitendum eſt.

Erit autem modus admodum efficax, ſi in virtutem unam ſelectam, electoris animo conſentaneam, toto pectore quis incumbat, & reliquarum virtutum actus non confertim obeat. Cum vires in diverſa ſtudia ad tempus

Scrip. An. circ. 1612.

pus diſſipatæ, ac proinde tenuiores, interruptique conatus nihil abſolvant, ſed incepta ædificia novis conſiliis intercidant, & evertant : & ex prudentum ſententia præſtet, in uno eximium, quam in multis mediocrem eſſe ; licet ob unum illud comparandüm, multis quis foret cariturus. Si enim uno illo, cætera impenſiore conatu acquirentur, A exploratum eſt, modum illum reliquis omnibus præferendum.

Cum ergo in hoc virtutum ſtudio, qui uni ſtudet virtuti, cæteras velut catenæ orbibus conſertas trahat, ut ſubjecta liquet ratione, efficitur acre unius, quam multarum non ita fervens ſtudium, eſſe ſalubrius. Eſt autem ratio ineluctabilis. Nobiliorum Theologorum conſenſio eſt, virtutem aliquam moralem ſuum ſtatum adeptam, hoc eſt perfectam, ſine aliis eſſe non poſſe, cum perfecta eſſe nequeat, ſi in quavis occaſione, ut officio ſuo ſatisfaciat, quamcumque difficultatem ex quavis materia vitiorum, paſſionumvè objectam, non ſuperet. Si ergo ſuperet arduitatem, cæteris virtutibus ob paſſiones, B ac vitia oppoſitam, & infeſtam, neceſſario exercet univerſarum virtutum actus, & omnia extirpat vitia, & paſſiones elidit.

At victoriam hanc brevius, nervoſius, & facilius collatis viribus in unam, quam in multas virtutes obtinebit : cum exiguus hominis captus vix uni ſatis ſit. Ergo compendioſius, & utilius eſt, in unam ſelectam virtutem, donec acquiratur, quam temporibus intercalatis in diverſas nervos intendere.

Exemplum de Obedientia.

STatuamus ab aliquo, eximiam Obedientiæ voluntatem armantis virtutem, quam ſtudioſiſſime colat, fuiſſe delectam; cui Obedientiæ cultori res plerunque à Superiore C injunguntur, quarum rationes minimè capit, quod intellectus ſuggerat rationes adverſas. Hic ſi virtutem colat, Superioris mandatum proprio judicio anteponit. Fide convictus, quaſi argumento rerum non apparentium, ubi patet fidei cultu intellectum in captivitatem redigi, & æternis rationibus temperari.

Interdum verò præcipiuntur contraria iis, quæ concupiſcentia ferventer appetit, puta jejunia, vigiliæ, & dum ea ſuſcipit, ut obediat, Concupiſcibili appetitu ſubjugato Temperantiam parat.

Sæpe etiam imponuntur ardua, puta officia humiliora, vel admodum laborioſa, & viribus naturæ majora, quæ animus formidat, & in eis obeundis Iraſcibilem coercet, & Humilitate, ac Fortitudine conſtabilit. D Ubi patet non ſolum Obedientiam, ſtatu jam excelſo ſatis adultam, verum, & parari cœptam virtutes reliquas ſecum trahere, ac in animum inducere.

Exemplum de Humilitate.

QUI humilitatem colit, firmiter decernit univerſis hominibus, tanquam ſe melioribus cedere, quod certe decretum tantæ virtutis parandæ baſis eſt. Hoc ſemel conſtituto, dum corripitur etiam ſine cauſa miteſcit, nec audet correptori, utpote ſe juſtiori E adverſari, quod eſt Iraſcibilem compeſcere Manſuetudine.

Si quid ab aliis grave injungatur, quod præter rationem videatur, obtemperat : cum omnes quaſi Superiores veneretur, quos ſe meliores eſſe decrevit, & judicat æquum eſſe melioribus obedire, quo uno, præſtantiſſimo ſane modo virtutem Obedientiæ parat, & voluntatem, ubi ea virtus ſedet, cæteris ſubdit.

Si de re quaquam dicenda ſententia ſit, cum ſtatuerit alios meliores, & illuminatiores eſſe judicium proprium facile aliis adaptat; quæ inſignis virtus eſt, qua intellectus in obſequium Chriſti captivus efficitur, & Prudentia cæleſti excolitur, qua Regina virtutum D Charitas nutritur.

Si commoditate carendum, quod paſſim accidit, libenter ſolatia reſpuit, quibus ſe decrevit indignum, nec ſibi niſi inediam, veſtes laceras, & ſimilia deberi putat, unde Temperantia Concupiſcibilem frænat. Ex quibus efficitur, unius Humilitatis ſtudio vires omnes reformari, virtutes omnes acquiri, & paſſiones ſubjugari. Quod ad eandem methodum de cæteris virtutibus aſſerendum eſt, verbotenus demonſtravimus.

Eſt autem impendio animadvertendum, noſtræ ſalutis hoſtem, grandia hæc cogitantem invidentius infeſtare, ac proinde oportere illius inſultus, & nocendi artes habere perſpectas, ac tentationes recenter excitatas vigilanter, celeriterque diſcutere. Sive enim (exempli gratia) turpi re ſenſibus externis G percepta, & ad phantaſiam perlata, ſive ſola imaginatione quam dæmon urgere ſolet, concepta, quis tenetur, in rationis inferioris, nedum ſuperioris officium debet attentiſſime reflecti, & tunc, ſi ratio quovis modo negligat, exortas in appetitu ſenſitivo paſſiones in turpia ferri, ſi ad plenam deliberationem non pertigerit culpam duntaxat venialem ibi dignoſcat : ſi verò ratio inferior à ſuperiore non correcta, vel ſi (quod eſt planiſſimum) ratio ipſa ſuperior, turpibus ſaltem tacitè aſſentiatur culpam mortalem noverit admiſſam. Niſi res fortaſſe legis ſit : nam in rem leviſſimam ſuperior ratio etiam expreſſe conſentiens, veniali culpa ſolum adſtringitur, quod & de re graviſſima ſimiliter adſtruendum, ſi ſuperior ratio non perfectè deliberet, ut in motibus H ſubitis infidelitatis ſolet accidere.

Ex quibus ſatis patet, quomodo pars ſuperior, per ſeipſam, vel per appetitum ſenſitivum minime coercitum, in aſſenſu, vel diſſenſu culpæ ſe gerat.

Unde pariter liquet, univerſe verum eſſe,

ex

Scripta An. 1612.

Culpae graves unde?

ex uno expreſſo, vel tacito rationis, voluntatiſque conſenſu culpas omnes, præſertim graves exoriri; adeo ut ſi ob incogitantiam, vel evagationem, vel quamvis aliam ejus generis cauſam, non ſolum appetitus ſenſitivus, verùm & intellectus ipſe illicitis, vel turpibus, per horam integram inopinus adhæreat (quod, & viris perfectis, & in officio divino perſolvendo, & in aliis functionibus ſeriis, & ſacris ſolet evenire) culpa mortalis non admittatur. A

Cum tamen, ſi res ſit graviter turpis, vel momento uno admitti poſſit, ob delectationem moroſam, quæ licet in ratione inferiore eſſe dicatur, nihil aliud eſt, quam tacitus rationis ſuperioris aſſenſus, qui per inſtans unum poteſt exiſtere. Non enim moroſa delectatio in temporis, ſed in rationis mora, hoc eſt conſenſu vero licet tacito, conſiſtit.

De Oratione mentali Opuſculum à nobis editum fuit, ubi quicquid ab Auctoribus excerpſimus, congeſtum ac diſpoſitum eſt. Quod vero ad tabulam præſentem ſpectat, ſatis erit hæc pauca notare.

Oratio quid? B

Licet Oratio (quæ eſt elevatio mentis in Deum) ſit in ſuperiore portione rationis, ac proinde in intellectu, habet nihilominus non ſolum voluntatem, verum imaginationem, & appetitum ſenſitivum in hoc opere connexo. Neceſſe eſt enim intelligentem phantaſmata ſpeculari, ac propterea in ipſa imaginativa rei, quam meditatur, imaginem repræſentare ſine conatu nimio, ne lædatur, vel decipiatur.

Imago hæc imaginatione concepta excitat appetitum ſenſitivum, ut amet, oderit, cupiat, fugiat, ita ut ad res divinas afficiatur, & ab humanis reſiliat.

Verùm excitatio hæc appetitus, nec ſemper ſubſequitur, nec vero ſemper expedit.

C

Sed intellectus rationibus appoſitis repræſentatæ rei, puta Chriſti crucifixi, cum expendit, & voluntatem ad bonum, puta Chriſti imitationem impellit, vel à malo deterret; licet impreſſio hæc (quæ orationis fructus potiſſimus eſt) illata voluntati ſenſu minimè percipiatur.

Impreſſio hæc eſt quilibet bonus affectus, qui à voluntate ſic mota diſſultat, præſertim devotio, quæ eſt Religionis, & voluntatis actus, quo illa redditur ad prompte colendam virtutem expedita; quamvis ea promptitudo non paſſim dignoſcatur, imò plerumque lateat, dum ſenſitivo appetitu non excitato, ſed dejecto, totus homo decumbere videtur, cum tamen ſecus res habeat, obſervato devotionis ſpiritualis, ſenſibiliſque diſcrimine.

D

Tractatus myſticæ Theologiæ aliàs à nobis eſt concinnatus; ſed quod è tanta ſublimitate, ad rem præſentem ſpectare videtur, hìc annotamus.

Theologia Myſtica, quid?

Theologia Myſtica, quæ eſt notitia ſublimis per unionem ſpiritus Deo adhærentis elicita, eſt ipſe habitus Sapientiæ, quod eſt unum è ſeptem Spiritus Sancti donis.

Ejus actus eſt duplex, Contemplatio, quæ eſt actus intellectus in æterna ſpectacula directi, & admiratione ſuſpenſi, & ſapor, ſeu guſtus Dei, quem percipit portio ſuperior voluntatis Deo mirificè fruentis.

Contemplatio, quid?

E

1. 2. *ubi agit de amore.*

Licet autem excelſa valde ſit Contemplatio, quæ eſt notitia pura, candida, ſimplex, qua ſine diſcurſu, Angelorum more, divina cognoſcuntur: excelſior tamen eſt Dei ſapor, ſeu guſtus ille, quem voluntas avidiſſimè percipit; adeo, ut major ſit amoris experientia, quam notitia: quod fieri poſſe Sanctus Thomas diſertè docuit, ubi ait, evenire, ut quis Deum plus amet, quam cognoſcat. Hæc autem perceptio Dei fit in raptu, qui nihil eſt aliud, quam elevatio per ſpiritum divinum ad aliqua ſupernaturalia, cum abſtractione à ſenſibus; qui quidem raptus non eſt in voluntate, ſeu appetitu ſenſitivo (in quibus tamen ecſtaſis, hoc eſt, exceſſus, quo extra ſe feruntur amando, eſſe poteſt) ſed eſt in intellectu, vel imaginativa, dum rapiuntur ad ſupernaturalia celeriore motu, quam natura repoſcat.

F

Quamvis autem mirabiles plane ſint virium ſenſitivarum raptus, & incredibili voluptate appetitus paſcatur, & gliſcat externis ſenſibus conſopitis, animaque tota ad voluptatem illam percipiendam ſe contrahente, immenſo tamen intervallo raptus virium ſuperiorum nobiliores ſunt.

Raptus, & ejus effectus

Nam raptus ille, qui Theologiæ Myſticæ proprius eſſe videtur, ſuperiores potentias, hoc eſt, memoriam, abraſis creaturarum imaginibus, cæleſti quadam ſerenitate, intellectum, excluſo diſcurſu, tranquilliſſima quadam Dei notitia perficit: voluntatem ardentiſſimis amoris flammis accendit.

G

Tunc verò intellectus, & voluntas in Deum, qui tanquam ſponſus latet in thalamo, hoc eſt eſſentia animæ, avide feruntur, & intellectus quaſi velata facie, per nebulam, ſeu caliginem quandam, ſapientiſſima ignoratione, neſciens quid ſit Deus, Deum altiùs quam dici poſſit, per ablationem agnoſcit.

At voluntas, ob ſublimiſſimum divinæ charitatis habitum, intellectu, in quo non ſunt æque nobiles habitus, altior effecta, Deo cupidiſſimè adhæret, ac guſtat. Ubi amor effectus miros producit.

Ecſtaſis, quid?

Ecſtaſi quippe in Deum extra ſe fertur, quem ut capiat, poris quaſi laxatis rareſcit, quæ eſt amoris liquefactio.

Et cum præſens illi Deus ſit, ei quaſi tactu quodam conjungitur, quæ eſt unio.

Sed quia amanti ſatis non eſt tactus, apprimit illum ſibi, mutuoque ille amantem ſibi, quæ eſt mutua inhæſio.

H

Fruitio, quid?

Veruntamen nec adhærere ſatis eſt, niſi Deum intra ſe condat, unde ſuccedit fruitio, quæ eſt quaſi quidam liquentis Dei potus, dum voluntas more ſpongiæ, vel recentis panis Deum velut aquam viventem haurit. Sic homo ſapit, & poſt Dei guſtum (voluntate intellectum movente) excelſiùs quam antea contemplatur, ſicut qui cibum, quem ex

nido

Myſticae Theologiae definitio.

A nidore dulcem judicaverat, poſt eſum judicat dulciorem: qua ſimilitudine Theologiæ Myſticæ definitio clareſcit: ideo enim dicitur notitia per unionem ſpiritus Deo hærentis elicita, quia dum intellectus, & voluntas modo ſuperius deſcripto uniuntur Deo in eſſentia animæ exiſtenti, potiſſima notitia contemplativa, quam intellectus elicit, eſt ea, quæ ſubſequitur illam adhæſionem voluntatis Deum guſtantis, licet contemplatio etiam illa, quæ guſtum illum præcedit, Theologiæ Myſticæ propria ſit, utpote per habitum ſapientiæ producta.

Ex dictis patere poteſt, in raptibus ſenſitivæ partis, celebrari unionem partis ejus cum ipſo Deo, ſervata proportione, quemadmodum in Myſticæ Theologiæ raptibus, virium ſuperiorum, vel omnium, vel aliquarum ſublimis unio celebratur. B

Utrobique autem viſiones, ac revelationes ſubtiles accidunt, ad quas diſcernendas divina ſapientia, & expertorum conſiliis opus eſt: nec ullo modo humane doctrinæ, vel ingenii perſpicacitati fidendum.

IN SEQUENS OPUS PRAEMONITIO.

Putamus huic perutili Opellae profundiſſimum aeternitatis Contemplatorem manum admoviſſe ſtatim ab accepta ſuprema, & Generali Ordinis Praefectura, eamque fortaſſe ad Montem Tuſculanum, aeſtate anni 1612. *maturaſſe, abſolviſſeque. Scimus enim per ea tempora, maxime in iis receſſibus, pleraque eiuſmodi piiſſima Opuſcula exornaſſe, & praelo etiam comparaſſe, quemadmodum hoc ipſum certiſſime comparavit; quod tamen dicere non auſim, an ante primam Operum omnium Colonienſem editionem publicam lucem viderit; in qua poſtremum ad Tomum tertium locum obtinebat, ex Italico in Latinum ſermonem traslatum per T. I. ut ibi indigitatur. Forte videri alicui poſſet, haec* Ars bene Moriendi *iungenda* Praxi ad bene moriendum, *quam ſupra dedimus, pag.* 53. *verum Auctoris ipſius inſtitutum ſic melius nos adſequutos fuiſſe exiſtimamus.*

ARS
BENE MORIENDI

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Apoc. 14.

PROLOGUS.

ACcipe, Chriſtiane Lector, bene moriendi Artem, & quidem cum pio quodam ea utendi deſiderio, & tali ejuſdem æſtimatione & fide, qualem tanti momenti res, qualis bene eſt mori, poſtulet. Hoc quippe bene moriendi negotium non eſt ejuſmodi, ut alia quælibet aut temporalia, aut ſpiritualia ſunt; ſed multo gravius, difficilius, & majoris momenti. Atque ideo ratio omnis exigit, & par eſt, ut de eo homo ſæpe cogitet ac recogitet, & quam accuratiſſimam quoad hoc, & anticipatam diligentiam adhibeat. Poſſet, fateor, brevis quædam bene moriendi ars tradi, ſcribendo dumtaxat paucula hæc verba, *Bene vive, & bene morieris*: poſſet etiam alia prolixior, ingentem nempe conſcribendo librum, quo pluribus tractatibus omnis bene vivendi ratio traderetur: cum nemo non confiteatur, bonam vitam, veram, & optimam eſſe bonæ mortis conſequendæ rationem. Sed horum duorum de morte ſcribendi modorum primus, nimis quam brevis eſt, & inſufficiens, ut circa multas particulares, quæ incidere ſolent, obſervationes Lectori facem, ac lucem præferat: ſecundus verò tum nimis prolixus, tum parum proportionatus; cum præſens hic Tractatus propriè non requirat omnia, & ſingula, quæ iis continentur libris, qui bene vivendi modum, & methodum ex profeſſo tradunt; ſed ea tantum, quæ particulariter ad bene moriendum ordinantur, vel diriguntur. Atque idcirco ea hic potiſſimum ſelegi, quæ cum ad vitam reformandam, & corrigendam, ac conſequenter in bonam eam commutandam apta ſint, ſimul etiam ad bonam mortem oppetendam diriguntur. In tres porro partes librum hunc diſtinxi: Prima agitur de mediata ad mortem præparatione, quæ tum facienda cum bene homo valet. Secunda de præparatione proxima, & immediata, in ipſa morte ſcilicet, loquitur. Tertia, variæ mortis ſpecies, ſimul etiam quædam quoad eaſdem conſiderationes traduntur: ad finem quædam additur Epiſtola, in ipſa mortis hora, vel paulo ante legenda; nec non quædam de quatuor Noviſſimis conſideratio. Libri titulus eſt, *Ars bene moriendi*, non quod bene mori humana quædam ars ſit, ſed quod, tametſi quoddam divinæ bonitatis, ac miſericordiæ donum ſit, noſtrum inſuper ea ſtudium, & cooperationem, nec non monita quædam, quæ ad divinæ gratiæ cooperandum conducant, & certa quadam methodo ſcripta ſunt, & convenienter admodum qualibet in materia Ars vocantur, exigat. Utinam verò, Deo dante, hicce labor meus, paucis aliquibus ſaltem, ad debitam in ultima illa hora, à qua aut æterna requies, aut ſempiterna tormenta dependent, pæparationem faciendam queat prodeſſe!

VENERABILIS
P. FR. JOHANNIS
A JESU-MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI CALAGURITANI
ARS BENE MORIENDI.
PARS PRIMA
IN QUA DE MEDIATA AD MORTEM PRÆPARATIONE AGITUR, EO SCILICET TEMPORE FACIENDA, QUO HOMO ADHUC RECTE VALET.

CAPUT I.
De vitæ hujus brevitate.

Scrip. An. circ. 1612.

Job. 14.

B*Reves dies hominis ſuper terram*, uti manifeſtiſſimè id quotidiana oſtendit experientia : credunt tamen, A ſibique perſuadent homines, diutiſſime in ea ſe vivere poſſe ac debere, id hac in re credentes, quod tamen nec vident, nec credere debent, id vero non credentes, quod manibus ſuis propè contingunt. Eſt hic unus è graviſſimis ſtupidiſſimisque, quos terra habet, erroribus, ex infinito amore inordinato, quo erga ſeipſum quiſque fertur, naſci ſolitus. Quippe è nimio hoc, exceſſivoque vitæ amore, ſummum quoddam mortis oritur odium, ut quæ quædam boni tam ex intimo corde dilecti eſt privatio. Hinc B eſt quod incredibili quadam diligentia, & induſtria homo non ſolum realem vitæ præſentis privationem fugiat, verum etiam omnem de morte cogitationem, & credere recuſat, id quod omnimodis ſibi nollet contingere.

Hominum error.

Eſt hæc ſanè ingens quædam infirmitas, filios Adam tenens, etiam eos qui totius terræ ſunt maximi, & potentiſſimi. Nam ſicut ſuam in hac vita conſolationem habent, ita intolerabilis quædam ipſis videtur tribulatio de morte vel cogitare. Sed quis non videt hanc cogitationis de morte fugam vaniſſimam eſſe? neque enim eò quod ipſi à cogitatione mortis abſtinent, ideo mors magis, & magis ad eos accedere deſinit. C Imò vero, ſalutarius ac prudentius conſilium eſt, viam contrariam ingredi, &, quandoquidem vita hæc præſens fugit velut umbra, morſque ſemper accedere feſtinat, eos in præparatione, quæ propter illum facienda tranſitum eſt; poſt quem æterna aut vita, aut mors ſequitur, conſideranda feſtinare.

Filiorum Adae infirmitas.

Præparatio hæc ſumma hominis Chriſtiani ſapientia, prudentia, & fortitudo eſt; & ſanè, quamvis ab eo tempore, ex quo mundum primum condidit Deus, altiſſimæ cujuſdam ſapientiæ conſilium fuerit, ut ultimum illum tranſitum homines conſiderarent; D in hac tamen ætate noſtra magis id quam unquam alias videtur neceſſarium eſſe, quod vita hominis adeo, & in tantum abbreviata ſit, ut ipſa mors hodie nativitati con-

Scrip. An. circ.1612.

Job. 10.

Homo poſt nativitatem ſtatim moritur.

A

Job. 9.

Gen. 47.

B

Vita humana brevisſima.

C

D

Babelica Turris notata.

conjuncta, & ortus interitui proximus eſſe videatur, uti ſatis indicavit Job illis verbis: *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu, & ſic repente præcipitas me?* Id eſt: Quid ſibi hæc vult præcipitatio! vix dum opus perfectum manibus tuis exire videor, & ita ſubito, & velut immediatè poſt creationem me deſtruis? Idem quoque Iob alio loco dies ſuos evolaſſe, & elapſos eſſe dicit, *ſicut aquila volans ad eſcam*, quo loquendi modo extrema quædam velocitas deſignatur. Idem de brevitate præſentis hujus vitæ ſenſus fuit Patriarchæ Jacobi; poſtquam namque jam in Aegyptum deſcendiſſet filium ſuum cariſſimum Joſeph coram viſurus, & ad Pharaonem Regem introductus, de vitæ ſuæ annis rogatus eſſet, reſpondit: *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum ſunt; parvi, & mali, & non pervenerunt uſque ad dies patrum meorum.* Hi duo teſtes, omni exceptione majores, quibus præſens hæc vita viſa eſt breviſſima; & hoc ambo ita clare aſſeruere, ut non poſſet clarius: in hac tamen ætate noſtra, homines ut plurimum eo ætatis non perveniunt, quo pervenere illi, nihilominus ſibi perſuadent, à morte ſe, velut impetrato privilegio, immunes fore, perinde ac ſi quoddam cum morte, & inferno pactum iniiſſent. Quid de hoc eorum errore dicam neſcio; cum ipſos etiam terræ ſatrapas, ac Magnates eidem implexos, & deditos videam: videas quippe eorum non paucos, tametſi cano ſint vertice, & capulares, multis quoque, & moleſtis morbis, è quibus in proximo mortem eſſe diſcere queant quotidie opprimantur; tamen (eò quod non credant iis, quæ quotidie vident, idque varia quadam ſpe, vel è falſis quibuſdam revelationibus, vel ex aſtrologia judiciaria, quæ divino judicio contraria eſt, denique e propriæ imaginationis, ac cerebri perſuaſionibus concepta nixi) à ſeipſis impetrare non poſſe, ut credant vitam humanam brevem eſſe. Sane ipſi Principes terrræ cautiores, & circumſpectiores eſſe hac in parte deberent, & in ſenectute ſua abſtinere ab iis operibus, quæ nimis hominem ſapiunt, & parvam conſolationem adferunt finem ſuum conſideranti. Quid enim ad pietatem Chriſtianam facit, quod nova, & ſplendida palatia conſtruant illi, qui, ſi naturæ ordinem ſpectemus, vix quatuor, aut ſex annis in iiſdem poterunt commorari, etſi vitam, vel eatenus extenderent, quatenus, ſecundum ordinariam providentiæ divinæ legem, & curſum extendi poteſt? Quid autem hi non facerent, ſi nongentis triginta annis, ut Adam; aut nongentis ſexaginta novem, ut Mathuſalem, hoc in mundo victuri eſſent? Quas non turres Babel ædificarent, ad nomen ſuum in hac vita, ſi poſſent, perpetuandum? O amatorum terræ, & coſmophilorum duritiam! Hodie viginti annorum moritur juvenis, qui centum adhuc annis ſuperſtes eſſe debere videbatur: heri alius duodecennis, & tredecennis, elatus eſt, eo ſcilicet tempore, quo terræ conſolationes jamprimum deguſtare incipiebat; & ecce, quinquagenarius aut ſexagenarius, qui ſpiritum ſibi, & vigorem indies deficere ſentit, ſeque viventem quodammodo cineſcere, novas ſibi commoditates in infinitos adhuc annos omnimodis conquirere procurat, ac ſibi perſuadere nequit, brevi ſe evocandum, & à vita quam inordinato quodam modo amavit, violenter divellendum. Hoc igitur caput hìc finiamus, Lectorem rogantes, ſibi ut Chriſtiane perſuadeat, vitam ſuam brevem fore: hæc namque cogitatio, animæ ejus ingens, non dico temporale, ſed ſpirituale bonum afferet.

E

Monitum lectori.

CAPUT II.

Quanti interſit, bene mori.

SI omnes totius mundi oratores, univerſi quoque ſcriptores, nec non omnes illi, qui variis alios artibus, ſcientiis, & diſciplinis imbuere, & poſſunt, & ſciunt, qui, ceu divina quædam in terra oracula ab hominibus paſſim ſuſpiciuntur, omni qua valent gratia, arte, & ſcientia conniterentur, numquam tamen ſufficienter declarare aut ponderare poſſent, quid ſit, & quanti, referat bona, vel unius hominis dumtaxat mors. Nam ſicut perfectam æternæ illius durationis, quæ à morte ſequitur, formare notitiam non poſſunt; hinc conſequenter nec ponderare, nec ſatis ut par eſt æſtimare queunt, quanti ſit momenti bene punctum illud concludere, à quo aut vita, aut mors ſempiterna dependet. Ipſum tamen Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui Adami cæcitatem diſcuſſit, & illuminavit, lumen Chriſtianis hominibus, qui æternis quibuſdam rationibus ſe dirigunt, pluſquam ſatis eſt, ad talem tamque efficacem de bene moriendo conceptum formandum, qui ad reliquam vitam totam, per Dei gratiam, & auxilium, reformandam ſufficiat. Unde pauculi illi, qui per anguſtam viam quæ ad vitam conducit, ingrediuntur, tanti ultimum illum tranſitum faciunt, ut, tametſi piè ſanctеque hic vivant, non propterea tamen ſecuri ſint; ſed adinſtar foliorum arboreorum à vehementi Aquilone agitatorum, dum de illo cogitant, contremiſcunt, in aſſidua quadam circa ſeipſos anxietate, & ſolicitudine viventes, dicuntque; quis ſcit, qualis noſter futurus ſit finis? Quis certò novit, ſe pretioſiſſimum illud perſeverantiæ donum habere? Nec verò mirum eſt, juſtos in hac ſolicitudine, & angore vivere, quod hi pretioſum gratiæ theſaurum, & inæſtimablile bonæ mortis pretium æſtimare, & prout oportet ponderare norint. Norint inquam, ipſum bene mori, requiſitam, & neceſſariam quandam conditionem eſſe ad æternum præmium, quod gravibus, & longis laboribus ſuis promeriti ſunt, recipiendum: & nihil penitus iis, qui quidem bene incipiunt, etiamſi vel Apoſtoli ſint, uti Judas; vel vitæ laudabilis, & inculpatæ, uti ſub regni initium Saul, om-

nem

Bona mors quanti aeſtimanda?

F

Via vitae anguſta.

G

Juſtorum ſolicitudo de bona morte.

H

Scrip. An. circ. 1612.

nem ſuam prodeſſe juſtitiam, ſi eam bona mors non terminet, ac concludat. Unde ex intimo corde ſuſpirant, pulcherrimum hocce bene moriendi donum aſſiduis à Domino precibus poſtulantes, dum metuunt; ne de illorum fortaſſe ſint numero, qui culpa ſua reprobabuntur.

Bene moriendi donum a Deo adſiduis precibus impetrandum.

Norint præterea, bonam mortem, Chriſtianè conſideratam, juxta id quod anima in tranſitu illo ſentit, dignam

A

eſſe, ut infinite æſtimetur, in ea enim hora, in qua omnes ſcientiæ, potentiæ, aſtutiæ, & opes mortalium deficiunt, taliter Dei gratia cor viri juſti corroborat, ut ipſius etiam mortis dolores, inferni timores, & divini judicii terrores, victor expugnet. Et, dum Principes terræ hujus deficiunt, & horrendis illis pavoribus, ac terroribus exanimati percelluntur, tunc ſe juſtus fidenter, & ſecurè Creatori ſuo ſiſtit, teſtimonio nimirum bonæ conſcientiæ, & firma æternæ remunerationis ſpe corroboratus.

Juſtorum fiducia in morte, unde?

Eſt hoc ſanè verò admirabile, & ſuper omnes terrenos Principatus, honores, ac delicias ſæculi deſiderabile, etſi hæc alicquin mille, & millenis annorum millionibus eſſent duratura.

B

Ac proinde omnes hoc inprimis deſiderant, cum nullus ſit omnino, qui, quantunvis vivat malè, non velit bene mori, ut videri, & colligi poteſt ex iis, quæ Balaam homo impiiſſimus ſenſit, dum invito Rege Moab, populo Iſraelitico benedixit dicens; *Moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia.*

Balaam homo impiiſſimus.

Num. 23.

Hæc dum diceret, caſtra reſpectabat Iſrael, in quibus multi haud dubie erant juſti, quorum ipſe finem Prophetice prævidebat; atque ideo bonæ ſortis particeps eſſe volebat, quæ ipſis in morte pòſt obvenit, etſi alioquin vita ab ipſis nimium quantum diſcreparet. Deſideravit quidem finem, ſed non principium, bonam ſcilicet juſtorum vitam; itaque tam uno, quam altero caruit. Hic etiam in multis Chriſtianis verſatur error, qui per eam quam profitentur fidem norunt, quanta,

C

Felicitas illorum, qui in gratia Dei moriuntur, ineffabilis.

quamque inenarrabilis illorum ſit felicitas, qui in gratia, & amicitia Dei moriuntur; quibus proinde in morte vellent eſſe ſimiles; ſed, cum in vita tam ipſis ſint diſſimiles; impetrare digni non ſunt, quod tam inefficaciter deſiderant. Neque enim vitæ janua aperitur illis, qui interim dum bene operari poſſunt ad eam ſibi comparandam, in voluptatibus, & deliciis mundanis conſectandis toti ſunt. Illis autem ſolis hæc aperietur, qui eam æſtimare prout oportet noverunt, & ſolicite vitæ tempore durante operando, ſe ad horam mortis compararunt. Illis ſolis quies danda, qui quò eam acquirerent, laborarunt, & ſudarunt, juxta illam S. Joannis in Apocalypſi vocem, *Beati mortui qui in Domino*, id eſt, in gratia Dei, *moriuntur; amodo jam dicit Spiritus Sanctus, ut requieſcant à laboribus ſuis.*

Apoc. 14.

D

Vox hæc juſtis qui moriuntur, maximæ eſt conſolationi, & iis qui vivunt adhuc, doctrinæ: liquidò enim manifeſteque beatum laborum finem oſtendit, dum Beatos vocat eos, qui bene moriuntur; ſimul viam demonſtrat, quæ ad felicem hunc finem conducit, pios inquam labores, & ſudores, propter quos, qui in vinea Domini laborarunt operarii circa veſperam divinum æternæ vitæ denarium recipiunt.

Bene morientes, beati dicti.

CAPUT III.

Primum artis bene moriendi præceptum, continua inquam mortis memoria.

E

PRæſuppoſito jam omnibus perſuaſum eſſe vitam hanc brevem eſſe, de quo primo capite egimus; & bene moriendi æſtimatione declarata, de qua in ſecundo locuti ſumus, nunc de artis hujus præceptis ordine agere incipiemus, ut nimirum ob ordinem hunc melius menti, ac memoriæ lectorum infixa maneant. Primum itaque præceptum erit, continua mortis memoria; non quidem memoria quædam extraordinaria, & exquiſita, qualem habuit piiſſima illa Hiſpaniarum Regina, quæ uni de matronis ſibi aſſidue aſſiſtentibus negotium dederat, ut,

Primum artis hujus praeceptum quale?

F

quoties in Regis feſtivitatibus, triumphis, ac plauſibus verſaretur, ſibi in aurem diceret, Majeſtas veſtra meminerit, ſibi eſſe aliquando moriendum; ſed memoria quædam ordinaria, quæ ad ſpiritualem totius vitæ directionem faciat. Uti enim, dum quis oculos in terminum, ac finem viæ ſibi faciendæ coniicit, hoc pacto melius omnes quos per eamdem facturus eſt, greſſus dirigit, ac figit: ita, dum homo mortalis vitæ ſuæ finem, & extremum ſeriò intuetur, hic illi intuitus ad eamdem, quamdiù durat piè ſancteque traducendam inſigni eſt adjumento; quemadmodum experientia quotidiana manifeſtum facit. Mortis ſiquidem oblivio in cauſa eſt, ut mundani homines ad inſtar taurorum incraſſatorum, & petulcientium laſciviant, & inſoleſcant, per terrenarum deliciarum voluptatum prata ita diſſolutè diſcurrendo, perinde ac ſi numquam ad divinæ juſtitiæ macellum perventuri eſſent:

Oblivionis mortis funeſti effectus.

G

è contrario viva mortis memoria inordinatos erga bona terrena affectus mortificat, ac paſſionum effrænium impetum, modo quodam efficaci, & verè admirabili, retundit. Atque hæc eſt cauſa, cur Chriſti Sponſa, Eccleſia inquam ſancta, à divino ſpiritu directa, in ipſo Quadrageſimalis jejunii, dierum inquam ad ſpiritualem hominis reformationem deſtinatorum exordio, hanc mortis recordationem omnibus in genere Chriſtianis, per piam illam cinerum frontibus inſpergendorum ceremoniam (quæ id quam aptiſſimè ſignificat) nec non per verba illa quæ olim Adamo poſt prævaricationem dixit Deus: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, in mentem revocat.

H

Homo ex qua formatus materia?

Perinde ac ſi Deus dixiſſet, finis tui recordare, o homo, ego te de terra formavi, & in terram quoque reſolvam. Hæc autem cogitatio facit, ut homo prudens in ſeipſum ingrediatur, nec adverſus proximum arrogantius inſoleſcat.

Hæc

Scrip. An. circ. 1612.

Hæc quoque carnis ardores mitigat, ne velut excuſſo freno, appetitui ipſa ſuo in omnibus obſecundet, & morem gerat. Hæc denique omnem erga opes perituras affectum multum imminuit, utpote quæ ad perbreve vitæ tempus non adeò ſunt neceſſariæ. Atque ideo qui timorati ſunt, aliqua de induſtria uſurpare ſolent remedia, & objecta, quæ hanç mortis memoriam, tantorum ſcilicet bonorum productricem, & optimam humanæ vitæ reformatricem refricent: verbi gratia funiculum ſibi ad brachium alligant, vel calvariam mortui alicujus ſuo in oratorio aſſervant, quibus, & memoriam expergefaciant, & ſimul animam excitent, cum ad vita præſenti moderatè utendum, tum ad ſolicite pro meliore illa, quæ in cælo futura eſt, laborandum.

A

Objecta, mortis memoriam excitantia, quae?

Verum circa hæc remedia notandum eſt, ſi iis anima uti neſciat, ſuam ea vim ex abuſu, aut potius ex hominum parum ſpiritualium negligente inconſiderantia amittere: ſicut videre eſt in iis, qui ſuam noſocomiis operam ſerviendo impendunt; qui, quamvis quotidie plurimos emori videant, quia tamen extremum illum tranſitum non prout oportet attentè conſiderant, non multis poſt diebus omnem pium de morte ſenſum amittunt, &, interim dum ipſis inſpectantibus moribundi miſerabiliter cum morte luctantur, hi ſine ullo Dei, vel timore, vel memoria, rideant, & jocentur. Neque id in illis modò, verum, & in nonnullis, qui ſunt ſpirituales, quique crania mortuaria ſuis in cubiculis habent, uſu venit, ut dum ſemel eadem ſine ullo conſiderationis ſenſu intueri aſſueverunt, omnem hac in parte ſenſum exuant, perinde, ac ſi numquam ipſis moriendum eſſet. Atque ideo crediderim, multo hominibus privatis, ac particularibus utilius futurum, ſi hujuſmodi calvarias iis locis haberent, in quibus ea rarius in oculos incurrerent, ſeque iis, majori cum conſideratione inſpiciendis aſſuefacerent. Dixi, privatis ac particularibus quia in communitate, & congregatione, in qua ſuum unuſquiſque ſequi non poteſt ſenſum ac beneplacitum, in primis utile eſt, hæc mortis commonitoria, & odiferia in publico, & propatulo collocari. Etſi verò hocce remedium bonum ſit ac pium, utilius tamen & efficacius exiſtimo interdum jam jam morituros adire, cum intentione coram ſpectandi, & obſervandi, quæ in ſupremo illo conflictu contingunt. Hic namque mortis non depictæ, ſed realis, & veræ intuitus, magna quadam efficacia hominem ad piè religioſeque vivendum commovet, hæcque ejus impreſſio ad multos dies animo ſpectantis infixa manet, & occultè magis operatur, quam vel multæ conciones auditæ, vel libri ſpirituales lecti. Ita id eſſe illa oſtendit compunctio, & æmulatio ſancta, quam in monaſteriis reformatis Religioſi alicujus, cui morienti reliqui omnes Religioſi præſentes adſunt, mors inſpectà cauſatur: ita quippe hæc animos univerſorum commovet, ut ad dies aliquot reformationis cujuſdam ſtrictioris ſpecies in domum inducta videatur, quæ & ſpiritum notabiliter adauget, & à multis damnis non paucos præſervat. Hæc itaque præſentia Religioſos reddit timoratiores, taciturniores, modeſtiores, ſolitudinis amantiores, de obſervantia regulari magis ſolicitos, quaſi propediem ad rationem de operibus ſuis reddendam evocandos, & præmium, aut ſupplicium ſempiternum de iiſdem recepturos.

B

C

Calvariae, ubi ponendae, & ad quid?

D

E

CAPUT IV.

Secundum artis bene moriendi præceptum; ſcilicet, Deum ſibi in vita depingere ut judicem, ut in hora mortis inveniatur ſicut pater.

CUM certiſſimum ſit, Chriſtiano mortem non tam ob id quod ipſa mors corporalis in ſe eſt quam ob id quod (prout Catholicè docetur) poſt ipſam ſequitur, terribilem eſſe; hinc ratio ipſa poſcere videtur, ut ipſa ad mortem præparatio circa maturam eorum, quæ mox poſt illum tranſitum conſequi ſolent, conſiderationem verſetur, & ſe ad bene moriendum præparare, idem plane ſit, ac ſe ad Dei judicium comparare; quod hic communis ſit eorum, qui accuratiſſime ſe ad illam horam præparant, ſenſus. Secundum ergo artis hujus præceptum erit, ita in Dei conſpectu, interim dum vitæ hujus præſentis dies durant, vivere, perinde ac ſi coram rigidiſſimo judice, qui omnes vitæ noſtræ paſſus intuetur, & dinumerat, ut ſtrictam rigidamque de iiſdem à nobis rationem exigat aſſiduè verſaremur.

F

Secundum artis hujus praeceptum quale?

Præcepti hujus convenientia manifeſta, & clara eſt: qui enim in hoc rigore vivit, omnes vitæ ſuæ actiones, particulari quodam eorum, quæ ſibi in divino judicio eventura ſunt, intuitu, & ad eadem reflexione moderatur: hinc cautiſſimè circumſpectiſſimeque in omnibus ambulat, ne fortè in ſeveriſſimo illo tribunali condemnetur: hinc hominum applauſu, & approbatione non nititur, ſæpè illa opera dilaudantium, quæ in oculis Dei omnituentis reprehenſione digna ſunt: hinc, (ut paucis omnia dicenda complectar) quoddam anticipatum de ſeipſo judicium, & velut præjudicium conſtituit; quod divinæ majeſtati longè gratiſſimum eſt, & propter quod poſtea in futuro judicio non modo non gravabitur, ſed etiam liber dimittetur. Hocce præceptum illuſtriſſimi quique Sancti quam exactiſſimè obſervarunt, uti videre eſt è vitarum eorundem hiſtoriis, quæ omnium in manibus ſunt. Sic legimus magnum illum Hieronymum tam in ſeipſum auſterum, ac ſeverum fuiſſe, ut, qui ſanctorum opera diſcretionis in ſtatera neſcit appendere, & ea forſan ſit ut nimia, & exceſſiva culpaturus. Idem, & de S. Honufrio, Antonio, aliiſque plurimis dicere poſſumus, qui tam rigidè Chriſto ſe crucifixere, ut ſtu-

G

H

S. Hieronymi exemplum,

SS. Honufrii, & Antonii.

po-

Ac Jobi viri juſtiſſimi.

Job. 9.

Job. 31.

Relligioſorum juſtorum exemplum.

porem, & terrorem incutiant vitam illorum legentibus. Neque ſolum hi ſancti, qui tum divini judicii rigorem, tum mortis horrorem ex Evangelio diſcere potuere, fideliter hoc præceptum executi ſunt, verum etiam illi, qui longo ante eos tempore vixerunt, quemadmodum videre licet in magno illo Dei pugile Job, qui tametſi eſſet juſtiſſimus, & ipſius Dei ore ſanctus declaratus, ita tamen coram eo vixit, tanquam coram judice rigidiſſimo, qui cuncta quæ faciebat opera ita deſuper aſpectaret, ut ne unum quidem injudicatum pertranſiret. Hoc quippe ſignificant illa ejus verba, *Verebar opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti.* Si quis autem noſſe volet, ad qualem timoris gradum intimus hic Dei amicus pervenerit, audiat: ipſemet dicet, *ſemper* inquit, *quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui Deum, & pondus ejus ferre non potui.* Hic ſcilicet ſenſus erat Job, qui, teſtis eſt fide digniſſimus; hocque ejus exemplum erit inſtar multorum aliorum, quæ ſtudio prætermitto. Qui porrò ſic cum Deo vivit, & humanis judiciis niti, ac confidere non curat circa vitæ ſuæ terminum, fideliſſimam quamdam in divina bonitate correſpondentiam invenit: ſicut ad oculum in multorum juſtorum morte videmus; qui cum in vita hac ſeipſos aſſiduò judicaſſent, & ne una quidem ejuſdem die pacem habuiſſent, neque umquam (ut ita dicam) ſerenam, & amicam Chriſti faciem vidiſſent, ſed continenter tribulationes, & repulſam paſſi eſſent; in vitæ extremo incredibili, & mira quadam pace perfuſi ſunt, divina juſtitia duram tunc caſtigationis ſuæ manum penitus amovente, & ſuavi dulcedinis, & miſericordiæ ſuæ manu eos leniter amiceque demulcente. Quod in Religioſis juſtis, & obſervantiæ regularis perſtudioſis quam maximè videre licuit, qui in vitæ fine, aliquot ante felicem ſuum tranſitum diebus, mirabili quadam dexteræ excelſi mutatione, divinæ juſtitiæ rigores ſentire deſierunt, ſed è contra cæleſtem quamdam tranquillitatem experiri cæperunt, quod infinitæ bonitatis, & ſuavitatis Dei erat argumentum, eos ad ſe pertrahentis, velut dignos qui in domo ſua habitarent, & in libro vitæ ſcriptorum privilegiis fruerentur, quoddam iis hoc pacto æternæ conſolationis, etiam antequam corporali morte defungerentur ſpecimen concedendo.

CAPUT V.

Tertium artis bene moriendi præceptum: nempe quam diligentiſſime, & circumſpectiſſime cavere, ne quod peccatum lethale committamus; ne in malo nos ſtatu mors inveniat.

Tertium artis hujus præceptum, quale?

Peccati letalis effectus.

Peccatores Dei inimici.

Comparatio.

HOC præceptum inter omnia, quæ bene mori cupienti aut dari aut excogitari poſſint, facilè maximum eſt. Solicitudo quippe qua quis in tali eſſe ſtatu cavet, in quo ſecundum præſentem juſtitiam novit ſe, ſi ea hora exſpiraret, perpetuis ſuppliciis addicendum, efficaciſſima cujuſdam cautelæ ſpecies eſt ad in pace, & amicitia Dei moriendum. Præcepti hujus convenientia ex ipſo peccati letalis ſtatu eruitur: ex eo inquam, quod creatura aliqua ſui ſit creatoris inimica. Adeò ut ſi communes, & tepidi Chriſtiani eo quo deberent, in animas, & corpora ſua amore ferrentur; præcepti hujus vi urgente multo cautius ſanè quam modo vivunt, vivendi rationes excogitarent, magiſque timerent, quam modo timent. Nam, ut dicam quod ſentio, nimis quam mirum, & prodigioſum mihi videtur, quod, cum homines etiam indoctiores, & imperitiores, norint, ſe etiam per unum in peccata letalia conſenſum, jam inde ab eo inſtanti, æternæ pœnæ, & Dei in æternum carentiæ reatum incurrere; non ſolum hi, ſed etiam innumeri ex illis, qui ſapientiores, & doctiores ſunt, poſt multos in ſcelera conſenſus, & peccata mortaliſſima opere ipſo adimpleta, ſecuri comedunt, jocantur, rident, & dormiunt, perinde, ac ſi numquam in Dei manus futurum eſſet, ut inciderent. Equidem pium Lectorem, qui bene mori deſiderat, obſecro, ut tertium hoc præceptum ſecutus infelicium, ac miſerorum horum ſtatum nonnihil ſecum perpendat: hæc quippe conſideratio efficax ei quoddam futurum medium eſt, ad numquam mortale aliquod ſcelus conſciſcere cavendum; quemadmodum communiter viva faſtidiorum, quæ morbus ſecum trahit conſideratio in cauſa eſt, cur vitæ longioris amatores varia ad in morbos numquam incidendum, præſervativa conquirant. Norunt hi, & pernorunt, eſſe ſe Dei inimicos, & iis omnibus expoſitos caſibus qui multis ſui ſimilibus eveniunt, morte ſcilicet repentina ſe opprimi poſſe, non tamen advertunt, nimis quam conſulto ſe facturos, ſi ab illis peccati incentivis, ſaltem propter corpus ſuum, in cujus gratiam peccant, abſtinere allaborarent. Neſcio, quomodo ad omnem, quem audiunt, ſtrepitum, & fragorem cor illis non palpitet, credentibus divinæ juſtitiæ miniſtros jam jam ſibi imminere, ad ipſos capiendos, & violenter ad infernalia incendia raptandos. Quotidiana per exempla conſtat, aliquem, qui regis ſui odium crimine aliquo perpetrato incurrit, & juſtitiam ejus fugiendo, per remotiſſimas regiones peregrinatur; etiamſi alioquin, vel ob locorum diſtantiam, vel ob fidos cuſtodes, vel aliam quamlibet ob cauſam, ſecurus ſibi, & tutus eſſe poſſe videatur; ſubinde tamen à pœnæ timore taliter exagitari, & lancinari, ut ſæpius, etiam tempore, & locis ſecuriſſimis, cor illi tremens palpitet, propter reatum ſcilicet conſcientiæ, quem aſſiduè circumfert; eſto ſe etiam intra ipſam maris abyſſum reconderet: ſi ergo, qui Regis alicujus terreni odium, & indignationem incurrerunt, adeò metuunt, & in tanta agunt anxietate, & ſolicitudine, cum tamen juſti-

Scrip. An. circ. 1612.

ſtitiam, in alia regna; ad quæ Regis offenſi juriſdictio ſe non extendit, fugiendo, declinare, & evitare reipſa poſſint, qui fieri dicam ut Chriſtianus, qui Regis cæleſtis, à cujus potentia ſe nequit ſubducere, gratia jam penitus excidit, planè non timeat, ſed omnis angoris, & ſolicitudinis expers vivat? A Aliud certè hic reſpondere non poſſum, quam hanc diabolum animam infernalis cujuſdam cæcitatis, & inſenſibilitatis ſpecie obſidere.

Cain, & duritia cordis notata.

Cain parricida, reprobus quidem erat, & duro corde; poſtquam tamen ſe maledici, & à Dei facie ob fratris ſui innocui Abelis necem audiit arceri, intolerabilem illum, quem conceperat, timorem non potuit celare, vel ſimulare; uti per hæc ipſe verba ſignificavit: *Ecce eiicis me hodie a facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra: omnis igitur qui invenerit me, occidet me*.

Gen. 4.

Hæc Caini ſunt verba, è quibus bonam ipſe collegit conſequentiam; quæ tametſi illi minimè profuerit, multis, tamen poſſet, & deberet peccatoribus prodeſſe. B Ait igitur: *Ecce eiicis me*, Domine, *hodie à facie terræ*, in qua, antequam ſcelus committerem, protectione, & præſidio tuo munitus, vivebam; itaque neceſſe me jam erit per alias regiones profugere, & vagari. Hoc quidem eſt argumenti antecedens, in ipſa ſeparatione, & repulſa Dei ſitum: ex hac autem præmiſſa, hanc colligit conſequentiam, *Omnis igitur qui invenerit me, occidet me*.

Peccati lethalis effectus in Cain.

Perinde ac ſi dicere voluiſſet ſemper ergo in ſolicitudine, & angore vivam, nulla umquam, vel minima interquiete gaudens: nam cum gratia tua exciderim, & contra odium incurrerim, & omnes omnino creaturæ juſtitiæ tuæ ſint executrices, non ſine ratione credam omni illas momento in me invaſuras, vitamque miſero mihi erepturas. C Itaque quoties hominem ad me accedentem propius videbo, merito dicam: Hic divinæ juſtitiæ vindex, & miniſter eſt, venitque ut illam in me reipſa jam exequatur, Ita ſcilicet Cain ſentiebat, qui licet cæcus, & inſenſatus eſſet, propriæ tamen injuſtitiæ, & divinæ juſtitiæ evidentia oculos illum coegit aperire, & timere quod vere timere debebat. Unde ſanè ad oculum patet, Chriſtianos illos, qui in falſa illa ſecuritate vivunt, & eſto peccati letalis reatu conſcientiam gravatam habeant, timoris omnis ſunt expertes, rebuſque ſuis minimè proſpiciunt, Caino, & cæciores, & duriores eſſe, & ante in divinæ juſtitiæ manus prolapſuros, quam oculos ad reſipiſcendum aperiant.

Peccatores Cain duriores.

Quapropter iis qui bene mori deſiderant, etiam atque etiam iſtam ſolicitudinem, D qua in infelicem hunc ſtatum, ut ſcilicet ſcienter Deo ſe inimicos conſtituant, caveant incidere, commendo; ſed ut quam poſſunt cautiſſimè, & circumſpectiſſimè vivant ſuadeo, ſuper ſeipſos excubando, & pretioſiſſimum gratiæ theſaurum integrum ſemper conſervare connitendo.

CAPUT VI.

Quartum artis bene moriendi præceptum, ſcilicet ut ſtatim ac in peccatum mortale prolapſi ſumus, in gratiæ ſtatum nos reſtituere ſatagamus, quo in bono nos mors ſtatu reperiat. E

NUllum in mundo reperias adeo vitam ſuam peroſum, qui non cum mortalem aliquam plagam accepit, ſine mora ac dilatione ejus remedium conquirat. Neque vero neceſſe eſt, particularibus quibuſdam teſtibus veritatem hanc ſtabilire; cum conſtet, non ſolum ut vulneribus letiferis, verum etiam ut levioribus accidentibus quam primum remedia adhibeantur, vitæ hujus temporalis amatores maxima cura, & ſolicitudine contendere.

Quartum artis hujus praeceptum, quale?

Quocirca qui ſuperfluam hanc in vita quadam miſerrima conſervanda diligentiam; & contra infinitam illam in remedio ad æternam animæ, & conſequenter corporis mortem evitandam quærendo negligentiam attentè conſiderat; F non poteſt non obſtupeſcere, quomodo in Chriſtiano quoquam tam periculoſa, tamque eo qui fidem Chriſtianam profitetur indigna locum habere poſſit negligentia. Illi certè qui timorem Dei præ oculis habent, & bene mortem obire deſiderant, ſiquando aut propter vehementiam tentationis, aut è fragilitate aliqua, aut etiam ignorantia culpabili in ſcelus aliquod mortale præcipitant, quam poſſunt citiſſime confeſſarium adire, & per Sacramentum Pœnitentiæ ad ſtatum gratiæ reverti, & ſe Deo reconciliare ſtudent.

Doctrina electorum Dei quae?

Doctrina hæc electorum Dei propria eſt, quos quidem, utpote filios Adam, nonnunquam in peccatum prolabi contingit; mox tamen, ut ſe à tartareo illo telo ſentiunt ſauciatos, adinſtar cervorum læſorum, ad lympidæ aquæ fontes, G ad ipſa inquam Sacramenta, quæ ſanguinis Jeſu Chriſti ceu canales, & tubi ſunt, confugiunt, ut in iis ſe eluant, & nuptialem gratiæ, quam amiſerant veſtem reinduant; aut potius illicò ſe à turba ſubducunt, & veræ contritionis affectibus peccatum ſuum plangunt, ad exemplum ſcilicet Petri Appſtoli, qui mortalem illam abnegationis Domini ac Magiſtri ſui Jeſu plagam accepiſſet, aut ſibimet ipſi potius inflixiſſet, mox ut peccatum illud in ſe conſummatum fuit, teſte Evangeliſta, *egreſſus foras flevit amare*.

Petri Apoſtoli Exemplum.

Luc. 23.

Quibus in verbis notandum eſt, eum è loco, in quo ad peccatum tentatus fuerat, ante receſſiſſe, ac poſtea amare commiſſum planxiſſe; H ut hinc diſcant illi, qui Dei gratiam denuo recuperare geſtiunt, ante omnia requiri, ut à peccati occaſionibus, & incentivis ſe ſubducant, ſi modo contritionis affectum verum, & ad ſeſe Deo reconciliandos efficacem eſſe velint.

Occaſio peccandi devitanda.

Dixi hanc Deo quamprimum ſe per Sacramentum Pœnitentiæ, vel contritionem, reconciliandi doctrinam, electorum propriam eſſe; non quod per ſolam contri-

tio-

tionem, ſine abſoluto confeſſionis propoſito, peccati remiſſio obtineatur: ſed quod ſubinde quis, vel quia Confeſſarii deeſt copia, vel ob alias eaſque prægnantes occaſiones, reipſa Confeſſionis Sacramentum ſuſcipere non valet: quo in caſu, aliquem veræ contritionis actum faciendo, cum firma ſuo tempore confitendi intentione, is etiam qui mortaliter peccavit, divinæ gratiæ denuo reſtituitur. Unde fieri poſſet, ut quis doctrinam hanc obſervando, eſto etiam ducenta per annum mortalia peccata committeret, ducentis tamen in univerſum horis inimicus Dei non foret, quod maximæ ſanè conſolationis eſt, ob varia plurimaque, quæ improviſò ac derepente ingruunt accidentia. Quia tamen veræ ac ſinceræ contritionis actus non ita communiter concipiuntur, hinc illi qui divino timore aguntur, eſto omnem à parte ſua, ad imitationem S. Petri diligentiam adhibeant, tum in foras egrediendo, tum in amare flendo; ſibi ipſis tamen non fidentes, ad ſecuriſſimum confugiunt remedium, ad actualem ſcilicet, Sacramenti Pœnitentiæ receptionem; omnia propterea temporalia impedimenta perrumpendo, ut ad Chriſtum perveniant, & humanos intuitus, & judicia parum morando, ſed ſolum divinum reſpectum ac judicium intuendo; uti fecit Maria Magdalena, quæ, cognito Chriſtum à Phariſæo quodam ad prandium invitatùm, ſe ſauciam ſentiens, & ad verum remedium ſuum anhelans, omnes leges mundanas perfregit, eoque tempore, & hora, qua homines Dei ſui, & conſcientiæ maximè ſolent oblivíſci, ipſa Deum per cordialem pœnitentiam, & quæſivit, & invenit, ac pleniſſimam criminum ſuorum veniam, per ſummi Pontificis noſtri Jeſu Chriſti abſolutionem eſt conſecuta, qui hanc ejus in divina miſericordia quærenda feſtinationem & libertatem, quod ad omnes humanos reſpectus parum moraretur: maximopere probavit. Hic Magdalenæ actus, à ſpiritu Dei inſpiratus, ſiquidem ſapientium mundi hujus judicia ſpectentur, reprehenſione dignus videbitur; ſed divinæ ſapientiæ judicio, ac teſtimonio ita prolatus eſt, ut eum ipſa ad uſque mundi conſummationem celebratum vellet, quo per eum carnalis amatorum terræ hujus prudentia condemnaretur. Certus itaque ſum, Lectorem, ſi modo ſecure tutoque procedere velit, ſecum ſtatuturum, ne vel unam quidem noctem, cum peccati mortalis conſcientia dormire velle, ſicut virgines illæ fatuæ dormitarunt, quibus proinde à ſponſo dictum fuit, *Neſcio vos*: ſed ſe ad balneum, ſanguine Chriſti, qui in ſacramento pœnitentiæ reperitur, incaleſcens quantocyus collaturum.

S. Mariae Magdalenae exemplum.

Chriſtus Summus Pontifex dictus.

Matth. 25.

CAPUT VII.

Quintum artis bene moriendi præceptum: magna, inquam, in gratia Dei tum conſervanda, tum adaugenda, diligentia, ut in hora mortis vires ad pugnandum ſuppetant.

MIrum profectò eſt, quamnam illi, qui in arenam, & palæſtram honorariam deſcendere debent, in armis, & ſeligendis, & induendis adhibere ſoleant diligentiam, ut tum per ea, tum manuum dexteritate non modo ſe adverſus vim defendant, verum etiam adverſarium vincant, partim vitam ſuam conſervando, partim honorem adaugendo. Tam porrò in id genus caſibus noſtro hoc ſæculo viri aliquot illuſtres, cum parva proximorum ædificatione, aut potius ſcandalo curioſam, & exquiſitam pompam oſtenderunt, ut qui id coram non ſpectarunt, omnem iis ea res fidem exſuperare, & eſſe incredibilis videatur. Iſthæc porro infortunatorum horum vanitatis mundanæ adoratorum militia, efficaciſſimum quoddam eſſe deberet bene mori cupientibus documentum; cum norint, illa ſe hora velut in arenam, & palæſtram deſcendere, & diriſſimum quemdam inire conflictum debere, & quidem cum tam potentibus inimicis, & tali tempore, ut ſola Dei gratia, & propria cum eadem cooperatio, illos ad victoriam illam, quam juſti ſperant, conſequendam juvare queant. Eſt hoc maximi momenti præceptum, etſi non ſatis bene à communibus, ac tepidis Chriſtianis intellectum, utpote, qui tum graviſſimum mortis periculum, tum gratiæ Dei robur, ac potentiam pro merito æſtimare non queunt; ſed quibus ſatis eſt, mortalia crimina nulla committere, &, ſi quando in eadem ſubinde impingunt, taliter qualiter illa confiteri, nullo ad futura habito reſpectu. Non ſine cauſa ergo de hiſce parum providis cautiſque hominibus queri Redemptor noſter Jeſus poteſt; quod, cum tot ipſis commoditates ſuppetant, à quibus, ſi modo vellent, in ultima illa hora communiri poſſent, tam negligenter tamen, & incaute vivant, ut ſatis oſtendant, de æterna vita ſua parum ſe ſolicitos eſſe; ſiquidem aliud ſpectare, & ſcopum alium habere non videntur, quam ut id dumtaxat faciant, quod præciſè ad in peccato non verſandum, in hora ſuprema omnino neceſſarium eſt. Generoſi, & fortes pugiles illo in conflictu palpitant, & horribili terrore percelluntur, quin imò vix juſtus ſalvatur; & hi, qui (ut ita dicam) vix juſti ſunt, neſcio quo fiduciæ modo eum pertranſeunt, planè ut neſciam, quomodo hic illis conflictus ſit ſucceſſurus. Quam aliter eſt de rebus longe ac procul poſitis, aliter de iis quæ in proximo ſunt judicandum. Non erat S. Hilarion de numero mediocrium illorum juſtorum, qui ita parci ſunt; ſed potius juſtitia nimis, quam multum abundabat; ubi tamen in mortis ja-

Quintum artis hujus praeceptum, quale?

Hominum error.

S. Hilarionis Exemplum.

A

Hieron. in vita.

Quid de juſtis tepidis in extremo vitae puncto.

B

Monitum.

C

janua ſe conſtitutum vidit, tanto ab angore, & tremore circumſeſſus fuit, ut, cum videret animam ſe velut ſubducere, & fugere, quin imò egredi timere, animoſe ſemetipſum confortare debuerit; & cum timore illo, ac pavore decertando, his animam ſuam verbis, æterna dignis memoria ſit allocutus: *Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas, ſeptuaginta prope annis ſerviſti Chriſto, & mortem times?* Si hæc ſanctus ille pugil, fortiſſimæ cujuſdam gratiæ armis vallatus, verba protulit, ſi hunc neceſſe fuit ſe viriliter adiuvare, & ſecundo dicendo, *Egredere, egredere anima mea*, duo velut acerrima illi ſubdere calcaria, ut ita animoſè læteque egrederetur, & hoſce mortis, & judicii divini horrores ſuperaret; quid igitur dicent tepidi illi juſti, inermes, ac parum ſoliciti ut in illam horam ſeſe obarment? quid autem aliud dicere poſſunt, quam peſſimo tunc res ſuas loco futuras? Avertat vero divina bonitas, ne ipſorum nonnulli tunc decepti inveniantur, & ſpe ſua falſi, ſi enim juſtitia, quam ſervant, non tam magna, & ſolida eſt, quin aliquando etiam levibus tentationibus impetiti in mortalia peccata cadant; quomodo ſe in ſupremo illo conflictu gerent, graviſſimis importuniſſimisque tentationibus exagitati? ſi hoſtibus imbecillibus cedere, & ſuccumbere ſoleant, quid facient quando à fortiſſimis & crudeliſſimis adverſariis impugnabuntur? qui de fide, ſpe, & vero erga Deum amore excitando parum laboravit, utpote non multum hiſce armis tractandis aſſuetus, quid aget, quando ea adverſus univerſam Tartari potentiam, ſolida quadam fide, ſpe, & validiſſimo Dei amore exercenda erunt? Hac de cauſa pio Lectori quam poſſum maximè quinti artis hujus præcepti obſervantiam commendo, ut ſcilicet in ipſa Sacramentorum frequentatione, in exercitiis ſuis ſpiritualibus, & operibus piis ſit diligentiſſimus, ea potiſſimum intentione, ut in tranſitum illum ſuum corroboratus munitus, & armatus eſſe queat: & reipſa, & experientia comperiet, indies ſe inter vitæ hujus tempeſtates fortiorem reddit, & majori indies conſolatione corroborari.

CAPUT VIII.

Sextum artis benè moriendi præceptum; *quod eſt à venialibus peccatis ſerio accurateque abſtinere, ut in hora mortis judicem noſtrum propitium magis experiantur.*

D

Filiorum ſaeculi prudentia notata.

E

Sextum artis hujus praeceptum, quale?

F

G

Hominem invenire a lethifero peccato immunem difficillimum.

H

RAtio omnis ſuadet, ut quiſquis magni momenti litem in ſeveri cujuſdam judicis tribunali pendentem, & indeciſam habet, ſi modo ſapiat, ita ſeſe gerat, ut nullam illi, etiam minimis in rebus, indignandi, animique ab eo alienandi occaſionem præbeat. Probari hæc doctrina è filiorum ſæculi prudentia poteſt, non modò ab iis abſtinentium rebus, quæ ſuis diſplicere poſſint judicibus, quantumlibet ſint minimæ; verùm etiam omni ratione nullo non tempore, eos ſibi benevolentiores, & magis propitios reddere allaborantium, plurima ſcilicet faciendo, quæ iis placitura arbitrantur; hanc ob cauſam nonnullis ſe commodis ſuis, non parvi alioquin momenti, privare non dubitant, ſicut è donariis, & honorariis, quæ illis aſſiduè deferunt, ad liquidum videre eſt: modo namque veſtes, modo telas pretioſas, alias vaſa argentea, nunc alia id genus iis dant. Quæ eſto ad cauſæ defenſionem, ac bonitatem nihil faciant, quando nimirum judices juſti ſunt, & dator bonam cauſam fovet: eſſe tamen datores ſolent in hujuſmodi rebus ad majorem nimirum cautelam faciendis, quàm diligentiſſimi, ut nimis quàm communiſſime hodie fieri conſtat. Si vero is, qui certò cauſam ſuam æquitate niti novit, id genus diligentiarum erga judicem ſuum ſuſcipere non dubitat, quo eum benevolentiorem, & faventiorem experiatur, quid non Chriſtianum facere oporteat, ut cauſam ſuam in tribunali Jeſu Chriſti Judicis æquiſſimi tutiorem, ſecurioremque reddat, præſertim cum neſciat an ea æqua modo ſit, & poſt futura ſit, eumque ſibi magis benevolum, ac propitium, in extrema illa tranſitus ſui hora faciat? Si ergo etiam is, qui dubitat tantum, an cauſa ſua æqua ſit, nec ne, ob rationis hujus vim ad rebus ſuis proſpiciendum tenetur (qualis, puta, eſſet, qui nullum ſe umquam recordatur letale crimen commiſiſſe, & tamen prudenter dubitat, num quod fortè aliquando commiſerit) quid non facere deberet is, qui hinc certò ſit, multa ſe peccata mortifera admiſiſſe, illinc certò ſcire non poteſt, num in gratiam cum ſuo judice redierit; inſuper etiam novit, non multum ſe diligentiæ, & operæ ad eum propitiandum adhibuiſſe? Hoc ſanè in caſu magis quam in primo illo, ratio nullum non Chriſtianum cogit tam cautè circunſpecteque vivere, ut ad indignationem amplius non provocet eum, à quo aliquando judicandus eſt; ſed omnibus ingenii mentiſque viribus eum ſibi modò placare, & in hora judicii ſui propitium experiri allaboret. Cum verò ſecundus hic caſus communiſſimus ſit, & vulgatiſſimus (cum rariſſima res ſit hominem invenire, qui non ullum, aut etiam plura peccata lætifera commiſerit) ſequitur, ſextum hoc præceptum de vigilia, & attentione ſuper vitam habenda, ne venialia ſcienter admittendo, noſtri judicis indignationem magis provocemus, quod ad bene moriendum, omnibus congruentiſſimum eſt, communiter proportionatiſſimum eſſe; cum is qui gravius offendit in eum, à quo judicandus eſt, longè majori cum cautela, & circumſpectiùs vivere debeat, quàm alius quislibet. Sed obiiciet mihi quis Chriſtianus tepidus, nimis exceſſivum rigorem videri, hanc ne quæ veniales culpæ admittantur, diligentiam, ac vigilantiam ab unoquoque indiſcriminatim exigere; neque enim omnes ad tanta cum puritate vivendum obligatos eſſe, quanta Religioſi reformatiores vivere tenentur. Eſt hæc objectio propria ei, qui

pa-

Veniale peccatum, ad mortale paullatim ſternit viam.

A

B

Monitum.

C

Apoc. ult.

Chriſtus Judex cito venturus.

D

parum erga bene moriendum afficitur; & gravium quæ alias admiſit ſcelerum, vix recordatur, neque dignè, & pro merito æſtimare novit periculum, in quo tranſitus ſui hora verſabitur. Nam tepidi illi juſti, qui talem habent conſcientiam, ut peccata ſcienter commiſſa parvi faciant, dicendo, ſunt tantum peccata venialia, in præſentiſſimo mortalia conſciſcendi periculo verſantur. Et eſt ſanè credibile, illos interdum etiam ea committere parum de Dei gratia laborando: & animam, quæ parvis in rebus conſcientiam violare ſolet, certum eſt magnis paſſibus ad præcipitium ſuum contendere, ut etiam tandem in majoribus impingat; ut taceam, ſi rem ipſam in ſe conſideremus, me neſcire, cur Chriſtiano cuiquam nimis rigidum videatur, id cum Deo judice, Domino & Redemptore ſuo facere conari, quod interdum etiam cum homine reprobo, propter exiguum aliquod lucrum temporale, facere non dubitat. Num ſoli Religioſi reformati veniales culpas evitare tenentur? cur ſæculares igitur ſibi licentiam, quæ animabus piis adeò indigna eſt, aſſumant, ut tum optimè ſuo functos officio ſe putent; cùm venialia peccata ſine numero commiſerint? Piæ porrò mentes, & Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum in ſuprema illa hora propitium habere deſiderantes, longè ſint quàm vulgares illæ, fideliores, & adeò ſibi facilè non ſatisfaciant: ſed tremendæ illius ſententiæ Domini meminerint, qua quàm pauciſſimos eſſe aſſeruit, qui anguſtam ad cœlos viam inveniunt; &, cùm pauci ſint qui ſalventur, ipſum ſalvari habeant ut rem pretioſiſſimam: atque ita demum intelligent, ob tam eximium, rarùm, & infinitis moleſtiis dignum bonum labores ingentes ſuſcipere, & rara quædam facere, permagni ſua intereſſe. Hoc itaque caput concluſurus, Lectori in mentem revocabo illa Domini noſtri Jeſu Chriſti ad Joannem Apoſtolum in Apocalpyſeos extremo, verba: *Tempus propè eſt; qui nocet, noceat adhuc; & qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc; & qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc; & ſanctus ſanctificetur adhuc: ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundùm opera ſua*. Conſideret ergo, quid ſibi hoc conſilium velit: Chriſtus ſe citò ait venturum, & ſuam unicuique libertatem concedit; quaſi diceret, hoc breviſſimum tempus, quod ad uſque adventum ſuum futurum eſt, unicuique promiſcuè concedi; peccatoribus quidem, ut ſuam malitiam conſumerent, peccata ſua multiplicando, & aggravando; juſtis verò miſericorditer ipſum dari, ut in ſanctitate magis adhuc creſcant, & ad gradum ſanctitatis à divina ſapientia præſtitutum perveniant. Adeò, ut conſultiſſimum futurum ſit juſtum ſe in dies in horam judicii ſui, magis magiſque juſtificare: quod tum demum faciet, cum in peccatis venialibus evitandis fidelis, & diligens erit, utpote quæ maxima ſunt, quo minùs in juſtitia creſcamus, impedimenta.

CAPUT IX.

Septimum artis bene moriendi præceptum; cor ſcilicet noſtrum ab omnibus mundi hujus rebus avellere, ne ea impedimento ſint, quo minùs de animæ rebus in hora mortis cogitemus.

E

Septimum artis hujus præceptum.

F

G

Cum prudentia Chriſtiana conjunctum.

H

MUndi hujus, rerumque terrenarum amatores difficillimè ſibi perſuaſerint, maximum ſe ſibi, damnum adferre, quòd erga vitam præſentem, & res ſæculi hujus, ſine ulla cordis ſui cuſtodia, tam perditè afficiantur. Utinam verò crudelem illum conflictum, quem à rebus in vita maximè amatis, in morte ſuſtinebunt, ſcirent perpendere; quam profectò ſe multis in rebus mortificarent, quas tamen jam ſine ullo conſcientiæ remorſu liberè pertranſeunt. Putant quippe incauti, & improvidi hi, nimium illum ſuum erga filios, amicos, opes, palatia, hortos, aliaſque id genus res amorem graviſſimum, ſibi tormentum non fore, quando violenter eos bona hæc tranſitoria relinquere, & cor, quod iis nimium quantum affixum erat, ab iiſdem divellere oportebit. Et quoniam clarè non perſpiciunt, his Deum opt. max. offendi, maximam animo indulgent licentiam, ad ſe ſingulis diebus magis magiſque iis implicandum, ſpinas quodammodo ſeminantes, à quibus in hora tranſitus ſui compungentur, & exagitabuntur. Sunt autem puncturæ hæ in primis periculoſæ; nam tam validè anima in illa hora, in qua cordialiſſimè ad Deum ſuum eam oportet converti, quò totius vitæ ſuæ cauſam feliciter laudabiliterque concludat, ab inordinatis hiſce affectibus oppugnatur, & divexatur, vix ut ſe ad Deum convertere, & delictorum ab eo veniam poſcere valeat. Nam per præſentiam illius ſeparationis, & impreſſionis, quam tunc temporis illæ creaturæ cauſantur, quæ morientibus ſolent aſſiſtere, tam vehementer homo angitur, & lancinatur, vix ut reſpirare, & de inviſibilibus, & æternum duraturis rebus cogitare poſſe videatur: quod ſanè aliud non eſt, quàm maximo ſe, ob corruptibilia bona, quæ etiam neceſſariò debet relinquere, ſummi boni amittendi periculo exponere. Proinde ſeptimum hoc præceptum, de corde ſcilicet à rebus tranſitoriis avellendo, quò anima ſe in hora, quæ maximè gravis, terribilis, & doloroſa erit, liberam ſentiat, cum prudentia Chriſtiana conjunctiſſimum eſt: ſicut liquidò in paucis illis Dei ſervis videre eſt, qui non immeritò ſpirituales vocantur. Modus enim vitæ ſpiritualis, quam illi ducunt, nihil eſt aliud, quàm continua quædam animi à rebus his terrenis divulſio, ne videlicet ab illarum pondere deorſum trahantur, itaque ad regnum cœleſte aſpirare non queant: ad imitationem ſcilicet Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui mirabilem quandam variis in rebus abdicationem, abnegationemque etiam cariſſimæ matris ſuæ, oſtendit; nec non ad exemplum illuſtrium illorum Sanctorum, qui extraordinaria quadam diligentia, ac cautela, ad noſtri inſtructionem cor ſuum nondum cuſtodire ſunt conati; nullam ejus partem in creaturam aliquam transferre cupientes, ne ſic ullum interior libertas detrimentum caperet. Non crediderim autem, illos mihi quoad præcepti hujus ſubſtantiam ac medullam, contradicturos, qui verum ac ſincerum bene moriendi habent deſiderium, præſertim cùm ad ejus obſervantiam, rara aliqua, extraordinaria, & exquiſita non requiram; non inquam, ut Chriſtianus timoratus illa omnia in egenos eroget, quæ ſibi ad ſufficienter honeſteque vivendum minimè neceſſaria eſſe videt, non, ut conjugati propterea uſu matrimonii abſtineant, & in perpetua quadam continentia vivere proponant; non, ut ſponſi ſponſas ſuas intactas relinquendo, per incognitas terras peregrinentur; qualia fortiſſimos milites Chriſti alias feciſſe conſtat. Mediocrem tantùm ad ejus, qui ſalutem ſuam amat, bonum, ſuper ſe ipſum vigilantiam requiro, ut nempe cor ſuum nonnihil refrenet, ne, cùm amabilibus mundi hujus rebus nimiopere adhæreſcit, præda fiat, & pereat. Cautela porrò hæc omni hominum ſtatui proportionata eſt, & conformis, adeò ut nemo ſe excuſare queat, dicendo: Ego ſum conjugatus, hinc neceſſe me eſt de rebus temporalibus, ratione ſtatus mei, ſolicitum eſſe. Nemo, inquam, ſe excuſare poteſt: hac namque cautela, & moderamine non vetatur ſufficiens ille amor, & attentio qua ſtatui ſuo quilibet ſatisfacere poteſt, & tenetur: ſed ideo ea tantum proponitur, ut affectus erga hæc terrena temperentur, ita ut non excedant, itaque ingens animæ damnum adferant. Job erat coujugatus; is tamen, inter alias diligentias, quibus cavebat, ne nimia cor ſuum licentia efferretur, ita de ſe loquitur. *Si lætatus ſum, & ſuper multis divitiis meis, & quia plurima reperit manus mea*: quibus verbis ſignificat, & coram Deo proteſtatur animum ſuum ab onere divitiarum liberum ac minimè oppreſſum fuiſſe, vanè in iiſdem ſe offerendo, & oblectando, idem quoque ejus erga filios affectus erat, quemadmodum videre datur ex inſigni illa pietate qua eos gubernabat, dum pro iis ſacrificia offert, ne fortè inordinato quodam hi amore erga terrena bona, & recreationes ſæculi afficerentur.

A

B

Cautela omni ſtatui proportionata, quae?

C

Job. 31.

Conjugatus quoque erat David, & quod prudens aliis conſilium dedit, ipſemet practicavit. *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*, id eſt, cavete vobis, mortales, bonis terræ hujus nolite adhæreſcere; ſed cautè vos circa eaſdem gerite; divitiis, ſi domi veſtræ abundent, cor, animumque nolite affigere. Non vult, eas non poſſideri, ſed hominem cor iis non applicare, vel applicari ſinere. Quæ verba ſunt hominis rem optimè experti ac ſcientis, à mundi hujus ſubſtantia poſſeſſorum ejus corda, magna quadam rapi, attrahique violentia.

David.

Pſal. 61.

D

Eſther item erat conjugata, & ad tantum gloriæ culmen evecta, ut altiùs in terra evehi non poſſe videretur; tam hæc autem circumſpectè cauteque vivebat, ne quam cordi ſuo licentiam, ad bonis hiſce, quæ mundus perditè adorat, adhæreſcendum indulgeret, ut quadam die magno quodam cum affectu orans, his ſuum Deo ſit animum verbis teſtata: *Tu ſcis neceſſitatem meam, quod abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum, in diebus oſtentationis meæ, & deteſtor illud quaſi pannum menſtruatæ, & non portem illud in diebus ſilentii mei*. Quæ verba animum declarant magna quadam ſolicitudine vigilantem, & advertentem, ne quæ homines alios in hac vita attrahere ſolent, ſuum cor rapiant, ſibique ſpiritus libertatem, quam omnibus terræ hujus regnis anteferebat, eripiant. Si itaque tales perſonæ, tam præſentibus, & gravibus in occaſionibus hanc rerum abdicationem habere potuerunt, ſequitur, ordinarios Chriſtianos minoribus in occaſionibus præceptum hoc obſervare poſſe. His namque diebus noſtris, in tanta hominum parum timoratorum multitudine videmus, hinc inde vel unum eſſe, non Religioſum modò, ſed & ſæcularem, qui eſto negotiis, & rebus terrenis implicatiſſimus ſit, hoc tamen modo ſuper cor ſuum vigilat, ſeque ad mortis horam, & æterna in cælo bona præparare ſatagit. Si verò in rebus temporalibus, (puta divitiis, & honoribus) uti fuerunt illæ, quas exempli loco particularius in Job, Davide, Eſthere, declaravi, tam cautè vivere hominem oporteat; quid non faciendum in aliis rebus, magis attractivis, & illicibus, uti eſt amor erga liberos, ac præſertim primogenitos, quia cordialius, & affectuoſiùs filii, quàm alia quælibet bona temporalia amari ſolent? Unde tam in horum, quam aliorum amicorum intimorum amore, aliiſque ſimillibus affectibus, accuratam quandam, & ſingularem cordis cuſtodiam Lectori commendo, & ut hunc in finem divinam gratiam, & miſericordiam ſæpius invocet.

Eſther.

E

Eſth. 14.

F

Hominum parum timoratorum multitudo.

G

CAPUT X.

Octavum artis bene moriendi præceptum; multis nimirum ſe negotiis non implicare, ne morientem, aut quòd nondum perfecta ſint, aut alias ob cauſas, interturbent.

NON ſolent viatores, qui tota in patriam ſuam cogitatione, & animo feruntur, iis in terris, quas nonniſi obiter, & feſtinanter pertranſeunt, multis ſe negotiis intricare; & ſi fortè, caſu neſcio quo, alicubi hæreant. ad negotium aliquod neceſſarium peragendum, ipſum quàm citiſſimè expedire, & iter ſuum quod cœperunt proſequi ſeriò procurant. Veritas hæc certiſſima eſt, & cuivis notiſſima: adeoque ex ſe conveniens, ut in hominis prudentis animum non poſſe cadere videatur, eo loco negotia tractare, in quo eum & manere, & negotia-

H

Octavum artis hujus praeceptum.

Scrip. An. circ.1612.

tiationis, vel laboris hujus ſui fructu gaudere nefas eſt. Si quis verò interdum viator in regione quapiam amœna, & blanda inter viandum hærere, & in ea negotiari velit; ſtatim quilibet vir prudens liquidò perſpicit, eum omnem patriæ memoriam depoſuiſſe, & animum ſuum mutaſſe, regionem exte- A ram in patriam ſibi aſſumendo: quod præter communem aliorum hominum ſenſum eſt. Homo peregrinus ſuper terram. Cùm porrò Chriſtianus norit, ſe ex profeſſione ſua teneri, credere ſe ut peregrinum ſuper terram, & feſtinanter per eam tranſire, cum intentione, & ſpe ad jucundiſſimam civitatem Dei, & communem electorum patriam citò perveniendi; vel penitus eorum abſtinere negotiorum tractatione debet; quæ communiter durante hominis vita expediri, & finiri non ſolent, vel fateatur neceſſe eſt, cogitatione ſe, & corde ad patriam, ad quam omnes vivendo tendimus, non aſpirare. Nimis quàm craſſus enim error, & parum non modò in Dei, ſed etiam hominis, tametſi vel mediocriter tantùm prudentis judicio excuſabilis eſt, perſuadere ſibi velle, ſe, tanto ſtudio, & con- B tentione in negotiationes terrenas incumbentem, cor in cœleſtibus habere. Hominum caecitas. Unde patet magna multorum, non modò ſæcularium, & conjugatorum, ſed etiam Eccleſiaſticorum cæcitas, & palpabiles tenebræ, qui cum magno conſcientiæ ſuæ remorſu, licet etiam frequentes, & iteratas Dei inſpirationes ſentiant, à quibus monentur interiùs, ut negotia ſua, (quo rebus ſuis conſulant, & ad mortem ſe præparent) abſolvant, & perficiant; numquam tamen eadem abrumpunt, vel ab iis ſe ſequeſtrant, ut antè etiam à divina juſtitia opprimantur, quæ vitam cum magna eorum qui ita moriuntur, conſcientiæ inquietudine, & mala ſatisfactione intercidit. Si verò magni hujus mali cauſam inveſtigare velimus, prima ejus origo fuit, C quòd nimiam initio ſibi in negotio aliquo ſuſcipiendo, deinde & alio, & pòſt rurſus alio inchoando licentiam dederint, ut ne unum quidem eorum planè abſolvant, ſe vel ab cupiditate, vel ambitione, vel ira, aut aliis quibuſdam paſſionibus ita abripi ſinentes, numquam ut finis ſui recordentur. Intelligere ſanè non poſſum, quomodo viatores hi tantopere cæcutiant, &, cùm multa acutiſſimè videant, laqueos tamen non advertant, quibus ſemetipſos illaqueant, & conſtringunt, ut in cœpto pietatis Chriſtianæ, & profectionis ad patriam cæleſtem itinere ulteriùs pergere non queant. Ponamus verò, horum cuipiam ex maligna quadam (verbi gratia) febri improvisò incidenti periculum imminere: itaque Chriſtianum hunc, D à ſua propria voluntate incarceratum, & tot negotiorum nondum finitorum, imò nec ad eum quidem terminum deductorum, ut poſſint tutò, & cum conſcientiæ ſecuritate alii cuipiam committi, ut credere poſſit, bene ea ſe abſente ad exitum perducenda, laqueis conſtrictum rogo; quid jam febri illa æſtuans, & ita turbatus, ut ne nomen quidem Dei queat invocare, faciet? Negotia ejus, & caput ſanum, & magnam vigilantiam, & multum temporis, ad res cum timore Dei, ſine ulla proximi injuria aut damno diſponendas, requirerent; quomodo ergo ipſe jam eadem expediet, cùm ad oculum videat, & ſibi ſenſus non conſtare, & tempus ad ea expedienda ſufficiens non ſuppe- E tere, quòd quàm citiſſimè ad judicium Dei evocetur? Non ſunt hæc fabulæ, aut res quædam extraordinariæ, ſed ordinariæ, & quotidianæ, ac tam horrendis exemplis confirmatæ, ut vel petra duriores mentes ad compunctionem emovere deberent. Timorati pauci. Atque ideo pauci illi timorati, qui in negotiorum variorum tractatione ſimul verum bene moriendi deſiderium habent, eſto in ſuperiori, & elapſa ætate aliquos quoad hoc exceſſus fecerint; quando tamen jam perſpiciunt, ſibi aut per ætatem, aut per quotidianam invaletudinem, horam mortis magis, ac magis inſtare, magnam quoad hoc ſibi vim inferunt, & haſce negotiorum telas, tametſi magno multarum rerum temporalium diſpendio, penitus incidunt, ac taliter ſe ſubducere ab iis conantur, F ut in brevi illo tempore ac ſpatio, quo ex toto corde de ſalute æterna laborare, ac ſoliciti eſſe debebunt, nullum eæ ipſis faſtidium adferant. Inter paucos verò illos ſapientes non defuit hac ætate noſtra, qui raræ cujuſdam pietatis exemplo regnum (nedum alia negotia) in filium ſuum primogenitum tranſtulit, ſeſe à ſtrepitu mundano ſubducendo quò ſe ad mortem diſponeret. Monitum. Videat ergo Lector, num de numero ſit illorum multorum negotiatorum terræ; videat quoque, ne innumeris in fervore hoc mundano negotiis ſeſe involvat, ſed iis ſe quantocyus expedire ſatagat, quò Domino ſuo, quando is rationes petitum veniet, & æternum vel refrigerium, vel pœnam ipſi daturus eſt, reſpondeat.

CAPUT XI.

G

Nonum artis bene moriendi præceptum, iis nimirum virtutum actibus ſeſe dare, qui in hora mortis maximè ſunt neceſſarii.

SI is mihi de Deo ſenſus, & ea erga proximum caritas foret, quam alii illuminatiores habent, magnam Chriſtianorum negligentiam & inconſiderantiam hoc loco deplorarem, & dolerem. Quod, cum accuratè prævidere, notare, & advertere ſtudioſè ſoleant, quomodo ſe gerant, quinimo de verbis ſoliciti ſint, quæ interdum cum homine ſui ſimili locuturi ſunt, dum verentur, ne, ſi bene hæc ipſis non ſuccedant, probro ea ſibi vertantur; idque in tantilli momenti re- H bus; Dei tamen altiſſimi juſtitiam non metuant, nec iis præparare, & diſponere ſe virtutum actibus ſatagant, quibus in morte opus habent, ad coram Domino Deo comparendum, & inimicis crudeliſſimis, à quibus obſidendi ſunt, reſiſtendum. Nonum artis hujus praeceptum. Mirum ſanè eſt, dari, & inveniri interdum hominem graviſſimum,

ſimum, qui etiam regni integri regendi talentum habere videatur, à quo ſi petas ut aliquem fidei actum concipiat, tamquam ſi coram tyranno infideli, qui mortem & martyrium ei comminaretur, conſiſteret; vel ſpei, perinde ac ſi ſe ad portas infernales conſtitutum cerneret, & fortiſſime, intime- A que Domino Deo ſuo vellet adhærere; vel denique veræ contritionis, ac ſi ſe ſine confeſſore, aut alio à quo inſtrueretur, mori debere cerneret; ne vel verbum hìc dicere novit, nec ad Deum modò recurrere qui conſolationem afferat ei, qui cum ipſo agit.

Hominum ignorantia, & a Deo alienatio.

Quid ſibi hæc vult ignorantia ac ſtupor, quid hæc à Deo alienatio? An in eo ſapientia, & magnitudo conſiſtit, quod civitates, & provincias integras ſurſum deorſum invertat, ac mutet quadrata rotundis, an non potius in eo, ut ſublime, & magnanimum cor habeat, quod & mundum contemnat, & illo quo virtus, fortitudo, & aſtutiæ terrenæ illum deficient tempore, adverſus mortem, & furias infernales pugnare, & prævalere queat? Quid ſatrapæ terræ hujus profit, prin- B cipes terrenos ſub imperium redigere, ſi ipſe neſcit, imò ne noſſe quidem vult, arma ſpiritualia, quibus regnum cœlorum conquiritur, tractare? Quàm ſane proficuum foret, & infiniti momenti, ſi ſe Chriſtiani ante in tempore opportuno communirent, eoſque exercerent actus, à quibus in hora mortis & confortarentur, & in viam vitæ introducerentur! Neſcio revera, quomodo in illa hora, in qua tot timendi, animique deſpondendi ſunt occaſiones, idque per vivam præteritorum peccatorum, mortis præſentis, judicii vicini, & inferni hiantis repræſentationem, vel unum, verbi gratia, vivæ confidentiæ actum facere poterit is, qui interim dum viveret, nullum umquam talem conce- C pit; vel, ſi quos fecit, ii adeo languidi ac frigidi fuere, ut ad illud robur; & robuſtam vivacitatem, quæ in extrema illa hora requiratur nihil aut vix quidquam prodeſſe, aut facere videantur.

Quinam actus faciendi in hora mortis?

Quocirca qui ſapienter agere vult, illorum actuum concipiendorum jam diſcat modum, quibus tunc victoria comparatur; puta actus Fidei, ſpei, amoris Dei, contritionis, & eos ceu pretioſiſſima quædam monilia, & dulciſſimos quoſdam ſanguinis Jeſu Chriſti fructus exiſtimet. Et ſi vel aliquod bene moriendi habuerit deſiderium, hanc unam, quæ infiniti momenti eſt, rationem perpendat, ſcilicet, ſi hos multis in occaſionibus, puta mortis repentinæ, vel eo in caſu, quo uſum linguæ amittit, (quemadmodum multis contingit) actus exerceat, fieri poſſe, ut per horum exercitium, & D uſurpationem, illis in caſibus, in quibus Sacramenta percipere nequit, ſalvetur, aliter fortaſſe exiguam de ſalute ſua ſpem daturus. Quòd verò Theologica hæc ratio evincat, altiſſimam quamdam ſapientiam eſſe, bene apteque hoſce actus facere noſſe; idcirco non inutile puto futurum, quoddam Lectori documentum ſuggerere, quod à multis Dei ſervis permagni fit, ut ſcilicet ipſe paululum temporis, (etſi vel octavam horæ partem per diem) ſibi ſuffurans, & intra aliquod oratorium, vel locum quietum concedens, ſe jam velut in hora mortis verſari fingat, & graviter undique ab infidelitate, diffidentia, odio Dei, & in peccatis præteritis complacentia impeti, & pulſari; atque ideo ali- E quot vivos fidei, ſpei, amoris erga Deum, contritionis actus, magna quadam cum generoſitate concipere allaboret. Erit id ſanè exercitium utiliſſimum, & ad finem, quem ſpectamus, bene moriendi, proportionatiſſimum.

De his actibus agitur 2. p. c. 4.

Adeo, ut ſi eos ipſos actus, quos in mortis hora eum facere oportet, concipiat, ſe, & fide & ſpe, & charitate, & aliis virtutibus, cum inæſtimabili ſua conſolatione inſtructum comperturus ſit; qua hauddubiè carent illi, qui hac in parte negligentes, & incurii ſunt, ſicut prudenter reipſa judicare poteſt is, qui aliquos fideles Dei ſervos morientes videns, quanta ſit inter hos, & eos qui communiter in ſæculo moriuntur differentia, notat.

F

CAPUT XII.

Decimum artis bene moriendi præceptum, exercitium ſcilicet, viriliter, & generoſe tentationibus reſiſtendi, ne ab iis anima in mortis hora opprimatur.

NUllis profectò verbis exponi poteſt, quanti referat aſſueſcere, animosè tentationibus reſiſtere, eaſque jam ſuborientes reſcindere, quo homo in ultimo ſuo conflictu viriliter certare poſſit, in quo nimirum dæmon, omnem quam poteſt, & novit, rationem, & conatum adhibet; utpote qui novit, ſi illa hora non expugnet, ac victoriam referat, ſibi prædam, cui ardenter adeo in- G hiat, è manibus elabi.

Decimum artis hujus praeceptum.

Neque verò opus eſt, pluribus à me hanc doctrinam probari, cum omnes communiter Chriſtiani credant, & norint, qui ea hora miſcentur conflictus, & maximos, & periculoſiſſimos eſſe. Quapropter ſi unanimiter omnes conſentiant, ſingularem quamdam in illa hora dexteritatem, & conſtantiam requiri, ſequitur neceſſario & conſequentia evidentiſſima, ſingulare quoddam ſtudium, & accuratam imprimis ad eam, præparationem adhiberi oportere. Hæc porrò præparatio, primaria quædam diſciplinæ crucis Chriſti pars eſt, quod carni ejuſque appetitibus directè repugnet, mirabileſque producat effectus in iis, qui fideliter eam uſurpant. Nam præter quam quod appetituum illorum brutorum mortificatio acquiratur, & maximùm quod- H dam multorum gratiæ, & gloriæ meritorum lucrum inde ſequatur; ipſa cor magnanimum, impavidum ac cedere neſcium reddit: quæ propria ſunt arma ad ſine ulla læſione illos adverſarii adeo immanis, & rabientis, ictus declinandos.

Eccleſia Chriſti Sponſa dicta.

Huc conducet, attentè ipſum Eccleſiæ, quæ ſponſa Chriſti eſt, ſenſum conſiderare, quotidie ſuo in Officio, altiſſimo quodam divinæ ſapientiæ con-

Scrīp. An. conſilio illa S. Petri verba repetentis: *Fratres*,
circ.1612. *ſobrii eſtote, & vigilate quia adverſarius*
veſter diabolus tanquam leo rugiens
1. Pet. 1. *circuit quærens quem devoret, cui reſiſtite*
fortes in fide. Hæc porrò cuſtodia, & vigilia
non tam ſedulò nobis inculcaretur, ſi non
extremè ea eſſet neceſſaria: neve hæc armatura
A fortitudinis Dei ita quotidie peteretur, niſi
periculum quotidianum eſſet, & niſi certum
eſſet, rugientem furentemque hunc leonem
quotidie nos invadere poſſe; cum conſtet,
ſine ullo ætatis diſcrimine, & juvenes mori,
& ſenes. Quæ cum ita ſint, dicamus
oportet, Eccleſiæ ſenſum, & mentem eſſe,
quotidianis illis vocibus omnes, & ſingulos
nos commonere, ut hanc in ultimum illum
conflictum præparationem faciant, aſſueſcendo
quotidie, & aſſidue fortiter in fide reſiſtere,
ſimul etiam oſtendere velle, propria
ad vincendum arma, eſſe cor generoſum,
interritum, & inimicis ſuis cedere neſcium.
Utinam verò omnes in genere Chriſtiani
lumen à divina bonitate acciperent ad doctrinæ
B hujus neceſſitatem convenientiamque
perſpiciendam; ac præſertim Eccleſiaſtici,
ad ſupradicta illa Apoſtoli verba, que zelo
Eccleſiae militantis perſecutores, viſibiles, & inviſibiles.
quodam Criſtiano plena, & Eccleſiæ militanti,
(quam ſemper perſecutores, tum viſibiles,
tum inviſibiles oppugnant) propria
ſunt, ponderanda! Sed dolendum maximè,
eſſe quam pauciſſimos, etiam ex iis qui verba
hæc aſſidue repetunt, & aliorum cuſtodes
ac tutores ſunt, qui eo quo deberent
affectu id quod ore dicunt, ſentiant. Sed
haud dubie ipſos pœnitebit, & fortaſſe ſera
nimis pœnitentia. Hoc conſtat, adverſus eos
potiſſimum dæmonem prævalere, quos meticuloſos,
& in pugnando parum animoſos
perſpicit, illos proinde quam maxime poteſt,
invadere, & oppugnare, cum videat
eum qui parum fortis eſt, nonniſi ſua culpa
C talem eſſe. Quare dum eum inermem eſſe,
quin imo à Domino derelictum videri conſpicit,
univerſam inferni potentiam: contra
eum evocat; prout Propheta videtur ſignificare,
diens, *Deus dereliquit eum, perſequimini,*
Pſal. 170. *& comprehendite eum, quia non eſt*
qui eripiat. Ita nimirum agere dæmon ſolet,
Daemonis aſtutia.
quando in aliquo ignaviam, & malam
cum divina gratia correſpondentiam, aut
parvam potius cooperationem advertit. At
ſi quam è contra animam reſolutam, promptam,
ac fidelem perſpicit, quæ armis gratiæ
obarmata, tentationem vix dum enatam
ac ſubpullulantem incidit & amputat, timet,
& ſe illico ab ea ſubducit, quod novarum
illi victoriarum occaſionem tam facilè dari
invideat. Adeò ut novam ſic anima illa generoſitatem,
& robur novum acquirat, itaque
D jam habitu parato poſtea in hora mortis
legitimè certet, & inimicis ſuis inſultando,
& ſupplantando, ad vitæ æternæ palmam
evolet, ac bravium accipiat gloriæ.

CAPUT XIII.

Undecimum artis bene moriendi præceptum; pauxillum ſcilicet temporis conſiderationi agoniæ mortis impendere, multos virtutum actus, tum ad habendam patientiam, tum ad nos Chriſto Jeſu in hora illa conformandos faciendo. E

CAſuum gravium conſideratio, atque adeo
omnis malorum futurorum præmeditatio,
non parvam afflictionis partem demit,
atque optimos in piis mentibus pietatis effectus
producit, quemadmodum videre eſt
in iis, qui quodam ſalutis ſuæ ſpiritu, &
deſiderio acti aliquantulum temporis ultimi
illius angoris, qui in morientes ſubeunt,
conſiderationi impendunt. Doctrinæ hujus
ratio manifeſta eſt. Nihil enim aliud eſt,
Undecimum artis hujus praeceptum.
Chriſtianum hominem morientium agonem
identidem ſibi præſentem cogitatione fingere,
& dolores, & pericula quam poteſt
vivaciſſimè in ſe ſentire, quam quotidie ac F
frequenter mortem oppetere, & proinde
extremam illam aſperitatem, & amaritudinem,
divinæ gratiæ umbone nonnihil retundere,
& mitigare; adeò ut, cum poſtea
veraciter mors ſubeunda eſt, anima hæc ad
eam quodammodo præparata ſit, neve hæc
illi adeò nova, & horribilis, quemadmodum
ceteris, quibus prævisa, & præconcepta non
eſt, videatur. Illud verò maximum eſt, quod
anima, quæ ſæpè agonem hunc magna cum
patientia, & cum Deo ſuo conformitate
obivit, ubi jam ipſum mortis tempus advenerit,
admodum ſe alleviatam, adverſus
hoſtiles inſidias optimè obarmatam inveniat.
Neque verò dubitandum eſt, quin hæc mortis
conſideratio vel præmeditatio, in illam
Mortis conſideratio utilis.
quidem horam imprimis ſit utilis, in præſens
verò efficax quædam ad vitam Chriſtianorum
reformandam, & corrigendam ratio. G
Sed omnis difficultas in eo verſatur, ut paulum
temporis huic conſiderationi dedicetur,
quod undecimum eſt artis hujus noſtræ præceptum:
qui tamen hunc agonem indemnis,
& ſine ulla læſione animæ pertranſire
volet, non adeò difficile, & arduum æſtimabit,
mediam vel ſaltem quartam horæ
partem, ſingulis ſeptimanis, ſeriæ, attentæque
ultimi hujus conflictus meditatoni impendere:
hic namque modicus labor, nec
non aliud illud de continua, id eſt ordinaria
mortis memoria habenda præceptum congrua,
& competens ſatis eſt ad bene moriendum
præparatio. Ex hac namque conſideratione
Ejus effectus.
multarum virtutum fructus enaſcuntur,
quæ omni quidem tempore perutiles H
ſunt, maximè tamen in illo ultimo, in
quo multa interdum in multis videmus ſcandala,
etiam in Religioſis: qui, quod tranſitum
illum eo non præviderunt modo, quo
prævideri eum ipſa rei gravitas poſtulat;
ſiquando ſibi eſſe moriendum inaudiunt, tam
inſolito, & extraordinario modo percelluntur;
ut quotquot id vident, eo offendantur.

Præ-

A

Mundanorum mors, qualis?

B

In illis reprobationis ſigna.

C

Job. 18.

Religioſorum ſtrictioris obſervantiae uſus.

D

Præter hanc proximi offenſionem inſigne, quoque ſibi ipſis detrimentum adferunt; quod enim hoc de morte nuntium ad uſque interiora cordis eos conſternet; hinc numquam ut animæ ſuæ rebus conſulant, vel ex intimo cordis affectu ad Dominum clamant, & eo quo par eſt Sacramentorum remedia uſurpant modo; in animum inducere, & à ſe ipſis impetrare poſſunt: ſed in corporalis morbi remediis conquirendis toti ſunt, & quidem modo parum piò. Quod autem longè deterius, ſi tunc à quopiam adſtantium commoneantur, ut animæ ſuæ conſulant, tantam impatientiam, & à voluntate divina averſionem oſtendunt, ut vix inveniatur, qui extremi eos periculi commonere audeat. Unde fit, hunc non condito teſtamento, illum ſine peccatorum confeſſione, alium ſine viatico Euchariſtico, ex hac vita decedere; non neminem etiam, præter priora hæc damna, judicii uſum, alium linguæ amittere, alium denique à diabolo affligi, & vexari, & aliis id genus modis puniri, qui ſanè Dei juſtitiam apertè oſtendunt, jam tum percutere, & caſtigare incipientis, quod ejus, dum viverent, miſericordiæ dulcedinem experiri noluerint. Quot, eheum! reprobationis ſigna in hujuſcemodi hominibus videre eſt, qui dum jam in extremo ſunt, & ſupremo tranſitui magis, & magis appropinquant, ut ſe divinæ voluntatis diſpoſitioni accommodent, & cedant, impetrare penitus à ſe nequeunt; ſed vitæ præſenti toti inhiant; donec brachii juſtitiæ divinæ vi ab ea avellantur violenter, & morti infernoque in prædam tradantur. Advenit tandem hora, & ſententia in injuſto executioni mandatur, ipſeque violenter ſeparatur ab omni eo quod dilexit; cui proinde ſequentia illa verba terribili quadam voce intonare poſſe juſtiſſimus Judex videtur, *Avellatur de tabernaculo ſuo fiducia ejus, & calcet ſuper eum quaſi rex* ſuper inimicum debellatum, *interitus*. Ab his verò malis, & comminationibus per Dominum liberari meretur is, qui ſæpius affectu anticipative moritur, &, ceu ſapiens, præmeditatur ac proſpicit quid ſibi poſt ſit eventurum. Adeò ut conſultum ſit, iis id temporibus facere quæ ad negotii hujus (quod tanti momenti eſt) tractationem potiſſimum ſunt deſtinata: ſicuti id Religioſi Reformati facere ſolent, qui unum, inter reliquas meditationes per hebdomadam diſtributas, diem huic conſiderationi, veluti rei quæ ad in ſpiritu bene proficiendum pertinet, impendunt. Judicia ergo mundanorum lector parum moretur, & carnalibus illis amicis credere nolit, quibus forſitan videatur is, qui hoc præceptum obſervare voluerit, ſe etiamnum vivum ſepulcro velle includere, melancholia ſupervacanea, & triſtitia, antequam oporteat, ſe replendo. Sed nihil minus; nam conſiderationes piæ, etſi lacrymis plenæ ſint adeo non (ut quidem mundus putat) hominem contriſtant, ut eum potius confortent, & recreent: ſicut in vera, & cordiali contritione videre eſt, quæ eſto oculis corporalibus exterius mæſtiſſima appareat, intus tamen, & revera, inæſtimabili conſolatione plena eſt: vivam namque hæc ſpem cordialiſſimo plenam gaudio in animo producit: ut taceam, omnia univerſaliter juſtitiæ opera quandam lætitiam afferre, uti teſtatur David hiſce verbis, *Juſtitiæ Domini rectæ letificantes corda*. Dato verò quod præmeditatio hæc tam triſtis, & afflictiva ſit, quam mundani exiſtimant; optimum nihilominus eſt, & prudentiſſimum parvula aliqua mœſtitia æternam ſibi comparare lætitiam, cujus jam tum, in felici mortis ſuæ hora, juſti præguſtum, & promulſum ſentiunt.

Piarum meditationum effectus.

Pſal. 18.

E

CAPUT XIV.

Duodecimum artis bene moriendi præceptum, quotidie proponere ita ſe gerere, ac ſi dies illa vere ultima totius vitæ futura eſſet.

Tanti momenti hocce præceptum eſt, ut pauci illi viri ſpirituales qui in terra ſunt, priſcos illos ſanctos in hoc imitando, multo ipſum majori rigore, quam equidem requiram, & exactius obſervent: crediderunt namque, & reipſa comprobarunt, ipſum ad vitam cum ſumma perfectione inſtituendam, & ut parati ſint tum, cum mors ipſos occuparit, plurimum conferre. Dixi id eos obſervare exactius: quia non ſatis illis eſt, ſi ſemel aut bis per diem illud propoſitum concipiant, ſed ad ſingulorum quæ agunt operum initium, magna quadam animi applicatione, ita ſingula ſua agere proponunt, quaſi & illud eſſe ultimum, & eo finito ipſi ad divinum evocari, judicium Dei deberent. Præcepti hujus convenientia notoria eſt: quis enim non ad oculum videt, hominem, ſi ita ſua eo die opera facere intendat, ac ſi jamjam coram Deo judice compariturus eſſet mirabili quodam modo ſe ad mortem diſponere? Conſideret lector, quonam, ſi certa quadam revelatione noſſet, hodie ſe ex hac vita decedere debere, opera quæ facere ſtatuiſſet, affectu peracturus eſſet. Minimè dubitandum eſt, quin multò ea majori faceret perfectione, quam modo facit; & qui illa tali modo, etiam ſine hac revelatione facit, longè paratior eſt, ſi fortè ſibi eveniat, quod eventurum prudenter cogitabat. Magnorum doctrina hæc, in ſpiritualium Religioſorum clauſtris, bonorum occaſio fuit; quæ quamvis modo mundus non novit, noſcet tamen poſtea, & veritatem illam videbit, quæ tunc omnibus filiis Adam manifeſtabitur. Sed dicet mihi quis, quare ita quotidiè opera mea faciam tamquam ſi ſingula futura eſſent ultima, cum ultima revera non ſint? cur tam exactè mea peragam, cum quod mihi imaginor, non ſequatur? Reſpondeo, & ſimul peto, ut ipſe mihi dicat, cur ſingulis ipſi diebus hamus pendeat ad terrena aliqua bona conquirenda; cum tamen certum ſit, ſingulis eum illa diebus non inventurum? cur quo-

F

Duodecimum artis hujus praeceptum.

G

H

Scrip. An. circ. 1612.

quotidie magnates affectetur, eminentem quamdam ab iis dignitatem ambiens, cum certum ſit, quotidie eum votorum compotem non fore? Dicet, Verum eſt, ſingulis quidem diebus illa non habebo, habebo tamen uno; ideoque ne unum quidem elabi me ſinere neceſſe eſt.

Mundanorum prudentia.

Ita prudentiſſimi quique hujus mundi reſpondent. Ex quo reſponſo præcepti, quod à me propoſitum eſt, convenientia colligetur.

A

Si enim mundi hujus amatores, in dubia quadam imaginatione, qualis eſt dignitatis alicujus ſpes, & acquiſitio, fundati, eas ſingulis diebus adhibent diligentias, perinde ac ſi illo eam die habituri eſſent, cum certiſſimum ſit, ſæpius eos petita non obtinere; cur ſua Chriſtianus opera quotidiana ita non faciat ſicuti ea faceret, ſi illum poſtremum vitæ ſuæ ſciret diem eſſe, cum conſtet, omnium illorum quos numerat, tandem unum ultimum fore?

Amatorum præſentis vitae error.

Præſentis vitæ amatores id intelligere nolunt; ſed hic ipſe error timoratos, & ſalutis ſuæ ſtudioſos ideo magis monere debet, ut dicant: Communis quidem eorum, qui per viam latam incedunt, error eſt, ut ſe, ſi poſſent, æternos in hac vita faciant; at ſecurior ac tutior paucorum illorum juſtorum opinio, & ſenſus eſt, quod ſe velut homines morti, quam quotidie etiam exſpectant, deſtinatos exiſtiment.

B

Melius eſt ergo, & tutius ſecundum illum ſenſum complecti, itaque vivere, tamquam ſi dies omnis illis revera futurus eſſet ultimus. Ita vixerunt non ſolum Martyres, qui ſingulis diebus à tyrannis morti adjudicari exſpectabant; ſed & Confeſſores ſancti, aliique eximia ſanctitate juſti: adeò ut ſibi ipſis quotidie mortem indicerent, ac proponerent, hac ſe cogitatione excitantes, & animantes, ad opera ſua cordialiſſimo quodam affectu ſtudioque facienda, perinde ac ſi poſtridie merendi, ac ſalutis ſuæ operandæ tempus non eſſent habituri.

C

Exemplum praecepti hujus ex D. Paullo.

1. Cor. 15.

Quotidie namque revera juſtus ſibi dicit, quod de ſe olim Corinthiis Apoſtolus, *Quotidie morior*; in quo etiam præſens caput concludemus, lectorem rogantes, ut Apoſtolicam illam ſententiam ita animæ inſcribat, ut etiam opere ipſa exequatur; &, ut Apoſtolus quotidie ſe mortis periculis exponebat (id enim ſignificat, *quotidie morior*) ita pius lector, qui feliciter præſentis vitæ curſum terminare vult, quotidie ſe morti per tales effectus exponat, quales habent juſti, dum de facto ex hac vita ad patriam ſuam tranſeunt.

CAPUT XV.

D

Decimum tertium artis bene moriendi præceptum, ſuam quotidie conſcientiam examinare, quaſi quamcitiſſime ejus reddenda eſſet ratio.

ID hoc loco præſuppono, quod ſupra indicavi, ſcilicet Chriſtianum non tam mortem ob id, quod ipſa in ſe eſt, quam propter id, quod poſt illam ſequitur, ipſum inquam Dei judicium timere: proinde ejus qui bene mori deſiderat, præparatio circa hanc judicii divini recogitationem, & intuitum verſari debet.

Decimum tertium artis hujus praeceptum.

Quare is demum bene præparatus erit, qui ſuas rationes exactè compoſuerit, ad omnium, quæ aliquando egit, operum rationem reddendam.

Cap. 25.

Sic Redemptor apud S. Matthæum, cum dixiſſet, *Vigilate, quia neſcitis diem neque horam*, ſubjunxit ſtatim parabolam illam de patrefamilias, qui in longinquam quamdam regionem profecturus, ſervos ad ſe ſuos vocavit, ſuaque inter illos talenta diſtribuit, & poſtea ait, *Poſt multum vero temporis venit Dominus ſervorum illorum, & poſuit rationem cum eis*.

E

Id eſt, Quando Chriſtus venit, quando inquam homines ſingulos mediante morte uniuſcujuſque ad ſe vocat, rationes ab iis expoſcit. Quis verò neſcit, quam non œconomi Principum, & alii quæſtores minores adhibeant diligentiam, cum ad rationes ſuas reddendas vocantur? Nemo crederet, quam in hoc diligentes ſint, niſi quotidie ad oculum id cernere eſſet.

F

Quod ſi ita eſt, ecquid quæſo prudentius homo, cui ratio tam potenti juſto domino reddenda eſt, agere poſſet, quam ipſum rationum reddendarum tempus prævertere, & diligentiſſime quoddam velut diarium componere, in quod quotidie de die in diem tum ſumptus, quos refundit, tum dona accepta referat, ne fortè ex improviſo rapiatur, & judicio Dei ſiſtatur imparatus?

Juſtorum diligentia.

Exponi verbis ſatis non poteſt diligentia, quàm hac in parte juſti faciunt: nam, ut alia multa taceam, hi ſunt qui ſupradictum diarium quam exactiſſime, & ſtrictiſſime concinnant, ut hoc pacto quam poſſunt optime domino, & hero ſuo ſatisfaciant. Quin etiam ſatis illis non eſt, eo quo dixi modo, hocce diarium conficere, ſed, & univerſum vitæ ſuæ tempus ad certa quædam revocant capita, eorum numeris tam bene diſpoſitis ac diſtinctis, ut, licet caſus quidam inexſpectatus, à quo opprimantur, ipſis ſuperveniant, quamdam breviſſimo tempore, etiam ſine magna corporis moleſtia, & cum non mediocri contritionis affectu generalem confeſſionem peragant; in hac ipſa oppreſſione ſubita piæ, & laudabilis hujus præventionis ſuæ fructibus gaudentes.

G

Hæ ſcilicet juſtorum diligentiæ ſunt, & ſolertiæ; utpote quibus in graviſſimo ſalutis ſuæ negotio mediocria quædam non ſufficiunt, ſed quam poſſunt maximè ſecura, tuta, ſancta, & in ultimo vitæ tempore maximè conſolatoria ſuſcipere ſtudent.

H

Ferventium Relligioſorum uſus.

Ut verò multi ſervi Chriſti melius conſcientiæ ſuæ ſatisfaciant, tam fidelem, & exactum ſui examinandorum modum adhibent, ut præterquam quod quotidie conſcientiam ſuam examinant, ſicut Religiones omnes ferventes facere ſolent, ita ſuum ipſi pene ſemper examen inſtituant, ut non ſolum opera ſingula examinent, ſed adverſus eadem, quaſi Dei juſtitiæ miniſtri forent, ſententiam quamdam condemnatoriam exequantur. Adeo ut dum lenem aliquam culpam committunt, ſine procraſtinatione, ſtatim proportionatam,

Scrip. An. circ. 1612.

& congruam aliquam pœnitentiam ſponte ipſi ſubeant, qualis videlicet ſimiles ob culpas à confeſſariis ſolet imponi. Hi ſunt nimirum fideles operarii, qui etiam in mortis ſuæ hora non opprimentur; vera namque eſt illa ſententia Apoſtoli ad Corinthios ſcribentis, *Si noſmetipſos diiudicaremus non utique judicaremur* à Deo. Magnates porrò mundi hujus, & aſtuti, & divites, & potentes faſtidioſum hunc (ut quidem ipſi eum vocant) ſuiipſorum judicandorum laborem ſuſcipere nolunt, ſed materiam coacervare malunt, de qua ſtrictè in futuro judicentur. Faciant autem illi quodcumque voluerint, at timoratus, piuſque Lector ipſas juſtorum juſtitias imitetur, ſi coram Chriſto Jeſu judice noſtro fidenter, & tuto comparere velit.

1. Cor. 15.

A

CAPUT XVI.

Decimum quartum artis bene moriendi præceptum, corpus aliquo modo mortificare, ne mortis poſtea anguſtiæ, & dolores ita ipſum opprimant, ut omnem tunc de Deo ſenſum anima perdat.

B

CORPUS mortificare, aliud certè non eſt, quam ipſum docere mori, dum poſtea moriendi veniet tempus, aliquam illi hoc pacto timoris & anguſtiæ, quam adfert mors iis, qui ad eamdem ſe diſponere negligunt, partem auferendo. Sic videmus, quando corpus à longa, & faſtidioſa aliqua ægritudine opprimitur, animam ex eo velut carcere egredi geſtire, & ad mortis diem velut feſtivalem, & gaudialem anhelare; uti colligere eſt è variis S. Gregorii Papæ epiſtolis, qui quod graviſſimis morbis, & acutiſſimis podagræ doloribus aſſiduè torqueretur, & affligeretur, ad mortem ſuſpirabat. Hac ergo manifeſta doctrina præſuppoſita, quicumque per hujuſmodi viſitationes, quæ quoddam vitæ præſentis tædium afferunt, à Domino non exercebitur, ſi modò ſapienter, ſanctèque vivere velit, aliquas ſibiipſi mortificationes aut corporales afflictiones, quæ corpus ipſum malè habeant, & carnalem illam vivacitatem, ac petulantiam ab eo vel penitus auferant, vel ſaltem reſtinguant, quibus quantumlibet minimam læſionem ſentiat, inferat oportet. Si enim ipſum ſibi permittatur, certum eſt, illud per delicias, & quod bene molliterque habeatur, ita ad aliquid patiendum ineptum, & ſegne reddi, ut in ultimo morbo maxime ſit hominem divexaturum, & à rerum divinarum ſtudio, & attentione avocaturum. Qui itaque corpus impinguant, & bene tractant cogitare ſane deberent, animam per blandimenta iſthæc in vaſe hoc terreo quodammodo ligari, & tam profundè in eo irradicari, ut poſt ea quam maxima opus ſit vi ad eam inde avellendam. Multo proinde ſatius foret, ſi eam paulatim etiam ſine magni alicujus doloris ſenſu ab eo divellere ſtuderent, ſancta quadam fraude, & dolo ſeipſos decipiendo: ſi inquam exercitio mortificationis, viventes adhuc morerentur, idque ad imitationem Sanctorum, quorum nonnulli per jejunia, abſtinentias, & rigores corporales ad talem mortis ſpeciem pervenerunt etiam antequam morerentur, ut nonniſi oſſa, & pellem exſuccidam habere viderentur, ut inter alios de Magno Baſilio legitur. Veri itaque ſpirituales, qui hocce mortificationis corporalis præceptum obſervant, eos qui navigant mihi imitari videntur; hi namque dum horribilis quædam tempeſtas navi incubat, ipſam exonerant, quaſi id unicum ſalutis, & vitæ tuendæ remedium foret, multas pretioſas merces, quas haud dubie inprimis caras habebant, in mare coniiciendo. Negandum non eſt, quin ſua cuique caro cara ſit, & amabilis quam maximè; ſed cogitemus oportet, in mediis maris cujuſdam procelloſi fluctibus nos hìc verſari, è quibus paucæ vel è naufragio, vel ejus ſaltem periculo indemnes naves emergunt. Quocirca qui de pauculorum illorum numero eſſe vult, ea etiam, quæ habet cariſſima, abiicere, & ab iis ſe exonerare debet, quo animam ſuam ſalvet. Sic nimirum fecit Apoſtolus, qui quamvis primitias ſpiritus haberet, per quas quantumlibet magnum corporis pondus portare poſſe videbatur, humana tamen judicia parum curabat, inque corpore motificando, caſtigando, & enervando totus erat, ne ſalutis redderetur expers, & ne (ut ejus verbis utar) reprobus inveniretur. Hæc videlicet eſt doctrina Apoſtolica, quam juſti ſemper ſunt ſecuti, dum viriliter adverſus ſemetipſos certarunt, carnemque indies magis, & magis debilitantes, interim inſigne quoddam ſibi ſpiritus robur, nec non quamdam velut agilitatis dotem, ad ipſas anguſtias mortis interrite pertranſeundas, compararunt. At dicet mihi Lector, rara hæc eſſe, & mirabilia, quæque ab omnibus paſſim requirenda non ſunt. Cui reſpondebo, uti olim S. Auguſtinus ad ſimilem, quam ſibimet ipſe obiiciebat, objectionem reſpondit: Dicet, inquit, aliquis, quis Martyrum ſequi veſtigia poterit? & ſubjungit Sanctus, *Huic ego reſpondeo, quia non ſolum Martyres, ſed & ipſum Dominum cum ipſius adjutorio, ſi volumus, poſſumus imitari*: Quod argumentum evidenter concludit, & evincit. Nam ut alias virtutum materias omittamus, in hac ipſa, de qua loquimur carnis maceratione, ipſum Redemptoris Jeſu Chriſti corpus ita in paſſionis ſuæ exercitio maceratum, exhauſtum, & conſumptum videmus, ut nec Baſilii, nec Pauli Apoſtoli mortificatio eò pertingat, nec comparari quidem poſſe videatur. Poſito autem, ideo illum paſſum eſſe, ut ipſum imitemur, non debet hanc Lector difficultatem perhorreſcere, ſed ſuperare, cum tam raras, & ſingulares à quolibet in ſingulari mortificationes non requiramus; ſed nonniſi pium quoddam, & moderatum, ad animam à carnis onere aliquantulum ſublevandam ſtudium; ut cum ab onere hoc non detinebitur, ſed libera erit, minus in ipſa mortis hora moleſtiæ ſentiat, majus ſibi meritum acquiret, majori

Mortificationis effectus.

Decimum quartum artis hujus praeceptum.

C

D

Mortificationis exercitium commendatum.

E

Unicuique cara propria caro.

F

Apoſtoli Paulli exemplum.

G

Serm. 47. de ſanctis.

Chriſti veſtigia ſectanda.

H

Scrip. An. circ.1612.

denique cum affectu ad Dominum clamet.

CAPUT XVII.

Decimumquintum artis bene moriendi præceptum, particulares quaſdam continens diligentias, quæ faciendæ bonam à Domino impetrare mortem volenti.

A

Miſeriarum vitae humanae maxima, quae?

Decimum quintum artis hujus praeceptum.

B

Matth. 5.

C

D

AD tria, quas hoc capite proponam diligentias, capita revocabo: quæ, ut ipſe quidem ſentio, inter omnia artis hujus præcepta, ſanè maximi ſunt momenti. Primum caput ſunt opera miſericordiæ; ſecundum, ſacrificium altaris; tertium perſeverans oratio vel petitio. Quantum ad primum ſuppono, miſeriarum vitæ humanæ maximam, ac ſummam eſſe mortem, & eum qui peccatum aliquod commiſit, eo in tranſitu à tam gravi miſeria premi, ut, ſi ſpectaculum hoc, ut verè in ſe eſt, videri oculis corporeis poſſet, ipſa etiam ſaxa ad compaſſionem emoveret. Quod liquidò colligi ex iis poteſt verbis; quæ ſancta mater Eccleſia, ſponſa Chriſti, præſcribit in modo juvandi morientes, quibus ſanè extremum illud oſtendit diſcrimen, & neceſſitatem, in qua illi tunc verſantur. Cum verò Chriſtianus quiſlibet novit, propediem ſe ab extrema illa miſeria, & anguſtia opprimendum, ecquod prudentius, ſalutarius, & congruentius inire conſilium poſſet, quàm ut ſibi, rebuſque ſuis proſpiciat, multa miſericordiæ opera facere, derelictos, & inopes pro eo ac poteſt adjuvando, ut & ipſe, quando in extrema illa neceſſitate erit conſtitutus, ab eo qui plus ipſo poteſt, & valet, adjuvetur? Univerſalis ſiquidem eſt Domini noſtri Jeſu Chriſti promiſſio, dicentis: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Si autem promiſſio hæc univerſalis, & certa eſt, minimè dubitandum eſt, quin divinæ fidelitati conveniat, parem erga eum, qui alias miſericors fuit, miſericordiam exhibere tum, cùm maximè futurus eſt miſer, & in ſumma miſeria verſabitur. Atque ideo, ſi hic miſericors in iis miſericordiæ operibus quæ facit, eam in particulari intentionem habebit, ut illam, quam dixi, in hora mortis ſuæ compenſationem, & reciprocationem experiatur, minimè ambigendum eſt, quin ei à parte Domini ita in reciprocando fidelis, in tempore illo, quod intendit, miſericordia etiam exhibenda ſit. Atque ideo, dum Lector eleemoſynam aliquam erogabit, dum afflictum quempiam conſolabitur, dum domo hoſpitem, & peregrinum excipiet, aut aliud quodlibet miſericordiæ opus faciet puncti hujus meminiſſe, & ea cum intentione in particulari opera ſua facere procuret, ut in ultima illa deſolatione, & tranſitu ſuo miſericordiam inveniat.

Miſſa, quo modo celebranda?

E

Secundum punctum maximi quoque momenti eſt, uti optime norunt pauci illi, qui ſanctiſſimi ſacrificii novi teſtamenti Domini noſtri Jeſu Chriſti dignè, & prout oportet, valorem, & efficaciam conſiderarint. Quod porrò circa punctum hoc Lectori faciendum incumbit, eſt, ut ſi quidem Sacerdos ſit, Miſſas cum particulari illa intentione celebrare ſatagat, ut dignus reddatur, qui in gratia Dei exſpiret: ſi verò Sacerdos non ſit, hac eadem intentione, & directione Sacra celebrari jubeat; maximam quandam ex altiſſimi hujus ſacrificii valore fiduciam concipiendo. Et hanc ſibi perſuadeat optimam eſſe, & præcipuam omnium, quas quidem in vita ſua ad bonam mortem habendam, adhibere poteſt, diligentiarum. Non poſſum hoc loco non ſugillare exiguam illam Chriſtianorum prudentiam; aut potiùs inconſiderantiam, ſcilicet quòd, eſto plurimi ex illis parum ſint ſpirituales, ſi quando tamen in aliqua temporali anxietudine ſunt, ſacrificii altaris immemores non ſint, ſacraque varia celebrari indicant, tum ut felicem litis alicujus ſucceſſum, tum ut terrenum quid, quod impetrare ſperant, obtineant; vix tamen quiſquam inveniatur, qui ut felici morte demoriatur, & privilegiis cœleſtibus donetur, iſthanc diligentiam adhibeat.

F

Perſeverantia in petendo commendata.

G

Perſeverantia finalis promereri nequit.

Donum perſeverantiae petendum.

H

Tertium punctum, perſeverans quædam eſt bonæ mortis petitio, & poſtulatio, cum magna quadam, & debita tam ſingularis Dei gratiæ, & miſericordiæ æſtimatione. Hæc verò petitio non eo, quo ceteræ, & ordinariæ, affectu concipienda eſt, ſed longè vehementiore, & ardentiore, ita ſcilicet, ut non defatigetur, aut grave ducat homo, quotidie ad divinæ miſericordiæ januam eam ob cauſam pulſare. Ratio verò cur ad has diligentias cum magna æſtimatione, & affectu ſuſcipiendas Lector excitandus ſit, in communi quadam Theologorum, atque imprimis D. Thomæ 1. 2. fundatur doctrina, quod ſcilicet perſeverantiæ donum, non tam merito humano, quàm ſola Dei gratia, & miſericordia obtineatur: ita quidem ut, qui in ſtatu gratiæ eſt, gloriam quidem promereatur æternam, non tamen in ea, quam habet gratia perſeverantiam, & conſequenter nec in eodem ſtatu mori. Quapropter reliquum id eſt, ut, cùm ad gloriam cœleſtem habendam hominem in gratiæ ſtatu defungi neceſſe ſit, & tamen juſtus, ut eo in ſtatu emoriatur, promereri nequeat, alio ad hoc medio contendere ſtudeat, per gratiam nimirum id obtinere procurando, quod per juſtitiam promereri nequit. Hac de cauſa nonnulli ſervi Dei particularia, quædam verba aut petitiones, ad perſeverantiæ donum pro toto vitæ tempore petendum deſtinatas uſurpant, idque cum magna quadam ratione, & debita pretioſiſſimi hujus doni æſtimatione: qualis, verbi gratia, ſunt illa orationis Dominicæ verba, *Et ne nos inducas in tentationem*: quæ aptiſſimam quandam ad hocce donum petendum interpretationem habent. Debitorum ſiquidem noſtrorum, (id eſt flagitiorum) venia, ac remiſſione, ac conſequenter divinæ gratiæ ſtatu poſtulato, cùm deinde addimus, *Et ne nos inducas*, &c. pro-

Scrip. An. circ. 1612.

priè id petimus, ne unquam ab illo gratiæ ſtatu excidamus, ſed à peccati malo, tentationibus, periculis, &c. omnibus ſemper liberemur; quod perinde eſt, ac ſi bonam quandam in gratia mortem per perſeverantiæ doni impetrationem peteremus. Unde pius Lector, ſine ullo novo labore, hunc orationis Dominicæ intellectum uſurpare, & practicare poterit, ut ſuos quotieſcumque eam, & quacunque ex cauſa recitat, in hoc potiſſimum, & ante omnia oculos reflectat, ut ſcilicet per eam bonam fortunatamque a Deo mortem poſtulet. Atque ita in hoc præcepto, ad Dei gloriam, primam libri hujus partem concludo.

Monitum. A

PARS SECUNDA

Artis bene moriendi, in qua de proxima ad mortem præparatione agitur.

B

CAPUT I.

Primum proximæ ad mortem præparationis præceptum; quid ſcilicet initio morbi ſit faciendum.

PRæſentis hujus vitæ amatores, ubi primùm malè valere, & ægrotare incipiunt, ante omnia, in temporalia ſanitatis recuperandæ remedia oculos defigunt, omni ſtudio eo, quo premuntur malo, liberari procurantes: at qui animæ ſuæ ſalutis ſtudioſi ſunt, ante omnia in ipſum Deum, ſine cujus nutu, voluntateque per id genus morbos homo viſitari non ſolet, oculos animi dirigunt, ejuſque ſe voluntati in omnibus tum ad vivendum diutiùs, tum etiam ad vita decedendum, prout bonitati illius placuerit, conformant. Hic divinæ voluntatis intuitus, cum quadam in quolibet eventu tum vitæ, tum mortis reſignatione, non animæ ſolùm utilis eſt, verùm etiam ad minus quoad corpus patiendum; eò quòd gentilitiam illam ad remedia terrena, ſine ullo ad Deum, & cœleſtia recurſu confugiendi ſolicitudinem auferat. Præcepti hujus convenientia nimis quàm manifeſta eſt; eò quòd magna bona ſpiritualia in illo Dei reſpectu, & intuitu continentur, qua ab illa intentione, qua ſe anima in Dei manus reſignat, dum in omnibus illi ſe conformare cupit, progignuntur. Adeò ut quod in illa infirmitate ſua patietur, tum Deo longè ſit gratius, tum ægro patienti majoris meriti cauſa futurum. Hac ergo directione, & intentione ſemel concepta, timorati, & bene mori cupientes, non expectant, ut medicus veniat, & periculum imminere denunciet, ac tempus eſſe, ut Confeſſarius advocetur, (ita quippe facere ſolent, qui non libenter confitentur, unde multa ſequi ſolent ſcandala) ſed eum prævertunt, ſuumque ante advocant Confeſſarium; idque conſultò, & ex prudentia quadam Chriſtiana, quæ exigit, ut ante omnia verum animæ remedium quæratur; quod, juxta pietatem Chriſtianam, omni, quæ in corporali remedio quærendo adhibetur, diligentiæ anteponendum eſt. Non quòd ideo dicere velim, medicum ſtatim non eſſe advocandum, præſertim cùm morbi repentè ingruentis gravitas, & periculum ita exigit; ſed tantum, ut, quantum ad ægri voluntatem, & judicium ſpectat, primo ipſe curam animæ ſuſcipiat, non differendo eam, donec ad extrema redactus erit; etſi ubi ſemel hunc affectum patiens bene ordinarit, parum referat, uter prius advocetur, medicus, an Confeſſarius. Deinde poſtea, ſecundùm hunc affectum Chriſtianè ordinatum procedendo, ſive medicus periculum ſubeſſe declaret, ſive non, ipſum æternæ ſalutis deſiderium prævalere debet, & excitare ægrum, ut quàm citiſſimè conſcientiam expiet; ut reliquus hoc pacto morbus ei feliciter ſuccedat. Diligentiæ hujus ratio eſt, quòd medici omnes tam fideles Deo ſuo non ſunt, nec tantæ animoſitatis, ut ſtatim periculum, in quo æger verſatur, denuntient, maximè ſi ipſe perſona ſit magnæ auctoritatis, & potens. Etſi verò in multis accidentibus, nullum periculum eſſe dicant (in quo magis ſunt faciles) non propterea tamen vir pius, ſi conſcientiam peccato gravatam habeat, conjecturali hac ſecuritate, & aſſeveratione contentus debet eſſe, vel niti, cum diverſa tremenda Dei judicia quoad hoc ſæpe eveniant. Multò ergo ſatius, & ſalutarius eſt prævenire. Et ſanè unum illud Chriſtiano ſatis eſſe ad hanc diligentiam adhibendam deberet, noſſe, quod, quamvis medici periculum eſſe negent, certum tamen ſit, illos interdum graviter (etſi inculpatè) falli. In tanti autem re momenti, æternæ vitæ amatores certa non quærunt oracula, vel prophetias, ſed vel mediocri quadam probabilitate nixi, eas adhibent diligentias, quas adhiberent, etiamſi certiores eſſent. Peto inſuper, ecquid anticipata hæc diligentia adferre damni queat? Hoc conſtat, nihil ab ea mali ſequi poſſe, at boni multum. Impar ergo, & indecens eſt, Chriſtianum eam facere recuſare. At dicet mihi quiſquam vitæ corporalis, at non ſecundum doctrinam Jeſu Chriſti, amantior, maximè corpori noxium eſſe, eam antequam tempus id exigat adhibere velle, tanquam ſi jam certum mortis periculum impendere medici dixiſſent; & hanc ſatis fore ad mortem accelerandam. Hæc ſanè objectio parum pia eſt: utpote argumentum, & indicium animi, qui ipſam confeſſionem, ut mortis vel ſignum, vel motivum ducit, etſi revera ita ſe res non habet. Ut verò is, qui ita loquitur, ſuum in quo verſatur errorem perſpectum habeat peto

C

Alia Præcepta. Primum.

D

E

Moribundi Chriſtiani cura.

F

G

Error quorundam.

H

to equidem ab ipſo, num cum Chriſtianus ſit, aliquoties ſaltem per annum dum bene valet confiteatur? Dicet, quod ſic, quia res clara eſt. Si verò tunc temporis ſignum mortis non putet eſſe, peccata confiteri, cur id ei tale videatur cum febricitat? Non mutatur ipſum vitæ remedium, ſive ipſe febriat, ſive bene valeat. Non eſt igitur verum, illud mortis vel ſignum eſſe, vel motivum; ſed à perverſa ſua voluntate illud, ut tale duci. Peto inſuper, nunquamne acciderit, infirmum aliquem demortuum eſſe, medicis tamen ante aſſerentibus, eum tunc minimè moriturum? Dicet quod ſic: quia quotidiana rei hujus exempla & videntur, & leguntur. Unde verò ipſe novit, idem ſibi non eventurum? Reſpondebit, id rarum eſſe; at quid ejus, qui ita abripitur, dum minus cogitat, refert, id raro accidere? Ad hæc eſto, vel unus tantum iſthoc laqueo capiendus eſſet, univerſa tamen natura humana tremere deberet; cur igitur ipſe non timeat, cum conſcientiam ſe inquinatam habere novit? Sed ut jam veniamus ad eos, qui tali modo ſpiritui Dei reſiſtere nolunt, illi, non modò initio morbi, quando ſui compotes adhuc ſunt confiteri deberent, ut deditè, & prout oportet tanti momenti negotium peragant, ſed ad juſtiorum, & prudentiorum imitationem, etiam generalem quandam confeſſionem, quam poſſunt intenſiſſimo doloris ſenſu, ad majorem cautelam, & ſui ſecuritatem inſtituere; ſi fortaſſe ſuperiores confeſſiones illis, quas debent, circuſtantiis non fuerint conveſtitæ. Hunc ad finem, (qui infinitè ſanè animæ utilis eſt) illa refertur diligentia, de qua in Parte prima, ſupra egimus, exactum ſcilicet omnium peccatorum numerum tempore ſanitatis ſcripto iniiſſe, ut ſic, dum malè habebimus, eo & moleſtia confitendi ſit minor, fructus verò, & affectus major. Beati porrò pauci illi, qui bene præceptum hoc intelligunt, & in graviſſimo ſalutis æternæ negotio providè ſe cauteque gerunt, in tempore opportuno ſe exonerare ſtudentes, ut poſtea per mortis anguſtias leviſſimè, & celerrimè pertranſeant.

A

B

Monitum.

C

CAPUT II.

Secundum proximæ ad mortem præparationis præceptum; quomodo ſcilicet bonorum ſit temporalium diſpoſitio facienda.

NEmo eſt, qui neſcit, quantopere obligatus homo ſit ad bona ſua temporalia juſtè, antequam moriatur diſponenda; nemo inquam, id ignorat; pauci tamen ita eam diſpoſitionem faciunt, ut & conſcientia exonerata maneat, & proximus ædificatus. Circa quod, tremendum quoddam Dei judicium in multis mundanis hominibus, etiam gravibus, videre eſt; qui quòd teſtamenti ſui conditionem de die in diem differant, poſtea, quando à morbo gravati jam, & oppreſſi ſunt, graviſſimè in eo condendo errant, vel quia ſui jam compotes non ſunt, vel quia, eſto judicium adhuc conſtet, ita acriter tum à morbo exagitantur, tum à ſenſu, quòd bona illa temporalia relinquere cogantur, quæ tam perditè amarunt, ut neſciant penitus quid faciant; quodque omnium graviſſimum eſt, animam ſimul, & corpus ob facultates malè relictas, & diſtributas, perdant. Hac de cauſa qui Deum timent, ſuum, dum bene adhuc valent, teſtamentum condunt, quid ſibi ex conſcientia erga unumquemque faciendum ſit ſedulò, exacteque ſingillatim perſpicientes, ne quam injuſtitiam committant, ſuaque majori animæ ſuæ commodo diſponant, quando non ſunt obligationes juſtitiæ. Unde dum jam malè valere incipiunt, id confirmant, & ratum habent, quòd ſe matura ante cum conſideratione, & cum Dei timore decreviſſe, & ſtatuiſſe ſciunt, totoque animo in id incumbunt, ut in novi teſtamenti Jeſu Chriſti Domini noſtri hæreditatem admitti queant. At qui tantam animæ ſuæ ſalutis curam non habet, deberet ſaltem, ubi jam primùm ægrotare incipit, res ſuas domeſticas, & facultates bene diſponere, auxiliariam in eo virorum fidelium operam adhibendo; ne quo ex hac vita debito, & obligatione gravatus decedat, cui poſtea nequeat remedium ahiberi. De hiſce obligationibus ſingillatim hìc tractare non eſt propoſitum, quod id ad propoſitam mihi materiam minimè ſit neceſſarium; ipſa duntaxat diſpoſitionis hujus capita aſſignabo: quæ ut plurimum tria ſunt. Primò, creditoribus, & conſanguineis, quales ſunt filii & hæredes neceſſarii, ſatisfacere; deinde, aliqua non tam per viam juſtitiæ, quàm gratiæ, vel gratitudinis, in uſum eorum, qui vel opus habebunt, vel obſequium nobis aliquod impenderunt, vel beneficium contulerunt, diſponere; Tertiò, pia aliqua legata ad Dei obſequium, & honorem inſtituere, verbi gratia, in puellas in virginitatis amittendæ periculo verſantes; vel ut Miſſæ aliquot celebrentur, vel ut miſſiones ad populos paſtore, & doctore, quoad animæ ſalutem neceſſaria edoceantur, deſtitutos inſtituantur. His addo, Miſſas, quas pro animæ ſuæ ſalute celebrandas unuſquiſque indicere debebit, ut à pœnis purgatorii quam poteſt citiſſimè per earum ſuffragia liberetur. Quod eſt ſanè maximi momenti monitum. Non poſſum verò non ſummopere mirari, quomodo multi divites hujus ſæculi ſuiipſorum, dum è vita emigrant, hac in parte ita obliviſcantur: cum tamen credibile ſit, & propè certum, eos, ſi modò ſalute æterna donentur, diu, & acriter Purgatorio igne excruciandos.

D

Praeceptum ſecundum.

E

Teſtamentum quando condendum?

F

Praecipua ejus capita.

Primum.

Secundum.

Tertium.

G

Monitum maximi momenti.

H

Tria hæc capita in exemplum adduxi; ut per hæc Lectorem commoneam, ne in rebus, quibus jam jam carere debet, eo quod ex hac vita decedit, ſine fructu ullo erret. Circa hanc autem diſpoſitionem Lector notet, ut, ſive eam fecerit adhuc bene valens, ſive in morbo eam ſæpius, poſtquam jam confeſſus fuerit, & ſacratiſſima Communio-

ne

Scrip. An. circ.1612.

Teſtamentum quando ratum habendum?

A

ne donatus confirmet, & ratam habeat, ut omnes illi actus vel juſtitiæ, vel gratitudinis, vel miſericordiæ, qui teſtamento continentur, vitæ æternæ reddantur meritorii. Fieri quippe poſſet, ut eos in ſtatu peccati mortalis conceperit, & fecerit; qui, ſi illos poſtea non renovaret, ad vitam æternam illi minimè prodeſſent, ut quæ opera fuerint mortua, utpote in ſtatu mortalis peccati peracta. Hoc maximi momenti præceptum eſt, quo fructus laborum, & ſudorum ipſorum, qui omnium eorum, quæ toto vitæ tempore compararunt, diſpoſitionem faciunt in tuto collocetur. Det itaque operam, ut quamprimum ſe ab rebus hiſce temporalibus animo quodam pio abdicet, quique de vitæ æternæ acquiſitione in brevi hoc, & incerto tempore agere omnimodis cupit, & ne erret, expediat, de eo magis ſibi proſpiciendo, de quo pietas, & prudentia Chriſtiana, ut ſibi proſpiciat perſuadent.

CAPUT III.

Tertium proximæ ad mortem præparationis præceptum; quid faciendum nempe ſit, cùm ingraveſcit morbus.

B

Tertium praeceptum.

C

Terrenae cogitationes omnes in hora mortis abiiciendae.

D

QUI vel aliquem Dei timorem habent, etſi alioquin adeò ſpirituales non ſint, ſtatim ac vident morbum ingraveſcere, ac neceſſariò ſibi moriendum eſſe, jam ab rerum temporalium diſpoſitione planè expediti, affectu quàm poſſunt cordialiſſimo ad Dominum Deum ſtudent converti. Hoc namque tempus eſt, quo omnes ad Deum homines veniunt; hi quidem ut ſupplicium, illi ut præmium pro operibus recipiant. At qui norunt, quomodo ſe vitæ alterins res habeant, (quales ſunt Chriſtiani fidei lumine illuminati,) majoi ſolicitudine, & ſedulitale ad Dominum convertuntur: ſciunt enim periculum in quo verſantur. Qui porrò ad hunc temporis terminum jam pervenit, ex toto corde ſe ad Chriſtum Dominum convertat oportet, cum certò ſciat, verum in illo Domino remedium reperiri. Ut verò efficaciùs ſuum ad hoc affectum poſſit applicare, omnes de rebus temporalibus cogitationes magna animi generalitate à ſe excutiat; quòd hæ ſalutis animæ ſint inimicæ. Relinquat itaque, & ſeponat terram, & terrena, uxorem, filios, & quidquid carum habet; utpote quæ non mediocre illi, ſi ullum humanis ſenſibus, & rationibus locum det, damnum adferant. Neque enim tunc amplius tempus eſt de illis rebus cogitandi: ſi verò, ad hanc tentationem animo penitus excludendam eos etiam à lecto, & cubiculo arcere opus ſit, id quam maxima poſſunt libertate, & generoſitate faciant; quòd Deo, cujus cauſa id faciunt, futurum id ſit quàm gratiſſimum. Si verò adeò neceſſarium ſit, etiam illa excludere, quæ mundo penitus inſeparabilia ab homine videntur; ſequitur profectò, eandem potius generoſitatem in iis excludendis adhibendam, quæ minùs ei conjuncta ſunt; uti ſunt amicorum, vel conſanguineorum viſitationes, niſi fortè ſint perſonæ tales, quæ eo tempore aliquod ad ægri animæ ſalutem adferre momentum, & opem poſſent; qui ſi hunc ad finem utiles futuri ſint, eos morienti adeſſe maximè conſultum eſt, uti capite quinto dicturi ſumus. Hac ergo ab iis rebus, quæ animæ bonum impedire queant; ſeparatione, & ſequeſtratione jam facta, utile fuerit Confeſſarium ſæpius advocare, ut conſcientia hoc pacto magis, & magis emundetur, idque gratiæ augmentum æger recipiat, quod per Sacramentum Pœnitentiæ obtineri ſolet; dabitque inſuper operam, ut magnum de vitæ ſuperioris peccatis, in ſingulis, quas inſtituet, confeſſionibus dolorem, & deteſtationem concipiat. Si verò idem ipſe ſit Confeſſarius, cui paulò ante generaliter eſt confeſſus, bonum erit, ut ſimul cum particularibus, quæ memoriæ occurrunt, peccatis confiteatur quidquid ante in generali confeſſione dixit; nam in hoc confitendi modo multa ſpiritualia bona, & variæ ad animæ ſalutem certiorem, & ſecuriorem reddendam cautelæ, juxta communem Tneologorum, & Canoniſtarum doctrinam continentur. Monendi hìc quoque ſeriò ſunt Confeſſarii, ut in hac hora ipſum pœnitentiæ Sacramentum perfectè, & prout oportet, adminiſtrare procurent, pœnitentes excitare ſtudendo, ut peccatum morte, & inferno deterius, & propter ſolum Deum oderint, & deteſtentur. Videant, ne nimis hìc feſtinent, neve mercenariè munus hoc obeant; ſed pio, & caritativo quodam modo cum moribundis ſe gerant, eam ſcilicet adhibendo diligentiam, quæ ad confeſſionis integritatem requiritur, & ipſos (quod permagni hìc refert) pœnitentes inſtruendo, eoſque ad actus contritionis ea forma, & ratione, qua Doctores fieri volunt, concipiendos excitando, ante quam eis abſolutionem conferant. Quare, poſtquam jam pœnitens confitendi finem fecerit, non ſtatim ad abſolutionem ipſi dandam ferantur, ſed paululum eum ſuſpenſum tenentes, ad illorum contritionis actuum, qui peccatis declaratis proprii ſint, concipiendorum praxin veniant; &, cùm jam aliquot ejuſmodi actuum is elicuerit, tum demum abſolutionem ei impertiant. At quia conſtat, non omnes Confeſſarios hac caritatis formula, (quæ tamen miniſterio ſuo adeo propria, & conſentanea eſt) uti, ipſemet Lector rebus ſuis tunc proſpicere ſatagat, & id genus actus, illo tempore vel ipſe per ſe, vel Confeſſario præeunte elicere meminerit, ut pro majori ſua diſpoſitione majorem è Sacramento pœnitentiæ fructum percipiat. Beati porrò illi, qui perfectè confeſſionem tunc inſtituunt, eò quòd inæſtimabilium quorundam bonorum per eam reddantur participes; quæ licet modò non appareant, poſtea tamen apparebunt, & infinitum illorum pretium videbitur.

E

Confeſſarius ſaepius advocandus in illa hora.

F

Monitum pro Confeſſariis.

G

Sacramentalis abſolutio quo momento impendenda?

H

CAPUT IV.

Quartum proximæ ad mortem præparationis præceptum, debita nimirum viatici extremi, & ſacræ unctionis ſuſceptio.

Præceptum quartum.

A POſtquam jam cogitationes, & affectus terreni domo exacti erunt, & conſcientia per ſanctiſſimum pœnitentiæ Sacramentum ſemel aut ſæpiùs expurgata; ſequitur ipſa panis ſuperſubſtantialis in viaticum petitio, ut in via, quæ jam ſuſcipienda eſt, æger non deficiat, ſed magno cum vigore ad uſque Dei montem in ejus fortitudine ambulet. Quanti porro momenti, quamque ineffabilis conſolationis ſit, dignè illo tempore communicare, nulla hominum lingua poterit explicari. Poſito ergo rem per ſe ineffabilem eſſe, ſatis eſſe Lectori poterit, ipſam plurimi facere, operamque dare, ut infinitum illud bonum in illa hora, majori quàm antè hactenus, affectu recipiat. Ut autem **B** fructum illum, quem ſpecto, conſequatur, illos hic ei actus in mentem revocabo, quos faciat oportebit, quando diviniſſimum Altaris Sacramentum ad illum allatum erit. Sunt autem hi ſequentes: Præmiſſo *Confiteor*, (uti ordinariè præmitti ſolet) ſi æger ipſe rerum ſacrarum peritior ſit, ita ut hac in parte directione opus non habeat, rogando Sacerdotem, ut ſanctiſſimum Sacramentum manu tenens, paulatim fixus ſubſiſtat; poterit vel mentaliter, vel (ſi id ad majorem ipſius conſolationem futurum ſit) vocaliter fidei confeſſionem ſive profeſſionem facere, ſicut ipſa ſymbolo continetur, vel alio quodam modo, myſteria ejus præcipua tangendo; dicere verbi gratia Credo, Domine, & Creator mi, eſſe te trinum & unum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, **C** tres quidem in Deitate perſonas, & unius omnes eſſentiæ; atque idcirco unum ſolum Deum, omnipotentem, altiſſimum, infinitum, æternum, ſapientiſſimum, glorioſiſſimum, omnibuſque aliis perfectionibus donatum, quas ſancta Romana Eccleſia, (in qua vera tua eſt fides) credit: credo inſuper firmiſſimè, Domine ac Redemptor mi, Jeſu Chriſte te, quamvis eſſes Deus ab æterno, dignatum eſſe incarnari, & propter noſtram ſalutem hominem factum eſſe. Item te Deum Deum, & hominem, à Beatiſſima Virgine Maria, ſine ullo puritatis damno, & læſione, & conceptum, & natum eſſe; paſſum deinde, mortuum, & à morte reſuſcitatum, & ad cœlos aſcendiſſe; poſtea quoque venturum judicare vivos, & mortuos, **D** ut ſecundùm opera quiſque ſua mercedem recipiat. Credo ad hæc, Domine, ſeptem te Eccleſiæ ſponſæ tuæ Sacramenta inſtituiſſe; & horum maximum, ac præcipuum eſſe hoc quod hìc coram cerno, in quo tu verè ac realiter Deus, & homo perfectus contineris. Credo denique, quidquid Sancta credit Eccleſia, & pro cujuſque veritatis Catholicæ confeſſione mortem eſſem paratus oppetere. Certiſſimum namque eſt, Domine, eſſe te ipſammet veritatem, ac proinde fieri non poſſe, ut aliquid ipſe revelaris quod verum non ſit. Quin etiam proteſtor, in hac divinæ fidei tuæ confeſſione me velle mori, & quaslibet antè evidentias mundi negaturum, quàm ullum fidei tuæ articulum **E** aut negem aut in controverſiam vocem. Hocce exemplum, & formula ad ipſam fidem profitendam ſufficiet, veritates haſce divinas, & amare, & bene de iis ſentire, & propter earum profeſſionem mori velle procurando.

Quomodo in hora illa SS. Viaticum recipiendum?

Fidei profeſſio facienda?

Actus Spei.

Faciat deinde æger etiam actus ſpei, hoc modo: Firmiſſime ſpero, Domine ac Redemptor mi Jeſu Chriſte, in bonitate tua me per te ſalute æterna donatum iri. Equidem mihi de te promitto ac ſpondeo, quòd, cùm ad ſalvandum homines ſis inclinatiſſimus, ac paratiſſimus, ſecundùm conditionem, ac nomen tuum, me quoque ſalvabis, quia me creaſti propter te. Multa eaque gravia, fateor, peccata commiſi; ſed ſcio hæc, etſi **F** milleſies millies plura, & graviora forent, nihil omnino fore, ſi cum redemptionis, & ſanguinis tui remedio conferantur. Certiſſime proinde ſpero, vitam æternam me per te conſecuturum. Numquam quippe te ullus, Domine infinitæ miſericordiæ, peccator invocavit, quin ei miſericordiam feceris; ergo facies, & miſericordiam mecum, qui te ex toto corde in hac hora mea invoco. Etſi me vel in ipſo inferni limine conſtitutum cernerem, ſemper tamen in te, Rex clementiſſime, ſperabo, quòd etiam ſceleratiſſimos quoſque ad veniam, & reconciliationem voces. Spero firmiſſimè, Fili Dei, & liberator meus, per Sacramenti hujus, in quo divina tua majeſtas præſens adeſt, adminiculum ad vitam æternam me perventurum.

G Amoris Dei actus.

Sequuntur jam actus amoris Dei. Cordis quoque mei debitum, cum deſiderio tibi me perpetuò conjungendi, tibi perſolvo, Domine qui infinito es amore dignus. Animam meam tibi offero, o bonitas infinitè amabilis, & ad amandum provocans, ut ex omnibus viribus meis te diligam. Deſidero te, o infinitum bonum meum, extra Sacramenti hujus velamen videre, ut in te transformer, & ſine ulla turbela æternæ caritatis tuæ exercitio totum me impendam. Equidem aliud bonum non quæro, præterquam te, o puriſſime Patris tui æterni ſplendor. Omnia Angelorum, & Sanctorum habere vellem corda, nec non innumera alia corda, quæ puriſſimo amore flagrarent; & hiſce omnibus infinitam bonitatem tuam ſine fine diligerem.

H Atque Contritionis.

Sequuntur actus contritionis. Ex intimo corde meo, Clementiſſime Domine mi, me pœnitet, quod divinam majeſtatem tuam offenderim, firmiterque propono, numquam illam ampliùs offendere, etſi vel mille mihi annis in terra vivendum eſſet; idque ex ſolo amore tuo, & propter te. Omnia peccata mea deteſtor, & abominor, quòd in-

Scrip. An. circ..1612

A

finitæ bonitati, & puritati tuæ contraria ſint: poſthac igitur ne vel minimum quidem peccatum, etiam omnibus mundi bonis mihi propoſitis, vel oblatis, admittam. Utinam, dilectiſſime Domine, mortem potius ſubiiſſem, quàm te offendiſſem! Quare antè jam me ſinam interfici, quàm vel unum veniale crimen committam, idque tui unius cauſa, & intuitu. Quàm, Domine, interius gauderem, ſi numquam te offendiſſem; ſed cùm ſciam certò in te me offendiſſe, ex intimo corde doleo; & ſtatuo ac decerno, nihil poſthac agere quod tibi diſpliceat. Peccatum omne, puriſſime Domine, maledico, & execror, & ipſum inferno pejus deteſtor, eò quod non tibi adverſetur: quocirca numquam te deinceps offendam, eſto mihi propter legis tuæ obſervantiam moriendum eſſet.

Praedicti actus morientis arma dicti.

B

Hæc eſt præcipuorum actuum formula, qui velut arma ſunt, quibus ſe æger in tempore illo, quod tranſitui proximum eſt, adverſus hoſtes tueatur. Iis tractandis ſe Lector interim dum rectè valet, ſive ante, ſive poſt Sacramentorum receptionem aſſueſcat, ut in tempore anguſtiæ, & conflictus, majorem eorum uſum habeat. Sacerdos verò, poſtquam hujuſmodi ex ægro actus audivit, ſanctiſſimum illi viaticum adminiſtrare poterit: quod tunc majorem illi hauddubiè fructum, & conſolationem adferet, quàm ſi illos non feciſſet. Cum verò quam pauciſſimi ſint, qui proprios actus, (uti ſunt illi, quos antè paulò produximus) per ſe facere norint, ſacerdos ipſe inſigne, gratumque Deo obſequium præſtiturus eſt, ſi ut ſic debitè perfecteque officio ſuo fungatur, dum ſanctiſſimum Sacramentum in manu tenet, cum moribundis agat, verbaque illis præeat, ut ad hæc ipſi reſpondeant, ſuumque affectum iis applicent, ac ſuam ob imperitiam, & inſcitiam tam inæſtimabile bonum non amittant.

C

Extrema unctio petenda.

Monitum.

D

Poſtquam ergò infirmus jam diviniſſimum Euchariſtiæ viaticum receperit, magno affectu extremam ſibi unctionem poſtulabit conferri: quæ ubi ad ipſum allata erit, ad ipſas Eccleſiæ cærimonias, in hac unctione ſancta obſervari ſolitas, diligenter reflectet; atque adeò cum ſenſus ſinguli inungentur, ipſe ex corde, & animo intimo illorum veniam peccatorum à Domino poſcet, quæ per eum ſenſum alias admiſit, cum magna ejus obtinendæ fiducia ac ſpe. Monitum hoc loco Lectorem velim, ut ſi fortè illi, qui ejus curam gerunt, non eam quam oportet diligentiam in horum duorum Sacramentorum adminiſtratione procuranda adhibeant, ipſemet prout poterit eam ſuppleat, ea in tempore, & maturè ſibi adminiſtrari poſtulans. Sæpe namque contingere ſolet, ut vel per negligentiam, vel ob, neſcio, quos humanos reſpectus tamdiu infirmo hæc adminiſtrari differantur, ut ipſe, cum ea recipit, amplius ſui ſenſuumque compos non ſit, & proinde ſupradictos illos concipere actus non mediocri bonorum æternorum detrimento non queat. Quare melius hauddubiè eſt, nonnihil prævertere, quàm differre; ſicut id unuſquiſque facilè judicare poteſt, ut neceſſe non ſit aliunde rationes ad hocce perſuadendum arceſſere, quòd res nimis quàm ſit manifeſta, & evidens.

CAPUT V.

E

Quintum proximæ ad mortem præparationis præceptum; quid nempe faciendum, quando jam mors appropinquat.

Quintum praeceptum.

F

G

H

POſtquam jam infirmus debito Sacramenta Sancta modo recepit, & hora mortis ejus magis magiſque appropinquat, ipſe modo quàm poteſt optimo accelerare debet ad eos faciendos actus, qui majori ei ſint adverſus inſidias inimici tartarei merito, & auxilio futuri. Et, quia vires tunc ei notabiliter deficiunt utile erit viros ſpirituales moribundum juvare, idoneos advocare, qui quando hoc caritatis officium bene præſtare norunt, permagno ad hunc conflictum eſſe auxilio ſolent. Morientis autem eſt, in hocce articulo ſibi quàm poteſt maximè prodeſſe, cum jam videat quid ſibi maximè utile futurum ſit. Nihil porro facere fructuoſius, & utilius poteſt, quàm illos actus, de quibus ſuperiori capite egimus, identidem repetere. Si enim ipſe, gratiæ divinæ cooperando, credat, ſperet, amet, & peccatum prout oportet deteſtetur, poteſt (ut ita dicam) victoriam, & triumphum canere incipere. Norit proinde, ſapientiſſimum quoddam conſilium eſſe, magis magiſque ſe in illis virtutibus, breviſſimo illo quod ſibi reſtat, tempore ſolidare, & fundare. Sed qui illi aſſiſtunt viri ſpirituales, magnum illi tam per hoc exercitium virtutum, quàm aliquod quodlibet, quod illo tempore ſit proportionatum, & congruum, facere bonum poſſunt, idque ſine ullo tam ejus gravamine; ſed eum potiùs alleviando, ac multos gratiæ, & gloriæ gradus acquirere faciendo. Quibus quid quoad hoc ipſe cenſeam, dicam; ſcilicet eos ante omnia, in brevi illo ſpatio quod reſtet, multa pro illo tempore inprimis utilia facere debere, antequam ſenſuum uſus planè deficiat; tum pro tempore illo quod ſequitur, cum jam ſcilicet uſus hic planè defecit, & moriens jam ſibi ſolus (uti dicitur) relictus eſt ad cum dæmone certandum. Atque ideo tam hoc capite, quam iis, quæ ſequuntur, de iis præcipuè rebus agam, quæ moriens velut ſibi dicta ſumere debet, ut ipſe iis utatur, tum cum à circumſtantibus minimè poterit juvari: quæ ſimul tamen in utilitatem cedant aſſiſtentium, interim dum moribundum adhuc juvare poſſunt, ſenſibus adhuc ei integris. Ut autem ab hoc puncto, quod ante obiter tetigi, incipiam, ſuadeo ei, ut quando mors jam propior ſit, quatuor illos actus, eo quo ſuprà indicavi modo uſurpatos, *Credo. Spero, Amo, Pœnitet me* ore ſuo numquam, quamdiu poteſt; aut, ſi loqui jam nequeat, corde excidere patiatur, in Jeſum Chriſtum crucifixum oculos deſigendo, & victoriam de ini-

mi-

Scrip. An. circ. 1612.

Quomodo circumſtantes moribundum juvare debeant?

micis ſuis referre, & vitam æternam acquirere certiſſimò ſperando. Circumſtantes verò ſpirituales, qui moribundum juvare intendunt, ſine ullo incondito clamore, vel infirmi gravamine, eum in hiſce actibus prout poſſunt, faciendis adjuvent; ea ſcilicet dexteritate, ut ipſi totum actum forment, infirmus verò aliud non faciat, quam reſpondere, Ita vel Non, prout actus ipſe id exiget. Hic namque modus cum totum illud includit bonum, quod ſpectamus; tum eam continet ſuavitatem, & quietem, quam exigit ſtatus hic adeò anxius, & doloroſus. Unum hoc quod hic affero exemplum, erit inſtar aliorum multorum. Qui itaque morientem in hiſce actibus faciendis adjuvat, ſic eum interroget, Crediſne firmiter myſterium incarnationis, id eſt, Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum verum Deum eſſe, & hominem? Reſpondeat æger, Credo; vel, Etiam; vel ſi loqui nequeat, nutu oſtendat ſe aſſentiri. Speraſne firmiter per Domini noſtri Jeſu Chriſti merita ſalutem te conſecuturum? Æger dicat, Spero, vel, Ita, &c. Atque ita de cæteris: per quos ſupponendo, animam hanc in Dei gratia eſſe, nova gratiæ, & gloriæ ſibi merita comparat, dum dicit Ita, divino auxilio, quod hic ei minimè deeſt cooperando. Hunc modum, & patiens, & adjutores continuare procurabunt, poſt brevia quædam intervalla eum identidem repetendo; hoc inprimis curantes, ut hi aſſenſus ex corde proveniant hoc namque pacto ipſa loquendi difficultas in ægro nonnihil alleviatur: ut dum vel Ita, ſolum dicit, tanto ei plus roboris, & commoditatis ſuppetat, ad affectum dictis applicandum.

Monitum.

Præter hanc quæ in actibus plus gratiæ, & gloriæ merentibus faciendis conſiſtit diligentiam, meminerit Lector, quando in extrema illa hora verſabitur, quoddam cum Deo pactum inire, tum pro illo quidem tempore, tum pro eo quo illos actus poſtea facere non poterit; quod quotieſcumque reſpirabit, ex toto corde ſe in ejus manus offerat, totum ſe, & per omnia in beneplacitum ejus reſignando; adeò ut hoc ſeipſum quodammodo ſit Domino toties ſacrificare, quoties halitum ducit.

Spiritualia moribundi Sacrificia, quae?

Ut vero ſpiritualia hæc ſacrificia majoris ſint meriti, divinæque majeſtati gratiora, ea cum illo ſacrificio conjunget, & uniet, quod ipſe Chriſtus Dominus obtulit, dum ſeipſum in monte Calvariæ ſacrificavit; ſupradictum illud pactum in hac ſui, & eorum quæ Chriſtus Jeſus paſſus eſt, & paſſionis, & mortis ejus unione faciendo, ut hoc modo omnia in oculis Dei majoris valoris ſint. In hoc item pacto uniet ſe cum Beatiſſima Virgine matre, necnon cum ſanctis patronis ſuis, cum omnibus denique aliis ſanctis, & juſtis, qui vel in cœlo vel in terra ſunt. Hicque reſpirandi modus in illa hora ei maximæ futurus eſt conſolationi.

Chriſti e cruce pendentis ſimulacrum manu teneat.

Meminerit præter hæc, infirmus aqua ſe luſtrali aſpergere, quin, & Chriſti in cruce fixi effigiem, nec non ardentem cereum in vivæ fidei, in qua mori vult, ſignum petere; jubeat adhæc ſibi ad collum aut brachium, benedictum aliquod numiſma, medaliam, vel granum appendi, ex illorum ſcilicet numero, quibus plenariam lucratur Indulgentiam is qui nomen Jeſu ore, vel ſi ore nequeat, corde, & animo pronuntiarit; atque ſæpiùs dulciſſimum hoc nomen, certæ ſalutis, quam & ſignificat, & promittit, ſpe concepta repetat. Monui infirmum, ut hæc omnia per ſe ipſe facere meminerit: nam etſi circumſtantium partes ſint, hæc ipſi providere, & curare, uti communiter fit; multò tamen laudabilius eſt, ut ipſe moriens ea ſibi miniſtrari petat, & in rebus hiſce tam piis, & ædificatoriis adſtantium diligentiam præveniat.

CAPUT VI.

Sextum proximæ ad mortem præparationis præceptum ipſa Sanctorum invocatio.

Sextum praeceptum.

MOrs vicina, & extrema neceſſitas, in qua ſe homo in illa hora conſtitutum comperit, eum cogunt, opem, & auxilium expoſcere eorum, à quibus tunc juvari queat; quales quidem ſunt Sancti omnes, at præſertim patroni, quos ob extremam qua ardent caritatem, credibile eſt in illa hora longè fideliores in ope præſtanda fore, quàm aliàs antè.

Quid morte imminente moribundus agere debeat?

Ut verò ordinatè procedat, primò cor ſuum ad Deum ſuſtollet, eum profunda quadam humilitate invocando, ac Jeſu Chriſti Domini noſtri ſanguini ac meritis innitendo, miſericordiam per eum ſibi petet præſtari, certa cum ſpe ejus conſequendæ. Meminerit verò ſæpius illam petitionem repetere, *per ſanguinem illum*; tum ipſa Domini ac Redemptoris illius merita, bene comprehendendo, tum parum illud boni, quod ipſe fecit, & id quod modò patitur, cum illius bonis, & paſſione conjungendo: itaque optimè ſperet, miſericordiæ ejus portas ſibi non occludendas. Magno deinde affectu & fiducia, Beatiſſimam Virginem Mariam invocet; conſiderando, illam eſſe matrem miſericordiæ, & ad afflictos juvandos propenſiſſimam, ſicut videre eſt ex innumeris miraculis, quæ erga infirmos à medicis deſperatos, & peccatores aliàs exhibuit: adeò ut eam Dominus & mediatricem, & magnarum quas facit miſericordiarum impetratricem conſtituiſſe videatur, volendo ut ad ipſam miſeri confugiant, quin ad ejus unius interceſſionem eas ipſe præſtare gaudet. Hac itaque de cauſa è profundo cordis ipſam cœli Reginam æger invocet, de ejus clementia nihil dubitans.

Angeli tutelaris auxilium implorandum.

Sequantur poſtea alii ſancti quos coluit, pro ut quiſque varios in vita patronos habuit: inter quos adnumerandus etiam venit Angelus ejus cuſtos, velut illius protector, & defenſor, cujus nimirum partes ſunt, animam, quam toto vitæ tempore tam fideliter cuſtodivit, & adjuvit, ad bonum terminum conducere. Demum opem ſervorum Dei implorabit, ipſos rogando, ut pro eo ad Deum orationem fundere velint;

Scrip. An. circ. 1612.

& ipſe à parte ſua pro peccatis ſuis divinæ juſtitiæ, ſi ſuperſtes maneat, ſatisfacere, & vicinam mortem in illorum ſatisfactionem offerens, ſupradictos Dei famulos rogabit, ut ſe per jejunia, diſciplinas, aliaque opera meritoria adjuvare dignentur, ad pœnæ purgatorii ſatisfaciendum: cùm certum ſit, unum A pro alio quopiam pœnitentiam poſſe facere, qua ſatisfaciat pro pœna, quæ in purgatorio ei erat ſubeunda. Hunc in finem bonum eſt aliquam in perſonas pias, & pauperes eleemoſynam erogare, ut eo libentiùs opera hæc ſatisfactoria pro ipſis ſuſcipiant. Notet autem Lector, quamvis patronos ſuos ea devotione, & perfectione non honorarit, ac coluerit, qua colere debuiſſet, non propterea ſe animo concidere, aut de eorum ope deſperare debere. Altiſſima quidem, & perfectiſſima Sanctorum caritas non ita, uti nos homines, (qui ob parvum, quo afficimur, aut obſequium, aut honorem moveri, indignarique ſolemus) movetur; ſed benignitate ſua, & benevolentia, noſtras tranſcendit imperfectiones. Ut taceam, in tam gravi B diſcrimine, & periculoſa alea, (qualis eſt hæc) etiam eum, qui minore eſſet caritate, ad compaſſionem commovendum erga eum, qui nullum ipſi obſequium præſtitiſſet: quantò verò magis is, cujus caritas tam abundans, & copioſa eſt, ad eum emovebitur adjuvandum, qui ſibi aliàs ſervivit, & honoravit, etſi non tam perfectè, & prout par fuit? Miſericordia namque noſtra, ceu ros quidam matutinus eſt, qui ſtatim ac radiis ſolaribus feritur, evaneſcit, & conſumitur: at miſericordia illorum, qui ſe cordi divino conformarunt, & configurarunt, tam vaſta & ampla eſt, atque aqua maris, tamque etiam admirabilis, noſtras ut imperfectiones non reſpiciat ad eas puniendas, ſed quam- C primum iis ſuccurrat, & reparet, & quidem liberalitate majori, quàm dignè ipſi poſſimus ponderare. Si verò Sancti hoc in nos affectu ſint, (utpote miſeriarum noſtrarum probè conſcii,) quo in nos affectu erit ipſe Chriſtus Jeſus, Dominus noſter, qui idcirco de cœlis deſcendit, ut uſu, & experientia labores noſtros addiſceret, ineffabilemque miſericordiam ſuam exerceret? Quamobrem qui hac ipſa hora intimæ compaſſionis ſpectaculum factus erit, certò confidat, & ſperet, à fideliſſimo ſe Domino ſuo non deſerendum, quando in extrema hac tribulatione ab ſe invocabitur. Qui verò moribundo aſſiſtunt, ad hoc eum excitare, & hanc de ſanctorum patrocinio, & ope fiduciam illi in mentem revocare ſtudeant: qui porrò inter hos præcipuus eſt, aliquot poſtea inter- D rogationes ad animam illam juvandam neceſſarias faciet, ut ita propria illi remedia applicet, prout ipſum moribundum opus habere viderit. Interrogationes verò hæ verſabuntur circa ſenſum, & affectum ejus interiorem; num, inquam, magnam ſentiat fiduciam in Deum, vel potius animi dejectionem; num aliquas dæmonis impugnantis moleſtias, an verò Dei favores; num tentationes circa fidem, ad deſperationem, impatientiam, odium Dei, blaſphemiam, vel aliam id genus tentationem. Ac ſecundùm quod æger reſpondebit, ita illi remedium ſuggerere conabitur, conſilia, & rationes accomodas ad hoc proferendo; de quibus in ſequentibus capitibus jam agetur. E

Animadverſio.

Miſericordia noſtra matutino rori comparata.

Quid aſſiſtentes praeſtare debeant moribundo?

CAPUT VII.

Septimum proximæ ad mortem præparationis præceptum, quo ſcilicet modo tentationibus circa fidem reſiſtendum ſit.

ANtequam de rationibus, quæ ad cor contra varias dæmonis tentationes communiendum neceſſariæ ſunt, loquamur, notet Lector, permagni referre, conflictus hoſce in tempore ſanitatis legere, & rationes à ſe ſibi imprimere, ut dum ultimus ille conflictus ineundus eſt, armatum ſe, paratumque inveniat. Notent ſimiliter ii, qui morientes juvant, plurimùm ſua intereſſe, eaſ- F dem in promptu habere, ad illas morientibus tum ſuggerendas, cum illi eas proferre nequeunt, rationibus tamen eos opus habere apparet.

Septimum praeceptum.

Ut verò à tentatione circa fidem, qua totam ſpiritualem animæ fabricam diabolus ſubvertere molitur, incipiam; primum, quod is qui ab hac tentatione oppugnatur, obſervare debet, eſt ut circa puncta, & difficultates, quas illi dæmon ſuggerit, multum ratiocinando diſcurrere non ſuſtineat; ſed contrarios potius actus, magna cum ſinceritate, & conſtantia incipere procuret, non pluris faciendo, quæ ſibi adverſarius tunc oggerit, quàm ſi vel ebrius, vel fatuus multa ſibi in aurem inſuſurraret. Doctrina hæc tum ſecuriſſima, & tutiſſima eſt, tum etiam convenientiſſima. Ejus porrò ſecuritas hinc ap- G paret, quod quando homo cum cacodæmone non diſputat, nec diſceptat, omnia, quæ ab hiſce diabolicis ſuggeſtionibus enaſcuntur pericula, planè effugiat. Convenientia etiam manifeſta eſt; nam cum hoc modo veritatibus Catholicis adhæret, & credit, eaſdem ſcilicet ſine ullis diſcurſibus profitendo, majorem partim in iiſdem acquirit ſoliditatem, partim gratiæ, & gloriæ ſuæ merita multiplicat. Proinde prudentiſſimus quidam contra dæmonem pugnandi modus ille eſt, cum magis magiſque ſe quis in aſſertionibus fidei ſolidat, eumque prout voluerit, loqui ſinit. Ponam hìc primò exemplum quoddam luctæ circa fidem, antequam eas rationes, de quibus ſuprà dixi, adferam, ut Lector ipſum conſideret, & per H eam impreſſionem, quam inter legendum ejus ſibi imprimet, eo poſtmodum ſuo tempore utatur.

Tentationes Daemonis contra fidem flocci faciendae.

Exemplum luctæ circa fidem.

Diabolus.

Quid facis fatue? quomodo in hac infidelitate tua mori cupis, dum nimis credulus, erroribus veræ fidei contrariis adhæreſcis?

Daemonis, ac morientis luctae circa fidem, exemplum.

Scrip. An. circ. 1612.

Moriens.

Credo, quidquid credit Sancta Romana Eccleſia, in cujus fide nullus eſſe poteſt error.

Diabolus.

A Quando verè hoc dicere potes, miſelle? non vides ad oculum errorem, quo te tui deceperunt; faciendo te credere, quod Deus, qui, (prout lumen naturale dictat) evidenter unus eſt, ſit trinus in perſonis?

Moriens.

Credo firmiter, Deum eſſe trinum, & unum, & pro veritate hac divina equidem paratus ſum mortem pati.

Diabolus.

Ecquæ hæc tua eſt cæcitas, hoc præſertim tempore, quo tibi mors ita proxima eſt? quid? negare vis veritatem, quæ adeo liquida, B & evidens eſt? quia quod unum tantùm eſt, non eſt trinum. Si Deus naturæ ſit auctor, non faciet ſanè homines credere contra unitatem ſuam, quàm ipſummet naturale lumen oſtendit.

Moriens.

Equidem certus ſum, Deum trinum, & unum eſſe. Recede ergo à me, pater mendacii.

Diabolus.

Ah miſer, quam procul à vera fide diſtas? quænam hæc tua in errore pervicacia eſt? Credo, ſi quam ipſe complecteris, fides tam vera ſit, quomodo ergo tam invicem repugnantia C docet, & quidem adeo evidenter, idque non in uno ſolum articulo, ſed in plurimis? Non vides intolerabilem illum errorem, quo perfectæ ſtaturæ hominem dicis in parva hoſtia, & centies minori quam ipſe ſit, contineri? Itaque amodo ad veram fidem tranſito.

Moriens.

Apage Satana: firmiter credo, Jeſum Chriſtum, Deum, & hominem perfectum, realiter in altaris Sacramento contineri; vitamque pro veritatis hujus divinæ confirmatione velim impendere.

Diabolus.

D Dicito mihi, quî fieri poteſt, corpus viri integrum hoſtia adeo parva contineri?

Moriens.

Vade Satana: firmiſſime Catholicam de reali Domini noſtri Jeſu Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ exiſtentia veritatem credo; & mille, ſi haberem, vitas paratus ſum dare.

Nunquam cum Daemone diſceptandum.

Hoc eſt exemplum luctæ circa fidem, quæ quidem omni in tempore utilis eſt, ſed maximè in ſupremo illo vitæ noſtræ articulo. Adeò ut cum tentatore, & diabolo nullo ſit modo diſputandum, & diſceptandum; ſed eo quo dictum eſt modo reſpondendum. E Quia tamen neceſſe nonnunquam eſt, eum, qui morientibus parum fundatis aſſiſtit, aliquas eis rationes ſuggerere, quæ univerſaliter Lectoribus omnibus prodeſſe queant, ſequenti eas capite viſum eſt proponere.

CAPUT VIII.

De proxima ad mortem præparatione, de rationibus ſcilicet, quæ hominem in fide confirment.

Veritas Catholica in Romana profitetur Eccleſia.

NUlla unquam in mundo tam bene fundata fuit veritas, nulla tam digna, quæ credatur, quàm eſt Catholica veritas, quam Romana profitetur Eccleſia, in Jeſum Chriſtum, verum Deum ac ſponſum ſuum credens, F omniaque gratanter, & libenter complectens, quæ huic ipſe ceu veritates quaſdam divinas revelavit: in quibus nullus ſubeſſe poteſt error, quod impoſſibile ſit, Deum, qui verus eſt, falſitatem, & mendacium aſſerere. Ut verò methodicè, & ordine certo hîc procedamus; in qualibet veritate conſideranda primò eſt dicentis auctoritas; deinde teſtimonium, quod de ea alii teſtes tam amici, quàm inimici ferunt, denique ipſiuſmet veritatis convenientia; & ex omnibus hiſce capitibus apparebit, Jeſu Chriſti Domini noſtri veritatem habendam eſſe ut veriſſimam.

Jeſus Chriſtus verae, fidei auctor.

Primum caput eſt ipſa Jeſu Chriſti, qui veræ fidei eſt auctor, auctoritas; quæ adeo quidem irrefragabilis eſt, ut, ſi ea ſecundum motiva, quæ ordinariè cujuslibet ſectæ auctorem G dignum fide faciunt, ponderemus, mirabili quodam modo intellectum humanum convincere videatur. Nam ſine ulla gentis, aut nationis prærogativa omnes omnino homines eum ut dignum fide tenent, qui ſapiens eſt, nobilis, & bene moratus: quod in aſſenſu ipſum lumen naturale ſequuntur, utpote credibilia eſſe dictans, quæ dicuntur ab eo, qui veram habet ſapientiam, nobilitatem & bonitatem: ſapientiam quidem, ad non errandum, nobilitatem, ut ad vilia, ſeque indigna non deſcendat, bonitatem denique ac ſinceritatem ad alios non decipiendos, ſed ad eos iſtius boni veritatis ſuæ participes faciendos.

Ejuſque Auctoritas quanta?

Ceterum, ſi tria hæc motiva ſpectentur, ipſa Jeſu Chriſti Domini noſtri auctoritas tanta eſt, ut, ſi etiam humanitus, & politicè eam H intueamur, eum digniſſimum faciant, cui credatur, & conſequenter ipſa Catholicæ fidei myſteria, quæ vivens docuit, & prædicavit, credibiliſſima reddant. Primò quidem, quantum ad ſapientiam, notiſſimum ac certum eſt, eum ut ſapientiſſimum habitum, & exiſtimatum fuiſſe, etiam ab iis, qui eum verum Deum eſſe negabant. Teſtantur quippe

Scrip. An. circ. 1612.

Evangeliſtæ, quantopere eum Doctores Legales, & ſcribæ admirati ſint, dum eos in templo ipſe duodecennis interrogaret, & hos ipſos de eo poſtea, cum eſſet provectior, dixiſſe, *Numquam ſic* in mundo *homo locutus eſt*. Idem faciunt, & aliæ hiſtoriæ, in quibus aliquod infinitæ ſuæ ſapientiæ ſpecimen patefecit. Hanc porrò ſapientiam non tam acquiſitam, quam via quadam ſuperiore, & divina in eum delapſam fuiſſe teſtantur illi, qui de illo dicebant, *Quomodo is litteras novit, cum eas non didicit*? Adeò ut mundus ex iis, quæ in Evangelio expreſsè notantur, verbis manifeſtè perſpexerit, eum verè ſapientem fuiſſe, ut nihil dicam de mirabilibus ejus, quas toties habuit, prædicationibus, in quibus ſcientiæ, & ſapientiæ Dei theſauri fuere abſconditi.

A

Chriſti ſapientia notata.

Ejuſque Regia ſtirps.

De nobilitate deinde ejus res nimis quam notiſſima eſt; quomodo nimirum ſtirpe regia deſcenderit apud populum illum, qui nobilitate, & prærogativa, & privilegiis Dei inter cæteras mundi nationes primas obtinebat.

B

Atque bonitas.

Quod ad bonitatem verò ſpectat, conſtat eum vitæ fuiſſe inculpatæ: quamvis enim certiſſimum ſit, inimicos eum crudeliſſimos, & in ejus calumniandi occaſionibus conquirendis curioſiſſimos, & oculatiſſimos habuiſſe; nihil tamen hi umquam in innocentiſſima illius vita reprehenſione dignum invenire potuerunt. Si ergo ſapientia, nobilitas, & bonitas, ob quæ apud omnes nationes quis dignus fide, & credibilis habetur, in Chriſto Jeſu Domino noſtro tam eminenter, & evidenter eluxere, ut illas mundus agnoſcere, & ad oculum videre, atque adeo contradicere iis non potuerit; ſequitur auctoritatem illius, non modò ob rationes divinas, verùm etiam humanas maximam eſſe; prout quidem mundus de quolibet homine, fide digno judicare ſolet. Si verò ita ſe hæc res habet, uti ſe revera habet, ſequitur, eum, cum SS. Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, aliaque fidei myſteria ipſemet prædicarit, pro quorum prædicatione etiam mortem paſſus eſt, indubitata quadam fide credendum videri. Atque ut ulterius etiam pergamus, ſi ad auctoritatem, quæ è tribus hiſce capitibus adſtruitur, evidentia etiam accedant miracula, quæ Dei approbantis ſigna ſunt, in doctrinæ ſcilicet hujus confirmationem facta; ſequitur, per divinas rationes, talem eſſe Jeſu Chriſti auctoritatem, ut ipſum quid dixiſſe ſufficiat, ut nos ad illud ceu veritatem divinam amplectendum obligati ſimus. Hæcce porrò per miracula confirmatio tam notoria, & evidens fuit, ut Judæi inito concilio, ſe invicem ſint ad vitam ei eripiendam cohortati, dicentes, *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? ſi dimittimus eum, ſic omnes credent in eum.* Quæ verba adeo potentia, & manifeſta ſunt, ut ipſi etiam cæci magnitudinem auctoritatis Chriſti ad oculum videre poſſint; cum & inimici ipſi fateantur, ſi ſic facere pergat, fore, ut totus in eum mundus crediturus ſit. Ut taceam, Principes ſacerdotum decreviſſe Lazarum ab ipſo reſuſcitatum de medio tollere, quod per reſuſcitationis ejus miraculum multi in Jeſum Chriſtum crederent. Atque ita Domini noſtri Jeſu, Chriſti qui veræ fidei eſt auctor, auctoritas comprobata manet. Circa quam Lector notet oportet, eum inter alia, quæ prædicavit myſteria, de ſeipſo dixiſſe, quod Unigenitus eſſet filius Dei, & quid unum cum Patre ſuo æterno, id eſt, unum eumdemque cum ipſo Deum. Ex hoc porrò principio ipſas aſſertiones fidei inferat oportet, ita ut nullas alias rationes quærere neceſſe ſit, quàm quod id ipſe dixerit, vel revelarit. Adeo ut ceu quemdam mirabilis ſapientiæ actum habeat (uti etiam revera eſt) cuicumque rei, quam Jeſus Chriſtus Dominus noſter docuit, credendo aſſentiri, idque ea tantum de cauſa, quod id ipſe ſic aſſeruerit, nullas præterea rationes ad hoc cupiendo. Quod quam communi hominum ſenſui conforme ſit, Chriſti auctoritate jam præſuppoſita, manifeſtè per hanc rationem probatur. Nullus omnino ſapiens eſt, qui imperitum aliquem idiotam non ſummopere reprehenſione dignum fateatur, eo quod alteri ſapienti, nobili, beneque morato viro, qui aliqua illi e Philoſophia aut alia quapiam ſcientia arcana declararet, minimè vellet credere, ſicque ſe quo minùs crederet, excuſaret. Nolo ea credere, niſi intelligam, aut rationem dictorum ſuorum ſingillatim mihi reddat. Idiota profectò hic merito culpandus eſſet, quia docti illius viri auctoritas ipſi rationis inſtar eſſe debet; ſapientiſſimeque faceret, ſi ei crederet, ea ſolùm nixus, nulla alia probatione quæſita. Quod naturali luci adeo conforme eſt, ut & ineptum, & indecorum ſit ab hujuſmodi hominibus eorum, quæ dicunt, rationem poſcere: Uti fieret, ſi quis Princeps apud plebejum rem aliquam aut hiſtoriam narraret, & hic ſimplici narrationi Principis aſſenſum præbere nollet. Cum verò veritates divinas quas Chriſtus prædicavit, adeo ſint ſublimes, & omnes ſimul homines, illius reſpectu, nonniſi infima quædam plebecula; quis non videt, maximè rationi conſentaneum, & obligatorium imprimis eſſe, ſumma firmitate iis, quæ ipſe aſſerit, credere, ita ut alias ad eorum confirmationem rationes non ſit neceſſe quærere? illius enim auctoritas omnibus mundi totius evidentiis, & rationibus potior eſt.

C

Chriſti auctoritas miraculis comprobata.

D

Joann. 11.

Joann. 12.

Jeſu Chriſti veræ fidei auctor.

E

F

Comparatio.

G

CAPUT IX.

De eadem fidei materia, in qua aliæ in ejus confirmationem rationes adducuntur.

H

Diximus, auctoritatem Domini noſtri Jeſu Chriſti, univerſa quæ ipſe olim dixit, longè credibiliora facere, quàm omnium hominum argumenta; reſtat jam, ut hæc ipſa credibilitas teſtibus confirmetur; qui, uti ſuperiori diximus capite, partim amici eſſe, partim inimici poſſunt. Incipiendo autem

Scrip. An. circ.1612.

Evangeliſtarum teſtimonium.

A

B

Catholicae fidei veritates indubiae.

C

D

Martyrum teſtimoina.

tem ab amicis, id eſt, benevolis, & tantæ ſinceritatis viris, ut non paſſione, ſed ſola veritatis vi moveantur, quatuor fide digniſſimos afferre hîc teſtes poſſumus, quatuor inquam Evangeliſtas; quorum hiſtoria tot rationibus, & talibus circumſtantiis communita eſt, quæ eam credibiliſſimam faciunt, ut nulla in mundo reperienda ſit ſcriptio, quæ quoad hoc cum ipſa comparari mereatur; etſi etiam univerſas Philoſophorum ſectas percurramus, quarum inventores ſuam poſteris mentem ſcripto conſignarunt, cui omnis humana illorum fides innititur, & fundatur; quod profectò inprimis expendendum eſt. Si enim ſapientiſſimos infidelium rogemus, quibus rebus ad credendum permoveantur, iis ſe hauddubie motivis dicent moveri, quibus error ipſorum ſtabilitur: ſi poſtea rogentur, quis horum motivorum ipſis notitiam ſuggeſſerit; qui inter eos plus ſapuerint, hæc lege ſua ſcripta aſſerent contineri, ipſos quoque ejus ſcriptores fide dignos eſſe, ita ſe denique per traditionem majorum accepiſſe; cum tamen ipſi hoſce adeo fide dignos, utpote qui mille, eoque amplius annis ante ipſos vixere, non cognoſcant. Hoc modo conſequenter reſpondebunt. Per hanc ipſam porrò conſequentiam evincitur, fidei Catholicæ veritates indubitata fide digniſſimas eſſe; cum etiam in novo teſtamento rationes habeamus, quibus Lector mirum in modum convincatur, uti poſtea dicemus, cum breviter ipſam vitæ Domini noſtri Jeſu Chriſti ſeriem proponemus. Fideliſſimum autem hujus ſeriei teſtimonium perhibent quatuor viri ita ſanctitate vitæ illuſtres, adeo ſapientia pleni, adeo per mundum celebres, ut vel nulla penitus in mundo veritas ſit credibilis; vel neceſſariò fatendum ſit, id quod tales ſcriptores unanimi conſenſu aſſerunt, veriſſimum eſſe, ipſa namque perſonarum ſapientiæ, & virtutis divinæ fama ad ultimos uſque terræ terminos pervenit. Veritas porrò eorum adeo invincibilis fuit, ut, quamvis per tot ſæcula illorum ſcripta examinata, & ab hæreticis calumnioſè ſuggillata ſint, nunquam tamen vel minimum in iis repertum ſit mendacium: Tanta quoque illorum fuit ſanctimonia, ut in hodiernum uſque diem illorum reliquiæ ſuperſint, quæ eos teſtentur eſſe ſanctos, & ut tales paſſim ab omnibus ipſi honorentur: quæ ſimul omnia faciunt teſtes hos omni exceptione majores. Unde, cum ipſi divinitatem Chriſti, myſterium quoque Incarnationis, tum alios articulos, quos Catholica Eccleſia profitetur, teſtati ſint; ſequitur fidei noſtræ veritates credibiliſſimas eſſe, ut ne minima quidem in iis erroris ſubſit ſuſpicio. Ad hanc amicorum teſtificationem illud quoque reduci teſtimonium poteſt, quod tot utriusque ſexus Martyrum millia eis reddidere, honores, opes, & voluptates, quas mundus tantopere ſuſpicit, proculcantium, & pro myſteriorum fidei confeſſione occumbentium. Quod non humano aliquo intuitu vel errore factum eſſe credendum eſt: cum enim inter eos multi eſſent & nobilitate, & ſapientia excellentes, qui pretioſiſſimis terræ bonis gaudere, & bonum à malo optimè diſcernere poterant, pro ea tamen confeſſione mori nequaquam dubitarunt; hac ipſa ſua reſolutione apertè demonſtrantes, ſe ſuperioribus quibuſdam rationibus ac divinis regi, & à veritatis divinæ potentia ad hanc adeo mirabilem electionem faciendam permotos fuiſſe. Sunt præterea, & infiniti alii teſtes amici, doctores, inquam, profundiſſimæ ſapientiæ, Confeſſores vitæ puriſſimæ, Virgines prudentiſſimæ, Anachoretæ vitæ Angelicæ, qui per tot ſæcula, & annos omnes Jeſu Chriſti veritates divinas crediderunt, & contra omnes rationes terræ fidei noſtræ rationibus ſe regi paſſi ſunt. In hoc porrò teſtium numero, qui videtur innumerabilis, fuit quidquid mundus habuit, & optimum, & nobiliſſimum, & ſapientiſſimum; neque verò ullatenus credendum eſt, ipſum terræ florem, in quo neceſſe eſt dicere, verum in aliqua ſaltem profeſſione Dei cultum eſſe, tam univerſaliter erraſſe; ſed univerſalem hanc commotionem, quæ multis ſignis ſupernaturalibus illuſtrata fuit, à ſpiritu Dei [illegible] eſſe. Hactenus de amicis; jam de inimicis loquendum reſtat, quæ ſane quædam confirmationis eſt ſpecies, quæ omni ſuſpicione vacat. Si enim ipſimet inimici Chriſtum honorent, & juſtificent, dicendum eſt, cum hi benevolentia ad bene de eo loquendum non moveantur, tantam veritatis vim eſſe, ut etiam hos ad denunciandam, & prædicandam compellat. Ut ergo ad particulares ejus inimicos veniamus: Pilatus dum eum iniquè morti adiudicavit, ſatis oſtendit ſe ejus amicum non eſſe; hic tamen ejus inimicus, publicè coram univerſa civitate Jeruſalem confeſſus eſt, nullam ſe in eo culpam invenire, eumque tum ut juſtum pronuntiavit, cum ſuas coram omni multitudine manus lavat. Quinimo hujus uxor eum admonuit, ut ſedulo videret, quid ageret, his ſcilicet verbis, *Nihil tibi, & juſto illi:* Quin, & inter inimicos illos, qui eum in monte Calvariæ ſupplicio extremo afficiebant, non defuit, qui eum juſtum, & filium Dei eſſe pronuntiavit. Ut taceam, Pontifices, & Phariſæos tot adverſus eum calumnias malevolè commentos eſſe, uti dum cæco nato oculos reſtituit, & in aliis id genus occaſionibus; qui cum nullam umquam in eo iniuſtitiam probare potuerint, efficaciſſimi juſtitiæ ejus teſtes fuerunt. Unde dicamus neceſſe eſt, ſi tam amici, quam inimici coniunctim eum juſtum eſſe pronuntient, & tam mirabilibus id operibus confirment; omnia, quæ ipſe dixit, vera eſſe: & cum inter hoſce teſtes tam multi aſſeruerint, eum verum fuiſſe Deum (quemadmodum è quatuor Evangeliſtis manifeſtè probatur) neceſſariò dicendum, quidquid ipſe, & dixit, & Eccleſiæ ſuæ ſanctæ revelavit, veritatem divinam eſſe.

E

Doctorum, Confeſſorum, Virginum, &c. teſtimonia.

F

Inimicorum teſtimonia Pilatus.

G

Pontificum, & Phariſaeorum teſtimonia.

H

Scrip. An. circ. 1612.

CAPUT X.

De eadem fidei materia in qua de convenientia veritatum fidei agitur, quæ in ſe conſideratæ, divinæ eſſe videntur.

A

CUM jam de tribus punctis Cap. octavo propoſitis egerim, reſtat quartum, ipſa inquam myſteriorum, & veritatum fidei, eas in ſe ipſis conſiderando, convenientia. Ante omnia verò Lector altitudinem ipſam, quam Dei nomen ſignificat, conſideret oportet: conſideret inquam ejus infinitatem, æternitatem, omnipotentiam, incomprehenſibilitatem, &c. Et hac conſideratione ſuppoſita, ſi vel aliqua diſcurrendi arte polleat, dicet myſteria, & veritates divinas verè altiſſimas, incomprehenſibiles eſſe debere. Quis enim, obſecro, ille futurus eſſet Deus, qui myſteria proponeret, quæ humanis poſſent rationibus comprehendi? Hauddubiè talis is Deus foret, quales ſunt dii Ethnicorum, id eſt homines falſo Deitatis nomine donati, quod amore, crudelitate, robore, eloquentia, agricultura, medendi arte, aut aliis id genus rebus excelluerint: nam ut tales eſſent dii, excellentiæ hæ ſufficiebant. Suppoſito autem, Gentiles hujuſmodi numinibus contentos fuiſſe, ideo neceſſe non eſt, exquiſita quædam, & alta myſteria conquirere, ſed id tantùm, quod quempiam in hiſce rebus, & artibus excellentem facere ſolet; ac proinde non eſt magnopere de arcanis quibuſdam, & myſticis, ad quæ humanum ingenium non pertingat, laborandum. Idem cenſeo de iis, qui Solem, Lunam, &c. adorant: quia horum numinum myſteria modica aliqua Philoſophiæ, vel Aſtrologiæ cognitione intelliguntur. At quis horum adoratorum ineptiam, veſaniam, & indecentiam non videt, quòd hujuſmodi myſteria, comprehenſibilia inquam, vero Deo aſcribant. Eſt profectò id indigniſſimum, utpote cujus turpitudo nimis quàm manifeſta eſt. Atque inde eſt quod ſapientiores aliqui Philoſophi apud Gentiles, facilè intellexerint, primam cauſam, cultum cui divinum attribuebant, infinitæ cujuſdam excellentiæ eſſe, nimis quàm procul ab illis Gentilium ignorantium indignitatibus diſtantis. Adeò ut per rationem naturalem boni Philoſophi norint, Deum infinitam quandam eſſe altitudinem, ſapientiam, potentiam, &c. ac multa eum efficere poſſe, quæ homines comprehendere nequeant. Quæ cùm ita ſint; ſequitur, myſteria, & veritates, quæ ſupra omnem Philoſophiam ſunt, quas altiſſimæ cujuſdam ſapientiæ conſilio Dominus revelavit, quò animas ad finem quemdam ſupernaturalem conduceret omnem hominum capacitatem tranſcendere debere, ut ſcilicet eas ita non comprehendant, ut naturalia conprehendant, ſed modo quodam ſupernaturali, & divino credant. Doctrina hæc maximi momenti eſt, ad conſtanter in fide permanendum. Nam cum validiſſima habeamus argumenta, quæ nos credere compellant, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum eas veritates, quas credimus revelaſſe; hinc eſt, quod anima non turbetur, ſi quando tantam poſtea in articulis fidei ſublimitatem invenit, ut ad eam nequeat pertingere, ſed ſe ipſa conſoletur, dicendo, *Ad firmandum cor ſincerum ſola fides ſufficit*; id eſt, ut planiùs explicem, quando aliqua in rebus fidei difficultas occurrit, (qualis verbi gratia eſſet, perfecti hominis corpus parva hoſtia conſecrata contineri) tunc Chriſtianus ſecum reputans, id fidei articulum, (id eſt, veritatem divinam revelatam) eſſe, ſtatim conqueſcit, & ſerenatur, ſibi ipſi dicendo, Deus hoc revelavit; eſt hoc quoddam ſapientiæ, & potentiæ Altiſſimi myſterium, quomodo ergo ipſum intelligere potero? ſi id intelligerem, non eſſet altitudinis divinæ myſterium. Tantò porrò id ego firmiùs credo, quantò minus id mihi videtur credibile; & in hoc me ex auctoritate Jeſu Chriſti guberno, qui cum ipſa ſit bonitas, non me poteſt decipere, cum veritas non poteſt decipi.

Divinae veritates altiſſimae, & incomprehenſibiles.

B

C

Philoſophi, quid per rationem naturalem cognoverint?

D

E

Veritates divinae a Chriſto revelatae.

Præſuppoſito itaque hoc ſeſe veritatibus Catholicis ſubmittendi modo, Lector veritatum D. N. Jeſu Chriſti ſeriem, & contextum videat, & ſolatio illi erit, ubi notarit res in ſeipſis divinum quid habere, & veriſſimum eſſe id, quod David de teſtimoniis Dei cecinit, dicens, *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*; tuæ inquam veritates, & myſteria. Ut autem à nativitate Jeſu Chriſti incipiamus, quis adeo futurus eſt cœcus, ut in ea ipſam Dei lucem non videat, quæ illum, qui modo tam extraordinario, & inaudito in terra naſcitur, verum Deum eſſe oſtendat. Quis umquam Rex terrenus in tanta gloria natus eſt, ut Angeli tam manifeſte canerent, & homines ad gaudium, & exultationem invitarent, puerum recens natum Salvatorem appellantes? Eſt autem hæc tam clara divinitatis Salvatoris Jeſu manifeſtatio, ut eum planè indubitata fide dignum faciat. Ulterius, quibus in hiſtoriis Magnatum terræ hujus reperitur, quòd ad aliquem ipſorum recenter natum, ut eum adorarent, & ut ſuperiorem recognoſcerent, Reges exteri venerint, quemadmodum Chriſto factum ex Evangelio diſcimus? Certè ille trium Magorum longinquis è regionibus ſtella duce adventus, tam admirabilis eſt, ut evidenter demonſtret, puerum hunc adoratum pluſquam Regem eſſe, & ſtellis imperare poſſe. Cumque nullæ aliæ naturæ regnare, & imperare aptæ ſint, quàm Divina, Angelica, & humana; certum deinde ſit puerum hunc non fuiſſe Angelum, & per ſolam naturam humanam eum, niſi aliud quid habuiſſet, nec ſtellas, nec regum corda emovere potuiſſe; ſequitur, eum verè fuiſſe Deum incarnatum: Quod etiam ex ipſis adorantium circunſtantiis confirmari poteſt: nam cum eſſent ſapientes, & Reges, puerum exterius quidem pauperculum, qui in ſumma rerum penuria agere videbatur, nullatenus adoraſſent, niſi divinam quandam virtutem, ſub corpuſculo

F

Pſal. 92.

Servatoris noſtri Divinitas ab Angelis teſtata.

G

Naturae aptae imperio, quae.

H

hoc

Scrip. An. circ..1612

hoc latitantem, & credidiſſent, & percepiſſent. Confirmatur id ipſum, tum per prophetiam Hieroſolymis palàm à legis peritis prælectam, tum per dona à Regibus illis oblata, quæ profundiſſimo quodam myſterio plena ſunt, ſicut ex myſtica eorum, quam Sancti Patres dant, interpretatione intelligere A licet. Ut autem ad ætatis annum duodecimum veniamus, quis umquam ejus ætatis puerum, ſine magiſtrorum opera, & ulla arte humana, in templo, tanta, & tam rara prudentia cum Doctoribus diſputantem, interrogantemque vidit? Negari non poteſt, quin in actu illo ſuperior quædam virtus eluxerit, quam ipſi credimus. Deinde ad id veniendo tempus, quo clariùs ſuam patefacere divinitatem cœpit, quiſquis doctrinam, quam prædicavit, & quæ fecit miracula, conſiderat, videbit ſanè ea talia non eſſe, quæ alii cuipiam virtuti, præterquam divinæ, queant attribui; quæ per illam humanitatem, velut per inſtrumentum quoddam cojunctum, ad mundum redimendum operabatur. Ut enim altiſſimam, & novo Filii Dei teſtamento dignam B doctrinam omittam, quis in Chriſti Domini miraculis modum adeo imperioſum, & divinum non videt, qui ſatis indicet, hæc eum propria auctoritate, ut verum Deum, patraſſe? Sanè illa maris alloquendi, & ut quieſceret imperandi ratio, item modus ille mortuis, ut ſurgerent jubendi, dicendo: *Adoleſcens, tibi dico ſurge;* uti factum filio viduæ in Naim; vel clamando, *Lazare veni foras;* uti coram Judæis clamavit, (ut alia plura omittam) ſatis indicant, eum in his ſe propriè, ut vitæ, & mortis, cæli æque, ac inferni dominum ac regem geſſiſſe: conſequenter etiam convincit, eum qui tam divinè operatur, fide digniſſimum eſſe. Quid porrò de mirabili vitæ ejus fine dicemus? Quid enim aliud ſolis obtenebratio, terræ tremor, petrarum ſciſſio, veli templi diſruptio, ſepul- C crorum apertio eo tempore, quo Chriſtus animam efflabat, ſignificant, quàm eum totius univerſi, quod ſcilicet in veri Dei ſui morte doloris ſui ſenſum oſtendit, Dominum eſſe? Quid item de reſurrectione, quam tot virtutis divinæ ſigna circumſtant, & comitantur, & quidem eo tempore, quo eam ipſe futuram prædixit, ut ejus abſcondi gloria minime potuerit? Ipſe deinde in cælum aſcenſus, quando ſcilicet, ut rerum omnium Dominus propria virtute ſe in altum libravit omnibus, qui præſentes aderant, ſuis corpus hoc oculis aſcendere videntibus; & mox duorum Angelorum, qui ſic eum, tamque manifeſte ad judicium venturum prænuntiarent, de cælo deſcenſus, an non evidentiſſima quædam divinitatis ſunt ſigna? Quid demum de iis, quæ D per Apoſtolos diſcipulos ſuos poſtea eſt operatus, qui ſine ulla potentia, aſtutia, vel eloquentia humana mundum converterunt, ab ardentiſſimo illo affectu, quo bona, & voluptates terrenas perditè conſectabatur, eum divellentes, & legem amori carnis, & ſanguinis, qui cordibus hominum imperabat, planè contrariam illi perſuadentes? Si verò divinam adeo Sacramentorum Inſtitutionem, continuam Rom. Pontificum ſucceſſionem. nequidquam frendentibus furiis infernalibus, Sanctorum Patrum graviſſimorum concordiam (qui etſi alter alterum non viderit, tam mirabili tamen conſonantia, & concordia Chriſti myſteria ſcripto conſignarunt) conſideremus, quid aliud dicere poſſumus, quàm E fidei noſtræ veritates certiores multò eſſe, quàm ſunt omnes Mathematicorum evidentiæ in mundi ſcholis tradi ſolitæ? Denique ut rem concludamus per id, quod hoc noſtro ſæculo fieri videmus, nimis quàm notum, & publicum eſt, etiam in hodiernum uſque diem rariſſimas quaſdam virtutes in Chriſtianis reperiri, & hac ætate noſtra quoſdam ſingularis ſanctitatis homines exſtitiſſe, qui cum priſcis illis ſanctis comparari mereantur, quorum etiam virtutes evidentiſſimis quibuſdam prodigiis teſtari, & confirmare Chriſtus dignatus eſt: quinetiam nonnullorum corpora uſque in hunc diem incorrupta, & integra conſpiciuntur, idque non incorruptione quadam artificiali, vel quæ naturaliter fieri queat, ſed incorruptione naturali, & fragrantia ſuaviſſima, quemadmodum doctiſſimorum F Theologorum, & peritiſſimorum Medicorum teſtimonio, & experientia conprobatum eſt. Quæ ſigna, ut demus divina quadam virtute fieri, negari non poteſt, quin illa fides veriſſima ſit, cujus profeſſores à Deo miraculis ſunt apertiſſimis, quæ divinitatis ſigna vel ſigilla ſunt, approbati. Paucis, ecce, de vita Jeſu Chriſti, deque fidei natura, & proprietate aliquid produximus, ut hinc Lectori manifeſtum fiat, quàm bene ſint quæ de Filio Dei traduntur myſteria, fundata, diſcatque, minimè ſibi eſſe in mortis articulo cum cacodæmone diſputandum; at ſatis ſibi eſſe debere, noſſe, Eccleſiam fidei Catholicæ arcana non aliter, quàm ut quaſdam Chriſti veritates proponere; & propterea ex toto corde iis adhæreſcendum. G Huic rei valde conducet, ſi ſupradictas illas rationes, dum adhuc rectè valet, interdum legat: nam præterquam quòd illa hora inſigniter juvent, certè in hac vita præſenti maximam homini conſolationem pariunt, dum ipſam veritatum divinarum correſpondentiam, & admirabilem credibilitatem conſiderat. Qui verò morientibus aſſiſtunt, præcipua harum puncta, uti ſupra indicavi, in promptu habere ſtudeant, ut illis, ſi quando hac in parte tentantur, & juvare ſe ipſi neſciunt, opitulentur, & ſuccurrant.

Jeſu Chriſti Servatoris noſtri miracula quoddam divinum praeſeferunt.

Romanorum Pontificum non interrupta ſucceſſio notata.

Nonnullorum Sanctorum Corpora incorruptione donata.

CAPUT XI.

Octavum proximæ ad mortem præparationis præceptum, modus inquam tentationibus deſperationis reſiſtendi.

H

Octavum praeceptum.

TAM atrox, & tam univerſalis eſt tentatio ac conflictus diffidentiæ, vel deſperationis, ut de hac materia, quàm de alia ulla fuſiùs propterea loqui cogar; hac intentione, ut quas adducam rationibus Le-

ctor,

Scrip. An. circ. 1612.

ctor cum tempore ſanitatis, tum etiam infirmitatis, frequentiſſime utatur: utpote qui tam ſpeculatione, quam certa experientia (quam in multis animabus obſervavi) novi, quanti non ſolum peccatorum, ſed etiam juſtorum interſit, fortiſſimam quamdam in Deum fiduciam habere, inque hujus virtutis A exercitium, cujuſvis conflictus tempore, etiam atque etiam intendere. Ratio verò, quæ efficaciter nos credere compellat, non peccatoribus tantùm, verùm etiam juſtis ipſum fiduciæ exercitium inprimis neceſſarium eſſe, eſt, quòd, cum ordinariè tam graves, & periculoſæ luctæ non obtingant, ut hominem eò extremitatis reducant, ut ipſe periculum in quo verſatur, advertat, & ab illo preſſus ad Deum ex toto corde, ſpei anchora firmiter apprehenſa, confugere diſcat; inde fiat, ut virtus hac rariùs, & languidè ſatis exerceatur; ac proinde in magnis tribulationibus, atque inprimis in illa extrema mortis, ipſi etiam juſti, parum bene in ſpe fundati inveniantur, & neceſſe eos B ſit magno quodam tunc conatu contra puſillanimitatem, & dejectionem, quam interdum tum ſentiunt contendere. Quapropter ſalutare conſilium eſt, ut tempore pacis quiſque ſe præparet in tempus belli, ita ſe gerendo, quaſi jam reipſa in iis verſaretur periculis, in quibus poſtea verſabitur. Ut verò doctrina hæc ſit efficacior, & magis conſolatoria, Lectorem præmoneo, me in iis, quæ de fiducia concipienda dicam, de ſceleſtiſſimo quodam peccatore loqui velle, cujus ſcilicet peccata ſint ſuper arenam maris multiplicata, ac revera deſperatæ ſalutis videatur. Si enim, quas afferam rationes, verè erunt ad talem quempiam conſolandum, & ut in Deo quam maximè fidat, emovendum efficaces; ſequitur, eas ad alios, qui tot pec- C cata non admiſere, multò etiam magis ad juſtos, qui ab omni peccato abſtinere ſatagunt, recreandos, & confortandos efficaces, & potentes fore. Ut autem eo hìc ordine procedam, quo in tractatu de fidei myſteriis, quoddam hic exemplum tentationis circa fiduciam afferam.

Daemonis, ac morientis lucta circa ſpem.

Exemplum tentationis ac luctæ circa fiduciam.

Diabolus.

Quid cogitas, infelix peccator? anne ſalvandum te putas?

Moriens.

D Spero in divinam bonitatem, me per merita Domini, & Redemptoris mei Jeſu Chriſti, ſalutem conſecuturum.

Diabolus.

In meritis Chriſti partem non habet, qui vitam ſuam omnem in peccatis conſumpſit. Quare ſceleſte, quantociùs ad tormenta propera.

Moriens.

Qui ad Jeſum Chriſtum, qui ipſamet miſericordia eſt, recurrit, ac confugit, infinitorum ejus meritorum particeps fit: proinde me miſericordiam ſpero conſecuturum.

Diabolus. E

Quid dicis, inſenſate? aliud tota vita non feciſti, quàm eum, dum potuiſti, offendere; & jam, quando ampliùs peccare nequis, partem in miſericordia ejus habiturum te ſperas, cùm jam ſolùm tempus ſit juſtitiæ ſuper te exercendæ. Ejadum veni ad ignem, quia damnatus es.

Moriens.

Etſi centies ampliùs quam offendi, Deum meum offendiſſem, certiſſimò tamen me ſpero miſericordiam, per infinitam ejus bonitatem, & per ſanguinem D. N. Jeſu Chriſti, inventurum. F

Diabolus.

Ecquænam illa tua præſumptio? Dic mihi, ſceleſte; an non ad oculum vides, hactenus te ut inimicum Chriſti Jeſu vixiſſe, & tot annis fuiſſe meum? quomodo ergo jam immutatus ſalvari vis, cùm aliud ſalutis non habeas arrham, & argumentum?

Moriens.

Firmiſſimè ſpero me ſalvandum; quia Jeſus Chriſtus Salvator mundi ſuæ nulli umquam ad ſe clamanti, miſericordiæ januas occluſit, etiam in ultima mortis hora.

Diabolus. G

Non vides, veſane, ſtatum in quo modò verſaris, utpote innumeris peccatis gravatus, & non tam ex amore, quàm ex timore pœnæ, & coactè Chriſtum te jam invocare? Ergo ad tormenta feſtina, o mancipium meum.

Moriens.

Multum peccaſſe me, fateor; ſed omnia peccata mea, cum remedio, & redemptione ſanguinis Jeſu Chriſti comparata, ſunt ceu guttula quædam aquæ in vaſtiſſimam flammam conjecta. Ego itaque ex toto corde meo hocce remedium invoco, magna cum ipſum conſequendi ſpe. H

Diabolus.

Quænam illa tua veſania eſt? hæreticus es; an ignoras, quod, tametſi remedium ipſum infinitum ſit, niſi bona opera tua inſuper facias, ſalvari nequeas? ubi verò hæc bona opera tua ſunt? Vides, nulla te habere: ita-

que

Scrip. An. circ. 1612.

que fruſtranea, & caſſa hæc tua præſumptio eſt. Veni ergo ad ignem.

Moriens.

Peccator ſum, fateor; ſed per bonitatem, & manſuetudinem Domini, ac Redemptoris mei Jeſu Chriſti me ſpero ſalvandum. A Ex corde intimo me pœnitet, me in eum offendiſſe, & ſi mille adhuc annis mihi vivendum eſſet, numquam amplius in eum offenderem: ipſe quoque breviſſimo hoc tempore, quod mihi reſtat, ita omnia mea accommodabit, ut per gratiam ejus, ſaltem aliquod in me opus bonum inveniendum ſit, ac præſertim vera, ac ſincera quædam converſio, per quam ſalvabor. Apage, ſubdole inſidiator, quia non dubito, quin viſceribus Jeſu Chriſti digna res ſit, ignoſcere, & ſalvare eum, qui ſic ipſum invocat; & in magnam ejus gloriam, & gaudium cedat id genus hominibus parcere, ut ſic infinitam bonitatem, & miſericordiam ſuam demonſtret. Recede à me, quia ſine ullo dubio ſa- B lute, & vita æterna ab eo donabor.

Ita nimirum confligendum iſti, qui in hoc tranſitu verſabitur, non verò animus deſpondendus, aut rationibus in contrarium faventibus, vel ſenſui directionis cedendum; ſed cor generosè ſuſtollendum, & leonis inſtar contra diabolum inſurgendum. Neque verò cogitet Lector, nuda tantùm hæc eſſe verba, ad eum animandum, & excitandum ſcilicet compoſita, perinde ac ſi ea in ſolida, veraque doctrina non fundarentur; aut hac in parte graviter erret: (nam hic illi error in hora mortis valdè noxius erit) quin potiùs ſibi perſuadeat, hunc cum dæmone pugnandi modum in veriſſima quadam doctrina fundari, atque adeò cordi Jeſu Chriſti rem ſe gratiſſimam facturum, ſi totus, & penitus ei innitatur, ſibique perſuadeat, peccato- C rum ſe veniam, & ſalutem æternam, quam ſpectat, conſecuturum, uti in ſequentibus capitibus videre licebit.

Contra Diabolum generosè inſurgendum.

CAPUT XII.

De efficaciſſimis ad confidendum in Deo rationibus.

TRactaturus de efficaciſſimis ad in Domino Deo confidendum rationibus, Lectori in mentem hìc revocabo, quod ſuperiori capite dixi; ſcilicet, propoſitum mihi eſſe, doctrinam hanc ſceleſtiſſimo alicui peccatori, qui nimirum enormia peccata ſua ſuper arenam maris multiplicarit, applicare: D rationes enim ſunt & concludentes, & ad eum ut fiducialiter, ac fortiſſimè confidat, emovendum efficaces, atque evidentes. Ut verò tractatum hunc, qui maximæ omnibus conſolationi futurus eſt, auſpicer, quamdam hìc ante omnia rationem examinabo, quæ omnium aliarum principium eſt, & fons. Eſt autem hæc.

Unuſquiſque libentiſſimè, & cum voluptate facit quod naturæ, & complexioni ſuæ conforme eſt; tunc verò id facit libentiùs, & lætiùs, quando illi offertur occaſio id, quod conditioni vel naturæ ſuæ conforme eſt, perfectiùs faciendi. Cum verò Dei naturæ conforme ſit, peccatoribus parcere: neceſſaria conſequentia ſequitur, cum magna ſua voluptate eis parciturum. Et altiùs E rem arceſſendo, ſequitur, cùm illi hujus miſericordiæ in ignoſcendo altiùs, & perfectiùs exequendæ repræſentabitur occaſio, majori fore ut eam voluptate, & delectatione exequatur. Adeò ut, quamvis ipſa divina eſſentia, vel natura nullum in lætitia ſua augmentum recipere queat, humanitus tamen loquendo, majoris tunc illi voluptatis occaſio offerri dici poſſit, quando opus ipſum naturæ ejus erit conformius. Ita ut ſi hoc augmentum gaudii aliquatenus recipere poſſet, hac certè in occaſione ipſum recepturus eſſet. Porrò cum divina natura ipſamet ſit bonitas, bonitatique proprium ſit, quòd ſui ipſius ſit communicativa; ſequitur ſanè ex iis illum rebus plus delectationis (eo, quo dictum eſt, ſenſu) capere, in quibus magis ſei- F pſam alteri communicat. Cùm verò ipſa peccatoris graviſſimi in gratiam admiſſio, cumque in momento amicum, ac divinæ naturæ participem, per divinæ ſuæ gratiæ infuſionem conſtituere, una de maximis, & eminentiſſimis ſit communicationibus, quæ excogitari queant; ſequitur, ipſum ignoſcere, (uti dictum eſt) rem eſſe, qua libentiùs nihil aut majori cum voluptate Deus peragat. Ex hujus autem rationis vi ſequitur, quò graviora erunt peccata, & plura numero, & quò frequentiores recidivæ, tantò illum libentiùs, ac gratantiùs peccata condonaturum; & ſi in naturam illam immutabilem aliqua cadere poſſet affectuum variatio, ac differentia, multò voluptuoſius illi fore graviora peccata dimittere, quàm minus gra- G via; & numero majora quàm pauciora; & poſteriori vice libentiùs, quàm priori. Hæc de prima ratione, quæ in ipſa divina natura fundata eſt, ſunt dicta; jam reliquum eſt, ut eam prout poſſum, pluribus deducam, & ponderem.

Peccatoribus parcere Dei naturae conforme.

Bonum ſui diffuſivum.

Ut verò ponderatio hæc dignè, & ſufficienter fiat, priùs ſuppono, animata quælibet eos libenter, & perſeveranter actus exercere, qui ipſorum ſunt inclinationi conformes; ſic aliquos interdum terræ hujus Principes videre eſt, vel venationi, vel agriculturæ naturali quadam propenſione deditiſſimos, & hiſce exercitiis tam ſtudiosè, & contentiosè vacare, ut eos cibi nonnumquam capiat oblivio, atque adeò ſomnus H ipſis gravis, & tædio ſit, unica verò voluptas per agros, & ſilvas infinito quodam affectu, & contentione diſcurrere. Atque ideo ſapientes terræ hujus, ſi quando rogantur, quid ſit, quod Princeps ille ita ſibi incommodet, horis præſtitutis cibum non capiat, raro dormiat, nec cum ſui æqualibus converſetur; ex ſuo judicio, & bene quidem, reſpondent, Princeps ille venatione

Inclinationis vis, magni ponderis.

Scrip. An. circ. 1612.

hic agricultura delectatur; perinde ac ſi dicerent: Nolite mirari, tam incommodè eum comedere, dormire, &c. quia venatio vel agricultura illius inclinationi naturali conformis, & conſentanea eſt, ideoque illis magna cum voluptate, & perſeverantia intendit. Adferre hìc & aliqua ex animalibus exempla poſſem, A in quibus mirabiles quaſdam videre eſt inclinationes: quædam enim nonniſi paſcuntur ſerpentibus, quædam ſemper virorem ſectantur, alia terram aridam quærunt, & ſingula id demum, quod conditioni ſuæ conforme eſt cum voluptate, & perſeverantia conſectantur; ut non in hominibus modò, ſed & in animalibus locum habeat illud, Voluptatis vis magna. *Trahit ſua quemque voluptas*. Si verò, & ipſa inanimata delectationis alicujus capacia eſſent, magnam hauddubiè in iis operationibus faciendis voluptatem ſentirent, quæ naturæ ipſorum ſunt conformes. Verbi gratia, ſi in ignem aliqua caderet delectatio, hauddubiè delectaret eum calefactio, & combuſtio, quod hæc inclinationi illius propria ſint. Ex hiſce exemplis intelligi poteſt, B quam voluptatem hauriat is, qui ex genio ſuo res facit, ſimul etiam ſenſus, & potentias habet, quibus hanc voluptatem percipiat. Neque verò opus eſt, multos è remotis regionibus teſtes, ad quotidianam hanc experientiam confirmandam accerſere, cùm nimis quàm notorium ſit, in materia etiam litterarum (puta Poeſi, vel Muſica) aliquos tanta animi applicatione in iis ipſis ſe occupare, quòd erga hæc exercitia inclinati ſint, & præ nimia contentione inadvertenter, & valetudinem, & cerebrum, & mentem amittant, quod delectatione hac nimis, & exceſſivè afficiantur; atque ideo hos exceſſus committunt. His annumerari poſſunt nonnulli, qui partim naturali complexione, partium effectu acquiſito, in laſcivum amorem, C convivia, & feſtiva ludicra, &c. non modò inclinati, verùm etiam paſſionati ſunt: in quibus tam inſolita, & extravagantia in exercitiis hiſce faciendis, & continuandis cernere effecta eſt, ut fidem prope ſuperare videantur, tanta etiam delectatione ac voluptate, ut aliud nihil agere, aut curare poſſe videantur. Ut autem jam ad propoſitum veniamus, & ea, qua oportet, reverentia ac decentia de divina Majeſtate loquamur, nulla fuit umquam rei vel inanimatæ, vel animatæ inclinatio, quæ ad eum inclinationis gradum, Bonitas divina ad miſerendum prona. quo divina bonitas inclinatur ad miſericordiam faciendam, pertingat. Nullus etiam mortalium ita unquam erga aliquam terræ delectationem fuit propenſus, & inclinatus, ut Deus Opt. Max. eſt ad miſerendum. D Nullus denique homo ita perditè erga voluptatem quampiam affectus fuit, ut cum illa inclinatione, qua ſummum illud bonum erga miſericordiam fertur, comparari mereatur. Licet omnes creaturarum inclinationes in unum conjungantur, & velut in magnum quemdam inclinationum ac propenſionum cumulum compingantur, numquam tamen ad illam Domini inclinationem pertingunt, qua ipſe eſt ad ignoſcendum, & ſuam homini gratiam, & gloriam communicandam inclinatus, quæ ſanè bona ſunt longè pretioſiora, quàm deſiderare homines queant. Si verò hæc ita ſunt, cur deſperet, & animum deſpondeat peccator debitis gravatus, & jam ad creditoris ſui tam libenter parcentis, E & ignoſcentis pedes proſtratus? An ſervus Servi nequam Evangelici exemplum. ille nequam, qui decem talentorum debebat millia, aliquam in ſua in gratiam remiſſione difficultatem invenit tunc, cùm coram Domino ſe proſtravit? An Publicanus eo tempore, quo ſe humiliavit, & miſericordiam poſtulavit? An denique Filius prodigus Filii prodigi. ea hora, quando ad patris ſuis benigniſſimi pedes jacuit provolutus? Hæc divinæ miſericordiæ magnalia non ſunt fortuitò, aut caſu ſcripta, ſed ſtudio, & deliberato Spiritus Sancti conſilio, ut hinc nimirum homines bene poſthac de infinita Dei bonitate ſentire, & bonam opinionem concipere diſcant. Ut etiam ulteriùs tranſeamus, norunt peccatores, vel unum ſaltem in mundo reperiri, non modò Chriſtianum, ſed etiam aliquando F Turcam, vel Gentilem, qui vel una gutta miſericordiæ, quæ à vaſto illo bonitatis divinæ mari in animam illam dimanavit, accepta, ita afflictis compatiatur, ut & inimicis ignoſcat, & adeo non eos malum quid pati videre ſuſtineat, ut etiam ipſe ad reconciliationem invitet. Adeo ut (quamvis rariſſimum ſit) aliquando tamen hinc inde aliquem in mundo invenire ſit, qui inſigni ab alio accepta injuria, Gravis injuria, quæ? (qualis eſſet contumelioſum aliquod verbum, vel alapa, vel vulnus) adeo de vindicta non cogitet, ut etiam injuriam inferenti benefaciat. Hunc ignoſcendi, & parcendi modum omnes admirantur, & celebrant, atque ut raram quamdam virtutem, & ſingularis excellentiæ homine dignam ſuſpiciunt. G Imò vix aliquem adeo duri cordis reperire erit, qui hoc modo quemquam alii ignoſcentem videns, non teneriore aliquo affectu commoveatur, inque actu illo virtutem quamdam ſuperiorem agnoſcat penitus admirabilem, etiam judicio illorum, qui Deum verum ignorant; ſicut veteres Romani hoc nomine laudantur, quod iis ſolenne, *parcere ſubjectis*, inque illorum jura tranſeuntibus. Si ergo hic ignoſcendi modus, ſine ulla de præteritis injuriis vindicta, ex communi hominum ſenſu, & judicio, ut nobile quid, ſublime, generoſis mentibus dignum, & univerſaliter ab omnibus laudatum habeatur, & ſubinde etiam in iis, qui Dei gratia deſtituti ſunt, reperiatur; quomodo ſibi peccator ante infinitam Dei Optimi Maximi bonitatem ſe proſternens, H & ab ea veniam poſtulans, perſuadeat fore, ut ſibi non ignoſcat? Quomodo ſenſus hic in Chriſtianum, fidei divinæ lumine illuſtratum, cadere queat? Cum Holofernes, Holofernes vera diaboli imago dictus. ſceleſtiſſimus mortalium, & immaniſſimus, & (paucis ut dicam) vera diaboli imago, in obſidione Bethulienſi, Judith viduam, etſi à partibus hoſtilibus profectam, ante pedes ſuos proſtratam cerneret, dixit ad illam.

Æqua

Scrip. An. circ. 1612.

Judith. 11. *Æquo animo eſto, & noli pavere in corde tuo, quoniam ego numquam nocui viro, qui velit ſervire Nabuchodonoſor Regi*. Tamquam ſi dixiſſet: Video, quidem, quam mihi Bethulia tua irrogavit injuriam, de illo tamen vindictam ſumere neſcio, qui ſe humiliat, & Regi meo ſervire ſe velle profitetur. Hunc A ſcilicet in ſe barbarus hic miles affectum ſenſit; qui etſi ſceleſtus eſſet, non tamen ita prava ac corrupta erat indole, ut non vel tantillum illud miſericordiæ, vel compaſſionis erga afflictos haberet. Unde univerſaliter de ſe confeſſus eſt, quod ſequitur: Ibid. *Populus autem tuus, ſi non contempſiſſet me, non allevaſſem lanceam meam ſuper eum*; perinde ac ſi diceret: Non ſine cauſa ad vindictam mei deſcendi, quam mihi inimici mei inferunt, injuria arma me ſumere compellit; econtra cum te humiliatam, & proſtratam videam, omnia oblivíſci, teque in gratiam cogor recipere.

Hic ſcilicet ſenſus erat Holofernis, circa quem à Lectore ipſe peto, ſi hoc miſericor- B diæ genus ipſi etiam ſceleſti erga eum, qui ſe humiliat, & commiſſorum pœnitet, exhibeant, quid non facturi ſint electi Dei, qui ipſam gratiæ ac miſericordiæ divinæ unctionem habent? Si autem electi, vel una cœleſtis roris guttula, ex participatione, quam habent cum divina natura irrigati, ſtatim ignoſcant iis, à quibus injurias accepere, non ſuſtinentes eos ad pedes ſuos proſtratos videdere, quid non faciet vaſtus ille bonitatis, Deus miſericordiae Oceanus dictus. & miſericordiæ, quæ in Deo eſt oceanus? cum qua ſi omnes juſti, & miſericordes, qui in terris agunt, comparentur, duri quodammodo, & immites dici queant. Certus itaque de venia conſequenda eſſe debet, qui bonitatem Dei cum humilitate invocat, ei- C que ſe ſubmittit, debiti ac reatus ſui magnitudinem agnoſcendo. At dicet quis; Veriſſimum quidem eſt, omnem creaturarum miſericordiam cum Creatoris miſericordia conferri non mereri; ſimul tamen conſiderandum eſt, non minus eum juſtum eſſe, quam benignum ac clementem: ac proinde, quis ſcit, utrum juſtitiæ manum non ſit exerturus tunc cum illum rogabo miſericordiam? Objectio hæc filiorum Adæ propria eſt, quia capaciſſima illa caritatis divinæ viſcera, ad ſua nimiſquam arcta, & anguſta quæque ſtatim in benefaciendo defatigantur, dimetiri volunt. Ut taceam, nullam hic prorſus difficultatem latere: neque enim Deus eſt ad illam juſtitiæ ſpeciem exercendam inclinatus, nec eam etiam ſolet exercere cum iis, qui tunc veniam, & miſericordiam illius expoſcunt, quamdiu adhuc miſericordiæ tempus eſt, id eſt, vita hac D præſente durante. Adeo ut quam ſibi fingit juſtitiam, is qui hanc objectionem facit, nunquam exerere Deus ſoleat in eum, qui ſeſe humiliat, & veniam ex intimo corde poſtulat; ſed eam quam poſtulat miſericordiam, quam fideliſſime præſtet. Atque adeo nullus inveniri in mundo poterit, qui miſericordia hac ex corde poſtulata, & remediis ad peccatorum veniam conſequendam inſtitutis utens, eam non obtinuerit. Quapropter has, ac ſimiles imaginationes vanas Lector diffidens exuat, & certiſſima concepta veniæ obtinendæ fiducia cor ſuſtollat; certuſque ſit, divinam bonitatem mirificè à ſe glorificandam, ſi ſine ulla trepidatione ei confidat; ſicut è contrario inprimis ei diſplicent illi, E qui aliquam in materia miſericordiæ difficultatem faciunt. Quod ipſemet Deus ſatis oſtendit in viro, facto ſecundum cor ſuum, Davide inquam: Quippe cum illi poſt rebellionem Abſalonis in Jeruſalem reverțenti quidam 2. Reg. 16. de domo Saul, Semei nomine, qui non multò ante contumeliam ei tum verbis, tum rebus intulerat, in via occurriſſet, & valde pœnitere ſe dictorum ac factorum oſtendens, ad pedes regios accidiſſet; & Abiſai Davidis patruelis de eo ultionem ſumere vellet; ad eum converſus David ait, *Quid mihi, &* 2. Reg. 19. *vobis filii Sarviæ?* (erat hæc Davidis ſoror) *Cur efficimini mihi hodie in Satan?* id eſt, cur me tentatis. Ac ſi apertius dixiſſet: ſinite me miſericordiam erga omnes exercere, nolite F mihi inſidias ponere, nolite inclinationem meam naturalem impedire: equidem volo parcere; atque ita fecit, juravitque ei mortem juſſu ſuo non inferendam. Conſideret ergo Lector hanc Davidis inclinationem, quamque graviter tulerit, quod ſui zelo vindictæ acti, miſericordiam ſuam impedire voluerint; ſibique ſimul perſuadeat, nullum in mundo Mathematicum dimetiri poſſe, quanta inter divinam miſericordiam ſit, & Davidicam diſtantia: hancque ipſe veritatem, eſſentiæ, & naturæ Dei conformiſſimam, tam in ſanitate, quam in infirmitate credens, quotieſcumque peccatum aliquod admiſit, magna cum fiducia ad eum accedat, & norit, magnam ſe ei ſic commiſſi veniam petendo, & hanc illi juxta dulciſſimam bo- G nitatem, & inclinationem ſuam quid faciendi occaſionem dando, voluptatem allaturum. Ut verò caput hoc ratione aliqua, ad animas conſolandas aptiſſima, concludam, conſideret Lector ſemper, quotieſcumque delictorum veniam poſtulat, à divina bonitate ſe ad eam petendam excitari. Si ergo eum Dominus ad veniam petendam emoveat, poteſt, & debet haud dubiè confidere, quod ei cupiat ignoſcere. Unde quoties Chriſtianus quoddam ad reconciliationem, & amicitiam cum Deo ineundam in ſe deſiderium ſentit, magnum ſanè confidentiæ motivum habet obtinendi id, quod poſtulat; præſertim cum poſtulatur id, quod nobis certiſſimò novimus convenire, & quidem quam citiſſimè; cum maxime conveniens, & con- H ſentaneum ſit, ne vel quadrante horæ extra Dei gratiam eſſe. Poſtulatio enim hæc non eſt, ut illæ de rebus indifferentibus, quæ neſcimus utrum nobis profuturæ ſint, an obfuturæ, uti ſunt vita diuturnior, facultates, filii, &c. Quocirca ita Lector ſibi dicat: Poſtulo rem, quam certò ſcio bonam eſſe, firmiterque credo, eam me inſtinctu divino impulſum petere (malignus quippe ſpiritus neminem ad peccatorum veniam petendam

Scrip. An. circ. 1012. movet) quin & convenientiſſimum eſt, ut eam quàm primùm habeam; ergo eam hauddubie habebo. Quòd ſi ita fecerit, atque ex toto corde miſericordiam Domini poſtularit, firmiter mihi perſuadeo, illum quidem magnum tempore eo, quo bene valebit, per hoc in via perfectionis progreſſum facturum; ſi A verò morti jam vicinus erit, contra mortis, & inferni incurſum mirificè confortandum, ut ad æternæ vitæ requiem tranſeat.

CAPUT XIII.

De eadem materia; de efficaciſſimis ſcilicet rationibus, quæ hominem commoveant, ut in Deo fiduciam concipiat.

QUÆ ſuperiori Capite adductæ ſunt rationes, in natura divina, quæ ipſamet bonitas eſt infinitè ad benefaciendum inclinata, fundantur; & omnem eam, quam habent, vim obtinent. etſi nec Dei Filius carnem humanam aſſumpſiſſet, nec ſeptem B Sacramenta haberemus, nec alia illa ſuppeterent auxilia, quæ ex Incarnationis myſterio proveniunt. Quia Dei bonitas ſemper eadem eſſet, eſto hæcce myſteria non eſſet operata: ac proinde & inclinatio ejus ad benefaciendum eſſet eadem, & qui ad eum recurreret, haſcæ ſui communicandi occaſiones illi præſentaturus, illa, quæ diximus, fiduciæ motiva, proculdubio inveniret. Mysterium Incarnationis notatum. Porrò præter firmiſſimum hoc divinæ bonitatis fundamentum, voluit Deus etiam opus illud plane admirabile facere; ut nimirum Jeſus Chriſtus Dominus noſter, in Beatiſſimæ Virginis utero incarnaretur, ac de cœlis deſcenderet, ad converſandum cum hominibus factus homo, & ut ſic ſpem noſtram excitaret; idque modo quodam adeò divino C & eminenti, ut ne ſupremi quidem Seraphini dignè eum queant expendere. Adeò ut æterno quodam æternæ ſapientiæ, bonitatis, & miſericordiæ conſilio decreverit Christus Frater, Magiſter, Pater, Mater, Redemptor, & Cuſtos noſter. Deus, ut Filius ſuus Unigenitus carnem humanam aſſumeret, & ita noſter fieret frater, magiſter, pater, mater, redemptor, & cuſtos (omnes enim hæ functiones in ſuaviſſimo nomine Jeſu, & in officio, vel myſterio redemptionis noſtræ comprehenduntur) ut nimirum de infinita ejus caritate homines ſecuriſſimi ſint, ita Incarnationis myſterium credentes, prout id credunt Chriſtiani. Quod & quotidiana illa, quam in Sacris facimus, profeſſione confirmari poteſt, nam in Symbolo fidei dicimus, *Qui* (Jeſus Chriſtus ſcilicet) *propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.* Circa quæ verba equidem flagitioſiſſimum D quemque pecatorem interrogo, num verba hæc credat, vel non? Si modò Chriſtianus ſit, dicet, ſe Catholica, & divina fide ea credere; alioquin enim Catholicus non foret. Si porrò Deum credat tam ineffabilis bonitatis ac miſericordiæ rem propter homines feciſſe, & tam præcordialiter, & viſceraliter eos amaſſe, ut ſcilicet Unigenitum Filium ſuum ad eos ſalvandos cælo dimiſerit; quomodo de ſalute ſua dubitare, ac Chriſtus, cur homo factus? deſperare poterit, ubi eam ab ipſo quàm ardentiſſimè petet? Reſpondeat, ac dicat mihi diffidens ille, quem ad finem Jeſus Chriſtus hunc in mundum venerit? Quid ergo facturus ſit, ſi non ſalvet eos, qui ad pedes E ejus proſtrati, ſalutem ab eo quàm enixiſſimè efflagitant? Quos demum peccatores ſalvos faciet? Sequentem itaque rationem, & argumentum Lector expendat. Decretum illud, quo ſtatutum eſt, ut Unigenitus Dei Filius ad homines ſalvandum homo fieret, non ad noſtram eſt inſtantiam, & preces factum, ſed ideo dumtaxat, quia ipſa per ſe divina bonitas ad hanc infinitæ perfectionis ſuæ demonſtrationem faciendam propendet, infinito quodam modo ſeſe communicando; dum nempe facit, ut homo verus eſſet Deus, & nos hominis hujus fratres facti, aliquam cum divinitate ipſius affinitatem haberemus. Porrò ſi Deus per ſe, id eſt, nec rogatus, nec compellatus, nos ultrò prævenire, & à pec- F cato liberare voluit, quomodo dubitare quantumvis maximus peccator poteſt, quin, ſi modò poſtulet, & roget, poſtulatorum futurus ſit compos? Dicendum profectò, dæmonem homines quàm maxime excæcaſſe; Hominum caecitas, unde? quòd cum tam efficacia fortiſſimæ fiduciæ habeant argumenta, adeo tamen ſine omni ratione, imò contra, & præter omnem rationem diffidentes, & puſillanimes ſint. Sed ulteriùs jam in hoc myſterio excutiendo progrediamur; quod ſanè ſuaviſſimas quaſdam, ac mirificæ conſolationis lacrymas nobis deberet excutere; ſicut olim eas Auguſtino, ſub initium ejus ad veram fidem converſionis excuſſit, ſicut his de ſe ipſe verbis eſt teſtatus; *Nec ſatiabar illis diebus dulcedine mirabili conſiderare altitudinem conſilii tui ſuper ſalu-* Lib. 9. Confeſſ. c. 6. G *tem generis humani. Quantum flevi in hymnis, & canticis tuis, ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter.* Talis ſcilicet cujuſlibet peccatoris eſſe deberet affectus, quando convertitur, & ad Deum clamat, ut nempe minimè dubitet, quin conſecuturus ſit id, quod poſtulat; ſed ſpei ſuæ, in admirabili illa Filii Dei fraternitate fundatæ, firmitate ſe oblectet. Ut verò myſterii hujus potentiam ac vim ulteriùs extendam, dicat mihi Lector, quid ſibi hic providentiæ adeo reconditæ, & copioſiſſima dulcedine tam refertæ modus velit; ut ſcilicet Jeſus Chriſtus in mundum in carne noſtra venerit, non Chriſtus, quanta paſſus? tam ut temporale regnum adiret, quàm ut tot inauditas miſerias, tam atroces dolores, tam intolerabilia probra, & improperia pateretur, ut cœlos ſimul, & terram in admirationem rapiant? Si Deus ordinarias quaſ- H dam miſericordias ſolùm vellet facere, ad quid tam extraordinariæ dolorum, & tormentorum, ad ſalutem noſtram operandam adinventiones opus erant? An non videt Lector, quantumlibet cæcus ſit, hæcce Dei magnalia magnas etiam quaſdam miſericordias polliceri, ut ipſæ etiam petræ adverſus peccatorum incredulitatem, ac diffidentiam clamare videantur? Eſt ſanè mirum, & peregrinum, quemcunque peccatorem interrogatum, num quando fidei oculis Chriſtum Jeſum in cruce Patrem ſuum clementiſſimum pro crucifixoribus ſuis orantem videt, paſſionem hanc, & merita infinita pro ſe eſſe, & pro ſe Redemptorem ſuum pati credat, dicere, ſe id quidem credere, in ſpe tamen A veniæ peccatorum, quam petit, conſequendæ adeo vacillare. O ſtulte, & tarde corde ad credendum, quouſque de viſceribus miſericordiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti filii Dei, qui te ſanguine ſuo redemit, dubitabis? Sed dicet diffidens peccator: Fateor equidem, Dominum Jeſum pro me paſſum eſſe; ſed ſcio, non pro me ſolo: proinde neſcio, an ita facturus ſit mecum, ac cum aliis, quos amiciores, & magis intimos habere videtur, fecit. Objectio hæc nimis quàm multùm ab omni pietate diſtat, & propria eſt ejus, qui amorem, quo pro unoquoque hominum Chriſtus paſſus eſt, non intelligit. Pro unoquoque namque noſtrum is modo quodam miſericordiæ adeo copioſæ paſſus eſt, tanquam ſi hujus unius illi ſalus ſolum procuranda eſſet. B Adeo ut quilibet ſingillatim peccator, quando ſcelerum ſuorum veniam poſtulat, ſic ſecum ratiocinari, & diſcurrere queat: Jeſus Chriſtus paſſus eſt propter me, ita quidem, ut omnes ejus dolores, & merita ſint propter me, & ne vel unam mihi ſanguinis Chriſti guttam, minimamve paſſionem, omnium qui ſalvantur ſalvatio eripiat, ſed pro me uno, ſuo ipſe totum ſe Patri verè obtulerit. Supponamus autem, neminem aliorum omnino, me dempto, ſalvari (cum de meritis ejus, & ſanguine plus illi mihi non auferant, quàm ſi plane non ſalvarentur) & Jeſum Chriſtum, me ad pedes ſuos proſtratum videndo, Patri ſuo ſic dicere: Cum ſola hac anima, Pater, miſericordia utere: ego infinitè pro ea, (ut ipſe noſti) paſſus, & C meritus ſum, & ſatisfeci, unius tantùm animæ ſalutem rogo, peccata illi ſua ignoſce, gratiæ ſalutem, & æternam gloriæ vitam illi concede. Dicat mihi Lector, num hoc in caſu certiſſimò ſe confideret impetraturum quod poſtulabit? dicat ſaltem, an tunc de eo dubitaret? Sed quid hìc aliud dicere poteſt, quàm infinita quadam fiducia ſe id ſperaturum? Si porrò tali modo eo in caſu faceret, intellectum, quæſo, ſibi obſcurari non ſinat; ſed cùm videat, ſe (quantum quidem ad eſſentiam ejus, quod ſua intereſt ſpectat) in eodem plane caſu eſſe, confidat, & in ſpem ſe erigat, ut quidem efficaciſſima ratio id fieri jubet; ac cor ſuum ſuſtollat, paſſionemque, & merita Chriſti non in confuſo, & univerſali quodam modo; quaſi ad ſe non pertinerent, conſideret; ſed magna cum D generoſitate, & exultatione illa Apoſtoli Gal. 2. verba dicat; *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Non caſu autem, aut inadvertenter ſic Apoſtolus locutus eſt; nec hic ejus de amore, & morte Jeſu Chriſti pro uno homine ſuſcepta ſermo, tanquam ſi ſolum ipſum dilexiſſet, & pro ipſo ſolo mortuus fuiſſet, Paulina prudentia, & conſideratione indignus eſt. Nam idem alio loco generaliter loquens, ſic ait, *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis.* Epheſ. 5. Quid verò ſibi hæc in una, eademque re, (in amore inquam, & morte Jeſu Chriſti) loquendi diverſitas aliud vult, quàm quod ipſe verè, & pro omnibus ſimul, & E pro uno aliquo paſſus eſt, tanquam ſi pro unoquoque ſingillatim paſſus eſſet? Quocirca ſibi quiſque totum Jeſum Chriſtum tanquam ſuum, omniaque ejus merita, quaſi propria accipere poteſt, inque hac appropriatione particulari inſuperabilem quandam fiduciam conſtituere, quæ adverſus omnes tentationes, & furias infernales ſolida, & infracta perſiſtat. Hæc ſcilicet ſpes eſt, quam Apoſtolus Hebræis ſcribens, anchoræ comparavit: *Quam ſicut anchoram animæ habemus* Hebr. 6. *tutam ac firmam*: quaſi dicat; Spes noſtra non eſt inconſtans, aut facilè mobilis; ſed ſicut anchora ſcopulum, ac cautem comprehendit, navemque adverſus ventos, ac maris tempeſtates firmat; ita ſpes petram vivam (Chriſtum Jeſum) complectitur, & animam inter F vitæ hujus mutabilis, & mortalis undas ſolidat, ac defigit. Lector itaque totum Jeſum Chriſtum bene complectatur, eum ſibi arctiſſimè quodammodo adſtringens; &, dum delictorum ſuorum veniam rogat, eſto ea innumera ſint, & graviſſima, certò eam ſe, ſimul cum magna quadam gratiæ, & miſericordiæ Dei abundantia impetraturum confidat.

CAPUT XIV.

De eadem materia, id eſt, de rationibus efficaciſſimis ad confidendum in Deo.

EA, quæ duobus ultimis Capitibus dicta ſunt, adeò ſunt ad vivam quamdam G fiduciam generandam potentia, ut quid amplius Lector quærere non deberet, quàm ſe in iis fundare, & ſic omne à Domino ſibi bonum polliceri. At cùm divina bonitas in iis non ſteterit, ſed etiam ulteriùs proceſſerit idcirco nec me in illis hærere par eſt, & miſericordiæ ejus magnalia ſilentio involvere. Satis quippe Jeſu Chriſto non fuit familiariter cum hominibus agere, omnibus ſcilicet per prodigioſa opera ſua, & per adeò mirabilem illum vivendi, ac moriendi modum, ad ſalutem noſtram operandam, bene faciendo; niſi etiam, cum hominum & duritiem, & imbecillitatem optimè perſpectam haberet, altiſſimo quodam ſapientiæ conſilio provideret, ut in novo ſuo Teſtamento promiſſiones ſuæ tam conſtanter, aſſeveranterque ſcriptæ exſtarent, ut moraliter homines de ſua bonitate, & voluntate, H ad infinita cum ipſis miſericordia utendum promptiſſima, minimè poſſent dubitare. Unde in Evangelio quædam hinc inde loca, tam inæſtimabilem conſolationem ſpirantia legimus, ut neſciam, quomodo iis lectis vel auditis, diffidere adhuc homines poſſent. Hujus

Scrip. An. circ. 1612.

Luc. 11.

Comparatio.

jus generis ſunt illa Chriſti ad diſcipulos verba: *Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi?* Comparationem ac ſimilitudinem antè adduxerat hominis cujuſdam, qui, cùm hoſpitem nocturno tempore domo excepiſſet, nihilque, quod illi apponeret, haberet, amici domum adiit, panem petiturus; ſed cùm hic cum domeſticis omnibus jam in cubili ageret, alter tamdiu pertinaciter januam pulſavit, donec amicus moleſtia victus, de lecto ſurgeret, ac panem neceſſarium daret. Ad cujus importunitatis imitationem ſuos exhortatus, ſuadet, ut divinæ miſericordiæ fores inceſſanter pulſarent, & neceſſaria ſibi peterent. Quibus præpoſitis, tandem verba illa ſupradicta de patre terreno ſubnectit, quem ea crudelitate fore negat, ut filio panem petenti ſaxum quoddam ſit porrecturus. Quibus Chriſtus ſimilitudinibus animos nobis erigere voluit, ut nobis ſcilicet perſuaderemus, cùm clementiſſimum in cœlo patrem habeamus, illum, dum miſericordiam ab illo petimus, Juſtitiæ rigore in nos minimè animadverſurum. Ne quis verò de ejus ſenſu cuiquam eſſet dubitandi locus, ſuaviſſima illa verba adjunxit: *Si ergo vos cùm ſitis mali noſtis bona data dare filiis veſtris; quantò magis pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* Eſt hoc argumentum inprimis ad hominum duritiem convincendam efficax: nam pars illa, & ponderatio; *Cùm ſitis mali*, ipſam argumenti efficaciam valdè adauget, quaſi Dominus ſic dixiſſet: Vos defectum, & imperfectionem habetis, quæ benefaciendo contraria ſit; quòd ſcilicet non ſitis boni, id eſt, talem non habeatis bonitatem, quæ ſui ſit communicativa: nihilominus ea non obſtante bene facitis, & bona datis filiis veſtris; quid faciet ergo is, qui ipſamet bonitas eſt naturaliter ad benefaciendum inclinatiſſima, ſimul etiam eo nomine feliciſſima, quòd id ſine ullo ſui diſpendio communicet? O rem planè mirabilem, quòd Dei promiſſa homines non intelligant; ſed quòd, cum miſericordias à Filio Dei promiſſas poſtulant, ſe cum hominibus, qui æquè atque ipſi proprium commodum ſpectant, agere putent. Sed jam illa examinemus verba, quæ item apud S. Marcum Redemptor protulit; *Habete fidem Dei*, id eſt maximam; *amen dico vobis; quia quicumque dixerit monti huic, tollere, & mittere in mare; & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei*. Ac deinde ſubjungit: *Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis*. Verba hæc propriè ſunt quædam animorum imbecillium, & diffidentium confortatio, magnamque in omnibus Chriſtianis impreſſionem facere deberent. Peto enim, ſi univerſæ Chriſtianorum congregationi Chriſtus ſe ſpectandum dans, eodem aſſeverandi modo hæc ipſa verba proferret, quo prima vice ea protulit; quis noſtrum cor ſuum dilataret, ad fiducialiter in Deo fidendum? Quanta ſanè Chriſtus ratione vult, ut credamus, recepturos nos ea, quæ petimus! Verba illa, *Credite quia accipietis*, parvam noſtram fiduciam tacitè reprehendere videntur, quaſi ſic Dominus dixiſſet: Quid ſibi vult, o filii Adam, hæc parva veſtra fiducia? quid? adeone vobis difficile eſſet in Patre meo cœleſti confidere? Ergo poſthac in ipſo ſperate, & dum orationem facere vultis, magna quadam concepta ſpe ad eam accedite, qua conſequi ſperetis ea, quæ poſtulatis; & amen dico vobis, quòd certò ea impetrabitis. At quia Chriſti miſericordiæ finem non habent, ipſe, ut ſpem hominum magis accenderet, tam certum promiſſionis genus apud Joannem Evangeliſtam concepit, ut nihil ei videatur poſſe è contra opponi, dicens, *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*. Quibus in verbis notanda eſt illa repetitio, *Amen, amen*: quaſi ſi dixiſſet: Conſiderate, qua aſſeveratione vobis promiſſum hoc faciam, ipſumque magni facite; & certi eſtote, ſi Patri meo poſtulata veſtra in nomine meo facta obtuleritis, eum in concedendis iis, quæ poſtulatis, erga vos fidiſſimum, & liberaliſſimum fore. Quid verò ad hanc veritatis Dei promiſſionem humana diffidentia reſpondere poteſt, præſertim ſi & peccatorum veniam, & gratiam divinam poſtulemus; utpote ad quam communicandam ipſe Dei Filius ſanguinem ſuum, & vitam impendere non dubitavit? Cur ſibi peccatores in mentem non revocant viva illa, & penetrantia Chriſti Redemptoris noſtri ad Patrem ſuum verba, dum in cruce inter latrones medius penderet. *Ignoſce illis?* Si Pater æternus (quod ſumma cum reverentia dictum eſto) crudelis quidam tyrannus fuiſſet, ſanè ad anhelæ, & raucæ hujus vocis Filii Dei, qui velut ſui oblitus in extrema illa derelictione, & agonia ſua de peccatoribus tam anxiè laborat, & ſolicitus eſt, ſonum permotus eſſet; nos verò non credemus, hanc aliquam in ipſo impreſſionem feciſſe, cum ipſe Pater ſit miſericordiæ? Quænam hæc protervia eſt? quando tandem peccator Deo fidere incipiet? Sed dicet peccatoris nimis humana incredulitas; nimis quàm magnæ, fateor, ſunt divinæ promiſſiones, quibus ſe Chriſtus quodammodo obligare voluit ad peccatoribus ignoſcendum; ſed quid ego ſcio, an ad me hæc promiſſio, quo ad effectum, ſpectabit? Hæc ſcilicet peccati inſenſibilitas eſt, & cæcitas Chriſtiano quolibet indigna. Si Chriſtus aliquem ab univerſali illa promiſſione excepiſſet, aliqua fortaſſe objectionis hujus faciendæ cauſa videretur; ſed cum neminem ſingillatim ab ea excludat, ſed omnes omnino ei magna verborum claritate includat, & comprehendat, nullus ſic dubitandi videtur relictus locus, niſi fortaſſe iis qui, ſtudio, dataque opera ſuos divino lumini volunt oculos occludere. An non ſatis diſtincta, & expreſſa ſunt illa verba, *Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis?* Mox etiam quaſi reſpondens ei, qui fortaſſe peteret, an

A

B

Ibid.

C

Marc. 11.

D

Filiorum Adae fiducia parva.

E

Joan. 16.

E

G

Deus miſericordiae Pater.

H

Matth. 11.

Scrip. An. circ. 1612.

hæc promiſſio pro omnibus ſit, ſubnectit: *Omnis qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur*: ac ſi apertiùs dixiſſet; Ego voco omnes, neminem excludo, quin imò unicuique me miſericordiam ſpondeo facturum, ſi à me eam popoſcerit. Quibus è verbis, & ampliſſimis Dei promiſſis inferri poteſt, illum ſolùm miſericordiam non habiturum, qui eam habere non vult; illum ſolùm non accepturum, qui non petit; illi ſolùm non apertum iri, qui oſtium ſibi aperiri non poſtulat. Quocirca ſi quis peccatorum ſuorum veniam non habet, prorſus ille inexcuſabilis eſt, cum divinum ei auxilium ad eam petendam minimè deſit, & eam, ſi petierit, conſecuturus ſit. Quid igitur aliud hìc dicendum reſtat? Dicet fortaſſe peccator, permagnæ ſibi conſolationi futurum, ſi in particulari ſibi diceretur, quod Chriſtus omnibus in genere hominibus dixit, ut ſcilicet ipſe eum ſibi ſic dicentem audiret, *Si tu N. petas, accipies*. Sed hoc deſiderium ſupervacaneum eſt: tantundem enim eſt, mille ſimul hominibus dicere: Si petatis, accipietis, quantum unumquemque nominatim compellare, ac dicere: Si tu N. petas, accipies. Suppoſito autem id verè, ac realiter idem eſſe, propterea peccator inordinata quædam petere non debet; ſed ordinatiſſima illa Dei promiſſione contentus eſſe, quaſi ipſummet Chriſtum Dominum, ſuperiora illa verba ſibi dicentem, corporaliter videret, & ſi eam tantùm, quantùm extendi poſſe videtur, extendere velit, ipſum Sponſæ Jeſu Chriſti, Eccleſiæ ſcilicet ſanctæ ſenſum expendat, quæ tempore Quadrageſimæ, (quod propriè peccatorum converſioni deſtinatum eſt) quotidie verba illa, ex Ezechiele Propheta, quoad ſubſtantiam quidem, & ad ſenſum, quem ſpectat, confortatione, & conſolatione plenum, ſumpta repetit; *Vivo ego, dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur, & vivat*. Peccator, inquam, hæc verba, quæ vel adamantes duriſſimos emollire queant, expendat, ac conſideret, ſenſum illorum univerſalem eſſe, ita ut ne unus quidem peccator excludatur. Et cùm ipſam Dei majeſtatem, cujus vel ſimplex verbum infinita dignum eſt fide, jurantem audit, nolle ſe peccatoris mortem, ſed magis ut convertatur, & vivat, dicat: Non vult ergo mortem meam, ergo vult ut vivam, ergo ſi gratiæ vitam ab eo petiero, hauddubiè eam mihi dabit. Et proinde tot divinis ſponſionibus nixus, etſi omni quidem tempore, potiſſimùm tamen in hora mortis, ex toto corde ſuo ad Deum ſuum convertatur, vitamque æternam ab eo ſperet, perinde ſi chirographum quoddam, quo ſecurus eſſe juberetur, pretioſiſſimo Jeſu Chriſti ſanguine exharatum haberet.

Miſericordiam quis non obtineat?

A

B

Peccator quid petere debeat?

Quadrageſimale tempus, peccatorum converſioni deſtinatum.

Ezech. 33.

C

Deus, mortem peccatoris non vult.

D

* * *

CAPUT XV.

De eadem materia, id eſt, de efficaciſſimis ad confidendum in Deo rationibus.

MAgna quidem confidentiæ excitandæ motiva ſunt ea, quæ ſupra diximus, ac ſi cum iis, quæ ſequuntur, conjungantur, mirabilem quamdam hauddubiè in iis impreſſionem faciunt, qui illorum efficaciam piè conſiderare proponunt. Dici profectò non poteſt, quàm ineffabilem peccatori conſolationem adferat, quod Dominum habeat, qui ipſamet bonitas ſit ad bene faciendum inclinatiſſima. Pari modo, quod in Redemptorem habeat ipſum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui copioſiſſimè pro peccatis noſtris meruit, & ſatisfecit, demum quod fideliſſimas gratiæ ac miſericordiæ promiſſiones habeat. Sed ſi his inſuper addamus, quòd hæc ipſa beneficia per remediorum, ad peccatorum remiſſionem inſtitutorum, applicationem recipiat, hæc ipſa conſolatio, & ſalutis æternæ ſpes quàm maxime creſcit. Rogo namque Lectorem, ut dicat, ecquod de homine peccatore formandum ſit judicium, qui primò Deum ad peccatis ignoſcendum propenſiſſimum, deinde Redemptorem, qui infiniti pretii vitam ad ſui redemptionem impendit, demum fideliſſimas veniæ conſequendæ promiſſiones habet; ac præter omnia hæc ipſum Pœnitentiæ Sacramentum poſtea actualiter recipit, & omnem, quam poteſt, & novit hìc diligentiam adhibet, ſummopere deſiderans ſe Deo reconciliare: aut quod ſaltem de ea anima formari judicium poſſit, quæ & pium hunc affectum habet, & ſimul ſibi dici audit; *In nomine Domini, Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis?* Quid aliud dicere poteſt, quàm illam quidem & poſſe, & debere fortiſſimam quamdam omnigeni boni conſequendi ſpem habere: certum tamen ſe non eſſe, propterea illam delictorum ſuorum veniam obtinere: fieri enim poſſe, ut eas non adhibuerit diligentias, quæ ad Sacramenti gratiam recipiendam requiſitæ ſunt. Sed hæc objectio Chriſtiani animum nullatenus infringere debet, aut deiicere: quia non ſolùm magni peccatores certi non ſunt veniam ſe offenſarum conſecutos eſſe, verùm ne devoti quidem, & pii, qui vix ulla peccata mortalia, quantùm quidem meminerint, admiſerunt; cum certum ſit, neminem, communiter loquendo, ſcire certò, utrum in Dei ſit gratia, an verò in peccati mortalis ſtatu. Atque ideo quod omnibus commune eſt, non debet eſſe diffidentiæ motivum ei, cui tot ſunt in Deo confidendi motiva. Sed dicet peccator: Verum eſt; fateor, neminem mortalium ſcire, quo in ſtatu ſit; ego tamen plures timendi rationes habeo, quàm illi, quorum affectus purgatior eſt, quique tot, tamque gravia ſcelera non admiſerunt. Ad hoc reſpondeo, illam, quæ inter magnum peccatorem, & alios non ita magnos reperitur, differentiam nullam quantùm

E

Chriſtus abunde pro peccatis noſtris ſatisfecit.

F

G

H

Nemo ſcit an odio vel amore ſit dignus.

Script. An. circ. 1612.

tùm quidem ad remiſſionis peccatorum impetrationem, difficultatem facere : cùm quæ adductæ ſunt rationes, in omnibus omnino peccatoribus, magnis æquè, ac parvis, militent, & locum habeant; atque ideo hæc diffidentiæ non poteſt cauſa eſſe. Adhæc conſultum mihi non videtur, uti nec bonum, his timoribus parum utilibus locum dare, A præſertim in hora mortis; ſed potius in ſpem magis propendere : adeò ut, ſi peccator, cùm ſe Deo reconciliare prout oportet connititur, in aliquo debeat excedere, longè ſit in fiduciam, quam in metum ac diffidentiam nimiam propendere ſatius.

Morienti commendanda fiducia.

Ut verò ab hac animi dejectione eum liberem, quamdam hìc rationem proponam, quæ mirificè corroborare, & confortare poterit eos, qui eam noverint expendere, & ponderare. Eſt autem hæc : Non adeò difficile eſt, in lege gratiæ ſeſe Deo reconciliare, ac fuit olim in lege veteri : ſi enim qui aliquot peccatorum milliones commiſit, vel modica attritione de B delictis doleat (etiamſi veram, & convenientem contritionem non habeat) Sacramentum pœnitentiæ reipſa recipiendo, juſtificabitur, & Dei amicus fiet;

Attritio cum Sacramento pœnitentiae conjuncta ſufficit ad juſtificationem.

verbi gratia, ſi aliquis innumeris, & graviſſimis peccatis oneratus ad Pœnitentiæ Sacramentum ſe conferret, eſto filialem illum amoris erga Deum affectum, & veram contritionem non habeat, ita ut non purè propter Deum peccatorum ipſum pœniteat, ſed ob pœnas infernales, cum ſpe veniæ, & amplius non peccandi deſiderio, abſolutione accepta, cum Deo planè in gratiam redit, juxta doctrinam Concilii Tridentini.

Seſſ. 14. c. 4.

Dicat itaque peccator, num ſibi credibile videatur, graviſſimum aliquem peccatorem, cùm confeſſionem inſtituit, pœnas infernales ſaltem metuere, eſto Deum non amet? Dicet hauddubiè, id maximè credibile eſſe : hinc conſequenter ego illum rogabo, C cur cum hæc diſpoſitio ad peccatorum veniam per Sacramenti pœnitentiæ receptionem conſequendam ſufficiens ſit, ipſe fiducialiter in Deo non ſperet, quando Sacramentum hoc recipit, aut poſtquam jam recepit? Eſt profectò res mira, nos, cum tot ſpei motiva habeamus, in divina bonitate tamen confidere nolle.

Ceterum ut omnia rationum in prioribus capitibus adductarum capita in unum conglobem, vellem mihi ſuam maximus, qui in mundo reperitur, peccator mentem aperiret.

Deus bonitas infinita.

Dominus Deus infinita bonitas eſt, miſericordiamque erga peccatorem oſtendere, & peccatis ignoſcere illi quàm jucundiſſimum eſt. Stupendiſſimam deinde viſcerum miſericordiæ ſuæ demonſtrationem fecit, dum Fi- D lium ſuum unigenitum incarnari, pati, & mortem oppetere voluit, ut nos ſalvos faceret, & conſequenter peccata ignoſceret. Demum fideliſſimas, & liberaliſſimas peccatis ignoſcendi in Evangelio ſuo promiſſiones fecit. Dicat ergo peccator, num putet, eum & ſibi ignoſciturum? O rem mirabilem, reperiri in mundo vel aliquem, qui adhuc abjecto ſit animo, cùm tot ſperandi rationes, eaſque tam bene fundatas conſiderare queat! Non eſt tantummodo peccatum, ipſum deſperare, vel non ſperare; ſed & intolerabilis quædam veſania, vel fatuitas, adeò quidem Chriſtiano indigna, ut ne quidem nominari debeat. Quæ enim Chriſtus, ut nos de infinito amore ſuo, & voluntate ad nos adjuvandos promptiſſima certiores, E & ſecuros redderet, fecit, tam magna, & mirabilia ſunt, ut & languidos confortare, imò vel mortuos ad vitam revocare deberent.

Miſericordiae Dei ſpirituales notatae.

Miſericordiæ porrò ſpirituales, quibus utitur cum animabus ad ipſum recurrentibus, videri quidem à nobis nequeunt; ex iis tamen, quas erga corpora, dum in hac vita mortali ageret, præſtitit, bona ſumi conjectura poteſt de eo, quod intus inviſibiliter fiebat, cùm certum ſit, libentiùs multò ſpirituales eum gratias præſtare, quàm corporales, quod illæ majores ſint, & ejus bonitate digniores. Curavit leproſos, paralyticos, cæcos, mortuos ad vitam revoca- F vit, idque cum tot amoris indiciis, tantaque facilitate, ut quæ quoad has miſericordias in Evangelio leguntur, duriſſima etiam ſaxa emoveant. Credat ergo peccator, eſſe ſe unum de infirmis illis omni remedio deſtitutis, quos Chriſtus per divina quædam remedia ſanitati reſtituit, ſeque ei cum certiſſima ſalutis, & remedii obtinendi ſpe præſentet: ante enim ſol currere deſinet, & mare exareſcet, quàm Chriſtus tenebras illuminare ſinat ejus, qui ipſum invocaverit, vel copioſiſſimum gratiarum, ac miſericordiarum ſuarum fontem exſiccet. Gaudenter ergo, & intrepidè id ipſe petat, quod liberaliſſimus hic Rex tam libenter, tantaque ſua voluptate concedit, certiſſimòque peccatorum ſe remiſſionem, & tandem vitam æternam cum novi ac dulciſſimi teſtamenti ſui hæredibus habiturum confidat.

G

CAPUT XVI.

Nonum proximæ ad mortem præparationis præceptum; quomodo ſcilicet tentationibus odii Dei, & blaſphemiæ reſiſtendum ſit.

Nonum Præceptum.

DE nono præcepto tractaturus, quamdam præſuppono experientiam, quam in multis peccatoribus velut manu tangimus; quòd ſcilicet diverſos ob reſpectus Deum oderunt, quia nimirum non ſunt aut tam divites, & tam honorati, aut aliter fortaſſe habentur, quàm ipſi inordinatè contra divinam voluntatem deſiderant.

Peccatorum blaſphemiæ unde?

Ex hoc odio horrendæ naſcuntur blaſphemiæ, quibus hi peccatores furorem, & indignationem evo- H munt, quo in Deum feruntur; qui interdum tantus, tamque atrox eſt, ut, ſi poſſent, ſua illum beatitudine, & gloria privare vellent. Eſt hoc peccatum amori, quem tot titulis infinitæ Dei bonitati (tum quod ſit is qui eſt, tum ob gratias, & miſericordias, quas nobis præſtitit) debemus, oppoſitum. Atque ut hoc peccatum diabolo proprium eſt, & familiare, omni, qua poteſt vi con-

ni-

Scrip. An. circ. 1612.

Blaſphemia Dæmonis peccatum, & ei familiaris.

nititur, ut hanc etiam impreſſionem faciat in iis, quos huic tentationi admittendæ diſpoſitos videt; uti maximè ſunt illi, qui maximis afflictionibus, & deſolationibus opprimuntur. Senſus ergo horum pervertit, malignis ſuggeſtionibus ſuis eos ad cordialem quamdam malevolentiam, & odium inclinando, dicendo ſcilicet, Deum durè eos, A & crudeliter tractare, malè iis velle, eos ab ſe repuliſſe, reprobaſſe, aliaſque id genus impreſſiones illis ingerendo; ad hoc ut anima amaritudine obruta ſuggeſtiones has veras eſſe ſibi perſuadeat, & inſtar rabientis canis, in verberantem ſe vertatur, & inſaniat, verba quædam ſcandaloſa, ac divinam Majeſtatem dedecentia proloquendo. Quæ ſanè meræ infernalium ſunt voces, apud quos ſcilicet odium Dei per horrendiſſimas quaſdam blaſphemias perpetuò auditur. Hac de cauſa is, qui morti jam vicinus eſt (quando videlicet hinc anxietas tam ingens eſt, illinc dæmonis inſtigatio tam acris, ut taceam alias circumſtantias timoris mortis, judicii, & inferni, & varias aliunde tentationes) ſibi perſuadeat oportet, B hanc tot hoſtium invadentium oppugnationem nonniſi ad majus animæ ſuæ bonum à Deo Optimo Maximo inſtitutam eſſe, atque adeo ipſam magnitudinem laborum non eſſe certum reprobationis, vel iræ Dei ſignum, ſed potiùs electionis, & tractationis filialis argumentum, quemadmodum in illuſtriſſimis quibuſque tum veteris, tum novi teſtamenti ſanctis videre eſt. Hac doctrina præpoſita ipſius conflictus, & luctæ ſpecimen jam demus.

Dæmonis ac morientis lucta circa odium Dei.

Exemplum conflictus, circa odium Dei, & blaſphemiam.

DIABOLUS.

Quid facis, ò infelix homo ad portas inferi reducte? non vides quo te modo tractet C Deus, ut ſatis clarè pateat, te illi abominationi eſſe?

MORIENS.

Sum equidem de bonitate Domini mei ſecurus, & quod bene mihi velit, ſicut per tot beneficia, quæ mihi contulit, ſatis oſtendit.

DIABOLUS.

Anne hic tui tractandi modus eſſe benevolentiæ ſignum poteſt? quis ille tuus furor eſt? non vides illum te à ſe repuliſſe, ſicut & alios multos ſimilibus ſignis à ſe alias rejeciſſe conſtat?

MORIENS.

D Mentiris; non me repulit Dominus à facie ſua. Sed in gratia ejus eſſe me ſpero, quin & ærumnam hanc patienter toleratam, majoris mihi gratiæ, & gloriæ occaſionem, ac materiam fore.

DIABOLUS.

Quàm ô homo inſenſate deliras? Quid? non vides quam crudeliſſimè te divexet, & cruciet, ut inferorum pœnas, quibus jam adiudicatus es, te quodammodo prægustare faciat? Simplicitatem hanc exue, maledic Deo, & morere.

MORIENS.

E Laudo potiùs, & benedico infinitam Dei mei bonitatem, quòd me propter has pœnas, & mala a pœnis infernalibus conſervare velit.

DIABOLUS.

Quænam hæc tua inſenſibilitas eſt? ut bene ſcilicet velis ei, & laudes eum, qui te velut maledictum, & propudium tractat? maledic illi, & voca eum crudelem.

MORIENS.

Ex toto corde meo Dominum meum in hac agonia amo, ejuſque miſericordias cum omnium Angelorum, & hominum linguis, ſine fine cantare vellem.

Quomodo ſuperanda.

Exemplum hoc ſervire poterit omnibus iis, qui vel in ſanitate, vel morbo hac tentatione F exagitabuntur: ut verò eam ſuperent, auctor, & ſuaſor illis ſum. ut animæ ſuæ vires Deo applicare procurent, eſto magnam alioquin partis inferioris averſionem ſentiant; ita tamen, ut nullo modo ſe lædant. Nam unà cum his odiis averſionum, & maledictionis, quas dæmon cauſat, impreſſionibus, verus Dei amor, ac cordiales divinæ majeſtatis laudes in Dei ſervis conſiſtere poſſunt, & communiter etiam conſiſtunt. Sed ut anima ante ſupremum illum conflictum magno erga Deum ſuum amore afficiatur, utile fuerit rationes, quæ ad illum amandum & benedicendum juvant (de quibus capite ſequenti locuturus ſum) legere, & perpendere; hoc verò Caput concludam, ſi monitum quoddam iis, quibus morientes juvare propoſitum eſt, perutile futurum addero Eſt G autem hoc: Cùm dæmon in ultimo illo tranſitu morientes vexare maximopere ſoleat, ut prædam illam cupitam in caſſes ſuos pertrahat, ii, qui moribundis adſtant, ipſas morientium impreſſiones conſiderare ſtudeant.

Monitum pro iis, qui adſtant morienti.

Cùm ergo hos nec ſemetipſos juvare, nec contra adverſarium certare advertent, ſed in blaſphemias potiùs prorumpere; non eſt quod ſtatim his auditis turbentur, aut ſcandalizentur: quia ſæpe non ſunt deliberati moventium actus, ſed ſolius dæmonis impreſſiones; quare conſultum fuerit, aliquibus eum exorciſmis conjurare, ſub gravibus pœnis imperando, ut hanc morientis animam, & corpus vexare deſinat, quò liberè ſuum ipſe in extrema illa hora Creatorem & amare, & laudare, & invocare poſſit. Hocque H remedium ſubinde mirabilem quemdam producet effectum in breviſſimo illo tempore, quo pretioſiſſimi ſunt actus illi, qui fiunt in medio tribulationis, & horroris mortis, divinam bonitatem, & miſericordiam invocando.

CAPUT XVII.

Efficaciſſimæ quædam proponuntur rationes ad Deum & amandum, & laudandum.

Beneficium creationis, conſervationis, & redemptionis.

Comparatio.

CApitis hujus materia longè ampliſſima A eſt: ſed cùm me longè diffundere nolim, ideo eas hìc ſolùm rationes ſeligam, quæ unicuique magis propriæ ſunt, univerſalia illa puncta, ob quæ ad Deum amandum, & laudandum omnes obligati ſumus, omittendo: hinc de beneficio creationis, conſervationis, redemptionis, aliiſque univerſalibus amoris motivis hìc minimè ſum locuturus; ſed de iis tantùm Dei beneficiis cum quolibet agam, quæ ſe ipſe recepiſſe certò novit; inque iis rationes meas breviter fundabo. Ante omnia ſuppono, bonitatem, ſapientiam, pulchritudinem, altitudinem, majeſtatem, ſuavitatem Dei adeò eum amabilem, & laudibus dignum reddere, ut, quamvis nullum nobis umquam beneficium B feciſſet, nec facere deberet, eum nihilominus amare, & laudare in ſempiternum deberemus. Quod quotidiana quadam experientia, & exemplo probari poteſt: quiſque enim noſtrum in ſe ipſo notarit, quòd quando Principem aliquem, & nobiliſſimum, & pulcherrimum, & in converſatione jucundiſſimum eſſe tum videt, tum audit, ſtatim ad ei benevolendum occultè ſe ſentiat inclinari, etſi nullum ab eo beneficium, aut benevolentiæ compenſationem ſperet. E quo videre licet, illud amoris, ac laudis motivum non tam è beneficiis, cum nulla adhuc ſint, nec futura ſint, quàm ex ipſamet Principis illius amabilitate oriri. Quapropter cùm infinitam perfectionem, & pulchritu- C dinem Dei, fidei lumine perſpectam habeamus, deberemus profectò corda noſtra amori, & honori ejus penitus conſecrare, etſi nullum umquam ab eo recipere bonum deberemus.

Dei benignitas in peccatore.

His itaque præſuppoſitis, jam unumquemque ſingillatim ad praxin, quando vel tempore ſanitatis, vel in hora mortis ſe tentatum ſentit, compellemus; & à beneficio, quod in baptiſmo recepit, exordiendo, Lectorem eum, qui magnam hanc à Deo miſericordiam conſecutum ſe novit, equidem rogo, quid de magna illa Dei bonitate cogitet, vel judicet; quòd, cùm ipſe peccato originali infectus eſſet, uti & alii plurimi, tot aliorum millia in infinita illa miſeria manere paſſus ſit, ſe verò eduxerit, nuptiali gratiæ veſte eum circumdando? D Reſpondere mihi hic non poterit, hoc amoris motivum omnibus non minùs datum eſſe, quàm ſibi, cùm norit, tot nationes vel cum ſolo peccato originali, vel cum aliis multis actualibus inſuper commiſſis emori, & perire. Quid porrò Deus ſpectavit, dum ipſum particulari quadam miſericordia ab eo ſervavit, ex infeliciſſima illa Adæ hæreditate eum educendo, ac regni cœleſtis hæredem, Chriſti autem Domini cohæredem conſtituendo? Negare certè non poteſt, quin hæc præventio, quòd ſcilicet divina bonitas ſine ullo ejus merito id ei dedit, quod tam multis aliis negavit, ſtrictiſſima quædam ſit ejus amandæ, & honorandæ obligatio. Novit præterea, divinam hanc bonitatem, etſi gratia baptiſmalis jam perdita eſſet (uti ordinariè perditur) non propterea ab ei benefa- E ciendo deſtitiſſe; ſed ſemper, quotieſcumque ad ejus amicitiam per Sacramentorum receptionem redire voluit, tam affectuoſo illum amore in gratiam recepiſſe, quaſi ſi numquam in ipſam offendiſſet. Quod ſanè efficaciſſimus quidam illi ad amorem ſtimulus eſſe deberet; cùm hic bonitatis invincibilis modus, ſemper nimirum exſpectans, ut pacem ineat cum iis, qui in ipſum offendunt, adeò mirabilis ſit, ut nemo illi umquam reſiſtere, & obluctari poſſe videatur. Et ſi altiſſimum hoc beneficium Lector bene profundare, & exhaurire velit, dicat mihi, quid in cauſa fuerit, quòd illo tempore, quo in mortalis peccati ſtatu fuit, plenam morti, & inferno Dominus poteſtatem, ac F copiam non fecerit, ipſum ut abriperent, & in tartarearum tenebrarum abyſſum ipſum non detruſerit? cur infernalibus hoc ipſo, quo caput hoc legit, momento flammis non ardeat? Quis denique ſe præſervarit? Dicet; Præſervavit me divina bonitas, ſine ullis meritis meis, ſed ſponte ſe ad inæſtimabilem hanc miſericordiam mihi faciendam inclinans, quàm aliis multis, qui hoc in ſtatu mortui ſunt, denegavit. Quæ cum ita ſint, an non hic apertè ardentiſſimæ caritatis Dei erga ſe viſcera videt? ſi, dum eum non invocabat, imò ab ejus majeſtate fugiebat, liberaliſſimus hic Dominus eum ad ſe vocavit, divinæque caritatis vinculo cordi ſuo adſtrin- G xit; quid de corde illo Dei aliud præſumere poteſt, quàm ſe ab illo diligi, illudque paratum eſſe ad infinitam ſibi miſericordiam faciendam, propter quam ipſe viciſſim eum redamare, & fidelem erga ipſum habere animum debet? Si autem, & oculos aperiat ad conſiderandum, quid ſibi divina bonitas tacitè, occulteque præſtiterit, quàm ſcilicet frequentibus ſe inſpirationibus, & vocationibus interioribus ad gratiam, & amicitiam ſuam invitarit, reipſa comperiet, Dominum Deum non modò ſe amare, ſed adeò quoque ſe illi amabilem reddere, ut nullus pater, aut mater, aut ulla quæpiam creatura invenienda ſit, quæ ſic aliam blandimentis, donis, beneficiiſque ad viciſſim ſe amandum obligarit. Quid verò dicam de multis aliis beneficiis occultis, quæ ſi Lector diſtinctè, & ſingillatim noſſet, non poſſet H non ſummopere ineffabilem illam caritatem, qua ſuper animæ ſuæ cuſtodiam Deus vigilat, admirari? Quoties enim diabolum Deus velut refrenavit, & continuit, eum impediendo, ne in eum ſæviat, & ſuam erga ipſum immanitatem ac rabiem exerat? Quoties peccandi occaſiones illi amovit, in quas hauddubiè prolapſus eſſet, niſi ſua ipſum gratia præveniſſet? Quoties ab imaginatione

Scrip. An. circ. 1612.

ejus illa objecta removet, quæ eum proculdubio à divina amicitia abſtraxiſſent? Non poſſunt miſericordiæ Domini, quas unicuique noſtrum ſecretè exhibet, ad unam omnes enumerari, quamquam non deſint etiam multæ nobis notæ, quæ nos ad rectè de A bonitate, & benignitate ejus ſentiendum, & loquendum cogere videntur.

Puncta hæc utilia ſunt etiam in tentatione ad impatientiam.

Ut autem ad ipſum mortis angorem jam veniam, quando nimirum moriens exceſſivis doloribus, vel derelictionibus, aut aliis exercitiis quæ affligunt, opprimi videtur; ecquod tunc majus amandi dari motivum poteſt, quàm, cùm homini non multò poſt ad pœnas vel Infernales, vel Purgatorii deſcendendum ſit, pœnas illas commutare, ut ſcilicet infirmus, ſi quidem in ſtatu peccati ſit, ipſum agnoſcat, & ob id doleat, per hanc pœnæ temporalis recordationem pœnam æternam evadendo; ſi autem in gratiæ erit ſtatu, pro pœnis Purgatorii quàm breviſſimè, & paucis ſatisfaciat, & quàm citiſſimè ad æternam illam B requiem, ad quam conditus fuit, evolet?

Vulnera diligentis gratiora, quam oſcula odientis.

Jucundiora, & gratiora profectò ſunt vulnera diligentis, quàm amplexus, & oſcula odientis: qui enim amat, dum vulnerat, per vulnus hoc læſo ſanitatem afferre ſtudet; at qui odit, ſuis blandimentis, & illiciis, enecare. Si immenſum illum amorem, quo ipſum Deus proſequitur, homo prout oportet intelligeret, illi vel ſuperiorum ſaltem beneficiorum experientia convicto labores, morbi, tentationes, ipſa denique mors amoris incentivum eſſet, & medias inter tribulationes miſericordias Domini cantaret; ſi ad hæc affectum, modum, & circumſtantias, quibus ſemetipſum Jeſus Chriſtus Dominus noſter pro ipſius ſalute in victimam tradidit, dignè expenderet; nec non modum, quo toties illi ſe in Sacramento Altaris C univit; animi quoque præparationem, qua illum ad beatiſſimum laborum ſuorum finem conducere deſtinat, modò ſuæ ipſe gratiæ cooperari velit; nullum profectò tentationes odii, & blaſphemiæ illi damnum inferrent: non quòd iſthæc amoris motiva conſideranti hujuſmodi tentationes non occurrant, utpote quæ etiam ſubinde exagitant eos, qui ex toto corde, & intimè Deum amant; ſed quòd per illas tentationes nihil omnino diabolus lucretur, ſed potiùs multum deperdat, magno ſuo & dolore, & verecundia.

Monitum perutile.

Lector ergo Dei bonitatem, pulchritudinem, ſapientiam, & amabilitatem cordi ſuo imprimere omnimodis allaboret; conſiderando primò id, quod ipſe in ſe eſt, ac deinde ad illius deſcendendo opera, ſibi perſuadeat, nunquam à tam ineffabili bonitate, & ſapientia res aliquas inordinatas, & ad creatura- D rum ſuarum exitium ſpectantes, ſed potiùs quæ ad illis benefaciendum conducunt, emanare; cùm bonitati proprium ſit benefacere, & eo ipſa delectetur. Hacque vera perſuaſione motus, labores, & afflictiones corporales, ceu quædam exercitia ad animam purgandam, ad pro peccatis ſatisfaciendum, & ad nova gratiæ, & gloriæ merita acquirenda deſtinata excipiat. Et licet à maligno ſpiritu horrendis quibuſdam ſuggeſtionibus divexetur, non propterea filialem ſuum affectum perdet, ac conſequenter abominabiles illos ſenſus ac motus magno merito ſuo expugnabit, & ad hæreditatem filiorum Dei admittetur. E

CAPUT XVIII.

Decimum proximæ ad mortem præparationis præceptum, quomodo videlicet tentationibus ſcrupulorum reſiſtendum ſit.

Præceptum decimum.

IN Capitis hujus initio quamdam veritatem præſupponere neceſſe eſt, quam magiſtri ſpirituales veriſſimam eſſe docent, ſcilicet, ſcrupulos in hora mortis, præterquam quòd moleſti ſint, etiam valde periculoſos eſſe. Quia cùm ex amore proprio, & quadam de Deo diffidentia naſcantur, animam à præcipuis illis actibus, quos in breviſſimo illo tempore facere debet, divertunt, & F ſpem multùm labefactant, ut vix conſcientiæ ſuæ, ſi illis auſcultet, moriens plenè ſatisfacere queat, & credere ſe tunc ea confiteri teneri.

Scrupuli contemnendi.

Unde ſervi Dei eos dum adhuc vivunt contemnere aſſueſcere deberent, multos fiduciæ actus contra vanos illos timores concipiendo, ne in hora mortis, quando planè id eos facere neceſſe eſt, ceu mortui, & ad actus illos, qui tanti momenti ſunt, tantamque conſolationem adferunt, producendos inepti inveniantur. Novit Dominus inſufficientiam noſtram, nec curat apices, uti ſibi fingunt ſcrupuloſi. Longè proinde ſalutarius, & prudentius conſilium eſt, magis in fiduciam, quàm in timorem in illa hora propendere, quando ſe homo ab illis minutiis vexari ſentit, quaſi hoc, vel illud G peccatum non ſit confeſſus, neu cum hac, vel illa circumſtantia. Quocirca poſtquam ſemel confeſſus erit, & ei Confeſſarius, ne ampliùs de ſimilibus rebus cogitet, vetuerit, ſecurus ſit, inque divina bonitate confidat, ſe, dum illius qui Dei partes ſupplet, judicio nititur, non erraturum. Cogitationes illas ſcrupulorum non aliter à ſe repellat, quàm ſi tentationes forent contra caſtitatem, perque fidei rationes ſe gubernare conetur, voluntariè ſe excæcando, quò majori cum perfectione Dei voluntatem adimpleat.

Dæmonis & morientis lucta circa ſcrupulos.

Exemplum luctæ, & conflictus circa ſcrupulos.

DIABOLUS.

Quomodo infelix homo ita mori cupis, non facta integra ac perfecta confeſſione?

MORIENS.

H Confido in Deo, & ſpero, me meo per ejus gratiam hac in parte debito ſatisfeciſſe.

DIABOLUS.

Quid? itane palàm ac manifeſtè te damnare vis? non recordaris peccati illius, & illius, quod tali feciſti loco, & quod nondum confeſſus es?

Scrip. An. circ. 1612.

Moriens.

Feci per Dei gratiam, quod facere debui: non ampliùs de illo cogito: quia ita me facere docuit is, qui Dei loco eſt.

Diabolus.

A Inſenſate, non vides illum nimis quàm gravem errorem? ſi quidem eſſent ſcrupuli, conſultum eſſet de iis non cogitare, at, quando res certa eſt, uti hæc, nemo te ab confitendi obligatione eximere poteſt. Quare attende modò rebus tuis, & conſcientiam tuam examina.

Moriens.

Apage Satana; vivo, & gubernor ex judicio Dei, quod ipſe mihi per miniſtrum ſuum ſignificavit. Certiſſimè ſpero me ſalvandum.

Diabolus.

Quid? Dei judicia non times? non recordaris hujus vel illius peccati; hujus, illius, B & rurſus iſtius circumſtantiæ, quæ tibi hactenus in mentem non venerunt? quomodo ergo ſalvandum te præſumis?

Moriens.

Diſcede à me ſceleſte. Certus ſum, me per Dei gratiam feciſſe, quod facere teneor; & has meras tuas ſuggeſtiones eſſe. Firmiſſimè in Jeſu Chriſto ſpero, qui omnia peccata mihi condonavit, meque vetat tibi in hac hora ullatenus auſcultare, totus ei innitor, & incumbo, & ita in firmiſſima hac fiducia conquieſco.

Cum diabolo nequaquam diſceptandum.

Quomodo ſe gerere debeat ſcrupuloſus?

Monitum pro ſcrupuloſis.

Hoc ſcilicet modo moribundus confligere debet, nullis rationibus, argumentis aut diſcurſibus aures ſuas accommodando, ſed magna cum fide Confeſſarii ſui ſententiæ, reſolutionique ita firmiter adhærendo, C tamquam ſi ipſemet Chriſtus viſibiliter hæc ipſa verba ſibi dixiſſet; cordialiter verò ſeſe ad actus fidei, ſpei, amoris, contritionis faciendos applicando, dæmonis autem ſuggeſtionibus nullatenus auſcultando. Quoniam verò multis neceſſe non eſt apud ſcrupuloſos rationibus agere, hinc duas tantùm adferam, quæ, ſi attentè expendantur, fructum iis poſſunt adferre. Prima eſt, eum qui à ſcrupulis tentatur, ubi ſemel convenientem ad confeſſionem faciendam diligentiam adhibuit, magnum fundamentum habere, ad ſemper rationibus favorabilibus accedendum, quæ vetant iis ampliùs nos attendere. Et quia, ſi ad particularia in ſcrupulis occurrentibus deſcendatur, ſemper aliquæ rationes occurrunt, quæ animam inquietent; poterit, imò debet ſe ſcrupuloſus ſecundùm D rationes univerſales, ab omnibus communiter Doctoribus ac viris ſpiritualibus approbatas gubernare. Verbi gratia; Omnes periti, ac doctores unanimi conſenſu tradunt, pœnitentem, poſtquam ſemel debitam ex judicio docti, timoratique Confeſſarii diligentiam adhibuit, conquieſcere, nec ſcrupulis ulteriùs auſcultare debere; quia aliud illi vulgò eſſe non cenſentur quam quædam cacodæmonis verba. Qui hanc ergo diligentiam ſemel adhibuit, bonum principium ac fundamentum habet ad ſcrupulis non credendum, ſed ad eos ſtatim ut ſeſe ingerunt, velut ſuggeſtiones veritati ipſi adverſantes, & inimicas diſpellendos. Proinde, quando ab E iiſdem jam divexabitur, non eſt quòd ad particularia quædam deſcendat; ſed ſupra indicata doctrina nitens, actus quoſdam concipiat fiduciæ, & cum Domino Deo agat. Secunda ratio eſt hæc: cùm omnia Dei opera ſint, quoad ſubſtantiam, & circumſtantias, in numero, pondere, & menſura ordinatiſſima, credendum non eſt, illas de ſæpius iteranda confeſſione cogitationes, extra tempus importunè, & cum manifeſta quadam diſproportione incidentes, (quales ſunt ſcrupuli, qui in ultima illa hora, fortiſſimæ in Deum fiduciæ concipiendæ deſtinata, menti ſeſe ingerunt) divinas inſpirationes eſſe. Quocirca caveat Lector, ne ab ullis ſe ſcrupulorum angoribus, interim dum vivit, ſinat inquietari, & anxias illas, & è F vano quodam timore natas confeſſiones, & reconfeſſiones, nullo prorſus fundamento nixas à ſe repellat. Si enim puſillanimitatem hanc à ſe effugare nitatur, magnanimus paulatim fiet, multaque ſibi merita acquiret, ac poſtea adverſus importunas moleſtaſque has tentationes armatum ſe, conſtantemque in hora mortis inveniet.

CAPUT XIX.

Undecimum proximæ ad mortem præparationis præceptum: quomodo nimirum tentationibus ad ſuperbiam, vanam gloriam, vel præſumptionem impellentibus reſiſtendum ſit.

Undecimum præptum.

Tentatio ad ſuperbiam, æſtimationem ſui, G vanam gloriam, ac præſumptionem de propria juſtitia, tam ordinaria non eſt, atque aliæ, de quibus in prioribus capitibus locuti ſumus. Ratio autem manifeſta eſt: quia cum plerumque homines nonniſi cum mediocri quadam juſtitia vivant, idcirco non tantum eſſe ſolet magna quædam de ſe præſumendi periculum, quin potiùs magna, ut de ſalute ſua timeant, occaſio. Tanta tamen hominum fragilitas eſt, & diaboli verſutia adeò maligna, ut etiam hac in parte aliquando peccetur, & remedium aliquod illi adhiberi oporteat. Duobus contrariis modis ac machinis morientes cacodæmon oppugnat; vel enim peccata ipſorum adauget, & exaggerat, ut eos ſic ad deſperationem adigat; vel bona opera ipſorum extollit, ut ſic ad præſumptionem, & vanam gloriam impellat. H Certum eſt autem, eos, qui longè majori cum puritate, & ſui cuſtodia vixerunt, aptiores quodammodo videri, ut hoc conflictus genere oppugnentur, quàm non illi, qui pauca habent merita, & ſanctitate adeò non excellunt. Quocirca ſedulò advertant, & advigilent neceſſe eſt, ne una vice ſemel amittant, quidquid toto vitæ tempore ac-

Scrip. An. circ. 1612

quiſierunt : ac diligenter notent oportet, ecquod ſit inter ſpem, & præſumptionem diſcrimen, &, eſto in ſpem magis quàm in timorem propendere debeant, ſemper tamen Dei clementiſſimi miſericordiæ debent inniti, per caſtum, & humilem hunc ſenſum ſuperbiam omnem, & inordinatam de **A** ſeipſis præſumptionem excludendo, univerſa opera ſua uni divinæ gratiæ attribuendo, & conſiderando, ſe ex ſe ipſis ne vel minimam quidem cogitationem piam vel potuiſſe, vel poſſe habere.

Daemonis, ac morientis lucta circa ſuperbiam.

Exmeplum Luctæ circa ſuperbiam.

DABOLUS.

O te beatum, qui in Dei gratia moreris, etiam brevi tot bonorum operum, quæ olim feciſti, fructu potiturus es!

MORIENS.

In Dei mei bonitate bene, & firmiter ſpero, ſalutis me compotem futurum, & infirmitates, & imperfectiones eum meas minimè **B** reſpecturum.

DIABOLUS.

Quid ais ingrate? Non agnoſcis gratias, quas à liberali Dei, qui tibi ad tot opera bona præſtanda opem tulit, manu recepiſti?

MORIENS.

Multis Deo meo clementiſſimo, fateor, nominibus obſtrictus ſum, quòd me non condemnarit, & quòd me (ut quidem firmiter ſpero) ab æterna damnatione eripere velit.

DIABOLUS.

Quænam illa cordis tui durities eſt? Quid? non videre te, quibus ad illum in hac hora, ob juſtitiam illam, quam tibi dedit, **C** laudandum, benedicendumque, modis obſtrictus ſis?

MORIENS.

Laudabo, & benedicam Deum meum in omni tempore, & in hac ipſa hora eum, propter miſericordias ſuas, benedico, quòd, cùm (uti ſcio) illi admodum imperfectè ſervierim, me tamen à facie ſua non repulerit, ſed æternæ gloriæ me participem efficere velit.

DIABOLUS.

Quomodo tam ſiccè, ac frigidè de infinita illa Dei bonitate ſentis? Meminiſti, credo, quomodo te in illa occaſione humilitatis tunc temporis ſuperaveris; quomodo rarum, & **D** heroicum illum actum, cum tanta uniuſcujuſque ædificatione, tantaque Dei Optimi Maximi voluptate feceris, qui propterea interna quadam conſolatione te viſitavit, ut noſti. Nec verò tunc tantùm id, ſed & poſtea ſæpiùs tali, ac tali die idipſum contigit. Noſti inſuper, qua moleſtam multorum annorum infirmitatem patientia toleraveris, quàm ſæpe orationi incubueris, quot cilicia & catenarum geſtationes, & quam vilem veſtem geſtaveris, quàm ſobrius ac parcus in cibo ſumendo fueris; atque alia ejus generis complura opera eximia, & excellentia, ob quæ ſalvaberis. Age gratias Deo, & cùm ipſo, & in ipſo propter tot opera juſtitiæ gaude, & lætare. **E**

MORIENS.

Infinitas Deo meo gratias ago, quia fecit, & facit mecum miſericordiam ſuam. Diſcede à me Satana; nam ſi qua bona opera feci, quod ea boni habent, gratiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti eſt aſcribendum; quod imperfectionum, meum eſt. Sed in eo divina miſericordia exaltabitur, quod meas mihi culpas, & crimina remittat; atque ita certiſſimò ſpero me ſalvatum iri.

Rationes in remedium hujus tentationis.

Hæc ſufficiant in exemplum luctæ quoad ſuperbiam vel vanam gloriam. Quæ autem in tentationis hujus remedium ſunt rationes, & plurimæ ſunt, & efficaciſſimæ. Primò namque ex Sanctorum hiſtoriis conſtat, quàm parum illi de ſe præſumerent, etſi eſſent **F** alioquin juſtiſſimi, Deoque in amore conjunctiſſimi, & familiariſſimi, etſi miracula facerent, etſi diviniſſimas revelationes, & uniones Spiritus Sancti intimas haberent. Cùm enim ſcirent, Apoſtolum Paulum, tametſi primitias ſpiritus haberet, & ad tertium uſque cœlum ſublatus fuiſſet, ſibi non eſſe confiſum, neu ſe ideo ut juſtificatum habuiſſe, quòd in nullo eum remorderet conſcientia, ac laudari ſe ab hominibus videret; idcirco hanc humilitatis doctrinam, ſcholæ Domini noſtri Jeſu Chriſti propriam complexi, numquam de ſe ipſis confiſi ſunt, ſed ex toto corde Dei clementiam, & miſericordiam invocarunt: Omitto hìc horrendorum, quæ in aliquot apparenter juſtis ad cautelam noſtram contigerunt, judiciorum divinorum exempla; & venio ad motiva, quæ horæ **G** mortis propria ſunt, & proponenda ſunt ei, qui hac in parte tentabitur. Ut autem de eo, qui ſic tentatur, agam, evidens eſt, certò eum non ſcire, an in gratia Dei ſit: quia, non obſtantibus omnibus juſtitiæ ſuæ probabilitatibus, quas cacodæmon ei repræſentat, fieri poteſt, ut in peccato mortali ſit; cùm ut alia argumenta omittam, multa ſint peccata occulta, quæ ne ipſe quidem, qui ea committit, novit, ac proinde nullam homo de ſe præſumendi anſam habet. Quin etiam, ut ulteriùs progrediar, etſi ſummam ipſe in ſe examinando adhibuiſſet diligentiam, certum eſt, nunquam eum tam clarè, & intimè in interiora animæ ſuæ adita penetraturum, quàm in ea penetrat Jeſus Chriſtus, ejuſdem judex, qui omnia **H** longè perſpicaciùs intuetur, & in ipſis etiam juſtitiis, in quibus nihil quod reprehenſionem mereatur, latere homines quidem cenſent; ſordes, & immunditias reperit. Videre id eſt in iis, qui in Univerſitatibus, aliove loco gravi examinandi ſunt; qui etſi aliquando doctiores ſint iis, à quibus debent

Comparatio.

Scrip. An. circ. 1612.

examinari, ſubinde tamen timent, & tremunt; quòd probabiliter vereantur, ut fortaſſe ad aliquam interrogationum, quæſtionumque proponendarum, commodè non reſpondeant. Cùm porrò noverit homo, prorſus neſcire ſe, an ad tantam juſtitiam pervenerit, ut poſſit ad omnia ſui judicis interrogata reſpondere; profectò ſic de ſe præ-
A
ſumens, vel eſt apertè deceptus, vel timere debet, ne fortè culpæ alicujus reus inveniatur. Sic propriè juſti de ſe ſentire ac loqui ſolent, uti evidenter S. Job declarat, dicens, *Quantus ſum ego, ut reſpondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? qui etiam ſi habuero quippiam juſtum, non reſpondebo, ſed meum judicem deprecabor.* Quæ verba tam ſublimem rigoris divini judicii ſenſum clarè ſignificant, ut ad ſuperbiam eorum, qui ſe juſtos exiſtimant, confundendam efficaciſſima ſint. Si autem majorem ſenſus hujus Lector claritatem exigat, expendat quod non multò poſt in eodem capite idem Job ſubjungit, dicens, *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me? ſi innocentem oſtendero, pravum me comprobabit*: perinde ac
B
ſi Job dixiſſet: Nullum conſcientiæ quidem remorſum habeo, & ſaltem aliqua in vita mea bona opera reperio; ſed quia ego non niſi carneos oculos habeo, nec tam acutum video, nec tantam rerum mearum interiorum notitiam habeo, quantam judex meus; ideo nunquam de juſtitia, vel innocentia mea cum divina puritate contendere audebo, quia magnopere metuo, operentur, ne in illius judicio graver, & condemner. Hunc ſcilicet ſenſum habere ſtudeat ipſe, qui ſe à ſuperbia vel vana gloria circa juſtitiam priorem ſentit tentari, ac magna cum humilitate, & confidentia, ad divinæ gratiæ thronum, ac dulciſſimam miſericordiam Domini Dei confugere conetur.

Job. 9.

Exemplum ex Jobo.

C

CAPUT XX.

Duodecimum proximæ ad mortem præparationis præceptum; quid faciendum nempe quando moriens jam animam agit.

Præceptum duodecimum.

DUodecimum hoc præceptum bimembre eſt: una pars morientibus altera circumſtantibus competit. Circa primum Lector notet oportet, id ſibi in ſanitate conſiderandum, quod poſtea in ultimis mortis anguſtiis, quando anima jam à corpore avelletur, & illa duarum hominis partium adeò arctè invicem unitarum diſiunctio ac ſeparatio fiet, eſt eventurum, ut parti ſuæ, quæ Deus eſt, ſe intimè conjungat. Cùm verò circumſtantes tunc ei vel parum, vel om-
D
ninò nihil prodeſſe poſſint, ideo ipſemet totis animæ ſuæ viribus divina gratia uti ſatagat, Jeſum Chriſtum ex intimis cordis ſui penetralibus invocando, & cordialiſſimè illi ſe unire deſiderando; adeò ut in ultimo illo tranſitu ſe ipſe juvare debeat, ad ex toto affectu ſuo ſummum illud bonum complectendum, ipſum amando, deſiderando, & ferventiſſimis quibuſdam gemitibus invocando; ſolet quippe ſuos divina bonitas maxima quadam fidelitate electos in illa hora adjuvare, ab unguibus leonis eos vindicando, & copioſiſſimæ redemptionis ſuæ fructum in animabus illis, ſponſabus ſuis, operando.

Quid præſtare debeant circumſtantes?

Hæc quidem quoad ipſum morientem. Circumſtantes autem oportet breviſſimi illius temporis periculum, & anguſtias conſi-
E
derare, non autem velut attonitos adſtare, & otioſè ſpectaculum hoc intueri; at potiùs magna cum ſedulitate, fervore, & inſtantia cooperari, Dominum pro anima illa, ex intima compaſſione, & veræ viſceribus caritatis deprecando, ut divina bonitas ab ultima illa tribulatione eam liberet. Etſi verò circumſtantibus ipſis perutile, & expediens ſit, illa mortis accidentia notare, & intueri, ut iis ad vitæ ſuæ emendationem emoveantur; non ſolùm tamen proprio hìc bono debent attendere, verùm etiam alieno, bono inquam proximi ſui, qui jam in extremis illis tranſitus ſui anguſtiis eſt conſtitutus, ferventiſſimas ad Deum pro illo preces fundendo. Hunc in finem recitantur Litaniæ, & preces, ab Eccleſia pro ultima
F
illa hora, tenerrimo quodam matris affectu inſtitutæ: nec non piiſſima illa animæ commendatio, quæ audita vel lecta ipſa, etiam ſaxa ad compaſſionem emoveat: quam unuſquiſque dum adhuc bene valet ſæpe relegere deberet, quòd aptiſſima ea ſit ad mortis imaginem animo repræſentandam, & ad vivâ ejuſdem memoriâ vitam reformandam. Aqua luſtralis quoque tunc eſt frequenter adhibenda, ad dæmonem exſpectantem, & prædæ inhiantem, pellendum; atque adeo omne, quod pietatem ſpirat, ad tentatorem debilitandum, ac divinam miſericordiam impetrandam, fideliter eſt in ultima illa hora uſurpandum. Ut verò omne, & totum Chriſtianæ caritatis officium adimpleatur, cir-
G
cumſtantes, qui ſacra numiſmata, aut grana ad animas è Purgatorio liberandas benedicta habebunt, moneo, ut ſtatim atque moriens animam efflarit, genu flexu illas orationes Dominicas, & Angelicas ſalutationes recitent, quæ ſecundùm Indulgentias, quas habent annexas, neceſſariæ ſunt, ut ſic animam illam juvent: quam, ſi damnata non eſt, credibile eſt in Purgatorio agere, cùm rariſſimè immediatè aliqua cœlum ingrediatur. Similiter quoque Lectoribus commendo, ut in Miſſis indictis quàm citiſſimè celebrari faciendis fideles ſint, & ſoliciti, quia pœnæ Purgatorii graviſſimæ ac terribiles ſunt: unde quædam crudelitatis ſpecies, Chriſtianis animis nimis quàm indigna, videtur; illis animabus, quæ ab æterno electæ & à Deo dilectæ ſunt, non promptiſſimè, & celerrimè auxiliari. Et in hoc ſecundam
H
hanc partem concludo, ut ad alia ad mortem etiam pertinentia, quæ tum ad bene vivendum, tum bene moriendum perutilia futura ſunt, pertractanda tranſeam.

Cur Litaniæ, & preces recitentur in illa hora?

Scrip. An. circ. 1612.

PARS TERTIA

Artis bene Moriendi, A in qua de variis mortis generibus tractatur, nec non quædam circa eadem documenta traduntur.

CAPUT I.

De iis, qui ſubita & repentina morte exſtinguuntur.

Repentina mors duplex.

B DUobus modis aliquos morte ſubitanea exſtingui videmus: vel quia ſine cauſa, quæ ante ſciatur, ſubitò mortui cadunt; vel quia ex aliquo vulnere, præcipitio, vel naufragio, aliiſque id genus cauſis, emoriuntur. Eſto aliqua inter hos ſit differentia; aliqui namque breviſſimum quoddam habent ſpatium, alii planè nullum, adeò ut quamvis omnes hi ſubitò mori dicantur; horum tamen alii ſaltem quoſdam concipere actus queant, ad Dominum mentem convertendo; alii verò ne vel minimum quidem actum elicere. Ac de ultimis illis loquendo, nihil ipſis in præſens ſuggeri poſſet meliùs, quàm ut bene vivere, & in Dei gratia ſemper eſſe procurent, ac timeant (quod aliis plurimis quotidie accidit) ne, dum minùs præcogitant, ad judicium à Deo revocentur. C Sed dolendum hoc eſt, multos viros graves ſæculi hujus, qui urgentiſſimas ad tali modo, cautè, circumſpecteque vivendum rationes habent, quòd adverſarios habeant vitæ ſuæ aſſiduò inſidiantes, in hac tamen parte exiguum Dei timorem præferre. De quorum ſtupore prorſus quid dicam neſcio, quod tanti momenti rem, quanti hæc eſt, tam flocci pendant. At timorati, ferventeſque Dei ſervi mirabilem quamdam in univerſa vita ſua circumſpectionem, & cautelam adhibent, mortem ſubitaneam ſemper, & ubivis reformidantes. Eſto enim toto conatu ſemper in Dei gratia eſſe procurent, in perpetua tamen anxietate, & ſollicitudine vivunt, veriti, ne malo aliquo caſu, & D infortunio ex hoc gratiæ ſtatu excidant, & tunc temporis ex hac vita evocentur. At qui minus juſti ſunt, ac ſingulis horis quoque tot metuendi occaſiones habent, in nimia præfidentia, & audacia ſecuri vivunt. Sed omittamus eos, qui ita ſubito emoriuntur, ut ſe ipſi juvare nequeant; & loquamur de aliis illis, quibus breviſſimum quoddam vitæ ſpatium conceditur.

Juſtorum cautela, & circumſpectio.

Hi ergo ſic poterunt facere. Si ad manum non ſit, qui eorum confeſſionem excipiat, hucce in agonia ſua quàm cordialiſſimè ad Deum ſe convertere allaborent, quoſdam contritionis actus eo modo, quo Capite 4. Partis ſecundæ declaravimus, concipiendo. Particulariter verò meminerint E ex toto corde ignoſcere ei, qui ipſos vulneravit, aut quoquomodo mortis ipſis eſt cauſa, (ſi quidem mors ipſorum talis ſit;) & affectibus caritatis intimis omnes inimicos ſuos complectendo, ipſos contritionis actus per actus fortiſſimæ fiduciæ in Deum repetere ſatagant: nam ſi ipſi hoc modo ſe convertant, & faciant quod poſſunt, illos non deſeret Dominus, qui pro ipſis mortem occubuit. Hoc ſcilicet tempus eſt, quod clarè demonſtrat, quanti referat hominem in virtutum primariarum actibus aſſiduè ſe exercere, ſi forte in mortis hora aliis ab Eccleſia ad juvandos morientes inſtitutis remediis uti non valebit. Si porrò qui ſic moriuntur, Confeſſarium ad manum habeant, magno animo unum, aut plures eo quo dictum eſt modo F actus contritionis concipiant, & eo quo ſequitur modo peccata confiteantur. Primò dicent ea, quæ magis conſcientiam gravabunt. Si verò videat Confeſſarius, morienti vires, & habitum deficere, ſtatim, poſtquam aliquod peccatum ex eo audivit, ei abſolutionem impertiat, non exſpectando indiſcretè, ut, dum plura ab eo audire vult, alter interea ſine abſolutione accepta demoriatur; quia in hoc caſu confeſſio formaliter integra eſt, etſi moriens nonniſi unum de mille peccatis confiteatur; proinde poteſt, & debet illi abſolutio conferri, cum intentione tamen, ſi ſupervivat, verbi gratia vel ad horam, quàm poterit, optimè reliqua omnia confitendi. Et ſi, dum reſumpto ſpiritu poſtea reliqua confitetur, novum rurſus Confeſſarius periculum advertit, ne uti ante animam agat, G idem omnino faciat, & iterum eum hac integritate formali abſolvat, animæ illi fideliter opitulando ad veros ſpei, & intimæ contritionis actus, cum propoſito Dei nunquam amplius poſthac offendendi concipiendos. Si verò repentina quædam ingruunt pericula, in quibus omnes ſimul mori contingat; ſi illi tunc Confeſſarium ad manum non habeant, facient id, quod dixi debere facere unumquemlibet, qui ſine Confeſſario moritur. At ſi aliquem ad manum habeant, is tamen in extremo illo periculo, & anguſtia unumquemque eorum ſingillatim audire nequeat; poterunt vel multi, vel omnes ſimul, aliquam ſaltem abſolutionis materiam adferendo, (verbi gratia, mendacia aliqua, vel H juramenta) confiteri; ita tamen ut Confeſſarius illos ſufficienter, & expreſſè intelligat: tunc omnes ſimul ipſe abſolvere poterit, ſufficienter omnibus providendo, puta in naufragiis, incendiis, ruinis, & aliis ſimilibus eventibus; in quibus meminerit Confeſſarius omnes ſimul commonere, ut breviter ſaltem aliquem contritionis actum eliciant, &

Quomodo Confeſſarius ſe gerere debeat cum poenitente, qui jam agit animam.

fir-

Scrip. An. circ.1012. firmum propoſitum concipiant, non ampliùs Deum peccatis offendendi, ſi quidem tempus id feret.

CAPUT II.

A *De illis, qui præ magnis doloribus, ærumnis, aut afflictionibus moriuntur.*

Dolor, quid? DOlor eſt veluti catena, quæ animam colligatam tenet, & eam de alia re cogitare non ſinit, quam de ea, à qua affligitur. Idcirco, quando dolor vehemens, & mortalis eſt, difficulter admodum ab eo ipſa divelli imaginatio poteſt, ut virtutum actibus, qui in hora mortis neceſſarii ſunt, faciendis intendat. Unde neceſſe erit, ut ſibi patiens, quàm poterit optimè, & commodiſſimè vim aliquam faciat; qui verò ei aſſiſtit, dextrè ſe, artificioſeque cum eo gerat; adeo dolorem illi non adaugendo, ut quantùm ſibi poſſibile erit, eum imminuat. Ut verò in particulari aliquid dicamus, utile B inprimis erit, ut patiens frequenter, & identidem verba hæc: *Fiat voluntas tua*, repetat, in hoc tormento, & afflictione ſe cum Dei voluntate conformare ſtudendo, ipſamque in ſatisfactionem pro peccatis ſuis admittendo, & gaudendo, quòd in breviſſimo hoc vitæ tempore aliqua ſaltem ſibi patiendi detur materia, tum ad perpetua tormenta evitanda, tum ad æternam requiem obtinen- Quinam actus eliciendi a moriente. dam. Dabit proinde operam, ut aliquem ſubinde ſpei, contritionis, & amoris Dei actum eliciat, quibus eſto affectum ita applicare non queat, ut ii, qui longè majori inquiete moriuntur, non propterea ſua mercede fruſtrabitur; nam ſi magnam ejus pœnam, afflictionem, & laborem intueamur, plus haud dudiè facit ipſe, illos actus modo ſuo taliter qualiter concipiendo, quàm ſi C omnis doloris expers majori animi, intentioniſque applicatione illos conciperet; ut taceam, ipſam doloris magitudinem velut ſtimulos quoſdam eſſe, quibus impulſa anima excitetur, & majori cum affectu interdum ad Dominum recurrat, quàm faceret fortaſſe, ſi à dolore omni immunis foret. Procurabit adhæc præſentem ſibi fingere Jeſum Chriſtum, in cruce fixum: hocque ſpectaculum intuens, dolores ſuos, & afflictiones cum illis Redemptoris ſui doloribus, & ærumnis uniet, ut in illorum ſocietate multò ſui ſint & tolerabiliores, & fructuoſiores. Qui autem illi aſſiſtet, quodcumque corporale obſequium poterit, ad illum quomodocumque alleviandum, & recreandum, præſtare ſataget, ac qua poterit dulcedine, ei talia dicat, quæ cum conſolationem illi ad- D ferre, tum fiduciam parere queant; qualia verbi gratia ſunt: cogitet, brevi dolores illos Quae ab adſiſtente morienti ſuggerenda? finiendos, meminerit Domini Jeſu Chriſti in crucem acti, & ab hoc exemplari ſuo patientiam addiſcat; certiſſimo ſe ſperet brevi æterna requie donandum; adhæc divino ſe beneplacito cum reſignatione aliqua ſui offerat; bono ſit animo, Dominum Deum, breves illas pœnas immittendo, cruciatibus æternis eum erepturum; has Patri æterno proinde in unionem pœnarum, quas Unigenitus Filius ejus paſſus eſt, nec non in aliqualem peccatorum ſuorum expiationem, ſatisfactionemque offerat; firmiſſimè quoque in divina bonitate ſperet, criminum ſuorum ab ea veniam petat, tum de his dolendo, tum illi E ſervire, & eam ampliùs non offendere proponendo; affectum denique ſuum arctè Deo Optimo Maximo uniat, ingenti amore, & fervido ejus poſſidendi deſiderio ipſum complectendo. Hæc, aliaque ejuſmodi ita ei aſſidens dicet, ut tamen illi moleſtus minime ſit; verùm interruptis vicibus, atque modo quodam loquendi leni, placido, ac temperato, ipſos inſuper ipſemet actus concipiat, ut nihil ſit aliud patienti faciendum, quàm ad propoſita reſpondere, & aſſentiendo annuere, uti ſupra Partis ſecundæ Capite quinto pluribus indicatum eſt. Hujus autem moniti ratio evidens eſt, & manifeſta: ſi enim in genere, & univerſaliter bonum ſit omnes morientes adjuvare, ita ut nulla iis affera- F Moleſtia, vel gravamen morienti non inferendum. tur moleſtia, aut gravamen, ſed quacumque in re licet, aliquod levamen eis, aut ſolatium detur; ſequitur, eos, qui majori cum labore, & pœna emoriuntur, tali modo adjuvandos videri, ut (prout ſpiritus caritatis, & prudentiæ Chriſtianæ faciendum dictat,) quoad ejus fieri poteſt, exonerentur, & ſolatientur. Sed quia non ſemper moribundi ita ſunt compoſiti, & pii, ut quidem deberent; idcirco nonnunquam magis animæ eſt ſalus, quàm hic ſuavitatis, & levitatis modus ſpectandus: ac propterea, quando exiguum hi erga ea, quæ ſalutis ſunt, affectum oſtendunt, conſuetum erit, eos admonere, ut ſedulò rebus ſuis, breviſſimo hoc quod habent vitæ ſpatio, proſpiciant, etſi aliquantulum ideo contriſtandi videantur: hæc nam- G que mœſtitia, & amaritudo magno ſalutis, & æterni gaudii fructu, ac fœnore compenſatur.

CAPUT III.

De iis, qui per extremum ſupplicium moriuntur.

PRæſupponendum hìc, graviter peccare judices eos, qui ſupplicio afficiendis tempus ad pœnitentiæ Sacramentum recipiendum non concedunt, ſi modò id rei ipſi exigant, & ipſum petere commoniti ſint, dum ſciunt ſibi intra paucas horas moriendum eſſe: quibus adhuc durantibus ſummam eos adhibere diligentiam oportet, ut debito, & officio ſuo ſatisfaciant, & in pace, H & gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti moriantur. Supponendum adhæc, requiri, ut Dexteritas in Confeſſario requiſita. Confeſſarius eorum dexter ſit, peritus, & intelligens, ne in rebus graviſſimis erret, quales ſunt reorum morti adjudicatorum. Obligatus quippe eſt, delinquentem inſtruere, aliqua ejus dubia ſolvendo; ita quidem gravia, ut, niſi rerum peritus, & verſatiſſimus

Scrip. An. circ. 1612.

ſimus ſit, interdum dicendo illi, teneri illum delictum Judici fateri, mortis ejus corporalis futurus ſit cauſa; interdum verò, dicendo, aut mandando, ut non fateatur, mortem animæ illi ſit cauſaturus. Doctrina ergo communis eſt, reum mortaliter peccare, ſi dum rogatur à ſuo judice ſecundum ordinem juris, veritatem non fatetur, eſto alioqui propter eam confeſſionem morti, & extremo ſit ſupplicio addicendus.

A

Dixi, *ſecundum ordinem juris*: in quo tria hæc ſequentia requiruntur, ut ſuum reus delictum fateri in conſcientia teneatur. Primum, ut judex ſit competens. Secundum, ut reus delicti ſit inſimulatus, & accuſatus, vel ut ſemiplena ejus ſit probatio (id eſt, ut id teſtetur teſtis oculatus, & omni exceptione major) vel ſufficiens quoddam ejus indicium, vel multa indicia uni ſufficienti æquivalentia.

Delinquens quando teneatur crimen ſuum Judici interroganti aperiendum?

Tertium, ut hæc probatio delinquenti innotuerit, ut norit ſcilicet, in quo verſerur ſtatu, & quod in conſcientia teneatur delictum fateri. Tunc ſane adeo ad ipſum fatendum tenetur, ut bona eum Confeſſarius conſcientia nequeat abſolvere, niſi ipſum fateri proponat:

B

peccat enim delictum non fatendo, quin imò ſi ipſum fateri non proponat, in peccato illo perſeverat, ac proinde abſolutionis eſt incapax. Advertat inſuper Confeſſarius, quomodo ſe reus in retegendis, vel non retegendis complicibus gerat: quia obligatus eſt ipſe eos retegere, quos novit ipſe adeo commiſſi non pœnitere, ut potiùs in maleficiis ulteriùs progredi, magno damno tum publico, tum privato, parati ſint, niſi per correctionem fraternam eos emendatum iri ſperet. Ipſe verò Confeſſarius, ſi illum non moneat, ut complices, & conſcios aperiat, ſed eum, abſolvat, videns eum de iis denuntiandis parum laborare, graviſſimè delinquit.

An teneatur complices aperire?

C

E contrà advertat oportet, reum interrogatum, num ſceleris ſui ſocios, & complices habeat, in caſibus in Jure expreſſis, illos aperire non teneri, quando nullum eos credit damnum facturos, uti in caſu ſupra indicato, & nulla inde ſecutura eſt infamia, nec indicia aliqua, nec ſemiplena contra eos eſt probatio. His monitis tam pro reo, quàm pro Confeſſario, quoad Sacramenti pœnitentiæ adminiſtrationem præſuppoſitis, jam oſtendamus quomodo reus actus, quos facere debet, concepturus ſit. Statim itaque ac mortis illi hora eſt ſignificata, magno ſe animo Dei voluntati conformare contendat, multoſque reſignationis actus concipiat, infinitæ Dei bonitati gratias agendo, quod ita res omnes diſponere voluerit, ut per mortem, & infamiam hanc temporalem, æternam ipſe ſibi vitam, & honorem acquireret,

D

& ſpiritualia ſua, & temporalia bona (ſi quæ habeat) piè diſponendo, (ita ſcilicet, ut per ea anima adiuvetur) videat, ut brevi illo quod ſibi reſtat tempore, multos tum per ſe, tum Confeſſarii ſui auxilio, vel eorum, qui hoc caritatis Chriſtianæ officium pro more obire ſolent, virtutum actus concipiat. Bonum porrò, & congruum erit, ſi hic ordo ſervetur.

Quomodo ſe gerere debeat quando mors denuntiata fuerit?

Primò, ſtatim atqne illi mors denuntiata erit, genu flexo ex toto corde Deo ſeſe offerat, ut divina ejus voluntas in ſe in omnibus, & per omnia fiat. Deinde petet Confeſſarium, præſertim ſi ante confeſſionem non inſtituerit, & Patris hujus ſpiritualis auxilio, & ope conſcientiam ſuam exonerabit,

E

cordialem quandam, & intimam de peccatis ſuis contritionem concipere ſtudendo, & iis, ad quæ juſtitia obligatus eſt, ſatisfaciendo, prout Confeſſarius ei præſcripſerit. Hoc facto, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſibi adminiſtrari petet, quibus in locis conſuetudo eſt, ut illud reis ſupplicio afficiendis miniſtretur: quia ſunt diverſæ quoad hoc doctorum opiniones, & variæ civitatum propè ſingularum conſuetudines. Quod ſi ergo realiter ipſum ſuſcipere non poterit, ſpiritualiter id, magno ejus in ſe excitato deſiderio, facere procuret: quod illi inprimis utile futurum eſt. Poſt actum hunc, conabitur diverſos (uti dictum eſt) toto illo tempore, quod ad uſque ſupplicii horam ſibi reſtat, fidei, ſpei, reſignationis, amoris Dei, contritionis de peccatis ſuis, actus concipere,

F

animum planè non deſpondendo, ſed in Domino Deo fiducialiter confidendo, & ad æterna, & ſemper duratura reſpiciendo, cum inſigni vitæ hujus mortalis contemptu. Et quia non raró contingit, ut qui ſic ſupplicio afficiuntur; verè circa crimen, ob quod à Judicibus ſecundum allegata, & probata morti adjudicantur, culpa vacent, & quia duriſſimum apparet, mortem ſine culpa, & immeritò perpeti; videant tum reus, tum Confeſſarius, maximam ſibi adhibendam diligentiam, ne quis huic tam magno doloris ſenſui locus detur. Cùm enim neceſſariò illi moriendum ſit, nimis quàm gravis error eſt, breviſſimum illud tempus quod reſtat, in repugnantiis, & ſenſibus diſpoſitioni divinæ contrariis traducere, & tot, quæ ex actibus virtutum, quæ tunc poſſunt, & debent exerceri,

G

eliciuntur, coronas amittere. Quocirca ſenſum hunc penitus à ſe repellant, & excludant, Deoque ſacrificium ſui faciant; quod ingentem conſolationem adfert ei, qui dignè ipſum novit expendere, reo ſcilicet ſe ad mortem ex puro amore Dei ſubeundam offerente, cum firmiſſima vitæ æternæ ſpe, quòd ad imitationem Chriſti Jeſu Domini noſtri moriatur, qui etiam innoxius, culpa expers & pro ipſo mortem oppetiit. Conſideret præterea, multas alias ſe culpas commiſiſſe, ob quas fortaſſe etiam ſecundum leges humanas mortem commeritus ſit; ſin minus, id ſaltem conſtat, eum, ſi vel unum peccatum mortale fecerit, æternam tam animæ, quam corporis mortem promeruiſſe,

H

idque ex legis divinæ præſcripto. Quare ſummæ cujuſdam felicitatis loco ducat, ita à Judice ſe tractari, & condemnari, ac mortem illam corporalem patiendo, ad vitam æternam conſequendam ſe diſponat. Verùm, eſto crimen, ob quod moritur, verè commiſerit, vel immunis ab eo ſit, peccatorum ſuorum confeſſione ſemel facta, & rebus ſuis be-

Scrip. An. circ. 1612.

ne diſpoſitis, ex toto corde ad Deum ſe convertat; & cum magna quadam reſolutione ad voluntati divinæ obtemperandum, ſupradictos illos actus facere attendat. Cùm verò jam ad ſupplicium educendus eſt, animæ oculis Chriſtum Jeſum ſuam humeris crucem ad uſque Calvariæ montem bajulantem A attentè contempletur, eumque ex interioribus cordis penetralibus inclamet, ipſum orans, ut ſupplicium, infamiam, & mortem hanc ſuam, cum ſuis improperiis, & morte conjungere dignetur, ſibique veram in hoc tranſitu confidentiam, amorem divinum, & de peccatis admiſſis dolorem concedat, quò mortis hujus temporalis adminiculo, vitæ æternæ reddi compos mereatur.

CAPUT IV.

De iis, qui lento morbo, ſcienterque moriuntur.

QUI ſenſim, & tractim moriuntur, qui inquam paulatim conſumuntur, (quales ſunt phthiſici,) inſignem ad bene ſe ad B mortem præparandum commoditatem habent. Sic videmus, multos Dei ſervos, ac præſertim Religioſos, qui hoc è morbo emoriuntur, inæſtimabilem quendam meritorum cumulum, ultimis illis vitæ ſuæ diebus colligere, ac velut in excubiis, & ſtatione paratos agere, ad ſtatim Domino ſuo, quando ab eo evocabuntur, reſpondendum. Hìc neceſſe non eſt nova aliqua aut particularia præcepta præſcribere: ſed Lectorem tantùm monebo, ne, ſi fortè ipſi tabes, aut morbus talis obtigerit, ſe ipſum decipiat, neve ab aliorum parum timoratorum adulationibus ſe decipi patiatur, diuturnam adhuc, & longam ſibi vitam promittendo, ac tædioſam illam de morte inſtante cogitationem à ſe C eliminando, & quin potiùs, ut ad eam ſe præparatione quadam, bonis operibus, piis induſtriis, ac diligentiis plena, tum per ſe, tum per alios diſponat. Inter alia autem adminicula utatur orationibus, quas jaculatorias vocant; per has cor ſuum frequenter, & identidem ad Deum elevet, multos fidei, ſpei, amoris Dei, contritionis, reſignationis, alioſque ejuſmodi actus concipiendo, qui ſine ulla moleſtia, ac fatigatione præſentiam Dei fovent, animam confortant, meritis eam ampliſſimis, ac lætitia ſpirituali adimplent. Quò autem mors vicinior, propiorque fit, eò ſe magis Deo uniat, ac Pœnitentiæ, ac Communionis Sacramenta frequentiùs uſurpet, quotidie magis ac magis mentem à vita hac mortali avellendo, & cordialibus quibuſdam affectibus ad vitam immortalem, in qua vera D ſua conſiſtit requies, evolando. Leget, vel legi ſibi curabit aliquid è libro ſpirituali, ea præſertim, quæ eum ad fiduciam, & deſiderium Dei concipiendum excitare apta ſint; hoc ſe cibo, & alimento paſcens, ut quò corpus magis ac magis evigoratur atque exhauritur, eò magis anima impinguetur. In aliis diligentiis, & aliis circa res ſpirituales, vel corporales diſpoſitionibus regulas communes obſervet, quæ ſupra tam in prima, quàm in ſecunda artis hujus parte aſſignata ſunt, ſeque tum per exercitium virtutum, tum per efficaces illas rationes, de quibus ante egimus, armare ſtudeat, ad ultimis diaboli tentationibus generosè reſiſtendum, & Jeſum Chriſtum Redemptorem noſtrum in mortis ſuæ hora arctiſſimè conſtringendum, eique adhæreſcendum. E

Jaculatoriæ in hora extrema repetendae.

CAPUT V.

De iis, qui in bello moriuntur.

UT dicamus quod militum in morte debitum ſit, & officium; ſupponendum eſt, eos in conſcientia ſentire bellum, quod ſuſcipiunt, juſtum eſſe, ita ut bene ſe, laudabiliterque facere credant, dum ſe morti oppetendæ exponunt: quamquam idcirco nolim dicere, omnes illos, qui ſibi perſuadent bene ſe facere, bonam habere conſcientiam; cum etiam multi infideles à dæmone illuſi, bene ſe agere exiſtiment, ſi quando Chriſtianos oppugnant. Sed de iis loquor F Catholicis, qui verè, & reipſa bonos, & pios habent Principes, quibus fidere poſſunt, quique cauſam belli legitimam ac juſtam eſſe credunt, parati à bello diſcedere, ſi illegitimam aliquam ejus cauſam eſſe ſcirent. Hi ergo, qui quoad ipſam belli cauſam nullum conſcientiæ gravamen ſentiunt, ſi aliquem Dei timorem habeant, debent, cum manus cum hoſte conſerturi ſunt, anticipatè facere, quod facerent, ſi jam de facto in mortis hora verſarentur, eò verò magis ad anticipatè pias has diligentias faciendas tenentur, quò certiores ſunt, nullam ſe inter pugnandum commoditatem, ad actus interiores faciendos, & de peccatis ſuis, & divino judicio, quod ſequetur cogitandum habituros: quia quoniam G ſe victores fore ſperant, & omnem ad in conflictu non moriendum conatum adhibent, magis audaciæ, & iræ concipiendæ, quàm ſui humiliationi, & peccatorum veniæ petendæ intendunt. Quocirca antequam arma in manus accipiant, præter confeſſionem, ac deteſtationem peccatorum, & verum Dei poſthac non offendendi propoſitum, multos fidei, ſpei, contritionis, amoris Dei actus concipiant oportet, ſuum in actu illo, quem jam facturi ſunt, affectum purificando, & ſine omni ſanguinis effuſione, ſi fieri poſſet, vincere deſiderando, & ſuam ad defenſionem fidei (ſi fortè contra infideles conflictus ſuſcipitur) vel ad defenſionem juſtitiæ, (ſi alias ob cauſas, vel contra alios Chriſtianos ipſe innititur) intentionem dirigendo. Ceterum neceſſe non eſt particularia quædam huc H afferre: ſed ipſos dumtaxat militum confeſſarios hìc commonebo, ut in officio ſuo adminiſtrando fideles ſint, ipſumque piè, & magna cum caritate exequantur, tum eos inſtruendo, tum ità affectus illorum ordinando, ut bona cum conſcientia procedant, & ab omni ſe peccato expedientes, ſe ipſi juvent, ferventer ſe Deo Optimo Maximo com-

Miles, quid judicare debeat de bello?

De iis quae agere debet miles antequam accipiat arma.

com-

Scrip. An. circ. 1612.

commendando, & veros, & cordiales quoſdam actus, ex iis qui in mortis hora neceſſarii potiſſimùm ſunt, faciendo: præſertim in brevi illo tempore, quo ex illis plurimi mortaliter ſaucii proſtrati jacebunt, à reliquo exercitu proculcati, & omni prorſus ope deſtituti, præterquam ea, quam tum gratia, & miſericordia Dei, tum ipſorum jacentium

A

bona, & conſtans ad piè moriendum cooperatio ſuggeret, ex toto corde, & viribus Domini noſtri Jeſu Chriſti opem, clementiam, & auxilium invocando.

CAPUT VI.

De iis, qui cum horrendis timoribus, & terroribus emoriuntur.

De ſtatu morientium nequaquam judicandum a ſignis tranſitus.

NON poteſt firmum, ſolidumque judicium de morientis ſtatu formari è ſignis, quæ circumſtantes ipſi palam, & ad oculum vident; unde lectores moneo, ne de quopiam morientium facilè judicent, ſed uni Deo illorum judicium relinquant, utpote qui ſolus occulta cordium novit, & unicuique reddit ſecundum opera ejus. Conſtat enim, multos

B

graviſſimos peccatores, & hæreticos, inſignem, & incredibilem quamdam in morte tranquillitatem, magno circumſtantium omnium ſtupore, prætuliſſe; multos è contra ſervos Dei, quorum vita (quantùm quidem in hac vita ſciri, colligique poteſt) planè admirabilis fuit, magnos in hora mortis ſuæ horrores, & terrores paſſos eſſe. Propterea efficax, & ſolidum hæc ſigna argumentum non ſunt ad bene judicandum de iis, qui pacificè, quieteque expirant, aut malè de illis, qui cum alterationibus, & tremoribus horrendis è vita decedunt. Hæc quidem quoad ea, quæ communiter contingunt: quia ex hiſtoriis fide dignis conſtat, extraordinarios aliquot quoad hoc eventus contigiſſe; unde

C

vix bene poteſt de illis animabus judicari: mortis enim circumſtantiæ reſpondere, & infirmiter concurrere, ipſorumque damnationem apertè teſtari videntur. Sic legimus apud S. Gregorium in Dialogis, Chyſaorium hominem avarum, ſuperbum, luxurioſum, in ipſa tranſitus ſui hora oculos aperiendo, teterrimos quoſdam, & horribiles hinc inde ſibi adſtare homines conſpexiſſe, qui illum ad gehennam quantocyus raptare ſe velle horrendis geſtibus oſtendebant. Ergo ſudore totus cœpit madeſcere, & magna quadam voce filium ſuum nomine Maximum, qui Monachum agebat, inclamare, ut ſibi in hiſce anguſtiis conſtituto opem ferret. Tantus verò ejus terror, & anxietas erat, ut, quò horrendum nigrorum illorum ſpe-

lib. 4. Dial. c. 46.

Exemplum terribile.

D

ctrorum aſpectum declinaret, mortali quadam agonia obrutus ſe huc illucque per lectum volutaret, quocumque tamen ſe verteret, tetra hæc ſpectacula videre cogebatur invitus: hinc contenta vociferans voce, inducias ad uſque mane diei ſequentis rogare cœpit. Sed adeò poſtulata non obtinuit, ut etiam in iſthoc ſceleſtam clamore animam efflarit.

Alterum.

Idem in libro de quodam narratur Religioſo, qui vulgò ab omnibus probus habebatur, & pius, magnique ab omnibus fiebat, ſed longè ſecus ſe res habebat interiùs, quàm oſtendebat exterius: cum aliis quippe Religioſis ſe jejunare ſimulabat, poſtea verò clam illis genio indulgebat. Is ergo cum ad vitæ extremum jam veniſſet, Religioſos om-

E

nes convocari juſſit: qui cum rarum aliquod, & jucundum ex eo monitum audituros ſe ſperarent, ipſe afflictionem, & horrorem, quo tum opprimebatur, aperire illis coactus eſt: ingentem quippe draconem conſpexit, qui protenſa ſua cauda genua illius, & pedes complexus, caput ori ejuſdem ingerebat, quaſi animam illi unà cum anhelitu extracturus; quod ipſe terriculum poſtquam fratribus retuliſſet, ipſis intuentibus animam edidit. Duo hæc exempla, quia extraordinaria, & ſingularia viſum fuit afferre: noſtrum verò eſt aliquem ex iis fructum elicere, cùm qui ſic expirarunt, non ſunt ad pœnitentiam expectati. Sed non ſic contingit ordinariè: nam interdum, uti dixi, qui vitam probam, & exemplarem duxerunt, quique (quantùm quidem è vita hac duci

F

conjectura poteſt) in gratiæ ſunt ſtatu, magna cum agonia, & horrendis ſymptomatibus, & alterationibus moriuntur, per quæ ab aliquibus imperfectionibus, quæ in ipſis purgandæ adhuc reſtant, expurgantur, majuſque gratiæ, ac gloriæ meritum ſibi comparant. Quando ergo moribundus ab horroribus, & viſionibus illis infeſtabitur, Jeſum Chriſtum indefeſſè inclamet, eumque magno cum affectu, & fiducia cordiali conſtringat, aſſiſtentes verò ſæpè aqua luſtrali eum reſpergant, eique ſemper animum addant, varia fiduciæ motiva illi in mentem revocando, victoriam ſcilicet Chriſti, patrocinium ſanctorum, atque inprimis Angeli Cuſtodis opem, ſæpè quoque illi ſuggerendo, ut ini-

G

micos ſuos non timeat, ſed virtute Jeſu Chriſti Domini noſtri ſeſe muniat, & confortet: quia non ſunt hæc certa ſigna, & indicia damnationis, ſed quibus ipſe potius à peccatis reſtantibus expurgabitur, ut ſic quàm citiſſimè ad Domini Dei ſui conſpectum admitti mereatur.

CAPUT VII.

De iis qui ſumma in conſolatione moriuntur.

ETſi, ut ſuperiore capite dictum eſt, firmum, ſolidumque de morientibus formari non debeat judicium ex ſignis illis, quæ communiter, vel videntur, vel audiuntur; quando tamen viſa, vel audita vitæ præcedentis formæ modoque conformia ſunt, de-

H

ſpici non debent. Unde multi ſinceri ſervi Chriſti, præſertim Religioſi regulari obſervantia illuſtres, & rebus ſpiritualibus dediti, multa magnam omnibus conſolationem adferentia, in hora mortis, vel paulo antè tam audire, quàm videre ſolent, ut in ea non perterreantur: adeò ut quoddam æternæ con-

Script An. circ. 1612.

Bonae conſcientiae teſtimonium in iuſtis.

Exemplum.

Greg. lib. 4. dial. c. 47.

Alterum.

Iuſtorum gaudia.

ſolationis, qua mox fruituri ſunt, ſpecimen Dominus iis dare videatur. Tunc ſcilicet ipſa viva ſpes, & bonæ conſcientiæ teſtimonium juſtis ad oculum ſatis oſtendunt, quam bonum & utile ſit graves labores, derelictiones, infirmitates, atque alias afflictiones in vitæ hujus mortalis curſu toleraſſe, ut poſteà tam cordiali conſolatione fruantur, & confidenter ad deſideratam patriam ſuam A tranſeant. Tunc quoque videre eſt illas Sanctorum correſpondentias, & in amore reciprocationes, & fidelitatem ipſius ſancti ſanctorum, Jeſu Chriſti Redemptoris noſtri, qui animas illas, quas pretioſiſſimo ſanguine ſuo comparavit ſibi velut prædam capit. Refert S. Gregorius lib. 4. Dialogorum, ſacerdotem quemdam, nomine Urſinum, qui miram in vita caſtimoniam coluerat, in hora mortis ſuæ magna quadam animi exultatione clamare cœpiſſe; *Bene veniant Domini mei, bene veniant Domini mei, quomodo ad me minimum ſervum veſtrum venire dignati eſtis. Venio, venio, gratias vobis ago, gratias habeo.* Rogantibus autem iis, qui circumſtabant, quibuſcum loqueretur, reſpon-B dit: *Non videtis quomodo huc deſcenderunt Beati Apoſtoli Petrus. & Paulus?* & denuo ad ſanctos illos converſus, ait, *Ecce venio, ecce venio*: & his dictis, animam creatori ſuo reddidit. Narrat idem de alio Dei famulo, cui nomen Servulus, qui in longa multorum annorum paralyſi, ſingularem patientiam prætulerat, & in ſummis doloribus aſſiduas Deo gratias egerat. Hic ergo cum jam ad vitæ extremum redactus eſſet, vocavit ad ſe omnes, qui ſecum eodem in Xenodochio agebant (erant hi pauperes peregrini, quibus ipſe de eleemoſynis ſibi collatis benefaciebat) eoſque ad pſalmos, & hymnos decantandos invitavit. Quibuſcum ipſe dum canit, ſubitò cantantes compellans, *Tacete*, ait, *non auditis laudes, quas* C *in cœlica regione cœleſtes ſpiritus concinunt?* quibus ille audiendis (uti priùs audierat) dum aures accommodat, à ſuaviſſima harmonia illectus, & raptus, ſanctam animam ſuam in manus Creatoris reſignavit, univerſum, in quo deceſſerat, locum odore ſuaviſſimo, qui felicitatis ac beatitudinis, qua fruebatur, argumentum erat, repletum relinquens. Rara quidem ſunt exteriora hæc ſigna; non tam rara tamen interiora illa ſunt gaudia, quibus juſti, qui inculpatè, ſanctèque vivere ſtuduerunt, perfunduntur; utpote quibus ſæpenumerò divinæ conſolationes obtingunt, quibus animæ ipſorum perfuſæ quamprimum diſſolvi geſtiunt, quò ad ſuam requiem tranſeant, ubi ſine fine ſum-D mo illo bono, quod ex totis viribus, & ex toto corde ſuo dilexerunt, ac quæſierunt, perfruentur. Multis his monita præſcribenda non ſunt, quia hi ordinariè nobiliſſimos quoſdam confidentiæ, amoris, & deſiderii, & affectus in Deum actus concipiunt, & circumſtantes ad Chriſto Domino ſerviendum, cumque deſiderandum quàm vehementiſſimè excitant.

CAPUT VIII.

De particulari animarum judicio.

Iudicium particulare adſertum.

Abul. in cap. 24. Matth. et Soto 4. diſt. 45.

Vita humana momentanea.

QUamprimum atque anima è corpore evolavit, particulare de ea judicium fertur, idque eo ipſo in loco, in quo homo mortuus eſt; ut vel cæleſti beatitudine donetur, vel pœnis purgatorii, vel damnationi inferni, vel carceris in limbo addicatur. E Rei hujus ratio eſt hæc: quòd enim animæ ſubitò ad ea conducendæ ſint loca, quæ illis ſunt pro meritis deſtinata, neceſſe eſt earum judicium præcedat: nam ad illa emitti loca quædam eſt executionis ſententiæ, quæ in ipſas fertur, pars, & hanc Chriſtus Dominus noſter velut Judex pronuntiat; animabus verò ipſis in ipſiſſimo mortis articulo ſententia hæc intimatur, & innoteſcit: non quòd unicuique ſingillatim Chriſtus Judex appareat; ſed quòd virtute Chriſti, intellectus illarum illuminantis, unaquæque facilè intelligat, & cognoſcat ad quemnam de ſupradictis locis, & ad quod præmium, vel F pœnam deſtinata ſit. Quod verò in hiſtoriis quibuſdam legimus, nonnullos, etiam antequam anima a corpore ſepararetur, particulare judicium ſuum accepiſſe, dicendum eſt, ad viventium tantùm inſtructionem eam diſcuſſionem ſcriptam eſſe, ut ſcilicet hi rigore illo divini judicii perſpecto, cautiùs ac ſanctiùs viverent; hujus tamen diſcuſſionis ſententia terminativa, nonniſi in ipſo ſeparationis animæ puncto fertur. Vel dicendum, fieri in aliquo caſu extraordinario potuiſſe, ut ſententia verè ante in animam per particularem quamdam Dei providentiam lata ſit, quàm ipſa à corpore ſejungeretur, uti in aliquibus, qui vivi in infernum deſcenderunt. Ex iis quæ ſupra de judicio ordinario, quod de unoquoque ſingillatim fertur, dicta ſunt, fit, quòd circum-G ſtantes ſæpiùs vultum morientis reſpiciant, & dubitent mortuuſne ſit, nec ne, & judicium ejus jam factum eſt, & ipſe ad locum tormentorum deductus. Unde ſalutarius, & prudentius conſilium nullum dari nobis poteſt, quam piè ſanctèque vivere, & cum ſollicitudine, interim dum tempus habemus, rem noſtram agere. Vita enim pertranſit in momento, & mors quotidiè appropinquat. Beati illi, qui ad cænam nuptiarum Agni Dei parati ſunt. Beati mortui, qui in Domino moriuntur, id eſt, in ejus gratia, & amicitia, quia dies illa, quæ peccatoribus æternarum pœnarum initium eſt, ipſis eſt feliciſſimus ad vitam ætermam tranſitus. H

Scrip. An. circ. 1612.

CAPUT IX.

Epiſtola in ipſa mortis hora, vel dum ea jam inſtat, legenda; ita ut moriens eam audiat, ejusque affectus in ſe excitare procuret.

A

Jeſu Chriſto crucifixo, Redemptori ſuo, homo in ſuo tranſitu conſtitutus S. D.

VEnit, ecce manſuetiſſime Fili Dei, ac Redemptor meus, hora, in qua me dolores mortis, & timores inferni, & juſti judicii tui circumdederunt. Recordare, obſecro, Domine, hujus creaturæ tuæ, quam condidiſti propter te; ne deſpicias gemitus illius animæ, quam pretioſiſſimo ſanguine tuo redemiſti. Ne utaris mecum, clementiſſime Domine, rigore juſtitiæ tuæ, cùm ex omnibus viribus meis tibi me tradam, ac te invocem. Ne reſpicias, ô pacifice Rex, cujus nomen eſt totum dulcedo, & miſericordia, B ignorantiam, & infirmitates hujus filii Adam, qui ad patris ſui imitationem prævaricatus eſt; ſed propitius ignoſce ei, qui pedibus ſe tuis advolvit, & ad tenerrimum gratiæ tuæ cor affectuoſiſſimè clamat. Memento quæſo, Redemptor meus, novi teſtamenti, quod feciſti, ac morte tua confirmaſti, quodque vitam meam eſt operatum; & ne me repellas ab hæreditate filiorum Dei, cum quibus ſereniſſimam faciem tuam quæro, & requiro. Sum quidam filius prodigus, & peccavi; ſed cordialiſſimè me pœnitet, quod te patrem meum offenderim: ne auferas à me in hac hora illam amoris tui pluſquam paterni oſtenſionem, nec fruſtreris me deſiderio illo, quo ad opulentiſſimam ſcholam primam aſpiro. Dele, ô dulciſſimum C refrigerium meum, nobiliſſimo ſanguine tuo omnia peccata mea, & fac me participem ſalutis, quam in vitaliſſimo crucis tuæ ligno es operatus. Noli obliviſci ultima illa verba, quibus patrem tuum æternum placaſti, & pro iis peccatoribus es deprecatus, qui te actualiter, & facto ipſo cruci affigebant, & blaſphemabant, ipſam peccati malitiam copioſiſſima gratia, & miſericordia tua ſuperando. Ne, quæſo, derelinquas illum, qui te ut verum Redemptorem, Dominum, ac Deum ſuum agnoſcit, & ad cordis tui januam pulſat, quæ creaturis tuis occludi non ſolet. Venio ad te, ô ſalus, & æterna vita mea, cum firmo quodam tibi ex omnibus viribus, & deſiderio meo adhærendi propoſito, dolens, quòd fideliùs hactenus Majeſtati tuæ non D ſim famulatus, meque totum tibi in holocauſtum offero, ab eo quòd mihi reſtat vitæ tempore fideliter tibi ſerviendum; quin firmiter propono quamdiu vivam tibi ſervire, eſto, etiam adhuc mille mihi annis ſupervivendum eſſet, infinitam bonitatem, & magnitudinem tuam ſemper & amare & colere conſtituens. Tu potes in momento, ô potentiſſime princeps, inopem hanc animam ditare, eamque inæſtimabilibus gratiæ theſauris replere, etiam dignè eam condecorare, quatenus fiat ſponſa tua: potes quoque prædam hanc tuam à faucibus leonis tartarei, inimici tui, vindicare. Reſpice itaque, Domine meus, extremas, in quibus ago, anguſtias, manumque tuam extende, ad me deſiderata electorum tuorum protectione defendendum. E Infinito quodam deſiderio tuam fortitudinem, & conſtantiam invoco, nihil penitus mihi confidens (quia ſcio me peccaſſe, nec bonum quod poſtulo promereri) ſed in ſola bonitate, & liberalitate Filii Dei ſpem collocans. Reſpice, ô infinitum bonum, ac fortitudo mea, id quod pro me paſſus es; vide, inquam, quomodo me in puriſſimæ humanitatis tuæ libro ſcripſeris, conſortem me paſſionis illius, & abundantiſſimæ redemptionis, quæ omnes miſerias meas infinito intervallo tanſcendit, facere cupiens. Tu es, ô Domine, juſtitia, ſanctificatio, ac redemptio mea: quem ipſe, cum firmiſſima victoriæ, ad quam aſpiro, obtinendæ, & ad beatiſſimam electorum patriam, quæ eſt cœ- F leſtis illa Jeruſalem, dulciſſima ſponſa tua, ex hoc exilio emigrandi ſpe, conſtringo, & complector. Cùm verò in hac conflictus mei hora, neceſſariò mihi ſit tecum expeditè, & ſolicitè negotiandum, ô æterna conſolatio mea, ut ſic fructus redemptionis mundi, quam innocentiſſima vita, & morte tua es operatus, particeps reddi valeam; quàm poſſum affectuoſiſſimè de vitæ tuæ myſteriis tecum agam, quas ad miſericordiam, quam poſtulo, impetrandam rationes habeo, tibi repræſentans, idque ſummæ, & altiſſimæ juſtitiæ, qua pro me promeruiſti, & clementiſſimo Patri tuo ſatisfeciſti, innixus.

Ut autem à ſuaviſſimo Incarnationis tuæ myſterio incipiam; recordare, Rex meus, & haeres domus Jacob, delicioſiſſimi illius thalami, G ac reclinatorii tui, ventris inquam illuſtriſſimæ Virginis matris tuæ. Per caſtiſſimas ergo illas delicias, quibus cor tuum perfuſum eſt tum, cùm ſtatim ac puriſſima mater tua ad Angeli nuntium aſſenſum dedit, corpuſculum illud è virginali fuit ſanguine efformatum, & unà cum anima divinitati tuæ conjunctum; oro te, dulciſſime Domine, ut me non deſpicias, ſed in hac hora creaturam illam bees, cui te, cùm homo pro me fieres, aſſimilare dignatus es, idque inventione tam nova, & admirabili, tantamque dulcedinem, & miſericordiam ſpiranti. Jam inde ab illo momento, quo naturam humanam induiſti, beatiſſimæ Virginis Fili, meus factus es frater, & deliciæ tibi fuere mecum converſari, meamque amicitiam H ambire. Per hanc itaque ineffabilis amoris tui ſpeciem te, benigniſſime amator, oro, ut me te privari non permittas, utpote qui per hunc admirabilis fraternitatis modum tam ſublime à te ſum exaltatus; ſed ſalvum facias fratrem tuum, & ſecundùm immenſæ caritatis tuæ viſcera præſtes, ut, & tuus ſim cohæres, & electorum tuorum privilegiis gaudeam, te, ô cariſſima libertas, vita, & gau-

dium

Scrip. An. circ. 1612

dium meum, poſſidens. Fateor, ô divina veritas, magnum me peccatorem eſſe, quin etiam ſummè mearum me prævaricationum pœnitet: ſimul tamen confiteor, me, tametſi innumera alia peccata feciſſem, & graviora, & deteſtabiliora, omnia nihil eſſe judicaturum, ſi cum remedio, quod mihi per te
A impenſum eſt, comparentur. Proinde firmiſſimè ac fiducialiter in te confido, ac numquam credam, altiſſimum Dei Filium, qui meus, & frater, & conſors factus eſt, opulentiſſimæ hæreditatis Patris ſui partem mihi denegaturum. Ego tibi, ô Emmanuel, Verbum æternum factum caro, & fideliſſime hominum cuſtos, animam, & corpus meum, in infiniti illius amoris, quo pro me incarnatus es, & mihi te unire voluiſti, compenſationem ſacrifico. Admitte itaque hoc ſacrificium meum Domine, ipſum ardentiſſimo caritatis tuæ igne abſume, & præſta, ut ego te in hac ſuprema vitæ meæ particula, Seraphico quodam amore diligam: vellem te, o verum robur & ſpes mea, eo amore amare, quo omnes te creaturæ, quæ in gratia
B tua ſunt, amant, & cum puriſſimo hoc affectu per medios hoſtes meos, ad pacem, quæ in Dei civitate reperitur tranſire.

Recordare, o æterna ſalus mea, paupertatis, & humilitatis, in qua natus es: nam uterum illum virgineum obſignatum relinquens, & eo velut thalamo egrediens, frigori te, & mortalis hujus vitæ incommodis ad me ſalvandum, expoſuiſti. Præſta, ut & ego ultima hac hora mea naſcar, atque è præſenti hac caligine ad beatiſſimam lucem tuam egrediar. Lava me, ô unigenite Dei Fili, qui jam inde uſque ab infantia in laboribus fuiſti, hac hora ultima in ſanguine tuo, & ſpiritum novum in me creando, puerilem puritatem, & innocentiam mihi elargire, ut tibi placeam veſte nova indutus, & divinæ gratiæ tuæ candorem ſemper inte-
C grum, immaculatumque in me cuſtodi. Aufer è contra à me veteres patris mei Adam exuvias, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis, qui ſemper in me, velut in vivo templo tuo, habitet; & ego te laudabo, atque infinitæ gratiæ, bonitatis, & miſericordiæ tuæ victorias in æternum cantabo. Quàm nequiter feci, quod te, o candor nitidiſſime, & ſpeculum ſine macula, in quo ſe Eccleſia triumphans dilecta tua contemplatur, offenderim, & veſtem primam, qua animam meam ornaſti, coinquinarim. Mille malim mortes paſſus eſſe, quàm immaculatam legem tuam prævaricaſſe. Sed tu, o liberaliſſime Domine, tantò in me amplius glorificaberis, culpas, quas commiſi, mihi ignoſcendo, quantò major tua eſſe miſericordia
D apparebit, ubi ea cum ingratitudine mea comparabitur. In hac ergo hora, o manſuetiſſime Agne, gratia tua in me exaltetur, ac me ad formam tuam totum reforma, ut & te ex omnibus viribus meis diligam, & caritatis tuæ viribus armatus, inſultus inimicorum meorum, qui ad me oppugnandum totis viribus, & aſtibus ſe accinxerunt, expugnem.

Reminiſcere, dulciſſime Redemptor meus, affectus illius, quo pro me fuiſti circumciſus, & tam atrocem in tenero illo corpuſculo dolorem es paſſus, tam tempeſtivè pretioſiſſimum ſanguinem tuum effundere incipiens. Circumcide itaque deinceps cor meum, ut præter te unicum bonum ac deſiderium ſuum aliud non deſideret. Alium quoque ſenſum E
vel affectum omnem in me, amabiliſſime Jeſu, exſtingue, & da, ut omnibus animæ meæ viribus in unum junctis, te ſolum in hac hora vehementiſſimè deſiderem, & inſuperabilem quandam tui videndi, & ſine ſine poſſidendi ſpem in te collocem. Noli me, o Rex gloriæ, ſpe & prætenſione illa privare, propter quam toties equidem meipſum ſacrifico, quoties reſpiro, afflictionem illam & dolorem, quem patior, cum circumciſionis tuæ dolore, & cum ſanguine ad cariſſimam libertatem, & redemptionem meam comparandam effuſo conjungens.

Recordare, o Sapientia æterna, mirabilis illius tuæ per triginta annos, quibus inter homines egiſti, converſationis, in qua pauperem, & humilem vitam ducens, & F
tot annos in obſcuro ſilentio deliteſcens, paſſioni, & morti tuæ deſtinatum tempus exſpectaſti. O verbum Patris, qui eſto tanta altiſſimæ Sapientiæ profunditate eſſes, peregrini tamen & obſcuri hominis per terram alienam tranſeuntis inſtar tacuiſti, doce me, & remitte in animam meam in hac hora ſplendidiſſimam lucem tuam, ut in ejus fulgore ſine ulla læſione, immunis per tenebras mortis, ad deſideratiſſimam patriam meam pertranſeam. O immortalis cordis mei vita, quàm graviter erravi, quòd me in ſuperiori vita tibi, qui exemplar meum es, non conformarim! Utinam te totis viribus meis fideliſſimè eſſem imitatus! Intimè doleo, quod à te, via, veritas, & vita mea, quæ omnibus terræ theſauris, & imperiis potior es, deviarim. Omnes quoque culpas G
meas deteſtor, quòd eæ tibi directè oppoſitæ ſint, & adverſentur. Et, ſi per novam providentiæ tuæ diſpoſitionem mille adhuc annis ſuperſtes eſſe deberem, nocte, dieque in lege tua ſtudioſiſſimè meditabor, & ad mortem uſque generosè adverſus tentatorem certabo, ut ne vel minimum præceptorum tuorum tranſgrediar. Redde me meritorum illorum, quæ in ſtupendiſſimo illo tuo triginta annorum ſilentio, o Fili Altiſſimi, abſcondiſti, participem, & da, ut fructus in me proferat id, quod tanti temporis labore, diſpendio, & humilitate, in terra ſeminaſti, quia gratiæ tuæ theſaurus infinitus eſt. Conforta me, o validiſſime athleta, in hac hora contra mortem, & furias infernales, ut ſcilicet adverſarii mei, operum illorum occulto- H
rum, quæ ſilentii tui tempore pro me feciſti, virtutem, & potentiam ſentiant, & ego tibi propterea ſemper amoris tui tributum perſolvam.

Memento, ſuaviſſime hominum magiſter, laborum illorum, quos pro me tribus ultimis vitæ tuæ annis ſubiiſti; incipiendo à ſacracratiſſimo illo jejunio, quod in deſerto iniiſti, in quo tentatus fuiſti, ut robur mihi, & virtutem dares ad tentationes meas ſuperandas. Vide, o fideliſſime afflictorum auxiliator, quibus modò in anguſtiis ſim conſtitutus, & tentatoris, & hoſtis mei malignitatem, ac rabiem conſidera. Etſi peccarim, & proptereà in perſecutorum meorum manus tradi A meritus ſim; eorum tamen perverſitas non tam juſtitiæ tuæ ordinem, & diſpoſitionem in caſtigando quærit, quàm ut creaturas tuas vexando, & affligendo adverſum te inſurgat; proindè, clementiſſime Domine, illorum intentionem reſpice, & animam hanc fortitudinis tuæ umbone protege. Meas, o potentiſſime Rex, tentationes, & mortem tentationibus, & morte tua devince, ut ipſe virtutem, & magnalia brachii tui decantem. Memento ergo, o inæſtimabilis redemptio mea, diſcurſionum, famis, ſitis, æſtus, frigoris, & perſecutionum, quas, dum turbis prædicares, paſſus es. Dic mihi, vigilantiſſime paſtor, quid tum quæſieris? ſcilicet me; qui à via vitæ deviaram. Ecce jam, amantiſſime Domine, occaſio faciendi, & B reipſa præſtandi id quod tam ardenter deſideraſti: merita ſcilicet, & ſatisfactiones tuas mihi applica, & ad vitæ æternæ paſcua per dulciſſimam bonitatem, & miſericordiam tuam me conducito. Copioſiſſima porrò redemptione tua nixus ſpero, & mihi ſpondeo, à te hac hora me adjuvandum, & animam meam cordi tuo quàm arctiſſimè uniendam. Deſidero me, o infinitum bonum meum, tibi quàm intimè poſſum, unire, & ſummopere doleo, me à te ob peccata, quæ in altiſſimam majeſtatem tuam alias commiſi, disjunctum fuiſſe. Utinam, (ſi quidem ita tuum eſſet beneplacitum) hæc inſtans mors mea non naturalis foret, ſed violenta, ut videlicet per infidelium manus, fidei C Catholicæ veritates, ac fidelitatem promiſſorum tuorum confitendo occumberem, ut ſic aliqua ex parte pro peccatis meis graviſſimis ſatisfacerem, & vitaliſſimæ morti tuæ aliquomodo aſſimilarer. Sed cùm, o amabiliſſime Domine, oſtendas beneplacitum tuum eſſe, ut tali mortis genere defungar; hanc tuam voluntatem ex toto corde complector, totumque me tibi taliter offero, ut eſto hìc mille annis ſupervivere poſſem; ſemper tamen me voluntati tuæ conformarem, & hac ipſa hora eligerem, (uti verè id eligo) vitam ponere potiùs, quàm mille annis adhuc vivere; dumtaxat, ut facerem quod tibi placitum eſt.

Recordare, o pretioſiſſima libertas mea, veſperæ illius, quæ proximè paſſionem tuam præceſſit; quando ſcilicet cariſſimis diſcipulis D tuis pedes lavaſti, atque admirabile illud Euchariſtiæ Sacramentum, quod propria æterni amoris, & novi teſtamenti tui inventio eſt, inſtituiſti. Cum talia, quæque myſterio adeo plena ſunt, pro me feceris, ne deſeras me in hac ultima tribulatione mea, in qua amicitia, & favore tuo potiſſimùm opus habeo. Lava mihi, manſuetiſſime Domine, ſanguine tuo non pedes modò, ſed & manus, & caput, quin, & univerſum corpus, & animam meam, ut nulla prorſus in me hac hora maneat macula, in qua coram facie tua mihi apparendum eſt. Et quandoquidem toties in me, per ſanctiſſimum hoc Sacramentum, quod electorum propriè panis eſt, dignatus es intrare, ne patiare, obſecro, me E damnari, & à facie tua repelli. Noli, inquam, permittere, o æterna miſericordia mea, ut in ea anima, & corpore habitet dæmon, in qua tu toties es hoſpitatus; ſed ſalvum fac habitaculum tuum: nam quod ad me, equidem paratus ſum eſſe templum tuum, & nullum ulli affectui aut deſiderio, quod puritate, & magnitudine tua non ſit dignum, locum dare. Aliud bonum præterquam te non cupio, & ſummoperè me pœnitet, quòd tam indignis thalamum tuum modis habuerim. Alium præter unum te, dilectiſſime Domine, & nobiliſſime animæ meæ Rex, patronum in æternum non quæram.

Recordare, Fili Dei vivi, noctis illius, in qua, poſt orationem, & ſudorem ſanguineum, F quo me diſſolveres, & in libertatem filiorum Dei aſſereres, colligatus, & vinctus fuiſti. Cùm vero in illa hora veram te eſſe oſtenderis manſuetudinem, & Judæ amicitiam non ſis abominatus; ſed infinita quadam amoris ſuavitate in illius amplexus rueris; ne me repellas, quæſo, à te, qui amicitiam tuam ambio. Libera, o Rex, funiculis Adam, & divinæ caritatis vinculis, magis quàm funibus ſatellitum Judæorum vincte, animam meam ab inſidiis inimicorum prædæ inhiantium; & da, ut aſtutiæ illorum, & machinæ in vanum abeant. Ego totus ſum tuus, clementiſſime Jeſu, ac millies tibi me dedico, ut me apud te fortiſſimi amoris, & deſiderii tui catenis conſtrictum teneas. Conſtringas G me, fortiſſime Jeſu, funibus, & ligamine hoc dilectionis, & in hac ultima hora mea me quàm potes validiſſimè ad te trahas. Utinam verò, deſideratiſſimum bonum meum, ita in me caritatis tuæ vis, & robur prævaleat, ut te amando, vitam poſſim ponere! Hanc mihi, obſecro, liberaliſſime Rex, gratiam præſta, ut ſic mortalitatem hanc finire liceat, & quibuſdam privilegiis libertatis jam tum frui incipiam, in eo ſitæ, ut te tota mente, corde, anima, & fortitudine mea diligam.

Reminiſcere, altiſſime regum Rex, quomodo judicibus fueris præſentatus, & propter me tot à creaturis tuis injuſtitias, & ignominias paſſus. Voluiſti, ô infinitæ magnitudinis Rex, ab hominibus judicari, & reprobari, quò me in libertatem electorum H tuorum aſſereres. Quamobrem tibi per ineffabilis caritatis tuæ viſcera ſupplico, ut miſericordia mecum utaris, & animam meam ab omni eo expurges, quod ad eam judicandam ſpectat, ut videlicet fiam vas miſericordiæ & electionis, in gloriam tuam præparatum. Agnoſco quidem, patientiſſime Jeſu, reatum meum, ac ſeverum me judi-

judicium promereri; cùm tamen tu, qui ipſamet innocentia es, judicari volueris, ſpem concipio fore, ut in judicio tuo abſolvar. Quod ipſum firmiſſimè ſpero, & me coram benigniſſimæ gratiæ tuæ tribunali proſterno, eam quam pro me meruiſti abſolutionem, & per conſequens ſalutem A æternam, & feliciſſimam vitam tuam petens.

Redeant tibi in memoriam, ô pulcherrima animæ meæ lux, crudeliſſima illa flagella, a quibus innocentiſſimum corpus tuum à ſolo Spiritu Sancto in puriſſimæ Virginis matris tuæ utero formatum, conciſum & diſruptum fuit; & conſidera ineffabilem illam afflictionem, & dolorem, quem hic pro me pertuliſti, ut illa mecum miſericordia utaris, quam infinita juſtitia tua promeruiſti. Doleo ex intimis cordis mei penetralibus, quòd acerrimorum horum cruciatuum tuorum cauſa extiterim, dum in majeſtatem tuam peccando offendi; & crudeli mallem morte interiiſſe, quàm in clementiſſimum patrem tuum injurius exſtitiſſe. Sed quoniam tu, ô ſecuritas mea, pro me ſatisfacere B voluiſti, mihi, quæſo, tot anguſtiarum, & ignominiarum tuarum fructum noli denegare: ſed, ô cariſſime mediator, Patrem tuum æternum mihi placa, & reconcilia, & fac, ut ipſe in hac hora apertis me ulnis, velut dilectum filium ſuum recipiat; & ego bonitatis, & dulcedinis tuæ magnalia in æternum cantabo.

Memento, ô pacifice Rex Jeruſalem, coronæ ſpineæ, & arundinis, quibus pro me illuſus fuiſti ſimul, & cruciatus, & piis compaſſionis oculis hanc creaturam tuam, quæ te adorat, & honorat, (non ut ſceleſti illi ſicarii, qui tibi illudebant & cruciabant. ſed verum Regem, ac cœli terræque Dominum te agnoſcendo) intuere; & ſingularem illam mihi gratiam præſta, ut fidelis C in æternum vaſſallus, & ſubditus tuus ſim, ac majeſtatem, magnitudinem, & gloriam tuam magis amem, quàm vitam meam, ut aliud præter te bonum non deſiderem. Summæ mihi gloriæ duco, quòd tuus, o Jeſu Chriſte Fili Dei, ſervus ſim; & infinitas tibi ex intimo cordis mei penetrali gratias ago, quòd intra Eccleſiæ, quæ cariſſima ſponſa tua eſt, gremium continear. Proteſtor itaque ac profiteor, eſſe me totum tuum, & in veriſſimæ fidei tuæ confeſſione vivere, & mori velle, te, ut Dominum, Regem, Deum altiſſimum, & unicum bonum meum agnoſcendo. Perplacet mihi, Domine mi, quòd tu regnes, atque imperium obtineas, & quòd in nomine tuo, vel ex amore, vel ex D timore, omne genuflectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & linguæ omnes confiteantur, ſedere te ad dexteram Dei Patris Omnipotentis. Regna, o Rex magne miſericordia coronate, in medio cordis mei ſuaviſſimæ caritatis tuæ imperio, atque hic ultimus vitæ meæ affectus eſto.

Memento, o clementiſſime Jeſu, clamorum illorum, quibus te univerſa civitas Jeroſolymitana ad mortem depopoſcit; nec non opprobrii, & ignominiæ illius, quæ tibi fuit irrogata, cùm ad propoſitionem Pilati Barabbam latronem tibi vero Deo & Creatori ſuo præpoſuerunt. Per quos clamores, qui cor tuum penetrarunt, te, Rex meus, ſuper omnes, & præ omnibus regibus, & principibus terræ electe, oro, ut miſerearis, & E compatiaris mihi, qui non tam contra te, quàm ad te clamo, ut deſideratiſſimam gratiam tuam obtinerem. Quàm, o ſummum bonum meum, ingratiſſima illa civitas erravit, quòd te non elegerit. Equidem hujus erroris particeps eſſe nolo, ſed te in patronum, Regem, Deum, & amabiliſſimam vitam meam eligere volo, uti & reverà jam eligo. Utinam te Domine numquam offendiſſem! utinam tibi fideliter toto vitæ meæ tempore ſerviviſſem! Indoleo ſummopere ob errorem, quem feci, dum peccavi & creaturas elegi, te relicto. Sed cum intimo quodam dolore, & deteſtatione eorum, quæ commiſi, ad te me, o electiſſimum bonum meum, converto, & quàm poſſum maximo te affectu complector, cum F propoſito & intentione ſemper te mihi aſtrictum, & unitum habendi.

Memento, cariſſimæ ſalutis meæ auctor, iniquæ illius ſententiæ, quam ad inſtantiam, & poſtulationem Judæorum, contra pretioſiſſimam vitam tuam Pilatus tulit; & ligni illius crucis, quod humeris bajulaſti, ut in illo pro me immolareris. Meruiſti, Domine mi, dum ab hominibus morti es adjudicatus, ut ego in judicio tuo abſolvar, præſertim cùm ſim pauperculus, in extrema anguſtia, & afflictione ſuperabundantiſſimam miſericordiam tuam invocans. Hoc ſanè iter tuum Domine, & cariſſime liberator meus, quod jam inde ab urbe ad uſque montem Calvariæ peccata mea humeris tuis geſtans, feciſti, mihi magnam boni, quod poſtulo, G impetrandi ſpem ſuggerit, cùm tanto id ipſe labore promerueris, & ſimul etiam in eodem hominibus communicando tam ſis liberalis: firmiſſimè ergo in te ſpero, Redemptor mi, & utiliſſimas mihi rationes, in quibus ſpes & poſtulatio mea fundetur, propono.

Memento, candidiſſime Agne Dei, quomodò in ara crucis ſacrificatus, & ſuaviſſimum Patri tuo holocauſtum factus fueris. Reſpice dolores mortis, improperia, & illud ſanguinis, quem pro anima mea effudiſti, profluvium. Reſpice, & in bilance hac appende hinc pretium redemptionis, illinc peccata mea; ac comperies, pretium infinito pondere peccatis meis præponderare. H Noli, o Rex, qui à ligno regnaſti, & ſuper eo opus redemptionis meæ conſummaſti, mei obliviſci, cùm aliud non quæram, quàm ſolam gratiam, & miſericordiam tuam. Dulciſſima illa ultima verba, quæ in mortis agone protuliſti, mihi ſunt ad impetrandum bonum, quod poſtulo; & in æternum bonitatem & amorem tuum deprædicabo: firmiter indubitanterque in te, unigenite Fili Dei, credo; in fidiſſimam miſericordiam tuam

tuam ſpero; cordialiſſimè te bonitatem infinitam, pulchritudinem, & cordis mei requiem diligo, & quoties brevi illo vitæ ſpatio quod mihi ſupereſt, reſpirabo, totum me divinæ majeſtati tuæ ſacrifico, & in manus tuas reſigno, ut ſanctiſſima tua voluntas in me fiat in tempore, & in æternitate; & in A Beatiſſimæ Virginis, omnium Angelorum, & Sanctorum, qui tum in cælo, tum in terra ſunt, ſocietate me dulciſſimæ animæ tuæ unio.

CAPUT X.

Conſideratio de morte peccatoris.

Mors peccatoris deſcribitur.

ULtimis hiſce capitibus de quatuor noviſſimis tractaturus, quæ Lectori cum ad vitam emendandam, tum ad bonam mortem faciendam uſui eſſe poterunt, ab ipſa morte incipiam, non quidem per modum ſpeculativum, cogitandò dumtaxat animo id quod morientibus contingit; ſed modo quodam pathetico, & vehementiori, ad ipſos viventes B juvandos. Ut autem de peccatoris morte loqui incipiam, primò ipſemet periculum, ac ſtatum mihi declaret neceſſe, eſt, in quo ſub ultimas illas anguſtias verſatur, quia tam ex priſcis hiſtoriis, quam è novis eventis, & exemplis probabiliter ipſe peccatoris in illa hora ſenſus erui poteſt. Qui enim toto vitæ ſuæ curſu ſemper legem Dei proculcavit prævaricando, & vitiis omnibus ſe in prædam dedit, nunquam de fine ſuo cogitando, ita proculdubio in illa hora alloquetur: Jam ecce, heù infelicem ac miſerum me! ad ultimas redactus ſum anguſtias, & in profundo maris, cum magna animæ meæ deſolatione, à tempeſtate me abſorptum video. Vixi velut pinguis, & incraſſatus quidam taurus per omnia deliciarum mundanarum paſcua ac prata diſcurrendo, nihil ut oculis, C & concupiſcentiis meis eorum, quæ concupiſcerent denegarim; finem ah meum non ſum intuitus, ſed delectationibus ac voluptatibus terrenis ita me inebriavi, quaſi non crederem aut Deum eſſe, aut aliquando me à juſtiſſimo quodam judice diiudicandum. Quomodo, heu! dolores, & horrores mortis me jam obſederunt, ut neminem, qui pro me jam reſpondeat, inveniam? Peccata, quæ tanta cùm voluptate alias patravi, ac ſine ullo ad animam meam intuitu, modo me, ceu totidem leones formidabiles oppugnant, atque horrendis animum tremoribus, & æternarum pœnarum horroribus conturbant. Conſcientia propria, in quam peccavi, dum inſpirationibus divinis, introrſum compellantibus, & per illam commoventibus D auſcultare nolui, adverſus me jam inſurrexit, & acutiſſimis cor, & animam meam aculeis configit, & compungit, infernalibus me tormentis dignum eſſe clamando. Dæmones, quibus majori obſecutus ſum promptitudine quam divinæ majeſtati, horrendis me ſpectris perterrefaciunt, & canum rabientium inſtar me allatrant, in prædam irruentes. Judex deniquè meus, quem contempſi, ſtrictum juſtitiæ ſuæ mucronem in me vibrat, & judicii ejus terrores magno impetu ſuper me ingruuut. Quam. eheu! verum eſt, impium, & iniquum à ſuis in hora mortis peccatis capi, & conſtringi! ſi enim retro acta inſpicio, video ſuperiora opera mea adverſus ſalutem meam clamare, ac ne E minimum quidem mihi refrigerium, ac laxationem indulgere: ſi ſtatum intueor præſentem, invenio animam meam, talem jam peccandi habitum contraxiſſe, ut ad Deum ſe convertere penitus neſciat, & quo damnati ſolent, affectu in peccando quodammodo obduruerit, qui ſaxis, & adamantibus fit durior. Si oculos in futurum coniicio, vita quam duxi, nullam mihi ſalutis ſpem, ſed infernalem potius de vita æterna deſperationem ſuggerit. Et omnes, quas conſidero, me evincunt, rationes, ut me ceu mancipium quoddam, ſervituti, & carceri perpetuo, addictum habeam. Speravi in vana ope terræ, quam dilexi, & in qua nomen meum ſcribere ſtudui, de bonis æternis conquirendis nihilum laborans; F propterea hinc me atrox deſperatio, illinc bonorum, quæ dilexi, adoravi, & quibus ſemper me fruiturum ſperavi, carentia crudeliter affligunt. O mors quam mihi amara es! quis mihi in hac hora auxilio erit!

Conſcientiæ aculei in peccatore moriente.

Peccatoris in hora extrema conſtituti affectus.

Hi ſcilicet ſenſus, & affectus ſunt peccatoris, quos in hora mortis ſentit: qui etſi, dum ſcribuntur, & recogitantur, infinita deſolatione, & mœſtitia pleni videantur, certùm tamen eſt eos uti reverà ſunt, deſcribi verbis exprimique non poſſe: nam ſicut viventes nullam mortis habent experientiam aut notitiam, ita nec proprium tam illius quam ejus circumſtantiarum, habent ſenſum. Proptereà eſto ſatis competenter de iis, quæ in tranſitu illo contingunt, ſcribatur, dicatur, ac cogitetur, ſemper tamen ulterius G Lector debet tranſcendere, & plura credere quam cogitet. Quando maleficus aliquis ſupplicio extremo adjudicatus jam patibulum cominus, & coram videt, talem in ſe affectum, ac ſenſum rei, à qua affligitur, ſentit, ut nemo omnium, qui præſentes adſunt, & pio compaſſionis affectu moventur, (etſi vel ipſe ejus ſit pater aut mater) in ſe talem ſentiat angorem, & agoniam qualem ipſe reus. Quia aliud longè eſt pati, aliud compati: quamquam, per divinæ gratiæ opem, talem nonnumquam compaſſionis ſenſum, Sancti habuerunt, ut, & ipſum paſſionis eorum, qui ſupplicio afficiebantur, vel alio quolibet modo neci dabantur, ſenſum ſuperarent. Sed hæc rara ſunt, & nonniſi per ſupernaturalia, & efficaciſſima auxilia contingunt; proindè doctrinæ communi, quam hîc H aſſignavi, non obſtant. Poſito verò, nos longè horribiliora in morte peccatoris eventura imaginari debere, quam reverà imaginamur, quis divinare ergo poterit quid in ea eventurum ſit, cum tamen illa, quæ diximus, tam horrenda ſunt? Quam igitur dæmones tartarei illi leones videntiam, & in-

Comparatio.

Paſſionis, & compaſſionis diſcrimen.

Scrip. An. circ. 1612.

ſtantiam vaſi illi iræ Dei inferent, ut animam illius quamprimum ad ſe rapiant, deque eo victoriam referant? quomodo tunc corpus illud, quod in ſempiterna, & ſemper duratura incendia jam jam abiturum eſt, horrendis animæ egredi timentis, & ad leonum ad eam devorandam ſe oſtentantium conſpectum contremiſcentis tremoribus, terroribuſque commovebitur?

A

Quomodo ſe ſubducet, & ſubterfugiet anima illa, quæ ubi corpore, quod dilexit egreſſa erit, jam jam in tenebras infernales detrudetur, & æternis tormentis addicetur?

Balthaſſaris regis turbatio notata.

Non tam clarè ac liquidò ſuum; in quo verſabatur ſtatum Balthaſar rex, quando cum ſatrapis ſuis ſplendidiſſimè epulabatur, perſpectum habebat, quam peccator habet, qui morti ſe vicinum videt; ille tamen cum manum in pariete mortis ſententiam ſibi ſcribentem conſpexit, neſciens tamen quid ſcriberet, ita ſolo ejus conſpectu eſt turbatus, ut de eo Scriptura dicat, *Tunc facies regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compago renum ejus ſolvebatur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur.*

Dan. 5.

B

Quo loquendi modo timor, & horror mortis diſertè, planeque ſignificantur: quæ etiam illi ea nocte per manus Darii Regis Medorum illata eſt. Ecce, Imperator, & Monarcha potentiſſimus, à ſuis ſatrapis, & amicis in loco tuto circumcinctus, viſa dumtaxat manu, quæ mortis illi ſententiam conſcribebat, ignarus tamen quid ſcriberet, adeò conterritus, & perculſus eſt, ut ejus facies commutata ſit, & ipſe eo quo diximus modo contremuerit, & horrenda ad ſuos inclamarit voce, eum quem intus patiebatur horrorem ferre non valens:

Peccator moriens a quibus vallatus?

C

quid igitur faciet peccator non jam epulas inſtruens, ſed infinita mœſtitia, & deſperatione oppreſſus; non jam à potentibus amicis circumdatus, ſed tum à diabolis, & graviſſimis peccatis ſuis, tum à divina juſtitia vallatus; nec ignorans ſtatum, in quo tunc verſatur, ſed inſtanter ſe vocari audiens, ut divina juſtitia in ſe exequutioni mandetur? Non intelligunt, prô nefas, hanc doctrinam peccatores; &, (quod omnium deterrimum) eam ne conſiderare quidem ſuſtinent. Noluit eam cogitare dives ille Epulo, in Lazarum immitis, & durus; ſed deliciis ac voluptatibus terrenis ita ſe totum immerſit, tamquam ſi ſemper in mundo victurus eſſet; & ecce, violenter ab omnibus ſimul deliciis ſuis avulſus, & in inferno ſepultus eſt.

Divites evangelici, & eorum finis notatus.

D

Uti nec alter ille dives, qui rerum omnium proviſionem in multos annos facere decreverat, iis quas poſſidebat divitiis ſe oblectaturus; qui inopinatò hanc vocem audit, *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te.*

Luc. 12.

Hodierna etiam die multos Epulones, & ſtultos divites reperire eſt, qui non magis verbis Evangelii, in quo exempla illa, ad inſtructionem noſtram, ſcripta ſunt, moventur, ac ſi ipſa Chriſti Domini verba mendacia, & inania forent.

Peccator quomodo vivat?

Obduratus quippè peccator, terræ amans id unum ſemper ſpectat, ut modos inveniat, quibus appetitibus ſuis magis ac commodius ſatisfaciat; atque è proſperitate ſua temporali vanas, & ſenſuales quaſdam delectationes capit, futuræ juſtitiæ plane immemor. At, nihil minus cogitanti mors, per portas illas auratas, & per atria illa de facultatibus pauperum injuſtè uſurpatis conveſtita, ingrediens, letalem, & incurabilem plagam infligit, quæ nullis mundi poterit medicamentis curari.

E

Quid ei proderunt amici, conſanguinei, & divitiae in ultimo dierum ſuorum.

Tum fruſtrà ſe fatigat in amicorum, conſanguineorum, & divitiarum ſuarum ope invocanda, & potentiæ temporali, & gloriæ domus ſuæ innitendo. Bona quidem temporalia, quæ adoravit, & quæ ceu idola ſunt, in quibus ſpem omnem ſuam poſuit, conſtringere geſtit, & arctè complecti: ſed hæc illi nihilum proſunt: ſcriptum eſt enim, *Cum interierit, non ſumet omnia ſecum, neque deſcendet cum eo gloria ejus.*

Pſal. 48.18.

O intolerabilem ſtultitiam! ò errorem nimis quam gravem, & Domini noſtri Jeſu Chriſti fidem profitente indignum! Quid de hac hominum inſenſibilitate dicam, neſcio. Negare ſanè non poſſunt Chriſtiani, præſertim viri graves (quorum gravior hac in parte eſt error) quin reipſa norint, quantas ſibi ſua hæc idola in hora mortis ſint anguſtias allatura:

F

vix tamen reperire aliquem eſt, qui Dei timorem præ oculis habeat, ac piè rebus ſuis proſpiciat. Brevi hauddubiè veniet hora, & ſuo tandem diſpendio diſcent, quam ſit in manus Dei viventis, quem deſpexerunt, horrendum incidere. Ah, quam horrendum, & ingratum ſpectaculum eſt, inſignem aliquem peccatorem exſpirantem videre. Crediderim profectò, ſi viventes ſuis oculis quid huic in lecto illo ſuo mortali decumbenti paulò antè quam ad ſempiterna tormenta rapiatur, accidat, videre poſſent; mirabiles interdum illorum, qui inconſideratè, imprudenterque modò vivunt, de alterius vitæ rebus nihil omnino ſoliciti, converſiones futuras.

G

Sed gratia hæc paſſim, & communiter cuivis non conceditur, neve etiam ſingulari aliquo privilegio hîc opus eſt, uti Abraham Epuloni, cupienti ut fratres, quos in mundo adhuc viventes habebat, per aliquem ex inferis ſubmiſſum ſalutis ſuæ commonefierent, ſignificavit: dixit quippè, *Habent Moſem & Prophetas, audiant illos*:

Luc. 16.

perindè ac ſi diceret, ſi juxta Scripturam, & fidei rationes vitam inſtituant, ſalvi erunt. Hoc ipſe pium Lectorem rogo, ut ſæpè recogitet, & taliter vitam in terra inſtituat, ut in dulciſſima Dei pace ad inſtar juſti emoriatur.

CAPUT XI.

H

Conſideratio de morte juſti.

NUlla eſt in mundo lingua, quæ dignè, ſufficienterque mortem juſti exponat: Nulla item in terris opulentia, nulla fortitudo, nulla conſolatio, quæ cum ejus, qui in gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti expirat, morte valeat comparari. Etſi enim aliud nihil

Scrip. An. circ. 1612.

de morte juſti ſciretur, ac dici poſſet, quàm quòd ipſe in illa hora, qua potentes & fortes mundi hujus contremiſcunt palpitantes, in Dei ſit gratia, & proinde ab ipſo ut pupilla oculi cuſtodiatur; nec non quòd pretioſiſſimam illam adoptionem in filium Dei, quin & privilegia, quæ tam felici filiationi conformia, & conſentanea ſunt, habeat; id profectò bonum adeò eſſet inæſtimabile, ut omnes qui in terra ſunt theſauri conferri cum eo non mererentur.

A

Juſti mors deſcribitur.

Habet id quoque locum, etſi juſtus maximas dum moritur deſolationes, & mortis horrores patiatur. Si enim verè ſit Dei Filius, & vitæ æternæ, quam brevi poſſeſſurus eſt, hæres, quid illi nocet, quòd dum ipſi moriendum eſt deſolationibus vexetur, & à dæmoniis exagitetur? Quid mali afferre mortis anguſtia, & afflictio poteſt ei, qui ad vitam cœleſtem eſt prædeſtinatus? quid damni denique inferent horrores diabolici illi, cujus anima in manibus eſt Dei? Non poterit profectò perire ille, qui à Domino electus eſt, ac ſcriptus in libro viventium, quem Unigenitus Dei Filius nobiliſſimo ſanguine ſuo acquiſivit.

B

Suppoſito verò, eum non poſſe perire, aut damnari; ſequitur, nihil illum diſpendii paſſurum, etſi in tranſitus ſui hora à doloribus & horroribus mortis vehementiſſimè vexetur. Siquidem infinita Jeſu Chriſti bonitas, & fidiſſimum ejus cor, tam ſuaviter, & placidè ſe cum afflictis ſuis gerit, ut ſi tum priſcas hiſtorias, tum exempla nova, quæ in multis Dei ſervis, ac præſertim Religioſis reformatis notantur, conſulamus, aliud nobis perſuadere, & dicere non poſſumus, quàm ipſos in illa hora ut plurimum, & communiter à Deo viſitari, & cœleſtibus quibuſdam gaudiis, ac voluptatibus mirabiliter confortari.

Juſti in morte viſitati, & confortati.

Ut enim alias rationes omittamus, quid, quæſo, cenſendum de verbis illis, in quæ tum prorumpunt, fortiſſimæ fiduciæ plenis, uti per experientiam norunt illi, qui præſentes adſunt, & interſunt? quid, inquam, ſibi volunt verba illa amatoria, teneritudine cordiali, & affectibus divini amoris plena? Si enim animæ ipſorum ab illis timoribus, & terroribus mortis oppreſſæ eſſent, quomodo in tam ſuavia verba poſſent prorumpere?

C

Quomodo quoque tunc adeo eſſent expeditæ ad vitæ æternæ ſic inhiandum, & haſce affectuum ſuorum dilatationes concipiendas, quò Deum ſuum comprehendant, & conſtringant? Neque verò de iis ſolum hìc animabus loqui volo, quæ cœleſtibus quibuſdam revelationibus viſitantur, ut in hora mortis minimè timeant (ut ait S. Gregorius,) verùm de iis etiam, quibus hujuſmodi viſitationes non contingunt, ſed aliæ quædam confortationes ſpei, gaudii, & amoris; quæ eſto planè omnem mortis ſenſum non auferant, eum tamen fortiſſimè, magno morientium merito, non mediocri circumſtantium commodo, & ingenti Dei optimi maximi gloria exſuperant.

Juſti confortati in morte.

D

Neque verò dubitandum eſt, quin ipſe Dominus Jeſus Chriſtus fideliſſimum ſe exhibeat illis, qui illi ſerviunt, atque eos in majoris neceſſitatis tempore copioſiùs confortet, quàm ipſi vel dicere, vel cogitare poſſimus. Etſi quidem dulciſſimæ providentiæ ejus ordinem conſideremus, hæc ejus in amore mutuo reciprocatio in hac hora tranſitus convenientiſſima eſt; ut, ſicut nonnulli reprobi, jam inde à lecto, in quo ægri decumbunt, infernalia animo præſentire tormenta videntur, pari modo multi electi jam inde à lecto, in quo ſuam ſanctitatem tanta patientia, reſignatione, confidentia, amore, aliiſque excellentiſſimis virtutibus editis, conſummarunt, cæleſtium conſolationum prægustum, ac ſpecimen ſentiant.

E

Cogitet ſecum Lector, quid tunc ſenſura ſit anima juſti, dum ſe à Domino illo, cui ſervivit, in illa hora ita confortatum, & tam benigne haberi videbit? Quid item ſenſura ſit, quando tranſitu ſuo jam appropinquante, Chriſtus Jeſus ſponſus ipſi dicet, *Veni electa mea, ponam in te thronum meum*?

Juſtorum gaudium in morte.

Quodnam denique illud gaudium futurum, quando verba certiſſimam ſpem continentia ad cor ſuum audiet proferri; quando Dominus, quem unicè amavit, ac quæſivit, illi dicet. Noli timere ſponſa mea, quia te ab æterno elegi, & nemo prævalebit adverſum te. Tu ex omnibus viribus tuis me quæſiviſti, & amaſti, viciſſim ego te brevi ad me attraham, ac ſummo illo bono, propter quod ita ſudaſti, & legitimè certaſti, donabo.

F

Hæ ſunt confortationes juſti, quando ex hac vita ad optatam patriam ſuam tranſit. Hem! quèm bonum, & conſultum eſt, Chriſto Jeſu ex totis viribus, & corde, brevi hoc vitæ ſpatio, quod fugit inſtar umbræ, ſervire? Quàm planè veritas hæc in hora mortis perſpicitur, & ab omnibus diſertè aſſeritur!

Bonae conſcientiae teſtimonium, quanti valeat in morte?

Beata profectò illa eſt anima, quæ quoddam in hora illa bonæ conſcientiæ teſtimonium habet, & opera juſtitiæ feciſſe comprobatur. Magna hauddubie felicitas eſt, quod præterita vita bonis operibus, obedientia integra, paupertate Apoſtolica, caſtitate puriſſima, oratione, mortificatione, aliiſque virtutibus Chriſtianis plena, in amore, & mutuo unigeniti Filii Dei affectu terminetur.

G

Tunc quippe juſtus recogitat, quidquid toto vitæ tempore egit, & omnes juſtitiæ quas operatus eſt, unanimiter tunc clamant: Io triumphe, io. Tunc quoque reipſa cognoſcitur, quàm vere dixerit David, *Juſtitiæ Domini, lætificantes corda*: hæc namque lætitia comparari poteſt ei, quæ ſentitur tum, cùm opera bona (quæ, ut ait Joannes in Apocalypſi, ſequuntur eos, qui bene moriuntur) ad cor juſti dicunt, Euge; lætare, quia ſalvaberis.

Pſal. 18. 9.

Et proinde, non ſolùm priſcis illis temporibus, verùm etiam hac ætate noſtra, aliquot Dei ſervi, (quorum multos equidem novi) tanta cum animi pace, & certitudine ſpei defuncti ſunt, ac ſi certiſſimum quoddam chirographum de ſalute æterna adipiſcenda, ipſiuſmet Jeſu Chriſti manu obſignatum habuiſſent.

H

Juſtorum conſolationes, & gaudia in morte.

Eſt autem hoc adeò pretioſum, amabile, & deſiderabile, ut nullus unquam adeò futurus ſit cæcus, & inſenſatus, quin fateatur, nullam omnino

Scrip. An. circ. 1612.

dari in mundo opulentiam, magnitudinem, aut voluptatem, jucunditatemque poſſe, quæ cum hac queat comparari, eſto quis etiam ſolus, per centum annorum millia, omnia mundi totius regna, & opes poſſideret. Si verò ulterius ad id tempus progrediamur, quo anima ſancta à corpore, quod vivum quoddam Spiritus ſancti templum exſtitit, jam jam emigratura eſt; quis pro merito inæſtimabilem illius tunc conſolationem expendat, quando nimirum ſibi videbitur audire ſponſum, dicentem, *Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni; jam hyems tranſiit, imber mortalitatis abiit, & receſſit.* Perinde ac ſi diceret; Surge, ſuaviſſima amica mea, jam noli timere; quia ego tuus ſum amicus. Surge, candidula columba mea, nam jam in deſiderato nido tuo requieſces. Veni, pulcherrima ſponſa mea, & te mihi in puriſſimarum deliciarum mearum thalamo conjunges. Nullæ tibi erunt poſthac ſubeundæ vigiliæ, nullæ effundendæ lacrymæ, non ampliùs jejunandum, nullæ metuendæ tentationes, & perſecutiones. Jam tempus eſt remunerationis, & præmii quod meruiſti recipiendi. Veni ergo, cariſſima mea, ego te coronabo, & meipſum tibi, qui ſum merces, quam quæſiviſti, & quam corde toto & viribus tuis deſideraſti, communicabo. Conſolationis porrò hujus ſecretæ magnitudo verbis ullis ſatis explicari non poteſt, quamobrem ſatius erit, ut ipſe me victum confitens, Lectorem rogem, attentè, ſerioque hac de re cogitet: quia fortaſſe per piam, & attentam conſiderationem, hujus, quem ego verbis declarare nequeo, ſeuſus partem Deus Optim. Max. ei communicabit. Beatus autem ille, qui varias afflictiones, perſecutiones, & exagitationes toto vitæ ſuæ tempore patitur, quatenus in hora mortis ſuæ Chriſti Jeſu gratiam, & in amore correſpondentiam experiri mereatur. Non eſt id negotium, per quod tam obiter, & levi manu ſit tanſeundum: qui ergo ineffabiles haſce miſericordias habere vult, labores ferre, exagitari, per omnigenas infirmitates, tentationes, derelictiones, & omne patientiæ exercitium à Deo viſitari gaudeat: omnia ſiquidem citò pertranſibunt, & ipſe ex toto corde lætabitur, quando morietur ſicut moriuntur juſti, & miſericordias Domini inceſſanter decantabit tum, cùm patremfamilias procuratori ſuo dicentem audiet: *Voca operarios, & deſideratam ipſis redde mercedem.*

A

Cantic. 2.

B

Juſtorum conſolatio in morte ineffabilis.

C

Matth. 20. 8.

CAPUT XII.

Conſideratio de judicio Dei.

QUæ ſacra Scriptura de dvino judicio commemorat, adeo horrenda, & terribilia ſunt, ut vel nudus, & ſolus verborum ſonus homines mediocriter pios percellat, & horrore compleat. Jam cum hi judicii univerſalis horrores, juſtos, & electos, qui jam particulare judicium indemnes evaſere territuri non ſint; ſequitur, quod hoc ſolum homini in hoc judicio proderit, ac juvabit, quod particularis judicii rigorem impunè, & indemnis evaſerit. Unde optimum conſilium, & Chriſtianæ prudentiæ proprium eſt, ut pius Lector illius judicii terrores particulari ſuo judicio accommodet, ſe ad bonam Domino ſuo in eo rationem reddendam diſponendo, & ſeriò perpendat id, quod ſibi tunc eſt ſucceſſurum. Quis verò illius rigorem poterit dignè perpendere? Quid dici, ſcribique in terra de illa judicii diſcuſſione queat? Certum quidem eſt, hominem ad id non poſſe pertingere; ipſa nihilominus pietas jubet, aliquid de eo ad Lectorum utilitatem dicere. Cumque neceſſariò aliquid de eo dicendum ſit, ante omnia præſuppono infinitum illud odium, quo divina bonitas peccatum omne deteſtatur ac proſequitur: quod ſanè adeò magnum eſt, & tanto ſuperius omni eo, quod cogitatione ipſi fingere poſſumus, ut particulari quadam Dei gratia opus eſſet, ad dignè, & perfectè de eo ſcribendum. Atque ideo punctum hoc Lectorum conſiderationi ac diſcuſſioni reliquens, id dumtaxat dicam, odium hoc eſſe infinitum, & peccatum divinæ puritati inprimis diſplicere, atque abominabile eſſe, ejuſque iram provocare. Rurſus ſuppono, peccatum veniale non in Dei modò oculis, ſed & in hominum ſpiritualium, & ſanctorum longè eſſe horribilius, quàm omnes lepras, & quamcumque corruptionem cadaverum putiſcentium, & putridorum, quæ umquam in terra fuere. Suppono denique, peccatum veniale, (multo verò magis mortale) longè vilius, & infamius quid eſſe, quàm omnia ſupplicia tam in mundo, quàm in inferno publicè irrogata, de quo, ut Theologicè loquar, minimè dubitandum eſt. Hoc ergo principio præſtituto, ſi vel unum peccatum veniale in oculis Dei adeò abominabile eſt, & vile; quomodo ergo anima abominabilis erit, quando cum mortali coram divino judicio comparebit? quid, quando multis, & horrendis peccatis mortalibus erit onuſta? Magnum quid foret, ſi poſſet homo concipere, quàm hæc peccati abominatio puritatem Dei intimè tangat ac moveat. Cogitet ſecum Lector, quem ipſe in ſe horrorem, & animi averſionem ſentiat, ſtatim ac ſerpentem, vel draconem horribilem, oculis, naribus, & ore venenum efflantem conſpicit. Negare non poteſt, quin, mox ut illum videt, talem in ſe horrorem perſentiat, qualis eſſe morientium ſolet, & vultum ab eo avertat; & ſingularis quædam ei futura eſſet conſolatio ac voluptas, ſi tam tetrum ab oculis ſuis ſpectaculum quis removeret, & eo loco ſepeliret, è quo amplius non emergeret. Tale prorſus eſt peccatum in oculis divinæ majeſtatis: adeò ut, licet haſce impreſſiones in natura illa divina quæ prorſus immutabilis eſt, non cauſet; quantum tamen eſt ex parte peccati, ſi Deus mutationis ullius foret, capax, has illud in eo commotiones, ipſam quoque mortem, excitaret. Sed, eſto non com-

D

Dei judicium horrendum dictum.

E

Divini judicii rigor ineffabilis.

F

Peccati venialis horror, qualis?

G

Comparatio.

H

Deus immutabilis omnino.

commoveatur, infinito tamen revera ipſum odio inſectatur, ut demonſtravit multis tum in novo, tum in veteri Teſtamento exemplis, quam rem multis non eſt neceſſe argumentis confirmare, cum unum ſit inſtar omnium futurum. Lucifer pulcherrima, & amabiliſſima quædam creatura erat, tam naturaliter, quàm ſupernaturaliter; & ſtatim tamen ac peccatum in Deum admiſit, tam horribilis, & abominabilis factus eſt, ut eum Deus velut ſagittam fulgurantem è cœlo ejaculatus ſit. Pari modo quælibet creatura, etſi excellentiſſima alioquin ſanctitate ſit prædita, quamprimùm ac in mortale peccatum conſenſum præbet, eo ipſo momento in tam tetram fœditatem convertitur, ut Dei puritas ea vomitus ſpecie, quæ conſiderantes faciat contremiſcere, ipſam à ſe reiiciat. Unde judicare de ſe anticipative peccator poteſt, quo ſit juſtitiam à Deo erga ſe exercendam modo toleraturus, ſi in hac fœditate intolerabili, divinis ſe oculis ſiſtere præſumpſerit! Hic porrò horror non mediocriter augebitur, ſi, non dico, ipſam juſtiſſimam Dei adverſus peccata iram, ſed ejus in examinandis reis modum conſideremus. Si enim in hominum actiones tam rigidè, & ſubtiliter inquirit, ut etiam peccata inveniat in eo, quod ipſi interdum ut juſtum æſtimant, & laude digniſſimum; quis non timeat, & horreat cum divina majeſtate coram in judicium intrare?

Juſtitiae etiam judicandae.

Pſal. 14.

Non ſine fundamento per Davidem dixit Deus, *Cum accepero tempus, ego juſtitias judicabo*; id eſt, opera quæ juſta videbantur, ego ut mala condemnabo. Circa quæ verba notandum eſt, quod ait; *Cum accepero tempus*, quaſi dixiſſet: Ego, qui ipſamet ſum æternitas, hominibus tempus dedi, ut in eo faciant quod libuerit; ſed non ita ſemper erit; quia quod olim dedi, dum mihi libuerit, repetam, ipſoſque ut rationem mihi reddant evocabo; quæ adeo quidem futura eſt juſta, ut ejus rigor ſatis oſtenſurus ſit, multa opera, quæ oculis carneis juſta videbantur, mera fuiſſe peccata, & damnationis materiam. Adhæc, cum non de ſolis operibus, ſed etiam omiſſionibus, id eſt, iis, quæ nos facere negleximus, cum tamen ea facere & poſſemus, & deberemus, ratio reddenda ſit; quis ita de ſe præſumat, ut Dei ſui judicium intrepidus ſubire audeat?

De omiſſionibus etiam reddenda ratio.

Erit quidem fortè qui judici reſpondeat, multa ſe peccata non commiſiſſe; at quis reſpondeat, juſtitias ſuas, id eſt, opera ita ab omni tum quoad intentionem, tum quoad circumſtantias modi abominatione immunia fuiſſe, ut omnino nihil contineant quod in conſpectu Dei reprehendi mereatur? Ut demus verò futurum aliquem, qui hac in parte purus ſit, & ad judici reſpondendum ſufficienter paratus, quid is tamen dicet quando ab eo petetur, cur multa, quæ facere debebat, facere neglexit, imò ne quidem ea ut faceret in animum induxit, cum tamen eorum meminiſſe teneretur? Ut verò propius ad praxin accedamus, nonne multi ſervi Dei ad oculum vident, ea quæ faciunt opera ita plerumque imperfectionibus plena eſſe, ut, ſi ipſimet illorum conſtituerentur judices, adeo ea pura non eſſe dicerent, ut igne potius expurganda eadem aſſererent? Quis enim officium divinum ea attentione, & religione recitat, qua cum divina majeſtate par eſt loqui? Quis ea mentis puritate, & animi applicatione, quæ altiſſimo huic Sacramento debetur, ſacram Communionem adit? Quis ita demum in loquendo circumſpectus, ut non frequenter impingat, vel vana loquendo, vel noxia? Si ergo illa opera etiam judicio ejus, qui ipſa peragit, propter imperfectiones, quas in iiſdem notat, reprehenſionem mereantur; quid de iis ipſe dicet Deus, qui majori longè ſubtilitate, & acrimonia ea perſpicit, & intuetur? Quid ad minutiſſimam, arctiſſimamque hanc excuſſionem reſponderi poteſt? Quid dicet juſtus, quando judicium ſuum cogitat? Dicet, negari quidem non poſſe, quin oculi Dei plus in his operibus, quæ perfecta videntur imperfectionum inventuri ſint; non tantam tamen timendi cauſam, & materiam eſſe, cum nullum in ſe ſit peccatum mortale, ſed aliquot dumtaxat peccata venialia, quæ iram Dei adeo non provocant. Sed ab illo ego ulteriùs peto, undè ipſe norit, nulla ſe habere peccata mortalia? Si enim non pauca eorum operum, quæ juſta videntur, ſine peccati mortalis reatu non fiant, quomodo ſciet, ſe ipſe ab hoc reatu immunem eſſe, cum fateatur imperfectè illa ſe peragere? Quis certò novit, quando divinum officium recitat, nullam ſe in eo negligentiam mortalem admiſiſſe? Quis ſcit, num quando mortalia peccata confitetur, neceſſariam diligentiam adhibuerit, & eam animi diſpoſitionem attulerit, quæ ad peccatis egrediendum, & in Dei amicitiam redeundum neceſſaria eſt? Et ut demus aliquam horum haberi notitiam poſſe, quis ſcit, an non aliquod peccatum mortale occultum habeat, eo quod quæ ad ipſius indagationem, & ad pœnitentiam de eo faciendam neceſſaria erant, prout oportet non fecerit? Ut verò etiam ulteriùs pergamus in excutiendis iis, quæ multi, qui ſe juſtos eſſe putant, proximo præſtare ſub peccato mortali tenentur, quis ſcit, utrum erga filios, famulos, debitores, alioſque id genus homines faciat prout oportet ea, ad quæ ſub gravi peccato obligatus eſt? Hem! quam occulta ſunt Dei judicia!

Dei judicia occulta.

Aliqui fortè invenientur judices, advocati, curiones, Principes, aliive ſimiles, qui quidem quantum ad perſonas ſuas juſti ſunt (prout quidem ipſi de ſe cenſent) in judicio tamen divino, ob peccata mortalia, quæ ratione proximi fecere, quod cum iis ex juſtitiæ Chriſtianæ præſcripto ſe non geſſerint, damnati ſunt? Sanè quo in hac de divino judicio materia plura, & profundiùs cogito, eo mihi fit credibiliùs, mortalium paucos eſſe ſalvandos. Nam tanta circumſpectione vivat oportet qui dicendus eſt juſtus, & tam incautè communiter homines

jam

Scrip. An. circ.1612.

jam vivunt, ut quo contrarium credam in animum meum inducere non poſſim. Lectorem proinde per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, & per eum, quem animæ ſuæ debet amorem rogo, ſeipſum ut antè dijudicet, quam cum divina majeſtate judicio contendat, neve ullis rationibus, argumentis, & opinionibus parum ſolidis, ac ſecuris in A tanti momenti negotio confidat.

Juſtorum timor notatus.

Qui purioris vitæ ſunt, ac majori Dei luce illuſtrantur magis timent; qui autem minus juſti, incautius vivunt. Quod à majore, vel minore Dei luce procedit: quia fit quandoque, ut qui parum oculatus eſt, etſi ſe totum circumſecus inſpiciat, veſtem ſe mundam habere putet; alius verò qui oculatior eſt, multas in eadem ſordes notet. Unde multi juſti, qui vulgò etiam ut tales, hac ætate noſtra habiti ſunt, quos quidem ipſe familiariter novi; cum viderent ſe naturaliter quidem conſiderando diu vivere non poſſe, longè quam antè accuratius animæ ſuæ purificationi, & ſeriæ ad divinum judicium diſpoſitioni incubuerunt, tum magna utilitate propria, tum ædificatione proximi. Tempus hoc breve eſt, citò ac brevi è vita B evocabimur, mundana judicia parum moremur, & ita vitam inſtituere ſtudeamus, ut in unigeniti Filii Dei judicio confidenter comparere poſſimus.

CAPUT XIII.

Conſideratio de inferno, ejuſque tormentis.

INter omnia mirabilia, ſimul etiam horribilia, quæ in hoc mundo ſunt, longè meo judicio maximum eſt, quod, cum Chriſtiani omnes, indubitata quadam fidei certitudine norint, multos hac ipſa etiam hora, qua hæc legunt, reprobos actualiter infernalia tormenta pati, ipſorum tamen non C pauci modo vivant, quo vixere illi, qui in illis flammis modo ardent. Adeò ut, ſi etiam rogentur, quidnam futurum de illis operibus cogitent, quæ quotidie & tam frequenter faciunt, reſpondeant, non ignorare ſe, quin æternis illa tormentis ſint digna.

Impiorum ſtultitia maxima.

Sunt quoque nonnulli adeò quidem ſtolidi, ut hæc etiam per jocum, & ridendo dicturi ſint, de ſui ad Deum converſione nihil dum ſoliciti, ac ſalutis ſuæ planè immemores. Id verò maximè, & cordialiſſimè dolendum quòd hinc inde non deſit, qui tam ſuavem, ac duritiei & inſenſibilitati ſuæ ita accommodatum de pœnis inferni conceptum formet, parum ut abſit, quin is inter Ethnicos, & infideles poſſit recenſeri, cum proprio ſcripturæ divinæ ſenſu niti nolit. Eſt D hoc profectò mirum, ac ſummè ſtupendum, Diabolus ſanè multos Chriſtianorum vitiis, & fœdiſſimis, quæ committunt, ſceleribus, mirum in modum excæcavit. Illis itaque, qui horrenda illa inferorum ſupplicia eo ſenſu Catholico, quo quidem debent, credunt & fatentur, vellem equidem hoc loco alloqui, & rogare, quid facere cogitent? Fierine poteſt, ut, cum divinas illas veritates, quas poſtea afferemus, credant, eo vivere modo velint, quo vivunt?

Anima rationalis, cur creata?

Norunt illi, animas ſuas conditas eſſe ut cœlo ſemel fruantur, & bono ſummo donentur; ſe tamen ita vivendo, bono hoc infinito in æternum privatum iri; atque hæc eſt pœna, quam vocant Theologi pænam ſenſus. E Fierine igitur poteſt, ut ſine ulla liberatione, ac redemptione hanc in æternum ſint privationem paſſuri? Quid hic facient mentes & voluntates creatæ ut lucem puriſſimam, & pulcherrimam Dei formam videant, atque ut infinitam pulchritudinem, & ſuavitatem divinam ament, & perfruantur? Hui, quam gravis hic, & intolerabilis eſt error! Ah, quam turpiter decipiuntur filii Adam, dum amabiliſſimo hoc bono ſe, propter vanas, & apparenter ſpecioſas terræ hujus voluptates, privant! Pauci illi ſpirituales homines, qui in mundo ſunt, facilè intelligunt ipſam Dei optimi maximi, ac beatiſſimæ illius faciei, ac fruitionis ejus carentiam omnium eſſe pœnarum graviſſimam, & maximam:

Poenarum infernalium graviſſima, quae?

verum homines terreni ac ſenſuales, qui magnitudinem pœnæ hujus nec conſiderant, nec prout oportet æſtimare ſciunt, intelligere F prorſus nequeunt, quod tam grave malum ſit, Deo privatum eſſe; præſertim quia ipſi eo actualiter in hac vita privati ſunt; & in illo ſtatu vellent ſemper agere, propria ſponte & voluntate vetitis rebus, ob quas feliciſſimo Dei conſortio & fruitione privati ſunt, perpetuò potiri cupientes. Unde neceſſe nos erit de craſſioribus & penè palpabilibus rebus agere, de pœnis inquam ſenſus, quæ ipſis notiores ſunt, & quibus magis perterrentur. Incipiendo autem loqui de igne corporali, dici non poteſt, peccatorem, qui tam perditè erga corporeas delicias ac voluptates afficitur, neſcire, quam grave, & horrendum tormentum ſit in flammas præcipitari, ad perpetuo in iis ardendum. G Scit ipſe per experientiam, ſe, ſi lectus in quo dormit, non ſit commodus, & mollis, ne nocte quidem una in eodem manere non poſſe, ſed de ejus duritie impatienter conqueri, & murmurare. Novit, poſito quod uno menſe centum peccata lethalia, ob quorum quodlibet perpetuò duratura tormenta meretur, commiſerit, intolerabile ſibi & gravè videri, ſi ſibi in confeſſione eorumdem, diei unius jejunium, vel unius horæ orationem genuflexo peragendam confeſſarius præſcribat. Novit, ſi veſtes vel calcei ſui parum incommodi ſint, & diſcrucient, ſe ſtatim indignari, & in contumelioſa verba iracundè prorumpere:

Poena ſenſus, quae?

quomodo ergo poterit nudus in infernalium illarum flammarum medio agere, quomodo H in lecto illo anguſtiarum, & horribilium dolorum jacere? Quid hic dicet? quid faciet? Anne hæc fabulæ, & mendacia ſunt? anne imaginationes phantaſticæ ſolum ad homines ad pietatem emovendos inventæ? an non potiùs certa fidei Catholicæ doctrina? Quid ſibi vult ergò hæc peccatoris, fidem quidem hanc profitentis, ita tamen licenter

Scrip. An. circ.1612.

& effrenatè viventis pluſquam pecuina ſtupiditas? Et ſi quidem hoc tormentum ignis, ac cetera tandem poſt aliquot annorum, ac ſæculorum devolutionem finirentur, non adeò intolerabilis ipſa peccatoris durities, & cæcitas futura videretur; ſed, cum norit nullam ex iis redemptionem fore, verum in ſempiternum ea duratura, nullumque umquam A finem habitura; dicendum ſanè, adeò eum ab inſana peccati voluptate inebriatum eſſe, ut in pecudem, & brutum rationis expertem tranſiſſe videatur. Eſt profectò res planè ſtupenda, & admirabilis, propter delectationem, nonniſi ad momentum unum durantem, atrocem & immanem illam ſubeundam eſſe pœnitentiam, quæ nullum unquam eſt finem habitura. Adeò ut, ſi divina juſtitia poſt infinitos annorum milliones tranſactos tandem aliquando damnatos hiſce pœnis eriperet; donec ſcilicet avicula aliqua univerſam Oceani aquam exhauſiſſet, & ea tamen nonniſi unam ſingulis ſæculis è vaſto illo mari guttulam caperet; ea quidem aliqua eſſet remiſſionis ſpecies; talis tamen, ut nullus ſit in mundo mathematicus, B qui eam dimetiri, vel dignè expendere ſupputando poſſit. Quia non modo verum, ſed etiam evidenter verum eſt, illos innumeros ſæculorum milliones, qui non antè tamen decurrerent, quàm avicula illa mare totum exhauſiſſet, nihil prorſus eſſe, ſi cum eo quod adhuc in æternitatem patiendum reſtat comparentur. Et eſt certiſſimum, quod majorem minutiſſimæ arenæ granulum cum cœlo empyreo proportionem habet, quàm omnes illi ſæculorum milliones cum perpetua infernalium pœnarum duratione. Aliud quod de hac duratione dicam, non habeo, quàm ipſam peccatoris veſaniam me ſummopere admirari? Satius fortaſsè foret, nihil omnino dicere, ac tacere, & potius infeliciſſimam ſortem plangere illorum, qui per viam C perditionis properant, ac currunt, ut in tormentorum ſe voraginem præcipitent. Ipſe Redemptor Jeſus Chriſtus continuò, & aſſiduè ad peccatoris cor clamare, & internis ſuis inſpirationibus ſic eum quotidiè videtur compellare: Quo ruis homo ingrate? cur tam furibundè, & effrenatè per viam ſpatioſam, quæ ad ſempiternos cruciatus hominem conducit, properas? fierine poteſt, ut tui te non miſereſcat? pauliſper ſuſſiſte; & finem licentioſæ hujus vitæ tuæ tecum ſeriò perpende, intra te revertere, & animam tuam tandem ſalvare ſtude. Hæc atque alia id genus verba peccator interdum, dum in vita ſua effræni effuſis habenis proruit, intus percipit; quibus ipſa Dei Judicis cauſa ſatis juſtificata dignoſcitur, dum ipſiuſmet peccatoris D conſcientiam adverſus eum armat. Ipſe nihilominus induratur, & contra conſcientiæ ſtimulum protervè calcitrat, ultrò in mortem ruens, & cùm infernali quadam impudentia, & audacia in dies peccata conſciſcens. At quid dicet tum, cum ignibus adjudicatus perpetuis medios inter dæmones aget, quando in teterrimis tenebris cruciabitur, quando vermi conſcientæ tradetur, qui eum aſſiduè rodet, & depaſcetur, ne momenti quidem unius requiem ei indulgens, idque tamdiu, quamdiu erit Deus? quos verò tunc edet ejulatus, quomodo in ſeipſum frendens inſurget, quod ſe terræ hujus voluptatibus privare, & Chriſti Domini crucem in humeros accipere noluerit! Horrenda ſanè quædam, E ac ſtupenda res eſt, in perpetuum tam intolerabilibus, tamque variis tormentis excruciari, ut ne ea quidem ſine quodam horrore mortis audiri à quoquam poſſe videantur. Equidem de me fateor, hac me de perpetuis damnatorum cruciatibus cogitatione ſummoperè affligi & moveri; præſertim, cum mihi cogitatione repræſento illos, qui jam de facto in inferno cruciantur, certi nullum ſe umquam à divina juſtitia allevamen, aut conſolationem adepturos. O rem ſummopere affligentem & amaram! O tremenda Dei judicia! Quid autem erit, cùm in die judicii univerſalis, tot diverſarum nationum creaturas, pretioſo Jeſu Chriſti ſanguine redemptos, à facie Judicis abigi, ac repelli videbimus, idque excommunicatione quadam æterna, à qua nullo erunt ævo, aut die abſolvendæ? Quàm horrendum erit videre, dæmones ſimul & homines in æternum F illum carcerem, & barathrum detrudi, cum infallibili quadam certitudine, nullam ſe umquam à Deo clementiſſimo miſericordiam, aut à ſententia ſemel adverſus eos lata relaxationem impetraturos! Aperi, quæſo, clementiſſime Fili Dei, oculos tum meos, tum omnium aliorum peccatorum, ut liquidò videamus, quanti referat & quàm utile ſit, tibi ſervire, & à tormentis illis, quæ præparaſti, ac reſervaſti vaſis illis iræ, qui miſericordia tua, cùm ejus adhuc tempus eſt, uti nolunt, poſſe in perpetuum liberari.

Peccatoris audacia, & imprudentia

Impii in extremo judicio aeterna quadam excommunicatione plectendi.

CAPUT XIV. G

Conſideratio de gloria Beatorum.

CErto quidem certius eſt, oculum non vidiſſe, aurem non audiſſe, nec alicujus hominis mortalis cor cogitatione umquam comprehendiſſe, quanta ſit opulentia, magnitudo, conſolatio, & abundantia ſummi illius boni, quod præparavit Dominus iis, qui infinitam, ſummamque ejus bonitatem diligunt: nihilominus bonum nos eſt, eo quoad ejus fieri poteſt modo, de feliciſſimo illo ſtatu, qui eſt hereditas electorum Dei, & cogitare & loqui, ut humana noſtra imbecillitas, tam inæſtimabilis conſolationis ſpe aliquantulum corroborata, partim fiat animoſior, partim præ veritate, & altitudine bonorum æternorum inanem ac fugacem tranſitoriorum H umbram, & apparentiam contemnere incipiat. Minimè dubium eſt, quin filii Adam ſuam utilitatem ſtudioſè quærant, & qui inter eos pii ſunt, magnæ illius mercedis intuitu non mediocriter moveantur, utpote quæ omnes laborum amaritudines dulcorat, & omnes terrenas difficultates faciles red-

Juſtorum haereditas, quae?

Scrip. An. circ.1612.

reddit. Certùm adhæc eſt, hominem vel mediocriter pium, dum conſiderat, ſibi vel ob unum opus bonum, quod in gratiæ ſtatu facit, æternam quamdam remunerationem dandam, etſi alioquin opus hoc quàm breviſſimo tempore, & parva cum moleſtia, & labore peragat, ad opera majora, & difficiliora facienda emoveri, propter copioſiſ- A ſimam, quam recepturus propterea eſt, retributionem.

Atque merces repromiſſa.

Adeò ut objectum, id eſt, merces ipſa, efficaciſſimè ſemper hominem attrahat, quod ea infinitè ſit amabilis, & unicuique perquam fructuoſa. Jam ſi ad ipſam objecti excellentiam vivam quoque addamus mentis conſiderationem, magnum profectò illicium, incitamentum, & motivum habebimus, ad opera juſtitiæ cum jucunditate, & diligentia quadam peragenda. Non tam magna, vel attractiva ſunt illa, quæ in Indiarum nuperrimè detectarum hiſtoriis ſcribuntur, quàm eſt id, quod de felicitate ac beatitudine gloriæ ipſa nos fides docet. Quin imò ad oculum patet, quamnam terrena illa bona hominibus vim inferant, utpote qui eorum cauſa tot tamque gravibus terra, ma- B rique ſubeundis periculis intrepidè ſe exponant; quæ profectò incredibilia forent, niſi multis ea res oculatis teſtibus comprobata foret, ac certa. Inaudiere videlicet magnam ibi auri, argentique vim reperiri, (quæ ſunt idola, ac numina, quæ mundus hic ſtultè adorat) hinc itinera ſuſcipiunt difficillima, & res maximè arduas ſubeunt; patrem, matrem, domus ſuæ commoditates libenter & ultrò relinquunt, ea dumtaxat ſpe, & intuitu, futurum fortaſſe, ut ditiores, & (pro ut quidem mundus æſtimat, & terræ hujus leges ſunt) honoratiores in patriam ſuam redeant. Hos ſcilicet effectus gignit in animis, ad aurum, & terrena omnia bona contemnenda, & ſummum bonum (quod ſolum de- C ſideria noſtra implere, & ſatiare poteſt) amandum, & quærendum à Deo creatis ipſa auri conſideratio, & amor. Igiturne, qui domus Dei divitias, & beatiſſimam vitam, qua fruuntur illi, qui in eadem habitant, conſiderat, minores ſuſcipiet labores, & moleſtias, quàm ſuſcipiunt qui bona, & facultates terrenas conquirunt? Dixi, labores minores, nam, eſto etiam incomparabiliter graviores ſubeundi forent, ſuaviſſima tamen Dei providentia ita rem omnem diſpoſuit, ut & mercedem promiſerit omnibus theſauris, & rebus quibuſcumque amabilibus mundi majorem & ampliorem, & tam graves labores, & defatigationes non exigat, quàm ſunt illi, quos quotidiè ob lucra mundana ſuſcipi D à lucronibus videmus. Cùm itaque ipſa conſideratio janua ſit, per quam ad animam bonorum æternorum deſideria ingrediuntur, illa jam pro inſufficientia noſtra conſiderare, & excutere incipiamus, plura per fidei lumen, quàm per verba, aut cogitationes intellecturi.

Animae in purgatorio exiſtentis cruciatus.

Ante omnia verò cogitet Lector, quid ſenſura ſit anima, è graviſſimis purgatorii cruciatibus, vel (ſi futura ſit de numero paucarum illarum, quæ purgatorium non ſubeunt) è corpore, & ex hac triſti regione mortis jam egreſſa, & momento in ſpatioſiſſimum illud divinitatis, & ineffabiliſſimarum deliciarum Dei pelagus abſorpta? Quis dignè de illo in civitatem Dei viventis ingreſſu loquetur, in qua in ictu oculi infinita illa pulchritudo, & cæleſtis paradiſi amœnitas ſeſe animæ offerunt? Ad aliquam altiſ- E ſimi, & profundiſſimi hujus ſecreti partem intelligendam, præſupponat Lector oportet, animam juſti, quæ vel purgatorio detenta non erit, vel eodem jam expurgata, tanta ad Dominum Deum, (qui ejus eſt centrum) velocitate contendere, ut nulla ſit aquila, quæ tam perniciter ad prædam, cui inhiat, devolet, ac feratur.

Deus animae humanae centrum.

Et quoniam immediatè è loco pœnarum, & afflictionum egreſſa eſt, perindè ac columba illa Noe, (quæ cùm nihil terræ reperiret, ſuper quo tutò quieſceret pes ejus, ad arcam revolavit, inque eadem manſit) ipſa ex illis purgatorii ardoribus egrediens infinito quodam ad verum ſuum refrigerium deſiderio anhelat; & quoniam jam ad illud puriſſimæ aquæ, quam tam ardenter deſideravit, & cupivit, mare F pervenit, in illud ſe amore quodam pluſquam cordialiſſimo demergit, atque in inſtanti tota ab eodem abſorbetur, & intima quadam, & ſuaviſſima ſecuritate, quòd in æternum bono hoc amabiliſſimo, (quod jam poſſidet) nullatenus privanda ſit, conquieſcit. O ſortem feliciſſimam! O ditiſſimam boni, quod infinitum illud animæ vacuum ſatiat, & adimplet, poſſeſſionem! O pacem tranquilliſſimam, qua filia Sion, & Unigeniti Filii Dei Sponſa gaudet?

Anima Dei Sponſa dicta.

Quibus verò verbis ſuum anima creatorem, ac fideliſſimum dominum, qui ſe ei adeò familiariter communicat, tunc compellabit! Jam tandem aliquando te inquit, o bonum meum, diu concupitum, & deſideratum, & multis laboribus ſuſceptis acquiſitum totis viribus G meis comprehendi, non dimittam te in æternum. Tu refrigerium, tu requies mea, & dulciſſima vita mea. Nullam poſthac adverſitatem formido, quia te, qui ardentiſſimi amoris mei centrum es, jam poſſideo.

Animae beatae affectus, qui?

Hi ſunt videlicet affectus animæ, divina pulchritudine, & cœleſtis Jeruſalem, cariſſimæ patriæ ſuæ privilegiis fruentis. Quis verò verbis exponat quam viciſſim amicè ille ſe Dominus ei communicaturus ſit, qui totus eſt amor, & ſponſam ſuam jam ad arctiſſimos amplexus ſuos admiſit? Quomodo eam ipſe ſibi conſtringet? Quàm ſe totum ei communicabit? Quàm inæſtimabili dulcedine, & quàm blandè illam alloquetur, dicens: Gau- H de me, o cariſſima præda mea; gaude, idque ſine ullo ſummi boni, quod totis viribus tuis concupiſti, amittendi metu. Poſſide me totum, qui totus ſum tuus, nec permittam te à me divelli. Omnia mea tua ſunt. Gaude, electa mea, gaude, ac dulciſſimis paradiſi fructibus fruere, ac vide, ut poſthac ſine fine infinita pulchritudine, & dulcedine mea fruaris. Sed quid ego verbis hæc conor explicare, cum certus ſim, ne mi-

Beatorum lætitia ad ingreſſum animae in cœlum deſcribitur.

minimam quidem immenſæ illius ſuavitatis Domini Dei portionem verbis me poſſe exprimere, ut qui ſummæ ſibi gloriæ ducit, quòd animam juſti ampliſſima queat mercede remunerari; atque hoc ipſe, ceu ſuaviſſimum quendam redemptionis ſuæ, nec non nobiliſſimi illius ſanguinis, qui pro nobis eſt effuſus, fructum reputet. Non poteſt, non, inquam, poteſt verbis exprimi, quod vere à parte rei eſt. Eſt quippe bonum illud abſconditum ab oculis mortalium, quod nemo novit, niſi qui ipſum accipit. Diutiùs in illo animæ in civitatem cœleſtem ingreſſu explicando hæſi, qui tamen omnem ſuperat eloquentiam, & hominum intelligentiam. Si verò lætitiam, & plauſum, qui eo die in cœlo peragetur, necnon mutuam beatorum omnium ejus civium, qui animam illam jam recenter in idem cum ipſis regni conſortium admiſſam amant, ut propriam congratulationem, & gaudium conſideremus; ſuaviſſimæ cujuſdam caritatis fragrantiam ſentire, & impetum fluminis illius lætificabundi, quod civitatem Dei lætificat, videre nos putabimus. Qui ibi tunc erunt amplexus! quàm caſtæ, puræque adinvicem conjunctiones! quàm teneris ſe invicem omnes illi æternæ ſalutis comparticipes verbis ſalutabunt? Quomodo animæ illius, quæ mundum, mortem, & infernum devicit, & violentiam regno cœlorum ad vitaliſſimam vitam ſuam acquirendam intulit, victorias cantabunt? O Iſrael, quàm magna eſt domus Domini, & numerus divitiarum ejus quàm infinitus! Beati illi, qui habitant in palatio Regis Salomonis, illius, inquam, Regis, qui ſuaviſſimis pacis legibus congregationem juſtorum, lucis æternæ ſplendoribus amictorum, & libertate filiorum Dei donatorum, gubernat? Magnam profectò ſibi homines utilitatem afferrent, ſi illud conſiderare vellent præmium, quod operibus juſtitiæ ex æquo reſpondet. Neſcio ſanè, cur ſuaviſſimæ hujus conſiderationis adeò immemores vivant, cùm opponere nequeant, hujuſmodi conſiderationem, vel triſtitiam, vel moleſtiam aliquam adferre, qualem ſibi in pœnitentiæ operibus fingunt, ad eadem non ſuſcipienda. Sanè ſi vel aliquantulum temporis huic felicitatis futuræ conſiderationi, ac ponderationi impendere vellent, non adeo perditè, & furiosè erga res temporales afficerentur, nec ad ea quæ Dei ſunt, adeò duri, & inſenſibiles forent. Quinimmò fieri interdum poſſet, ut ita ab ipſa paradiſi deliciarum Dei pulchritudine allicerentur, ut toto ſe ſtudio, & conatu pietatis exercitiis cum inſigni quadam vitæ mutatione applicarent. Omiſſis namque aliis rebus ſublimioribus, & de ſola corporum gloria jam donatorum beatitudine agendo, credibile inprimis eſt, illos per vivam illius corporum corpori Jeſu Chriſti configuratorum reformationis conſiderationem, ad verum ſuorum corporum amorem emovendos, ut ſcilicet eadem pulcherrima illa pulchritudine, & claritate, qua in ſtatu immortalitatis donabuntur, privari nolint. Adeò ut etiam illi qui vel mediocriter tantùm ſpirituales ſunt, ſi æternæ vitæ conſiderationi vellent attendere, maxima ad vitam reformandam, moreſque in melius commutandos incitamenta haberent, ab ubertate ſcilicet domus Dei illecti; cùm non animæ modò, ſed & corpori maximè profit ipſum mortificare, & vitæ hujus commoditatibus parcè moderateque uti, quò id poſtea inæſtimabilibus in altera voluptatibus, & delectationibus perfruatur.

Corporum glorificatorum pulchritudo.

Electorum ſolemnis proceſſio una cum Chriſto poſt univerſale judicium.

Meminerit itaque Lector ſolemnis illius proceſſionis, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus, univerſali judicio jam peracto, cum Beatiſſima Virgine matre ſua, & omnibus ſanctorum corporibus illis pulcherrimis, nive candidioribus, & ſole rutilantioribus veſtitorum ordinibus inſtituet: ſecumque cogitet, quàm magna, & quàm cordialis lætitia futura ſit, glorioſiſſimi, & illuſtriſſimi illius triumphi poſſe participare, & unà cum corpore, & anima in turbæ hujus beatiſſimæ conſortio, ad cariſſimam patriam, ad regionem vitæ, ad illos æterni viroris campos, ad paradiſum illum, in quo arbor vitæ plantata eſt, & vivo delectationum divinarum flumine irrigatur, tendere. Neque ita ſeipſum oderit, ut ob rerum mundanarum fæces, ac ſordes, fertiliſſimæ terræ viventium, in qua ſuaviſſima Domini Dei bonitas tanta ſe ipſam liberalitate unicuique electorum communicat, eos gloriæ, magnitudinis, & divitiarum ſuarum participes faciendo, juriſdictione, ac poſſeſſione ſe privet. Tempus breve eſt, adeò ut in hac ipſa hora, qua iſthæc verba ſcribo, verè dici queat, quòd, ſecundum divinæ Sapientiæ præordinationem, ille ad annum, hic ad quadriennium, ille ad ſexennium, hic ad menſem, alius ad unam ſeptimanam tantum (atque ita de aliis breviſſimæ hujus vitæ terminis) in vita manebit; ut, eſto hi ſunt diverſi, in eo tamen omnes conveniant, quòd ſint breviſſimi. Unde cum unuſquiſque juxta pietatem, & prudentiam Chriſtianam, velut rem ſatis probabilem, credere debeat, ſibi fortaſſe opinato citiùs res hujus mundi relinquendas eſſe; prudens Lector conſilium hoc velut ſibi datum arripiat; ut ſcilicet in bonis æternis ſibi procurandis feſtinet; vitam amet, quæ mortem non metuit: divitias amet, quæ paupertatem neſciunt: conſolationes amet, quæ nulla triſtitiæ ſunt amaritudine permiſtæ: dulciſſimam patriam ſuam amet, & æternam illam requiem, quam ſanè inveniet tum, cùm à puriſſimarum voluptatum Dei torrente inebriabitur.

Monitum lectoribus directum.

Verſiculi affectibus cordialiſſimis pleni, dicendi, quando moribundus jam in extremis agit; ita quidem, ut qui ad bene moriendum moribundo aſſiſtit, eos ipſi ſuaviter ſuggerat, quò diverſos pios affectus in ipſo excitet, aliquatenus illum à mortis angoribus alleviet, & adverſus horæ illius tentationes corroboret.

MOribundum commonere, ut ex toto corde Deum optimum maximum videre de-

Scrip. An. circ.1612.

ſideret, & hunc illi verſiculum proponere: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus.*

Commonere, ut ab hac vita temporali affectum divellat, & ad æternam anhelet, dicendo, *Quam dilecta tabernacula tua* A *Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.*

Commonere, ut fiducialiter, & firmiſſimè ſperet ſalutis ſe compotem fore, in Jeſu Chriſti Domini noſtri juſtitiam oculos coniiciendo; & certò ſibi perſuadeat, illius ſe fructum unà cum perſeverantiæ dono habiturum, dicendo, *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum, in juſtitia tua libera me.*

Commonere, ut firmiſſimè in Chriſto Jeſu confidat, quia in illa hora eum ab incurſibus, & oppugnationibus dæmonis liberabit, dicendo, *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam.*

Commonere, ut horæ illius timores abs ſe repellat, ſibique omnem à Salvatore noſtro B Jeſu Chriſto opem, & auxilium ſpondeat, dicendo, *Dominus illuminatio mea, & ſalus meas quem timebo?*

Commonere, ut ardenter Deo affectum applicet, illius ex toto corde, & animo bonitatem. & pulchritudinem diligendo, idque per hunc verſum, *Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea; faciem tuam Domine requiram.*

Commonere, ut videndi Dei deſideria repetendo multiplicet, dicendo, *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam,* E *& apparebo ante faciem Dei?*

Supradicti ſeptem verſiculi, unà cum annotationibus, moribundo, ſi ſenſum adhuc competentem ad eoſdem intelligendos habeat, repetentur, ad pios in ipſo affectus excitandos. Is verò, qui moribundi ad bene moriendum juvandi partes agit, circumſtantes adhortabitur, ut ferventiſſimè Deum pro patiente precentur: quod & Deo erit gratiſſimum, & animæ moribundi fructuoſiſſimum. Circumſtantes verò in ſilentio orabunt, viſcera quædam miſericordiæ, qualia extremæ proximi ſui anguſtiæ requirunt, induentes, perinde ac ipſimet illo in tranſitu verſarentur. Quod ad vitæ correctionem, & conſequenter ad bonam mortem ſuo tempore F peragendam maximè ipſos diſponet; quod ſua Dominus miſericordia ipſis concedere dignetur. Amen.

SEQUENTIA PRO DEFUNCTIS.

Dies iræ, dies illa
Solvet ſæclum in favilla,
Teſte David cum Sibylla.
Quantus tremor eſt futurus,
Quando judex eſt venturus,
Cuncta ſtrictè diſcuſſurus!
Tuba mirum ſpargens ſonum
Per ſepulcra regionum
Coget omnes ante thronum.
Mors ſtupebit, & natura, C
Cùm reſurget creatura,
Judicanti reſponſura.
Liber ſcriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.
Judex ergo cum ſedebit,
Quidquid latet apparebit,
Nil inultum remanebit.
Quid ſum miſer tunc dicturus,
Quem patronum rogaturus,
Cum vix juſtus ſit ſecurus?
Rex tremendæ majeſtatis,
Qui ſalvandos ſalvas gratis,
Salva me fons pietatis.
Recordare Jeſu pie,
Quod ſim cauſa tuæ viæ,
Ne me perdas illa die. D
Quærens me ſediſti laſſus,
Redemiſti crucem paſſus,
Tantus labor non ſit caſſus.
Juſte judex ultionis,
Donum fac remiſſionis,
Ante diem rationis.
Ingemiſco tanquam reus,
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus.
Qui Mariam abſolviſti,
Et Latronem exaudiſti, G
Mihi quoque ſpem dediſti.
Preces meæ non ſunt dignæ,
Sed tu bonus fac benignè,
Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum præſta,
Et ab hœdis me ſequeſtra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.
Oro ſupplex, & acclinis,
Cor contritum quaſi cinis,
Gere curam mei finis.
Lacrymoſa dies illa,
Qua reſurget ex favilla
Judicandus homo reus,
Huic ergo parce Deus. H
Pie JESU Domine dona eis requiem.

AMEN.

LECTORI BNEVOLO.

Nobis tunc alio diſtractis, quum ſuperior pagina 608. imprimebatur, magni momenti error dilapſus eſt col. 1. lin. 15. & 16. ubi legitur, eò quod non tibi adverſetur, *uti etiam in exemplari veteris editionis, pag. 282. col. 1. lin. 12. exſtabat, quem ſic Lectorem emendare obſecramus:* eò quod tibi adverſetur.

IN GEMINA, QUÆ SEQUUNTUR OPUSCULA

PRAEMONITIO.

*EXſtabant hæc in quarto veteris editionis Tomo, a pag. 254. alterum ab Auctore ipſo latine ſcriptum, alterum ex Italico latine redditum a P. T. a S. T. qui ſupra, ideſt, niſi male interpretor, a P. Thoma a S. Tereſia, qui reliqua omnia aſteriſco * notata, quæ inde in Tomo illo ſequebantur latine vertit, ut ibi pag. 155. brevi ad Lectorem præfatiuncula animadvertitur. Quo autem tempore ea ſcripta ſint, niſi prorſus, divinando dicere haud poſſumus, nec vero multum intereſt diu inquirere. Ea tandem ſuperiori Opellae heic ſtatim adnectimus, quod maxime bene moriendi exercitio congruat, quemadmodum Auctor ipſe, 2. par. cap. 7. efficaciter propoſuerat.*

VEN. P. JOHANNIS A JESU MARIA

EXPOSITIO SYMBOLI APOSTOLORUM.

Credo in Deum.

Id eſt:

SUbmitto intellectum, & tanquam infallibili veritati aſſentior Deo, qui unus eſt in eſſentia, trinus in perſonis.

Patrem omnipotentem.

CRedo in primam ſanctiſſimæ Trinitatis perſonam, quæ cum generet conſubſtantialem ſibi Filium Pater eſt, cui peculiariter adtribuitur omnipotentia, quia ab illa ſicut à principio reliquæ duæ perſonæ divinæ, & cuncta creata procedunt. Æquè tamen omnipotens Filius, ſeu Spiritus ſanctus ac Pater eſt, & quælibet trium perſonarum ac reliquæ duæ, quod, & de cæteris attributis aſſerendum eſt.

Creatorem cæli & terræ

CRedo in Patrem, qui unè cum reliquis duabus perſonis initio temporis de nihilo cælum, & terram, univerſaſque creaturas ſpirituales, & corporales creavit.

Et in Jesum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, Id eſt:

CRedo in ſecundam ſanctiſſimæ Trinitatis perſonam, *hoc eſt*, Verbum æternum, ſeu Filium Patris æterni, qui in tempore factus homo, Jesus Chriſtus appellatus eſt, unaque perſona in duabus naturis, divina ſcilicet, ac humana ſubſiſtens, verè ſicut unicus Dominus noſter, quia nos emit, ſeu redemit ſanguine ſuo, unà cum Patre, & Spiritu Sancto à nobis velut ſervis emptitiis colendus eſt.

Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto.

QUi tempore ab æterno definito tota ſanctiſſima Trinitate animam creante, & ex matre corpus formante, à Virgine conceptus eſt, licet ob eximium divini amoris opus, Spiritui ſancto ea conceptio peculiariter tribuatur.

Natus ex Maria Virgine.

QUi ex intacta Virgine, *hoc eſt*, illæſa Matris virginitate natus eſt.

Paſſus ſub Pontio Pilato.

QUi captus, conſputus, colaphis cæſus, verberatus &c. & multis ignominiis affectus, ſub Pilato Judæam procurante.

Crucifixus.

QUi publico ſupplicio Cruci affixus eſt.

Mortuus.

QUi in Cruce exhalavit animam, quæ à corpore verè ſeparata eſt, licet nec anima, neque corpus à perſona divina fuerint ſeparata.

Et ſepultus.

CUjus corpus æterno Verbo unitum in ſepulchro conditum fuit.

Deſcendit ad inferos.

CUjus anima æterno Verbo unita verè ad inferos deſcendit.

Tertia die reſurrexit à mortuis.

QUi die tertia partes humanæ naturæ, *hoc eſt*, animam, & corpus, quæ fuerant ſeparata propria virtute conjunxit, & corpus, quod paſſioni, ac morti expoſuerat, glorificavit.

Aſcendit ad cælos.

QUi poſt reſurrectionem ſupra omnes cælos cum anima, & immortali corpore Victor aſcendit.

Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

QUi in ſublimiſſima dignitate, quæ illi cum Patre omnipotenti æqualis eſt, mundo præſidet.

Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

QUi è cælo rediturus ad judicandos homines univerſos ante ipſius tribunal tunc ſiſtendos,

Credo in Spiritum ſanctum.

CRedo in tertiam ſanctiſſimæ Trinitatis perſonam, à Patre, & Filio ſimul procedentem, illis per omnia æqualem.

Sanctam Eccleſiam Catholicam.

CRedo eſſe in orbe terrarum quandam verorum fidelium Congregationem ſub uno Capite, *hoc eſt*, Romano Pontifice Chriſti Vicario agentem.

Sanctorum communionem.

CRedo in hac Eccleſia participationem, & mutuum adjutorium orationum, & meritorum. Credo item Sanctorum communionem, *id eſt*, non ſolum in cælo, verum, & in terris eſſe Sanctos, *hoc eſt*, homines Deo gratos, & divina charitate connexos. Credo prætereà Sanctorum communionem, *id eſt*, eſſe in Eccleſia participationem Sacramentorum, per quæ Sanctitas confertur.

Remiſſionem peccatorum.

CRedo eſſe in Eccleſia veram condonationem peccatorum per Sacramenta, puta originalis per Baptiſmum, actualis per Pœnitentiam, & alia Sacramenta; quorum potiſſimum eſt Euchariſtia, in qua totus Chriſtus Deus homo ſub ſpeciebus panis, & vini continetur,

Carnis Reſurrectionem.

CRedo in fine ſæculi fore univerſalem reſurrectionem corporum, quæ ſuis quæque animabus unientur.

Vitam æternam.

CRedo homines pios anima, corporeque beatos æternam felicitatem, impioſque ſupplicium æternum pro meritis recepturos.

* *Profeſſio Fidei, Adiuncta gratiarum actione, oblatione, & novorum beneficiorum petitione.*

DOmine Deus omnipotens, rerum omnium Conditor, ac mundi munificentiſſime Redemptor, ego indignus peccator, & inutilis ſervus divinæ Majeſtatis tuæ, ex toto corde credo atque etiam ore profiteor quicquid de te credit, ac profitetur ſancta Mater Eccleſia Romana, & quæcunque demum credere, ac profiteri oportet omnem verum, & fidelem Catholicum Chriſtianum.

Proteſtor item coram te, totaque Curia tua cæleſti, velle me conſtanter vivere, ac mori in hac ſancta fide, & Catholica Religione, te agnoſcendo verum, ac proprium Dominum meum, Creatorem, ac Redemptorem totius mundi. Unde eſto ego ſim miſerrima creatura, & viliſſimus ſervus auguſtiſſimæ Majeſtatis tuæ, tamen ex vehementi quodam tibi complacendi deſiderio, memetipſum totum in hoſtiam, ac ſacrificium tibi offero: animam, ſcilicet, & corpus meum, quod de manibus ampliſſimæ liberalitatis tuæ accepi, unà cum omnibus naturæ, & gratiæ donis, ac bonis, quæ mihi in hac vita impertiri dignatus es, & æternis illis, quæ in futura, prout in infinita bonitate tua confido, impertiri dignaberis. Pro quibus omnibus, & ſingulis, ardentiore, quo poſſim affectu te laudo, glorifico, ac gratias ago: & in recognitionis fidelem teſſeram, toto ex corde te adoro, & ore confiteor, in organis vivæ fidei, ſpei certæ, & ſuccenſæ caritatis; inſuper creaturarum omnium, quotquot tum in cælo, tum in terra tibi placent corda, Beatorum præſertim Spirituum, Sanctiſſimæ etiam Virginis Matris tuæ, ſemper tui amantiſſimæ offero, ſuppliciter rogans tria à benigniſſima Majeſtate tua mihi concedi.

Primò: indulgentiam & remiſſionem omnium, quæ unquam toto vitæ meæ decurſu rebellis ſanctiſſimæ voluntati tuæ admiſi delicta.

Secundò: ut corde perfectiſſimo tibi deinceps famulari valeam, univerſis præceptis tuis ita adamuſſim obtemperando, ut nullo unquam lethali crimine conficiam miſeram animam meam.

Tertiò: ut corpus tuum pretioſiſſimum ſit mea poſtrema refectio, & glorioſiſſimum nomen tuum mea finalis locutio, & acerbiſſima paſſio tua mea continua, & ultima cogitatio. Utinam digneris, me ita in ſancta fide, & religione fundare, & firmare, ut nunquam diabolus cor meum ad aliud credendum permovere valeat, quàm quod credit, & confitetur ſponſa tua, Eccleſia ſancta, quodque ego ex nunc uſque ad extremum vitæ periodum corde credere, & ore confiteri firmiſſimè conſtituo.

Quod ſi autem hora mortis ex vehementia ægritudinis, vel rationis inopia, aut aſtu aliquo dæmonis, ab eo quod jam profiteor, nutu, verbo, vel opere quomodocumque deflecterem, præſente hoc pro futuro illo temporis momento totum id reiicio, retracto, reprobo, ac contra omnem voluntatem meam eſſe, ac fore pronuntio. Iterumque proteſtor, me nec in vita, nec in morte aliud, aut aliter credere velle, quam ſancta credit Eccleſia; in qua, & pro qua vivere, & mori decerno, ut decet verum, & fidelem famulum Domini noſtri Jeſu Chriſti; in cujus manus commendo ſpiritum meum: ut per infinitam ſuam miſericordiam, & merita ſacratiſſimæ paſſionis, ac mortis ſuæ, atque interceſſionem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum, illum eo in loco reponat, quem pretioſo ſuo ſanguine illi comparavit: ubi eum amem, laudem, & benedicam per infinita ſæculorum ſæcula, Amen.

IN SEQUENTEM TRACTATUM

PRAEMONITIO.

PUtaverim, non tam ex innato, eximioque piiſſimi Scriptoris noſtri in Beatiſſimam Virginem Dei Matrem amoris impetu, Tractatum hunc productum, quam ut publico, ſumptuoſo, celebratiſſimo tanti Pontificis, qualis videlicet Paullus V. in Auguſtiſſimam Coeli Reginam cultui, & relligioni morem gereret, & ex occaſione illius magnificentiſſimi Sacelli, quod Burgheſianum *vocant, cuius in ſequenti ad eum nuncupatoria Epiſtola, velut potiſſimae rationis meminit, exaratum. Quod quidem Sacellum Romae in Baſilica Liberiana quum non ante annum* 1613. *ad VI. Kal. Februarias dicatur ad umbilicum deductum, & Sacra Beatae Virginis Imagine, pro qua conſtruebatur, ſolemni indicta univerſi Cleri, populique Romani ſupplicatione, oneratum, decoratumque, ut conſtat ex Alphonſo Ciaconio,* Vit. Pontif. Tom. 4. col. 383. *aliiſque; quamquam eius aedificium coepiſſe potuit an.* 1611. *ut legitur in hac ad Occidentalem Sacelli partem adfixa inſcriptione,*

SANCTAE VIRGINI DEI GENITRICI MARIÆ
PAULUS PAPA QUINTUS
HUMILIS SERVUS SACELLUM OBTULIT, ANNO MDCXI.

Heinc certiſſime exiſtimo, illo ipſo anno 1613. *dum Praepoſiti Generalis munere defungi pergeret, Ven. P. hanc piam Opellam ſcripſiſſe. Erat Johannes noſter, cum univerſa Congregatione in Paullum amore, & grati animi recordatione devinctiſſimus, cum pro Beatorum cultu S. Parenti Tereſiae ab eo ſolemniter decreto, tum ob Seminarium pro ſacris Miſſionibus Noſtratibus Romae extructum, tum etiam ob alia multa, quibus totum Ordinem affecit beneficia: erat inſuper illi pietatis, doctrinaeque opinione acceptiſſimus. Quapropter mirandum non eſt, ſi in praelaudata Epiſtola, qua Opus illi dicat, ſimplici quadam familiaritate Pontificem Auctor excipiat.*

VETUS AUCTORIS NUNCUPATORIA EPISTOLA

SANCTISSIMO D. N. PAULLO V.

PONTIFICI MAXIMO

FR. JOANNES F.

QUam piè Cœli Reginam colas, Pontifex Maxime, ſat perſuaſum eſt, tum aliis argumentis, tum Sacello illo, in Exquilinio Colle à te conſtructo, quo, ut fama percrebuit, nullum in orbe terrarum cernitur magnificentius.

Credendum proculdubiò, ædificium operoſiſſimum amplificando Virginis cultui deſtinatum, fuiſſe ipſi acceptum, uti fuit Joannis Patritii Romani votum, cui nix in medio Auguſti æſtu, noctu delapſa fidem aſtruxit. Credendum præterea, tui Pontificatus gloriam à Clementiſſima Regina, ingenio quidem ſuo ad opem propenſa, auctæ pietatis occaſione, multis acceſſionibus provehendam; & quod caput eſt, æternam, quam exoptas ſalutem, ſub illius auſpiciis, tibi ex voto ſucceſſuram. Fidenter ergo age, utereque brevi ſcripto hoc, quod tibi ſupplex nuncupo, ad Virginis amorem & cultum, appoſitè ad praxim exarato; ut bene currens inciteris, moliariſque majora, quibus propagetur cultus Reginæ Cœli: ſub qua Tutelari, quod impensè precor, Eccleſiæ Catholicæ diutiſſimè, ac feliciſſimè præſis.

VE-

VENERABILIS
P. FR. JOHANNIS
A JESU-MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI CALAGURITANI
TRACTATUS
DE AMORE CULTUQUE REGINÆ CÆLI
COMPENDIO SCRIPTUS.

PARS PRIMA.

De dotibus quæ Reginæ Cœli amorem excitant.

CAPUT I.

Pulchritudo.

Scripta An. 1613.

A

Pulchritudinis inliciae.

B

In aſſumptionis feſto.

Reginæ Cæli forma, quæ in corpore ipſius immortali cernetur, poſt regiam Corporis Chriſti ſpeciem, Beatorum oculis jucundiſſimum ævo ſempiterno ſpectaculum exhibebit. Si enim pulchritudo mortalis multiplici deformitate permixta, quam paſſim intuemur, corda capit, imperio ipſius ultrò parentia; quid de forma, ſtatu gloriæ perfecta cenſendum? Profectò non temere à Græcis pulchrum καλὸν dicitur, à calando, hoc eſt, vocando, quod omnia ad ſe vocet, ſibique velut adſtringat. Quàm ergo efficaciter ſupernorum civium animos permulcebit ſuaviſſima Reginæ tantæ pulchritudo? Vim formæ illius victricem cordium ſenſit Eccleſia, ubi eam ſibi ſubtrahi, cœloque ut imperaret, inferri contemplans, ſic abeuntem affatur: *Virgo prudentiſſima, quo progrederis, quaſi aurora valdè rutilans? Filia Sion, tota formoſa, & ſuavis es, pulchra ut Luna, electa ut Sol.* Si autem pulchritudo, quæ corporeis patebit Beatorum oculis, eloquentiam omnem, ſenſumque facilè vincit; quid de interna dicendum! Sanè ut externa coaleſcit ex apta membrorum proportione, cum quadam ſuavitate coloris, ita interna ex mira virtutum conſenſione, ac divino quodam ſplendore conſurgit. Quæ quàm viva polleat energia, ex eo planè perſpicitur, quod ipſum quoque Deum mirifice delectat: quod ex uno Salomonis Cantico cenſeri poteſt, in quo Deus ipſe arcana deſponſæ ſibi animæ forma captus, ac velut ſaucius, tanquam egregii pictoris pennicillo depingitur. Si ergo interna Agnetis, vel Catharinæ pulchritudine ſponſus Deus allicitur; quàm erit immenſa pulchritudo Mariæ, quæ tanto ſibi arctiùs Deum adſtrinxit? Quàm ſuaviter Beatorum internam formam planè abſolutiſſimam puro mentis intuitu contemplantium animos afficiet? Mariæ pulchritudo cordium magnes eſt, quo ſumma cum voluptate trahuntur Cælites, &, quod excelſius eſt, ipſe Cælitum Rex: nam ut canit Eccleſia: *Ornatam monilibus filiam Jeruſalem Dominum concupivit.* Hæc gloria formæ. Non ultrà procurritur.

Pulchritudo unde?

C

D

Pulchritudo Mariae cordium magnes dicta.

CAPUT II.

Decor.

QUod in corporibus externa, vel in animis interna pulchritudo, hoc in actionibus decor eſt: ut enim illa è membrorum proportione, vel connexione virtutum, ita hic ex actuum moderatione, & concinnitate conflatur, ubi expenſis circumſtantiis actus venuſti ad lineam rationis exiguntur, nihilque agitur, quod minimè deceat. Decor vulgò gratia dictitatur, nomine ad rem ſatis appoſito. Exploratum eſt autem, decorem, ſeu venuſtatem actionum ad amorem excitandum ponderis habere plurimum, tametſi forma parum commendetur: qui enim venuſtè intuentur, loquuntur, incedunt, cæteroſque familiares actus obeunt, licet pulchritudo deſit, perplacent, ſeque in animos ſpectatorum penitus inſinuant. Jam verò ſi forma præſtent, exprimi nequit, quibus acceſſionibus amorem exaggerent. Cum ergo Cœli Regina ut pulchritudine, ita & decore apprime excellat; quis poſſit aſſequi, quàm efficaciter ſpectatores ſuos venuſtiſſimis actibus demulceat? Sive ſtatum, ſive inceſſum, ſive ſeſſionem contemplemur, eximius decor eſt. Quid ſi intuitum, ſermonemque obſervemus? Felices plane ii, qui venuſtate tanta puri amoris altrice fruuntur! Non abſque conſilio canitur ei: *Pulchra es, & decora filia Jeruſalem.* Quis poſſit eloqui, quàm venuſtè in Cœlos penetrarit, & ad paratum ſibi Thronum ultrà Seraphim vertices, ſpecie, ac decore præſtantiſſima Regina proceſſerit? Quo lepore Filium Regem immortalem ſalutaverit? Quàm gravi, miti, læto, ſynceroque intuitu, cives cæleſtes dulciſſima pulchritudine ſuſpenſos circumſpexerit? Cælitum ſenſum incaſſum coner æquare. Milites prætoriæ cohortis Holophernis elegantem Judith formam, decorem, leporemque mirati extulerunt verba hæc: *Non eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu, in pulchritudine, in ſenſu verborum.* Exploratores autem, qui eam ceperant, mox ac præſentem aſpicere, & dicentem audire potuere, vehementer admirati ſunt, ſicut ſcriptum eſt: *Et cum audiſſent viri verba ejus, conſiderabant faciem ejus: & erat in oculis eorum ſtupor, quoniam pulchritudinem ejus mirabantur nimis.* Fuit autem formæ, ac decoris æſtimatio tanta, ut ſatellites Holophernis dicerent: *Quis contemnat Populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habet, ut non pro his meritò pugnare contra eos debeamus?* Si ergo cenſores pulchritudinis, ac venuſtatis parum abſolutæ, & corruptioni obnoxiæ ſtupent, & pro ea generosè decertare conſtituunt; quid non audendum, & pervincendum, ut confecto mortalitatis curſu, formam Reginæ noſtræ, gloriæ ſtatui per capita omnia congruentem detur tandem intueri?

A

Decor unde?

B

Coeli Reginae decor, ac pulchritudo.

C

Judith. 11.

Judith. 10.

Judith. 10.

D

CAPUT III.

Lux.

FOrmæ, ac decoris vis luce affulgente ſe prodit, ſpectatoreſque mirificè afficit. Eſt enim lux (ut Damaſcenus, lib. 2. de fide cap. 7. ſenſit) decus, atque ornamentum viſibilis creaturæ, cujus pulchritudinem conſpicuam reddit. Corpora verò gloriæ ſtatu jam immortalia, juxta Scripturam Sacram, comunemque Patrum interpretationem, ſole ipſo ſplendidiora fore, conſtitutum eſt. Erit ſane lux perfectiſſima, quæ intuentes minime perſtringet, ſed perceptione ſuavi ſummam voluptatem pariet. Cum ergo Apoſtolus de Chriſto juſtos remunerante universè protulerit: *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Qua luce Reginam Cœli, propriamque parentem perfudiſſe credendus eſt? Quam arctè pulchritudo illa regia, formoſiſſimo ſplendore conſpicua animis ſpectatorum hærebit? Civitas illa ſuperna corporis pulcherrimi ſimilitudinem gerit, cujus cives tanquam bene cohærentia membra, caput, ſpecie imperio digna, Chriſtus, collum velut eburneum Maria eſt. Collum ergo illud appoſitè ad lucem capitis, puriſſimo nitore ſplendebit, cujus amore immenſo Jeruſalem beata conflagrabit. Nos exules ſtellis coronatam, Sole amictam, Luna velut calceatam Reginam cœli concipimus: at hæc perexigua ſunt, ſi cum gloriæ luce conferantur.

E

Corpus glorioſum ſole ſplendidius.

Philipp. 3.

F

CAPUT IV.

Puritas.

AMoris conciliatrix puritas eſt: unde quæ pura ſunt, eo ipſo placent; ut purum ſpeculum, purus aer, purum cœlum. Quam ergo placebit Regina Cœli ea nitens puritate, qua major ſub Deo nequit intelligi? Sanè quod ad corpus attinet, Virginitas illa cæterarum Virginum candorem immenſo vincit exceſſu, qui conceptui, partuique candoris ipſius, Verbi ſcilicet æterni, congruere poſſit. Quod verò ad animum ſpectat, perfectiſſima, & Divinitati finitima puritas eſt; quæ omnino decuit eam, quæ Dei Verbum altius concepit mente, quam corpore, & nulla unquam culpæ nebula abducta fuit. Hæc ergo tam exacta puritas pulchritudini ſociata, quàm altè ſpectatoribus imprimetur? Quàm puros amoris motus excitabit? Theologi certè graviſſimi tradiderunt, eam fuiſſe in hac mortalitate Virginis pulchritudinem, quæ dum aſpiceretur, caſtitatem ingeneraret, concupiſcentiæ motus extingueret, qui ſunt effectus virgineæ illius puritatis planè mirabiles. Quid ergo nunc juxta puritatis fontem reſidens efficiet? Quàm pura voluptas è Regina illa, tanquam è fontis cratere, aquæ mo-

G

S. Bonav. in *ſpec. Virg. c.* 1. *ex Anſelmo.*

H

Ambr. li. de inſtit. Virg. c. 7.

S. Tho. 3. *d.* 3. *q.* 1. *ar.* 1. *quaeſtiu.* 1. *ad.* 4.

Alenſ. 3. *p. q.* 9. *m.* 3. *a.* 1.

Scriptus An. 1613.

more puriſſimæ multis velut ſulcis diſcretæ, in animos intuentium derivabitur, ut quemque pro captu ſuo penitus illapſa perfundat? Beati profectò, qui dum Reginæ ſuæ vultum ſummis votis expetitum cernent, puriſſimam haurient voluptatem, nec illa unquam ſe carituros formidabunt.

A

CAPUT V.

Nobilitas.

VIM amoris effectricem nobilitas habet, quod omnium conſenſione gentium claritatem generis æſtimantium ſatis aſtruitur. Regina ergo Cœli, ſi carnis concretio ſpectetur, è ſtirpe regia ducit genus, quod Eccleſia canit in hæc verba: *Clara ex ſtirpe David.* Cæterum ad amorem excitandum pondus addit immenſum nobilitas illa, quam ex unigenito Dei Filio è puro ipſius ſanguine corporato contraxit: quæ ad S. Thomæ mentem, quædam cum Deo affinitas eſt. Huc ſpectat dignitas Matris, quam eſſe ſuo genere infinitam, cum ſit ſuprema cum infinita Verbi perſona conjunctio, idem Doctor aſſeruit. Si ergo ex terreni Principis affinitate nobilitas inter mortales acquiritur, quàm erit eximia, quæ ex ſummo ipſo Deo genito paratur? Quid quod Dei Filius non affinis tantùm, verùm, & conſanguineus Virginis ut optarat, evaſit? Infra nobilitatem hanc nobilitas quoque Seraphica, quantumvis evecta, ſubſidit, & honorificum ducit Reginæ tantæ ſubeſſe. Huc certatim aſpirandum eſt, ut obſcura mortalitas in ſtatum nobiliorem traducta clareſcat.

S. Th. 2. 2. q. 103. ar. 2. ad 2.

3. p. q. 25 a. 6. ad 4.

B

CAPUT VI.

Sapientia.

C

QUàm ſit expetenda ſapientia, ſatis evincitur ex laboribus ſummis, quos viri clariſſimi exanthlarunt, ut longis itineribus, quos doctrina excellere fama erat, convenirent. Sic è ſacris Salomonem exteri permulti, inter quos Saba Regina, quæ ex ejus ore ſuſpenſa pependit: & è profanis Pythagoras Memphiticos vates, Plato Architam Tarentinum, Appollonius Hiarcham è patriis profecti ſedibus, per regna longè diſſita, ſolo ſapientiæ amore capti adierunt. Cum ergo Regina Cæli Sapientiam ipſam, Unigenitum videlicet Dei Filium, alta mente conceperit, & ad regiæ dignitatis proportionem, ſapientiæ potu è propinquo fonte hauſerit; quis poſſit exprimere, quo ſit amore digna ex eo capite cumulatiſſimæ ſapientiæ, quæ animum ipſius luculentiſſimè illuſtrat, & honeſtat. Inter aliarum Virginum laudes Eccleſia reponit illam: *Hæc eſt Virgo ſapiens, & una de numero prudentum.* Quàm ergo erit ſapiens Regina Virginum, quæ Divinitatis arcana ſublimiſſima contemplatione percepit? Felices, qui aſſiſtent ei, divina ipſius ſapientia fruituri.

S. Hieron. epiſt. ad Paulinum.

D

CAPUT VII.

Gratia.

QUI apud mortales Principes gratia valent, impenſiùs, quàm dici poſſit, amantur, quod Curiæ ſectatoribus perſpectum eſt. Aſtruitur hoc aulicorum comitatu, muneribus, & affectatis etiam obſequiis: omnes quippe vellent, eos, quos gratia principum extulit, habere propitios. Cum ergo Regina Cæli immortalis Regis gratia plurimum excellat; cæcus profectò, ac delirus eſt, qui eam ſummo proſequi amore, & quibus poſſit obſequiis velut demereri non ſatagit. Eſther Reginæ benevolentiam, ex quo Aſſueri gratia, præ cæteris puellis, valuit, omnes ſollicitè captabant. Nec mirum: nam ut ſacer habet textus: *Erat formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa, & amabilis videbatur.* Pauloque poſt: *Et adamavit eam Rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam, & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite ejus.* Eſther itaque ſuavi formæ vi regis animo hæſit, regnique proindè conſors effecta, ſe gratia præſtare, & quicquid vellet, impetrare poſſe perſuaſit: quod ad gentis univerſæ animos demulcendos efficax proculdubio argumentum fuit. Cum ergo Regum Rex Mariæ pulchritudine captus, illam ad regnum evexerit; quis non liquidò perſpiciat, eò ſublimem Reginam pertigiſſe, ut pro iis, qui ſupplices ei libellos porrigunt, poſſit obtinere quod velit? Rationis augetur vis, ſi gratiæ dignitas expendatur. Eſt quippe gratia hæc, quam extollimus, non extrinſecus affixa, qualis gratia Regis Aſſueri, ſed intus recepta, à Theologis gratum faciens appellata, quòd animum naturæ divinæ conſortem, Deoque propterea gratum efficiat. Ex eo enim Divinitatis conſortio mirus quidam exiſtit effectus, ut animus gratia exornatus, eximia pulchritudine præſtet, nequeatque majeſtati divinæ ex eo capite non placere, cum ejus ſimilitudinem gerat. Quo autem gratia hæc in Maria proceſſerit, bene conjectabit, qui eam æterni Dei Genitricem eſſe meminerit, , & Filij tanti erga Matrem tantam, immenſum amorem penſitaverit. Non abs re Theologi plerique claſſici cenſent, plus gratiæ in eam unam, quam in univerſos Angelorum choros, hominesque juſtos ſimul acceptos fuiſſe collatum. At rem hanc omnino grandem quis æquis bilancibus poſſit appendere, excepto Deo, qui ſatis novit, quos in Maria theſauros condiderit? Si Maria, ut Epiphanius dixit, ſolo Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtit, cui niſi Deo ſoli gratiæ in eam collatæ reſervatur expenſio? Hac de cauſa de excelſiſſima Virginis gloria, quæ gratiæ reſpondet, nihil dicendum, ſed cedendum eſt.

E

Eſth. 2.

F

Mariae gratia qualis?

G

H

Epiph, in Orat. de laud. Virg.

CA-

Scriptus An. 1613.

CAPUT VIII.

Opulentia.

DIvitiæ amorem conciliant: nam qui benè nummati ſunt, tametſi nec forma, nec venuſtate præcellant, auro ſpeciem addente, impensè amantur, multuſque propterea eis honos defertur. Quid ergo de Regina Cœli ſentiendum, quæ Dei opes, uti proprias poſſidet, atque diſpenſat? Huc confert illud Bernardi: *Intuere, o homo conſilium Dei. Cœleſti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit: Redempturus humanum genus, pretium univerſum contulit in Mariam.* Quorſum autem contulit, niſi ut Mariæ opibus ditemur, & quicquid boni recipimus, eidem feramus acceptum, quod Bernardus ipſe poſt pauca ſubtexuit in hæc verba: *Altius ergo intueamini, quanto devotionis affectu à nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria: ut proindè ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus redundare, quæ aſcendit deliciis affluens.* Qui ergo veras divitias parare cupit, Virginis amorem altè concipiat, ejuſque contempletur opes, quibus nihil inter puras creaturas pretioſius reperitur. Studeat inter aulicos Reginæ tam divitis recenſeri, ut locuples fiat: ſit piè cupidus: inculpatamque cupiditatem exiſtimet, quæ non auro, vel argento, ſed bonis cœleſtibus, è Mariæ gazophylacio depromptis explebitur, nec ullum patietur decrementum.

A

In. ſerm. de Nativit. B. Mariae.

B

CAPUT IX.

Potentia.

MOrtalium fragilitas potentiæ alicuius omnino magnæ, à qua protegatur, cupidiſſima eſt. Ex quo efficitur, ut qui ab hoſtibus infeſtantur; ad Principum, quos potentia pollere fama eſt, tutelam, velut ad bene munitam arcem confugiant. Quænam verò arx tutior, aut quæ potentia major, quàm Reginæ Cœli, quæ invictiſſimis à Deo viribus roborata, & regno, quod expugnari nequit, præfecta eſt? Ioſephi potentiam Aegyptus demirata eſt, ex quo pervulgata fuere Pharaonis verba hæc: *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum regni ſolio te præcedam.* Et hæc. *Ego ſum Pharao abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum, aut pedem in omnem terram Aegypti.* Hæc, ut audivit Aegyptus, Ioſephum certatim amavit, & coluit. Cùm ergo populus Chriſtianus, Reginam cœli mundo univerſo præpoſitam eſſe, unoque duntaxat divinæ Majeſtatis ſolio præcedi, certò noverit; debet profectò potentiam tantam ſuſpicere, amare, ac ritè colere. Debet quovis imminente periculo, ad Virginis tutelam quantocyus ſe recipere, omnino fidens, ad Reginæ tantæ imperium, mala omnia procul arcenda, bonaque omnia feliciter ſucceſſura.

C

Reginae Coeli potentia.

Geneſ. 41.

D

CAPUT X.

Miſericordia

VEL ſola Reginæ Cœli miſericordia deberet mortales univerſos ad ejus amorem efficaciter flectere. Sunt enim tot, tam crebra, tam illuſtria eius virtutis teſtimonia, ut ſaxa quoque ipſa poſſint emollire. Nimis operoſum, ac prolixum foret, auguſta orbis Chriſtiani templa, in Virginis honorem, Deo dicata percenſere, quorum parietes tabellis ex voto ſuſpenſis obteguntur, in animi grati ſignum, ob accepta multiplicia beneficia, è miſericordia Virginis, velut è ſalutis officina, profecta. Quod adeò verum, vulgatum, & creditum eſt; ut in ſummis periculis, ob anteacta experimenta, nullum Chriſtianis præſentius remedium videatur, quam invocatum nomen Mariæ, quo ſalus expetita citiùs interdum obtinetur, quàm commemorato ipſo nomine Jeſu, ut Sanctus obſervavit Anſelmus in hæc verba: *Velocior nonnunquam ſalus memorato nomine ejus, quam invocato nomine Domini Jeſu unici filii ſui.* Si ergo Regina miſericors tam eſt velox ad auxilium; quis eam ex hoc capite non amet, & ſuaviſſimum ejus nomen centro cordis inſculpat?

E

Lib. de excel. B. Virg. Mariae c. 6.

F

CAPUT XI.

Multiplices aliæ dotes.

DEcem prompſimus dotes, quaſi totidem amoris ſtimulos, qui ad amorem Virginis pium quemque perurgent. At ſunt dotes aliæ permultæ, quæ in amoris fomenta æquis æſtimatoribus vertuntur. Huiuſmodi eſt modeſtia illa Reginæ Virginum propria, quæ pulchritudine inſigniter auget. Majeſtas Regia, quæ non minus amoris, quam venerationis ingenerat. Facilitas exaudiendi, qua nihil ſuavius poſſit excogitari. Manſuetudo illa planè dulciſſima, quæ indomitas quoque feras leniret. Amor immenſus erga homines, quibus quantumvis flagitioſis, & in deſperationem actis præſentiſſimum ferre ſolet auxilium. Quis ergo ita deſipiat, ut Reginam tot eximiis dotibus exornatam, & in opus noſtræ ſalutis intentam non impensè amet, eique ſe totum, ut fidiſſimæ tutelari dedat?

Mariae dotes.

Modeſtia. Maieſtas.

G

Manſuetudo.

Amor erga homines.

CAPUT XII.

Eccleſiæ affectus erga Cæli Reginam.

IIS, quas leviter attigimus, dotibus Eccleſia ducta, puriſſimæ Virgini laudes innumeras ſuavi concentu, velut quoddam amoris tributum, reddere conſuevit. Quod ut religioſiùs efficeret, Scriptura ſacra, & Sanctorum ſcriptis ſymbola, epithetaque varia excerpſit, quibus in ſolemnibus ejus feſtis uteretur. Huc pertinent illa pucherrimis decorata metaphoris, & notis, quaſi hieroglyphicis picta, Janua Cæli, Speculum ſine ma-

H

Symbola varia, quae Mariae ab Eccleſia tribuuntur.

Scripta An. 1613.

macula, Turris Davidica, vel eburnea, Fœderis arca, Hortus concluſus, Gedeonis vellus, & id genus alia, quæ in Eccleſia canuntur harmonicè, unde piiſſimi, ac tenerrimi affectus largo cum lacrymarum imbre diſſultant. Ad ſenſum ergo Eccleſiæ pius quiſque tenero affectu, & quibus poſſit externis teſtari amoris actibus, ſpontaneum aliquod velut tributum Cæli Reginæ rependere debet, quod ſeriò decernendum eſt.

A

PARS SECUNDA.

De cultu Reginæ Cæli.

CAPUT I.

Quid primum à cultore Virginis præſtandum?

B

PRincipio enixè precetur, ne Regina Cæli aſpernetur hominem humi defixum, potiuſque ex ingenio ſuo liberaſſimo, ejus tutelam ſuſcipiat. Poterit autem oratione, vel etiam ſacrificio Miſſæ præmiſſo in hunc modum, in templo, vel oratorio aliquo, ſe totum Virgini offerre:

Deprecatio.

Clementiſſima Cæli Regina, & ſpes firmiſſima ſalutis meæ, Ego N. bene conſcius meæ indgnitatis, animi demiſſione, quàm poſſum, maxima, animo tuo ad miſerendum promptiſſimo fretus, me totum tibi offero, teque in tutelarem meam, per totius vitæ decurſum eligo. Obſecro ergo te, Regina mitiſſima, per viſcera Unigeniti Filii tui, ne me deſpicias, ſed mei protectionem, tutelamque ſuſcipere digneris, ut ſub auſpiciis tuis, vitam in Dei amore, caſtoque timore perſeveranter ducam.

C

CAPUT II.

Quid ob tutelam Virgini reddendum?

Virginis Mariae tutela quanti facienda?

NON eſt habenda neglectui Vrginis protectio, neque temerè credendum eam, ut optamus, fore ratam, niſi, qui boni tanti cupidus eſt, peculiare quippiam impendat, quod prudenter poſſit in argumentum ſuſceptæ protectionis vertere. Piè autem, & prudenter creditur, eum, qui Reginæ cæli, alias ad opitulandum propenſæ, cultum peculiarem affert, peculiari quoque tutela ab ea protegendum. Erit ergo ad rem, ut qui per totius vitæ curſum, à Tutelari tanta muniri depoſcit, perennem aliquem cultum reciproco affectu rependat. Habebit autem delectum cultus, quem decernere parat, qui ſtatui, negotiis, & circumſtantiis congruat. Alii quippe precationem, quam Virginis coronam appellant, alii Officium ejus parvum, alii Sabbati jejunium, alii Miſſam de B. Virgine, alii certas eleemoſynas ad puellas inopes nuptui tradendas; alii alia ſeligunt, quæ affectus ſuggerit pius. Alii feruntur ulterius, ſpondentque ſe nihil ob amorem Virginis poſtulatum negaturos. Alii ad reſpirationes ſingulas, ſe totos Virgini offerunt, ad quælibet ardua ipſius amore tentanda comparatos. Ex iis ergo, vel ejus generis aliis lector, delectu habito, vel unum, vel plura conſtanter exequi ſtatuet. Poterit autem in hunc modum cum Cæli Regina paciſci:

D

E

Deprecatio ad eius tutelam obtinendam.

Clementiſſima Cæli Regina, cujus protectionem ſummis votis expeto, Ego N. Unigeniti Filii tui gratia, tuoque præſidio fretus, decerno per totius vitæ decurſum, tibi peculiari ſtudio famulari: in cujus obſequii ſignum, ſtatuo, me diebus ſingulis, in tui honorem, Officium parvum recitarurum, vel certam hanc eleemoſynam erogaturum, &c. Ne oblationem pauperis reſpuas, Regina mitiſſima, ſed inopiæ meæ miſerta, orantem admitte, atque tuere.

CAPUT III.

Quid à quovis Reginæ cæli cultore præſertim agendum?

F

POtiſſimus Virginis cultus, ab eaque præſertim expetitus, ejus imitatio eſt. Quicquid enim ejus cultor agat, ſi moribus ab ea diſſentiat, parum ſanè proficiet. Nam licet Regina miſerircors ſceleſtos minimè paucos cœptis vitiis inſiſtentes, ipſam tamen quotidie precari ſolitos, in extremo agone mortis protexerit, non inde conficitur, ut pium, prudenſve conſilium ſit, imitatione neglecta, in aliqua precatione, vel jejunio Virgini deſtinato ſpei multum reponere, cum eidem Virgini ſordida vita diſpliceat. Prima ergo cura ſit, ut qui Cæli Reginam cupit ſibi eſſe propitiam, ejus vitam innoxiam imitetur. Ne verò imitationis ſtudium universè acceptum, quaſi vagum, & incertum minùs ad praxim derivetur; proderit virtutem aliquam peculiarem, puta humilitatem, vel manſuetudinem ſeligere, in quam imitator nervoſiùs incumbat. Imitationis autem propoſitum poterit in hunc modum concipi:

Eiuſque ſequenda veſtigia.

G

Deprecatio pro obtinendis eius virtutibus.

Clementiſſima Cæli Regina, & abſolutiſſimum ſanctitatis exemplar, Ego N. Unigeniti Filii tui, tuoque auxilio innixus, conſtituo, virtutes, moreſque imitari tuos, ut tibi ea ſimilitudine placeam: quod ut rectiùs efficiam, humilitatem tuam, vel manſuetudinem, vel caſtitatem, mihi peculiariter ad imitationem præfigo. Supplex ergo oro te, Virgo puriſſima, mihi adſis, ut tantæ virtutis amore flagrem, eam fidiſſimè colam, eaque parta, tui ſimilis evadam.

CAPUT IV.

Quid ſummo mane à cultore Virginis præſtandum?

H

FIdus Virginis cultor, quotidie ſummo mane, ſe, ſuaque omnia non modò ad divinæ majeſtatis, verùm ad Reginæ Cæli gloriam dirigere debet, qùod paſſim à viris piis fieri con-

Scriptus An. 1613. conſuevit, Poterit autem uti directione hac: Clementiſſima Cæli Regina, cui placere cupio, Ego N. offero me ipſum, cogitationes, verba, operaque omnia vitæ totius, peculiariterque hujus diei, ad Divinæ primum, & mox ad tuæ Majeſtatis gloriam: firmiterque ſtatuo, culpas omnes cavere, boniſque operibus, quoad potero, tui gratia A conſtanter inſiſtere. Precor ergo te, quam poſſum impenſè, Regina humaniſſima, me per omnia dirigere, ac tueri digneris.

CAPUT V.

Quid in proceſſu diei ad cultum Virginis agendum?

SEdulus Virginis cultor nec deſiderium, nec officium explet, ſi matutina, quam præſcripſimus, directione utatur: ſed, ut experientia multiplici conſtat, antequam opus quodlibet, puta officium divinum, Miſſæ ſacrificium, concionem, ſacram confeſſionem, ſeſſionem aliquam, prandium, cœnam, B negotium quodpiam inchoet, brevi animi aſcenſu, ſive elevatione, actum inſtantem ad Reginæ Cœli gloriam, ſe piè exequi velle decernit in hunc ferè modum:

Clementiſſima Cæli Regina, actum hunc concionandi, ſacrificandi, negotium gerendi, &c. ad Divinæ primum, deindè ad tuæ Majeſtatis gloriam ex animo dirigo: precorque, ut, te fautrice, piè agam, & ab omni culpa procul abſiſtam.

CAPUT VI.

Quid ante ſomnum à Virginis cultore obſervandum?

EXamine conſcientiæ præmiſſo, & Majeſtate divina nonnullis contritionis actibus, & precibus propitiata, Virginis C cultor, antequam cubitum diſcedat, ſalutationem Angelicam, vel Antiphonam, Salve Regina, cunctanter recitet, Reginæque Cæli auxilium ad noctem illam inculpatè ducendam, multa cum animi demiſſione depoſcat. Poterit autem uti prece hac:

Clementiſſima Cæli Regina, & arx tutiſſima miſerorum ad te confugientium, te precor quàm enixè poſſum, nocte hac mihi adſis, ut neceſſario ſomno, abſque ullo animæ damno refectus ad tuas laudes evigilem.

CAPUT VII.

Quid in Virginis feſtis agendum?

D

TEmpus antevertendum eſt, & per dies aliquot ante feſtum, peculiare quippiam in Reginæ Cæli honorem præſtandum, cujuſmodi eſt certus aliquis adorationum, ſeu poſtrationum numerus cum ſeria Virginis invocatione, frugalitas aliqua in victu moderata, ſeu vigiliæ, jejunium, eleemoſyna ob amorem Virginis erogata, uſus cilicii, & verberum, ſimiliſve alia corporis caſtigatio, & in ipſo denique feſto ſacra confeſſio, & Euchariſtiæ ſumptio penſitatior, quàm diebus aliis, & religioſior.

CAPUT VIII.

Qualis erga Cæli Reginam debeat eſſe devotio?

E

DEvotio ex S. Thoma, eſt voluntas quædam promptè tradendi ſe ad ea, quæ ad famulatum Dei pertinent. 2. 2. q. 82. art. 1. Ad hunc ergo ſenſum, proportione ſervata, devotio erga Virginem, erit prompta quædam, & parata voluntas exequendi ea, quæ ad ejus attinent cultum.

Quocirca qui Cæli Reginam, ut par eſt, colere decernit, quicquid ad ipſius ſpectat honorem, expeditè, & alacriter expleat, occaſioneſque illius laudes celebrandi, ejus hiſtorias lectitandi, miracula, & beneficia recolendi, ſuaviſſimum Mariæ nomen invocandi, alioſque ad ejuſmodi actus pios inducendi captet: quod ſanè ſtudium lætitiæ ſpiritualis, ſpei, ac meriti feraciſſimum eſt. F

CAPUT IX.

Qualis eſſe debeat Virginis æſtimatio?

VErus Virginis cultor ita erga cæli Reginam debet affici, ut poſtquam omnia ſuperiùs præſcripta expleverit, nihil ſe putet egiſſe; illamque ſupplex oret, dignetur eum, inter cultores ſuos gratis recenſere. Quid enim celſitudine, ac majeſtate tanta dignum mortalis homo culpæ vinculis innexus, & gravi hæreditariæ fragilitatis morbo æger poſſit offerre? Profectò etſi omnes mundi opes, honores, voluptates aſpernaretur; & acerrimos Virginis gratia ferret cruciatus, deberet ſe illius tutela planè indignum profiteri, eique ſe totum ob ſolam ipſius puritatem, ſapientiam, & pulchritudinem, velut G emptum mancipium dedere. Hæc Reginæ Cæli æſtimatio eſt.

Precatio, quæ præcipuas Summi Pontificis curae complectitur.

CLementiſſima Cæli Regina, & ſpes firmiſſima ſalutis meæ, obſecro te, per immenſi amoris incendium, quo flagras erga Unigenitum Filium tuum, dirigas me illius Vicarium, ut ei tam in vitæ integritate, quàm in creditæ mihi ab eo Eccleſiæ regimine, per omnia capita congruam, nec unquam ob ullam proſperitatem, ſive adverſitatem ab ejus mente diſſentiam. H Per te, Regina potentiſſima, Eccleſia militans protegatur, ut quicquid habet boni, alatur, & creſcat, & quicquid admixtum eſt, vel imminet mali, procul arceatur. Tuere, & promove, fidiſſima tutelaris noſtra, Eccleſiaſticam Hierarchiam, ut qui in partem Apoſtolicæ ſolicitudinis mihi adjuncti, & ſubjecti ſunt, mecum in opus, quod à Filio

Scriptus An. 1613.

tuo nobis commiſſum eſt exemplo vitæ, & piis laboribus incumbant: atque adeo Cardinales, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, eorumque Vicarii, Parochi, & alii quovis nomine animarum curam gerentes, juxta officium quiſque ſuum vitæ puritate, Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudio idoneo Sacramentorum miniſterio, & animarum eis ſubditarum cultura præcellant. Sacerdotes alii, & clerus univerſus functiones ſuas legitimè obeant, & inculpatè vivant: Concionatores Jeſum Chriſtum crucifixum prædicent: Monachorum, ſacrarumque Virginum clauſtra florentia vigeant, & deformata reformentur: cunctuſque populus Chriſtianus divinæ, & Eccleſiaſticarum legum præcepta cuſtodiat, & Sacramentis ad ejus ſalutem inſtitutis dignè, ac frequenter utatur. Pax multa per te, mitiſſima Regis pacifici Mater, ætate noſtra firmetur, ut omnes Principes Chriſtiani in veram concordiam, te animos conciliante, conſpirent; & ubi adverſus Infideles bella gerunt, inter ſe fœderati de hoſtibus Eccleſiæ victoriam reportent: Schiſmaticique omnes jugo Filii tui ſuavi collum ſubdentes ad Eccleſiæ redeant unionem. Per te fortiſſima hæreſum Interemptrix, hæreticorum conatus reprimantur, & in Chriſtianis academiis doctrina Catholica integra conſtet, ut vincat veritas, Unigenitus ſcilicet Filius tuus. Per te dulciſſima miſericordiæ Mater, convertantur non modo Chriſtiani peccatores ad juſtitiam, ſed infideles ad Catholicam Eccleſiæ Romanæ fidem, quæ per dilectionem operatur, ut fiant è ſelecto numero populi, quem acquiſivit Redemptor noſter pretio ſanguinis ſui. Per te denique liberaliſſima cæleſtium bonorum diſpenſatrix, & ſuaviſſimum omnium ad te ſuſpirantium refrigerium, reparentur damna omnia noſtris animis, & corporibus illata, & abunde proveniat quicquid deſideratur boni, ut confecto mortalis vitæ curſu, ad optatiſſimam perveniamus Dei Civitatem, quam inquirimus, & ſummo, ac ſempiterno bono perfruamur.

IN SEQUENTIA PIA EXERCITIA

PRAEMONITIO.

*Sequentia ad Natalem Domini ferventiſſima praeparationis exercitia, partim ex S. Scripturae, partim ex Eccleſiae verbis, & dictis exarata, latine alia, alia ex Italico in latinum verſa a P. Thoma a S. Tereſia (quae ſolito aſteriſco * indicabantur) in veteri Conlectione legebantur Tomo quarto, a Pag.* 258. *eaque arbitror omnia ſcripta dum Romae Novitiis educandis praeſidebat, circ. an.* 1600.

VEN. P. JOHANNIS A JESU MARIA

EXERCITIUM PRÆPARATORIUM AD NATALEM DOMINI,

Quotidie Adventus tempore frequentandum.

AD DEUM PATREM.

Scrip. An. circ. 1600.

ADoro te, ô Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, Quia unigenitum Filium tuum miſiſti ad redimendum me.

Laudo, & glorifico te, ô Deus benigniſſime animæ meæ: Quia A unigenitum Filium &c.

Amo te, ô bonum infinitum cordis mei, & amare deſidero perfectiſſimè in æternum. Quia unigenitum &c.

Verſ. Emitte agnum Domine dominatorem terræ.
Reſp. De petra deſerti ad montem filiæ Sion.
Verſ. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.
Reſp. Et ſalutare tuum da nobis.
Verſ. Obſecro Domine, mitte, quem miſſurus es.
B *Reſp.* Ut ſalvos faciat nos.

Oratio.

EXcita Domine corda noſtra ad præparandas Unigeniti tui vias: ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus ſervire mereamur.

Concede quæſumus omnipotens Deus: ut qui ſub peccati jugo, ex vetuſta ſervitute deprimimur; expectata unigeniti Filii tui nova nativitate liberemur.

Indignos nos, quæſumus Domine, famulos C tuos, quos actionis propriæ culpa contriſtat: unigeniti Filii tui adventu lætifica. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Ad Filium.

ADoro, & veneror te, unigenite Fili Dei vivi, Quia pro me homo fieri dignatus es.

Laudo & glorifico te, ô Oriens ſplendor lucis æternæ: Quia pro me, &c.

Amo te, ſereniſſime princeps cordis mei, D & amare deſidero ardentiſſime in æternum. Quia pro me &c.

Verſ. Veni ad liberandum nos Domine Deus virtutum.
Reſp. Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.
Verſ. Veni Domine, & noli tardare.
Reſp. Relaxa facinora plebi tuæ Iſrael.
Verſ. Convertere Domine aliquantulum.
Reſp. Et ne tardes venire ad ſervos tuos.

Oratio. E

EXcita, quæſumus Domine, potentiam tuam, & veni: ut ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis, te mereamur protegente eripi, te liberante ſalvari.

Excita, quæſumus Domine, potentiam tuam, & veni: & magna nobis virtute ſuccurre: ut per auxilium gratiæ tuæ, quod noſtra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret.

Feſtina, quæſumus Domine, ne tardaveris, & auxilium nobis ſupernæ virtutis impende: ut adventus tui conſolationibus ſub- F leventur, qui in tua pietate confidunt. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Ad Spiritum Sanctum.

ADoro, & veneror te, Spiritus Sancte paraclite, Quia æterni verbi incarnationi cooperatus es.

Laudo, & glorifico te, ô dulcis hoſpes animæ meæ: Quia æterni verbi &c.

Amo te, ô lux beatiſſima, & requies uni- G ca cordis mei, & amare deſidero perfectiſſimè in æternum: Quia æterni &c.

Verſ. Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui.
Reſp. Viſita nos in Salutari tuo.
Verſ. Accende in nobis ignem tui amoris.
Reſp. Et flammam æternæ charitatis.
Verſ. Tribue nobis Domine chariſmatum dona.
Reſp. Et firma in nobis gratiam tuam.
Verſ. Emunda nos Domine ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus.
Reſp. Ut venientem Salvatorem noſtrum dignè ſuſcipiamus. H
Verſ. Sanctifica Domine templum cordis noſtri abundantia gratiæ tuæ.

Reſp. Ut venientem Salvatorem noſtrum dignè ſuſcipiamus.

Verſ. Santifica Domine templum cordis noſtri abundantia gratiæ tuæ.

Reſp. Ut venientem Salvatorem noſtrum dignè ſuſcipiamus.

Verſ. Præpara, & perfice animas noſtras, ſicut animam beatiſſimæ Virginis.

A *Reſp.* Ut venientem Salvatorem noſtrum dignè ſuſcipiamus.

Oratio.

AUrem tuam, quæſumus Domine, præcibus noſtris accommoda, & mentis noſtræ tenebras, gratia tuæ viſitationis illuſtra.

Conſcientias noſtras, quæſumus Domine, viſitando purifica: ut veniens Jeſus Chriſtus, Dominus noſter, cum omnibus Sanctis, paratam ſibi in nobis inveniat manſionem.

Illo nos igne, quæſumus Domine, inflamma: quem Dominus noſter Jeſus Chriſtus miſit in terram: & voluit vehementer accendi: Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum Amen.

Ad Deiparam Virginem.

B VEneror te, ô beatiſſima æterni Patris filia; Quia Filium Dei, qui ad me viſitandum venit concepiſti.

Laudo, & glorifico te, ô puriſſima Spiritus Sancti Sponſa; Quia Filium Dei, qui ad me viſitandum venit peperiſti.

Amo te, ô amabiliſſima omnium viventium mater, & amare deſidero ardentiſſimè in æternum; Quia filium Dei, qui ad me viſitandum venit, educaſti.

AVE ſingulare cæli ornamentum, ſingulareque terræ præſidium Maria: ave filia Sion millies beata: ave porta orientalis inviolata, per quam ſpecioſus forma præ filiis hominum ad nos venit. Converte, ô C Regina ſereniſſima, converte ad me mitiſſimos illos oculos virginei vultus tui: illumina tenebras cæcitatis meæ claritate adventus tui. Attende gemitus animæ meæ cupientis vehementiſſimè diligere te, ac unigenitum Filium tuum, digniſſimeque recipere.

Expurga, quæſo, cor meum à peccatorum ſordibus: tolle à me, quicquid virgineis oculis tuis minus placet; ut tuum dignè valeam recipere Filium.

Exorna, ô Virgo gratioſiſſima, exorna animam meam decore ſpiritali: inſere cordi meo vividos ſanctæ caritatis affectus; ut tuum dignè valeam recipere Filium.

Aſſume me in ſervulum, ô Domina benigniſſima: adopta me in filium, ô Mater admirabilis: concede, ut ex eorum ſim numero, D qui Unigenitum tuum dignè recipere merentur, teque contueri, ac laudare in ſæcula, Amen.

Ad S. Joſeph.

PRinceps glorioſiſſime. Joſeph Sponſe Mariæ, miſerere mei, miſerere mei, quia miſeratio tecum crevit ab infantia.

Ego te humillimè ſaluto, veneror, invoco: ego in augmentum gaudii, ac gloriæ tibi offero cor dulciſſimi Filii tui, Jeſu Chriſti, Domini noſtri; gratiaſque ei infinitas ago, quod te in Patrem ſuum putativum, ac Nutritium, Matriſque ſuæ ſolatium, ac Sponſum elegerit.

Rogo te, ô Patriarcha ſanctiſſime, & exorabile pectus tuum obteſtor, per paternam E ſedulitatem, officioſaque ſervitia, quæ cunabulis, & infantiæ ipſius Salvatoris noſtri impendiſti, ut mei patrocinium apud eum ſuſcipias: veniam peccatorum, cordis puritatem, profundam humilitatem, ardentemque charitatem obtineas, ut eundem dignè ſuſcipere valeam, tecumque laudare, ac glorificare in ſæcula, Amen.

Antiphona.

Joſeph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. F

Verſ. Ora pro nobis ſancte Pater Joſeph.

Reſp. Ut digni efficiamur adventu Chriſti.

Oratio.

SAnctiſſime Genitricis tuæ Sponſi, quæſumus Domine, meritis adjuvemur, ut quod poſſibilitas noſtra non obtinet, ejus nobis interceſſione donetur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti Deus; per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

* Alia ad Natalitia Dominica præparatio. G

EX ITALICO IDIOMATE.

DEus omnipotens, Deus clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus miſericordia eſt; qui motus nimia charitate tua, benigniſſimos oculos tuos, in filios Adam tanto tempore in ſordidiſſimo vitiorum cæno jacentes, & computreſcentes convertiſti, præbendo eis auxiliatricem dexteram tuam, & ſublevando eos de interitionibus eorum, non vulgari ope, ſed ea, quæ efficaciùs, decentiuſque bonum eorum promoveret; miſſo de cœlis in terram Unigenito tuo, qui in aſſumpta carne, & acerbiſſima tormenta, & H mortem crucis ſuſtinens, non ſolum noſtris mederetur vulneribus, verum etiam noſtræ fieret virtus infirmitatis, ac votorum complementum: ſuorumvè energia meritorum, atque exemplo indice, ad ſuæ Divinitatis conſortium, & felicioris ſubſtantiæ hæreditatem, quam fuit Adami adhuc innocentis, aſſumeret.

Scrip. An. circ. 1600.

Per id genus miſericordiæ, ó æterne pater, quo mundum univerſum viſitaſti, & per Unigeniti tui, quæ tibi infinitè placuere merita, & obſequia, rogo te via ſpiritus mittere eum ne dedigneris in hoc animæ meæ tuguriolum; ac mihi impertiri quicquid fructus, & gratiæ mundo ipſe attulit, cum primùm in carne mortali viſibilis apparuit.

A Pater de cælis Deus, mitte, manda deſideratum illum cunctis Gentibus: mitte eum, quo in virtutum me ſtudio corroboret: me de meis, tuiſque adverſariis triumphare doceat: ad cujuſcumque crucis, ac mortificationis amplexus alliciat: ac tandem perverſum hoc velle meum tuis ſanctiſſimis decretis, ac beneplacitis conformet, quatenus aliud nec velim, nec deſiderem umquam, quàm tuæ gratiſſimæ voluntatis abſolutiſſimum complementum, Amen.

B

* Aſpirationes, ſive orationes Jaculatoriæ ad puerum Jeſum, ut in animabus noſtris ſpiritualiter renaſci veniat.

EX ITALICO IDIOMATE.

VEni o Pater amantiſſime, & ſolare hanc filiam tuam, quæ de manibus paternæ pietatis tuæ exſpectans, exſpectat omne bonum.

C Veni, Frater chariſſime, communicare mihi divinam hæreditatem tuam, & conſortem facere gloriæ regni tui.

Veni, Sponſe ſuaviſſime, veni exornare animam meam internæ pulchritudinis, omniumque virtutum decore; ut tua dignè & dici, & eſſe mereatur ſponſa.

Veni, Amice unice, ſublevare ſarcinam miſeriarum ejus, qui te unicè amat, & recreare mœrentem, optata tui præſentia.

Veni, o Rex potentiſſime, poſſidere regnum animæ meæ, in qua hactenus vitiorum, pravarumque affectionum populus tibi rebellis regnavit.

Veni, o Paſtor vigilantiſſime, aberrantem reducere oviculam tuam, antequam in fauces infernalium luporum ſe fruſtrà deploret incidiſſe.

D Veni o peritiſſime, miſericordiſſimeque Medice, viſitare infirmum tuum, & mederi univerſis malis meis, & perſanare omnia vulnera mea, priuſquam fiant incurabilia.

Veni, o Nauclere providentiſſime, veni gubernare animæ meæ ſexcentis periculis expoſitum navigium, ne in ſcyllam, aut charybdim incidat, aut tentationum procellis abſorbeatur, atque in profundum inferni demergatur; ſed gratiæ tuæ cynoſura duce appellere valeat ad portum æternæ ſalutis; cui totus inhio.

Veni, o Dux ſecuriſſime, deducere me certis itineribus ad ſupernam Hieruſalem; ne fortè ſolitarius incedens in perditionis foveam præceps ruam.

E Veni, o fideliſſima Cuſtodia mea, veni protegere animam meam de manibus crudelium inimicorum ejus; qui æternam ruinam, & exitum ei machinantur.

Veni præpotens rerum omnium Conditor, creare in me cor mundum, & renovare faciem animæ meæ.

Veni, o Præceptor ſanctiſſime, veni, & ſcribe in tabula cordis mei dulcem tui memoriam, nulla unquam oblivione delendam.

Veni Fons puriſſime, mitigare ardores concupiſcentiæ meæ, & extinguere ignem iniquitatis meæ, atque peccatorum meorum ſpurcitias eluere.

F Veni, o Mare totius dulcedinis, veni, & demitte ſuper me aquas tuæ pietatis: aperi cataractas abyſſi magnæ, & prorumpant in me fluctus miſerationis tuæ.

Veni, limpidiſſimum Speculum meum, & da mihi in te videre maculas meas, & quid ipſe ſis, ibi legere; & quid ipſe ſim, ibidem in te cognoſcere; ſed & quàm gravia fuere peccata mea, & quàm grandis in me miſericordia tua.

Veni, o Sol rutilantiſſime, veni fugare tenebras ignorantiæ meæ, & reſolvere glaciem cordis mei.

Veni, o Vita, cui omnia vivunt, & tribue, ut mihi, & rebus omnibus mori, tibique ſoli vivere queam: veni, o vita, per quam vivo, ſine qua morior, veni, & mortifica quicquid malè vivit in me, quicquid vitioſum eſt, quicquid tibi diſplicet.

G Veni, o cæleſtis Agricola, exornare hortulum cordis mei floribus ardentiſſimæ charitatis, profundiſſimæ humilitatis, angelicæ puritatis, aliarumque virtutum; ut tu in eum deſcendens, decore, & odore earum recreeris.

Veni, o fortiſſime Agonotheta noſter, tribuere mihi virtutem calcandi inviſibilem leonem, & draconem, aſpidem, & baſiliſcum, effugiendique omnia venena, & omnes inſidias diaboli.

Veni, o dilecte votorum meorum, veni, & adeſto mihi: adeſto in corde, adeſto in ore, adeſto in opere: quia ſine te nihil ſum, nihil valeo: pereo.

Veni, o vera Charitas, & chara Veritas, veni: quia vehementer te deſidero, & avida expectatione adventus tui contabeſco.

H Veni Amor meus, deſiderium meum, gaudium meum, honor meus, theſaurus meus, & omne bonum meum, Deus meus, & omnia: veni ne tardaveris; quia millies exopto te, & ſpiritus meus profundis gemitibus, altiſque ſuſpiriis anhelat ad te.

Aſpi-

Scrip. An. circ. 1600.

Aſpirationes Aliæ, ex Officio veſpertino hebdomad. ult. Advent.

O Sapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiiſti, attingens à fine uſque ad finem fortiter, ſuaviterque diſponens omnia: veni ad docendum nos viam prudentiæ.

O Adonai, & dux domus Iſrael, qui A Moyſi in igne flammæ rubi apparuiſti, & ei in Sina legem dediſti: veni ad redimendum nos in brachio extento.

O radix Jeſſe, qui ſtas in ſignum populorum, ſuper quem continebunt reges os ſuum, quem gentes deprecabuntur: veni ad liberandum nos, jam noli tardare.

O clavis David, & ſceptrum domus Iſrael; qui aperis, & nemo claudit; claudis & nemo aperit: veni, & educ vinctum de domo carceris, ſedentem in tenebris, & umbra mortis.

O oriens, Splendor lucis æternæ, & ſol juſtitiæ: veni, & illumina ſedentes in tenebris, & umbra mortis.

O Rex gentium, & deſideratus earum, lapiſque angularis, qui facis utraque unum: B veni, & ſalva hominem, quem de limo formaſti.

O Emmanuel, Rex, & Legifer noſter, expectatio Gentium, & Salvator earum: veni ad ſalvandum nos Domine Deus noſter.

* Affectus Varii Sanctiſſimæ Virginis Mariæ erga Filium ſuum mox naſciturum.

EX ITALICO IDIOMATE.

C IMminente jam, ac pene tinniente hora immaculati, & infinities deſiderati partus mei, Deus altiſſime, dulciſſimeque Fili animæ meæ, dum me omni humano ſubſidio deſtitutam video, repudiatamve, atque rejectam ab incolis dilectæ civitatis tuæ Bethleem, feliciſſimo natali tuo conſecrandæ; ſentio, o infinitum bonum meum, totam animam, & corpus meum acutiſſimo confici dolore, quem infligit immenſa illa charitas, & incendium amoris ineffabilis, ſemper ardentis in conſpectu tuo, velut æternum holocauſtum in ara cordis mei. Et certè nimis æquum eſt, o ſuaviſſime Fili, & ditiſſima hæreditas mea, ut pervadat cor meum derelictio hæc, & ſumma pauperies; non quòd ego (quæ chara habeo omnia in- D commodorum, & deſpectuum genera, dum ego ea ſola patiar; referoque barbaræ, ac efferatæ repulſæ illi dulcedinis ac benignitatis cordialiſſimam gratiam) ſed quod ipſiſſimus hic tangeris o inæſtimabilis theſaure animæ meæ, atque floccipenderis ut peripſema, & viliſſimum lutum platearum,

Cùm enim, & fide magiſtra, & revelante te certò ſciam, quòd ipſe ſis æterni Patris Unigenitus, cui omnis debetur honor, & gloria: quique ſedes ſuper Cherubim, & Seraphim velantes faciem ſuam, & in ſublimiſſimam lucem magnitudinis, & majeſtatis tuæ inflammatos obtutus ſuos deflectere minimè præſumentes: & conſiderans hac te hora proditurum è ſacrario virginalis uteri E mei, ut ſolet ſponſus de thalamo ſuo; inter multifarios ſtuporis, & admirationis affectus, vehementer certè, & modo admodum ſingulari moveor compaſſionis ſenſu, propter puriſſimam, atque tenerrimam carnem, qua obtexiſti, ut veſtimento divinitatem tuam; quæ toto hoc novem menſium excurſu incolere dignata fuit paradiſum hunc, quem plantaſti, o fideliſſime amator hominum, gratioſiſſimeque Sponſe animæ meæ, & captandis tuis deliciis providiſti antequam mundus fieret. Neque abſconditum eſt ab oculis meis, ſanctuarium viſcerum meorum, quod elegiſti in tabernaculum tibi, eſſe jam ante ſuis apparatibus, & ornamentis, per manus diviniſſimæ majeſtatis, puriſſimæque humanitatis tuæ condecenter inſtructum: ſed, & ego F calore illo amoris, quem tribuiſti mihi; & illo, quo me natura donavit, fovi te, & tenerrimum corpuſculum tuum, quod tibi è ſanguine meo adaptavit ſummus artifex Spiritus tuus, aliquantula delectatione demulſi.

Neque ullatenus dubito, o amabiliſſime Deus, & generoſiſſime fructus virginitatis meæ, comparuiſſe te dignam in oculis tuis, congruamque habitationi miſericordiſſimæ pietatis tuæ domunculam humillimæ matris tuæ; in qua prælibare dignatus es, quod ab omni ævo eſuriiſti, jactis jam indè à conclavi uteri mei ſalutis humanæ fundamentis. Unde, & mihi videbatur minimè neceſſarium eſſe, commoditates alias exteriores quærere, cùm ipſa fuerim domus tua, thalamus tuus, ſuppellex tua omnis, & ſuaviſſimum delicium G tuum: ſed cùm ipſe decreveris, o dilectiſſime Fili, & præcordialis conſolatio mea, commutare lectulum iſtum floridum ſponſæ Salomonis; & quod in ſapientia, & gratia conſtruxiſti, reclinatorium ejus aureum, cum terra hac dura, arida, omnique ope, ac refrigerio deſtituta, quid agat, aut quo ſe vertat pauperrima mater tua? Qui fieri poſſit, ut quæ te tangunt incommoda, non intimè afficiant penetralia cordis mei, ubi tam ingens ſeſe repræſentat inopia rerum omnium, quæ à me præſens repoſcit occaſio, temporis conditio, & tenerrimi corpuſculi tui teneritudo?

O Pater æterne, qui mirabili adeò providentia, ſuum omnibus creaturis ſubminiſtras alimentum, eaſque, prout opus habent, pelle, aut pluma inveſtis, teque ea- H rum tanta cura ſollicitat, ut pullis corvorum invocantibus te, præſto adſis, minimiſque terræ vermiculis paterna planè cura provideas, neque beſtiolas illas ſolatio ſuo privari patiaris; quid cauſabor, quod Filio tuo, qui una tecum, & Spiritu ſancto tuo gubernat univerſa, non inveniatur vulgare ſaltem hoſpitium in univerſa terra?

Quid

Scrip. An. circ. 1600.

Quid eſt, clementiſſime Pater, quod tuus, & meus Filius, dilectus mihi millies amplius quam ipſa ego mihi, ita durè, ac rigidè habeatur? dum eos, qui de numero filiorum tuorum non ſunt, tam blandis modis, ac tam ineffabili tractas charitate? O Sapientia, ô divini altitudo conſilii in œconomia ſalutis filiorum Adam! O æterna charitas! O infinita bonitas, & miſericordia! O Bethleem, A ſi noſſes, quod è cœlo tibi Evangelium venit, & affluentiam illam panis vivi, qui tibi gratis offertur; quam ſubito aperires portas cordis tui ad hoſpitandum in te vitaliſſimam illam vitam tuam! O ſacræ noctis alta ſilentia, quibus conceſſum eſt, introire in adyta ſecretorum Dei, adeſte unà mecum ad conſiderandum longitudinem illam, latitudinem, profunditatem, ac ſublimitatem abyſſi hujus charitatis Dei, & derelictionis unigeniti Filii ejus!

Anima mea, ô Deus abſcondite cordis mei, ſeſe effert, & rapitur in te, & tota colliqueſcit in fornace dilectionis tuæ: omniaque oſſa mea, & medullæ meæ omnes clamant ad te; & conſiderando attentius, B quanam ratione ſeſe cæli componant ad diſtillandum mellifluum rorem tuum, & ad depluendum ſuper hiantem terram, & ſitientes agros ejus, juſtum tuum, admiror dulciſſimam dulcedinem tuam, & vehementi deſiderio deſidero ſiſtere mundo Regem ſuum pacificum, quem coronavit mater ſua corona illibatæ carnis ſuæ.

Egredere, unicum ſolatium, & refrigerium meum, egredere; & tanquam ſponſus procede de thalamo tuo; dum ita viſum eſt majeſtati tuæ: & videat feliciſſima hac hora orbis terræ ſalutem ſuam; hauriat oculis ſuis humanum genus deſideratam diù libertatem ſuam, & ſereniſſimam lucem cordis ſui, quæ exhilarat univerſam civitatem Dei.

Immenſo deſiderio natalem tuum cæli, & C terra præſtolantur, & omnes creaturæ jubilant, & exultant ob manſuetiſſimi Regis ſui, & novi ſolis juſtitiæ inſtantem jam, & celeberrimam epiphaniam. Ipſi incolæ civitatis pacis, & cives ſupernæ Hieruſalem convolant ad cancellos ſuos videre inſatiabilibus oculis noviſſimum hoc mundi miraculum, & carneum indumentum formoſiſſimi, excellentiſſimique Regis ſui; qui ineffabilibus gratiæ ſuæ illecebris ſuſpendit omnem illam curiam cæleſtem. Naſcere ergò, ſuper omnem mundi pulchritudinem pulcherrime Fili, ſacratiſſimumque ſigillum virginitatis meæ; & vicarium virginalis clauſtri mei lectulum in gremio meo ſternam tibi; teque pectori adſtringam meo amoroſis nexibus brachiorum meorum, meque paſcam, atque exſatiem millies repetitis aſpectibus ſpecioſiſſimi vultus tui. D

Hoc tibi, quod debetur omni jure, cordis mei tributum pendam, ô ſpes, & exultatio animæ meæ: & diſſuaviabor te, & innumera amoris ſignacula roſeis genulis tuis imprimam, rigaboque eas ſapidis lachrymis, quas eliciet dulcedo fortiſſima præſentiæ pulchritudinis tuæ.

* Affectus Ejusdem SS. Virginis in Filium ſuum jam natum.

EX ITALICO IDIOMATE.

E

DUlciſſime Fili David, ſpecioſiſſime partus intemerati uteri mei, Deus altiſſime, & infinitum bonum animæ meæ: ecce ades, tua una, & ſola motus bonitate, & incendio æterni amoris tui, ad extremam tolerandam pauperiem, & ut legas, quos terra peccatorum germinat, fructus amaritudinis: teque in terra aliena invenio (ubi, quid ſis, quidvè loquaris, ignorant inhabitantes eam) malè ac barbarè habitum, & cum ſis author omnis innocentiæ, ſubjectum pœnis, ſceleratis, & peccatoribus deſtinatis.

Video, ô Dilecte cordis mei, teneritudinem infantilis carnis tuæ, & quas fundis lachrymas amoris puriſſimi, & tremula membra tua ſanctiſſima ob frigoris aſperitatem, F & exoptas refocillari à me, & inter brachia mea commorari, ac ſi haberet, quod tibi dignum exhiberet, & quo te recrearet, ac reficeret indigentiſſima hæc omnium creaturarum mater tua.

Suaviſſime mi Emmanuel, quid tibi vis faciam? quid petis obſequii? quid opis ancillam tuam rogas? ſed, quæ novitatis facies hæc eſt, quam uſurpas hodie in conſpectu filiorum hominum; ac ſi bonorum noſtrorum ita indigeres, ut iis deficientibus ſubſiſtere nullatenus poſſes? ſtellatos cælorum orbes ſtupor invaſit, & lætabundi mella depluunt ſinceriſſimæ dulcedinis, à facie tantorum mirabilium, quæ eorum ſtudioſis aſpectibus obiicit majeſtatis tuæ venerabilis celſitudo.

Adoro te, ô majeſtas infinita, amo te, G ô immenſa bonitas. O Rex Hieruſalem, cui aſſiſtunt ſupremi beatorum Spirituum principes Seraphim, accipe ſacrificium veſpertinum ſuſpiriorum cordis devotiſſimæ Genitricis tuæ.

Ne deſpicias, ô pretioſiſſima corona mea, inflammata hæc deſideria, & æternos ardores viſcerum meorum, quæ te adorant, & amant, pluſquam vitam, ſalutem, & gloriam ſuam. O flos formoſiſſime integritatis meæ, deprædatur mihi cor meum vernantiſſima gratia venuſtatis tuæ, & quam profundiſſimæ admirationis vinculis ſuſpendit animam meam.

Dic mihi, ô æternum Patris Verbum, ſuntne illi, qui ambulant ſuper pennas ventorum, quos deoſculor, pedioli tui: & illæ H quibus fabricatus es auroram, & ſolem, quas veneror, maniculæ tuæ? & iſta brachiola fortis illius, qui tremere facit orbem terrarum? Hoccine eſt pectuſculum, in quo abſcondita ſunt immenſa illa incendia ſempiterni amoris? & caput hoc, in quo repoſiti ſunt inæſtimabiles theſauri divitiarum

Scrip. An. circ. 1600.

ſapientiæ, & ſcientiæ Dei altiſſimi? Suntnè illa membra, in quibus corporaliter inhabitat Divinitatis omnimoda plenitudo?

O Rex ſuaviſſime, cui tributa pendunt reges univerſæ terræ, cui magis amore, quam terrore, & potentia collibitum fuit dominari in cordibus hominum, quid incipiam? quid aggrediar, quod conſilium inibo? An A quod familiaris præbet amor, an quod metuenda potentia? Quem tibi locum ſeligam, ô dilecte mi Amor, ô Majeſtas adoranda! Num Cherubinorum ſublimes alas? num æquora humilium camporum noſtrorum!

Noſti plus ſatis, ô unicum ſolatium meum, & tibi nimis perſpectum eſt deſiderium meum, quo te deſidero hoſpitari in centro cordis mei, quod vivit in te, & pro te. Verumtamen, cum ad manifeſtandum hominibus amorem æternum, quo eos complecteris, tam maturè pro eis pati (in quo veri amoris probatio conſiſtit) ante omnia ſæcula ſtatueris; in hiſce te præſepii anguſtiis reclinare auſim, ut faciam ſatis ſacroſancto voto tuo.

Hæc à ſapientibus hujus mundi abſcondita B ſapientia arriſit tibi, ad regnandum in domo Jacob in æternum, & ad pertrahenda ad te generoſa corda, quæ tibi in terra moram gerant. O puſio ſuavitatis infinitæ! ô Deus infinitæ poteſtatis, quam admirabilis es in parvitate dulciſſimæ hujus infantiæ tuæ, cujus deſiderio cælum, & terra conflagrarunt. Abſorbuit animam meam conſolationis oceanus, ad illos concentus ſupernæ lætitiæ, & longè gratiſſima nuntia pacis, quæ propalarunt Angeli hominibus bonæ voluntatis, ô Rex pacifice, & author cæleſtis pacis illius, quæ exuperat omnem ſenſum. Hodie profectò, ô formoſiſſime Fili Dei, celebrantur duraturæ in ævum amicitiæ fœdera cælum inter, & terram, divina in te, & humana natura coaleſcentibus, teque hoc novo in throno Angelis ſimul, & hominibus æternum C imperante.

Quis hominum unquam perſuadere ſibi potuiſſet, ô æterni Patris abbreviatum Verbum, & clariſſimum ſpeculum animæ meæ, quod celſitudo tanta, tantaque majeſtas jam olim adeò formidata, ut terrore ſacro ipſos etiam montium vertices conquaſſaret, & contremiſcere faceret corda, electi etiam populi ſui, amabilis adeò, ac blanda videri debuiſſet, ut etiam pervicaces inimicos ſuos ad pactum miſericordiæ, & pacis ſempiternæ invitaret?

Ubi ſunt horriſoni illi tonitrus montis Sinai, quibus ſuſtinendis impar fuit dilectus populus tuus, ô manſuetiſſime Agne Dei?

Ubi illa rubri maris prodigia in aquis D retrocedentibus, & fugientibus à præſentia tremendæ majeſtatis tuæ?

Ubi terribilis illa vindictæ ratio, in gladio juſtitiæ tuæ devorante reges Chanaam, & peccatores populi tui?

Ubi languor, & infirmitas efferatarum gentium, quæ te neſciebant: dum palabunda fama prodigiorum tuorum, quæ patrabas in caſtris Iſrael, ut prævius dux ejus per deſertum, tremoribus eas, & ſudoribus mortis repleret.

Quis tantam potentiam exarmavit? quis brachium inexpugnabilis virtutis tuæ funiculis Adam conſtringere prævaluit?

Clementiſſime, & liberaliſſime amoris E Deus, quam mirabilis es in omnibus operibus tuis? quam amabilis in infantia tua?

Sed ſi, ô ſumme Angelorum Rex, ſtupendam adeò eſſe credimus magnitudinem tuam; quonam modo (amabo) video te in loco tantæ vilitatis, & paupertatis, in medio duorum animalium, quibus nihil ſtupidius, ac brutum magis, vagientem?

Potentes ſunt valdè amoris impetus, qui cor meum transferunt in te, dum in evidenti ſymbolo hujus ſilentii tui, maximè ſignificativi prænobiles affectus tuos lego. Compertum habeo ea, quæ ex hoc præſepi, cathedra ſapientiæ tuæ, mundo modo perſuadere incipis, ſubtilia admodum verba eſſe, & ſecretiſſimum doctrinæ genus, quo velut frumenti adipe incraſſantur, & dilatantur F corda humilium filiorum tuorum. Deſtruis, ô increata Sapientia mea, deſtruis medio hoc ſermone, & diſturbas muros Babylonis; exaltas filios Sion, & in principibus cæli ſedes eis aſſignas: & in lumine tuo hoc, ſuavia mihi adeò apparent opera illa tua, quæ ex nunc operari dignaris factus homo; ut (quod certo certius eſt) regnaturus ſis à mari uſque ad mare, & à flumine Jordanis uſque ad terminos orbis terræ; certatim venient omnes gentes, & quærent videre amabiliſſimam faciem tuam. Fortiter, ſuaviterque unumquemque trahit, quæ illum intimè afficit ſingularis voluptas; Tu igitur, o infans gratioſiſſime, cum ipſiſſima ſis pulchritudo, quæ caſtiſſimas, & immortales in iis, qui ſuum in te ſolatium exquirunt, progenerat voluptates; non erit in omni terra, qui G incomparabilem gratiam non requirat.

O gratia, quæ nullo fuco, nullo deforis indiges cultu, & ornamento, amo te; & quod tam importunis auris, &, quod tuæ adeò adverſatur teneritudini, tam efferato cælo, datum mihi ſit quiddam ſolatii tibi propinari, cum ipſe ſis omnis virtus mea, valdè id magni pendo.

O formoſiſſime Fili Dei, ſuge, & ebibe unà cum lacte meo, quicquid animæ in me eſt; quatenus omnis in te uno, vivam tibique ancillari gaudeam ardentiſſimis affectibus, qui, quod præſens inopia deſiderat, ſupplere nituntur, quacunque id ratione valent. Ego te hiſce panniculis obvolvi, ô vitaliſſime calor, & fomentum cordis mei, & in H hoc præſepi repoſui, cum nihil prætereà occurrat, undè tibi melius ſit, ſi me unam excepero, quæ amantiſſima mater tua futura ſum, & pulchritudinis tuæ fideliſſimum mancipium.

APPENDIX.

SOLILOQUIA ANIMÆ FIDELIS

NUNC PRIMUM EDITA.

IN SEQUENS OPUSCULUM

PRAEMONITIO.

QUÆ ſequuntur gemina Opuſcula, *alterum* Soliloquiorum, *alterum* brevis de Sacramentis Tractatus, *iacebant authographa in noſtro Ianuenſi Archivo*, *& veluti ſacra quaedam cimelia ſancte ſervabantur*, *numquam a quoquam publici iuris facta*, *donec vulgata a nobis* ἐγκυκλίῃ *petitione permotus* R. P. F. *Leopoldus a S. Hieronymo*, *eius Provinciae Praeſes meritiſſimus*, *ea nobis humaniſſime exhibuit*; *qui non uno eo beneficio hos noſtros labores*, *& induſtrias amantiſſime perſequitur*; *quod grati animi ergo commemoro.*

Iam vero ut de primo MS. quod nunc ſequitur, *pauca loquar*, *illud duodeviginti Animae ad Chriſtum Soliloquiis circumſcribitur*, *quibus totidem Chriſti Reſponſa paria eſſe debebant*, *niſi impenſa quaedam*, *ſed indiſcreta*, *ferme dixerim*, *noſtri cuiuſdam ſpectatiſſimi Senis in Venerabilem Scriptorem devotio duo eius Codicis poſtrema folia rapuiſſet*, *quae a ſextae Reſponſionis medio ad finem uſque reliqua continebant. Nam quum ille*, *quaſi perenne inde animi ſolatium excepturus*, *ad pectus conligatum toto vitae ſuae decurſu Codicem illum ſecum detulerit*, *factum eſt*, *ut continua illa adtritione praedicta duo folia pectori magis haerentia abſumta penitus fuerint*; *quin & reliquum Codicis ita enervatum*, *ut pollentibus caracteribus*, *non niſi labore aliquo perlegatur. Utinam aliquando tranſcriptum aliquod exemplar reperiri poſſit*, *quo defectus ille ſuppleatur. Inde forte etiam contigit*, *ut a nemine hactenus cognita*, *& commemorata haec Soliloquia fuerint. Id Operis*, *quod antiqua Auctoris ſpirituali dulcedine*, *& vehementi ad pietatem incitamento redundat*, *ſcriptum ab eo ſub vitae finem*, *in ſuo ad Montem Tuſculanum receſſu*, *nempe circa annum* 1615. *videor mihi coniicere poſſe ex aſpernatioris & languidioris ſtyli humilitate*, *qui vel ſenem vel laboribus perfractum hominem ſatis demonſtrat*; *tum etiam quod*, *contra ac conſueverat*, *tam perutilem Fidelibus Opellam manuſcriptam reliquerit*, *typis eam minime commendari vacans*, *morte praeventus.*

VENERABILIS
P. FR. JOHANNIS
A JESU-MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI
CALAGURITANI

SOLILOQUIA ANIMÆ FIDELIS AD JESUM CHRISTUM DULCISSIMUM REDEMPTOREM
QUI TOLLIT PECCATA MUNDI,

QUIBUS CONQUERITUR, ET DOLET ADHUC SE ESSE OBNOXIAM, ET AB EIS TOTALITER LIBERARI, ET PRÆSERVARI ARDENTISSIME DESIDERAT, ET POSTULAT.

SOLILOQUIUM PRIMUM.

Scrip. An. circ. 1615.

USquequò Domine Jeſu Chriſte dulciſſime Redemptor noſter, qui veniſti in hunc mundum peccatores ſalvos facere, uſquequò Domine obliviſceris me in finem? **A** Uſquequò avertis faciem tuam a me? Quàm diu ponam conſilia in anima mea te non amplius offendendi: conſilia, quæ non poſſum ſtabilire, & ideo dolorem renovant in corde meo. Uſquequò exaltabitur inimicus meus, ſcilicet peccatum, ſuper me? Reſpice, & exaudi me Domine Deus meus, illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte, ne amplius diſſimulem perſeverans in culpis, & imperfectionibus meis uſque ad mortem, & tunc dicat inimicus meus; praevalui adverſus eum, quem prius **B** vita, quam culpa deſeruit. Ne des Domine hanc lætitiam inimicis meis. Ecce enim qui tribulant me, exultabunt ſi motus fuero. Ego autem ſperavi in infinita miſericordia tua, etſi nulla poſthac amplius peccandi tentatione motum fuerit, exultabit cor meum, non in ſeipſo, ſibi attribuens victoriam; ſed in te ſalutari ſuo. cui cantabo, qui bona tribuiſti mihi, & pſallam nomini tuo, Altiſſime. Eja igitur, benigniſſime Domine, accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari. Ecce enim donec omninò tibi ſubjecta fuit, turbata eſt valde anima mea; ſed tu Domine uſquequò differs ſubjugare, **C** uſquequò differs ſanare? Ecce in conſpectu boni Medici, & curare valentis aſſiſto, vulnus detego, preces emitto, dolores augeo, lacrymas effundo: cur ergo diſſimulas cùm minor non ſit tibi potentia, quàm voluntas? Scio quidem, quod ab oculis tuis meis excludor meritis, ſed tamen minor ſum cunctis miſerationibus tuis. Si mihi indigno promiſiſti daturum te omne quod peterem; cur mihi quamvis indigno negas unum, quod peto, ne te ſcilicet amplius offendam? Cur, inquam, indigno negas, quod indigno **D** promiſiſti? At non negas, ſed differs; ſed hoc eſt, quod peto Domine, ne differas me perfectè ſanare ab omni culpa, & ne amplius te offendam Tu autem te daturum omnia, quæ peterem, promiſiſti; ſi in nullo erga me vis eſſe miſericors, cur omnia promit-

Scrip. An. circ. 1615. mittis? Si in aliquo, cur non in hoc, quod ſuper omnia a te peto, & tu ſuper omnia a me deſideras? Si nunquam es conceſſurus hoc mihi, ut in nullo, quamvis minimo te offendam, cur non excepiſti? Si aliquando, quare non modò?

A

SOLILOQUIUM II.

CErtè Domine ſcio, & fateor, quia non es minus potens, & miſericors ad præſervandum a peccatis futuris, quàm ad ignoſcendum præterita; ſi igitur in quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ſuarum præteritarum, quantumvis maximarum, ac plurimarum non recordaris; cur in quacumque hora ingemiſcit peccator, & ad te clamat pro vitandis futuris peccatis, non ſtatim etiam exauditur? Video tamen, & ſcio, quia multa mea duritas eſt ad tibi reſiſtendum, fortior tamen tu es ad vincendum, & tua voluntas fortior eſt mea; ſiquidem audivi Domine, & credo, quia in voluntate tua univerſa ſunt poſita, & B non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ, & ſicut diviſiones aquarum, ita cor Regis in manu tua, ad quodcumque volueris vertes illud; ſcio, quod facile eſt in oculis tuis honeſtare pauperem; ſcio Domine, quod quando vis, in uno momento ex Saulo Paulum facis, ex perſecutore prædicantem. Si vis permittere me peccare, ut oſtendas deinde in me miſericordiam tuam à peccatis me extrahendo, & peccata ignoſcendo, majorem ceu bonitatem oſtendes me a peccatis præſervando. Nonne Domine exiſtimabitur totum id mihi dimiſſum, quod non erit ex tua miſericordia commiſſum? Si Domine vìs permittere me peccare, ut cognoſcam meam imbecillitatem, & miſeriam, & mihi me manifeſtas, an non C reſtat omnipotentiæ, & ſapientiæ tuæ alia via, qua mihi memetipſum oſtendere poſſis, niſi peccare permittas? Nonne ſufficit, Domine, ut fatear me talis eſſe naturæ, ut ſine miſericordia tua à peccatis immunis eſſe non valeam? Si hoc ſufficit, jam hoc cognoſco. Fateor enim Domine, quod ſine te nihil poſſum, ne permittas me amplius peccare, ut hoc cognoſcam. Et ſi hoc non ſatis adhuc intellexi, adhuc tibi Domine aliæ reſtant viæ, quibus me humiliare uſquequaque potes. Humillimam omnium feciſti Matrem tuam, & tamen peccare non permiſiſti. Humillimum Præcurſorem tuum, & tamen ex utero ſanctum, & innocentem tu feciſti. Humiles ſunt, quos in gratia confirmas, & tamen peccare non ſinis.

D

SOLILOQUIUM III.

AT non mereor, nec mereri poſſum tantam gratiam; at Domine non peto illam, ut mihi debitam, ſed ut aliquid, quod mihi ſupra omne meritum meum ex tua infinita miſericordia concedere potes. Jacob. 12. Superexaltat miſericordia judicium. Non merebar Domine, ut me creares, & tamen creaſti; non meritus ſum, ut me conſervares, & tamen conſervas; indignus fui, ut pro me de cælis in terram deſcenderes, & tamen deſcendiſti; non merui ut pro me tot labores, tot injurias, mortem denique crudeliſſimam ſuſtineres, & tamen ſuſtinuiſti. Quî igitur inimico E tuo, qui non merebatur niſi infernum, tot, tantaque beneficia, non ſolum ſupra omne meritum ipſius, ſed contra id, quod meritus erat, ex tua benignitate contuliſti? Cur hoc illi unum negas, ut ſcilicet, perfectum amicum facias, etiamſi hoc non mereatur? Heu Domine, ſi vis, non eſt quod te impediat. Deus es, licet tibi facere quod vis. Velis Domine, velis, & fiet. Ecquis eſt Domine, qui poſſit tibi dicere, cur ita facis?

SOLILOQUIUM IV.

DOmine, ſi vis, potes me mundare. Tu dixiſti, Domine, & facta ſunt, Pſal. 148. mandaſti, & creata ſunt. F Ecquis accuſabit adverſus electos tuos? ſi ita juſtificas, ecquis eſt, Rom. 8. qui condemnet? ſi tu pro nobis, quis contra nos? At pertinet ad ſuavem diſpoſitionem univerſi, ut aliquas ex iis creaturis, quæ peccare poſſunt, peccare ſinas; at precor, ne ſim ego ex illis; ſunt aliæ infinitæ in tua potentia. Neque Tu vis, ut petam à Te adſcribi in numerum earum, quæ Te offendunt, vel ſunt offenſuræ, ſed potius Tu me docuiſti petere a te, ne me inducas in tentationem, & Sponſa tua Eccleſia ſancta, Luc. 21. quæ regitur Spiritu tuo, orare nos inſtituit, ut dies noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari, non autem in grege reproborum. Quod ſi quamvis hanc gratiam mereri non poſſum, tamen ut illam G mihi tribuas, aliquid ſaltem à me vis exigere. Ecquid Domine paupertas mea habet, vel habere poteſt, quod Tibi tribuat, niſi prius à Te accipiat? Quis precor, Domine, dedit Tibi & retribuetur ei? Si vis aliquid à me exigere, da mihi Domine illud, & Tibi reddam. Si quid ad impetrandam tantam gratiam, mihi patiendum eſt, ſi cruces, ſi labores, ſi tormenta, ſi ignominiæ, ſi perſecutiones, ſi mortes, ſi omnes inferni pœnæ ſuſtinendæ ſunt. veniant, Domine, veniant obſecro ex nunc omnia iſta ſuper me ad tempus, vel in ſempiternum, ſi Tibi placuerit, dummodo, Domine, Te non offendam. Quicquid Domine Omnipotentia tua facere poteſt ut patiar, pati volo, & acquieſco, & eligo, & rogo, dummodo non permittas H ut Te offendam. Fac Domine de me quicquid Tibi placuerit nunc, & in æternitate, dummodo à tua ſanctiſſima voluntate me nunquam ſeparari permittas, quod non poſſum à me obtinere, niſi prius illi donetur à Tua.

Scrip. An. circ.1615.

SOLILOQUIUM V.

DEnique Domine, ſi omnino ſtatuiſti non mihi hanc gratiam concedere, niſi pro meritis, etiam Domine audacter offeram merita, offeram pretium quod renuere A non potes. Etſi enim ego illam non mereor, labores tui, & tormenta, quæ pro me ſuſtinuiſti, pro me etiam illam meruerunt. Etſi ego non merui, meruit pro me ſanguis tuus. En clamat ad Te de terra. Vide Domine, ſi pretium quod offero æquivalet gratiæ, quam peto. Utinam Domine appenderetur utrumque in ſtatera; longe enim excederet pretium, quod offero, gratiam *Matth.* 7. quam peto. Si igitur Tu dixiſti. quod eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis, en Domine offero Tibi menſuram bonam, confertam, coagitatam, ſupereffluentem, vitam ſcilicet tuam ſanctiſſimam, Paſſionem amariſſimam, mortem crudeliſſimam, quam pro me ſuſtinuiſti. Retribue *Pſal.* 118. igitur ſervo tuo, vivifica me, & cuſtodiam B ſermones tuos. Certè Domine benignitas Tua, & bonitas Tua in infinitum excedit bonitatem, & benignitatem, quam ulli unquam creaturæ contuliſti; & profectò ut ego malus ſim, ſi tamen ita eſſet in mea poteſtate, ſicut eſt in tua, ſanctos facere peccatores, talem gratiam a me petenti nulli peccatori denegarem. Si ergo nos cum ſimus mali, novimus bona data dare proximis noſtris; *Luc.* 3. cur non multò magis Tu Pater noſter Cæleſtis dabis ſpiritum bonum petentibus Te? Nonne Tu Domine præcepiſti nobis in Scriptura *Prov.* 25. 21. Sacra, quod ſi eſurierit inimicus noſter, cibemus illum; ſi ſitierit, potum demus illi? En Domine, ante Te inimicus tuus, qui toties offendit Te, & reſtitit voluntati tuæ. Ecce Domine, coram Te ſtat eſuriens, ex gratia tua facere poſthac in æternum voluntatem C tuam, ciba illum; ſitit perfectiſſimè adimplere omnia mandata tua, potum da illi. Eſuriens accedo, ne recedam impaſtus: cucurri in ſiti, pretium obtuli ſanguinem tuum pretioſiſſimum, quem pro me effudiſti, ut pro ſanguine detur mihi aqua viva ſaliens in vitam æternam. Ne cogites igitur pretium meum repellere, & ne deneges aquam pro ſanguine tuo, qui ipſum ſanguinem dediſti noſtræ ſalutis pretium.

SOLILOQUIUM VI.

NE ſis Domine minus miſericors nunc redivivus, quam fuiſti mortuus; ſiquidem mortuus percutienti lancea pectus tuum, D inimico tuo ſanguinem, & aquam fudiſti, quibus illi ſanitatem, quam non petebat reſtituiſti. Quomodo Domine fons iſte ſaluberrimus detinet modò apertus aquas, quas clauſus cohibere non potuit? At nemini Tu quidem denegas aquas, qui das omnibus affluenter, & non improperas, & pluis ſuper bonos, & malos; ſed qui vult eas perſeveranter recipere, debet & perſeveranter petere. Qui vult jugiter ſpiritum attrahere, debet & jugiter os aperire. Oportet namque ſemper orare, & nunquam deficere. *Luc.* 8. Bene Domine; ſed nos quid oremus ſicut oportet, neſcimus; Spiritus autem tuus poſtulans pro nobis gemitibus inenarrabilibus, faciat Domine, quæſo, me ſemper poſtulare, E quod a Te ſemper petere indigeo. *Rom.* 8. 26. Si ad hoc ut a te continuè accipiam optatiſſimam hanc gratiam, qua Te non offendam, continuè petenda mihi eſt, fac me Domine ſemper petere; fac me ſemper ſicut oportet orare. Ego enim nec invocare dulciſſimum, ac ſalutiferum nomen tuum Jeſu, niſi in Spiritu Sancto poſſum. Tibi autem facillimum eſt, ſicut & omne aliud donum, ita & hoc mihi præſtare. Ne igitur mihi Domine ita facilè deneges, quod mihi tam facilè concedere potes Tu, qui etiam tam difficilia, & intolerabilia pro me ſuſtinuiſti. Ecquid enim Domine Tibi minus erit, poſtquam totum, quod a Te peto mihi conceſſeris? Vide Domine, quod nihil de tuis divitiis minuendo paupertatem meam ſublevare potes. F Quamvis etiam, ſi ego ditarer Te pauperem fieri oporteret, neque ſic diffiderem à Te impetrare divitias, quas peto, qui jam ſemel pro me cum eſſes dives egenus factus es, ut inopia tua ego ditarer. Eia igitur ſaviſſime Domine, *2. Cor.* 4. ne mihi divitias deneges, quas mihi inopia tua jam comparaſti. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum illas recipere; deſiderat illas, exquirit illas; nec alias à Te divitias peto, niſi ut cuſtodiam mandata tua, quæ dilexi ſuper aurum, & topazion. Dentur aliis Domine, quibus malueris, conſolationes, honores, & alia quæcumque bona: detur aliis Sermo ſapientiæ; aliis Gratia ſanitatum; aliis Operatio virtutum; aliis Prophetia; aliis Diſcretio ſpirituum; aliis Genera Linguarum; aliis Interpretatio ſermonum. Portio mea Domine dixi, cuſtodire G legem tuam. Quid enim ſi alia mihi dona concedas, & hoc mihi deneges? Quid mihi alia prodeſſe poſſunt, unum hoc ſi denegatur?

SOLILOQUIUM VII.

VIde Domine, & conſidera, quod omnia alia beneficia, quæ à Te accepi, vel à Te ſum accepturus in malum meum convertantur, niſi cum aliis ſimul etiam hoc mihi præſtes, quod eſt cuſtodire legem tuam. Quid enim mihi proderis, Domine, quod natus ſum, quod me conſervas, quod pro me de Cœlis in terram deſcendiſti, & ſanguinem tuum pretioſum pro mea redemptione fudiſti; H quod Eccleſiæ filium feciſti; quod è Mundo, è medio Babylonis evocaſti, & in domum tuam, ſanctam ſcilicet Religionem introduxiſti; quod tot inſpirationibus, & exemplis, tot monitionibus me ad perfectionem excitaſti? Quid, inquam, hæc omnia mihi protulerunt, ſi adhuc non ceſſo Te offendere? Fac igitur Domine, ne

Te

Scrip, An, Te offendam. Adde hoc unum beneficium
circ.1615. innumeris aliis, quæ mihi contuliſti. Unum
adde, ne tam multa pereant; cui contuliſti
innumera, ne pigeat adhuc unum conferre.
Innumera contuliſti non petenti, ne deneges
Joan. 18.14. unum obſecranti. Expediens fuit, Domine,
ut Tu unus morereris pro populo,
A ne tota gens periret, cur non expediens
erit, ut etiam adhuc unum beneficium addas,
ne tota multitudo beneficiorum pereat.
Certè melius erat, ſi natus non fuiſſet homo
Matth. 26. ille, qui Te tradidit. Et Eccleſia ſancta tua
24. nos docet, quod nihil nobis naſci profuit,
niſi redimi profuiſſet. Et quæ utilitas Domine
in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?
Nunquid confitebitur Tibi pulvis,
aut annuntiabit veritatem tuam? Nunquid
cognoſcentur in tenebris mirabilia tua,
& juſtitia tua in terra oblivionis? Ecquid
utilitatis Tibi proveniet, permittendo me
pro mea libertate in peccata labi? Fortè
quia me puniendo, oſtendes in me juſtitiam
tuam. Sed quid Tibi Domine utilitas affert
hæc oſtenſio? Nullam Tu de manu mea
B accipere utilitatem, vel detrimentum potes.
Rom. 9. 22. At utilis erit Electis tuis; ſuſtines enim in
multa patientia vaſa iræ apta in interitum,
ut oſtendas divitias gloriæ tuæ in vaſa miſericordiæ;
quæ oſtenſio & in Electorum
tuorum lætitiam, & in tuum cædit honorem,
& gloriam. Lætabitur enim juſtus
Pſal. 57. cum viderit vindictam, & Sancti tui benedicent
Te, gloriam Regni tui dicent, & potentiam
tuam loquentur.

SOLILOQUIUM VIII.

JUſtus es Domine, verumtamen juſta loquar
Pſal. 143. de Te. Nunquid patietur bonitas tua eſſe
vas iræ, quem miſericorditer excitas ad
implorandam bonitatem tuam? Nunquid ira
C complebis, quem ad petendam miſericordiam
vocas? Nonne Tu Domine ſuavis es, mitis,
& multæ miſericordiæ omnibus invocantibus
Pſal. 85. Te? Nonne omnis quicumque invocaverit
nomen tuum ſalvus erit? Verum eſt,
Domine, quod ſicut figulus potes facere de
luto vas in honorem, potes & in contumeliam,
nec poſſum Tibi dicere, cur ita facis?
Sed non poteſt ſuſtinere bonitas tua, vas eſſe
Rom. 9. contumeliæ, & iræ, quem facit poſtulare
miſericordiam; prope enim es Tu Domine
omnibus invocantibus te in veritate. Veniat
igitur, quæſo Domine, veniat petitio mea,
veniat, ne amplius, ſi placet, differas implere
deſiderium meum; jam nimis multum eſt
Domine, ex quo Te offendo; ſufficiat tam diu
meam impleviſſe voluntatem. Fac mihi jam
D Tibi ſoli adhærere, Tibi ſemper obſequi. Ut
quid enim vivo, Domine, ſi Tibi non ſervio?
Perdit quod vivit, qui te Deum non diligit,
dicebat ſervus tuus Auguſtinus. Heu mihi
Domine quandiù perdidi quod vixi. Tædet
jam animam meam vitæ meæ, nec cupit
amplius vivere, ſi adhuc amplius te eſt offenſura.
Sed Tu ſuaviſſime Domine Jeſu,
dans tempus acceptabile, & pœnitens cor
tribue, convertat ut benignitas, quem longa
ſuffert pietas; ſi non tam diu petii gratiam
iſtam, quandiu poſtulari meretur, ſuppleat
Domine infinita miſericordia tua, quod non
ſatis adhuc promeretur petitio mea.

E

SOLILOQUIUM IX.

EJA igitur, benigniſſime Domine, reſigno
in manus tuas quicquid a Te habeo,
corpus meum, ſingula membra, ſenſus internos,
& externos, memoriam, intellectum, &
omnes facultates meas; utere illis nunc, &
ſemper ad tuum beneplacitum. In manu
tua eſt de illis diſponere ſicut Tibi placuerit.
Totum jus, quod mihi ſuper eas conceſſiſti,
Tibi ipſi renuncio. Si requiris Domine
conſenſum meum, ſum planè contentus, ut
nulla ex facultatibus corporis, vel animæ
meæ obediat amplius voluntati meæ, ſed
tuæ; & ita ſi quando vides Domine, quod
voluntas mea vult illas applicare ad ea,
quæ non ſunt ſecundum cor tuum, vel renuit F
applicare ad ea, quæ ſunt voluntatis tuæ,
non ſolum acquieſco, & aſſentio, ſed etiam
rogo, ut non reſpicias quid placeat, vel non
placeat voluntati meæ; ſed applica Tu eas
omnes ad omnia, quæ vis, & retrahe à
quibuſcumque vis, ſicut potes infinita virtute
tua, ut in nullo omnino ſerviant voluntati
meæ, quod poſſit diſplicere voluntati
tuæ. Sit igitur hoc, Domine, jam ſtabilitum
inter nos in æternum; ſuſcipe quæſo ſub ditione,
ac dominio Tuo omnia hæc, quæ mihi
prius largita eſt bonitas tua, & in quibus
nullam reperias contradictionem, quicquid
de illis egeris, non habent enim velle, vel
nolle, ſed ut bene novi, non eſt hoc Tibi
ſatis; vis enim una cum aliis potentiis, &
facultatibus corporis, & animæ meæ, etiam
Tibi ipſa ſubdatur voluntas mea. Non ſufficit G
enim, ut cætera omnia tibi ſubiiciat, &
tradat, quæ tu prius illi tradidiſti, & ſubjeciſti;
ſed quod praeſertim requiris, eſt, ut
& ipſa Tibi penitus ſubdatur, & ſubiiciatur.

SOLILOQUIUM X.

EJA igitur Domine offero Tibi & ipſam
voluntatem meam, & in manus Omnipotentiæ
tuæ, & voluntatis tuæ illam penitus
trado, & reſigno. Fac Domine ex illa,
& in illa, & per illam, & circa illam quicquid
facere potes, & vis, nunc, & in æternum;
ſit jucundum, vel moleſtum; dulce, vel
amarum; dummodo gratia tua ſubditam illam H
teneas voluntati tuæ, & nullo unquam momento
ab ea ſeparari permittas. Quamvis
enim, niſi gratiæ tuæ auxilio roboretur, jugum
tuum, etſi ſuave, à ſe excutiet; tamen ſcio
Domine, & certus ſum, quod potens es tam
fortiter, ſuaviterque ad te illam trahere, ut
penitus Tibi tota ſubdatur; ſic trahe ad te
humi-

Scrip. An. circ.1615. humiliter Domine toto cordis mei deſiderio peto, & exquiro, à Te, qui nihil Te negaturum promiſiſti ex his, quæ nobis non ſolum neceſſaria, ſed etiam utilia forent ad ſalutem, à te qui excedis abundatia, pietatis tuæ, & merita ſupplicum, & vota, ſicut nos docet Eccleſia Sancta Sponſa tua. En ſupplex deſidero, etſi non merear à
A Te impetrare tantam gratiam, qua nunquam in poſterum te offendam. Excedat igitur, Domine Jeſu, abundantia pietatis tuæ deſiderium meum, ſicut excedit & meritum. Corripe Domine me, & caſtiga nunc, & per totam æternitatem, quàm graviter tibi placuerit pro peccatis meis, quibus irritavi iram tuam; in hoc uno tantum precor, ut ſis erga me miſericors, ut ita peccata mea, quæ jam feci punias, ut amplius peccare non ſinas. Quod factum eſt, infectum fieri non poteſt; diſplicet mihi quod peccavi, peto veniam de culpa, pœnam quantumvis gravem, non recuſo; unum tantum peto, ne ſcilicet peccatum ſit pœna peccati. Certè
B Domine Tu, qui numeras multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocas, ad mirabili ſcientia tua cognoſcis, & numerum, & gravitatem omnium peccatorum, quæ unquam eſſem facturus. Precor Domine caſtiga me quantum pro illis omnibus caſtigari mereor, ſi jam acta illa commiſiſſem; ſed ne quæſo in ea me prolabi permittas.

SOLILOQUIUM XI.

SED video, Domine, & fateor, quod adhuc totum, quod Tibi propoſuit ex tua inſpiratione fragilitas mea, non eſt tale, quod poſſit a Te promereri quod peto, vel cogere
C te valeat ad dandum quod exquiro. Quid faciam igitur dulciſſime Domine? Video fructum altiſſimum gratiarum tuarum, video abyſſum miſericordiarum tuarum, & in ea video contineri gratiam, & miſericordiam, quam ſitit, & anhelat anima mea. Puteus quidem altus eſt, ſed in quo hauriam non habeo, nec eſt ulli ſpes hauriendi, niſi Tu miſericorditer velis illam mihi donare. Non eſt, Domine, non eſt, qui poſſit complere deſiderium meum, niſi Tu Deus
Pſal. 21. meus. Tu ſolus, Domine, ſi vis, potes me mundare, & quare non mundabis, qui pro me mundando balneum mihi ex ſanguine tuo etiam præparaſti? Ut quid enim effundere Teipſum ſicut aquam, pro me ſanando, & nolle mihi ſanitatem tribuere volenti accipere,
D immo petenti, & obſecranti ex gratia tua? Certè non poteſt hoc ſentire de bonitate tua anima mea. Voluiſti Domine aliquando ſanitatem reddere homini triginta, & octo annos habenti in infirmitate ſua. Petiiſti tantum, an vellet ſanus fieri, & ſtatim ſanus factus eſt homo ille, acceptans beneficium, quod offerebas; ſi ſolum acceptans ſanitatem ſanus factus eſt, cur non erit petens, & exquirens; certè audire mihi videor dulciſſimam vocem tuam de Cœlo dicentem & mihi ſimilia verba; vis ſanus fieri? Vis, ut dem tibi tantam gratiam, qua non amplius in poſterum me offendas? Vis, ut præſervem ab omni peccato? Cui ſuaviſſimæ voci reſpondens dico; Domine. Tu ſcis, quia vere volo; dic igitur verba, & ſanus fiet ſervus tuus, jam nimium multos annos habens in infirmitate, & in accepta ſanitate, ex tua miſericordia ſemper perſeverabit. E
Nam ſi ego Domine volo, & conſentio accipere à Te hoc beneficium, ut ſcilicet facias ut in poſterum amplius Te non offendam, quomodo poteſt eſſe, ut Tu nolis hoc mihi dare? Nonne Domine Tu diligis me plus, quàm ego diligo meipſum. Si igitur ut parum me diligam, ſaltem me diligo, ut velim a Te hoc donum recipere, Tu non me tantum diliges, ut illud mihi velis dare?

SOLILOQUIUM XII.

CErtè plus amoris requiritur ad patiendum, quàm ad agendum aliquid pro amico, qui igitur tantum amaſti ſervum tuum, F
ut pro eo non dubitaveris manibus tradi nocentium, & crucis ſubire tormentum, cur eundem non tantum amabis, ut pro eo unum, quod petit, & tibi placet facere nolis? Imo quem etiam nunc ita amas, ut ſi pro eo a peccatis liberando neceſſe foret iterum te crucifigi, iterum paratus eſſes crucem ſubire. Cur igitur non facis ſine labore, quod paratus es facere cum tanto dolore? Nec enim eſt quod te impediat, ſi velis Domine me liberare; non Dæmones, non mundus, non caro, non vita, & malæ habitudines, ſed nec ipſa libertas, quam conceſſiſti voluntati meæ, quæ a te tam copioſo auxilio gratiæ tuæ adjuvari poteſt, ut nunquam peccato conſentiat, quamvis G
ſemper culpa ſua cadat, & corruat, & pereat; perditio enim mea ex me, in te tantummodo ſalus mea, & ſi habes in me unde damnare potes, habes in Te unde ſalvare ſoles, quia apud te propitiatio eſt, & copioſa apud te redemptio. Non enim Pſal. 129.
ſolum veniſti in hunc mundum vocare, ſed & ſalvos facere peccatores, peccatores inquam ſcilicet, quibus jam dederas poſſe, & tamen nolebant facere voluntatem tuam; ad hos inquam veniſti, ut quibus dederas poſſe, dares & velle. Poterant Apoſtoli Te non relicto non fugere, ſi non defuiſſent gratiæ tuæ; poterat & Petrus Te non negare, quod non fecerunt. Iidem tamen repleti Spiritu Sancto loquebantur cum fiducia verbum tuum, & ibant gaudentes à conſpectu Act. 4. H
Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine tuo contumeliam pati. Emitte Domine
Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis Act. 5.
faciem terræ. Scio enim quod quamvis cor Pſal. 105.
meum lapideum ſit, potens es de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. Nec enim rem peto, quæ Luc. 3.
non ſit conformis appetitui tuo, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere; & qui quæris in omnibus rebus gloriam tuam. Non enim mortui laudabunt te Domine,

Scrip. An. circ.1615. neque omnes qui deſcendunt in infernum, ſed nos qui vivimus, benedicimus Domino ex hoc nunc & uſque in ſæculum. Ergo Pſal. 115. Domine ſalvum me fac, & pſalmos no- Pſalm. 38. ſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in Domo Domini.

A

SOLILOQUIUM XIII.

CÆterum ſuaviſſime, benigniſſime, juſtiſſime, & ſapientiſſime Domine, hæc omnia coram Te, & ad Te loqui auſa eſt afflicta nimis anima mea non proprio amore ducta, nec aliquid habens, quod de Te conqueratur, à quo maximum beneficium etiam reputat omni momento accipere, quo in infernum non detruditur, ſed præceptis ſalutaribus monita, & divina inſtitutione formata; ſcit enim quod quamvis Te offendat, adeò tamen bonus es, ut gratiſſimum Tibi ſit, quod etiam inimici tui poſtulent à te miſericordiam tuam, & amicitiam tuam; imo & Tu ipſe eos ad hoc invitas, & docuiſti nos peccatores miſericordiam petere à Te, ut dimittas nobis debi- B ta noſtra, & non ſinas amplius cadere in tentationem, ſed liberes ab omni malo. Quamvis igitur in aliis rebus obediens non ſum, ſaltem in hoc Tibi obtemperare volo, ſcilicet in continua quadam petitione, ut me obedientem Tibi per omnia facias, & doceas me facere voluntatem tuam, ut ſi in cæteris tibi diſpliceo, ſaltem in hoc aliquatenus placeam, & per hoc quod Tibi placet, & gratum eſt obtinere, liberari ab eo, quod Tibi diſplicet, & ingratum eſt; neque enim aliud promittere poſſum de infirma valde voluntate mea, niſi quod illi perficere præſtabit infinita potentia, & miſericordia tua, ſed quæſo, piiſſime Domine, vide ſi nullum ſit inconveniens in hoc, quod non C amplius differas mihi tam deſideratam gratiam concedere. Quam enim felix eſſem, ſi ex nunc audire mererer: fiat Tibi ſicut vis, non amplius peccabis. Certe auditui meo dares Pſalm. 50. gaudium, & lætitiam, & exultarent oſſa humiliata. Sed ſi adhuc expectandum mihi eſt, ut a Te accipiam quod peto, & adhuc Te culpa mea ſum offenſurus, o quàm infelix erit pro me hora illa, momentum illud, in quo id fiet; utinam placeret divinæ pietati tuæ in æternitatem omnium tormentorum potius, quam in illud momentum me devenire. Certè ſi tibi placet hoc mihi concedere, ex nunc Domine acquieſco, & aſſentior. Præopto enim magis ſubdi per totam æternitatem omnibus tormentis, quàm unico momento ſervum eſſe peccati; ſed D etſi hoc mihi acciderit, neque ſic deſperabo. Sicut enim Apoſtolus tuus dilectus nos docuit; & ſi peccaverimus, Advocatum habemus apud Patrem Te, Juſte, & Mitiſſime Jeſu Chriſte.

SOLILOQUIUM XIV.

ET quamvis ſit mihi graviſſimum, Te vel leviter offendere, conſolabor tamen de bonis, quæ infinita ſapientia tua, & potentia etiam ex peccatis noſtris deducere novit. Tu enim adeo bonus es, ut nullum permittas malum, niſi ut inde elicias aliquod E majus bonum, & mavis de malis bona facere, quam mala nulla eſſe permittere. Tu enim Deus noſter ſuavis, & verus es, patiens, & in miſericordia diſponens omnia. Etenim ſi peccaverimus, tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam; & ſi non peccaverimus, ſcimus, quia apud te ſumus imputati. Non enim & conſummata juſtitia eſt; & ſcire juſtitiam, & virtutem tuam radix eſt immortalitatis. Nemo enim noſtrum ſibi vivit, & nemo ſibi moritur; ſive enim vivimus, tibi Domine vivimus; ſive morimur, tibi morimur: ſive ergo morimur, ſive vivimus tui ſumus, qui omnia per temetipſum operatus es, impium quoque in diem malum. Ecce igitur ſubmitto me Domine ordinationi tuæ. Da quicquid volueris, & fac mecum ſecundum gratiſſimam voluntatem tuam; da F quod jubes, & jube quod vis, aut potius da quod vis, & jube quod vis, fiatque in omnibus voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra. Neque ego peterem gratiam, quam peto, niſi certus eſſem, te velle ut peterem. Neque intelligo in hoc ullo pacto ſatisfacere voluntati meæ, ſed voluntati tuæ. Ita & te deprecor, Domine, ne exaudias in hoc voluntatem meam poſtulantem, ſed voluntatem tuam facientem me poſtulare non propter me, ſed propter temetipſum. Fac Domine, Ut quid enim facis poſtulare, quod non vis donare? Oportet igitur, ut dones, quod facis, ut poſtuletur. Fidelis enim Tim. 2. 13. es, qui non dicam aliquid minus te, ſed teipſum negare non potes, & ſic credere G oportet accedentem ad te quia es, & inquirentibus te remunerator ſis. Quòd ſi Hæbr. 11. 6 Pater tuus tibi ipſi Filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit te, quomodo non etiam tecum omnia nobis donavit? Tu enim dulciſſime Jeſu, tu es Puer, qui natus es nobis, & Filius qui datus es no- Rom. 8 bis, tu es Dominus Deus noſter. Si igitur ſuaviſſime Domine, tu te feciſti meum, conſequenter etiam, & voluntatem tuam feciſti meam. Voluntas enim tua eſt tua eſſentia; ſi autem voluntas tua mea eſt, ergo oportet, ut quod ego volo, & tu velis; ſed ego volo, ut me ab omni peccato liberum me conſerves; ergo & idem velis oportet, qui ex miſericordia tua temetipſum mihi donando, factus es meus. Faciam igitur H in poſterum, o Domine, ex gratia tua voluntatem tuam in æternum. Nec enim credere omnino poſſum, quod velis eſſe meus, & quod velis hoc mihi negare. Confiteor igitur tibi in ſæculum, quia feciſti te meum; & expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt in conſpectu ſanctorum tuorum.

Scrip. An. circ. 1615.

SOLILOQUIUM XV.

ETenim cur non credam, quod tu ipſe vis ut ego credam, & quænam major ratio reperiri poteſt ad credendum aliquid, quàm velle te, ut id credamus? At tu vis credamus nos accepturos omnia, quæ orantes A petierimus; tu enim dixiſti; omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis: quare igitur non credam? Si enim credo, quod es Deus cum Patre, & Spiritu Sancto, quod factus es homo propter noſtram ſalutem; quod es poſt verba conſecrationis ſub ſpeciebus panis, & vini, quia Tu præcepiſti ut id crederemus; cur cum velis etiam, ut credamus nos accepturos, quæ petimus orantes ad hoc, ut quæ petimus eveniant nobis; cùr inquam, non etiam & hoc credam, redigens in captivitatem intellectum meum in obſequium tuum? Tu enim vis, ut ſi quis noſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Te, qui das omnibus affluenter, & non improperas, B & dabitur ei. Vis autem, ut poſtulet in fide nihil hæſitans. Cum igitur velis, ut nihil hæſitem, cur dubitabo? Cur Tibi non obtemperabo in re tibi gratiſſima, mihique utiliſſima? Si vis, ut petam a te ſapientiam, & vis ut petens credam me accepturum, cur non petam, & petens non credam me conſecuturum? Certè ego ſum miſerrimus peccator, & tamen credo, quod pro me à peccato liberando, ſanguinem fudiſti, & crucem ſubiiſti; cur igitur quamvis ſim miſerrimus peccator, non etiam credam, quod mihi petenti concedes, ut a peccato ſim ſemper liber, & ab omni perturbatione ſecurus, temetipſo mihi præcipiente, ut hoc petam, & ut petens credam me accepturum? Certè quantum conſequi valet humana C ratio, quamvis omnia tibi facillima ſint, tamen ex natura rei difficilius videbatur, quod pro ſalute peccatoris te Deum verum, æternique Patris Filium Cruci affigi ſineres, quàm quòd pro ſalute peccatoris, jam Cruci affixus eidem ſalutem poſtulanti eſſes conceſſurus. Qui igitur jam primum factum certo ſcio, futurum & aliud quomodo dubitabo?

SOLILOQUIUM XVI.

PRofectò ſi Tu, qui es ad dexteram Patris, qui etiam interpellas pro nobis peteres aliquid pro mea ſalute a Patre Tuo, non ne etiam firmiſſimè ſperarem me illud obtenturum, D ſicut certum etiam eſt, quod Pater tuus nihil Tibi negabit? At non minus confidere debeo me conſecuturum, quod peto pro ſalute mea a Patre tuo in nomine Tuo? Dum enim peto in nomine tuo non ſum ego principaliter, qui peto, ſed tu, qui per me petis, & pro me petis. Tu enim benigniſſime Domine hanc mihi poteſtatem inter alia immenſa, & innumera beneficia conceſſiſti ut nomine tuo poſſem petere, quæ ad ſalutem meam ſpectant a Patre tuo. Dixiſti enim; Amen Amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Joan. 16. Cur igitur dubitabo, an ſim accepturus id quod vis ut petam a Patre tuo nomine tuo? O Jeſu nomen ſuper omne nomen amandum, & venerandum; Beatus vir, cujus eſt Pſalm. 39. E nomen tuum Domine ſpes ejus, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas. Hoc eſt credo nomen illud, de quo Propheta tuus dicebat. Iſai. 26. Domine nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ. Hoc eſt nomen Philip. 2. in quo omne nomen genuflectitur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Hoc eſt nomen de quo tu ipſe dixiſti: In nomine meo Dæmonia eiicient; linguis loquentur novis; ſerpentes tollent; & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit; ſuper ægros manus imponent & bene habebunt. Dum igitur ex liberalitate, & benignitate tua uti mihi licet nomine iſto in petitionibus, num tanto nomine munitum, & ſubſcriptum memoriale vacuum remittetur? Etſi Pater tuus dabit nobis ſi quid illum petierimus nomine F tuo, an Tu ipſe, ſi quid a Te poſtulemus in eodem nomine tuo forte negabis? Nonne Tu, & Pater tuus unum eſtis? Adjuva igitur nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

SOLILOQUIUM XVII.

JEſu eſto mihi Jeſus propter nomen tuum. Matth. 1. Jeſu, ſic enim vocatum eſt nomen tuum, quia ſalvum facis populum tuum a peccatis eorum. Pſalm. 24. Igitur propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim. Cur enim Domine non tollis a me, quod G adeò tibi diſplicet in me? Si tanto odio proſequeris peccatum ut propter illud deſtruendum tam dira tormenta pati volueris. Ecce Domine in tua poteſtate eſt facere ne amplius peccem. Fac igitur Domine cum ſervo tuo ſecundum miſericordiam tuam, & juſtificationes tuas doce me. Conſidera Domine quantum jam impendiſti, quam magnum pretium jam ſolviſti, ut a peccato me redimeres; reſpice labores reſpice opprobria, reſpice flagella, reſpice Crucem, quam pati jam voluiſti; non reſtet niſi ut Matth. 8. unicum adhuc verbum dicas. Tantum enim dic verbo, & ſanabitur anima mea. Num adhuc verbum pro amore meo non dices, qui amore mei tam multa jam feciſti, & ſuſtinuiſti? An fortè pœnitet te Domine, H quod pro me factus es homo? Quod triginta tres annos, pro mea ſalute laboraveris, quod denique te ipſum pro mea reconciliatione in ara Crucis hoſtia obtuleris Deo Patri? Profectò juravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum Pſalm. 109. ordinem Melchiſedech. Exerce igitur Domine munus tuum; fac id propter quod

Scrip. An. circ. 1615. in hunc mundum veniſti, ſi Te in Crucem adegit deſiderium me Tibi reconciliandi; fiat Domine pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Ne quæſo, ſit amplius jurgium inter me, & Te; fratres enim ſumus, ecce in manibus tuis eſt impedire A injurias omnes. quas tibi facere poſſum. Pſal. 121. Cur non tueris Domine honorem tuum? Cur non impedit infinita virtus tua, quod fit contra voluntatem tuam? Si me invito præſtare hoc Tibi non placet, non ſum ego jam invitus ex gratia tua. Immo propter hoc ad te clamo, ad te ſuſpiro, hoc eſt totum deſiderium meum, ut impedias me, ne offendam te.

SOLILOQUIUM XVIII.

CErtè Domine, qui te offendit, offendit & Patrem tuum: negabis igitur mihi auxilium tuum efficaciſſimum, quod peto ad evitandas injurias Patris Tui? Totum B enim,quod mihi ad hoc præſtare potes, totum Domine à Te peto Non enim precor adjuvari à te ad faciendam voluntatem, ſed ſolum ad cuſtodiendas juſtificationes tuas, & ut inclines cor meum in teſtimonia tua, & Pſal. 118. non in avaritiam. Ecce enim concupivi, etſi non adimplevi mandata tua; ideo tu in æquitate tua, etſi non ex juſtitia vivifica me. Pronior enim es Tu Domine ad miſerendum, quàm ad puniendum. Si enim in pœnam pravorum deſideriorum dimittis deſiderantes mala ſecundum diſideria cordis eorum, ut eant in adinventionibus ſuis, ſicut accidit iis, qui concupierunt concupiſcentiam in Deſerto, & tentaverunt te in aquoſo; deſiderium enim eorum attuliſti eis, nec ſunt fraudati a deſiderio ſuo; num credibile eſt, eos a Te deſiderio ſuo fraudandos, quorum anima concupiſcit, C non quidem concupiſcentiam in Deſerto, ſed Pſal. 77. concupiſcit deſiderans juſtificationes tuas in omni tempore? Nonne Domine in ſcriptu- Pſal. 118. ris tuis docuiſti, quòd concupiſcentia ſapientiæ deducit ad Regnum perpetuum, & Sap. Cap. 6. & 7. quod præoccupat ſapientia eos, qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat, propter quod optavit Rex ille, & datus eſt illi ſenſus, & invocavit, & venit in eum ſpiritus ſapientiæ? Certè de te loquebatur Propheta ille, quem inveniſti ſecundum cor tuum, cum dicebat: Deſiderium pauperum Pſalm. 4. exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua; & Tu ipſe beatos appellaſti, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Quam- Matth. 5. vis igitur, Domine, non facio juſtititiam, eſurio tamen, & concupiſco illam. Scio enim, D eam eſſe cibum illum, de quo dixiſti. Cibus meus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt. Hunc ergo panem peto à te Domine; Tu autem nunquid pro pane lapidem dabis mihi filio tuo? Nonne promiſiſti ablaturum te à nobis cor lapideum, & daturum cor carneum? Ecce Domine affero ad te cor meum, & offero illud in manibus tuis, converte illud, immuta illud, & fac omnino ſecundum cor tuum. Quandoquidem tu ipſe petiiſti à me filio tuo, ut præbeam cor meum Tibi; quamvis igitur pravum, ne recuſes accipere quod non dubitaſti petere, ſed eadem benignitate, qua illud petiiſti, eadem quæſo accipias, & retineas, E nec ſinas umquam, precor, piiſſime Domine, cadere illud è manibus tuis; cadens enim è manibus tuis, quò poteſt ire, niſi in Infernum? Quod ſi perforatæ ſunt clavis manus tuæ, non ſunt foramina iſta, per quæ cadat, & pereat, ſed in quibus requieſcat, & vivat anima mea; nunquid enim quæ paſſus es pro me, eſſe poſſunt contra me? Fateor enim, quod vulnera tua clamant contra me, quatenus inflicta à me, ſed clamant pro me quatenus perpeſſa à Te. Tu enim ſuaviſſime Domine etiam quod contra te factum eſt à nobis, ſuſtinuiſti pro nobis. Ideo ne reſpicias à quibus plagatus es, ſed pro quibus vulneratus es. Etſi primum illud vindictam exigit, F hoc tamen alterum multò magis miſericordiam expoſcit. Quod ſi foramina petræ non poſſunt omnino recipere, in qua reſidet mitiſſimum, & amabiliſſimum cor tuum; ubi aſſorbetur omnis malita ejus, & lequefiet omnis durities ejus? Voluiſti enim aperiri lancea latus tuum, ut per illud acceſſum haberet cor meum ad cor tuum. Feciſti enim Domine illud propter Te, & inquietum eſt, donec requieſcat in Te.

Reſponſiones Chriſti ad ſuperiora Animæ Soliloquia.

RESPONSIO

AD SOLILOQUIUM I.

G

USquequo obliviſcar te, petis à me filia cariſſima? Nunquid obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te ſtilo ferreo, clavorum, & etiam ſanguinis mei. Verùm quid eſt, quod adeo differtur deſiderium tuum, & petitio tua nondum exauditur? Hoc eſt, quod te anxiam facit, hoc eſt, quod affligit cor tuum, & quamvis non dubites de mea fidelitate, & bonitate, miraris tamen quod cum promiſerim omnia me tibi daturum, quæ poſtulares, cur non te ſtatim ab omni imperfectione, & culpa omnino liberam reddam, atque conſervem, cum toties à me ſtatim id tibi concedi poſtulaveris; præſertim cum audiveris promiſſionem meam in- H telligi (ſicut verè intelligitur) non ſolùm de omnibus neceſſariis, ſed etiam utilibus ad ſalutem, & de talibus ſit petitio tua. Utile quidem eſt, filia, ad ſalutem, non peccare, neceſſarium, non mori in peccato; hoc ſecundum non potes conqueri quod non conceſſerim. Præſervavi te uſque nunc a morte peccatorum peſſima, & ſperare debes, quod pericula, vin-

Scrip. An. circ. 1615. vinces; ſed petis etiam vivere ab omni vel leviſſima culpa, & hoc utile eſt ad ſalutem. Cur igitur non concedo quod promiſi?

AD SOLILOQUIUM II.

A PRomiſi equidem etiam utilia ad ſalutem; verùm an ignoras, quod ſcio infinita ſapientia mea etiam ex peccatis tuis, quæ tibi ſunt utilia ad ſalutem deducere? An ignoras, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, omnia, inquam, etiam ipſa peccata? Non ne peccatum Adæ ceſſit in bonum generis humani, dum ex eo occaſionem ſumpſi aſſumendi veſtram naturam, & uniendi illam ad meam Perſonam Divinam, ut vos à peccato redimerem, atque ſalvarem? Unde Sponſa mea, Eccleſia Sancta, meo ſpiritu edocta, felicem culpam vocat, quæ me talem, ac tantum habere meruit Redemptorem, & neceſſarium Adæ B peccatum, quod mea morte delendum fuit. Malum quidem cogitaverunt de Ioſeph fratres illius vendentes eum; ego autem verti illud in bonum etiam ipſorum fratrum. Malum intendebant Latrones illi, qui ad Monaſterium acceſſerunt, ut furarentur; ego autem in bonum verti, accipiens inde occaſionem converſionis ipſorum. Quod tamen negligentiorem neminem reddere debet ad evitanda peccata omni conatu, & diligentia. Non enim ſunt facienda mala, ut veniant bona. Quamvis adeo bonus ſim, ut non permittam illa, niſi propter majus bonum, & plerumque accidit ex culpa ipſiuſmet peccantis, ut non ſemper cadat hoc in bonum ipſius, ſed convertatur dolor ejus in caput C ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendat. Neque tunc fruſtratur intentio mea, qua nullum malum permitto, niſi propter majus bonum, ſiquidem tunc verto peccatum illud in bonum aliorum. Peccatores autem, quorum iniquitas non convertitur in bonum ipſorum ii ſunt, qui non confugiunt ad me, qui non orant me, ut à peccatis illos liberem, ſed volunt in eis perſeverare; nec audent gratiam meam, qua tentationes ſuperare poſſunt inſtantibus precibus impetrare. Tu autem filia, quamvis aliquando ex fragilitate cadas, ne ceſſes tamen, ut facis, me perſerveranter orare, ne cadas. Quamvis enim nunquam peccare debes, tamen etſi peccaveris, Advocatum habes apud Patrem tuum, & Patrem meum, me ipſum Fratrem D tuum, & Sponſum dulciſſimum, & ideo ne deſiſtas petere, ne deſiſtas pulſare, ne deſiſtas clamare. Si enim perſeveraveris in oratione, videbis quomodo omnia cooperabuntur in bonum tuum, & quomodo veriſſimum eſt, quod orantibus me omnia, quæ ſunt illis utilia ad ſalutem concedo, cum ſciam facere, ut etiam omnia peccata cooperentur ad utilitatem ipſorum.

AD SOLILOQUIUM III.

VErum times tu quidem, ne forte ſi diu protraham adimplere petitionem tuam, à petendo deficias, & prius quàm quod petis adveniat. Habes tu quidem, filia, unde timere E potes, quia habes unde deficere ſoles. An nonne qui feci, ut poſtulares, facere potero ut perſeveranter poſtules? Quod ſi poſſum hoc facere, & tu ut id faciam rogas, ſperare firmiſſimè debes me, hoc tibi non negaturum, qui omnia promiſi petentibus me daturum. Nonne quidem facere poſſim quod pro ſalute tua ſperare debes ab infinita bonitate mea? Confide igitur filia, quod ſtatim concedam quod poſtulas, vel quod faciam te perſeveranter poſtulare, donec ſatis diſpoſita ſis ad recipiendam gloriam, ad quam te miſericorditer præordinavi. Ideo enim non impleo ſtatim cor tuum, non quia velim te fame perire, ſed quia non ſatis adhuc dilatatum eſt ad capiendum manna F abſconditum, quod præparavi tibi. Ego enim ſum Dominus Deus tuum, qui eduxi te de terra Aegypti; dilata os tuum, & implebo illud; anguſtum nimis adhuc eſt cor tuum, præ magnitudine gloriæ, qua illud replere vult miſericordia mea. Cor enim quod majori gaudio implendum eſt, majori charitate dilatandum eſt. Majora præmia majores etiam labores exigunt. Qui enim parcè ſeminat, parcè & metet; ſed cur non unico momento diſpono cor tuum, ut fiat capax gaudii Domini tui? Omnia mihi quidem, o filia, poſſibilia ſunt. At non ego facio omne quod fieri poteſt; ſed quod fieri decet, ſecundum quod videtur altitudini divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ meæ, quæ attingit à fine uſque ad finem fortiter, ſuaviterque diſponens omnia. G Poſſum enim unico momento ad eum charitatis gradum te elevare, quem præmii magnitudo requirit, ad quod te elegi, & ita ſtatim te beatum reddere. Verùm oportet, ut electi mei non ſolùm ament me, ſed etiam pro amore meo, & plura bona operentur, & multa mala patiantur.

AD SOLILOQUIUM IV.

ETſi enim charitas omnium virtutum ſit præſtantiſſima, & in qua mihi præ cæteris bene complaceo; cæteras tamen virtutes non negligo, ſcilicet Fidem, Spem, Manſuetudinem, Patientiam, quibus omnibus decet me à vobis coli, & honorari, H voſque à me pro ipſarum cultu cæleſtibus præmiis remunerare; etſi enim eſſentialis guadii magnitudo, quod in viſione mei conſiſtit, ad menſuram charitatis, qua diligunt me electi mei, reddenda ſit; ſunt tamen alia etiam plura accidentalia gaudia in Paradiſo, quæ ſuperant omnia hujus mundi delectamenta, quibus ii ſpecialiter exultabunt, qui ſpeciales quaſdam virtutes, dum viverent pro mei amore exercuerunt; quomodo au-

Scrip. An. circ. 1615.

tem eas exercere quis poſſet, niſi aliquandiu in mundo, ubi earum materia, & occaſiones adſunt detineretur? Quomodo exerceri fides poteſt, niſi ubi res non apparent? Quomodo ſpes, niſi non adhuc habeatur, quod deſideratur? Quomodo patientia, niſi inter adverſa? Quomodo manſuetudo, niſi inter injurias? Quæ omnia à Paradiſo procul omnino abſunt. A Ideo amicos meos in mundo detineo uſque ad præfinitum tempus, ut poſſint me, ſicut debent multiplici virtutum exercitio colere, & glorificare, ſibique multiplices coronas comparare. Suſtine igitur filia cariſſima, ſuſtentationes Dei, conjungere Deo, & ſuſtine, ut creſcat in noviſſima vita tua omne quod tibi applicatum fuerit; accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum, homines receptatiles in camino humiliationis.

AD SOLILOQUIUM V.

MOdicum pro me laborabis, & invenies tibi multam requiem, nec grave B tibi videri debet quod breviſſimam feci vitam in qua patiens pro me, & æternam illam, in qua delectaberis in me. Mea enim ineffabilis, & immenſa bonitas etiam hoc providit, ut laborum quidem tempus & agonis non extenderem, nec longum facerem, ſed breve, & momentaneum, ut in iſta brevi, & exigua vita agones eſſent, & labores; in illa verò, quæ æterna eſt coronæ, & præmia meritorum, ut labores quidem cito finirentur, meritorum verò pæmia ſine fine durarent. Certè ſi è contrario ſtatuiſſem, ut per aliquod tempus gauderetis, & poſtea per æternitatem pro amore meo labores ſuſtineretis, adhuc vobiſcum miſericorditer egiſſem aliquod tempus concedens, in quo non exigerem, ut pro me aliquid pateremini. Quàm magna igitur fuit dulcedo cordis mei, C dum ſtatui, ut ſolum per paucos annos pro meo honore adverſa ſuſtineretis, & in æternum vita beatiſſima in meo mecum Regno vivatis? Habebis tu quidem filia ſatis longam vitam, in qua gaudeas de me, & requieſcas in me; pati autem pro me, nec ſemper poteris, nec diu poteris. Habebis annos æternos, quibus cœleſti gloria perfruaris. Annos autem, quibus majorem gloriam, mereri poſſis non ſemper habebis.

AD SOLILOQUIUM VI. E

PRofectò ſi Electis meis conqueri de me aliqua cauſa liceret, potius accuſare me deberent, eo quod tam breve fecerim tempus pro me patiendi. Verùm quàm rari ſunt qui me tam ferventer diligunt, ut nimis breve tempus omne putent, quo patiuntur propter me. Ex his quidem paucis fuit dilectus meus Bernardus, cui omnis labor, quem pro me diu patienter ſuſtinuit, labor videbatur unius horæ, vel ſi quid amplius præ amore neſciebat. Signum profectò eſt parvi amoris, parum pro me poſſe pati. Non ne Jacob ſervivit pro Rachel ſeptem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine? Crede filia, tantum me amas, quantum pro me pati potes. F At non recuſas tu quidem multum pati, nec diu pati; ſed ſolum amorem petis, quo pro me patiaris. Rem certè meliorem poſtulare non potes, nec a temetipſa talem petitionem feciſti, ſed ſpiritus meus hoc te poſtulare fecit. Ideo confide, quod & accipies. Patieris igitur, & pro amore meo patieris non quidem quantum deſideras, neque quam diu deſideras, quæ petiiſti à me etiam in æternum pati pro me, dummodo faciam, ne me offendas; ſed quantum placuerit bonitati meæ, quæ non ſinit electos meos diu pro me affligi, & tribulari, ſed ad punctum in modico derelinquo eos, & in miſerationibus magnis congrego eos, in momento indignationis abſcondo faciem meam parumper ab eis, & in miſericordia ſempiterna miſereor eorum; ego Dominus G Redemptor ipſorum....

Alia deſunt, ut præmonitum eſt.

IN SEQUENS OPUSCULUM
PRAEMONITIO.

BReve, quod ſequitur, de Sacramentis Commentariolum, cujus meminit inter ἀνέκδοτα *P. Iſidorus in fine Vitæ Auctoris, Johannis adhuc juvenis certiſſime fœtus eſt, Scriptum videlicet, privati exercitii cauſſa, dum Theologicis ſtudiis vacabat, ad annum circiter* 1585. *quod poſtmodum ſuis forte aut Scholæ auditoribus aut Novitiis, Ordinibus initiandis, commune fecit. In eo multa reperiet Lector, præſertim* D *ubi de Sacramento Ordinis agitur, quæ a vulgatis modo recentiorum Theologorum opinionibus recedant, quæ tamen erant tunc in Scholis receptiora, & ne hactenus quidem aliquo ſolemni Eccleſiæ decreto finita, quibus uti quivis pro libito poterit; nec ſane mirari deſinet in tam brevi compendio perſpicuam ordinis, & totius ſummariæ doctrinæ diſpoſitionem.* H

VEN-

VENERABILIS
P. FR. JOHANNIS
A JESU-MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI
CALAGURITANI
DE SEPTEM
ECCLESIÆ SACRAMENTIS
BREVIS TRACTATUS

Nunc primum editus, ex MS. Auctographo Januenſi.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

Scrip. An. circ. 1585.

PRiuſquam de ſingulis agamus Sacramentis, opere pretium eſt, ipſam Sacramentorum naturam in genere prænoſcere. Eſt igitur Sacramentum, *Rei Sacræ Signum*. Per *Signum* A rem ſenſibilem, quæ aliquo ſenſu percipi poteſt, cum Auguſtino intelligimus; ut ſunt materia, & forma, quæ in unoquoque Sacramento, ut videbimus, inveniuntur; per *rem* verò *ſacram*, gratiam gratum facientem, vel ſanctificantem hominem inviſibilem.

Tria neceſſariò requiruntur in Sacramentis; materia videlicet, & forma, a Chriſto determinatè aſſignata, & Miniſter cum animo faciendi id, quod facit Eccleſia; quorum ſi vel unum deſit, non conficitur Sacramentum. Illa dicitur materia Sacramentorum, quæ multis uſibus accommodari poteſt; ut in baptiſmo, aqua, quæ ſubſternitur verbis: forma verò ſunt verba ipſa, Eccleſiaſtica traditione concepta.

Effectus omnium Sacramentorum Legis B Evangelicæ eſt Gratia, quæ ſemper *ex opere operato* confertur ſuſcipientibus, non ponentibus obicem: in aliquibus quoque imprimitur Character, ut in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine Sacro; quæ hac de cauſa non poſſunt iterari, quia in ipſis imprimitur character indelebilis. Obex aufertur per actum contritionis poſt Sacramentum elicitum, cui duplex gratia correſpondet; altera, quæ eſt propria ipſius actus, altera præteriti Sacramenti.

Gratia eſt ornatus animi, quo homo fit Divinæ naturæ particeps; Character verò eſt poteſtas quædam ſupernaturalis, intellectui noſtro impreſſa, & indelebilis ad divinum cultum peragendum deſtinata. Ex quibus definitionibus liquet, Gratiam nobiliorem eſſe charactere, quippe quæ hominem Divinæ naturæ participem facit, licet ab anima plerumque excidat.

Omnia Sacramenta ſunt ſigna; nam præ- C ter ſpeciem, quem ingerunt ſenſibus, ſignificant Gratiam, quam inſtrumentaliter efficiunt in anima ſuſcipientis; non tamen ſunt ſigna naturalia, ut fumus, qui eſt ſignum naturale ignis, ſed ad placitum; quia placuit Chriſto Domino Noſtro, qui fuit auctor omnium Sacramentorum, ut illæ res, quibus conſtant Sacramenta, ſignificarent Gratiam inviſibilem, quam efficiunt inſtrumentaliter, ac proinde ſunt ſigna practica.

Tria in unoquoque Sacramento conſiderari poſſunt, Sacramentum ſolum, res ſola, & res, & Sacramentum ſimul. Materia, & forma, quæ ſenſu excipi valent, Sacramentum ſolum dicuntur, quia ſignificant, & minime ſignificantur. Gratia res ſola nuncupatur, quæ ſignificatur, & minime ſignificat. Res vero, & Sacramentum ſimul D in his, in quibus character imprimitur, eſt ipſe character: in Sacramento Euchariſtiæ eſt pretioſiſſimum Chriſti corpus; in aliis verò, vel non datur, ut nonnulli volunt, vel eſt ornatus quidam, quo anima ad Gratiam diſponitur, ut alii ſentiunt.

Hoc eſt diſcrimen inter Sacramenta veteris, & novæ Legis: Illa enim non confe-

re-

rebant gratiam ex opere operato; ſed tantùm contritis, vi fidei Chriſti, quam Sacramenti profitebantur, dabatur gratia. In Circumciſione remittebatur peccatum originale, non tamen Janua Cœlorum aperiebatur, quæ toti naturæ humanæ per Adæ peccatum clauſa fuit. Hæc verò omnia & conferunt gratiam. & Cœlum aperiunt recipienti, quod jam per Chriſti paſſionem toti humanæ naturæ apertum fuit.

Septem ſunt Sacramenta Eccleſiæ, Baptiſmus videlicet, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium, quæ perficiunt hominem in vita ſpirituali, & in cultu Chriſtianæ Religionis ad inſtar vitæ naturalis, & hoc dupliciter. Primò quoad ſe, generatur enim homo in vita ſpirituali per Baptiſmum, augetur per Confirmationem, nutritur per Euchariſtiam, expellitur morbus, videlicet peccatum, per Pœnitentiam, reliquiæ verò peccatorum per Extremam unctionem. Secundò verò in ordine ad Communitatem perficitur, ſuſcipiendo poteſtatem regendi, quæ traditur per Ordinem; & ſecundum naturalem propagationem, quod fit per Matrimonium. Ex quo patet, non omnia Sacramenta eſſe ſimpliciter neceſſaria, ſed tantùm tria ſingulis perſonis, Baptiſmus cum Euchariſtia, & Pœnitentia poſt peccatum commiſſum, quæ ſi non re, voto ſaltem ſuſcipere debent; & Sacramentum Ordinis toti Ecleſiæ. Reliqua ſunt tantum ad bene eſſe, quare poſſunt ſine contemptu dimitti.

Aqua benedicta, & aliæ benedictiones non ſunt ſacramenta, quia non conferunt gratiam, ſed eorum diſpoſitiones, ac proinde ſacramentalia dicuntur.

CAPUT II.

De Baptiſmo.

Baptiſmus eſt ablutio corporis exterior facta ſub præſcripta verborum forma à Chriſto inſtituta, animam interius ſanctificans, & emundans.

Materia hujus ſacramenti, eſt aqua naturalis, ſive elementalis, quæ ſi tantum ſit accidentaliter alterata, ut jus, poteſt eſſe materia, non autem quando eſt ſubſtantialiter mutata, ut ſunt aquæ vel ex florum contuſione expreſſæ, vel alio compoſitæ artificio. Forma verò eſt (Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen) vel ut Græci pronunciant, (Baptizetur ſervus Chriſti In nomine Patris &c.) Illud pronomen, Ego, &, Amen, non ſunt de ſubſtantia Sacramenti; unde conficeret Sacramentum, qui ea verba omitteret; peccaret tamen mortaliter ſi voluntariè hoc faceret contra communem uſum Eccleſiæ; & eſt notandum, ſimul debere verba efferri dum applicatur materia Sacramenti, quod pariter in aliis Sacramentis impensè curandum eſt.

Miniſter ordinarius hujus Sacramenti eſt Sacerdos; in caſu tamen neceſſitatis, quælibet perſona, etiam mulier, poteſt illud miniſtrare. Nec obſtat ſi ſit Infidelis, aut Hereticus, aut Schiſmaticus, aut excommunicatus, dummodo intelligat facere quod Chriſtus inſtituit, vel quod facit Eccleſia, debet tamen uti vera forma, & materia.

Nullus poteſt ſeipſum baptizare, & peccaret mulier ſi præſente viro, & laicus ſi præſente Clerico, & Clericus ſi præſente Sacerdote baptizaret; & in qualibet lingua poteſt fieri hoc Sacramentum, ſi non mutetur forma, vel ſi ſit aliqua mutatio, non mutetur tamen ſenſus.

Effectus Baptiſmi eſt Character, & Gratia, per quam fit remiſſio peccati originalis, ac etiam actualis, non ſolum quoad culpam ſed etiam quoad pœnam (unde baptizatis nulla prorſus eſt injungenda ſatisfactio,) & apertio Januæ Cœli. Adulti debent ſaltem attriti de peccatis ad hoc Sacramentum accedere, ut ſuum recipiant effectum: Parvuli verò in fide parentum baptizantur, qui ſi erunt Infidelium filii, non poterunt invitis parentibus baptizari, nec Adultus ipſo invito etiamſi ſit Chriſtianorum filius.

Præter hunc Baptiſmum, qui eſt Sacramentum, ſunt alii duo Baptiſmi Flaminis videlicet, & Sanguinis, qui nec ſunt Sacramenta, nec conferunt Gratiam ex opere operato, ſed ex opere operantis, remittitur peccatum etiam originale quando non poteſt ſuſcipi Baptiſmus in re, ſi tamen habeatur in voto. Baptiſmus flaminis eſt contritio, quæ oritur ex flamma charitatis; Sanguinis verò eſt martyrium. Unde tria ſunt genera Baptiſmi, fluminis, flaminis, & ſanguinis. Et ſolus fluminis Baptiſmus eſt ſacramentum propriè inſtitutum à Chriſto Domino quando à Joanne fuit in Jordane baptizatus. Baptiſmus Joannis non erat ſacramentum, ſed ſacramentale quoddam præparatorium ad Baptiſmum Chriſti, nullam conferebat Gratiam, nec remittebat peccata. Ideò Joannes cum eo prædicabat pœnitentiam in remiſſionem peccatorum.

CAPUT III.

De Confirmatione.

Confirmatio eſt Conſignatio quædam ab Epiſcopo facta in Baptizati fronte ſub verbis præſcriptis ad conſtanter, & intrepidè confitendum exterius Chriſti fidem.

Materia eſt Chriſma ex oleo olivarum, & balſamo confectum, & per Epiſcopum conſecratum, quo Chriſmate baptizati tanquam Chriſti Milites ſignantur in fronte, ne timore, & verecundia à libera Chriſti confeſſione retrahantur, ſed pro eo viriliter pugnent, quod eſt proprius hujus Sacramenti effectus, in quo datur plenitudo quædam Spiritus Sancti ad hoc munus fungendum, & etiam Character imprimitur.

Forma hæc eſt (Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis In nomine Patris, & Filii, & Spirius Sancti.

Fuit hoc Sacramentum à Chriſto inſtitutum

Scrip. An. circ. 1585.

tum quando Joann. 26. Apoſtolis promiſit Spiritum Sanctum, quo confirmarentur virtute ex alto; quod quidem fuit factum in die ſacro Pentecoſtes.

Miniſter proprius eſt ſolus Epiſcopus non electus tantum, ſed etiam conſecratus: poteſt tamen Sacerdos ex peculiari commiſſione Papæ hoc Sacramentum conferre, ſi A tamen habeat propriam materiam, Chriſma videlicet ab Epiſcopo conſecratum. Nonnulli tenent, quod non ſit de neceſſitate Sacramenti, quod hæc conſecratio ſit ab Epiſcopo, ſed tantùm præcepti, ac proinde poſſe Papam diſpenſare, & committere illam ſimplici Sacerdoti, & quòd in ſolo oleo olivarum conſecrato ſine balſamo conficeretur Sacramentum, licet peccaret mortaliter, qui hoc faceret contra præceptum, ac communem uſum Eccleſiæ; verius tamen oppoſitum videtur, quod videlicet ſit de neceſſitate Sacramenti ponere balſamum in oleo ad conficiendum chriſma, & quod ipſum chriſma ſit ab Epiſcopo conſecratum.

CAPUT IV.

B

De Euchariſtia.

EUchariſtia eſt Sacramentum, in quo ex vi verborum à Sacerdote prolatorum panis, & vinum in Corpus, & Sanguinem Chriſti tranſubſtantiantur.

Materia in conſecratione corporis eſt panis triticeus, quo unico verbo excluduntur hordeum, zea, far, & alia hujuſmodi ſemina, quæ verè non habent tritici naturam. Aqua verò, quæ ponitur in ipſo pane debet eſſe naturalis non artificiata, ideſt ſubſtantialiter mutata; nec intereſt ad veritatem ſacramenti an panis ſit azimus, an verò fermentatus, nam Græci in fermentato conficiunt, Latini verò in azimo, & peccarent C Latini ſi conficerent infermentato, ſimiliter & Græci ſi in azimo conficerent.

Forma (Hoc eſt enim corpus meum.) Illud, *enim*, non eſt de ſubſtantia formæ, unde ſi quis illud omitteret voluntariè, conſecraret quidem, ſed peccaret mortaliter.

In conſecratione calicis materia eſt vinum ex vite; quo verbo reiicimus liquores omnes, & alia vina, quæ vel ex malis, vel ex frugibus, vel ex aliis ſunt expreſſa, quin verò expellimus omphacium, quia nondum vini naturam attingit, pariterque, & acetum, quia ex vini corruptione reſultat. Si eſſet ingens neceſſitas, & adeſſet ſummi Præſulis conſilium muſtum adhiberi poteſt, ſed quomodocumque adhibeatur, Sacramentum perficitur. Sacerdos debet paululum aquæ D vino infundere ante conſecrationem, quæ licet non ſit de neceſſitate Sacramenti, eſt tamen de neceſſitate præcepti, ac proinde peccaret mortaliter ſi illam non infunderet, debet tamen eſſe in parva quantitate, ne vinum amittat ſuam eſſentiam, quia tunc non conficeretur Sacramentum.

Forma, (Hic eſt enim calix ſanguinis mei, novi, & æterni teſtamenti, myſterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſione n peccatorum.) Non omnia hæc verba ſunt de eſſentia formæ, ſed tantum (Hic eſt calix ſanguinis mei); Hæc enim ſola ſunt ſufficientia ad conſecrationem ſanguinis; reliqua verò ſunt de perfectione formæ, non autem de eſſentia, unde ſi quis illa E omitteret, conſecraret quidem, ſed peccaret mortaliter. Similiter qui lingua vernacula diceret formam, dummodo non variaret ſenſum in quacunque lingua, peccaret tamen non ſervando ritum ſuæ Eccleſiæ.

Effectus hujus Convivii eſt ſingulare gratiæ augmentum, & quædam unio cum Chriſto Rege media refectione, quæ cum fiat ex cibo, & potu, hinc eſt quod licet in hoc Sacramento ſint duæ materiæ, & duæ formæ, non ſunt tamen duo Sacramenta, ſed unum tantùm, una vero refectio animæ in qua Chriſtus ſumitur tam in cibo, quam in potu. Licet enim ex vi verborum forma panis ſit tantum corpus, quia tamen corpus non eſt ſine ſanguine, & corpus, & ſanguis ſine divinitate, F per concomitantiam eſt etiam ſanguis, anima, divinitas, & tota Sanctiſſima Trinitas cum corpore Chriſti ſub illis ſpeciebus panis: ſimiliter cum ſanguine, qui ex vi verborum formæ calicis eſt in calice, ſunt etiam per concomitantiam corpus, anima cum Divinitate, & tota Sanctiſſima Trinitate.

Miniſter eſt ſolus Sacerdos, qui poteſt conſecrare, & miniſtrare Euchariſtiam. Deficiente verò Sacerdote in opere neceſſitatis, & maximè Infirmorum, poteſt Diaconus illam Infirmis deferre, & miniſtrare, non tamen Subdiaconus, nec alii illi inferiores. Olim quando ſub utraquæ ſpecie communicabant, Diaconus ſanguinem miniſtrabat, non autem corpus.

CAPUT V.

G

De Pœnitentia.

PŒnitentia bifariam apud Theologos accipitur, nempe qua virtus, & qua Sacramentum eſt. Pœnitentia virtus, quæ eſt habitus inclinans ad volendum ultionem peccati perpetrati, vel eſt idem, quod contritio, & eſt dolor de peccato, conceptus propter Deum ſummè dilectum cum animo in poſterum non amplius delinquendi. Pœnitentia verò ſecundo modo, eſt Sacramentum ad remiſſionem ſcelerum poſt Baptiſmum commiſſorum per Sacerdotis abſolutionem deſtinatum. Quæ quidem Pœnitentia conſtat ex Contritione, Confeſſione, & Satisfactione tanquam ex tribus partibus non eſſentialibus, ſed integrantibus ipſius Sacramenti: non tamen Contritio eſt abſolutè neceſſaria, ſufficit enim attritio ad Confeſſionem ad hoc, ut verè conficiatur Sacramentum. H Hæc Attritio eſt dolor de peccato con-

Scot. 4. d. 14. diſtinguit hæc quatuor pœnitentiam virtutem, quæ eſt habitus, & voluntas puniendi quae ex ea oritur, pœnitudinem peccati ſeu nolle, peccatum, quæ eſt ipſa contritionis eſſentia, & ſuſceptionem, ac tolerationem punitionis.

Scrip. An. circ. 1585. conceptus ob turpitudinem peccati, vel propter pœnas Inferni, & in hoc differt à Contritione, quæ eſt dolor propter Deum ſummè dilectum, includit tamen propoſitum non amplius delinquendi ſicut Contritio. Quando docent Theologi, quod pœnitens ex attrito virtute Sacramenti fit contritus, intelligitur quoad effectum, ideſt quòd illi remit- A tuntur peccata non autem mutatur quoad eſſentiam, niſi forſitan attritio eſſet ex eo, quod dolor de peccatis conceptus propter Deum ſummè dilectum non aſcenderet ad gradum intenſionis, quem Deus ſolus ſcit prærequiri ad contritionem: hic enim valore Sacramenti verè fit contritio.

Confeſſio eſt ſecreta Peccatoris accuſatio de ſuis peccatis coram proprio Sacerdote, vel habente juriſdictionem, ut ab illis Sacramentaliter abſolvatur. Omnia, & ſingula peccata mortalia, quamtumvis occulta, ſunt neceſſariò confitenda cum omnibus circumſtantiis, quæ mutant ſpeciem. Venialia verò tantum ad bene eſſe, nam aliis modis poſſunt remitti, nempe cum aſperſione aquæ benedictæ, Confeſſione generali, oratione B Dominica, & alia hujuſmodi.

Materia Confeſſionis eſt duplex, proxima, & remota; remota ſunt ipſa peccata purganda, quæ ſunt materia Pœnitentiæ, quæmadmodum ligna dicuntur materia ignis, eo quod vi ipſius ignis conſumantur. Materia verò proxima ſunt actus doloris Pœnitentis ore Confitentis expreſſi, ideſt actus Contritionis, Confeſſionis, & Satisfactionis: cum iiſdemmet actibus non poteſt reiterari abſolutio, eſſet enim Sacrilegium hoc facere; bene tamen ſuper eadem peccata poteſt iterum forma impendi.

Forma hæc eſt (Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.) Illud Pronomen, *Ego*, ubicunque apponitur non cenſetur eſſe de ſubſtantia formæ, tantum enim eſſentia C formæ hujus Sacramenti eſt (Te abſolvo) reliqua ſunt de congruitate: peccaret tamen qui omitteret.

Effectus hujus Sacramenti eſt remiſſio peccatorum, & collatio primæ gratiæ, ſi quis amiſerit illam, quam in Baptiſmate receperat.

Miniſter eſt Sacerdos, qui habeat Juriſdictionem ſupra Pœnitentem, vel ordinariam ut Epiſcopus, vel proprius Sacerdos, ſive Parochus; vel delegatam, ut eſt illa, quæ conceditur ab Epiſcopo aliis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus. Qui quidem Sacerdotes prius debent Pœnitentes ab excommunicatione abſolvere, (ſi forſitan eſſent aliquo modo ab illa innodati,) quam D à peccatis, & peccaret mortaliter, ſi excommunicatum priùs à peccatis, quàm ab excommunicatione abſolverent; valeret tamen abſolutio ſecundùm Cajetanum, & alios, licet alii hoc negent.

Satisfactio eſt compenſatio offenſæ præteritæ ad æqualitatem juſtitiæ; quæ quidem compenſatio fit per bona opera, licet ſint alias debita; melius tamen eſt, quod Sacerdos imponat aliquam pœnam, vel bonam operam pro ſatisfactione, quæ non ſit alias debita.

CAPUT VI.

De Extrema unctione. E

Extrema unctio eſt Sacramentum unctionis in oleo conſecrato a Chriſto inſtitutum, quod in ſalutem animæ, & interdum etiam corporis periclitanti applicatur.

Materia eſt oleum olivarum ab Epiſcopo conſecratum; poteſt etiam ex commiſſione Papæ à ſimplici Sacerdote conſecrari. Inunguntur partes certæ ac determinatæ corporis, oculi videlicet, aures, nares, os, & manus, qui ſunt quinque corporis ſenſus, & hæc unctio in omnibus his partibus eſt de eſſentia Sacramenti, & non poteſt à Sacerdote prætermitti, niſi forte Infirmus moriatur. Præterea hæc unctio fit in renibus, vel in umbilico ſi ſit fœmina, & in pedibus, F quæ quidem unctio in his duabus partibus non eſt de eſſentia, ſed tantum de integritate Sacramenti. Idcirco multoties omittitur, maximè in renibus, & in umbilico, propter honeſtatem, & præcipue in fœminis.

Forma hæc eſt: (Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid per viſum peccaſti, vel per auditum, & ſic de aliis partibus.) Debet eſſe hæc forma per modum deprecationis, alias non conficeretur Sacramentum, & eſſentia formæ tantùm in illis ultimis verbis (Indulgeat tibi Deus &c.) conſiſtit.

Miniſter eſt ſolus Sacerdos, qui debet hoc Sacramentum Infirmis, tantùm probabiliter periclitantibus, miniſtrare, & non poteſt Infirmus illud in eadem infirmitate reiterare, G niſi convaleſceret, bene tamen in aliis infirmitatibus, nec poteſt dari ſanis quamvis ſint brevi morituri.

Effectus hujus Sacramenti eſt remiſſio peccati, & reliquiarum peccatorum, quæ ſunt debilitas, impotentia, triſtitia, & alia, quæ impediunt animam cogitare de Deo, ac proinde Infirmis confertur hoc Sacramentum, ut faciliùs poſſint tentationibus Dæmonum reſiſtere, quæ tunc maximè inſurgunt. Deinde collatio Gratiæ, ac etiam ſanitatis corporis, ſi fuerit expediens.

CAPUT VII.

De Matrimonio. H

Matrimonium eſt conjunctio viri, & fœminæ, individuam in ſe vitæ conſuetudinem retinens. Materia, & forma hujus Sacramenti ſunt ipſa verba Contrahentium; verba enim prioris proferentis ſe habent ut ma-

Scrip. An. circ. 1585.

teria, verba autem poſterioris ſe habent ut forma.

Miniſter ſunt ipſi Contrahentes præbentes materiam, & formam. Effectus eſt Gratia, ut poſſint meritoriè uti actibus Matrimonii; fiunt enim actus virtutis Juſtitiæ videlicet, obedientiæ. &c.

A

CAPUT VII.

De Ordine.

B

Ordo eſt Sacramentum per quod Spiritualis poteſtas traditur Ordinato.

Materia Ordinis eſt illud Inſtrumentum, quod porrigitur ab Epiſcopo, quod neceſſario debet tangi à Suſcipiente Ordinem; celebratur enim Sacramentum hoc velut quidam civilis contractus, in quo utriuſque per ſignum aliquod declaratur aſſenſus.

Licet hæc opinio tutior ſit, probabilis tamen eſt alia opinio docens, materiam non debere neceſſario tangi, ſed ſufficere præſentationem Epiſcopi: ratio quia materia hujus Sacramenti tantùm concurrit ad determinandam actionem agentis, & detegendam poteſtatem, quæ confertur, non tamen habet in ſe virtutem producendi characterem. Sotus, diſt. 24. q. 1. art. 2. quod notandum eſt ad pacandas ſcrupuloſas conſcientias.

Septem ſunt Ordines; quatuor minores in quibus non imprimitur character, licet non poſſint iterari, Oſtiarius videlicet, Lectoratus, Exorciſtatus, & Accolitatus; & tres Majores, qui Sacri Ordines nuncupantur, in quibus imprimitur Character; quorum primus eſt Subdiaconatus, ſecundus Diaconatus, tertius Præsbiteratus; non tamen ſunt ſeptem, vel tria Sacramenta, ſed unum tantùm Sacramentum Ordinis, quia omnes ad unum finem ordinantur, Sacramentum ſcilicet Euchariſtiæ conficere.

Prima tonſura non eſt Ordo, ſed diſpoſitio, & præambulum ad Ordines; ea enim homines ad Divinum cultum deputantur peragendum, ut divinis laudibus vacent, qui & Clerici dicuntur, ideſt, de ſorte Domini. Unde Epiſcopus quando confert primam tonſuram tondendo capillos, ait; Dominus pars hæreditatis meæ, & Calicis mei &c. Nullus autem debet tonſurari, quin prius fuerit Sacramento Confirmationis inſignitus; unde peccaret, qui primam ſuſciperet tonſuram antequam confirmaretur; non tamen eſſet irregularis, quia nullus textus hoc dicit: ſecuriùs tamen eſt petere diſpenſationem, & habilitatem à Papa, quatenus opus fuerit.

Sot. Sua. Valent. Nav. & alii aſſerunt, non eſſe peccatum mortale, ſed tantum veniale initiari prima tonſura, & ſuſcipere ordines abſque Confirmationis Sacramento, quia verba Concilii Tridentini non indicant eſſe præceptum, nec ulla pœna, vel cenſura imponitur, quæ indicet eſſe mortale, ſi deſit contemptus.

Oſtiariatus eſt ordo, per quem traditur poteſtas claudendi Eccleſiæ januas Infidelibus, illaſque Fidelibus aperiendi Ordinato.

Materia ſunt claves, in quarum traditione confertur ipſe ordo, forma: Accipe poteſtatem aperiendi Eccleſiam, & Sacrarium Fidelibus, & claudendi Infidelibus.

Officium Oſtiarii eſt excludere indignos à Miſſa, ut ſunt Infideles, & Excommunicati, dignos verò admittere ad Communionem: ad eum quoque pertinet ſigna aperitionis facere, pulſare videlicet cymbala, & etiam cuſtodire, ne aliquid extra Eccleſiam aſportetur.

C

Lectoratus eſt Ordo, per quem confertur ordinato poteſtas legendi Prophetias in Eccleſia Dei.

Materia eſt liber, qui lectionarius dicitur, in cujus traditione iſte ordo confertur.

Forma: Accipe poteſtatem, & eſto verbi Dei Relator; ſi fideliter & viriliter impleveris officium tuum partem cum iis, qui verbum Dei miniſtraverunt ab initio, accipies.

E

Officium lectoris eſt prophetias in Eccleſia legere, & Cathecumenos rudimenta fidei docere.

Exorciſtatus eſt Ordo, per quem datur poteſtas imponendi manus ſuper Energumenos, & Cathecumenos ordinato.

Materia eſt liber Exorciſmorum. Forma: Accipe, & commenda memoriæ, & habe poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos, ſive baptizatos, ſive Cathecumenos.

Officium eſt, exorciſmos memoria tenere, & imponere manus ſuper Energumenos, Spirituſque immundos ſuper Fideles ab ipſis impeditos exorcizare, ſive abjurare.

Accolitatus eſt Ordo, per quem traditur poteſtas accendendi luminaria, & præparandi vinum, & aquam in Euchariſtiæ Sacramentum Ordinato.

F

Materia eſt candelabrum cum cereo extincto, & urceolis vacuis, in cujus traditione confertur gratia, (a) & perficitur Ordo.

Forma in traditione ceroferarii eſt: Accipe ceroferarium cum cereo, & ſcias te ad accendenda luminaria mancipatum in nomine Domini. Quando vero urceoli vacui porriguntur: Accipe urceolos ad ſuggerendum vinum, & aquam in Euchariſtiæ Sanguinis Chriſti Sacramentum.

Verba illa In nomine Patris &c. in forma Sacramentorum non ſunt de eſſentia, niſi in Baptiſmo, & Confirmatione, in quibus fit profeſſio fidei; in aliis vero ſunt tantum de decentia.

Officium Accoliti eſt, præparare vinum, & aquam in urceolis tam pro Euchariſtia, quàm pro ablutione manuum, & præparare, & accendere luminaria, illaque deferre præſertim quando dicitur Evangelium, & offertur Sacrificium.

G

Effectus horum quatuor minorum Ordinum non eſt alius ab illo onere, & honore, quem conſequuntur Ordinati, ut jam poſſint ſuo jure iis fungi muneribus, quæ per formas Ordinum ſignificantur; non enim in illis datur gratia, quia non ſunt Sacramenta, ſed tantùm Sacramentalia quædam, nec imprimitur character, ut in majoribus, qui verè ſunt Sacramenta.

Subdiaconatus, qui eſt primus Ordo Sacer, eſt Ordò, per quem traditur poteſtas legendi Epiſtolam, & miniſtrandi, quæ neceſſaria ſunt ad uſum Sacrificii Ordinato.

Materia, ut definitum eſt in Synodo Florentina, eſt calix vacuus cum patena vacua ſuperpoſita.

H

Forma in traditione libri Epiſtolarum hæc eſt: (Accipe librum Epiſtolarum, & habe poteſtatem legendi eas in Eccleſia Sancta Dei, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.) In porrectione verò calicis cum patena proferuntur ab Epiſcopo hæc verba, quæ forſitan rationem formæ poſſunt habere. (Videte cujuſmodi miniſterium vobis tra-

---

[a] Heic *gratia* pro poteſtate.

Scrip. An. circ. 1585.

ditur: ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere poſſitis.)

Effectus hujus Ordinis Sacri eſt Gratia, & Character. Character quidem ut ſuo jure officio Hipodiaconatus aſſignato fungatur. Gratia verò, ut dignè, & ſanctè illo fungatur; quapropter ſi reus peccato mortali ſuo fungeretur officio, peccaret mortaliter.

Sot. in 4. d. 24. q. 1. art. 4. dicit tantum eſſe veniale peccatum Sua. 3. p. q. 64. art. 10. diſp. 16. ſect. 3. ratio quia materia eſt levis, & nullum invenit poſitum præceptum.

Officium Subdiaconatus eſt, præter Epiſtolarum lectionem, Sacra vaſa, panem, & vinum ad Sacrificii uſum neceſſaria miniſtrare, ſacra lintea lavare, & præparare: Epiſcopo etiam, vel Sacerdoti aquam infundere cum manus abluunt, Sacerdoti celebranti tanquam teſtem aſſiſtere, prohibereque, ne ſacra faciens à quopiam perturbari poſſit.

A

Tenetur quotidie Subdiaconus Divinum Officium recitare, & caſtitatem obſervare, unde non poteſt amplius matrimonium contrahere ex vi voti, & præcepti. Signum Subdiaconi eſt manipulus.

Diaconatus ſecundus Ordo ſacer eſt, cujus materia eſt liber Evangeliorum; Forma, poſtquam Epiſcopus dixit: Accipe Spiritum Sanctum ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus ejus, in nomine Domini, eſt hæc, (Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei tam pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini.)

B

Effectus eſt Gratia, & character, alius à charactere Subdiaconatus, licet illemet intenſior factus per ordinem diaconatus ſuſceptum.

Officium, præter Evangelii Lectionem, eſt exponere Evangelium ipſum per modum Catechiſmi. Olim viguit uſus, ut ſanguinem Chriſti miniſtraret Diaconus, & baptizaret fortaſſe cum aliquibus cæremoniis: plurima etiam alia Diaconibus committebantur officia, quæ operoſum eſſet, vel curſim recenſere, quæ ob Præsbyterorum multitudinem ex parte abrogata ſunt, & modo proprium munus Diaconi eſt, ut aſſiſtat Sacerdoti velut individuus Comes, & illum in ſacris juvet cæremoniis, ut liquet ex ſacroſancta Liturgia. Quare ordo iſte præſtantior eſt Subdiaconatu, quia propinquior eſt Sacerdotio; ſignum Diaconi eſt ſtola ſupra ſiniſtrum humerum tantum modo poſita ductaque ſub brachio deſtro.

C

Præsbyteratus Ordo eſt Sacramentum, per quod ſpiritualis poteſtas offerendi ſacrificium in Eccleſia, miſſaſque celebrandi tam pro Vivis, quàm pro Defunctis, nec non peccata remittendi Ordinato tribuitur.

D

Materia eſt calix cum vino, & patena cum pane; Forma: Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium, miſſaſque celebrandi, tam pro vivis, quàm pro Defunctis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quæ verba efferuntur ab Epiſcopo poſtquam reflexit ſtolam ab humero ſiniſtro in dextrum in modum crucis, dicens: Accipe jugum Domini; Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve. Et poſtquam conſecravit manus dicens: Conſecrare, & conſervare digneris, Domine, manus iſtas per iſtam Sanctam unctionem, & noſtram benedictionem. Demum manibus capiti impoſitis: Accipe, inquit, Spiritum Sanctum quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta ſunt.

Unctio, ſive conſecratio manuum Sacerdotis, & impoſitio manuum Epiſcopi capiti Sacerdotis ordinati non ſunt de eſſentia Sacramenti ordinis, ſed tantum de præcepto, debent tamen ſuppeleri ſi omittantur; unde peccaret mortaliter qui miniſtraret in ordine ſuſcepto, antequam ſupplerentur; non efficeretur tamen irregularis. Sot. in 4. d. 24. q. 1. art. 4. Silv. verb. irregul. q. 12.

Munus igitur præſtantiſſimum Sacerdotis eſt, Deo ſacrificium facere. Quod quidem Sacrificium eſt Chriſtus ipſe, perfectio, & conſummatio legis, qui ſemel perfuſo pro redemptione noſtra Sanguine ſeipſum in Monte Calvario Deo Patri obtulit, & quotidie in Sacrificio miſſæ, & potiſſimum in tribus actionibus, oblatione videlicet, conſecratione, & conſummatione conſiſtit, incruentè, & ſine ſanguine offertur.

E

Præterea debet Sacramenta adminiſtrare, peccata retinere, & remittere, quandoquidem Judex eſt conſtitutus, Interpres, & mediator Dei, & hominum. Hæc ſunt propria, & præcipua munera Sacerdotis, qui tametſi unus ſit, varios tamen dignitatis, & poteſtatis gradus habet; alii enim vocantur ſimplices Sacerdotes, alii Epiſcopi, alii Archiepiſcopi, alii Patriarchæ, & tandem, qui eſt maximus omnium, Romanus Pontifex, quippe qui Chriſti vicem gerit. Signum eſt ſtola ab humeris ducta in modum crucis ſupra pectus, & planeta, aliæque ſacerdotales veſtes.

F

Character horum unum eſt, & idem cum charactere in Preſbyteratu impreſſo, qui tandem ad illas Dignitates, poteſtateſque fungendas extenditur, aliàs eſſent plures quàm Septem Ordines. Character tamen Præsbyteratus eſt alius à characteribus Diaconatus, & Subdiaconatus; ſunt enim tres Characteres partiales conficientes unum totalem. Character namque Subdiaconatus, & Diaconatus ſunt participationes quædam characteris Sacerdotalis, miniſteria nempe ad Sacerdotium directa, & hæc eſt communis ſententia, quamvis fortaſſe alia opinio, quæ eſt D. Thomæ, quod videlicet ſit unus character, qui imprimitur in primo Ordine Sacro, Subdiaconatu videlicet, & intenditur poſtmodum, & perficitur per Diaconatum, & Presbyteratum intenſive, ac etiam extenſive ad fungenda propria munera illorum ordinum; ſicut eſt prima opinio de Epiſcopatu, fateor, verior ſit.

G

Miniſter ex neceſſitate trium Sacrorum Ordinum eſt Epiſcopus, qui etiam eſt Miniſter ordinarius quatuor minorum Ordinum, qui ordines minores conferuntur etiam ab Abbatibus, & poſſunt ex commiſſione Pontificis à ſimplici Sacerdote conferri.

H

Mulier nullatenus eſt alicujus ordinis capax, ſimiliter & Hermaphroditus, in quo muliebris ſexus prævalet, nec Infidelis, qui ſacro Baptiſmatis fonte non eſt ablutus; neceſſario enim requiritur in ordinando character Baptiſmi, adeout ſi quis Infidelem, non Baptizatum, vel fæminam ordinare tentaverit, nihil magis efficeret, quàm ſi lapis ordinaretur.

Scrip. An. circ. 1585.

Pueri, & amentes jure cautum eſt, ut non admittantur ad ordines, ſi tamen Epiſcopus illos promoveret veram conficiendi Sacramenti poteſtatem acciperent, ſimiliter & Hermaphroditus, in quo virilis ſexus prævalet.

Character Confirmationis autem requiritur A ex neceſſitate præcepti; unde ſi quis ordinaret non confirmatum peccaret quidem, ſed non mortaliter, ſi deſit contemptus, ſimiliter & ſuſcipiens, eſſet tamen ordinatus, nec amplius oporteret ordines ſuſcipere; ſicut ſi quis per ſaltum ordines ſuſciperet Presbyteratum nempe ante Diaconatum, vel Subdiaconatum, peccaret quidem mortaliter, nec poſſet ſuo munere fungi, nec reliquos ordines ſuſcipere ſine diſpenſatione petenda a Papa ſi miniſtraverit; ſi non miniſtraverit, Epiſcopus ex cauſa poteſt diſpenſare; teneret tamen ordo receptus, & tamen deberet recipere dimiſſos, ſive ſint Majores, ſive ſint Minores Ordines.

Effectus Præsbyteratus eſt Gratia, & Cha- B racter, qui tunc imprimitur quando Epiſcopus præbet illi poteſtatem conſecrandi, & offerendi Sacrificium Corporis, & Sanguinis Chriſti, nec novus imprimitur character, quando dat illi poteſtatem remittendi, ſive retinendi peccata, ſed ille qui jam eſt impreſſus extenditur ad hoc munus faciendum: Unde character Præsbyteratus unus cum ſit, duos tamen actus ſive duas poteſtates habet, conſecrare videlicet, & remittere, vel retinere peccata. Hæc ſecunda poteſtas à Sanctiſſimis Patribus vocatur Clavis ordinis, ideſt, clavis quam ſoli ordinati habent, & eſt duplex ſcientiæ videlicet, & potentiæ: Clavis ſcientiæ eſt facultas judicandi an pœnitens ſit dignus, vel indignus abſolutione: Clavis verò potentiæ eſt facultas abſolvendi, quem C Sacerdos per clavem ſcientiæ judicaverit idoneum, vel dimittendi ligatum, quem per eandem clavem ſcientiæ judicaverit ineptum. Eſt tamen advertendum, non poſſe Sacerdotem hanc exercere clavem quoad utramque poteſtatem, niſi obtineat ab Antiſtite clavem Juriſdictionis, quæ nihil aliud eſt, quàm facultas quædam plures actus quaſi pro tribunali exterius exercendi contra fideles, ut ſunt excommunicare, abſolvere ab excommunicatione, diſpenſare, conferre Indulgentias, leges Eccleſiaſticas condere, & alia hujuſmodi &c. Quæ quidem facultas eſt in Summo Pontifice tanquam in capite erga miſticum corpus Chriſti, qui in toto terrarum orbe poteſt hac juriſdictione uti: Patriarchæ, & Archiepiſcopi in ſua Metropoli, Epiſcopi vero tantum in ſua Diœceſi. Omnes hi D licet diſpares ſint in Juriſdictione pares tamen ſunt in Sacerdotali functione erga corpus Chriſti: verùm, nec in ſua conſecratione Epiſcopi, quando à tribus Epiſcopis conſecrantur, ut moris eſt, recipiunt novum characterem, ſed ille, qui jam eis impreſſus fuit in Præsbyteratu, extenditur ad hoc, ut poſſint alios Sacerdotes ſibi ſimiles creare, omneſque ordines, & Confirmationem conferre, altaria, calices, Chriſma conſecrare, Oleum Sanctum benedicere, & alia hujuſmodi munera, quæ ad ipſum ſpectant, facere.

Tria requiruntur in ordinando, de quibus Epiſcopus debet habere teſtimonium; ætas ſcilicet, ſcientia, & boni mores, nullus enim E ante ſeptennium debet prima Tonſura initiari; nec Oſtiariatum, Lectoratum, Exorciſtatum, nec Accolitatum ante duodecimum, Subdiaconatum ante vigeſimumſecundum, Diaconatum ante vigeſimumtertium, Præsbyteratum ante vigeſimumquintum ſuſcipere, & eſſet ſuſpenſus ab Ordine ſuſcepto ſi quis ante præfatam ætatem, & extra tempora ſine Papæ licentia ordinaretur, vel ſi miniſtraret in ordine ſuſcepto, eſſet irregularis, in qua irregularitate non poteſt, niſi Papa diſpenſare; ſi vero non miniſtravit Epiſcopus habet in illa facultatem diſpenſandi.

Auctor, ſive Inſtitutor omnium Ordinum fuit, ſicut cæterorum Sacramentorum, Chriſtus Dominus Noſter, qui quodammodo uſus F eſt actibus omnium Ordinum.

Officium quidem Oſtiarii exercuit, quando flagello quodam ejecit è templo Mercatores, & emptores, & alia, quæ Divino cultui minime congruebant; & credi poteſt tunc ordinem hunc inſtituiſſe: quod quidem inſtitutionis genus in ſequentibus Ordinibus intelligatur aſſertum, ne identidem repetamus.

Officio Lectoris functus eſt, cum oblato ſibi Iſaiæ libro legit vaticinium quoddam de ſemetipſo, ut videre licet apud Lucam cap. 4.

Officium Exorciſtæ cum tetigit aures ſurdi, & muti, dicens, Effeta; & cum Apoſtolis impertivit poteſtatem Dæmones expellendi, viſus eſt ordinem hunc ſancire, & inſtituere.

Officium Accoliti teſtatus eſt in ſe reſidere, G cum dixit: Ego ſum lux Mundi &c.

Subdiaconi munus exercuit in Cœna, cum præparavit materiam Sacramenti Euchariſtiæ, ac etiam Diaconi cum miniſtravit, & miniſtrare fecit corpus, & Sanguinem ſuum.

Sacerdotis verò officium, quando in Cœna conſecravit, tradiditque formam conſecrandi, & hoc quoad primum Sacerdotis actum; quo verò ad ſecundum, inſtituit poſtquam ſurrexit dicens, ad Diſcipulos, aſſertore Joanne: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.

Poteſtatem verò Epiſcopalem inſtituit, cum dixit Petro: Paſce oves meas, interrogans, an divino præ aliis flagraret amore, ut cernimus apud Ioannem. Poſtremo cæteros Apoſtolos Epiſcopos inſtituit, quos jam ordinaverat Sacerdotes, quibuſque facultatem H remittendi, atque retinendi peccata largitus erat.

Laus Deo Optimo Maximo
Virginique Matri.

IN SEQUENS OPUS
PRAEMONITIO.

Quod modo proferimus Opus, certum eſt, ex quatuor praeſertim Societatis Ieſu Scriptoribus qui ſuis quique locis obportune citantur, compactum adſutum, diſpoſitum eſſe, ut conlatione ipſa eorum Operum cuivis conſtare facillime poteſt. Nondum autem aeque nobis compertum eſt, utrum Iohanues noſter, an alius piiſſimus Theologus ejus vere compilator, & conſtructor fuerit: deſunt enim domeſtica, & penitiora documenta, quae rem nobis omnino evidentem faciant. Alioquin vero compoſitionem illi indubie adſerunt exterorum plerique, quorum teſtimonia nulla ſuſpicione recipi ſolent; ut ſunt Auctor Bibliothecae Carmelitanae, *duobus volumnibus in fol. editae, qui poſtquam Opus recenſuit inter Scripta Iohannis, haec addit:* Hunc tractatum noſtro Ioanni a Ieſu Maria adjudicandum eſſe cenſet Nicolaus Antonius, niſi aliam, & aliam inſcriptionem diverſae praeferant editiones; *ipſe Nicolaus Antonius in famigerata ſua* Bibliotheca Hiſpana, *Tom.* I. *pag.* 545. *atque alii nonnulli, quorum fide Scripturam illam huc, vel inter dubios Iohannis foetus inſerere placuit, ut nihil, quod ejus nomine circumducitur deſideretur. Cum vero a Colonienſi Editore Typographo Commentarius hic dicatur* in gratiam Parthenicae Sodalitatis B. V. Annunciatae a Sodali Theologo adornatus, *non abs re foret, Iohannem noſtrum, cujus Neapoli pietatis, doctrinae, & vulgatorum ibidem Opuſculorum fama percrebuerat, a Sodalibus illis, quibus forte adſcribi voluit, rogatum, libellum confeciſſe, illumque diu manuſcriptum inter ipſos Sodales delatum; donec anno* 1622. *Coloniae prima Omnium Operum Conlectione, tribus tantum voluminibus in fol. promulgata, illuc miſſus fuerit, ut ſupplementi loco, aut in nova aliqua Conlectione, aut ſeorſim ederetur. Quae ſi ita ſunt, facile intelligitur, cur ibi potiſſimum, Coloniae Agrippinae,* Thronus *hic* Iuſtitiae, *biennio, poſt ſcilicet* 1624. *typis fuerit commendatus cum integra ſubjecta Inſcriptione, & Prologo Typographi. Inde quoque non ambigue coniiceretur annus, quo Iohannes noſter id Operis conſtruxerit, ipſe fuiſſe* 1607. *quum ad Theologicae Cathedrae moderationem Neapoli ageret; ex ejus* Vita. cap. XVI. *Qua quidem coniectatione, ut ut valeat, annum illum Operi praefiximus. En vero, quae in prima editione praemittuntur.*

APPENDIX ALTERA

DUBIA JOHANNIS OPERA COMPLECTENS.

THRONUS JUSTITIÆ.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ. Iſai. 38. 10.

Iraſcimini, & nolite peccare; quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini. Pſal. 4 5.

Diſcamus igitur; & vitia noſtra recenſentes, ea tempore corrigamus, & hoc menſe unum, alio aliud, & ita ſubſequenter meliores efficiamur. S. Jo. Chryſ. Hom. 82. in Jo.

INTEGER EX PRIMA COLONIENSI EDITIONE OPERIS

TITULUS.

THronus Iuſtitiae, in quo docetur, quomodo anima viri iuſti ſeipſam iudicet, inquirendo in omnes affectiones, deſideria, cogitationes, verba, & opera, idque adhibito multiplici examine; I. Generali ad vitae renovationem inſtituendam; II. Diurno, ad quotidianas maculas eluendas; III. Particulari ad malos habitus extirpandos, ac virtutes ſolidas animis perfecte inſerendas; Ex quatuor Societatis Ieſu Patribus praecipue deſumptus; ſcilicet P. Ludovico de Ponte, P. Iacopo Alvarez de Paz, P. Iohanne Pelecyo, P. Alphonſo Rodriquez; *& in gratiam Parthenicae Sodalitatis B. V. Annunciatae, xenioli loco adornatus.* Coloniae Agrippinae, ſumptibus Ioannis Kinckii, ad Inſigne Monoceratis. A Nativitate Domini, & Servatoris noſtri Ieſu Chriſti 1624.

PROLOGUS

COLONIENSIS TYPOGRAPHI.

SODALIBUS PARTHENIIS TYPOGRAPH. S.

INter celebratiſſimas illas, famoſiſſimi Iſraelitarum Regis Salomonis opes, atque opera magnificentiſſima, unum fuit, quod prae reliquis in Sacris paginis commendatur, Thronus ſcilicet Regis Salomonis, de quo ſic divina Scriptura loquitur, 3. Reg. 10. v. 18 &. 20 *Fecit etiam Salomon Thronum de ebore grandem, & veſtivit eum auro fulvo nimis, &c. Non eſt factum tale opus in univerſis regnis:* ut ſicut ille juſtitia ceteros omnes praecedebat, ob ſapientiam illam caeleſtem, quam Deus in illum ampliſſima congeſſerat manu, *Dans ei* (4. Reg: 4. 29.) *a pientiam, & prudentiam multam nimis, latitudinemque cordis, ſicut arenam, quae eſt in littore maris:* Sic etiam Thronus ejus, ex quo iuſtitiam adminiſtrabat, omnes omnium Regum Thronos (qui apud varios varii magna cum laude recenſentur, *in Cauſin. Polybiſt. l.* 12. 65. *in Pined. Salom. l.* 6 *c.* 7. *&* 8.) multis partibus anteiret. Non diſſimilem Thronum (ſpiritali modo intelligendo) debet ſibi Iuſtus quivis in anima ſua, quae, *Sap.* 7. *Sedes eſt ſapientiae*, conſtituere atque adornare, in quo ille tanquam verus *Iedid - Iab.* 2. *Reg.* 12. 25., ideſt, *amabilis Domino*, regnum illud ſuum ſpirituale, quod a Deo accepit, in omnes cogitationes, verba, opera, atque in univerſos animi motus, ac paſſiones, ſumma ſapientia atque aequitate, juſtitiam exerceat. Sic enim fiet, ut in hoc ſpiritali regno, omnibus rite, ſecundum rectam rationem, ac legem divinam compoſitis, maneat Anima tanquam verus Salomon, ideſt, pacificus, & *Iedid - Iab*, ideſt, amabilis Domino. Cum itaque Theologus quidam, Sodalis noſter, Tractatum hunc pium, ex quatuor Societatis Ieſu Patribus (P. Ludovico de Ponte, P. Iacobo Alvarez, P. Ioanne Pelecyo, P. Alphonſo Rodriquez,) in unum concinnaſſet, operae pretium mihi viſum eſt, ſi illum, typis excuſum vobis, Sodales Parthenii, hoc novo anni ineuntis exordio, dedicarem, ut huius libelli ope, *Nos ipſos*, ſecundum Apoſtoli doctrinam, 1. *Cor.* 11. *iudicemus ne a Domino iudicemur.* Deus Opt. Max. de quo Propheta ait, *Pſal.* 55. *Quoniam non Deus volens iniquitatem, tu es*, itemque alius, Abac. 1. 13. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas*, aut probes *malum*, tribuat nobis, ut iudicio privato ita divinam eius ſententiam praeveniamus, ne ille, cum ad iudicandum (ſive in cuiuſque morte, ſive in extremo iudicii die) venerit, quicquam, aut ultra puniendum, inveniat.

THRONUS JUSTITIÆ

OPUS

VEN. P. FR. JOHANNI

A JESU-MARIA

TRIBUTUM.

THRONI JUSTITIÆ FUNDAMENTUM.

DE NATURA, NECESSITATE, ET UTILITATE EXAMINIS IN GENERE.

Scr. forte An. 1607.

CAPUT I.

Quid & quotuplex ſit Examen?

Definitio Examinis.

INter cætera profectus noſtri ſpiritualis media, præcipuum qua dignitate, qua efficacia cenſeri ſolet ipſum Conſcientiæ Examen, quod nihil aliud eſt, quam ſubtilis exquiſitaque diſcuſſio; qua cogitationes, deſideria, verba, & actiones noſtras expendimus, & A mala, ac bona a nobis geſta retractamus. Hæc autem diſcuſſio non eſt res nova, quam ſacræ Litteræ docuerunt, Eccleſiæ Patres tradiderunt, & Gentiles Philoſophi non ignorarunt, adeo ut de *Eccl.* 1. 10. illa dicere illud Salomonis minime poſſimus: *Ecce hoc recens eſt, jam enim præceſſit in ſæculis, quæ fuerunt ante nos.*

Job. 7. 17. *Quid eſt homo* (inquit S. Job. *quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum.* Quid rogo eſt hominem a Deo magnificari ac viſitari, niſi donis ac muneribus impleri? Quid eſt Deum erga hominem cor ſuum apponere, eumque probare, niſi an bene ſuis donis utatur animadvertere, & ejus opera moreſque diſcutere? Unde Gregorius hunc ſenſum attin- B gens ſic ait: *Lib.* 8. *Mor. cap.* 6. *Hominem Deus magnificat quia largitate rationis ditat, infuſione gratiæ viſitat &c.* (& paulo poſt) *ſed erga eundem magnificatum hominem cor ſuum Dominus apponit, quia poſt dona judicium exerit, merita ſubtiliter penſat, vitæ pondera vehementer examinat & tanto ab eo poſt diſtrictius pœnas exigit, quanto hunc impenſo munere largius prævenit.* Idem omnino, ſi errare nolumus, a nobis exigit Deus, ut ſcilicet geſta & cogitata noſtra ſolerti examinatione judicemus. *Scrutemur* (ait Jeremias) *vias noſtras & quæramus, & revertamur* *Thren.* 3. 40. *ad Dominum.* Quid enim aliud eſt vias noſtras *Scrutari* niſi mores, affectus, opera, verba, & cogitationes diſcutere? Quid eſt hæc *quærere*, niſi eadem qualia ſunt, an bona, an mala, an Deo grata, an inviſa per examen exquirere? Inde autem ſequitur, *ut revertamur ad Dominum,* ut ſcilicet per veram pœnitentiam, ejus indignationem pellamus, ipſiuſque amicitiam, & gratiam impetremus. Triplex autem examinis conſcientiæ Diſtinctio. C uſus, ſeu modus diſtingui ſolet. Aliquando enim potiſſimam, aut magnam aliquam vitæ partem examinamus, omniaque, & ſingula, quæ fecimus & omiſimus, retractamus, & hanc diſcuſſionem Generale Examen dicimus. Aliquando diem totum a mane ad veſperum, cogitationes verba & opera & diligenter expendimus, & hanc diſcuſſionem, Examen diurnum vocamus. Aliquando vero contra unum aliquod vitium, aliquemve defectum ſpiritualem pugnamus, eumque debilitare, deſtruere, & excindere nitimur, & hoc Examen particulare nuncupamus. Primum eſt quaſi *Incipientium* in via ſpirituali, & ex cœno peccatorum exurgere cupientium, eſtque veluti ampla Sagena in mare anteactæ vitæ noſtræ miſſa, in mare inquam amarum triſtitiis, & peccatis, mare Examen Sagenæ comparatum. profundum & inquietum cogitationum, affectionum, curarum multitudine, qua actiones noſtras D colligimus, & quaſi libere per mare vagantes in noſtram poteſtatem adducimus. Illa ſagena, & exacta diſcuſſione uſus olim S. Ezechias, qui ut Ezechias Rex Iſrael. Dominum propitium haberet: *Recogitabo tibi* (inquit) *omnes annos meos in amaritudine animæ meæ,* hoc eſt, per omnes annos vitæ meæ rememorabor mala mea, & peccata, quæ feci, &

Scr. forte An. 1607.

mœrore ipſam animam replebo, quia tuam majeſtatem offendi.

Lib. 3. de clauſt. animæ cap. 6.

A

Homil. 2. in Pſal. 50. & 9.

Pſal. 4. 5.

Alterum eſt jam *proficientium*, illudque Hugo de S. Victore dicit eſſe: *Spirituale aliquid capitulum*, quo anima, vel ratio ejus, in dies, omnes habitatores domus ſuæ, id eſt omnes actiones ſuas convocat, ut perperam admiſſa corrigat, quod ipſum in materiali Religioſorum capitulo, aut fratrum multitudine in dies, fieri ſolet ad hoc præ cæteris nos aſſidue exortatur S. Chryſoſtomus illis verbis: *Quando occubueris ſuper ſtratum tuum, & neminem infeſtum pateris: antequam veniat tibi ſomnus, profer in medium conſcientiam tuam, & reminiſcere peccata tua, ſi quid in verbo, ſeu in facto, vel cogitatione peccaſti; hoc enim dicit Propheta: Iraſcimini & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimi.*

Tertium denique eſt eorum, qui ad aliquam vitæ ſpiritualis *perfectionem* devenerunt, proprium; & quemadmodum inſignis, & experriſſimus aliquis belli Dux, tunc præclare ſe egiſſe putat, ſi urbem, quam expugnandam ſuſcepit, non undique, ſed una ex parte; hoſtemque non collectim, ſed ſparſim & diviſim aggrediatur; ita & hi præclaram ſe virtutibus operam navaſſe exiſtimant, ſi vitia, quæ virtutum hoſtes ſunt, non collectim, ſed diviſim oppugnando, expugnent.

B

Ratio diſtinctionis a ſimilitudine.

Prov. 24. 30.

C

Jer. 1. 10.

Porro triplicis hujus examinis ordo, & uſus alia ſimilitudine, ab agri ſeu vineæ cultura deducta declarari poteſt. Anima peccatoris vere eſt vinea illa, ſeu ager, per quem tranſiens ille ſapiens ejus ſe materiam deſtructam, & a ſentibus, & urticis repletum fuiſſe teſtatur: *Per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineam viri ſtulti; & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ*: Proinde quod in tali inculta vinea, faceret diligens, & bonus vinitor, idipſum cum Dei gratia miſeræ animæ ſuæ præſtat peccator. Ille vineam talem primo, ſubigit & quæ noxia ſunt & impedimenta, amovet. Deinde vites novas ac plantas inſerit, atque a zizaniis in dies ſuppullulantibus eaſdem defendit, demum ſingulas vites, palmites, & racemos enaſcentes elevat, ligat, peculiarique cura fovet. Hoc totum perfecte imitatur anima peccatrix, quando divinæ inſpirationi obtemperans, & gratiæ cæleſti cooperans, primum groſſo illo generalis Examinis ligone conſcientiam ſubigit, ſarculoque diſcuſſionis, omnia vitiorum lolia, & imperfectionum ſtirpes, & ſenticeta extirpat, extirpata coacervat, coacervata igne contritionis conſumit: hoc enim eſt primum, quod a peccatore requirit Deus per Prophetam: *Conſtitui te hodie, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*; prius namque evulſio, deinde plantatio adhibenda; prius vitia deſtruenda, deinde virtutum propagines, ac bonarum actionum vites plantandæ, quod dum egregie anima Chriſtiana facit, altera illa quotidiani, ſeu diurni Examinis Runcina opus habet, qua novas ſeu peccatorum, ſeu imperfectionum vepres, & urticas indies cum virtutibus ſuppullulantes, reſcindat. Ac tum demum, ut in perfectum palmitem in eo, qui vitis vera eſt, excreſcat, peculiari addita cura, & diligentia, in ſingularum imperfectionum, ac defectuum radices animadvertit, ſingulos virtutum palmites, & bonorum operum racemos, ſingulari cura inſpicit, luſtrat, puræque intentionis vimine colligatos erigit, erectos a ſuperfluis, & noxiis pravarum affectionum, & deſideriorum ſtolonibus, atque totius vanitatis, & tentationis incurſus quam poteſt, diligentiſſime tuetur.

D

P. Alvarez in compen. lib. 2. c. 10.

CAPUT II.

De neceſſitate Examinis.

E

Pſ. 49. 21.

F

NEceſſitas Examinis eximia eſt, ſive enim ad peccata gravia, ſive levia, illud referas initium eſt exſtinctionis eorum, & præſentiſſimum ad emendationem remedium. Primum enim diſcuſſio conſcientiæ peccata detegit, & lucem ad ea cognoſcenda impertit, regula item eſt, quæ actiones noſtras dirigit, & quod in eis flexuoſum, quid rectum, quid Deo inviſum, quid gratum oſtendit, utatur hac luce, hac regula peccator, qui dignos pœnitentiæ fructus facere: & Deo ſoli placere conatur. Sane Dominus in extremo die homines judicaturus prius eorum conſcientias diſcutiet, & ſingulorum facta manifeſtabit, ut poſtea bonis præmia cumulatiſſima; malis autem acerbiſſimas pœnas exſolvat. Quare Dominus per os Davidis ita peccatorem alloquitur: *Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis: arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*; quaſi diceret: Multa mala, & flagitioſa perpetraſti, & ego ad tempus tacui, & diſſimulavi, & te impunitum dimiſi: at non in perpetuum tacebo, ſed me tui diſſimilem oſtentabo, quia flagitia tua & peccata, priuſquam dignis pœnis afficiam, oculis tuis conſideranda proponam, vitamque ſordidiſſimam penicillo ſapientiæ meæ ante te depingam, ut te ipſum intelligas, & me judicem *juſte* punientem agnoſcas. Idem igitur ordo, in judicio de nobis faciendo, tenendus eſt; ut antequam de male factis compungamur, & ea emendare proponamus, ea mala eſſe, & Deo diſplicuiſſe, deprehendamus.

Jer. 31. 19.

G

Secunda neceſſitas diſcuſſionis eſt, quod ſine illa, nemo ſuorum erratorum deteſtationem concipit. Nam quis ſuam paupertatem, quam non novit, unquam averſatus eſt? Quis unquam ob plagam, quam non ſentit; aut ob infamiam, quam penitus neſcit, eſt dolore commotus? Similis autem huic eſt, qui ſuos defectus, & miſerias ignorat. Et quomodo ignorabit, qui ſua interiora non reſpicit, qui ſe non examinat, ſe non diſcutit? & qui nunquam quod in corde, & in manibus geſtat, advertit? Diſcuſſio igitur conſcientiæ initium ſalutaris doloris eſt, & ſanctæ compunctionis exordium: *Poſtquam enim convertiſti me*, (ait Propheta) *egi pœnitentiam: & poſtquam oſtendiſti mihi percuſſi femur meum*; quaſi dicat oſtendiſti mihi Domine, peccata mea, dum ſcrutabar illa, & ipſorum cognitione tactum puduit me talia patraſſe, & probroſis adoleſcentiæ meæ affectibus ſerviviſſe.

Job. 42. 5.

Lib. 35. Mor. cap. 5.

Non videbat ſe patiens Job, & ideo non erubeſcebat, imo quaſi penitus innocens; de ſua ſe innocentia jactabat, at poſtquam ſeipſum nova quadam & magis intima revelatione conſpexit, & ſuam vilitatem agnovit, querimonias ponit, & vultum pœnitentis aſſumit: *Auditu*, inquit, *auris audivi te, & quaſi a longe cognovi, nunc autem oculus meus videt te*; id eſt tuam ſapientiam & cauſas meæ perſecutionis percepi. Eodem & nos modo, cum propriam conſcientiam non videmus, nos juſtos, & aliis meliores dicimus, cum eam per examen diſcutimus, tunc miſeros, & peccatores judicamus. *Et quanto quiſque ſe minus videt*, inquit Gregorius, *tanto ſibi minus diſplicet: & quanto majoris gratiæ lumen percepit, tanto amplius repræhenſibilem ſe eſſe cognoſcit.*

H

Pſal. 59. 3.

Hanc etiam eſſe conſuetudinem Dei, ut nos per cognitionem peccatorum, ad compunctionem & pœnitentiam trahat, Regius Propheta non tacuit: *Commoviſti*, inquit, *terram, & conturbaſti eam: Sana contritiones ejus, quia commota eſt.* Interrogat eo loco S. Auguſtinus: *Quomodo conturbata eſt terra?* Reſpondet autem ſibi ipſi, *Conſcientia peccatorum*: Sapiens quidem & vera reſponſio: cum enim homo in corde ſuo delicta & peccata invenit, quæ antea ignorabat, tunc dolo-

Scr. forte An. 1607. dolore compungitur, triſtitia commovetur, timore turbatur, ut a Domini gratia ſanetur.

Hinc autem oritur tertia diſcuſſionis neceſſitas, quod ſine illa communiter culparum noſtrarum remiſſionem nequaquam conſequimur. Dixi communiter, quia aliquando homo peccati cujuſdam oblitus, illius veniam aſſequitur, dum de aliis dolet, & pœnitentiæ Sacramento ſe ſubiicit, ea mente, ut ſi illius peccati obliti meminiſſet, A etiam illud deteſtaretur. At ſi legem a Deo latam inſpiciamus, illud tantum peccatum grave, ſive leve nobis remittitur, quod vera deteſtatione & odio proſequimur: illud vero deteſtamur, quod a nobis patratum eſſe cognoſcimus: & illud cognoſcimus, quod in receſſu mentis noſtræ attenta diſcuſſione deprehendimus.

Maria Magdalena prius ſui cordis fœditatem aſpexit: deinde ad pedes Domini flevit atque ob ſuas iniquitates doluit, tandemque veniam impetravit, dicente Chriſto: *Dimittuntur tibi peccata tua*: de qua S. Gregorius ait: *Quia turpitudinis ſuæ maculas aſpexit, lavanda ad fontem miſericordiæ cucurrit*: ſi autem maculas non aſpexiſſet, abſque dubio ad balneum miſerationum Domini non veniſſet. *Moyſes miſit manum in ſinum, & protulit eam leproſam*: Sic dum manum in ſinum mittimus, & conſcientiam propriam diſcutimus, lepram noſtrarum culparum in lucem proferimus: Retraxit iterum in ſinum, & protulit non lepra candentem, ſed mundam aſpexit.

Lucæ 7. 50.
Hom. 33. in Evang.
Exod. 4. 6.

B Si ergo, o juxte a quotidianis defectibus mundari cupis, eos per compunctionem deteſtare: ſi deteſtari vis eos prius per examen agnoſce, quia ſicut nemo bonum, quod neſcit, diligit; ita nec malum, quod ignorat, odio habet.

Comp. Alvarez lib. 2. cap. 9. §. 1. 2. 3. &c.

CAPUT III.

De utilitate Examinis in genere.

UTilitas quoque examinis multiplex eſt & maniſeſtiſſima. Primo namque utilis eſt conſcientiæ diſcuſſio ad vitia deſtruenda, quia dum mens inſpiciendo ſeipſam, ſibi vitia ineſſe cognoſcit, dum ea luget, & deteſtatur, ſe ad pugnam accedit, & pugnando eadem, quibus ſubdebatur vitia proſternit. Neſcio an hunc diſcuſſionis fructum apte ex Regio Vate collegerim: *Diſciplina tua*, inquit, *correxit me in finem: & diſciplina tua ipſa me docebit*. Quænam eſt diſciplina, atque eruditio Dei? Nonne illa, qua docet animam ſeipſam agnoſcere, & bona ſua ac mala diſcernere? Hæc inquam docet me Domine, quomodo potero recte converſari inter homines, & me uſque ad finem vitæ impollutum cuſtodire. Hac autem diſciplina eruditus ferventer ad metam perfectionis progredior, *quia dilataſti* latoſque feciſti, *greſſus meos ſubtus me, & non ſunt infirmata veſtigia mea*. Quomodo enim infirmi, aut imbecilles erunt pedes mei, quos tu ad currendas vias tuas auxilio tuo roboras, & neceſſitatis currendi notione confortas. Sic ergo notione vitiorum, ac hoſtium meorum, quibus ſubdor, indignatus & auxilio tuo roboratus; *perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt ſtare cadent ſubtus pedes meos*. Si autem prius eos per diſciplinam non cognoviſſem, utique neque adverſus illos pugnaſſem, neque uſque D ad disjectionem ipſorum eos fuiſſem perſecutus.

Pſal. 17. 36. C
Ibid. v. 37.
Ibid. v. 38. 39.

Nec mirum quod noſtrorum actuum cogitationumque diſcuſſio ad evertenda vitia valeat, ſiquidem vel ſolum initium ejus, appetitus inordinatos comprimit, ut vitia ipſa infirma reddit, & imbecilla. Quod Richardus Victorinus ſignatum putat in illa mirabili everſione Jordanis, ut filii Iſrael ejus alveum ſicco veſtigio tranſirent: *Ingreſſis* namque *Sacerdotibus* Jordanem, *& pedibus eorum in parte aquæ tinctis, ſteterunt aquæ deſcendentes in locum unum, & ad inſtar montis intumeſcentis apparebant*. Quid eſt Sacerdotes Jordanem ingredi, niſi inveſtigationes noſtras cordis noſtri profundum intrare? Quid eſt pedes aquis tingi, niſi ex præcedenti cognitione, ſeu inveſtigatione affici? Et quid erit aquas regredi, & alveum ſiccum relinquere, niſi pravas conſuetudines noſtras fugere, & robur, quo nos infeſtabant amittere? tantum ergo valet diligens E ſui, & attenta diſcuſſio, quæ dum mala noſtra detegit, ad odium eorum mentem transfert, & vitia ipſa quæ nobis dominabantur, vincit, atque proſternit.

Joſue 3. 14.

Utilis eſt etiam hæc conſcientiæ diſcuſſio ad virtutes inferendas. Nam ſicut ſtudioſus alicujus artis frequenti inſpectione Operis ſui, ſeipſum emendat, & ex principiis ſatis exilibus, ad magnam tandem perfectionem illius artis pervenit: Sic dum virtutis cultor actiones ſuas examinat, & hanc, ut pravam, deſpicit hanc, ut minus perfectam, expolit hanc, ut non convenienti tempore præſtitam, in aliud tempus reiicit, non multis menſibus in magna ſe virtutum perfectione conſtituit.

Iſtud autem eſſe præſtantiſſimum medium acquirendarum virtutum S. Bonaventura manifeſte docet, cujus hæc ſunt verba: *Scientiam quæ ad inſtitutionem recte & honeſte vivendi pertinet, multis modis hominem colligere, & comparare ſibi oportet, partim ratione, partim doctrina, partim exemplo, partim meditatione Sanctarum Scripturarum, partim aſſidua inſpectione operum & morum ſuorum.* F *Hoc noviſſimum maxime fortaſſis præ cæteris neceſſarium, ut ſic ſcilicet homo in omnibus operibus ſuis ſit circumſpectus, & providus, & quotidiana diſcuſſione cogitationes loquutiones pariter, & facta ſua apud ſemetipſum examinet. Sapientes quippe ſemper agendo diſcunt, & per exercitium bonorum operum, quotidianis profectibus in majorem virtutis agnitionem excreſcunt. Per experientiam namque eorum, quæ faciunt, ad ea quæ poſtea agenda fuerint, cautiores fiunt*. Ad hoc ergo a Domino ad conſcientiæ diſcuſſionem monemur, ut virtutes in nobis provehi ſentiamus.

In Specul. par. 2. c. 1.

Præterea, diſcuſſio animi tranquillitatem, & quietem apportat, quia ille dum mala luget, & nihil, quod mordeat aut perſtrepat, in conſcientia ſua relinquit, neceſſario pacem, & tranquillitatem inducit. Job pacem cordis ſui habere arbitrabatur, quando dicebat: *Juſtificationem meam, quam cœpi tenere non deſeram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea*. Quia inquam, a corde meo non reprehendor, quod diligenter excuſſi, & emendavi, ideo juſtitiam ſanctitatem, & ex ea provenientem animi tranquillitatem nunquam deſeram, nec mentem pacatam dimittam. Sicut enim, qui domum ſuam ante omnum ſcrutati ſunt, & nec furem, nec hoſtem abſconditum invenerunt; aut ſi invenerint in malam rem abire juſſerunt, quieti dormiunt, ita qui, antequam membra ſua ad quietem componant, latebras ſui cordis ſcrutantur, & quicquid in eis vitioſum, aut imperfectum inveniunt, lachrimis & compunctione expellere curant, tranquillam noctem, imo & quietam vitam ſibi acquirunt. At contra: *Non ſinitur homo quieſcere ingruente bello*, quia dum hoſtes non vincimus, & repellimus, neceſſario eorum impugnatione turbamur. Habemus ex his conſcientiæ diſcuſſionem eſſe omnium peccatorum, & imperfectionum hoſtem, H & omnium virtutum, & bonorum ſpiritualium originem; quare qui in animo habet ad culmen perfectionis aſcendere, aſſidue debet ſeipſum hac ſpirituali exercitatione purgare.

Job 27. 6. G
Similitudo.
Eccl. 8. 8.
Compend. Alvarez. c. 10. §. 1. 2. 4.

Scr. forte An. 1607.

TRACTATUS I.

De Generali Conſcientiæ Examine.

A

CUM finis & fructus examinis ſit, non ſolum errata cognoſcere, ſed eadem per veram cordis compunctionem, ſalutarem pœnitentiam, dignamque ſatisfactionem tollere: Operæ pretium erit, præter ea, quæ ad gravitatem peccatorum maxime lethalium, cognoſcendam faciunt, etiam illa, per quæ eorumdem perfecta remiſſio, & emendatio obtineri facile poteſt, indagare. Tria autem pœnitenti ad hoc ſunt neceſſaria, videlicet: Contritio, Confeſſio, & Satisfactio. Et ſicut contritio præſupponit aliquas conſiderationes, quibus peccati gravitas innoteſcit: ita confeſſio ſupponit examen conſcientiæ, quo admiſſæ culpæ inveniuntur, quam ultimo ſequitur ipſa ſatisfactio, quæ variis pœnalibus Operibus perficitur. De ſingulis hoc ordine dicetur.

SECTIO
1 *De peccatorum mortalium cognitione*
2 *De earumdem Contritione.*
3 *De propriorum peccatorum Examine*
4 *De eorumdem Confeſſione.*
5 *De ſatisfactione, & perfecta vitæ reformatione.*

B

SECTIO PRIMA.

DE PECCATORUM MORTALIUM COGNITIONE.

CAPUT I.

De gravitate & malitia peccatorum in genere.

MAlum ſummi mali, hoc eſt, infinitam peccati mortalis gravitatem, & perverſitatem intelligere, & ad veritatis libellam exactiſſime indagare ille poteſt ſolus qui ſolus, unus, perfectus, ſummeque bonus eſt, & prima veritas; Deus inquam, qui infinita intelligendi vi, immenſaque ſapientia; ſuam majeſtatem comprehendens, alia omnia, ut pervigil; & pellucidus oculus cernit, quidquid enim vel beatæ mentes, vel mortales de ea cognoverint, minus ſemper poſt præ eo; quod præterea cognoſci poſſit, idque in infinitum. Quod Beatus Laurentius Juſtinianus; *Libro de perfectionis gradibus;* peccati mortalis mala enumerans; in hæc verba intexuit: *Beatum dixerim eum; cui datum eſt noſcere, quid ſit peccatum, quid operetur in homine; & ad quem in eo perſeverantem deducat finem*: & paulo poſt *Per peccatum homo ſit alienus a Deo, interemptor ſui, gehennæ filius, confuſionis domus, diaboli ſervus, diſſipator naturæ, gratiæ illuſor, gloriæque contemptor.*

C

Cap, 1.

Peccator filius gehennæ.

Sane Patres omnes orthodoxi pietate juxta, ac doctrina præcellentes, ingenii ſui nervos omnes intenderunt, mortiferi ut peccati gravitatem & perverſitatem infinitam adumbrarent certe, ſi non explicarent. Ex omnibus vel unum Anſelmum audiamus, cujus hæc ſunt verba: *Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & uni eorum neceſſario haberem immergi, potius me in gehennam immergerem, quam peccatum in me immitterem, mallem enim a peccato purus infernum intrare, quam peccati ſorde pollutus, cælorum regna tenere.* S. Ludovicus Rex Galliæ ab ineunte ætate perſuaſum habebat potius mori, quam peccare. S. Edmundus Cantuariæ Archiepiſcopus mallebat inſilire rogum ardentiſſimum, quam peccatum ullum ſciens admittere. Seneca: Si ſcirem Deos ignoſcituros, & homines ignoraturos, adhuc propter peccati vilitatem peccare erubeſcerem.

Lib. 1. de ſimili c. 120.

D

S. Ludovicus Rex Galliæ.

S. Edmundus.

Seneca.

Eodem imbuti ſpiritu Martyres inclyti, univerſa cœli ſpectante curia, tormentorum atrocium varietatem pœnarum exquiſitiſſimarum acerbitatem, ſæviſſimarum cædium immanitatem, ſuppliciorumque crudelitatem, fortiter, & infracto animo perferre, quam Deum gravi aliquo peccato offendere maluerunt, ingenti ſua gloria pariter & victoria. Nec ſine cauſa. Peccatum enim, quod eſt Dæmone pejus, in cælo Dei majeſtatem conculcat, rerum omnium effectorem ipſum, ſacrilego enſe educto perdere, conterere, & in nihilum redigere conatur: peccatum unigenitum Dei Filium Dominum noſtrum, è ſinu Patris extractum oſtentui habuit, crucique infami affixit, & quotidie ſecundum D. Paulum figit. Per peccatum, D. Baſilio Autore, homo impius Angelis ſe inviſum reddit; & a ſe quantum in ipſo eſt ablegat. Peccatum hominis animam, & corpus velut letifer draco romphæa bis acuta dire dureque affligit, conſcientiam jugiter rodit, imaginem Dei deformat, potentiæ effectricis ferrum ad bona facienda retundit, ſenſuum interiorum officia intercludit, denique corpus infinitis miſeriis implicat, morte conficit, nomen ejus maculat, hominemque adeo homini adimit, tributarium Satanæ efficit, a Beatorum gloria excludit. Hæc omnia, quam grave, quam impium, quamque execrandum peccatum ſit, indicant, at non explicant proinde prolixius ea ex Sacræ Scripturæ theſauris SS. Patrum, & virorum ſpiritualium ſcriptis, velut lucidis deſideribus ad cujuſque ſalutis uſum diſcutiemus.

Peccatum dæmone pejus.

E

Heb. 10.

Hom. in Pſ. 38.

Vide Pellec in præf. & cap. penult. Lib. 5.

F

CAPUT II.

De gravitate peccati mortalis, qua Deo, & attributis ejus adverſatur.

QUod peccatum ſit injuria infinita ex eo potiſſimum habet, quod teſte S. Thoma tendat contra infinitam Dei naturam, in quo innumeri inveniuntur malitiæ modi; & ſinguli quaſi infiniti; eo quod impius peccator, ut ait Job: *roboratus pinguique cervice* in Dei majeſtatem armatus inſurgens divinæ naturæ unitatem diſſolvat, ſapientiam contemnat, omnipotentiam conculcet, miſericordiam, & juſtitiam peſſundet, & quemadmodum impoſſibile eſt, vel cogitare rem aliquam Deo majorem, aut præſtantiorem, ita nulla poteſt eſſe injuria major, quam quæ ſit Deo.

3. part. q. 1. art. 2. ad 2.

Cap. 5. 26.

G

Ac primo quidem indiſſolubilem Dei unitatem telo nequiſſimo, quantum in ſe eſt, peccator perdere, & deſtruere molitur, quia tot Deos ſibi conſtituit in corde, quot ſunt creaturæ, quas contra ipſius voluntatem diligit; collocans in eis ultimum ſuum finem, hoc enim facto, quod in ſe eſt, ſtudet ſpoliare Deum unico ſuo eſſe, & majeſtate, aut ſocium ei adjungere: collocando ſicut fecerunt *Philiſtei* in eadem ara *Arcam teſtamenti & Idolum Dagon*. Nam licet fide credat & fateatur eſſe unum, ſolum, verum Deum, opere tamen plures Deos novos, & falſos admittit.

Unitatem Dei peccatum tollit, & quomodo?

1. Reg. 5. 2.

Dii gentium dummodo ipſi adorarentur, ſolliciti parum fuerunt, ſoli ut eſſent, qui divinis afficerentur honoribus; quin multorum, variorumque ſocietate gaudebant. At id Deus noſter non fert, non patitur, ſed in eos potius graviſſime, ſeveriſſimeque animadvertit ſemper qui ſibi divinum nomen honoremque tribuerunt, vel in res creatas contulerunt. Luciferum enim, quia Altiſſimo ſimilis eſſe voluit, de cœlo in barathrum inferni deturbavit. Parentes noſtros primos, ſimili motos inſania è Paradiſo in hanc lachrymarum vallem relegavit. Nabuchodonoſorem Regem, quia divinitatem ſibì arrogabat, in beſtiam, quadam ratione, mutavit. Herodem auro, & gemmis radiantem, Deique gloriam ſibi arrogantem, vermibus immiſſis conſumpſit. Attende itaque proditor, tuæ proditionis gravitatem: qua inſurgis contra Deum infinitæ majeſtatis conando adjungere illi in ſociam creaturam, quæ eſt infinitæ vili-

H

Eſai. 4. 14.

Gen. 3. 24.

Dan. 4. 22.

Actor. 12. 23.

tatis

Scr. forte An. 1607.

Sap. 14. 21.

tatis. *Gentes*, ait ſapiens, *incommunicabile Dei nomen lapidibus & lignis impoſuerunt*, tu vero ventri, & pecuniæ, & cuicumque alteri rei, propter quam peccatum admittis, Dei nomen imponis. O Deus infinite, quomodo tantam injuriam toleras.

Peccatum ſapientiæ Dei adverſatur.

A

Eſai. 46. 4.

Hoc ipſum poteris adhuc magis perpendere, ſi naturæ huius ſapientiam infinitam, res omnes occultiſſimas videntis, & quam peccando contempſiſti conſideres. Quando enim tu peccabas, Deus non ſolum a longe, & ex cæleſti throno gloriæ ſuæ te aſpexit, ſed etiam ex proximo: quia & ipſe prope te erat, & tu prope illum: Nam immenſitate ſua cœlos, & terram implet, nihil relinquens vacuum; & tu intra ipſum verſaris, ſicut piſcis in aqua; aut infans in utero materno: ita enim Deus ipſe loquitur: *Qui portamini a meo utero uſque ad ſenectam: ego ipſe & uſque ad canos vos portabo*. Quæ ergo tanta fuit temeritas tua, ut Deum offenderes non ſolum in eius conſpectu, ſed prope ipſum imo intra ipſum manens? geſtabat te ipſe intra ſua viſcera, quæ tu tanquam viperinus fœtus, quod in te fuit lacerare voluiſti, ut extra illum, vitam in laxitate duceres. Ipſe te prope ſe habebat, ut defenderet; tu eras prope ipſum ut offenderes.

Et ejus immenſitati.

B

Lud. de Pont. Tract. 3. *cap.* 4 *conſ.* 1. & 2.

Amplius dico, non ſolum tu intra ipſum Deum, ſed etiam Deus ob ſuam immenſitatem, intra te eſt, tuumque corpus, & animam magis intime penetrat, quam anima ipſa corpus penetret, idque per Eſſentiam, præſentiam, & potentiam; quomodo ergo Deo præbes hoſpitium ſordidum, horridum, eiuſque puritate infinita indignum: ſimulque cum illo in eamdem habitationem recipis ejus hoſtem Dæmonem, qui habitat ubicumque eſt mortale peccatum, o te cœcum, & miſerum, qui non attendiſti te intra Deum, & Deum intra te, cum peccabas, agnoſce culpam, & roga, ut qui te peccantem patienter aſpexit, aſpiciat & nunc benigne pœnitentem.

CAPUT III.

De attributis providentiæ, miſericordiæ, & juſtitiæ Dei quibus peccata adverſantur.

Peccator contra providentiam.

C

Iſai. 40. 12.

D

TErtio perpende exactiſſimam Dei circa res tuas providentiam, quam per ſuam omnipotentiam ſtupenda efficacitate exequitur. Certe tanto ingratitudo tua peccandique malitia gravior apparebit, quanto hæc ipſa illuſtrior, quovis momento in te exiſtit. Quotquot enim bona intra, & extra te habes, omnia ab hac providentia, & omnipotentia procedunt: *Appendit te tribus ſuis digitis*, cognitione videlicet ſua, amore, ac potentia, qui ſi te dimitteret, mox redires in nihilum. Quin imo ab ipſo die, quo te creavit, ſemper tui curam geſſit, proſpiciens de alimento, & ſuppellectili neceſſaria, attendens tuæ vitæ, ſaluti, honori, & fortunis, & liberans ſimul ab innumeris periculis, morbis, indigentiis, & calamitatibus, & quæ in his omnibus innumera tibi contulit beneficia partim occulta, partim manifeſta ſunt. Quæ omnia ut haberes, totam hujus mundi machinam diſponit ac dirigit, providentiam ſuam exequens per cœlos, elementa, homines, jumenta, & per ipſos Angelos, ſuper omnia autem continuo eſt paratus concurrere tecum in uſu omnium potentiarum, & ſenſuum tuorum, ipſius enim actuali auxilio vides, audis, comedis, ſtas, ambulas, cogitas, vis, faciſque omnia tua negotia, qui concurſus ſi deeſſet, nihil omnino efficere poſſes.

Et contra charitatem Dei.

Jer. 31. 3.

Matth. 5. 45.

E

Sed adhuc aſcendit altius Dei charitas & miſericordia, ille enim, qui ab æterno oculos ſuos in te coniecit, teque in immenſa nihili abyſſo immerſum præ infinitis aliis ſola ſua bonitate & miſericordia eduxit; ille idem ab incepto amore & miſericordia ſua erga te, numquam deſiſtere velle ſtatuit: *In charitate enim*, ait, *perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans tui*. Quod ſi unquam tum advertere licet, quod non deſiſtat ab amore, etiam poſtquam eum offendiſti, factus ejus inimicus, adeoque ingratus omnibus beneficiis ab eo acceptis. Ille enim, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos*, eodem modo tecum pergit, quo antea, largiendo tibi vitam, facultates, honores, & bona reliqua temporalia; ut hac miſericordiæ, & immenſæ charitatis exhibitione te provocet ad deſiſtendum ab ejus offenſione, & incipiendum diligere eum, qui non ſolum te dilexit, cum non promeritus eſſes ejus amorem, eo quod nihil eſſes; ſed etiam cum ob tua peccata indignus eſſes, quem ipſe diligeret.

Peccatoris ingratitudo notata.

Jer. 2. 32.

Attende ergo, & admirare hanc benevolam Dei providentiam & miſericordiam, & de tua ſimul ingratitudine, & peccatorum gravitate, quam ei rependis erubeſce. Ille te ex nihilo condidit, tu ob nihilum eum offendiſti, ille tuæ conſervationi attendit, tu ejus offenſioni; pendes ex ejus digitis, ex quibus etiam injuriam non dimittit, uteris ejus creaturis in ejus offenſionem, ex potentiis & auxiliis arma officis ad illum offendendum obliviſceris ejus, qui numquam tui obliviſcitur, deles ex manibus eum, qui te in ſuis deſcripſit: *Virgo non obliviſcitur ornamenti ſui, nec ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ*; tu vero oblitus es Dei, te diligentis, omniaque largientis, quaecumque habes.

F

G

Jer. 3. *de reſurrect.*

H

Ibid. conſid. 3. 4. 5.

Porro ipſam Dei juſtitiam, quam nefario abuſu peſſundas, conſidera, quæ ad quodvis peccatum tuum, divinum urgens tribunal ſeveriſſimam ſententiam, & quandoque æternum pro meritis ſupplicium inferri poſtulat. Te enim obſecro, quos clamores dediſſe putas tua peccata ad juſtitiæ divinæ tribunal, juſtam contra te ultionem petentia? Quis autem continuit, ne illa ad primum peccatum, aut ad ſecundum, aut tertium ſumeretur? Quis ipſum judicem pro te flexit, ut diutius te expectaret, & longius tempus daret pœnitentiæ, & quis amabo divinæ juſtitiæ manum retraxit, ut ne quidem in hac vita gravibus & ignominioſis pœnis, quas aliis intulit, & tu æque promeritus eras, in te animadverteret? Quoties ob tuam gulam, aliamve ſenſualitatem, promeritus fuiſti ſanitatem amittere, aut in morbum gravem incidere? a quo tamen te Deus præſervavit. Quoties in aliquod peccatum incidiſti, quod ſi aliis innotuiſſet, evaſiſſes infamis, aut bonam opinionem amiſiſſes? Deus vero ita rem diſpoſuit, ut maneret occultum: ut ſic honori tuo conſuleret: cum tu peccatis tuis honorem illi detrahere ſtuderes, quis hoc totum effecit niſi divina miſericordia, quæ miſeriæ tantæ miſerta, divinæ Juſtitiæ rigorem temperavit? Vides ergo o infelix peccator quid agas, cum in divinam majeſtatem inſurgis protervus, in benefactorem ingratus, in patrem impius, in Dominum ſervus, in Deum idololatra. O diram voluntatis propriæ tyrannidem (ut cum S. Bernardo loquar) quæ quod in ſe eſt, omnia, quæ Dei ſunt, tollit, ac diripit: imo & ipſum Deum, quoad ipſa poteſt, perimit: omnino enim vellet Deum peccata ipſius, aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut ea neſcire: vult ergo eum non eſſe Deum; quæ, quantum in ipſa eſt, vult eum aut impotentem, aut injuſtum eſſe, aut inſipientem; crudelis plane & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, juſtitiam, ſapientiam perire deſiderat, qui æternus eſt & immutabilis.

CA-

Scr. forte An. 1607.

CAPUT IV.

De Peccatis, quæ ſunt contra Chriſti Domini Noſtri Redemptionem.

INfinita Dei majeſtas innumera hominum peccata cernens, ex mera miſericordia, decrevit homo fieri, ut remedium illis afferret, qui remedio omnes admirandas ſuas perfectiones manifeſtaret, quas omnes tu offendis cum peccas. A

Infinitam ſuam charitatem oſtendit Pater Joan. 3. 16. *ſic diligens mundum, ut filium ſuum unigenitum daret* tanquam Redemptorem, qui nimirum hominem a poteſtate Diaboli, in poteſtatem Dei, cuius antea erat, per mortem vendicaret: idque eo fine, *ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Tu vero adeo fuiſti malus, ut nec eum dilexeris, qui te adeo dilexit: nec magnificeris donum adeo pretioſum, ab ipſo tibi oblatum: Diabolicæ enim ſervituti, ut teterrimorum ſpirituum ſocietati denuo te addixiſti, capitis Chriſti in fluxum flocci pendiſti, & licet *fide credas & confitearis te noſſe Deum, factis tamen negaſti,* Tit. 5. 16. gratiæ & virtutum jacturam, cœli exilium tolerasti, potius honori tibi ducens fieri filium Satanæ, quam filium eſſe Dei, & Chriſti fratrem.

Filii ſapientia & omnipotentia. Infinitam ſuam ſapientiam, & omnipotentiam Filius oſtendit, dum res adeo diſtantes, Deum ſcilicet & Hominem in una perſona coniunxit ut omnes homines cum ipſo per gratiam unirentur, B oſtendens quantopere peccatum omne, huic unioni contrarium, averſetur, præbens ſimul infinitas ſuas virtutes, & vitæ exemplum quod imitereris; & ad peccati deteſtationem, vitæque perfectæ reformationem, ſerviret. Tu vero procul valde ab eo per ſuperbiam te ſeparaſti, illam ſimilitudinem, quam tibi ille offerebat, amiſiſti, ad hæc nihil facis exempla & auxilia, quæ tibi obtulit, cum illius humilitati tuam ſuperbiam; abnegationi rerum caducarum, avaritiam; charitati invidiam; manſuetudini iram; zelo accidiam; modeſtiæ laſciviam; honeſtati turpitudinem; paupertati divitias; luctui voluptatem, multis paraſanguis præfers.

Miſericordia. Immenſam ſuam miſericordiam manifeſtavit in eo, quod tanquam *Paſtor bonus animam ſuam pro ovibus ſuis poſuit,* Jaon. 10. 11. gregemque ſuum ut in rapinam non eſſet ſalvavit: & quod tanquam *Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech animarum noſtrarum Epiſcopus,* Heb 5. 6. thurribulo carnis humanæ aſſumpto in ſancta ingreſſus, C ac inter vivos & mortuos ſtans, redemptionem peccatorum proprio ſanguine inveniens, dona pro nobis, preces, & ſacrificia obtulit, divinæ naturæ conſortes nos effecit nobis factus ſapientia, iuſtitia, atque ſanctificatio. Sed tu adeo in eum durus es atque crudelis, ut pro alleviatione tanti oneris novis illum culpis angeas, Sacerdotis ſummi maxima & pretioſa data, & gratiam ipſam ingratus repudies, boni paſtoris obſequium, ac ductum aſperneris, quin in eum, ceu ſignum contradictionis mortiferas ſagittas dirigis, ſupra dorſum Chriſti fabricas, eum quodammodo ad novos cogens dolores tolerandos, ſi eorum eſſet capax.

Juſtitia. Juſtitiam ſuam in eo oſtendit, quod noluerit delicta abſque pœna condigna relinqui impunita: ita tamen ut eadem pœna potens eſſet, ad culpæ damna reparanda, cui accedit invictiſſima illa Fortitudo, Et fortitudo quod voluerit eam ſolutionem ac redemptionem fieri intenſiſſimis doloris ac triſtitiæ actibus, D tum internis, tum externis: interius quidem patitur, ut ſuo exemplo doceret veram contritionem peccatorum, & dolorem in voluntate concipere, a cujus conſenſu peccati malitia ducitur: Huius autem doloris teſtes ſunt, primo tædium, pavor, & triſtitia ingens ex peccati horrore & feritate concepta. Secundo prodigioſus ſudor per omnes corporis poros emanans a terribilitate peccati excuſſus. Demum agonia, quam ipſa peccati fœditas cauſavit.

Externos porro cruciatus & dolores horribiles addi ſibi voluit, ut exactius tu cognoſceres graviſſimarum tuarum culparum malitiam, pœnarum vero terribilitatem, quarum propter eas factus eſt reus, ut ſic utraſque fugias. Vide ergo an non tu idem ille ſis, qui repetendo culpas veteres, illum de novo iniuria afficis, colaphis cædis, cum opera mala facis; fœdo ſputo conſpuis, cum ex ore tuo horrida verba profers; E oculos velas, immemor quod ipſe te videat; terga flagellis aperis cum blaſphemias & injurias in eum jacis; ſpinis coronas cum ambitionibus & cupiditatibus inhias; ſceptrum porrigis, cum vanitatibus & hypochriſi operam das, & quod caput eſt peccatorum tuorum pondere, gravem illam crucem humeris ejus imponis; demum: *Rurſus crucifigis tibi ipſi filium Dei, quem conculcas, ſanguinemque ejus pollutum ducis.* Heb. 6. 6. Ibid. Conf.

CAPUT V.

De gravitate peccati qua Eccleſiam triumphantem offendit.

NEC ſolum Deum Unum & Trinum in Cœlis, ſed & univerſam Eccleſiæ triumphantis Monarchiam peccator impius inimicam ſibi reddit.

B. Virgo offenditur. Beatiſſima Virgo Maria primum offenditur, quod homo miſer, & miſerabilis, cœcus, nudus, & pauper, ipſius Dominum, cujus magnitudinis F finis non eſt, offendere audeat. Incomparabilis enim D. Virginis in Filium ſuum cum ſit amor, fieri nequit, cum peccato offendi, & non ipſam, Spiritus Sanctus olim per Prophetam his verbis populum hortatus eſt ſuum: *Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram quæ peperit vos;* Iſai. 51. 2. Quis dubitat jam eundem nos ſic alloqui: Attendite ad Chriſtum patrem, qui per gratiam vos in filios ſuos genuit, & ſequimini veſtigia ejus; attendite & ad glorioſam Virginem Mariam, in Sara præſignificatam, ceu matrem veſtram, ejuſque exemplum, quantum poteſtis imitamini.

Quæ omnia rite recteque in peccato mortali fieri nequeunt, eo ergo illa offenditnr. Beneficiis tandem illa & plurimis, & maximis nos afficit, plurimum ergo mortifero illa peccato offendetur, quo ingratitudo continetur maxima.

Et ſancti Angeli. Angelos Sanctos ideo primum offendit peccator, quod ipſorum Dominum, coram quo *cœli columnæ contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus,* G & Seraphini ipſi in conſpectu illius faciem & pedes ſuos velant audeat, is offendere, injuriaque adeo & contumelia afficere, qui ſterquilinium eſt putidiſſimum, teterrimorum verminum examen, putredo ipſa, ſtipula, palea.

Eo deinde ipſo, quo peccator ſe ipſe per peccatum lædit, læduntur & ipſi, utpote illorum in natura cognatus, quemadmodum D. Bernardus loquitur. Quia rurſum impius, in tenebricoſo naturæ antro verſans homuncio, craſſa carne involutus, corporiſque mole preſſus, cum peccato ſe turpiter obſtringit, nullam habet preſentiæ eorum rationem, qui tantæ tamen dignitatis ſunt in natura, tantæ perfectionis in gratia, & tantæ eminentiæ in gloria, Deo utpote ſimiles quadam ratione magni certe cælorum Regis aulici, iique gratioſiſſimi.

Ea item de cauſa, quia eorum conſilia, & monita negligit, ut & grati animi ſignificationem, H quæ tot tantiſque illorum meritis, ac beneficiis cuſtodiæ in primis defenſionis, & propugnationis merito debetur. Illa inſuper, dum enim peccatum ipſe admittit, illos ab ſe ablegat, id quod his verbis Divus Baſilius indicat: *Omni credenti in Dominum Angelus aſſidet, ſi non ipſum nos per prava opera fugaverimus;* ſicut enim apes fugat fumus, & columbas graveolentia pellit, ſic

Scr. forte An. 1607.

cuſtodes, pœdagogos, magiſtros, protectoreſque vitæ noſtræ, lachrymoſum, & graveolens abigit peccatum. In cauſis offenſionis, & illud numerari poteſt, quod peccator indignum ſe faciat ſedibus illis, quas in cœlo bene vivendo repleturus erat. Quia tandem fine & intentione ſua illi privantur, gaudioque adeo accidentali, quo exultarent, ſi eorum preces & curæ amore pleniſſimæ vitato peccato effectui darentur. Cujus argumento lætitia eſt, qua complentur, cum per pœnitentiam ſalutarem peccator ad gratiam reſurgit; gaudio autem, accidentali beatitudine etiam, & gloria ampliore.

Sanctique omnes.

In. cap. 24. Matt.

Sanctos denique omnes, quos Eccleſia genuit, ſuiſque uberibus admotos, puriſſimo Catholicæ Religionis lacte aluit, cœleſti doctrina inſtruxit, ad virtutis & ſanctimoniæ ſtudium extulit; & Dominus aulæ ſuæ domeſticos, ſuis meritis, æternæ ſalutis participes effecit, offendit primum impius, quod Deum, ac Dominum ipſorum gravi injuria peccando afficiat. Tum quia eos ceu viros glorioſos, & parentes, quemadmodum ſapiens exigit, laude vera non proſequitur, cumque illis honorem non exibet, quem eximia illorum facta meritiſſime expoſtulant; vel ſi id facit, recte non facit, immemor illius, quod aliquando ſcripſit S Chryſoſtomus; *Quæ eſt iſta juſtitia, ſanctos colere, & ſanctitatem contemnere? Primus gradus eſt pietatis, ſanctitatem diligere, poſtea ſanctos; quia non ſancti ante ſanctitatem fuerunt, ſed ſanctitas ante eos.* Et quando ſingulari deinde effuſoque beneficio illi de noſtra incolumitate valde ſunt ſolliciti, proque nobis aſſidue & diligenter erant, grati animi ſignificationem merito a nobis requirunt, quæ vera ſynceraque in homine impio eſſe nequit. Indigniſſime etiam ferunt peccatum mortiferum tam facile admitti, quod ut illi caverent, manibus & pedibus laborarunt, quin eorum complures vitam, & ſanguinem quoque profuderunt. Tandem quis neſcit cœlites pro charitate, qua in cœlo abundant, ſummopere lætari, cum homo juſtitiam & ſanctitatem colit, dolere vero, ſi dolor in eos aliquis cadere poſſit, quando tale peccatum admittitur? Offenduntur ergo ab homine, cum mortaliter peccat infernumque adeo meretur.

Pellec. lib. 1. c. 14. 17. 20.

CAPUT VI.

De gravitate Peccatorum, quæ Eccleſiam in terris militantem offendunt.

Lib. 7. p. 44.

Eccleſia in terris offenditur.

Lib. de preſcrip.

IPſam etiam Eccleſiam militantem, in qua degit peccator, offendit; illam inquam, quæ juxta D. Ambroſium: *Super Apoſtolicam ædificata petram manet, & inconcuſſo adverſus impetus ſævientis ſali perſeverat fundamine*, & multa & magna in nos beneficia confert; Deo ſiquidem nos per baptiſmum generat, lacte ſuo nutrit, blando ſinu fovet, liberaliter educat. Facit id vero variis modis. Primo ut mater noſtra eſt, quia legem ejus fide baptiſmi fracta dimittit. Secundo, ut ſancta eſt, & in ſemetipſa juſtificata, quia ſanctitatem, & juſtitiam averſatur. Tertio, ut Chriſti corpus eſt, quia membrum ejus eſt infirmum, putridum, ſtupidum & mortuum, adeoque neque cum Chriſto capite, neque cum Eccleſia corpore, neque bonis apte, recteque coherens, & connexum. Quin horrendo ſpectaculo matri quadam ratione, membrum vel deſecat, vel alio modo lædit, & convulnerat. Ac Prælatus quidem oculus, Concionator os, Princeps humeros, Nobilis brachia, Dives manus, Sacerdos ſtomachum Pauper ventrem, Populus crura, Plebs pedes. Quarto ut a Spiritu Sancto regitur, quem ideo antiquiſſimus Tertullianus: *Villicum, Chriſtique Vicarium appellat*, quia carne non ſpiritu ducitur. Quinto, ut Sponſa Chriſti eſt, quia ei in vera, & viva fide non deſponſatur, veſteque proinde nuptiali ab ea accepta caret. Sexto, ut militans eſt in terris, & in mortalitatis ſtadio, pro corona decertat, quia diabolo, mundo & carni militat.

Rectores Eccleſiæ.

Rom. 13. 1.

Porro in hac ipſa Eccleſia peccator alios habet ſuperiores ſe alios æquales ſeu etiam inferiores. Superiores quidem, omneſque Chriſtianæ Reipublicæ moderatores offendit in eo, quod illis, ut & legibus, quas in conſcientia quoque obligantes condere poſſunt, quemadmodum debet, non ſubiicitur, Deique adeo ordinationi reſiſtit; & qui Deo non paret, fieri facile poteſt, ut neque rectori communitatis obtemperet, cum obedientiæ Deo debitæ pars ſit quædam gubernatoribus præſtita obedientia, ſicque ſceleribus ſuis Reipublicæ otium & tranquillitatem pervertat: quo merito ſuperior offenditur; ſicuti & eo, quod impius ſibi aditum præcludit ad laudem & honores, quos ex officio alias dignis tribuere ſolet; id quod non exiguum etiam dolorem, & moleſtiam ei adferre conſuevit. Beneficia tandem quæ Reipublicæ moderatores in peccatorem conferunt, ne peccet, movent quoque ingratitudinis alios nota, candenti lamina per frontem uſtulandum, ut dediſcant alii eam, in ſtigmatia probrum, in probro infamiam ſpectantes. Jam ſalutem proximi ſui, & benefactoris: ſive æqualis ſit, ſive inferior, promovet ne peccator? minime. Domini præceptum eſt, ut quivis proximum ſuum, hoc eſt omnem hominem diligat: Id continetur his verbis: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Et his aliis D. Johannis: *Hoc habemus mandatum a Deo, ut qui diligit Deum diligat & fratrem ſuum*, adeoque proximum ſuum maxime benefactorem. Diligit autem eum, ut D. Thomas explicat, ut in Deo ſit, & ut cum Deo regnare poſſit; Diligit item eum non verbo tantum & lingua, quemadmodum D. Joannes docet, ſed opere, & veritate. Id quod fecerunt Sancti Dei, quorum exempla quia nota ſunt, enumerare neceſſe non eſt: ſolus peccator legis hujus reum ſe conſtituit, dum ſcandaloſe in proximum peccando, removet eundem exemplis peſſimis ſuis, quæ ceu penetralia tela ad ſeducendum vim maximam habent; quod a ſapiente hac ſimilitudine indicatum eſt: *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, & qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam.* Exemplum pravam dedit Lucifer, tenebrifer & momento temporis tertia illorum pars rebellare Deo eſt auſa, Judæi Ægiptiorum, quibus cum vixerant, ritus & ſacrificia ſic impreſſa ſibi animo habebant; ut Deus ad cavendam impietatis, & ſuperſtitionis impietatem ſacrificia alia, & ritus alios inſtituere noluerit, nimirum ut occupatione ea diſtenti, exemplis, quæ in Ægipto viderant, cogitandis vacare non poſſent. Exemplum malorum naufragiis fœdiſſimis infame eſt, itaque recte D. Hieronymus: *Proclivis eſt malorum imitatio, & quorum virtutes aſſequi nequeas cito imiteris vitia.*

Proximus offenditur.

Matt. 22. 14.
cap. 12.

2. 2. quæſt. 25. art. 2.

Eccl. 13. 1.

Epiſt. ad Sal.

Pellec. cap. 22. & 27.

CAPUT VII.

De gravitate Peccarotum ex parte Hominis ſe illis aſtringentis.

HActenus de illis, qui peccato mortali offenduntur: ſequitur ergo, ut de eo quoque ex ordine agamus, qui peccatum mortale admittit: faciet id quoque non vulgariter ad cognoſcendam peccati mortiferi malitiam, & perverſitatem. Et quis ille? Homo: peccator homo inquam infinite vilis, & contemptibilis peccator ſumme miſer & infelix. Et primum hominis vilitatem, poſtea peccatoris infelicitatem examinemus. Primo ergo homo offendit. Homo? Quis ille? Ille qui ex omni æternitate nihil. Nihil? nihil omnino in ſe minus muſca, culice, atomo, minus minutiſſimo pulvere. Quid? magis nihil, ut minus adhuc fuerit quam figmentum aut ſomnium. Unde ergo homo? *Ex regione*, ait Cyrillus, *quæ nihil appellatur, regione paupere, deſerta, ignobili, inculta, ſterili, miſera, rebus omnibus egente, in qua neque animal ullum, neque arbor, neque ſeges, neque her-*

Homo quid eſt?

In Joann.

Scr. forte An. 1607.

ba ulla naſcitur. Quis ejus pater? Nihil; quæ Mater? nihil. Quis avus, proavus, avarus &c. nihil. Quid jam nihilo infirmius? Abyſſus infirmitatis eſt, tendit & ducit ad mortem, redit in ſe, reſolvitur in nihilum. Æternum porro nihil fuiſſe, tantum malum eſt, ut merito hominem: ſi tamen vigilat, & ſanæ mentis eſt, deiicere, & a peccato abſterrere deberet.

A

Grave quidem eſt coram mundo nihil aliquando fuiſſe, illud tamen ſolatii plenum eſt, poſſe ſua virtute, labore, & induſtria id efficere, aliquid ut aliquando ex ſe, proprioque marte exiſtat. Miſerum ergo nihil fuit homo, ex quo vi ſua evadere non potuit: & tamen hujus immemor homo contra Deum, cujus celſitudines & excellentiæ ſunt abſque numero infinitæ, & abſque menſura immenſæ, abſque pondere graves, & plenæ majeſtate, inſurgit.

De partibus hominis.

Quod ſi deinde hominem tanquam ſilenum quæmpiam Alcibiadis; ut eſt in proverbio; introſpicere animus eſt, quanta tum confuſio, & perturbatio ſequetur? Duabus partibus homo a Deo conditus eſt, anima ſcilicet & corpore: & primo quidem anima ipſa licet in ſe rationalis ſit, ę cœlo hauſta mentis atque conſilii particeps, ad imaginem, & ſimilitudinem Dei facta: initio tamen conditionis ſuæ peccato originali obnoxia, gratia & vita naturali deſtituta, iræ, & perditionis ſubjecta fuit.

De miſeria animæ.

B

Trium etiam potentiarum, ac virium ceu membrorum ſuorum ratione, infami rebellione, factionibuſque variis miſera, perturbata, ut propemodum everſa eſt, concinnaque & debita harmonia, & ſymetria caret; intellectus plenus erroribus, & tenebris præter ſciendi deſiderium nihil ex ſe amplius habet: Deum, ſe ipſum, ſuaque omnia ignorat. Voluntas per lapſum primi parentis grave malitiæ vulnus accepit, magno impetu ad malum fertur: *Non quod vult bonum hoc agit, ſed quod odit malum, illud facit*, *ægre vitiis repugnat*. Difficulter virtutes exercet, undique inconſtans, cæca, inſtabilis, & miſera. Memoria, quæ fida & firma non eſt, divinorum beneficiorum obliviſcitur injurias acceptas retinet, ſuæque exiſtimationis augendæ ſemper memor.

Rom. 7. 15.

De corporis miſeria.

At de corpore quod animam aggravat, quid dicam? Corpus ex luto factum, in putido matris utero conceptum, in ſordibus natum & enutritum, animam ceu carcer quidam includens, ad peccatum trahit, Deo inviſam reddit, & ab amicitia ſui conditoris ſevocat, quinimmo, ut Apoſtolus ait: *Exhibet corpus ejuſque membra omnia arma iniquitatis peccato*: Quod potiſſimum de ſenſibus externis intellige, qui velut portæ ſunt, & foramina, ut Gregorius Magnus loquitur, per quæ anima egreditur, rerumque corporearum delectatione ineſcatur: cordis Lenones, per quos aditus eſt ad improbiſſimas cupiditates: fures, & prædones theſaurum animæ expilantes: inferni prodromi inimici ſalutis. Præclare S. Auguſtinus ſenſuum miſeriam exponens: *Reſpexit*, inquit, *oculos, & ſenſum mentis evertit, audivit auris, & intentionem inflexit, inhalavit odor, & cogitationem impedivit, os libavit, & crimen reddidit, tactus contigit, & ignem adolevit, intravit mors per feneſtram.*

C

Rom. 6.

Lib. de ſug. ſecul. c. 1.

Homo cum Deo collatus.

D

Jam tandem quid erit homo ſi cum Deo conferatur? comparatus cum cœtu hominum ſolo homulus eſt, cum Angelis, beatiſque omnibus accarus eſt, cum cæteris creaturis omnibus teredo eſt; cum Deo ut ſocietatis noſtræ parens, S. Ignatius dicere ſolitus eſt: *Ulcus eſt, & apoſtema, ex quo tanta ſanies peccatorum, tantaque vitiorum lues defluit.* Vel ſi mavis prope nihil, & verò, ſua ratione nihil. Id quod Pſaltes Regius agnovit, cum candide dixit: *Menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum eſt ante te:* ſubſtantiam ſuam vocat totum eſſe ſuum, animam, corpus, eorumque vires & potentias omnes. Mundi liberator, ac vindex Chriſtus aliquando dixit: *Nemo bonus niſi ſolus Deus*; Ens ſiquidem, & bonum convertuntur. Homo ergo nihil eſt. Id conſiderans David in hæc verba prorupit: *Quid eſt homo, quia memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* & tamen Deum audet homo flagitioſus offendere contemnere, abiicere. O ſcelus! O pravitas peccati letiferi! O homo, non homo! Apage inſane peccator, ſerpens Lybice, deſine inſanire. Curre ad illuminatorem Chriſtum, curre, crede, accipe lutum de ſaliva, lava faciem, oculos cordis line ut videas, nihilum te, miſerum te!

In Execr.

Pſal. 38. 6.

Luc. 18. 19.

Pſal. 8. 5.

E

Pellec. Lib. 2. *c.* 1. 2. 6. 7. 8. 9. 12. 17.

CAPUT VIII.

De gravitate peccati ex parte hominis peccatoris.

Homo peccator quid?

SI homo ſecundum ſe, & naturæ conditiones adeo miſer, immo nullus eſt, quid addito peccato erit? An peccatum nihilo aliquid addit? Peccatum Propheta *vanitatem vocat, & mendacium*: & Dionyſius: *Peccatum*, inquit, *eſt privatio, & defectio, infirmitas, inconvenientia, atque fruſtratio, deſtinatione, pulchritudine ac ſede, & cauſa privatum, indefinitum, infæcundum, otioſum, imbecillum, inordinatum, diſſimile infinitum, tenebroſum, carenſque ſubſtantia, & ipſum nullo modo, nuſquam, & nihil exiſtens.*

Pſal. 4. 3.

Lib. de div. nom. cap. 4. *p.* 8.

Porro peccatum eſt nihil: Sed peſſimum & pauperrimum nihil, de quo S. Chryſoſtomus ſic loquitur: *Peccante nihil eſt pauperius*: peccatum eſt nihil, ſed malignantis, & deſtruentis naturæ. Ex quo conficitur hominem quoque impium iiſdem bonis omnibus privari, miſerumque adeo eſſe, miſerabilem, nudum, pauperem, & cœcum.

F

Hom. 5. *de provid.*

Compara nunc ſi placet peccatorem cum aliis creaturis, ut videas, quis ſit. S. Propheta David non cum Deo; quod indignum; non cum Angelis & nobilioribus viventibns, quod temerarium eſſet, peccatorem componit: ſed cum ipſius jumentis inſipientibus: *Homo*, ait, *cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*; Non quidem quoad naturam, ſubſtantiam, aut effigiem exteriorem corporis: ſed quoad vitam, & mores, Sicut enim bruta animantia, ſenſu ſolo appetituque eum conſequente vivunt, ita homo relicto uſu rationis, ſenſum ejuſque appetitum ſolum ſequens vitam ſuam inſtituit, vitæ brutorum animantium omnino ſimilem. Immo vero dixerim longe inferiorem, viliorem, & ignobiliorem: quod enim jumenta ratione carent, naturæ beneficium eſt, quod impius eadem habita abutitur, a perverſa voluntate eſt. Id quod docet S. Chryſoſtomus, cum in prædictum pſalmum ſic ſcribit: *Pejus eſt comparari quam naſci; nam naturaliter non habere rationem tollerabile eſt, irrationabili naturæ comparari voluntatis eſt crimen.*

Pſ. 48. 13.

G

Jerem. de Aſcenſ 48.

Brutæ vero animantes, quibus peccator ſimilis dicitur, innumeræ ſunt, ſic ut Protheus tot non fingat perſonas, & formas, Chaldæi tot varietates, quot ille ſubeat formas, & perſonas. Pullo onagri comparantur aliqui a Job, cum ſic loquitur: *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & quaſi pullum onagri ſe liberum natum reputat*. Alibi equis & mulis juxta Davidem: *Nolite*, inquit, *fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus*. Canibus quidam, unde illud: *Canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem.* Quidam Serpenti & aſpidi, hinc eſt illud: *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas*. Viperis alii unde: *Progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere &c.* Dominus noſter Herodem; *vulpem nominavit.* Impudentes; *porcos & canes.* Plura audiamus ex Boetio: *Avaritia fervet*, inquit, *alienarum opum violentus ereptor? Similem lupo dixeris, ferox atque inquietus linguam litigiis exercet? cani comparabitis; inſidiator occultus ſurripuiſſe fraudibus gaudet, vulpeculis*

Cap. 11. 12.

Pſal. 31. 9.

Iſai. 56. 11.

H

Pſ. 57. 15.

Matth. 3. 7.

Luc. 13. 32.

Matth. 3. 7.

Lib. 4. *conſ.* 3. *proſ.*

exe-

Scr. forte An. 1607.

exequatur ; iræ impotens fremit, leonis animum geſtare credatur? pavidus ac fugax non metuenda formidat, cervi ſimilis habeatur ; ſegnis aut ſtupidus torpet? aſinum vivit, levis ac inconſtans ſtudia permutat? nil ab avibus differt; fœdis, immundiſque libidinibus immergitur? Sordide ſuis voluptatibus detinetur, ita fit, ut qui probitate deſerta homo eſſe deſierit, cum divinam conditionem tranſire non poſſit vertatur in belvam.

A

Peccator monſtrum adpellatum.

Sed quid brutum peccatorem dico? qui quovis monſtro deformior eſt : multa ſunt naturæ portentoſa monſtra, ſed nullum homine ſcelerato deforme magis, & abominabile eſt, horrendum omnino, informe, ingens, cui lumen adeptum. Si quis enim in humano corpore, ordine membrorum inverſo, capite videlicet in terram depreſſo pedibus autem ſurſum erectis incederet, ambularetque, monſtri ad inſtar eſſet : jam impio in interiori ſui parte, peccato mortifero idem accidit : ratio enim quæ principatum obtinet, ſuperiorque adeo eſt appetitui ſenſitivo, quem cum brutis animantibus communem habet, turpiſſime ſubiicitur. Monſtruoſum & illud, hominem unum & eumdem duo habere corpora, eorumque unum vivum, mortuum alterum. Et ſimilis eſt homo improbus : animam enim mortuam in vivo corpore circumfert. *Duæ vitæ ſunt, una eſt corpus, altera animæ;* inquit S. Auguſtinus. Porro monſtrum eſt impius, cujus cibus eſt mendacium, potus furor omnipotentis, lutum lectus, lux tenebræ, &c. Plangit ut Draco, luget ut Struthio ineluctabili catenorum nexu ligatus. O lugendam peccatoris deformitatem! quam mirum eſt quod homo non horreat : & illa circumdatus & oblevatus comedat, bibat, dormiat, ambulet, & inter homines converſetur!

Duæ vitæ in homine.

B

Peccatoris deformitas lugenda.

Pellec. Ibid. c. 10. 19. 22.

CAPUT IX.

De gravitate peccati ex parte pœnæ, ſeu malorum, quæ animæ aſportantur.

QUuia impius peccator a propria malitia & barbara peccandi libidine excœcatus, ſenſu magis quam ratione & fide ducitur : deinceps ex pœnarum varietate, & acerbitate, culpæ magnitudo metienda erit : ita fiet, ut diverſarum pœnarum atrocitate, ceu fulmine cœleſti ictus, in gemitus & dolores ſolvatur. Omnia vero mala pœnæ cum hujus, tum futuræ vitæ, partim animæ, partim corpori infliguntur.

C

Peccatum privat gratia juſtificante.

Primas ſtrages in ipſam animam edit peccatum mortale : peccatum enim gratiam primam tollit, virtutes & auxilia ſupernaturalia ſubtrahit, potentias hebetat, vitam denique ipſam aufert. Ante omnia privat animam torque, qui ex collo dependebat, hoc eſt, gratia juſtificante, bono cui nihil, neque in homine, neque extra hominem, in toto naturæ ambitu exequari, ne dum præponderari poteſt, adeoque primum eam, ut in hominem ipſum, ejus ratione exuit veſte illa, quam Spiritus Sanctus ex vellere, & lana Agni ad occiſionem ducti, & coram tondente obmuteſcentis confecit, ejuſdemque Agni ſanguine pretioſiſſimo purpuream reddidit. Ablata hac veſte, & animæ pulchritudine, qua ante *candidior nive, nitidior lacte, rubicundior ebore antiquo, ſapphyro pulchrior fuit; eam ſuper carbones;* ut Propheta ait; *ſic denigrat*, ut atrore tartareo, orci inquinatior, admirabilem ſuum decorem peccati nigredine commaculet; odoratumque ſpiritualem guſtatumque incredibili fœtoris malitia afficiat. Sic anima, quæ ante peccatum, ſapientiæ ſedes, Deique tronus illuſtriſſimus fuit, in quo dulciter ille quievit, deliciaſque ſuas habuit, & tanquam divinus magiſter hominem docuit, & direxit, poſt peccatum Dæmonum latibulum abominabile eſt, in quo *onocratulus, ericius, & ibis, & corvus habitant; Draconum & Struthionum item cubile, & omnis Spiritus immundi, & omnis volucris immundæ, & odibilis cuſtodia.* Qui divina gratia Dei filius, Divinæque adeo naturæ conſors fuit, filius eſſe peccato mortifero deſiit, divinæque naturæ exors factus eſt & filius Diaboli, deſideria ejus omnia faciens.

Thren. 4. 8.

D

Eſai. 34. 11.

Spoliat charitate cæteriſque virtutibus.

E

Spoliat deinde eum charitate virtutum regina, Virtutibus cardinalibus, Donis Spiritus Sancti, omnibus denique ſupernaturalibus, donis & auxiliis, quæ cum gratia eo fine communicantur, ut hominem ad Dei voluntatem exequendam moveant : miſerumque adeo illum & miſerabilem, nudum, cœcum, & pauperem reddit, ut tandem vix ſpem veniæ a Deo obtinendæ relinquat. Quod enim refugium ſupereſſe poteſt homini in peccatis perſeveranti, niſi paululum ſpei, quod forte Deus ejus miſerebitur? Quod ſi ſola gratia, ut D. Thomas ait, Omne naturæ bonum ſuperat, quam egeſtatem patietur infelix peccator, qui gratiam & virtutes, & Spiritus Sancti dona, vel uno perpetrato crimine amittit? certe omnium maximam : adeo ut S. Chryſoſtomus dixerit : *nihil eſt peccante pauperius.*

Mala quæ inde ſequuntur.

Cæterum ſublatis hiſce donis, & gratiæ auxilis plurima mala illorum loco ſequuntur : quorum primum eſt illud, quod homo peccator omnino ſterilis & infecundus ad quovis bonum faciendum reddatur : Non poteſt enim Deum diligere ſuper omnia ſimpliciter : nec ſervare omnia omnino præcepta, omniaque adeo peccata contraria vitare. Non poteſt præterea aliquid vitæ æternæ meritorium, & pro pœnis temporalibus ſatisfactiorum præſtare. Hanc peccatoris infirmitatem ſequitur alterum malum, videlicet peccandi conſuetudo, & pronitas : dum ex uno peccato in aliud, & ex uno flagitio in aliud peſtilentius Deus peccatorem præcipitari ſinit : ut ſemper de malo in pejus cadat, & debita debitis accumulans, incredibiles pœnas ſuſtineat : Unde Propheta David: *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in juſtitiam tuam.* Sicut ergo Paterfamilias furem jam ſua diligentia non potentem fugere pro libitu ſinit, ut plura furetur, quo comprehenſum ſeverius puniat, & evidentius de furto convincat : ita Dominus ſinit peccatorem, ut flagitia flagitiis accumulet, quo tandem malis bene oneratum immenſis ſuppliciis oneret. Tertium damnum eſt cordis durities, & inſenſibilitas : quando peccator nec iſta mala ſentit, nec æterna, quæ impios manent, pertimeſcit. Cadit igitur ex iteratione peccati in *cor durum*, quod *male habebit in noviſſimo*. Cadit in cor ſaxeum, quod non recipit ſemen verbi Dei. Ejuſmodi cordis typus fuit Pharao, de quo legimus : *Induratum eſt cor Pharaonis & non audivit eos*; Scilicet Moyſen & Aaron, *ſicut præceperat Dominus.*

F

Pſ. 68. 28.

G

Eccl. 3. 27.

Potentiæ animæ hæbetantur. Intellectus.

De perturb. animi.

Poſt hæc ipſas animæ potentias invadit, dire torquet, & diſcruciat intellectum, voluntatem, & memoriam. Intellectus peccatoris primo conſcientiæ ſtimulis cruciatur, & nimiis terroribus, & triſtitiis urgetur. Non ceſſat illa quotidie, immo ſingulis momentis miſerum peccatorem reprehendere, & ad emendationem excitare : *Cur*, inquit ipſe, (ut nunc verba Ephræm interſeram) *te ſobrium ac vigilantem non præbes miſer? An ignoras adveniſſe, & appropinquaſſe diem horribilis judicii, quo cuncta declarantur? Reſurge tanquam potens, dirumpe vincula tua, in te ſolutionis atque ligaminis eſt poteſtas.* Hæc & alia ſimilia peccator ſæpe audiens, nec monitis parens, mirum eſt quantis triſtitiis, & doloribus crucietur. In memoria ſemper retinendus eſt Deus ut Auctor beneficiorum eſt. Ad id Pſaltes Regius ſe hortatur his verbis : *Benedic anima mea Domino & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto ejus : benedic anima mea Domino, & noli oblíviſci omnes retributiones ejus : qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas &c.* Jam impius beneficiorum a Deo acceptorum immemor eſt : *incraſſatus* enim re-

H

Memoria.

Pſal. 102. 1. 2.

Deut. 30. 16.

Scr. forte An. 1607.

calcitrat, impinguatus dilatatus, derelinquit Deum factorem ſuum, & recedit a Deo ſalutari ſuo.

Voluntas.

A

Lib. 8. Confeſ. cap. 5.

Quam duram autem dominationem, ac diram tyrannidem in voluntatem exerceat peccatum, tria illa mala, ac damna indicant, quæ ſublatis gratiæ auxiliis animæ inferri paulo ante diximus. Quae tria S. Auguſtinus ante converſionem in ſe ipſo expertus, his verbis aperit: *Suſpirabam ligatus non ferro aliquo, ſed mea ferrea voluntate; velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido: & dum ſervitur libidini facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas, quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis tenebat me obſtrictum dura ſervitus.* Hæc Auguſtinus.

Vitam perdit peccator.

Aug. Serm. 18. de verb. Dom.

B

Pellec. lib. 4. c. 4. & 7. 8. 11. P. Alvarez.

Amittit quarto per peccatum vitam ſpiritualem. Porro vita ſpiritualis alia eſt gratiæ, alia gloriæ; illa hujus, altera futuræ vitæ: *Illam peccator amittit, dum ſe peccato obligat, gratiamque perdit.* Hanc perdit, quando a cœleſti illa hæreditate, cujus in gratia pignus habuit: pro merito excluditur, vocaturque a Theologis pœna damni, qua impii omni bono carebunt: nam ſeparatos, & avulſos ſe videbunt a Deo, qui omne bonum eſt. Non habebunt vitam, ſed miſere vivendo morientur, quia Deus, quem non habent, vita eſt: nec ſalutem quia Deus, quem non poſſident, ſalus eſt: nec honorem, quia Deus a quo elongantur, honor eſt: nec divitias, quia Deus, quo carent, theſaurus eſt: nec voluptatem, quia Deus cui nuncium remiſerunt, puriſſima delectatio eſt. Expende nunc quoque qualis ſit offenſa in Dei majeſtatem illata, ob quam cauſam, & quam ſine fuco, ac ſine excuſationis colore patrata, & vides his luce clarius in immenſum omnem punitionem ſibi irrogatam ſuperare.

CAPUT X.

De gravitate peccati ex pœnis, quæ corpori accidunt.

Peccatum corpus affligit.

C

Gregor. 34. mor. c. 20.

QUam ſit peccatum letiferum, animæ hominis impii noxium, vidimus: videamus quam ſit idem corpori quoque illius perniciosum. Nullum eſt peccatum quod corpus, ſui ratione, non lædat, & ratione quadam a recto ſtatu dimoveat. *Peccatum ſuperbiæ corpus inflat, vocem, & inceſſum immutat, & partim ridicula, partim lugenda in operibus arrogantis oſtendit. Peccatum avaritiæ corpus extenuat, & ne marſupium evacuet, neceſſariis alimentis, & indumentis privat.* Luxuria corpus exedit atque conficit. Invidia corpus tabefacit. Gula corpus gravat, morbos generat, vitam contrahit, dies dimidiat. Ira corpus accendit, & quaſi furiis exagitat. Acedia oſſa ipſa conſumit.

D

Neque vero hic ſubſiſtit peccati malitia; utpote quæ omnes omnino corporis partes invadit. Caput ad arrogantiam effert; cerebrum vertigine rotat, fronti frontem adimit, genas inverecundas reddit, oculos in fines terræ proiicit, naſum ab odore divinorum unguentorum avertit, aures ad voces Dei obdurat, labia veneno aſpidum inficit, dentes arma, & ſagittas facit, linguam in gladium acuit, humeros reddit ad labores impatientes, manus pigras, pectus indurat, dorſum ad malum incurvat, ventrem Deum facit: lumbos illuſionibus explet, pedes terrenis affectibus gravat, viſcera implet crudelitate, vel amaritudine, jecur concupiſcentia, carnem rebellione, ſanguinem carnificina &c. Ad verticem denique uſque capitis, hominem qua corpore conſtat conſtuprat.

Famam tollit.

1. Reg. 2. 30.

Dæmon peccatoris pater.

E

Deinde ſplendor nominis, & fama peccato obſcuratur ipſa Scriptura teſte: *Quicunque honorificabit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me erunt ignobiles.* An enim ignobilis ille non eſt, cujus memoria in maledictione apud Deum eſt? An non ignobilis: cujus infamiæ fœtor in ipſos cœlos aſcendit, & Spirituum cœleſtium olfactum tetro odore perfundit? At non ignobilis, cujus pater Diabolus eſt; cujus patria ignobilis, fratres dracones, ſorores vermes? An non ignobilis eſt, qui animam habet gratia, & pulchritudine Dei deſtitutam? qui in omni actione ſua a Deo perfide diſceſſit: adverſus eum rebellat: Spiritum Sanctum contriſtat: & Chriſtum non jam triginta argenteis ſicut Judas, ſed minori ſæpe pretio vendit: pro Barabba autorem vitæ commutat, & denuo crucifigit? Magna peccatoris infamia, quæ per omnium ora volitat, & tandem in noviſſimo die in illo orbis theatro miſerrimum peccatorem riſui, & ludibrio univerſorum exponet.

Bonam fortunam diſſipat.

F

Prov. 28. 2.

Externa inſuper fortunæ bona peccatum mortale peſſundat. Exempla in promptu ſunt: mundum totum diluvio abſorpſit: Civitates quinque igne abſumpſit: induratum Ægiptum, auro & argento ſpoliavit: Jebuſæos ac Chananæos regionibus ſuis exuit: infœlicem Jeroſolymam ſolo æquavit. Quot opes & divitias abſumpſerint bella, terræmotus, tempeſtates; ignes grandines, furibundi venti &c. infinitum eſſet enumerare. Horum autem omnium fons & origo extitit peccatum: etſi aliud nihil adferet ad rei propoſitæ confirmationem, extra omnem aleam ſufficit illa diviſio priſcorum regnorum: *Propter peccata enim terræ*, ait ſapiens, *multi principes ejus.* Hinc Deus in cujus ira furoris indignatio, Aſſiyriorum imperium in Sardinapalo, & Romanorum in Tarquinio ob effrænem libidinem exturbavit; Regum Medorum in Abſtiage, ob parricidium; Perſarum in Dario, ob ejus faſtum; Macedonum in Perſio; Judæorum in Herode, propter impias rebelliones evertit. Id omne accidit, quoniam æquitatis lex poſtulat, ut non dominetur in terris, qui ſummo cœli, ac terræ Monarchæ ſubditus eſſe renuit: neque cæteris mortalibus dignitate præcellat, qui per peccatum ſe beſtiis ſimilem facit.

Peccatum morte afficit triplici.

Huc accedit ad extremum graviſſima illa pœna, quæ homini adhuc in terris exiſtenti advenit: nimirum cum Deus peccatorem juſto judicio inſolita, & infœlici morte corporis afficit: dico inſolita, non quod ea naturalis non ſit: ſed quia vel accelerata, & inexpectata; vel certe quia ex advenientibus circumſtantiis, peſſima efficitur.

G

Subitanea.

Job. 21. 13.

Mala nimis eſt mors cita & inexpectata: eam Job indicat, cum de impiis loquens: *In puncto* inquit, hoc eſt ſoſpites & bene valentes *ad inferna deſcendunt.* Onan certe filius Judæ, cum graviſſimum crimen admiſiſſet, Deo ultore ſubito è vita ſublatus eſt: Pindarum Poetam Tobias: Cornelium Balbum Plinius: Speuſippum Platonicum Tertullianus ſimiliter obiiſſe ſcribunt.

Terribilis.

Senſibilis.

H

Job. 10. 21.

Matt. 8. 12.

Apoc. 21. 8.

Pejor vero illa eſt mors, in qua ſi ſurſum impius reſpiciat, imminet illi Deus iratus, diſtringens gladium vindictæ; Si oculos deiiciat nihil videbit, niſi ſepulchrum tetro odore corpori patefactum, & aperta animæ inferorum oſtia: ſi in ſeipſum ingreſſus fuerit, aliud non inveniet, quam infinitam peccatorum multitudinem: ſi circumſpexerit, videbit circumſtantium dæmonum turbam, Leonum inſtar omnia crimina totius vitæ oggerentem. Peſſima tandem omnium mors eſt illa, quando præter pœnam damni; de qua ſuperiori capite, impius inexauſta illa & profunda, tenebriſque & pœnis horribili regia, quoad corpus ſine intermiſſione, dæmonum cruciatibus vexabitur & conficietur. Quos quia nos elingues ſumus, ipſi Angeli Apoſtatæ & animæ reproborum edicant, aut ſi ipſi nolint ſuas pœnas aperire, ſaltem ea, S. Scriptura proclamet: *Ibi eſt terra tenebroſa, & operta mortis caligine. Ibi fletus, & ſtridor dentium. Ibi pars illorum in ſtagno ardenti igne & ſulphure. Ibi cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.* Viſus facies horribiles, fumum & ignem aſpiciet. Auditus

ſcr. forte An. 1607.

tus clamores gemitus in blaſphemias in Deum illatas audiet. Olfactus fetorem teterrimum hauriet. Guſtus fel & omnia amara guſtabit. Tactus ictibus, vulneribus, dilacerationibus, fracturis oſſium, & flammis inextinguibilis ignis ardebit. Senſus interni phantaſmatibus horribilibus deludentur. Manus catenis, pedes compedibus vincientur, omniaque membra in æterno carcere in lectulis ferreis, & igneis cruciabuntur. Præclare D. Gregorius de hac morte: *Fit miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, quia & mors vivit, & ſine fine incipit. &c.* Hæ ſunt pœnæ, quæ miſeros peccatores, tum in hac, tum in ſequenti vita, ni reſipiſcant, manent, quæ quantumvis graves videantur, ex iis tamen non poteſt humanæ intelligentiæ imbecillitas malitiam peccati deprehendere, quam ſi comprehendiſſet pœnas multo majores peccatoribus deſtinatas, comparatione delictorum leviſſimas, ac minimas judicaſſet.

A

Lib. 9. mor. cap. 48.

Pellec. lib. 4. c. 14. 15. 16. 17. 18. &c.

CAPUT XI.

De cognoſcenda gravitate Peccati ex aſperis, & acribus ejus remediis.

HActenus ex ipſa peccati natura gravitatem ejus collegimus: nunc ex remediis, quæ ad tollendum illud neceſſario requiruntur eamdem indagemus.

B

Peccatum elementa exolvere nequiverunt.

Nec homo.

Peccatum mortiferum, quod mundo interitum attulit, nec ignis, qui omnia conſumit, nec aer, qui omnia corrumpit; nec quæ abſumit aqua, nec terra, quæ omnia in putredinem redigit, conſumere corrumpere, abſumere & in putredinem redigere potuit. Homo deinde ipſe, neque naturæ fortitudine, neque intellectus ſublimitate, ingenii acie, & profunditate ſcientiæ, poteſtate voluntatis & dominio libertatis, è ſordium ſuarum volutabro exſurgere, & e Dædalæis labyrinthis implicitus exire potuit. Ex luto fæcis emergere voluit, ſed non valuit: *Vulnus & livor, & plaga tumens non eſt circumligata, nec fota oleo, nec curata medicamine*. Præteriit Sacerdos, nihil ei profuit; Levita eum prætermiſit injurius: quid enim ageret? nec lex, nec Prophetæ mortuum excitare potuerunt ac ſanare. Sed neque Angelus ullave creatura alia, quam Deus in infinitum perfectiorem ſemper condere poteſt, facere potuit, graviſſimumque peccati mortalis jugum, molamque aſinariam è cervice peccatoris excutere. Ex quibus omnibus eluceſcit gravitas peccati lethiferi, quæ multo minor foret, ſi homo vel creatura alia ejus remedium, ex ſe habere potuiſſet.

Iſai. 1. 6.

C

Solus Deus tollere potuit.

Jam ut malum peccati, quo ſe homo impie nefarieque aſtrinxit juſte, & quemadmodum Dei offenſa, & voluntas ejus poſtulabat, tolleretur, Deus homo fieri, medicinamque morbo peccati facere debuit. Actiones enim Chriſti, & obſequia Deo Patri exhibita infinitam dignitatem habuerunt, tum ex parte objecti, cum fuerint exhibita ex ſumma charitate in Deum; tum ex parte perſonæ offerentis, cum hæc fuerit infinita.

Porro in hac humani generis neceſſaria redemptione ipſius culpæ gravitatem, & ſatisfactionis integralis neceſſitatem præclare oſtendere voluit; Illam quidem, quia ſi non fuiſſet, nunquam ad nos venire, aut pati opus habuiſſet, quod paſſim divinæ litteræ ſignificant, S. Lucas his verbis: *Venit Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat*: & Chriſtus Dominus apud S. Joannem: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantibus habeant*. Quibus accinunt Sancti & Orthodoxi PP. S. Ambroſius: *Quæ erat cauſa*, rogat, *incarnationis niſi ut caro, quæ peccaverat, per ſe redimeretur?* Et D. Auguſtinus: *Si homo*, ait, *non periiſſet, Filius hominis non veniſſet*. Plus etiam aliquid videtur Deus propter nos feciſſe, ſi ad remedium peccati, ita Filium ſuum miſit in mundum, ut niſi ob eam cauſam, miſſurus alias non fuiſſet.

D

Cap. 19. 10.

Cap. 10. 10.

Lib. 1. de pecc. mort. & remiſſ. c. 26.

Serm. 8 de verb. Apoſt.

Neceſſitatem veroſatisfactionis perfectæ oſtendit, quod omnes omnino actiones, & paſſiones, quas in vita ſuſcepit in hominis dumtaxat ſalutem ordinavit. Unde ingrediens in mundum orationem illam Pſalmi, teſte & interprete Apoſtolo, uſurpavit: *Oblationem & hoſtiam noluiſti, corpus autem tuum aptaſti mihi; holocauſtomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam Deus voluntatem tuam*: quibus verbis indicare videtur, jam inde ab ingreſſu ſuo in orbem cœpiſſe Chriſtum exequi voluntatem ſui Patris, atque adeo eum tunc ad mortem in cruce ſubſtinendam ſeſe obtuliſſe. Idem regius vates alibi indicat. *Pauper ſum ego & in laboribus a juventute mea*. Horum laborum & paſſionum jam morti vicinus meminit in oratione ſua ad patrem, cum ait; *Opus conſummavi quod dediſti mihi ut facerem*; vere enim tunc paulo poſt conſumavit quando; Apoſtolo teſte: *Delevit chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & affixit illud Cruci.*

Heb. 10.

Pſal. 39.

E

Pſ. 87. 16.

Joan. 2. 14.

Coloſ. 2.14.

Homo cooperare debet ad remiſſionem peccatorum.

Sed omnino neceſſarium etiam eſt, ut homo ſive infans, ſive adultus ille ſit, applicet ſibi merita Chriſti, deque ſuo etiam ad reconciliationem conferat, tanquam cauſa efficiens, minus tamen principalis, ſecunda, & a Deo, prima & principali cauſa dependens cooperationem nempe ſuam ut gratiam & ſalutem ſempiternam conſequatur, alias terminos longius, quam par eſt profectus, damno ſuo æterno miſere ruet. Id colligitur ex verbis Scripturæ; ipſa namque veritas dicit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu non poteſt introire in regnum Dei*. Et: *Niſi pœnitentiam habueritis ſimul peribitis;* Qualem pœnitentiam? quæ contritione intenſa, confeſſione perfecta, & digna ſatisfactione perficitur: Odiſſe enim debet impius & deteſtari valde peccatum a ſe admiſſum, cum propoſito firmo melius, & rectius de cætero vitam ſuam inſtituendi: cui accedit poſtea accuſatio propriorum peccatorum legitimo Sacerdoti eo fine facta, ut pœnitens vi, & efficacia poteſtatis illius claviumque Eccleſiæ veniam remiſſionemque illorum obtineat. Et quia ut plurimum remiſſa culpa: pœna ſupereſt aliqua temporalis divinitus conſtituta & decreta, neceſſe eſt, ut & illa, aut in hac vita operibus ſatisfactoriis, utpote jejunio, oratione eleemoſyna &c. aut in ſequenti igne purgatorii aboleatur. Nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cœlorum. Ex his omnibus colligitur peccati mortalis gravitas quæ homini tam gravia, & ſenſui, carnique tam moleſta imponit.

F

Joan. 3. 25.

Luc. 13. 35.

G

Pellec. lib. 5. c. 1. 3. 6. 7. 8. 10. & ſeqq.

SECTIO SECUNDA.

De Contritione.

CAPUT I.

Quod initium Contritionis ſit a Deo & propriæ imbecillitatis cognitione.

PEccati deteſtatio in homine, a cognitione propriæ imbecillitatis incipiat neceſſe eſt, qua ſcilicet mens in recta, & certa fide fundata, cognoſcat peccati delectionem, & impii juſtificationem, opus Dei eſſe, hominis conatum non excludentis immo depoſcentis omnino, & ab illo atque ejus gratia initia totius operis hujus dimanare. Juſtificationem enim opus Dei eſſe utriuſque Teſtamenti paginæ aperte proclamant. David enim ait: *Deus virtutum converte nos*, quia nos animas noſtras convertere non valemus: *Oſtende faciem tuam*, ac benignitatem tuam in noſtram exiguitatem exerce, *& ſalvi erimus*. Et Jeremias *Converte me Domine, & convertar*, & a te hoc opus meæ liberationis incipiat, *quia tu es Dominus Deus meus. Poſtquam enim convertiſti me, egi penitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi percuſſi femur meum: confuſus ſum, & eru-*

H

Pſal. 79.

Pſal. 16.

Cap. 10. 13.

Scr. forte An. 1607.

bui, quoniam ſubſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ.

Totum hoc attribuit Propheta Deo ut intelligas: ſi tua agnoſcas peccata; ſi paſſiones rebelles domes, ſi doleas, ac de tuis peccatis erubeſcas; ſi teipſum propter ea caſtiges, ſi faciem tuam ad Dominum convertas, cui antea verteras terga: A id totum te facere, eo quod ipſe te gratia ſua præveniat, vocet adjuvetque, ut ea exequi valeas. Dominus ipſe quoque per Joannem ait: *Nemo poteſt venire ad me*, greſſibus nimirum animæ ac mentis affectibus, *niſi pater qui miſit me, ſua gratia traxerit eum.*

Joan. 6. 44.

Sed quanam ratione poterit homo ſibi ſuam converſionem arrogare? Quis potens eſt inſolubilibus vinculis peccatorum conſtrictum diſſolvere niſi ille qui ſolvit compeditos? Quis ab oculis animæ caliginem iniquitatis avertere, niſi ille, qui illuminat cœcos? Quis membra confracta, & vires dilaceratas integras reddere, niſi ille, qui erigit eliſos? Quis peccatores aquis impietatis immerſos educere, ut diligat eos, niſi ille qui diligit juſtos? Profecto non tanto vitæ ſanctitas, & gloriæ merces donum Dei eſt, ſed etiam prima converſio tanquam donum magnum, & initium actionum anima ab ejus liberalitate, & miſericordia recipit.

Non tamen juſtificatio hominis ita eſt opus B Dei, ut noſtrum laborem, & cooperationem excludat immo illam omnino gratiam ſequentem & ei cooperantem efflagitat. Id quidem ſonant Sacrarum Litterarum verba, quæ a nobis converſionem, & reditum ad Dominum exigunt; qualia ſunt illa Ezechielis: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris.* Et illa quibus eum adjutorem noſtrum vocamus, & in adjutorium interpellamus: *Domine*, inquit David, *adjutor meus, ne derelinquas me, neque deſpicias me.*

Ezech. 18. 30.

Pſal. 15.

Corollaria.

Ex dictis duo ſcitu valde neceſſaria nobis colligenda ſunt. Alterum eſt, peccatorem debere magno fervore ad Deum recurrere, eumque precibus, & gemitibus exorare, ut ipſum jacentem in cœno peccati erigat, ad ſe trahat, actibus ſupernaturalibus moveat, & a vinculis iniquitatis per gratiam gratum facientem expediat. Ab eo enim donum petendum eſt, in cujus poteſtate poſitum eſt illud donare. Juſtificationis autem beneficium, Deo miſericorditer donante, conceditur, unde æquum eſt, ut ab ipſo poſtuletur. Alterum C eſt, ut peccator hanc orationem fundens, divinam gratiam nulli deficientem ſequatur, eique ſe diligentem comitem præbeat; & actibus ad converſionem ſuam neceſſariis ſedulo præſtandis inſiſtat: Et ſicut Judas Machabæus primo cum ſuis clamavit in cœlum, ut Dominus eorum miſeretur, & ſtatim cum hoſtibus Iſraelis animoſe pugnavit, & favente Deo illos evicit, ita homo prius clamet ad Dominum adverſus peccata, ejus gratiam, & auxilium expoſcens, & ſtatim timore, & ſpe deteſtatione, & amore, confeſſione, & ſatisfactione debita, fuga occaſionum, & dignis actibus pœnitentiæ adverſus peccata pugnet, & ſine dubio victor exiſtet.

1. *Mach.* 4. 10.

P *Alv. lib.* 1. *bap. par.* 1. *cap.* 5.

CAPUT II.

De Timore, & Spe.

D TRia conſtat diſponere ad contritionem, & perfectam peccatorum deteſtationem. Fidem, Timorem, & Spem. De Fide, quæ in propriæ imbecillitatis, & divinæ gratiæ prævenientis cognitione, ut plurimum perficitur, præcedenti capite egimus. Sequitur Timor & Spes.

Timor

Qui ergo ſalvari vult & a peccato liberari, a caſto timore Domini bellum iſtud incipiat. Nam timor efficaciſſime facit peccata deſerere, & ea quæ delectabant abiicere: quod S. Job aperte fatetur, dicens: *Semper quaſi fumentes fluctus ſuper me timui Dominum, & pondus ejus ferre non potui.* Ac ſi diceret, hic timor & pavor Dei fecit me ab amore illicito fugere, & ab injuria, puſillorum temperare.

Job. 31. 33.

Timor duplex. Servilis.

Cum autem timor Dei duplex a Patribus diſtinguatur, alter ſervilis, alter filialis, & quilibet eorum in duos alios dividatur: nam eſt ſervilis timor, qui timet propter pœnam incurſam, E & ſervilis timor, qui timet propter gloriam amiſſam: & eſt filialis timor qui metuit propter paratam pœnam, non ſine reſpectu ad pœnam, qui dicitur initialis; & alius qui tantum metuit propter offenſam, & culpam in Deum ſummum bonum admiſſam: peccator in his timoribus ordinate ſe exerceat, & ex primo per medium ad poſtremum ac perfectum perveniat. Timeat itaque Deum principio propter incomparabilem pœnam, qua peccando ſe dignum & debitorem fecit. Deinde timeat peccator propter inæſtimabilia bona gratiæ, & gloriæ, quæ Deum offendens abjecit. Excitans itaque ſeipſum peccator ad concipiendum utrumque timorem pœnæ, quam meritus eſt, & gratiæ quam amiſit ſtatuendo ob oculos una ex parte ipſam peccati malitiam, pœnas maximas in peccatores irrogatas, mortis certitudinem, divini judicii rigorem ad rectitudinem; inferni & pœnarum ejus æternitatem. Altera ex parte pretioſum illud gratiæ donum virtutis merita, glorioſam Dei viſionem, animæ & corporis gloriam F SS. Angelorum, & omnium Sanctorum dulciſſimum conſortium, quæ omnia peccando amiſit.

Timor ſervilis.

Timor filialis initialis.

Timeat poſtea peccator altiori modo timore initiali non tantum propter incurſam pœnam, & gloriam amiſſam, ſed etiam propter offenſam, & culpam, quam in Deum ſuum conditorem admiſit. Hoc autem habet initialis timor, ut D. Thomas ait, quod ſimul pœnam & culpam metuit, & propter utrumque a peccato recedit. Quo timore pulſatus videtur ille prodigus Filius cum in domum patris redire decrevit: *Quanti*, inquit, *mercenarii in domo Patris mei abundant panibus*, ecce bona quæ amiſit, *ego autem hic fame pereo*, ecce mala, quæ incurrit: *ſurgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cœlum, & coram te*, ecce reſpectam culpam, qua diſcedendo a Domo paterna ſuum genitorem offendit.

2. 2. *queſt.* 10. *art.* 10.

Luce. 15. 17. 18. 19.

Timor filialis perfectus.

Denique enitatur peccator timere Deum timore perfectiſſimo, ſcilicet timore filiali, quem tamen non niſi poſt adeptam charitatem conſequetur. Eſt autem timor filialis, quo quis a pecca- G to diſcedit, non propter pœnam ſimul & culpam, ſed propter Dei reverentiam & bonitatem, cui vult per omnia placere, & ne deſciſcat a poſſeſſione veri boni, & decore virtutis. Hunc excitabit homo, ſi conſideret malitiam peccati per ſeipſam odibilem, & deteſtabilem, pulchritudinem virtutis per ſe amabilem, bonitatem Dei, ac ejus infinitas perfectiones, propter quas eſt omni obedientia, & obſequio digniſſimus, & immenſa beneficia in hominem collata, & innumera dona, quibus quotidie prævenit nos. Hic eſt *timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi*: quem perfecta charitas non eiicit, ſed ut inſeparabilem effectum ac cariſſimum filium, promovet, nutrit, atque conſummat. Hic inquam timor quærendus eſt, quoniam non tantum conſenſum in malum tollet, ſed & ſenſim atque paulatim ſenſum ipſum mali diminuet, & nos in maxima tranquillitate conſtituet. Timor iſte poſtremus ſanctus, & caſtus ſecum affert alacrem, & ſalutarem ſpem. H Quid enim non ſperet a Patre filius? Quid non confidat in illo, erga quem homo affectum amoris induit, & cujus vel minimam diſplicentiam exhorret? At dum aliquis ſervili timore pulſatur, debet ſe ad ſpem veniæ conſequendæ diligenter excitare, ne malis ſuis abſorptus, & preſſus, vitio deſperationis obruatur. Cogitet igitur magna eſſe ſua peccata, ſed Dei miſericordiam eſſe majorem, & ita majorem, ut univerſa hominum peccata divinæ miſericordiæ comparata, inſtar puncti,

Pſal. 18.

Spes.

aut

Scr. forte An. 1607.

aut momenti ſtateræ videantur. Cogitet, Deum magnis peccatoribus peperciſſe, nullique quantumvis abominabili veniam petenti indulgentiam, & miſericordiam denegaſſe. Cogitet maxime ad Dei gloriam pertinere, quam ipſe, ut decet, in omnibus ſuis operibus promovere curat, ſi peccatoribus parcat, ſi miſerorum miſereatur, ſi confitentibus delicta ſua, ea benigne remittat. Cogitet peccatorum remiſſionem fructum eſſe paſſionis Chriſti; quam Pater æternus non eſſe fructu vacuam, ſed omnibus ſe diſponentibus, & gratiæ cooperantibus proficuam valde cupit juxta illud Ezechielis: *Nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat.*

A

Ezech. 33. 11.

P. Alv. l. 1. §. 1. & 2.

CAPUT III.

De dolore, & pudore peccatorum.

UT homo pœnitens peccatorum ſuorum veniam a Deo obtineat, ejuſque adeo gratiam conſequatur, timore cordis tactus intrinſecus, dolere debet primo ſe Deum offendiſſe, ſive dolor ille ex metu ſolo gehennæ; aut malo alio conjuncto, ſive ex puro ſummoque Dei amore concipiatur, imperfectuſque adeo, vel perfectus exiſtat. Hic enim peccatum mortale, quod in anima ad inſtar plagæ tumentis, & ſanie exuberantis eſt, ceu mucro pungere, vel compungere debet. Idem cor peccatoris, quod durum & ſaxeum eſt frangere, immo in minutiſſimas partes comminuere debet, quo homini impio deſiderium omne peccandi, & Satanæ quoque ſpes omnis partes ad invicem componendi præcidatur. Ratione prioris dolor, compunctio; ratione poſterioris contritio dici ſolet. Illud his verbis indicatur: *In cubilibus veſtris compungimini:* Hoc his aliis: *Cor contritum & humiliatum Deus ne deſpicies.* Ad poſteriorem dolorem qui a Dei amore, & charitate perfecta procedit, omnes eniti deberent; perfecte enim ille animam Deo ſubiicit, humilemque reddit, iniquam pacem cum diabolo initam rumpit, veterem hominem exuit, novum induit, divinæque voluntati hominem ſubdit. Quantus vero ille, quamque magnus eſſe debeat, quis explicabit ſufficienter? Forte Propheta cum ſic ſcribit: *Filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere cinere, tactum unigeniti fac tibi planctum amarum.* Peccatum mortale animam unicam: plus dico, Chriſtum ipſum occidit, an non dolor ſuper dolorem eſſe debet? An dolor ſpiritualia viſcera rumpere non debet? Sit itaque dolor animæ peccatricis dolor magnus, ſit dolor eximius, non deſperatione proſtratus, ſed ſpe firmiſſima gratiæ, & reſurrectionis erectus. Ex iſto dolore caſtus emanat pudor, quo anima ſuorum peccatorum fœditatem advertens, non audet oculos ad cœlum levare, ſed infimo loco jacens, & ſub pedibus omnium ſe conſtituens cum illo humili publicano pectus ſuum percutit, dicens: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Quo affectu Petrus fortaſſis tangebatur, cum Chriſti majeſtatem, & potentiam ſentiens, cujus præſentia ſe cognoſcebat indignum, ita clamabat: *Exi a me quia homo peccator ſum Domine.* Erubeſcebat namque ab illo videri, cujus oculos puriſſimos interiora hominis cernere reputabat. Hujuſmodi animam necdum a peccatorum fœce mundatam, S. Bernardus ad caſtum pudorem in hunc modum invitat: *Non temere aſſurgat ad os ſereniſſimi Sponſi, ſed ad pedes ſeveriſſimi Domini mecum pavida jaceat, & cum publicano, terram tremens, non cœlum, aſpiciat; Ne confuſa in luminaribus cœli facies aſſueta tenebris opprimatur a gloria, atque inſolitis reverberata ſplendoribus majeſtatis, denſioris rurſum cæcitatis caligine obvolvatur.* Nec ſolum coram Domino, ſed & coram Angelis, & Sanctis peccatrix anima pudore, & rubore ſuffunditur. Nam & ille, qui in civitate ſua, magna ignominia eſt affectus, & veſtibus deſignantibus infamiam indutus, ſolet vultus concivium declinare, & coram illis erubeſcere: quid faciet anima, quæ peccati ſaccum induit, & pretioſiſſimam gratiæ veſtem amiſit? Quid faciet ad nuptias invitata, nuptiali veſte carens, & ſe luctuoſis veſtibus amictam aſpiciens?

Doloris efficaciam.

B

Pſal. 4. 5.

Pſ. 50. 19.

Contritio.

Hier. 6. 26.

C

Pudor.

Lucæ 18. 13.

Lucæ 5. 8.

Serm. 3. *in Cant.*

D

Pellec. lib. 5. *c.* 6. & *P. Alvar. lib.* 1. *c.* 6. §. 3. *col.* 49.

E

CAPUT IV.

De Propoſito Emendationis.

UT hic peccatorum dolor verus ſit ac perfectus, continere debet efficacia aliqua propoſita, quæ in eo fundantur, quod Contritio ſit odium quoddam, ac deteſtatio generalis peccatorum omnium, lethalium præteritorum, præſentium, ac futurorum, nullo omnino excepto, licet enim præcipue reſpiciat jam admiſſa, ut ea deſtruat univerſim, tamen omnia deteſtatur: Unde qui unius læthalis criminis contritionem habet, dolet virtualiter de omnibus ſimul: nam in illo invenitur ratio & cauſa omnia deteſtandi. Hinc deducitur veram Contritionem, ſicut Concilium Tridentinum teſtatur in ſeipſa includere efficax propoſitum amplius non peccandi mortaliter. Vera enim pœnitentia, ut S. Gregorius ait, eſt *præterita mala plangere:* & firmiter ſtatuere: *plangenda iterum non committere.* Quod propoſitum impoſterum abſtinendi, ſi abſit: manifeſtum eſt ſignum, non eſſe verum præteritorum odium. Quare ſi defleas & confitearis tuas culpas: habeas vero animum ad eaſdem redeundi, fruſtra laboras, teque humilias: nam etſi in ſpeciem videaris lavari, maculatus tamen manes: ſi ea mente ad Sacramentum tentes accedere. Illuſor ait S. Iſidorus, & non pœnitens cenſendus eſt, qui id facit aut facere cogitat, cujus dolorem præſefert. Id quod adeo verum eſt, ut neque ipſa venialia peccata remittantur, quandiu non adeſt firmum propoſitum ab eis abſtinendi: Propter eamdem cauſam vera contritio non patitur ſecum, vel unicum inordinatum affectum ad aliquod peccatum lethale, etſi reliqua omnia deteſtetur: Nam qui in corde ſuo dat locum, fovetque aliquem Dei hoſtem, manifeſtum eſt ſignum, quod nec reliqua propterea deteſtetur, quod adverſentur Deo, ſed ob humanos alios reſpectus: & quamvis ut dixit David: *mentita ſit iniquitas ſibi:* Deum tamen ipſius fictionem videntem non poteſt decipere. Aliud quoque firmum propoſitum eſt neceſſarium, removendi ſcilicet ſtatim proximas omnes occaſiones, ac pericula in eadem peccata relabendi. Nam ut Sapiens ait: *Qui amat periculum in illo peribit: & qui tetigerit picem inquinabitur ab ea:* Signum eſt enim eum vere non optare mundus eſſe, qui non ſtatuit a tangenda pice abſtinere. Et in eum ſenſum dixit Chriſtus Dominus noſter: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum: & ſi manus tua vel pes ſcandalizat te abſcinde, & proiice abs te,* deſerendo ſcilicet ſocietatem & contubernium cujuſvis perſonæ, ſive majoris, ſive minoris, aut æqualis, qui te inducit, aut occaſioni tibi eſt mortifere peccandi. Quod ſi reipſa non poſſis talem ſocietatem deſerere; neceſſe ſaltem eſt, firmiter ſtatuere, eam deſerere evellendo ex corde tuo pravam, quæ te ſcandalizat affectionem. Ad eum modum quod Dixit: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ:* non reipſa, ſed efficaci, firmoque animi propoſito quod ob ſuam firmitatem cum ipſo opere æquiparabatur, ſuo tempore executioni mandando. Adeo vero certum, ac reſolutum propoſitum eſſe debet, ut Confeſſario tuo dicas, quod Zachæus Chriſto Domino noſtro. *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudavi reddo quadruplum,* non dixit *dabo*, & *reddam*. Sed *do* & *reddo*, quia id facere adeo firmiter ſtatuebat, ut factum reputaret. Denique firmiſſimum etiam propoſitum adeſſe debet vitam tuam emendandi,

Propoſitum

Seſſ. 14. *c.* 14.

Hom. 33. *in Evang.*

F

Lib. de S. Bon. c. 16.

Pſ. 26. 12.

G

Eccl. 3. 27.

Matt. 18. 9.

Pſal. 100. 8.

H

Lucæ 19.

&

Scr. forte An. 1607. & omnia præcepta legis divinæ, Eccleſiæ, & quæ ſtatus tui ſunt propria cuſtodiendi, nullo prætermiſſo, quod gravis culpæ te reum conſtituent: etſi hoc nomine quemvis laborem, & incommodum temporale ſubiturus eſſes. Et quamvis opus non ſit hujuſmodi comparationes facere: & nec opus exprimere, verbi gratia etiamſi afficiar ignominia, aut fortunæ bonis ſpolier, aut vitam ammittam, A ut Martyres: tale peccatum non admittam. Expedit tamen expreſſe dicere: quamvis iterum occurrat mihi occaſio, & tentatio, quæ nuper me ſuperavit, non patiar me iterum ſuperari. Nota tamen, poſſe hæc duo ſimul ſtare, ut aliquid firmiter apud te conſtituas innixus divinæ gratiæ: ſed in executione deficias ob tuam debilitatem: Pon Tract 3. c. 3. §. 1. hoc enim non facit quo minus propoſita ſint vera, & ſufficientia &c.

CAPUT V.

Motiva nonnulla ad perfectam contritionem eliciendam.

SUpereſt doloris peccatorum motiva indicare. Nam licet is dolor ſit donum Dei, procurandus tamen eſt nobis aliquibus conſiderationibus ad eum impetrandum efficacibus, ne nobis obiiciat B Deus, quod dixit per Jeremiam: Jer. 8. 6. *Nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: quid feci?* Ingredere igitur intra teipſum, ſi vis ad perfectam tuorum peccatorum contritionem impelli: revoca ea in memoriam, & ut magis erubeſcas, dicas tibi ipſi: Quid feci cum peccavi? Egone ille qui tanta mala feci, tanta damna promerui? Motiva. Quid contra Deum creatorem, & benefactorem feci? Quid contra meum redemptorem? Quid contra ſanctos proximos, & meipſum? Et incipiens a primo dic tibi ipſi: Quid ego feci contra meum Creatorem, qui tanta pro me fecit? ipſe me ex nihilo creavit, & ego ipſum pro nihilo offendi: ipſe me ad imaginem ſuam, & ſimilitudinem fecit, ego imaginem illam delevi, ac dæmonis ſimilitudinem indui; ipſe mihi potentias, & ſenſus largitus eſt, ut ei ſervirem, & eiſdem abuſus ſum, ut eum offenderem: ſed quid contra meum Redemptorem, qui tanta perpeſſus eſt in mei gratiam? Quid mea gulæ intemperantia feci, C niſi Redemptori meo fel & acetum iterum propinare? Quid mea ſuperbia feci, niſi ejuſdem caput ſpinis iterum pungere? Qu d proprio mei amore, niſi lancea latus ejus aperire? Quid furtis & concupiſcentiis meis, niſi dorſum ejus flagellis lacerare? Quid pravis meis deſideriis, & actionibus, niſi pedes & manus ejus clavis transfigere, meiſ- Vide lib. 100. c. 5. 6. que peccatis iterum crucifigere Filium Dei? Quid contra Sanctos in cœlis, ſeu proximos in terris? Beatam Virginem, Angelos pacis, Sanctos denique omnes ad planctum provocavi, Matrem meam Eccleſiam contriſtavi; juſtos fratres meos afflixi, & quod in me fuit creaturas feci proditrices, dum eis ſum uſus contra communem creatorem. Quomodo autem exprimere ſciam, quid contra meipſum fecerim? animam enim meam culpa occidi, gratiaque & charitate expoliavi: Dei amicitiam perdidi, & cœleſtem hæreditatem; feci meipſum diaboli mancipium, & in perpetuum inferni carcerem me conjeci: quis majori me odio habuit, quam ipſemet oderim! O me miſerum quid feci? Quomodo Creatorem meum, & Redemptorem D placabo? Quid faciam, ut amiſſa recuperem & proximis, quod male illis abſtuli reddam? Scio quid faciam, ibo cum Maria Magdalena ad pedes Jeſu Chriſti Domini mei, ac miniſtri ejus omnes meas culpas cum dolore aperiam: confido quod Vide lib. 100. c. 7. 8. gratia ſua dignabitur diſſolvere totum, quod mea culpa contraxi. S Bernardus ad pudorem Sanctum ſuo exemplo nos peccatores excitans: *Quanam* Serm. 16. in Cant. *fronte ait attollo oculos ad vultum Patris*, tam boni tam malus filius? Pudet tanto Patri vixiſſe Pſal. 118. degenerem. *Exitus aquarum deducite oculi mei: operiat confuſio faciem meam. Deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.* Pſal. 68. Proh pudor! quem fructum habui, in quibus nunc erubeſco. Caduca, vana & prope nulla, & quorum finis mors eſt, infelix & inſanus præferre non erubui æterni Patris amori, & honori! Confundor confundor audire: *Si ego Pater ubi eſt honor meus?* Malach. 3. 6. Sed etſi Pater non eſſet, obrueret me beneficiis: pudet ingratitudinis: E etſi ad confuſionis cumulum arguar etiam, *reddidiſſe mala pro bonis, & odium pro dilectione.* Pſ. 108. 5. Eſto quod diſſimulet, pater ignoſcat beneficus: Sed non Dominus, & creator. Et qui non parcit filio, non parcet figmento, non parcet ſervo nequam: penſa cujus ſit formidinis & horroris tuum atque omnium contemſiſſe factorem, offendiſſe Dominum majeſtatis. Majeſtatis eſt timeri, & maxime hujus majeſtatis, hujuſque Domini. Nam ſi reum regiæ majeſtatis quamvis humanæ, humanis legibus plecti capite ſancitum ſit, quis finis contemnentium divinam omnipotentiam erit? *Tangit montes, & fumigant:* & tam tremendam majeſtatem audet irritare vilis pulviſculus, uni levi flatu mox diſpergendus, & minime recolligendus? Ille *timendus eſt qui poſtquam occiderit corpus*, poteſtatem habet *mittere in gehennam.* Lucæ 12. 5. Paveo gehennam, paveo judicis vultum ipſis quoque tremendum Angelicis poteſtatibus. F Contremiſco ab ira potentis, a facie furoris ejus a frigore ruentis mundi, a conflagratione elementorum, à tempeſtate valida, a voce Archangeli, & a verbo aſpero. Contremiſco a dentibus beſtiæ infernalis, à ventre inferni, à rugientibus præparatis ad eſcam. Horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum & vaporem, & ſulphur, & ſpiritum procellarum. Horreo tenebras exteriores. *Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrimarum*, ut præveniam fletibus fletum, & ſtridorem dentium, & manuum pedumque dura vincula: & pondus catenarum prementium, ſtringentium, urentium, & conſumentium. Heu me mater mea, ut quid genuiſti filium doloris, filium amaritudinis, indignationis, Pont. §. 2. Tract. 3. c. 3. & plorationis æternæ: *Cur exceptus genibus cur lactatus uberibus*, natus in combuſtionem, & cibus ignis. Hucuſque S. Bernardus.

CAPUT VI.

De efficacia & fructibus bonæ Contritionis.

G

Contritio peccatum tollit. QUoniam in hoc adeo generoſo actu velut in ſuo ſemine, pœnitentiæ Sacramentum continetur, ſtatim abſque ulla mora Deus peccata remittit, gratiæque & charitatis vitam reſtituit, ſicut ſtatim atque David dolore cordis tactus Natham Prophetæ reſpondiſſet: *Peccavi Domine*, è 2. Reg. 12. 13. veſtigio Nathan reſpondit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Dolor enim Davidis fuit perfectiſſimus: nec tam ob horrendas minas, quas Propheta Dei nomine propoſuerat, conceptus; quam quod agnoſceret peccaſſe ſe contra Dominum, à quo tot acceperat beneficia. Eſt vero is liberalis adeo & miſericors, ut ſatis ſibi eſſe reputet, ſi adſit efficax certaque voluntas implendi confeſſionis præceptum. Ideoque prius peccatum dimittit quam reipſa confeſſio peragatur: ut ipſe Propheta dixit: Pſal. 31. 5. *Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Quod confirmatur ex eo, quod jubente Chriſto Domino noſtro; Lucæ 17. 14 *decem leproſos ire, & oſtendere ſe Sacerdotibus, dum irent mundati ſunt.* H Ex quo intelligitur culpæ lepram abſtergi ab habente ejus contritionem, antequam eamdem Sacerdoti manifeſtet; modo ſit animus, firmumque propoſitum eam manifeſtandi. Quod ſtatuit Salvator noſter, ut nos magis urgeret, ad non hærendum in ſtatu peccati: cum vel unico actu interno, qui in momento fieri poteſt, liceat remedium obtinere: & ut ſtudium in præparando nos ad confeſſionem poſitum: utpote in

Scr. forte An. 1607.

Dei gratiam, & cum merito æternæ vitæ utilius & efficacius eſſe poſſit: Item ut ipſum confeſſionis ſacramentum majori cum diſpoſitione ſuſcipiatur: ac proinde copioſiorem conferat gratiam, certum enim eſt, multo majorem gratiam illi conferre, qui vere contritus accedit, quam ſi ſolum attritus: & quo dolor fuit intenſior, eo copioſiorem conferre gratiam: ac denique quod confeſſario deficiente, non deficit pœnitenti remedium, nec periclitatur ob talem defectum moriendi in ſtatu peccati.

A

Extenuat pœnas.

Aufert contritio non ſolum peccatum, ſed etiam omnia, quæ ſequuntur peccatum, vel tollit omnino, vel pro menſura ſuæ perfectionis extenuat. Peccatum enim remiſſa culpa, relinquit non exigua pœnarum debita, quæ homo aut in hac vita, aut in futura eſt exoluturus. Unde David in gratiam admiſſus, filii ex adulterio nati immatura morte punitur, & ab hoc debito lachrymarum aſſiduitate mundatur.

Peccati effectus.

Peccatum etiam relinquit propenſionem ad malum, difficultatem ad bonum, ex prætenſa vita triſtitiam, ex apprehenſione offenſæ in Deum admiſſæ timorem, & denique erubeſcentiam quamdam, qua homo necdum audet fiducialiter ad Deum omnis boni autorem appropinquare. Univerſa hæc peccatorum contritione tolluntur, quæ juxta fervorem ſuum, aut durationem pro pœna ſatisfacit, propenſionem ad malum minuit, boni difficultatem tollit, & ipſo dolore, ac lachrymis mentem exhilarat, & tandem fontem miſericordiæ aperit, ex qua homo ſpem indulgentiæ bibens concipit auſum accedendi, & dona ac beneficia poſtulandi.

B

Encomia, & effectus contritionis.

Comupunctio igitur ex amore concepta, lima eſt, quæ rubiginem iniquitatis abradit, gladidolus qui lituram impietatis expungit, lixivium, quod ſordes delictorum abſtergit. Compunctio emundavit Mariam, quæ pedes Domini lachrymis rigans, & contritionis affectu complectens, peccata depoſuit, induit ſanctitatem. Denique audit: Remittuntur tibi peccata tua. Ibi Ætiopiſſa mundavit pellem ſuam, & Pardalis varietates ſuas, & candorem gratiæ, ac Sponſæ ſplendorem, quæſivit. Ibi alii Sancti, qui ante adventum ſanctitatis peccatores fuerunt, flendo & deteſtando peccata ſuas animas emundarunt. Compunctio eſt plaga intimo mentis inflicta, quæ illam, o res admirabilis! percutiendo ſanat, & occidendo vivificat. De qua inquit Salomon. *Livor vulneris abſtergit mala, & plagæ in ſecretioribus ventris*. Percutit ſane quia delicta commiſſa punit, & dolore atque pudore caſtigat, ſed percutiendo ſanat, quoniam peccatorum morbos eliminat. Corrumpit illa peccatum, & ut ultra non appareat, omnino conſumit, ſed animæ a morte peccati liberatæ, vitam gratiæ, & divinæ amicitiæ reſtituit. *Per livorem vulneris, inquit Gregorius, diſciplinam inſinuat corporea percuſſionis. Plagæ vero in ſecretioribus ventris, ſunt interna mentis vulnera, quæ per compunctionem fiunt*.

*Prov.*20.30.

C

Lib. 23. *Mor. c.* 13. *Pont. Tr.* 3. *cap.* 3. *pag.* 286. *P. Alvar. lib.* 100. *c.* 7. 50. 51.

SECTIO TERTIA.

DE EXAMINE PROPRIORUM PECCATORUM SANCTÆ CONFESSIONI PRÆMITTENDO.

CAPUT I.

De ſimilitudine hujus Examinis cum Extremo judicio.

D

AD confeſſionem integre, clare, ac perfecte, ut oportet, faciendam, neglecto pudore qui ex ea oriri poteſt proponendum eſt tamquam exemplar ob oculos id, quod in extremo judicio agetur: ad quod, judicio quod in hoc Sacramento peragitur nos præparamus; meminit hujus judicii in ſua Apocalypſi S. Evangeliſta Joannes quando dicit ſe *vidiſſe ſedes & judicium datum eſſe illis qui ſuper eas ſederant*. Per quos Judices S. Auguſtinus intelligit Confeſſarios in Eccleſiæ tribunali ſedentes ad cauſas peccatorum audiendas, & judicandas, qui ſe in hoc judicio conſtituunt tamquam reos, accuſatores, & contra ſeipſos teſtes ut peccatorum remiſſionem obtineant; ejus judicii formam mox deſcribens: *Vidi*, ait, *mortuos magnos & puſillos ſtantes in reſpectu throni, & libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris, ſecundum opera ipſorum:* per quos libros intelliguntur hominum conſcientiæ, in quibus ſcriptum eſt, quidquid fecerunt dixerunt, & cogitarunt in totius vitæ diſcurſu: & manifeſtabitur coram omnibus hominibus & Angelis, cum graviſſimo reproborum rubore, & confuſione, ob admiſſa & non confeſſa peccata, electorum vero magno honore ob pœnitentiam, quam de ſuis peccatis habuerunt, & obtentam victoriam, qua pudorem vicerunt, ea confitendo.

Apoc. 20. 4.

Lib. 20. *de Civit. Dei cap.* 9.

E

Sed ſimul tunc aperietur liber vitæ, qui, eodem S. Auguſtino teſte, eſt ipſa notitia Dei de noſtris omnibus cogitationibus, verbis, & operibus, qui liber tunc aperitur, cum peccata noſtra lumine quodam, vique adeo magna, ea nobis refricat in memoriam: ut ea non videre non poſſimus: alius quoque liber vitæ ſimiliter aperietur divinorum ſcilicet mandatorum: in quo ſcripta ſunt quæcumque Deus jubet & prohibet, ut conformitas, ac diverſitas appareat reliquorum librorum cum hoc. Jure enim optimo hic liber dicitur vitæ, utpote in quo illa ſint ſcripta, quæ ad æternam vitam nos ducunt, & quæ ſervare oporteat eos omnes, qui ad eam ſunt deſtinati.

Lib. 20. *de Civit. Dei cap.* 14.

*Eccl.*24. 32.

F

D.Thom. 1. *p. queſt.*24. 27.

Hunc itaque in modum accedenti ad judicium confeſſionis duo ſunt libri coram judice aperiendi: Liber ſcilicet legis, in quo Dei, eccleſiæ, propriique ſtatus, ac officii mandata ſcripta continentur: niſi enim hæc ſint manifeſta, non poterunt peccata cognoſci: ſiquidem Apoſtolo teſte: *Ubi non eſt lex nec prævaricatio*, aut peccatum: mox vero aperiendus eſt tuæ conſcientiæ liber manifeſtando ſcilicet peccata omnia in eo ſcripta; ita ut poſt ſingula mandata confitearis, quidquid contra illa peccaveris: ut collato utroque libro a confeſſario, ipſe Dei nomine judicium faciat, feratque pro te ſententiam: cujus virtute omnia peccata manifeſtata & confeſſa deleantur, & remittantur. Non enim in hoc judicio ſicut in extremo agitur, in quo nihil ex libris deletur; eſt enim hoc judicium miſericordiæ, in quo Deus Dominus noſter implet quod promiſit: *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor*, & ne quis exiſtimaret, ſic eum delere peccata, ut colore tantum aliquo ea obducat ne videri poſſint, adjungit: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua:* omnino ſcilicet ea delendo, cælumque animæ ſerenum, & librum conſcientiæ candidum retorquendo. Ad quorum confirmationem refert S. Joannes Climacus: quod cum fervens quidam pœnitens confeſſionem publicam in Eccleſia faceret, viderint aliqui Religioſi Angelum, magnum quoddam volumen in manu ſua tenentem, in quo omnia illius hominis peccata deſcripta erant: & recte ſicut ille ea confitebatur, Angelum ex illo libro ſingula nullo prætermiſſo deleviſſe.

Rom. 4. 10.

Iſai. 43. 25.

G

Iſai. 44. 22.

Pont. Tr. c. 6. *pap.* 317.

CAPUT II.

De præparatione ad hoc Examen.

H

VT autem prudenter, & utiliter aperiantur hi libri, non expectandum eſt tempus ipſum quo confeſſio peragenda eſt, ſed citius aliquo tempore plus aut minus, juxta materiam legendam, & examinandam. Primum ſeorſim per teipſum librum mandatorum Dei aperies, dando operam ut nihil prætereat, quod non videas & intelligas nec ex ignorantia aut culpabili oblivione; nec ex ignavia aut incuria; nec ob ſufficientis temporis defectum, ad omnia exacte examinanda, & expendenda.

Scr. forte An. 1607. denda. Cui examinationi adjungendus eſt ingens dolor, & contritio tuorum peccatorum, juxta illud Davidis: Pſal. 4. 5. *Quæ dicitis in cordibus veſtris in cubilibus veſtris compungimini*: ut ex cordibus veſtris ita punctis & apertis exitiale virus emittatur, tot fuſis lachrymis, ut veſtras culpas delere poſſit. Sed quoniam Spiritus Sanctus illuſtratione opus, quo adjuveris in libris perlegendis, & judici ita manifeſtandis, ut reipſa abſolvaris, & reſuſciteris, cogitandum tibi eſt, cum de præparatione ad confeſſionem agis, A vocari te aut citari ad hoc judicium tremenda illa voce. *Surgite mortui & venite ad judicium*. Surgite peccatores & venite ut judicemini judicio miſericordiæ, quo plene reſtituamini ad vitam gtatiæ, hoc ipſum clarius admonuit Apoſtolus, cum dixit: Eph. 5. 15. *Omne quod manifeſtatur lumen eſt, propter quod dicit: Surge qui dormis & exſurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus* cœleſti ſua illuſtratione, ut cognoſcas quæ debeas manifeſtare, & ita confitearis ut vivas. Deus eſt qui per ſuum Prophetam dixit: Soph. 1. 12. *Scrutabor Jeruſalem in lucernis*: Siquidem ergo accenſurus eſt eas in die judicii: obſecra illum, ut eas nunc accendat in corde tuo, ut illud ſcruteris. Et quemadmodum tunc libros aperiet, lumenque ad eos legendos dabit: ita nunc tuæ conſcientiæ librum aperiat; ut quidquid in ea eſt perlegere; & judici qui ejus nomine, & B loco te judicaturus eſt, manifeſtare poſſis. Quanti autem ſit momenti hæc lux, a Domino data; quam humilis poſtulatio, impetrat hoc ſimili Bonaventuræ intelliges: *In ſpec. par. 2. c. 3.* In domo, inquit, quam ſubintrat radius ſolis, eam illuminat, quantumque licet fuerit præmundata, atomi nihilominus diligenter intuenti apparent. Sic & cor radiis gratiæ illuſtratum etiam minima videt, & vitiorum laqueos ſubtili examinatione diſcernit, *Lud. Pont. Ibi. pag. 19.* quanto quis fuerit mente purgatior, tanto ſe ſordidiorem videbit, & majores cauſas humilitatis videbit.

C A P U T III.

De materia Examinis & primo de ſpeciebus peccatorum.

Peccatorum ſpecies PRimum debet pœnitens in particulari examinari omnes ſpecies peccatorum mortalium, & ut poſſit cognoſcere quid ſit peccatum mortale vel non, ſciat omnia peccata, quæ ſunt contra aliquod particulare præceptum Dei, vel Eccleſiæ communiter eſſe mortalia, & omne illud quod C in re magni momenti eſt, contra amorem, vel honorem Dei, vel quod redit in grave damnum proximi, eſt peccatum mortale, quod in confeſſione debet manifeſtari. In quavis vero ſpecie peccati, non ſolum examinandum eſt quid opere, Peccata cogitationis. ſed etiam quid cogitatione, & locuutione commiſſum ſit. In peccatis cogitationis tribus caſibus peccatur mortaliter. Quando cogitationi de peccato mortali quis præbet aſſenſum, exequtionique mandaret ſi haberet occaſionem, etiamſi poſtea non exequatur. Quando quis non habet quidem voluntatem exequendi, ſed vult immorari in prava illa cogitatione, expreſſe volendo delectari in illa. Et ſi homo non ſe determinet, nec habeat expreſſam voluntatem ſe delectandi tamen cum illi obiicitur prava cogitatio, & cognitam non abiicit, ſed immoratur, & delectatur in illa, quod peccatum proprie delectatio moroſa vocatur.

D

De numero peccatorum.

Numerus. PRæter ſpecies peccatorum examinare quoque debemus numerum, hoc eſt quoties tale peccatum commiſerimus, & ſi non meminerimus numeri, plus minus quantum memoriæ occurret, notet, & ſi nullo modo occurrat, notet quanto tempore in peccato illo perſeveraverit; & an ſolitus ſit illud committere quotieſcumque dabatur occaſio, & an occaſio talis quotidie, vel aliquibus tantum vicibus in hebdomada oblata fuerit, examinando quot vicibus id acciderit.

De circumſtantiis peccatorum.

CIrca peccata inveſtigandæ etiam circumſtantiæ, quæ poſtea in confeſſione explicandæ, Circumſtantiæ. mutant enim ſpeciem, & notabiliter aggravant. Hæc autem communiter reducuntur ad ſeptem. Prima eſt circumſtantia perſonæ peccantis propter E quam expedit, initio confeſſionis explicare pœnitentem vitæ ſuæ ſtatum, dicendo, verbigratia, ſe eſſe Sacerdotem, aut Religioſum, aut Prælatum, aut ſi peccatum admiſit poſt acceptum a Deo inſigne beneficium, ob magnam ingratitudinem. Circumſtantia quoque complicis eſt notanda, nam in materia ſenſualitatis, & injuriæ multum hinc excreſcit gtavitas culpæ, non eſt tamen ejus nomen aperiendum in confeſſione. Secunda circumſtantia eſt quantitas ſive damnum corporis aut ſpiritus proximo ſubſequtum. Tertia circumſtantia eſt modi quoad intenſionem ſcilicet vim aut vehementiam verbi gratia iræ, rancoris. Quarta eſt temporis, dici ſcilicet in quo perpetratur peccatum: & durationis ipſius culpæ, quæ ſi longa ſit, auget peccatum; ſi ex inveterata conſuetudine defectum indicat propoſiti emendationis. Quinta eſt loci ſacri, aut ſi fiat peccatum coram F venerabili Sacramento, aut dum fit Sacrum. Sexta eſt circumſtantiæ finis, ſive cauſæ cur fit peccatum: gravior enim eſt culpa ſi murmures de proximo, ut vindictam ſumes, quam ſi familiaris colloquii cauſa. Septima circumſtantia eſt auxiliorum, quæ ad peccati exequtionem adhibentur, maxime ſi alii ad peccandum incitentur, aut ſi ii vocentur in auxilium, qui ratione officii, aut muneris ſui impedire illud deberent. Integritas. Denique ſicut Chriſtus Dominus noſter vult legem ſuam ita integre ſervari, ut nec jota unum aut unus apex prætereatur; ita maxime eſt operæ pretium examinare quidquid delictum, nec jota, nec apice *P. Bran. de pœn. pag. 14. & 15. & P. Pont. Tract. 3. c. 6. in fine.* prætermiſſis: ita ut quiſque faciat, quod moraliter poterit ad omnia in memoriam revocanda.

C A P U T IV.

De ſpeciali examinandi modo per octo Legis Dei mandata.

SEquitur nunc ſumma peccatorum, quæ prohibet divinæ legis liber. In qua etiam reliqua divinæ legis præcepta, & diverſorum ſtatuum G particularia, & quæ ſpectant ad ſeptem vitia capitalia continentur. Advertet tamen pœnitens non omnia quæ in hac tabula exprimuntur, lethalia eſſe peccata, ſed tunc ſolum quando ſunt talia, qualia diximus initio capitis præcedentis eſſe: reliqua cenſentur venialia. Porro pœnitens ſatisfacit manifeſtando peccatum eo modo, quo geſtum eſt, nihil occultando. Nihil nocebit quod cogitet fuiſſe lethale, quod erat veniale, aut contra, utrumvis enim ſit, exponet illud coram Deo, ejuſque miniſtro, cum dolore, & propoſito numquam illud repetendi.

Circa primum Præceptum Decalogi, & primo circa fidem.

AN crediderit omnia, quæ Sancta Romana Eccleſia credit, vel certe habuerit opinionem in aliqua re fidei Romanæ contrariam? H An verbis vel ſignis externis infidelitatem aliquam, vel hæreſim prodiderit, vel probaverit? An fuerit nimis curioſum in inveſtigandis rebus fidei, & an de aliquo fidei articulo dubitaverit? An apud ſe habuerit, vel legerit libros hæreticorum, alioſve libros, ab Eccleſia prohibitos? An ſciverit orationes, aliaque neceſſaria, quæ quiſque Chriſtianus ſcire tenetur; ut ſunt mandata Dei, Dominica Oratio, Credo, & myſteria principalia fidei?

An

Scr. forte An. 1607.

An uſus ſit aliquo genere ſuperſtitionum, incantationum, & divinationum &c. per ſe, vel per alios? An ſchedulas ſuperſtitioſas apud ſe habuerit ad ſanitatem, aliamve rem obtinendam, & an alias induxerit ad earum uſum?

Circa Spem.

AN nimium præſumendo de divina miſericordia commiſerit aliquod peccatum, vel in malo perſeveraverit differendo emendationem? An in rebus adverſis fiduciam potius in creaturis, & in auxilio hujus mundi, quam in Deo collocarit? An diffidendo miſericordiæ divinæ deſperaverit de emendatione vitæ, vel remiſſione peccatorum obtinenda.

Circa charitatem.

AN murmuraverit contra Deum, conquerendo quaſi non eſſet juſtus, vel reprehendendo ejus providentiam? An per timorem, aliumve reſpectum humanum cogitaverit offendere Deum, aut non facere quod pro ſuo officio, & Dei ſervitio facere tenebatur? An averſionem cum quodam horrore a Deo habuerit, & rebus divinis ad ſalutem ſuam pertinentibus? An maledixerit, vel blaſphemaverit Deum aut ſanctos, aliaſque creaturas? An expoſuerit ſe periculo peccandi mortaliter? vel an complacuerit ſibi in peccato olim commiſſo? An perſecutus ſit, & calumniatus homines pios, detrahendo bonis eorum operibus, & impediendo ne illa facerent, & ſigillatim an impediverit aliquem ne ingrederetur religionem?

Circa Secundum Præceptum.

AN juraverit falſum, ſciens eſſe, vel certe dubitans eſſe mendacium, ſive joco factum ſit, ſive de re levi? An juraverit promittendo rem licitam, quam poſtea non obſervaverit, aut intentionem habuerit non ſervandi cum juraret? An cauſam dederit alicui, ut falſum juraret, vel non obſervaret juramentum licitum? An juraverit adjuncta maledictione: verbi gratia: Auferat me Diabolus, tale malum mihi eveniat, ſi non fecero &c. An juraverit ſe malum aliquod, vel peccatum commiſſurum, aut nihil boni facturum? An juraverit minando alicui, ſine intentione exequendi juramentum? An in judicio juraverit falſum, vel juridice interrogatus non reſponderit conformiter intentioni judicis; vel conſilium dederit aliis id faciendi? Quo caſu non ſolum peccat mortaliter, verum etiam obligatur ad reſtitutionem, ſi inde ſecutum eſt aliquod damnum proximi. An habuerit conſuetudinem ſæpe jurandi, non curando, aut non conſiderando, num vere, an falſo juraret? Nota autem ad juramentorum cognitionem; non eſſe jurare, ſi quis dicat, certiſſime, in veritate &c. Jurare enim eſt Deum in teſtem ejus quod dicitur vocare, quod fit duobus modis: primo expreſſe, ut quando quis per Deum jurat. Secundo tacite, ut cum jurat quis per ſanctos, per crucem, per animam ſuam, vel per aliam creaturam, quatenus in ea relucet divina bonitas. An fecerit votum faciendi aliquod bonum, & non curarit exequi, vel exequtionem diſtulerit in longum tempus? An voverit aliquid cum intentione non adimplendi votum? An voverit ſe nihil boni acturum, aut aliquid mali acturum, aut bonum quidem, ſed propter malum finem.

Circa Tertium Præceptum.

AN dies feſtos violaverit, faciendo, vel mandando aliis opera prohibita ab Eccleſia, vel conſentiendo illis qui faciunt? An neglexerit audire miſſam integram diebus feſtis, quæ ſunt in præcepto, ſine cauſa legitima, vel cauſam aliis dederit eam negligendi? An per notabile temporis ſpatium in miſſa fuerit voluntarie diſtractus, loquendo, ridendo, vel occupando ſe in rebus inanibus? An curavit ſubditos ſuæ curæ ſubjectos diebus feſtis intereſſe ſacrificio miſſæ? An confeſſus ſit minimum ſemel in anno, aut non curarit, ut idem facerent omnes ſuæ curæ ſubjecti? An confeſſus ſit ſine antegreſſo examine conſcientiæ, vel ſine propoſito deferendi aliquod peccatum, vel ex pudore humano, aliave de cauſa reticuerit aliquod peccatum? An quovis anno, tempore paſchæ communicarit, eaque diſpoſitione qua oportet? An cum conſcientia, certa, vel dubia peccati mortalis receperit, vel adminiſtrarit aliquod Sacramentum Eccleſiæ? An jejunarit per Quadrageſimam, Vigilias, & Quatuor Tempora, cum ſit obligatus; & an iis diebus uſus ſit cibis prohibitis; aut aliis dederit cauſam idem faciendi? An propter gulam non curarit transgredi aliquod præceptum; & an intemperantius comederit, vel biberit cum notabili damno ſanitatis, & an ſponte ſe inebriaverit? An violaverit Eccleſiam aliquo peccato carnis, vel effuſione ſanguinis? An incurrerit aliquam Excommunicationem, vel excommunicatus particeps fuerit alicujus Sacramenti, aut interfuerit officio divino, aut verſatus ſit cum excommunicatis? An contumelia aliqua, vel irreverentia affecerit imagines, reliquias Sanctorum, aliaſve res ſacras? An obligatus ad recitandum breviarium, omiſerit recitare ſive totum, ſive fuerit voluntarie diſtractus? An ex pigritia vel tœdio rerum ſpiritualium bonum aliquod opus, quod facere tenebatur, ſive partem, & an recitando illud omiſerit?

Circa Quartum Præceptum.

AN parvo honore affecerit patrem, vel matrem contemnendo illos, vel offendendo factis, verbis contumelioſis? An maledixerit patri, vel matri, vel in eorum abſentia eos execratus ſit, & dedecore affecerit? An obediverit parentibus, vel ſuperioribus in rebus juſtis, vel in rebus quæ cedere poterant in damnum notabile vel domus, vel animæ propriæ? An parentibus in neceſſitate exiſtentibus, cum poſſet, ſubvenerit? An deliberate optaverit eorum mortem, ad obtinendam hæreditatem? An executus ſit teſtamenta, & ultimas voluntates defunctorum? An ex nimio parentum amore, parvipenderit offendere Deum? An non obſervaverit leges juſtas, & ſtatuta ſuperiorum? An detraxerit vel malum aliquod dixerit de ſuperioribus Eccleſiaſticis, vel ſæcularibus, aut etiam de Religioſis, Sacerdotibus, Magiſtris, Doctoribus? An non ſubvenerit cum poſſet, pauperibus, maxime in extrema, vel gravi neceſſitate, & an durus nimis fuerit, & crudelis erga eos, tractando eos aſpere, vel verbis, vel factis? An parentes maledixerint filiis ſuis? An educaverint eos ſicut debent, inſtituendo eos, in orando, & Doctrina Chriſtiana, reprehendendo quoque illos, & caſtigando, maxime in materia peccati; occupando etiam illos honeſto exercitio, ne ſint otioſi, & vias ingrediantur malas? Quod dicitur de filiis, intelligitur quoque de ſervis, & aliis domeſticis, quorum curam habere tenentur: ut nempe diſcant neceſſaria, & obſervent mandata Dei, atque Eccleſiæ.

Circa Quintum Præceptum.

AN aliquem habuerit odio, cum deſiderio vindicandi ſe, & quanto tempore in eo perſeveraverit? An optaverit alicui mortem, vel aliud malum grave, & damnum corporis, famæ, honoris, bonorum tam temporalium, quam ſpiritualium? An ira commotus fuerit in aliquem, cum intentione nocendi illi, vel vindictam ſumendi? An contendendo cum aliis verberaverit aliquem, vel vulneraverit, vel occiderit, aut commiſerit aliis, ut facerent, vel quod ab aliis erat factum, Scr. ſorte An. 1607. approbaverit; & ad id dederit auxilium, conſilium, aut favorem? An noluerit veniam petere, vel pacem inire cum iis quos offendit, vel pro injuria illata non ſufficienter ſatisfecerit? An noluerit condonare injuriam ab aliis illatam? An ex odio omiſerit alloqui, vel ſalutare aliquem, vel ſine odio quidem, ſed cum proximi ſcandalo? An in rebus adverſis, & infortuniis optaverit ſibi mortem, aut ex furore, & ira ſeipſum verberaverit, vel maledixerit, vel diabolo tradiderit? A An maledixerit aliis tam vivis, quam defunctis, & qua intentione? An ſeminaverit zizania, excitando diſcordias, & inimicitias inter alios, & quod malum inde ſecutum ſit? An ex odio, vel invidia immoderata triſtitia affectus fuerit de proſperitate aliorum, tam temporali, quam ſpirituali, & an gaviſus fuerit de aliquo malo, vel damno notabili aliorum? An ex ira offenderit alios verbis injurioſis, & contumelioſis? An aliis ſit adulatus, laudando eos in re, quæ erat peccatum? An malo ſuo exemplo, vel conſilio, vel laudando mala, vel deteſtando bona, cauſam dederit, ut aliquis bonum opus, quod faciebat omitteret; vel incitaverit ad committendum aliquod peccatum, aut ad perſeverandum in illo retrahendo eum a pœnitentia? an correxerit eos, qui in ſua præſentia peccarunt, aut Deum blaſphemarunt? An omiſerit admonere aliquem de peccato probabiliter ſciens ſua admonitione emendandum? B An hoſpitio receperit extorres, & homicidas; vel conſilio, favore aliiſve modis illis ſubvenerit? An mali aliquid dixerit de proximo, patefaciendo aliquem occultum ad ejus defectum cum infamia, vel damno illius? An verberaverit injurioſe perſonam Eccleſiaſticam, vel religioſam, ut ſit excommunicatus?

Circa Sextum & nonum Præceptum.

AN habuerit cogitationes inhoneſtas, & immundas, in iiſque hæſerit, & voluntarie fuerit oblectatus? An animo deliberato deſideraverit peccare cum aliqua, vel aliquo; quod peccatum ejuſdem ſpeciei eſt, cujus eſt opus ipſum? An animo libidinoſo aſpexerit fœminas, vel adoleſcentes? An uſus ſit verbis laſcivis, & inhoneſtis cum intentione peccandi, vel provocandi alios ad peccatum; & an libenter & cum voluptate audiverit hujuſmodi colloquia? An actu peccaverit cum C fœmina, idque cum virgine, vel conjugata; an cum conſanguineis, vel affinibus? An commiſerit peccatum contra naturam cum aliqua perſona? An peccaverit cum perſonis Deo conſecratis, vel per ordinem, vel per votum: aut an qui peccat habuerit ordines ſacros, vel votum caſtitatis? An inhoneſte attigerit beſtias, vel aliud peccatum cum iis commiſerit? An in ſeipſum peccaverit peccato molliciei, & num eo tempore cogitaverit de aliqua perſona cum intentione peccandi cum illa? nam tali caſu ſunt duo peccata mortalia. An impudice attigerit fœminas, vel adoleſcentes, aut permiſerit ſe tangi ab aliis? Et de amplexibus, & oſculis impudicis. An animo peccandi miſerit nuncia, litteras, vel munera, aut mediator fuerit in inducendis aliis ad peccandum? vel de malis conſiliis, auxiliis. An adierit vel tranſierit, locum aliquem cum mala intentione aſpiciendi fœminas, & ſe oblectandi? & de periculis peccandi, quibus ſe expoſuit; de occaſionibus peccandi, quas non evitavit. An pollutus fuerit in ſomno, vel vigilia; D an cauſam aliquam pollutioni dederit, vel poſtea in ea voluntariam ſenſerit delectationem? An amore carnali affectus fuerit ad aliquam perſonam, ſequendo eam animo peccandi, & quanto tempore in eo perſeveraverit? & num propter ipſum perſona illa notata fuerit de aliqua infamia, deque variis actibus, & peccatis quæ accidunt iis, qui tali modo ſe amant? Qui ſunt conjugati ſe examinabunt in particulari; an mente cogitando de aliis mulieribus, vel intentione non habendo pro fine prolem, ſed delectationem carnalem, vel etiam actibus, aliiſque modis extraordinariis, aliquod peccatum commiſerint contra uſum, & finem matrimonii? An legerit libros, vel hiſtorias impudicas, & inhoneſtas cum voluptate carnali, vel cum periculo habendi illam? Denique circa omnis generis peccata, iſta quæ dicimus in carnalibus bene notanda ſunt illa Pauli verba: *Nolite errare; neque fornicarii neque idolis ſervientes, neque* 1. ad Cor. 6. *adulteri, neque molles;* ſcilicet in pollutionibus 9. 10. voluntariis; *neque maſculorum concubitores &c.* Eph. 5. 3. 4. *regnum Dei poſſidebunt.* Et: *Fornicatio autem,* 5. 6. E *& omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis ſicut decet ſanctos, aut turpitudo aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas. Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus &c. non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.*

Circa ſeptimum, & decimum Præceptum.

AN rem alienam ſuſtulerit per fraudem, vel rapinam, explicando quantitatem furti, & in ſpecie, an ſuſtulerit rem ſacram, vel de loco ſacro? Et tenetur ad reſtitutionem, ſicut & in pleriſque omnibus conſequentibus caſibus hujus ſequentis præcepti; in quibus confeſſarii aut periti Theologi judicio ſtabit pœnitens. An rem alienam retineat ſine voluntate Domini, & non reſtituat ſtatim cum poſſit? F an cum non ſit ſolvendo ſuis creditoribus, hi inde damnum aliquod paſſi ſint? An inventa re aliqua, eam abſtulerit animo retinendi pro ſe? idem cenſendum eſt de rebus, quæ ad manus ejus venerunt, ſi eas non reſtituat ſuis dominis, ſciendo eſſe alienas? An emendo, vel vendendo fraudem fecerit, aut in mercatura, aut in pretio, aut in pondere, & menſura? An emerit ab iis, qui poteſtatem vendendi non habent, ut a ſervis & filiis familias? An emerit res quas ſciebat, vel dubitabat eſſe furto ſublatas, & ſciendo aliquid de hujuſmodi rebus conſumpſerit? An habuerit voluntatem determinatam accipiendi, ſi poſſet, vel retinendi, vel acquirendi rem alienam, ut dicitur, per fas & nefas? An commiſerit aliquam uſuram, vel ſocietatem injuſtam in mercatura? An accepta ſolutione, vel ſalario, ad gerendum officium, vel opus peragendum non bene, & fideliter illud geſſerit? An miniſtros ſuos, vel G operarios fraudaverit mercede ſua, aut cum damno ipſorum diſtulerit ſolutionem? An litem moverit contra juſtitiam, vel in lite juſta uſus ſit fraude aliqua, & deceptione ad vincendum? An ludis vetitis uſus ſit, an per fraudem in ludo aliquid lucratus ſit, vel luſerit cum iis, qui non poſſunt res ſuas alienare? An ſimoniam aliquam commiſerit quocumque modo? An Eccleſiam privaverit decimis, & aliis quæ ei debebat? An per media illicita; vel malas informationes obtinuerit rem aliquam, quæ nullo jure ei obveniebat; vel an alios impediverit injuſte, quo minus bonum aliquod lucrum conſequerentur? An auxilium, vel conſilium dederit, vel alio quocunque modo participaverit cum raptoribus rei alienæ, vel cum poſſet, & deberet, non manifeſtavit, nec impedivit latrocinium?

Circa Octavum Præceptum.

AN falſum teſtimonium dederit in judicio, H vel extra, vel alios ad illud induxerit? An mentitus ſit cum præjudicio, & damno notabili proximi? An famæ alicujus detraxerit, vel falſo imponendo aliquod crimen, vel nimium aliorum vitia exagerando? An in re gravi murmuraverit de vita aliorum maxime hominum honoratorum, ut ſunt Prælati, Religioſi, & honeſtæ fœminæ? An aures facile præbuerit detrahentibus, & murmurantibus de proximo? An manifeſtarit alicui peccatum aliorum occultum & grave, unde ſe-

quta

Scr. forte An. 1607.

quta eſt infamia? An ſecretum ſibi commiſſum revelaverit quod in ſecreto vidit, vel audivit? An aliorum litteras aperuerit malo fine? An temerarium aliquod judicium habuerit de factis, vel dictis proximi, interpretando in deteriorem partem, quod poterat accipi in bonam, & condemnando eum in corde ſuo de peccato mortali? An animo obligandi ſe aliquid alteri promiſerit, & poſtea ſine cauſa legitima promiſſionem non A ſervaverit? quod eſt peccatum mortale, quando res quæ promittitur eſt alicujus momenti, aut propter defectum promiſſionis conſequitur aliquod damnum proximi.

De Peccato Superbiæ.

AN judicaverit ſe bona, quæ habet, corporis, animi, & fortunæ, non habere a Deo, ſed a ſe, & ſua induſtria? aut ſi quidem judicat ſe habere a Deo, ſed tamen præſumit ſe propriis meritis ſine divina gratia accepiſſe, non dando per omnia gloriam Deo? An vane exiſtimaverit ſe habere virtutem, quam non habet: vel ſe eſſe qui non eſt: vel plus eſſe quam eſt, contemnendo alios tanquam ſibi inferiores? An gloriatus ſit in re aliqua, quæ ſit peccatum mortale, vel quod ſe vindicaverit, vel aliud peccatum patrarit? An ut magni fieret, jactaverit ſe de aliquo bono, vel de aliquo malo a ſe perpetrato, idque (ſive verum ſit, ſive falſum) cum injuria Dei, B vel proximi? An fuerit ambitioſus, inordinate deſiderando honores, & dignitates, & idcirco quædam fecerit, quæ non debebat? An ne parvi fieret ab aliis, fecerit aliquid, quod non debebat, cum ſcandalo proximi: aut omiſerit facere quod debebat, ut corrigere, vel reprehendere alios, converſari cum bonis, confiteri, aliaque opera Chriſtiana exercere? An pertinaciter veritatem impugnaverit; vel ne ſe humiliaret, vel videretur victus manſerit obſtinatus in defendendis contra conſcientiam erroribus manifeſtis? An per arrogantiam alios contempſerit, faciendo aliquid in eorum dedecus & contemptum? An ex faſtu & ſuperbia nimios ſumptus fecerit in veſtiendis famulis, & in aliis vanitatibus, ſuo ſtatui non convenientibus? De aliis peccatis mortalibus nihil hic dicitur, eo quod ſatis de iis dictum ſit in decalogo.

SECTIO QUARTA.

C

De Confeſſione.

ETſi Contritio, ut prædiximus, ſufficiat ut peccata dimittantur, ſemper tamen ſupereſt obligatio confeſſionis, quæ fit Sacerdoti, ad quam nos Chriſtus obligavit, quando ſuis Apoſtolis, & in eis omnibus Sacerdotibus, eorumdem in eo munere ſucceſſoribus dixit: *Quorum remiſeritis peccata, remmittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*: remiſſio enim datur contrito, cum ordine ad Sacramentum. Sit igitur.

Joan. 20. 23.

CAPUT I.

De Confeſſione Generali, ejuſque neceſſitate.

Comparatio

QUemadmodum duplex eſt extremum Dei judicium; alterum particulare in vitæ fine uniuſcujuſque, in quo ultima definitiva, & irre- D vocabilis ſententia fertur. Alterum univerſale in fine mundi, ut quæ prius prolata erat ſententia, ratificetur & confirmetur, ita duplex modus eſt confeſſionis, alter ſpecialis peccatorum, quæ prius non erant confeſſa: in quam prima ſententia profertur irrevocabilis; alter generalis omnium eorum peccatorum totius anteactæ vitæ, licet jam ante ſint confeſſa; ut prima ſententia de iis prolata ratificetur: ſed hæc confeſſio numquam eſt ſub præcepto, exceptis tantum tribus caſibus.

Generali confeſſioni neceſſitas.

Primus eſt, quando in particulari confeſſione aliquod mortale peccatum non fuit manifeſtatum, præ pudore, aut ignorantia affectata, aut ob neglectum conſcientiæ examen, cum certo periculo, quod propterea confeſſio non eſſet futura integra. Secundus eſt, quando particularis confeſſio facta fuit abſque vero dolore, & firmo propoſito ea deſerendi; aut ſi juſſiſſet confeſſarius reſtitui bona, aut honorem, quæ abſtulit: aut deſerere occaſionem peccandi, ad quod tenebatur: & quamvis di- E xerit ſe id facturum; non tamen habuit verum propoſitum exequendi. Tertius caſus eſt, quando confeſſarius non habuit ſufficientem juriſdictionem abſolvendi a peccatis. In his enim tribus caſibus neceſſario eſt repetenda confeſſio; cum ſententia in ea prolata fuerit inanis. Et duobus primis caſibus repetendæ ſunt omnes confeſſiones factæ poſt ultimam recte factam; & exprimenda culpa in eis admiſſa, ob talem defectum. Extra hos caſus etſi nulla ſit obligatio Generalem confeſſionem inſtituendi; ſolet tamen Deus noſter ſpeciali vocatione, & inſpiratione nos promovere ad eam faciendam duobus potiſſimum temporibus: alterum eſt: cum nos videmus in periculo mortis conſtitutos; cum enim immineat divinum judicium, in quo univerſim reddenda eſt ratio omnium, quæ geſſimus in toto vitæ decurſu; prudentiæ omnino erit, prævenire illud facto alio judicio Sacramentali, in quo fiat generalis confeſſio de omnibus peccatis totius anteactæ vitæ; ut majori cum ſe- F curitate coram divino tribunali comparere poſſimus, juxta illud amici Job dictum: *Judicare coram illo & expecta illum*: Nam S. Gregorio teſte, eo ſecurius licebit ſupremi judicis adventum expectare: quo fueris ſollicitior in judicando teipſum in ejus conſpectu. Alterum tempus eſt, cum aliquot elapſi ſunt anni vitæ valde inordinatæ, & laxioris, in qua multæ fuerunt recidivæ, & tepiditates prolixiores: ſi enim tunc efficaciori vocatione impellat cor Deus ad perfectam valde converſionem, & vitæ illius mutationem, præclarum ad eam principium, & ſolidum erit fundamentum generalem confeſſionem, valdeque exactam de omnibus peccatis uſque ad id temporis commiſſis inſtituere. Et cum Salvator tuus non ſatis ſibi eſſe voluerit, id tantum facere, quod ad culparum tuarum remiſſionem erat neceſſarium; ſed Redemptionem ſuam fecerit valde copioſam: imitare & illum, copioſam hanc addendo confeſſionem, quæ glorioſæ ejus redemptionis fructus G copioſior tibi communicetur. Hac confeſſione deteſtatio, ac dolor peccatorum efficaciſſime comparatur, dum homo non unum, aut alterum malum ſuum, ſed omnia ſimul mala a prava ſua voluntate profecta, quaſi uno intuitu pervidet, & inde condignam tam miſeræ calamitatis triſtitiam concipit. Multorum enim malorum, ſimul in nos irruentium attenta cogitatio mire animum contrahit, & dolorem, ac eorum deteſtationem incutit. Secundo, cognitio malitiæ peccatorum augetur, omnia enim, quæ admiſimus, ſimul conſiderata propter inſignem noſtram erga Deum ingratitudinem noſcuntur peſſima, atque fœdiſſima. Tertio defectus particularium confeſſionum ſupplentur, quos non raro olim ſine debita deteſtatione peccatorum, ſine firmo propoſito emendationis, & ſine exacta conſcientiæ examinatione fecimus. Quarto humilitas non nata generatur, genita promovetur, promota perficitur. Si enim homo in ſæculo magnus peccator fuit, intuens beneficia Dei & delicia affectuum ſuo- H rum, veriſſime ſe deicit, & vita ac luce indignum ſe ducit. Si innocens extitit, agnoſcens ſe in magna mala non cecidiſſe a Deo cuſtoditus, non parum ſe deprimit, dum præcipitium in quod ibat, niſi teneretur conſpicit. Si beneficiis ſingularibus afficitur, poſt turpem vitam, & in non mediocrem puritatem extollitur, oculos in ſua peccata coniiciens ad imitationem Pauli, qui ſe ob peccata propria minimum eſſe fatetur. Quinto, fervor ac deſiderium fideliter Deo ſerviendi ſuccenditur. Qui enim

Job. 35. 14.
Lib. 25. *moral. c.* 5.

Scr. forte An. 1607. quaſi uno aſpectu videat, tot ac tanta peccata, aut ſibi jam dimiſſa, ut probabiliter credit, aut ſtatim dimittenda, hoc incitamentum putat, ut vehementius diligat, & ſi prius exhibuit membra ſua ſervire iniquitati, ad iniquitatem, nunc exhibet eadem ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Sexto, tandem homo hac omnium ſuorum peccatorum inſpectione & ponderatione, ad patientiam adverſorum roboratur, & ad alios inſtruendos A eruditur, & compaſſione proximorum peccantium tangitur, dum in ſimili miſeria, quam ipſe in ſe deteſtatus eſt illos cecidiſſe animadvertit. Ob has ſex utilitates conſtanti conſuetudine receptum eſt in Religionibus, ut in ipſo primo Religionis ingreſſu confeſſionem generalem totius vitæ præteritæ inſtituat, qui ſtatum Religioſum vult amplecti. Idem porro merito facerent, qui in ſæculo manentes, fervens ſuæ converſionis initium habere deſiderant imitantes S. illum Regem, qui dicebat Deo: *Recogitabo tibi omnes annos* Pſ. 38. 15. *meos in amaritudine animæ meæ:* Merito itaque ſimili ſpiritu unuſquiſque cogitare, & iterum recogitare deberet omnes annos vitæ ſuæ, non ſimul, & quaſi in cumulo omnes, ſed ſingulos; Pon. Tract 3. c. 7. pag. 329. & Co. Alvar. lib. 5. c. 7. §. 1. examinando primo, quæ in uno anno ſibi evenerint; deinde quæ in altero; & ſic deinceps, diſcurrendo quoque mente per loca, officia, occupationes & ſocios, quos habuit.

B

CAPUT II.

De Confeſſionibus particularibus, & earumdem obligatione.

DE particularibus confeſſionibus res eſt ſatis nota, quibus temporibus ad eam faciendi peccatori incumbat obligatio. Primum eſt, articulus mortis, aut probabile ejus periculum. Si enim eo tempore huic præcepto ſatis fiat, non ſupereſt aliud, quo impleri poſſit; ideoque periculo ſe exponit peccato moriendi, priuſquam ei Eccl. 3. 27. ſatisfaciat; *qui* autem, *amat periculum*, ut ait ſapiens, *in eo peribit*. Alterum tempus eſt ſacræ Communionis, ad quam, ſi confeſſarius adſit; non ſufficit etiam contritio, ſed confeſſio etiam fieri debet. Præter hæc tempora ſtatuit Eccleſia Sancta, omnes debere minimum ſemel in anno confiteri; quod ſi vero ex neceſſaria aliqua cauſa totus annus abſque confeſſione tranſiret, manet tamen obligatio huic præcepto ſatisfaciendi; vult enim Eccleſia Sancta non differri ultra annum, C redditionem hujus debiti peccatorum noſtrorum Deo, eidemque per hoc Sacramentum reconciliationem. Sed Chriſtiani, qui profectus ſui ſpiritualis aliquam curam gerunt, non ſatis habent, quod huic præcepto ſatisfaciant, ſed ſtudent etiam ſingulis menſibus, decimoquinto, aut octavo quovis die confiteri, imbecillitatem ſuam, aut inconſtantiam agnoſcentes. Sanctus enim Bonaventura De Reform. Novit. c. 12. ait magnam eſſe fœlicitatem quotidie, aut tertio quoque die confiteri. Quamvis hoc ſacerdotibus, quotidie miſſam celebrantibus potius conveniat. Si tamen ſis timoratus, & contingat impingere in aliquod grave peccatum, aut de eo dubites, non prius te dormitum conferre deberes, quam illud ſi poſſibile eſſet, omnino confiteris. Nam eſto vera contritio ſit ſufficiens ad peccati remiſſionem, quemadmodum ſupra eſt dictum, ſed quis novit an talis dolor ad veram contritionem pertingat? Cum igitur adeo ſit facile tibi, & in promptu medium, quo damnum D hoc reparetur, prudentiæ eſt ſtatim illud adhibe- Pont. lib. 100. c.7.§.2. re, ut ſis ſecurior.

CAPUT III.

De conditionibus in Confeſſione ſervandis, & primum de victoria ſui, & abiiciendo pudore.

NOn negamus eſſe valde difficile verecundiam & pudorem vincere, qui oritur ex manifeſtatione peccatorum occultorum, quæ ſit E Sacerdoti: maxime ſi illa ſint in materia vili, infami aut verecunda: ſed recompenſatur hæc difficultas præſtantiſſimis commodis, quæ hanc victoriam conſequuntur. Primum enim hæc victoria liberat nos ab æterna illa confuſione, qua in noviſſimo die judicii afficeremur, ſi nunc præ verecundia peccata noſtra occultaremus. Quod mirifice perpendit S. Auguſtinus dicens: *Cur erubeſcis confiteri, quod facere nequaquam erubuiſti? melius eſt coram uno aliquantulum ruboris tolerare,* Lib. de viſi infirm. c. 4. *quam in die judicii coram tot millibus hominum gravi compulſa denotatum tabeſcere. Cogita ergo Confeſſarium fore unum ex illis, qui judicio illi intererunt: nec erubeſcas nunc ei magno tuo commodo manifeſtare, quod tunc aperte cognoſcet, cum inſigni adeo pudore, & contemptu tuo.* Hoc ipſum fuſius his verbis expendit Tertullianus: *ſi de exomologeſi retractas gehennam* Lib. de pœn. q. 5. *in corde conſidera, quam ibi exomologeſis extinguit: & pœnæ prius magnitudinem* F *imaginare, ut de remedii adoptione non dubites. Igitur cum ſcias adverſus gehennam poſt prima illa intinctionis Dominicæ monumenta eſſe adhuc in exomologeſi ſecunda ſubſidia, cur ſalutem tuam deſeris? cur ceſſas aggredi, quod ſcias mederi tibi? mutæ quidem animæ, & irrationales, medicinas ſibi divinitus attributas in tempore agnoſcunt. Cervus ſagitta tranſfixus, ut ferrum & irrevocabiles moras eius de vulnere expellat, ſcit ſibi dictamno medendum. Hirundo ſi excœcaverit pullos, novit illos oculare rurſus de ſua chelidonia.* Peccator reſtituendo ſibi inſtitutam a Domino exomologeſin ſciens præteribit illam? An melius eſt damnatum latere, quam palam abſolvi? Te miſerum pudoris magis memorem, quam ſalutis, & perire potius eligis, quam vulnus verecundum medenti aperire. Pereat temporalis honor, modo ſervetur æternus; ſi pernitioſum aut venenatum cibum ſumpſiſſes, quem ſtomachus ferre non poteſt; ſi retineas mors tibi imminet; ſi evomueris relevaris. G Quod ſi pudore aſtantium teque aſpicientium nolles evomere, an non ſtultus eſſes? quanto igitur major ſtultitia eſt, cum peccati venenum hauſeris, nolle per confeſſionem illud evomere? Nam tu ipſe, ut ait Origenes, teipſum accuſas & confiteris; ſimul evomis delictum, at- Hom. 2. in Pſ. 37. que omnem morbi tui digeris, ac reijcis cauſam; & mox ſanus & quietus evadis. His accedit quod adeo ſit glorioſum, hanc verecumdiam, ſeu pudorem vincere, ut hoc ipſum Chriſtum Dominum induxerit, ad hoc præceptum Confeſſionis in lege ſua Evangelica; quæ lex eſt perfectionis, edendum, in qua lege cum nos ab innumeris oneroſis, horridiſque ſacrificiis liberavit, quæ in antiqua lege propter peccata offerebantur, etiamſi non propterea remitterentur: eorum loco ſolum unum conſtituit, quod inſignis perfectionis eſſet motivum: pugnantibus nobis contra hunc pudorem, & verecundiam humanam, & cordis humilitate triumphum de ea reportantibus; H In cujus rei præmium ad filiorum Dei dignitatem nos exaltat, gratiæque pulchritudinem donat, & in hac ipſa vita facit nos magno honore, & gloria dignos: unde cum Patriarcha Jacob vellet filii ſui Judæ magnalia recenſere, recte ab hac peccati ſui confeſſione initium fecit; ideoque dicit: *Juda confeſſus es, & non erubuiſti, in te confitebuntur fratres tui.* Gen. 49. Nam revera majorem ſanctitatis honorem comparat ſibi

ve-

Scr. forte An. 1607. verus pœnitens, qui magna humilitate culpam ſuam fatetur, quam cum admittendo amiſerit: & quam amiſit dum peccavit, reparat dum confitetur; unde non ſine magno myſterio S. Job dum ſuas narrat virtutes, ut in mediis ſuis afflictionibus reſpiraret, ait de ſeipſo: *ſi abſcondi, quaſi homo, peccatum meum, & celavi in ſinu meo iniquitatem meam*. Et hic fuit ſemper ſpiritus ſanctorum, qui humili ſuorum peccatorum A confeſſione inſignes, & glorioſos de Regina vitiorum ſuperbia, inanique pudoris timore triumphos obtinuerunt. Unde qui hos non ſequuntur, de novo, peccant contra humilitatem, contra veritatem, & contra charitatem. Sane Patriarchæ filius Judas, qui complicem criminis præ ſe juſtificavit, & hanc propriam confuſionem elegit, ut nurum ſuam a pœna, quam fuerat promerita excuſaret: ideoque ejus confeſſio merito fuit laudata, eodem modo noſtra laudabitur, ſi Davidis exemplo *confitebimur adverſum nos injuſtitiam noſtram Domino*: nam cum David hoc dixiſſet, ſubjunxit; *& tu remiſiſti impietatem peccati mei*. Ex dictis facile erit rationes illas diſſolvere; quibus nonnulli utuntur, qui ſub prætextu bonæ opinionis tuendæ, vel ſcandali alicujus cavendi, aut non integre confitentur, aut ſi faciant, omiſſo confeſſario medico ſibi noto, ignotum aliquem, apud quem ſuæ opinionis jacturam non faciant, accedunt. Hoc enim etſi poſſit abſque culpa fieri, inditium tamen eſt timidi, & abjecti B animi: & qui prope ſit, ut hoſti ſe dedat, qui in hujuſmodi occaſionibus non dormit, & quemadmodum primam hanc victoriam ab eo obtinet, ſperat ſe etiam ſecundam obtenturum: augendo ſcilicet metum ex pugna, & conflictu fugienti: eſtque genus quoddam perniciofe hyppochryſis, leviora peccata confeſſario ordinario aperire; & pro gravioribus alium quærere: nam ratio ipſa & prudentia ſuadet, ad graviorem morbum, quærendum eſſe medicum magis notum, ac peritum, & expertum. Si tamen pudor te conſtitueret in periculo peccatum aliquod huic confeſſario occultandi: melius eſſe non eſt negandum, alium quærere, cui ſine tali impedimento liberius illud aperias. Facile tamen pudor ille evaneſceret, ſi quod diximus, confeſſarium locum Dei tenere cogitares, qui ſub tam inviolabili ſecreti ſigillo peccata conſcientiam exonerantis auſcultat, ut debeat omnes cruciatus pati, & ipſam mortem appetere, *Lud. Pont. Tract.3.c.5. §. 1.* quam, vel minimum peccatum confeſſione exceptum aperire.

C

CAPUT IV.

Aliæ quinque conditiones in confeſſione ſervandæ.

UT confeſſiones ſive generales, ſive particulares, ſive ex præcepto, ſive ex conſilio utiliter fiant: conditiones illæ ſunt adhibendæ, quas doctores communiter indicant, quarum aliquas hic enumerabimus, quas S. Bonavenaura *In ſpec. Diſp.2. c.2.* diverſis in locis plurimum commendat. Prima eſt magna interior, & exterior erga confeſſarium reverentia, atque ſi pœnitens coram ipſo Chriſto Domino, quem confeſſarius refert, compararet; & cum ipſe dum abſolvit non dicat: Deus te abſolvat: Sed, Ego te abſolvo, nomine ſcilicet Chriſti; par eſt te cum eo loqui, tanquam cum ipſo Chriſto: Cum etiam tanta reverentia Judicibus, & ſenatoribus in ſuis ſubſelliis ſedentibus exhi- D beatur, eo quod regiam ipſam perſonam ibi gerant: quanto ergo majorem exhibere oportet iis, qui Dei perſonam in hoc judicio gerunt? Oportet itaque te reum agnoſcentem, detecto capite vultuque inclinato, & oculis ſicut publicanus ille, demiſſis, utrumque genu flectere, verbiſque uti, quæ magnam oſtendant reverentiam. Nec hoc tantum: Sed excitanda quoque eſt viva fides, qua ſupremum ipſum judicem Deum trinum, & unum præſentem ibi eſſe cernas, audientem quæ dicis, & quæ facis aſpicientem, non ſolum exterius, ſed interius etiam in corde: & ita confiteri coram Confeſſario debes, ut idipſum multo magis coram Deo præſente facias: Licebit etiam præſentes illos duos teſtes intueri, qui in animæ tuæ judicio poſtea comparebunt: cuſtodem ſcilicet Angelum, & hoſtem tuum Dæmonem: ut alterius præſentia ſpiritum tibi addat ad dicendum quod oportet: alterius vero timorem incutiat, ne E iis deſis, quæ facere teneris, tacendo ſcilicet, aut faciendo aliquid, quod poſſit idem hoſtis poſtea tibi obiicere. Hinc ſecunda oritur conditio; puritas ſcilicet intentionis in omnibus, quæ ibi ſis facturus, aut dicturus: non ſolum cum ipſam confeſſionem auſpicaris, ſed in toto quoque ejus decurſu. Sit itaque pura & ſyncera, ne potius vano infamia correptionis, aut confuſionis alicujus timore, quam propriæ ſalutis amore, quaſi coactus Eccleſiæ præcepto, & animæ puritati vacare videaris. Sit item pura & ſancta, ne gloria inanis ſeſe ingerat, ut bonam cupias apud confeſſarium tuum opinionem obtinere, eo quod apte de tuis peccatis confitearis, aut ex bono aliquo opere, quod occaſione aperiendi ſuperbiam, & inanem gloriam, quam ex eo habuiſti refers, aut cum tuum peccatum nimium exaggeras, ut humilis judiceris. Ex pura hac intentione tertia oritur conditio: ut confeſſio verbis fiat quam breviſſimis, abſque detrimento tamen veritatis, & claritatis, ita ut quæ ſuperflua ſunt in verbis reiiciantur: F qualia ſunt hiſtorias, aut narratiunculas narrare, confiteri ſub conditione; ut, ſi hoc feci, ſi peccavi, &c. item in genere loqui, ut ego peccavi cogitando, loquendo contra præcepta Dei, contra præcepta Eccleſiæ &c. hæc enim ad culpam declarandam nihil faciunt. Hanc verborum brevitatem juvat quarta conditio, ordo ſcilicet, & connexio in aperiendis peccatis: ſervando ſcilicet decem Decalogi mandatorum ordinem, aut ſeptem capitalium peccatorum, aut diſtributionem in cogitationes, verba & opera, quamvis bonum ſit conſilium, ſi qua res ſit gravis, & quæ præ aliis pœnitentem premat, aut majorem afferat pudorem, ab hujuſmodi re confeſſionem inchoare, vincendo ſcilicet ſtatim initio maximum, quem habeat hoſtem: alias fiet ut creſcente pudore os obſtruatur, nec peccatum, ut oportet, manifeſtetur: quemadmodum eveniſſe fertur miſero cuidam hominis, quem confitentem aſpiciebat vir quidam ſanctus, qui in ſpiritu vidit ex ore pœnitentis, prout ille peccata ſua confitebatur, prodire plu- G res bufones; & cum magnus quidam jam jam ad os perveniſſet, ut exiret tantam ille difficultatem ſenſit, ut iterum deglutiret, in quo momento omnes reliqui, qui exierant, iterum ſunt per os ingreſſi. Denique plurimum refert, ſi ſacrificium cordis contriti, & humiliati verba externa, ita comitetur, ut peccata ipſa cum magno pudore, dolore, ac ſenſu exprimantur. Confeſſioque ipſa ſit inſtar beneficii illius, quod Oſeas Propheta: *Vitulos labiorum noſtrorum* appellat: *Cap. 14. 3.* Nam quemadmodum in antiqua lege; *Vitulus qui in holocauſtum offerebatur*: *Levit. 1. 5.* primum *immolabatur*: deinde, *detracta pelle artus ejus in fruſta concidebantur, quæ tota ſuper altare ordinabantur, & Sacerdotes ſubiiciebant in altari ignem, donec omnia adolerent in ſuavem odorem Domino*: Ita etiam cum hoc Sacramentum ſuſcipere vis, Deo offers quoddam holocauſtum: immolas vitulum, quando contritionis cultro peccatum deteſtaris, & H occidis opera veteris hominis; pellem autem detrahis, cum tuæ conſcientiæ occulta operis, ejus omnes partes concidis, quando tua peccata ſingulatim, ac diſtincte declaras: eas vero lavas, quando confeſſioni lachrymas, & cordis gemitus adjungis: Super altare collocas, quando magna fiducia ea omnia in Chriſti Servatoris noſtri miſericordiam proiicis. Sacerdos ſtruem lignorum componit, quando rebus tuis ordinem adhibet:

Scr. forte An. 1607. ignem ſubiicit quando te abſolvit; afflat vero odor Deo ſuaviſſimus, quando contriti tui cordis ſacrificium in confeſſione acceptat, & cum poſt eam laudas illum, & glorificas; milleque agis gratias Ibid. c. 7. §. 2. ob collatum tibi beneficium.

CAPUT V.

De humili ſubmiſſione pœnitentis ad monita Confeſſarii excipienda.

A

PRimum in quo pœnitens reverentiam erga ſuum Confeſſarium, & ſubjectionem oſtendere debet, illud eſt, ut poſtquam ſua peccata aperuerit, humiliter, & in ſilentio reprehenſiones, & monita confeſſarii audiat, juxta conſilium Eccle- Eccl. 32. 9. ſiaſtici dicentis: *audi tacens & pro reverentia*, & humilitate, quam in hoc oſtendit, *accedet tibi bona gratia*. Quæ enim gratia melior ea, quæ in hoc ſacramento communicatur. valdeque excellenter obtinetur, cum Confeſſarii admonitio, & correptio humiliter auditur. Cæterum hæc reverentia, animique demiſſio; (tum erga Confeſſarium, tum erga quemvis amicum de noſtris defectibus fraterne corripientem) quatuor potiſſimum Jer. 42. ſuper. cant. actibus exerceri poteſt, quos ex S. Bernardo notavimus. Primus actus eſt internum culpæ dolorem exterius oſtendere ita verecunde acquieſcendo correptioni, ut nullam oſtendas dedignationem, aut tædii, nec meretricis frontem induas, ſed ſponſæ verecundæ, ſicut ſancta illa anima, quæ B cum a ſuo Dilecto reprehenderetur dicente: *Si ignoras te, egredere, & abi*, ex domo mea, ſtatim ſancto quodam rubore operta, tantopere Deo placuit, ut e veſtigio ille eam laudaverit dicens; *pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis*. Ex hoc ad ſecundum actum fit tranſitus, ut ſcilicet culpam admiſſam humiliter confitearis; quod indicium eſt adhuc heroicæ humilitatis, quam ſi ſponte eam, & non correptus confitereris. Nam teſte Sancto Gregorio, facile mihi culpam confitentur, quando de ea non notantur: qui tamen ab aliis correpti ſe ſtatim excuſant, & defendunt; qualis fuit Monachus ille, de quo Caſſianus, qui multis ſe aſſerebat flagitiis involutum; cum tamen ab Abbate leniter corriperetur ingenti triſtitia ſuffuſus, indigne tulit. Cum hac humili confeſſione conjungi debet actus tertius manſueta ſcilicet reſponſio, ad ea, in quibus eſt neceſſaria: quamvis C nonnunquam expediat perfecto ſilentio reticere. Sed quando reſponſione opus eſt non excuſationes adhibendæ, aut irata verba proferenda: Sed cum humilitate, & manſuetudine, magniſque amoris, & gratitudinis indiciis, ob acceptum correptionis beneficium eſt reſpondendum. Unde S. Baſilius: Si Chirurgos, inquit, diligis corporis vulnera curantes, etiamſi crucient, doloremque inferant, eiſque mercedem pro labore, & animi gratitudinem reddis; quanto magis diligendus is eſt, gratiæque illi agendæ, qui animæ vulneribus medetur: licet curationis tempore triſtitiam aliquam afferat? Non enim coniicere debet oculos tam in triſtitiam præſentem, quam in futuram ſalutis animæ tuæ utilitatem. Sed non ſatis eſt, manſuete reſpondere, & verbis mollibus, niſi opere ipſo ſequatur emendatio, & modeſte obtemperes corripienti. Nam Heli *manſuetiſſime* reſpondit, reprehenſioni è Deo ſibi per Samuelem obtectæ; Sed parum profecit ea reſponſio: quia non ſe emendavit; quare præcipuus correptionis fructus eſt D mox parere eis, quæ proponuntur, omnia applicando ad opus ipſum, ut lapſus ſtatim reparetur. Tantum enim abeſt eum, qui corripitur aliquam ob culpam, honoris quippiam amittere, ſi ſe emandet, ut potius maximum acquirat, dum tot he- Pont. lib. 1. c. 9. §. 2. roicas virtutes exercet, quæ præteritarum culparum damnum abunde reparant.

CAPUT VI.

Quam ſit noxium non admittere correptionem Confeſſarii, & inanes ad id ferre excuſationes.

TRiplex eſt potiſſimum ſtatus eorum, qui peccant, nec de reparandis ſuis defectibus cogitant quos tamen per correptionem admonitos E emendant. Nam quidam ſunt, qui ex nimio fervore, & zelo ex inadvertentia, & indiſcrete aliqua faciunt, exiſtimantes eſſe bona, quæ tamen valde a rectitudine aberrant. Et ſic ſolent tyrones, & parum in via perfectionis verſati impingere. Talis fuit Petrus, qui indiſcreto quodam fervore impedire voluit Chriſti Domini paſſionem dicens: *Abſit a te Domine, non erit tibi hoc;* Matth. 16. 12. & lotionem ſuorum pedum dicens: *Non lavabis mihi pedes in æternum*. Joan. 13. 8. Tales illi, qui complacuerunt ſibi quod Dæmones eiicerent. Tales denique fuerunt omnes Apoſtoli contendentes de primatu inter ſe, ſcribitur enim: *Contendebant inter ſe quis eorum videretur eſſe major*. Lucæ 9. Alii ſunt imperfectiores, quia proprio amore, & vehementi aliqua paſſione raptati, in aliquos defectus incidunt, quos vel non advertunt, vel parvi faciunt; nam ut communi proverbio dicitur, qui amat: etiam quod turpe eſt, pulchrum judicat: Talis erat Propheta Regius commiſſo adulterio, quem amor proprius ita excæcavit, ut aut culpæ rationem non duxerit, F aut ejus fuerit oblitus per tempus decem menſium, cum ſcandalo interim totius populi, & forte in malo illo ſtatu per decem etiam annos permanſiſſet, aut nunquam ſe emendaſſet, niſi Nathan Propheta eum admonuiſſet. Sed alii non minus ſunt imperfecti, qui etiamſi culpas agnoſcant, in quas inciderunt, ex animi tamen relaxatione ac tepore, imo nonnunquam etiam ex malitia, eas non emendant; ſed potius medicum fugiunt; quia nolunt peccatum deſerere, nec deſerent, niſi ſuperiores & amici veri ex charitate faciant officium medicorum, & illos corripiant. Multa ex hiſce imperfectionibus incommoda, quorum maximum eſt, quod hominem faciat Dæmoni ſimilem, cujus peccatum eſt incorrigibile, ac proinde incurabile, propterea enim Eccleſiaſticus dixit: *Qui odit correptionem veſtigium eſt peccatoris;* Eccl. 21. 7. ejus peccatoris inquit Lyranus, qui ſimpliciter peccator dicitur, hoc eſt Dæmonis, qua- G re prope eſt, ut ad ejus ſocietatem in infernum deſcendat, quaſi ægrotus deſperatus. Hujus rei luculenti fuerunt teſtes duo filii Heli Sacerdotis, qui quod blandam, & paternam ejus correptionem audire noluerunt; *uterque eodem die mortuus fuit*. Et David quod non acceptaſſet verecundam, & reverentia plenam admonitionem Ducis ſui Joab, cum juberet numerari populum a Dan uſque Berſabeæ, in cauſa fuit cur *Septuaginta millia virorum peſte morerentur* in 1. Reg. 21. 26. pœnam illius peccati. Ad irreparabile hoc detrimentum aſcenditur per tres gradus, quos Sanctus Bernardus *contemptum*, *impatientiam*, & Serm. 24. in Cant. *impudentiam*, appellat; contemptus conſiſtit in eo, ut nihili faciat quod dicitur, nec ipſum dicentem: quemadmodum ægrotus, qui & medicamenta, & ipſum medicum contemnit, quia mori potius, quam moneri, aut corrigi eligit; Hinc aſcenditur ad ſecundum gradum impatientiæ, & indignationis in recte monentem: quemadmodum phreneticus, qui mordet manum chirurgi, lethali H ejus vulneri medentis: *Mira*, ait S. Bernardus, *perverſitas, medicanti iraſcetur, qui non iraſcitur ſagittanti*, & S. Baſilius ægroti prudentiam laudat, qui non conqueritur de Chirurgo etiamſi ſecet ipſum & urat, ſiquidem ea via recuperat ſanitatem; quod ipſum confirmat Eccleſiaſticus dicens: *Vir prudens & diſciplinatus non murmurabit correptus*. Eccl. 10. 28. Stultus autem ſicut canis, ad quem cum jacitus lapis, ſi jacientem mordere non poſ-

Scr. forte An. 1607.

poſſit; eo relicto, lapidem mordet, iram ſuam in lapide ulciſcendo, etiamſi dentes ex eo cruentent: ita impatiens ipſam correctionem mordet, notam falſitatis, indiſcretionis, & irreverentiæ illi impingens, & hoc modo ſeſe ulciſcens multum ſanguinis peccatorum ex impatientia effundit. Quæ impatientia creſcens ad tertium deducit gradum, ſcilicet impudentiam, qua reverentiam omnem A amittit Deo, & hominibus debitam. Tunc autem is magis accedit ad execrandam cum Dæmone ſimilitudinem, minorque eſt curationis, & ſanitatis ſpes. Horum omnium incommodorum radix eſt ſuperbia primum Protoplaſtorum noſtrorum vitium. Nam cum ipſemet Deus ad eos veniret, ut corriperet, non libenter correptionem exceperunt, cum enim humiliari debuiſſent, & deprecari ne ex paradiſo eiicerentur, inanibus excuſationibus adhibitis, culpam ſuam auxerunt; a quibus ejus poſteri pravam hanc ad excuſationes propenſionem hæreditarunt, tam in ipſa confeſſione, quam cum extra illam corripiuntur utentes excuſationibus in peccatis, modis illis, quos S. Bernardus exprimit, his verbis; ait enim: Qui ſe excuſat dicit: aut non feci: aut feci quidem, ſed bene feci; aut ſi male, non multum male, aut ſi multum male non mala intentione; ſi autem & de illa, ſicut Adam & Eva, convincatur, aliena ſuaſione excuſare ſentitur.

S. Bern. de Precept. & Diſpenſat.

Pont. lib. 1. c. 9. §. 1.

B

CAPUT VII.

De ſingulari Dei erga vere pœnitentes favore in difficultatibus omnibus ſuperandis.

MIrum eſt quam Chriſtus Dominus Noſter in hoc pœnitentiæ Sacramento, prudentiæ ſuæ ſuavitatem, & efficacitatem erga pœnitentes oſtendat, dum per ſeipſum, atque etiam per ipſos Confeſſarios, ceu inſtrumenta, ad omnes tentationes, & difficultates, quas ſentiunt pœnitentes, ſuperandas arma auxiliaque ſubminiſtrat. Nam aliquas ſentiunt, quæ illos retrahant, ne ad Confeſſionem accedant; alias quæ ineptos illos faciant in ipſa Confeſſione. Primæ illæ difficultates a ſathana ſunt inventæ, qui advertens aliquem ipſius tyrannidem fugientem agere de facienda confeſſione, excitat in eum internorum hoſtium manus, qui ipſum detineant, & avertant, qualis eſt pudor aperiendi C peccata, timor reprehenſionum, & pœnitentiarum, de quibus cap. 2. & 3. præcedentibus. Itemque affectus inordinatus, & repugnantia ad ea, quæ propriarum culparum occaſionem præbent, ſed in iis anguſtiis conſtituto, adeſt divina miſericordia, nube ſuæ protectionis, virga ſuæ omnipotentiæ; uti olim Iſraelitis; eamque tradit ducibus a ſe conſtitutis, quibus juriſdictionem in hoc Sacramento tradidit cum magna potentia ad mare dividendum, tranſitumque facilem reddendum pœnitentibus, deſiderantibus ſalvare animas ſuas; ut ita ſecure per hoc mare pertranſeant. Et quemadmodum Moyſes primum populi illius animas verbo erigebat, poſtmodum vero mare virga aperuit: ita prudens confeſſarius peccatorem afflictum erigit dicens illi: Ne hoſtium furorem pertimeſcas, nunc quidem eos erectos, & viventes vides, poſt paululum ſubmerſos a Deo videbis, & extinctos. Ne horreas maris amaritudinem: eſt enim rubrum Chriſti ſanguine tinctum pro tuis peccatis; hoc mare non ingrederis ut in eo moriaris, ſed ut vivas; nam peccato mori, eſt Deo vivere: D nec ſemper tibi in mari hoc eſt permanendum, ſed per illud ad terram promiſſionis tranſeundum. His & ſimilibus aliis rationibus, quas Deus ſuggerit Confeſſario, animum ille pœnitentis erigit, manumque operi admovens ad aggrediendum impellit, ut timorem deponat: & tantus nonnunquam eſt lacrymarum, & ſingultuum fervor, quem Dominus noſter pœnitenti tunc communicat, ut Sacramenti efficacitatem illi manifeſtet, ut omnes repugnantiæ, ac timores, quibus antea concutiebatur, quaſi ſubmerſi eſſe videntur & ipſimet hoſtes clamare videantur, ſicut tunc Ægiptii: *Fugiamus Iſraelem; Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* *Exod. 14. 25.* Aliæ tentationes non minus importunæ affligere ſolent pœnitentes, etiam qui libenter ad confeſſionem accedunt. Duritia ſcilicet cordis, quam ſecum afferunt: utpote ſine dolore, & ſenſu peccatorum ſuorum, aut quia non ſatis proprium, vivumque ſibi formant conceptum, aut æſtimationem peccati lethalis: aut quia cor hominis vehementi aliqua paſſione E vinctum tenetur; aut inordinatæ alicui ſenſuali affectioni tradidit ſeſe, & quamvis hinc deſerere eam vellent, ut cum fructu confiterentur, inde tamen non ſe ſatis expediunt, aut ſtatuunt id efficaciter velle. Sed in his etiam Dominus noſter Sacramenti virtutem oſtendere, & corda etiam ſaxis duriora emollire, & reddere teneriora, inſpirando confeſſariis, ut percutiant petram, & profluere faciant aquas vivas, fontemque illius aquæ, quæ ſalit in vitam æternam. Dicet enim confeſſariis quod olim Moyſi, & Aaroni dixit: *Loquimini ad petram, & illa dabit aquam.* *Num. 20. 8.* Ad duas petras loqui debent confeſſarii, ut voti compotes fiant. Primum ad petram vivam, Chriſtum Dominum noſtrum humiliter ſupplicantes, ut cor illud durum emollire, gratiæque ſuæ aquam ei largiri dignetur. Qemadmodum Moyſes & Aaron primum preces ad Deum fuderunt, dicentes: F *Domine Deus aperi populo huic theſaurum fontem aquæ vivæ.* *Num. 20. 6.* Collocata vero fiducia in Salvatoris ipſius miſericordia debent mox ad duram peccatoris petram loqui *bis eam virga percutientes:* proponentes ſcilicet duplex genus rationum, timoris, & amoris. Timoris erunt revocanda illis in memoriam, mortem, judicium, infernum, & reliqua temporalia, & æterna ſupplicia, quæ Deus rebellibus, duriſque cordibus minatur, & periculo in quo verſantur in ea incidendi; propterea enim Eccleſiaſticus dixit: *Cor durum male habebit in noviſſimo: & qui amat periculum in eo peribit*, abſque ullo remedio. Amoris rationes erunt: proponendo illis æterna præmia, beneficia divina, ſpiritualia & temporalia bona, quæ Deus ſuis amicis communicat. Quemadmodum tamen Moyſes, etiamſi primo ictu non eduxit aquam ex petra, non propterea animum, & confidentiam abjecit, ſed ſecundum adhibuit ictum, & tunc erupit aqua valde copioſe: G ita etiam non abiiciet animum confeſſarius, ſi prima ratio quam attulerit cor pœnitentis non emolliverit; ſed addenda eſt ſecunda & tertia, quia cum ipſe minus cogitaverit, aderit Deus, qui interno ictu erumpere faciat fontem lachrymarum. Nam neque Petrus ad primum galli cantum converſus eſt, ſed ad ſecundum: *Recordatus verbi quod dixerat ei Jeſus*, a quo tunc interius tactus, *flevit amare.* *Mar. 14.12. Lucæ 22. 6.* alias difficultates habet ipſa confeſſio; quia interdum, quamvis cor ſit jam tenerum; eſt tamen ita intricatum, ut non ſciat ſe expedire, & aperire quæ habet, ſive id proveniat ex ignorantia rerum aliquarum, quas non intelligit; aut quia illæ ſunt multæ; & ex ſe ipſis involutæ, & intricatæ: aut denique, quia paſſio, & affectus facile in rebus propriis iudicium rationis obfuſcat, ideoque cæleſti favore, & auxilio ad eas extricandas eſt opus. Propterea enim ipſe Dominus dixit: *Pravum eſt cor omnium & inſcrutabile; quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes*, *Jer. 71.9.10.* hoc eſt examinans occultiſſima quæque. Id quod ſolet Deus in hoc Sacramento per ipſos confeſſarios efficere, H quibus cœleſte lumen largitur ut conſcientias extricare, & explicare poſſint ad ſanandum. Ad expugnandum enim cor aliquod irretitum, cujus muri ſunt peccata, habitationes vero paſſiones, & cupiditates, neceſſe eſt convenire Sacerdotes, & pœnitentes, & ſepties, ac ſæpius conſcientiam illam circumire, inveſtigantes quidquid in ea latet ſeptem peccatorum capitalium, & circumſtantiarum eorum, ita ut nihil ſuperſit occultum, quando autem poſt hoc exa-

men

Scr. forte An. 1607. men illa omnia innotuerint: debent pœnitentes os aperire, & magno ſenſu ea confiteri: ipſi vero confeſſarii buccinis clangent jubilæi, proferentes ſcilicet ſententiam abſolutionis, exhortationis, item monita & conſilia ſalutaria, quorum virtute muri corruunt, & peccata evaneſcunt, Hoc vero impedimento adeo difficili ſublato, liber patet ingreſſus ad cor illud, & invitandos omnes habitatores, qui ſupererant vivi, abſcindendo ſcilicet A habitus, & conſuetudines vitiorum, paſſiones ipſas & effrænes cupiditates, ad ſuccendenda quæcumque earum erant occaſiones & fomenta. Ac propterea; ut S. Bonaventura monet; in confeſſione dum aperiuntur culpæ, licet etiam referre confeſſario internas, & externas tentationes nobis importunas; valde enim horrent Dæmones, ſi eas confeſſario pœnitens aperiat, & Deus Dominus noſter confeſſarium adjuvat, & dirigit, ut apta, & ad rem accommodata remedia, ad eas vincendas adhibeat Id quod Deus ipſe in ſene quodam Serapione oſtendit, qui cum Abbati ſuo gravem gulæ ſuæ tentationem aperuiſſet, ecce lampas accenſa de ſinu Serapionis procedens ita locum replevit odore ſulphureo, ut vehementia fætoris ipſius vix in eo reſidere eos permitteret; quæ lampas teſtimonio fuit ardentis ipſius paſſionis, quæ ita fuit extincta, & in perpetuum conſopita: ut non ſolum poſtea non ſenſerit ſe ea paſſione pulſari; ſed neque amplius venerit in memoriam. B Hanc admonitionem aliaſque admirandas, dabat S. Apoſtolus Petrus fidelibus, quod tradit Clemens ejus diſcipulus his verbis: *Inſtruebat B. Petrus actus ſuæ vitæ omni hora cuſtodire, & omni loco Deum reſpicere: cogitationes malas* Pont. lib. 11. c. 8. §. 1. *cordis ſui advenientes mox ad Chriſtum allidere & Sacerdotibus Domini manifeſtare.*

CAPUT VIII.

De Confeſſionis Sacramentalis efficacia. & utilitatibus.

ET quando pœnitens illam ſingularem Dei erga ſe providentiam expenderit, tum inſignes & excellentes hujus Sacramenti utilitates conſiderabit, ut nihil reliquum ſit, quod ad minus perfectam confeſſionem faciendam prætendere poſſit. Bonæ Confeſſionis utilitates. Dat confeſſio imprimis gloriam Deo, eo ipſo quo fidem ejus profitetur, ſpem in illo collocat, charitate illum complectitur, virtutem religionis colit, C actum divini obſequii exercet; Dei juſtitiam commendat, quæ ſatisfactionem exigit; miſericordiam, quæ clementer indulget; ſapientiam, quæ liberat inuſitatis modis. Dat honorem Chriſto, quia per illam clareſcit multa efficacia ſanguinis ipſius, & meriti, non ſolum in propria perſona, ſed etiam cum applicatur per manus Sacerdotis, manifeſtatur non minus efficax, & vivida: *Gaudent inſuper Angeli ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia.* Luc. 15. 17. Eccleſiæ item reſtituitur membrum vivum, & filius multarum lachrymarum. Reipublicæ bonum affertur; confeſſione ſiquidem multis ſcandalis occurritur, medicina malis innumeris præbetur. Sic etiam agnoſcunt paſtores vultum pecoris ſui: Confeſſarii rurſum viſo aliorum lapſu diſcunt humiles eſſe, conſiderantque & ſe infirmitate circumdatos eſſe. Pœnitenti tandem utilis eſt confeſſio, ea enim reſipiſcit 2. Tim. 2. *a laqueis diaboli, a quo captivus detinebatur.* Anima formatur nova creatura: intellectus diſcit ſapere; D voluntas divina incipit velificari; memoria Dei beneficiorum recordatur. Potentia tota in Dei ſervitium intenditur, ſenſus obediunt rationi, ut & eorum appetitus: *Cor & caro exultant in Deum vivum.* Pſal. 83. 13. Certius etiam ei poſt confeſſionem conſtat de venia peccatorum, a confeſſario opportunis remediis juvatur, ejus opera, conſilio, & perſuaſione bona injuſte ablata reſtituit; complet omiſſa vota, promiſſis ſtat, conciliat amicitias, damna illata compenſat, liberat præſtitam fidem, ultimam voluntatem mandat exequtioni, contractus illicitos ſolvit, negotiationes periculoſas, & merces tollit. Denique confeſſio eſt pulchritudo in conſpectu Dei: *Vis eſſe pulcher* Epiſt. 113. ait S. Auguſtinus; *confitere: fœdus eras: confitere ut pulcher ſis: vome mala, quæ avide voraſti, & vide ne redeas ad vomitum.* At ſuavius S. Bernardus: *Bonum animæ ornamentum;* Serm. de grand. conf. inquit; *confeſſio, quæ & peccatorem purgat, & juſtum reddit purgatiorem. Si peccata ſunt, in* E *confeſſione lavantur, ſi bona opera confeſſione commendantur. Cum mala tua confiteris, ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cum beneficia, immolas Deo ſacrificium laudis. Abſque confeſſione juſtus judicatur, ingratus, & peccator mortuus reputatur: confeſſio igitur eſt peccatoris vita, juſti gloria; video David dicentem peccavi & audientem: Tranſtulit Dominus peccatum tuum. Conſidero Mariam, ſi non verbis, tamen operibus publice ſua crimina confitentem, & Dominus pro ea reſpondentem: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Reſpicio Principem Apoſtolorum negantem timide, amariſſime flentem: felicem latronem intueor ſe accuſantem, Chriſtum excuſantem, & Dominum promittentem. Hodie mecum eris in paradiſo. O quam ſublimis iſta confeſſio, per quam de patibulo ad regnum, de terra ad cœlum, de cruce latro damnatus, ac crucifixus ad paradiſum aſcendit.* F Quis tantis utilitatibus non ſeipſum vincat, & non animoſe ad ſe accuſandum apud Sacerdotem accedat? Quis hac occultiſſima revelatione peccati, qua uni tantum Sacerdoti dicuntur, flagitia ab oculis univerſi non operiat? Nam in extremo judicio peccata hic ab oculis ſacerdotis abſcondita, cum ignominia oculis omnium Pellec. lib. 5. c. 16. P. Alv. c. 6. §. 2. col. 57. Angelorum, & hominum aperientur, & quia nunquam fuerunt pœnitentia purgata in æternum punientur.

SECTIO QUINTA.

DE SATISFACTIONE, ET VITÆ REFORMATIONE.

CAPUT I.

De Satisfactione per Jejunium, Eleemoſynas, & Orationem.

G COnfeſſionis itinere expedito, reliqua duo inchoamus ſatisfactionis, & reformationis: quæ ordinarie ſimul peraguntur. Satisfactio pars eſt Sacramenti pœnitentiæ; Deus enim Dominus noſter ita cum culpa æternam pœnam, quæ in inferno luenda erat remittit: ut ejus loco temporalem aliquam exigat, vel in hac vita, vel in Putgatorio luendam. Id primum exempla varia ex ſacris litteris petita demonſtrant. Adam primus parens noſter poſt peccatum ſuperbiæ, & inobedientiæ Gen. 3. remiſſum miſeriis, ſudoribus, doloribus, laboribus ſubactus fuit. Moyſes obtinuit remiſſionem Num. 20. peccati diffidentiæ, & tamen ab ingreſſu ad terram promiſſionis excluſus fuit. Populo Iſrael remiſit Deus idololatriæ peccatum, & tamen inquit: *Ego autem in die ultionis viſitabo, & hoc peccatum eorum.* Exod. 32. 34. Mariæ donatur murmurationis noxa, lepra tamen ſeptem dierum punitur. Davidi pœnitenti Dei nomine dicitur a Nathan Propheta: *Tranſtulit quoque Dominus peccatum tuum, verumtamen filius, qui natus eſt tibi morietur.* 2. Reg. 12. 13. H Eidem poſt remiſſionem peccati optio datur, ut e tribus unum eligat ad illius peccati vindictam. Heli remittitur culpa, & tamen in ultionem violenta morte caſtigatur: 2. Reg. 12. 14. cætera prætermitto. Deinde Sancti Patres agnoſcunt: paſſim enim docent ab iis etiam quos peccatorum pœnituit, Deo ſatisfieri oportere jejuniis, precibus & aliis corporis afflictationibus, ut redimantur ea ratione peccata. Concilium Tridentinum definit, Seſſ. 6. c. 30. ratio tandem concludit recte id a Deo eſſe decre-

tum,

Scr. forte An. 1607.

Apocal. 18. 17.

A

Rom. 12. 1.

B

Mar. 5. 7.

C

*Pont.Tr.*34. 34.*c.*10.§.1. *Pellec. lib.* 5. *c.* 17.

tum. Impius enim ſe creaturis ad ſuam delectationem, vel utilitatem perverſam, vel uſum ſuæ liberæ voluntatis illigat, Deumque graviter offendit; merito ergo ab illo caſtigatur, juxta illud: *Quantum glorificavit ſe, & in delitiis fuit, tantum date ei tormentum & luctum*. Tollitur autem pœna operibus ſatisfactoriis, tribus; Jejunio, Oratione, & Eleemoſyna: Illis enim pretioſiſſimum quoddam noſtrarum omnium rerum ſacrificium Deo offerimus. Nam jejunio, & aliis operibus carni noſtræ moleſtis, quales ſunt flagellationes, cilicia, & alia ſimilia, offerimus, ut ait Apoſtolus: *Corpora noſtra hoſtiam viventem:* cum eis quæ delectabilia ſunt hujus mundi ſubtrahimus. Rectum eſt enim ut caro lugeat, induatque cilicium, & jejuniis, aliiſque pœnis afficiatur, quæ in culpis admittendis liberior fuit, & effrænis. Et quemadmodum naturalis ipſe pœnitentiæ inſtinctus, ut ait S. Ireneus, effecit, ut Adamus, & Eva ſtatim atque peccatum admiſerunt, nuditatem ſuam foliis ficus, quæ aſpera ſunt operuerint, aliis mollitoribus prætermiſſis, ita ſupernaturalis virtus pœnitentiæ, qui juſtificatus eſt, habet cum inclinat ad carnem ſuam aſperitatibus caſtigandam, ut continuatos ejus exceſſus puniat. Eleemoſyna, & miſericordiæ operibus corporalibus offerimus ei facultatum noſtrarum hoſtias, dum nos earum commodis ſpoliamus: eleemoſynis etiam ipſius Dei debita modo quodam exſolvimus, eumque a promiſſione ſuis pauperibus facta liberamus, qua recepit ſe eorum neceſſitatibus ſubventurum; nudus veſtem ab eo petit, famelicus cibum, ſitiens potum, infirmus petit viſitari; in carcere, & captivitate detentus redimi; mortuus ſepeliri; quia igitur Deus in hujuſmodi neceſſitatibus conſtitutus ſubventurum ſe recipit, ſi tu ex miſericordia ei ſubvenias, Deum a promiſſionis debito liberas, ipſeque opus tuum acceptat, atque ſi ejus nomine, & loco illud feciſſes, ideoque liberaliſſime, quod tu illi debes ignoſcit, quia tu ſolviſti, quod ille debebat, ideo enim dixit: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*. Oratione, & operibus divini cultus, ſacrificium ei laudis offerimus, noſtrumque ſpiritum ſacrificamus, tradentes illi cor noſtrum, rem ſcilicet illi præ aliis gratiſſimam; & quoniam multi pœnitentes præſtare non poſſunt alias pœnitentias corporales ob ſuam imbecillitatem, aut eleemoſynas ob paupertatem, ſolent ut plurimum Confeſſarii tertium hoc ſatiſfactionis genus eis præſcribere, qualia ſunt ſacro miſſæ intereſſe, pſalmos, coronas, ſive roſaria, & litanias orare, eccleſias viſitare, conciones audire, pios libros legere, & aliquid temporis divinis myſteriis meditandis impendere, aliaque ſimilia opera, quæ ad cultum divinum vitamque contemplativam ſpectant, quæ ad utrumque prædictum finem valde conducunt. Valde enim pro peccatis præteritis ſatisfaciunt, quatenus carni, & ſpiritui ſunt gravia: Quemadmodum ergo Magi obtulerunt puero Jeſu Thus, Aurum, & Myrram, ita & nos myrram, offerimus jejunii, quod eſt carni amarum; Aurum eleemoſynæ, quæ pauperi datur; & Thus orationis, quæ in cœlum aſcendit.

CAPUT II.

De habitibus vitioſis corrigendis, & relapſu peccatorum vitando per eadem media.

D

Joann. 11.

DEinde qui per pœnitentiam reſurgunt, ut plurimum non exuunt, aut deſerunt, quemadmodum Chriſtus Dominus noſter linteamina, & feralem amictum in ſepulchro, ſed prodeunt, quemadmodum Lazarus, *pedibus, & manibus ligati inſtitis*. Nam etiam dimiſſa culpa manent habitus & conſuetudines vitioſæ, a pravis priſtinis actionibus genitæ, & ab ipſis paſſionibus, praviſque carnis propenſionibus ortæ, quæ velut veſtes, & amictus ſunt hominis veteris, & linteamina, quibus is mortuus, & in peccato ſepultus, erat involutus. Quod ſi ſis fervens, merito pœnitens erubeſces indui veſtibus mortui, cum jam vivas; & quem Deus nova gratiæ ſuæ veſte jam induit: merito ſtudere debes, ſtatim exuere antiquas, & laceras pravorum habituum veſtes, ut ambulare & vivere poſſis ſicut homo reſuſcitatus: idque facies, ſi corporalium pœnitentiarum exercitatione ita carnem mortificaveris, ut antiquas exuat conſuetudines. *Imitari*; ait S. Auguſtinus; *Oportet prudentiam ſerpentum, qui pellem inveteratam advertentes ex eo, quod per terram ſerpant, quando novam illis naturam dat, per anguſtum foramen ingrediuntur, ut veterem exuant, ita ut nova pulchritudo appareat, illiſque ſit viſui: ita tu videns te pravis moribus indutum, eo quod pravis tuis affectibus per res terrenas ſerpſeris, ingredere*, ut ait, *per anguſtam portam*, mortificationis, ſcilicet, & pœnitentiæ, ut feralem illum amictum, veſteſque veteris Adami exuente, ſplendere incipiant pretioſæ virtutum veſtes, quas novus Adamus tibi infudit; & qui ſumme peccatum eſt deteſtatus; ut reconciliareris Chriſto: merito debes id totum odiſſe, quod ex radice adeo noxia eſt ortum. Propterea enim dixit Apoſtolus: *Qui ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis*. Non enim ſolum carnalis ipſa vita culparum eſt jugulanda; ſed habitus quoque vitioſi, & concupiſcentiæ jam quaſi naturales effectæ, ſunt omnino mactandæ, ut nihil ex ejus familia & genere cum vita ſuperſit: hujuſmodi enim adeo generale ſacrificium Deo ſummopere placet, tuæque animæ eſt tutiſſimum. Nam ſi rem bene perpendas, caro ipſa rebellis valde eſt ſpiritui; ſuarumque paſſionum rebellione, & pertinacia ad novas eum culpas inducit, & in bonorum operum exercitatione ſegniorem reddit, ac pigriorem, & quoniam ex vili genere eſt, & progenie beſtiarum neceſſe eſt metum incutere flagellis, & aliis pœnis inflictis: ut ſaltem præ metu abſtineat a tentando, & irritando ad peccatum: ſeque ſpiritui ſubiiciat in omnibus, quæ ille præceperit: ſiquidem tanquam ancilla & mancipium obedire tenetur. Quæ omnia mirifice complexus eſt Eccleſiaſticus dicens: *Cibaria & virga, & onus Aſino; panis & diſciplina, & opus Servo*. Quiſnam hic eſt aſinus, & hic ſervus, niſi corpus noſtrum? jumentum eſt enim; quia ejus habet propenſiones; ſervus autem; quia ad id fuit conditum, ut ſpiritui ſerviret, & impoſita onera portaret. Et quia jumentum eſt tardum, ſervus piger, rebellis, ac fugitivus; pane ſimul, & baculo opus eſt: nutrimentum ei negari non debet, ne deficiat; ſed virga & diſciplina in manu eſt tenenda, ad puniendas ejus rebelliones, pigritiam excutiendam, eumque in ſuis actionibus urgendum. Præſcribe illi operum penſum, in quo occupetur; vocales orationes, quas recitet; juſtitiæ & miſericordiæ opera, quæ facere, & occupationes in quas incumbere debeat; in quibus ſi defecerit, virga percute, moneaſque diſciplina, donec eas expleat: audi quod idem Eccleſiaſticus addidit: *Servo malevolo tortura & compedes, mitte illum in operationem ne vacet;* quaſi diceret: carnem hanc & ſenſualitatem adeo rebellem primo ob admiſſa delicta torque, & flagellis preme: tum compedes adhibe gravium mortificationum; ne laborem fugiat: ſed ſuo Domino, qui eſt ipſe ſpiritus, ſe ſubiiciat, ac proſternat. Coge illam igitur bonis aliquibus actionibus occupari: multam enim malitiam docuit otioſitas, quæ eam faciet magis obſtinatam. Quod ſi etiam ſanguinis aliquid illi extraxeris: noli propterea triſtari; nam per hujuſmodi ſanguinem diſcit illa virtutem: & ſpiritus bona comparantur. Sanctus enim Apoſtolus de ſeipſo loquens dicit: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*, cogens ſcilicet illud ad obtem-

E

Lib. qq. in Mat. 40. 4.

Matt. 7.18.

Coloſ. 3. 9.

F

Carnem domandi modus.

*Eccl.*33. 25.

G

Ibid. 28.

H

1. *Cor.* 9.27.

Scr. forte An. 1607. temperandum. Et quomodo illud cogebat? Theodoretus vocem græcam, qua Apoſtolus uſus eſt pro latina voce caſtigo; ait ſignificare; uſque ad livorem contundere. Contundebat itaque Apoſtolus corpus ſuum, lividumque reddebat, & cruen- *Pont. c. 11. §. 1.* tabat; ſic enim excellentes in ſe virtutes inſerebat.

CAPUT III.

A

Alia remedia pro vitandis peccatis mortalibus.

SED ſi cupis adverſum vitia bellum movere, eaque è domo cordis tui eiicere; non tantum utili occupatione, circumſpecta attentione, & contrariis actibus, ſed etiam aliis modis ea expugnabis. Primo magnum odium, & implacabilem indignationem adverſus vitia concipias; nihilque aliud cum Chryſoſtomo, quam peccatum timeas; nulla re cum Ambroſio, niſi traſgreſſione legis concutiaris; cum Anſelmo in infernum potius demergi, quam in peccatum conſentire velis. Iſtud enim ſpirituale bellum, non tepida deſideria imperfectorum, ſed deſiderium vehemens, ex magno vitiorum odio ortum, quod ad opus progrediatur, requirit. Deinde huic vincendi deſiderio aſſiduam orationem adjunge, qua inſtanter a Domino petas, ut tibi adverſus omnia vitia, & præſertim adverſus illud, cum quo ſpecialiter pugnas, victoriam concedat: Nam ipſe eſt, qui ſicut immittit deſi- B derium pugnandi, & vincendi voluntatem; ita etiam dat nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Beata quoque Virgo Maria, & omnes Sancti interpellandi ſunt, qui & orationes noſtras exaudiunt, & potentes ſunt apud Dominum, ut vires gratiæ ad hoc bellum feliciter peragendum nobis impetrent. Tertio vitii occaſionem, quod impugnare vis, animoſe fuge, ut ſingula ſauciaris; convivia, & ciborum lautitiam, & conſortia ventri ſervientium evita; ſi avaritia deprimeris, pretioſam ſuppellectilem, & vel unius obuli poſſeſſionem declina: ſi ſuperbia turges, hominum plauſus, & laudationes, nec non & omnia, quæ apud mortales ſplendent, dignitatis munera, ſi potueris cave. Occaſio fortes ſuperat, quanto magis infirmos deiiciet. Prohibitum olim a Deo fuit ne quis duplici ſemine ſeminet, veſtem lana, & lino contexeret, & bove ſimul ac aſino terram *Levit. 4.12.* aratro proſcinderet. Præceptum item fuit, ut pellis, & omnes carnes cum capite, & pedibus, & C inteſtinis, & fimo, reliquoque corpore extra caſtra efferrentur. Quo indicatur eum, qui Deo mentem ſuam immolavit, debere ſua omnia ex caſtris, in quibus occaſio peccandi fuit, efferre, niſi illis configi, vulnerarique velit. Sunt parvæ quidem, & debiles occaſiones peccandi, ſed unum, & idem eſt dæmoni per feneſtras ingredi, aut muros tranſcendere, aut per anguſtum foramen ſerpere. Quarto ſi te ſentias ab aliquo vitio impugnari, ſtatim in principio impugnationis reſiſte: facilius eſt enim infirmum hoſtem vincere, quam de robuſto, & valido victoriam reportare. Modicum ſemen, id eſt primam vitii cogitationem evelle, ne altas radices in corde figens in arborem proceram excreſcat. Primæ ſerpentis ſuggeſtioni aurem obtura, ne verba ejus voluptatis melle circumlita mulierem, nempe ſenſualitatem decipiant; & per mulierem virum, id eſt, rationem ad con- *Job. 4. 7.* ſenſum inflectant. *Reſiſtite diabolo;* inquit Jacobus Apoſtolus; *& fugiet a vobis.* Quando autem D reſiſtendum eſt ei, niſi cum incipit in regnum noſtrum erumpere? Quinto, ſi adverſus particulare aliquod vitium, utpote ſuperbiam certare velis, omnes orationes tuas, quotidianam pſalmodiam, miſſæ ſacrificium, jejunia, vigilias, cilicia, flagella, miniſterii occupationem, corporales labores, & quidquid aliud bonum inciderit, Deo humiliter offeras, & ea expreſſa intentione *Marc. 9.28.* facito, ut in te Dominus ſuperbiam comprimat, & virtutem humilitatis infundat: *Hoc enim genus dæmoniorum;* dixit æterna veritas; *non eiicitur niſi in oratione, & jejunio,* quo vitia ſignata ſunt, quæ debent aſſiduis orationibus pelli, & bonis operibus ad ea delenda ſuſceptis extirpari. Sexto, magnum etiam adjumentum adfert earum rerum recordatio, quæ timorem incutiunt, ut mortis, judicii, pœnæ æternæ peccatoribus præparatæ, vel conſideratio beneficiorum Dei, & divinarum promiſſionum, ut excitemur ad amorem ipſius, & odium omnium, quibus poſſumus offendere divinam ſuam bonitatem. E Septimo, efficaciſſimum remedium eſt frequens uſus SS. Sacramentorum, confeſſionis, & Euchariſtiæ, quia hæc ſunt quaſi medicinæ cœleſtes, non ſolum ad peccata delenda: verum etiam ad ſanandos noſtros inordinatos affectus, ad reprimendas paſſiones, ad tollendum omnem animi languorem, & denique ut eſſent certa quædam amoris incentiva, quibus inflammata voluntas noſtra facilius reſiſtat inclinationibus pravis, & vincat omnes tentationes, mundi, carnis, dæmonis. Octavo, ſi vitium aliquod perfecte non viceris, ne deſpondeas animum, nec ab ejus impugnatione ceſſes, quia ſi humiliter, ac conſtanter perſeveraveris, tandem victoriam aſſequeris: aut ſaltem ſi Dominus leves in te caſus adhuc permiſerit, id ad tuam humilitatem, & patientiam faciet, & ut perfectus non in tua juſtitia, ſed in ſua miſericordia confidas. Præter hæc ſunt alia quædam remedia magis particularia, & propria, contra cujuſque defectus, F quæ uſurpari, & applicari poterunt ſecundum conſilium confeſſarii, & tam hæc, quam illa alia aſ- *Brun. Tra. de Pœnit. P. Alv. Lib. par. 2. c. 2.* ſumi debent, cum magnitudine animi, peſeverantia, & certa ſpe victoriæ fundata in auxilio divino, & Chriſti gratia.

CAPUT IV.

De Jejunio, & modo, quo pœnitentiæ corporales ſint peragendæ.

AD hoc facit Apoſtoli admonitio dicentis: *Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei,* *Rom. 12. 1.* *ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Ad cujus intelligentiam præmittit Angelicus Doctor: tribus modis poſſe nos offerre corporum noſtrorum ſacrificium, eoſque omnes, ſanctum Apoſtolum hac ſententia fuiſſe complexum. Primus modus eſt per Martyrium, quo ad horrenda tormenta, ipſamque mortem, ſi opus eſt, cor- G pus exponimus, pro fidei, & Chriſtianæ religionis defenſione. Secundus fit per ſpontaneos cruciatus, & externas pœnitentias. Tertius fit cum bona opera exercemus, in quibus difficultatem, & repugnantiam ſentimus, offerimus enim Deo ſacrificium juſtitiæ, quo jugulamus noſtram voluntatem, ut expleamus divinam. Quod nominatim præſtamus, cum reliquis duobus operibus ſatisfactoriis operam damus: dum ſcilicet corporalia opera exercemus, miniſtrantes infirmis, & per nos ipſos ad pauperum, & egenorum miſerias reparandas accedentes, & ſimiliter cum vocales orationes fundimus: & reliqua divini cultus opera, in quibus etiam corpus fatigatur, præſtamus. Omnia vero hæc externa opera iis circumſtantiis, & conditionibus ſunt exercenda, quas S. Apoſtolus præſcribit: dando ſcilicet operam, ut illa ſint hoſtiæ vivæ, non ſolum vita charitatis abitualis, quæ eſt in juſto; ſed etiam vita actuali, quæ amo- H ris ſpiritum eis conjungat: ut gratiæ vita conſervetur, & augeatur. Si ergo teipſum humilias idipſum fac ex interno humilitatis ſpiritu: ſi facis eleemoſynam, id fac cum ſpiritu comiſerationis: ſi jejunas, aut teipſum flagellas, id fiat cum ſpiritu contritionis, aut aliquo alio affectu eorum, quos jam ſubiiciemus: nam externi operis corpus vivificari, & adjuvari poteſt variis internorum actuum ſpiritibus: a quibus ad fines diverſos dirigatur: Quod ſi omnia hæc deſint, oblatio illa

ex-

Scr. forte An. 1607. externa inſtar eſſet corporis ſine anima, hoſtiæ mortuæ, & nullius valoris. Ex quo oritur, ut eadem oblatio ſit: Hoſtia Sancta, cavendo diligenter, ne quid culpæ illi admiſceatur, quæ illam maculet, aut aliqua circumſtantia deſit ex qua illo obfuſcetur: Nam alioquin obiiciet tibi Dominus illud Malachiæ: quod tuis oblationibus illum Malac. 1.6. non *honores*, ſed potius *deſpicias*, offers enim *panem pollutum*, & quod peſſimum eſt, ex grege tuo cæcum, claudum & languidum: dum externo A operi, ex ſe alioqui bono culpas admiſces, imprudentias, intentiones non rectas, alioſque plures defectus. De talibus quæritur Eccleſiaſticus: Eccl.34.18. *Unus ædificans, & unus deſtruens, quid prodeſt illis, niſi labor!* Si enim jejunas, & oras, ut pro tuis culpis ſatisfacias: Sed ipſo jejunio & oratione novas contrahis culpas, quæ alia indigent ſatisfactione, & ſolutione; fruſtra laboras. Eam ob cauſam hortatur idem Apoſtolus, ut hæc hoſtia ſit etiam Deo placens, intendendo ſcilicet ejus honorem, & gloriam, ipſique placere: & quo præcipit, aut conſulit exequi: non admiſcendo inanem aliquam intentionem placendi hominibus, aut honorem aliquem, aut commodum temporale ab eis ſperando, aut quærendo. Propterea enim Chriſtus Dominus in illo ſermone, quem ad ſuos diſcipulos habuit in monte, adeo commendavit intentionis puritatem, præcipue in jejunio eleemoſyna & oratione publica, ne horum operum fructus evaneſceret. Sed quoniam hujuſmodi B opera perire etiam poſſunt, ſi in eis fiat exceſ-
Rom. 12. 1. ſus, adjecit Apoſtolus: *Rationabile obſequium veſtrum:* quaſi diceret, tota veſtra oblatio, & obſequium ſit moderatum, ac diſcretum: ut omnia corporis veſtri ſacrificia diſcretionis ſale condiantur, memores ſemper conſilii Apoſtoli, quo diſcipulo ſuo Timotheo, in ſeipſum ſeveriſſime dixit:
1.ad Tim.4. *Exerce teipſum ad pietatem, nam corporalis*
Pont.Tr.3. *exercitatio in ſe ad modicum utilis, pietas autem*
c.11.§.2. *ad omnia eſt utilis.*

CAPUT V.

Ratio perfecte faciendi eleemoſynas pro divitibus, & pauperibus.

ARS omnium, quæ ſunt in terra, quæſtuoſiſſima, teſte Chryſoſtomo, eſt ars faciendi eleemoſynam, hanc ſi dives perdiſcere vis, exemplum accipe in Booz divite, ac potente, qui modo quodam excellente pauperculæ Ruth miſertus C eſt: quam videbat in agro ſuo ſpicas colligentem: nec bolum panis, aut aquæ hauſtum habentem, quo ſeſe in tanto labore, & æſtu refrigeraret. Ruth. 2. 9. Nam primum non expectavit ipſe, ut Ruth panem & aquam peteret: Sed proprio motu, videns ejus neceſſitatem ea illi obtulit. Si itaque miſericors es, ac dives: ne expectes donec pauper eleemoſynam petat: cujus etſi lingua taceat, ejus tamen neceſſitas petit, præcipue cum pauper ex illis eſt, quos occultos, & præ pudore non audentes mendicare, appellamus; hujuſmodi enim pauperibus ipſa verecundia os obſtruit, ne mendicent: ſed vera miſericordia aures habet apertas, & miſeriæ eorum clamores exaudit; uti David dixit: *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem:* & qui ejus curam gerit. Tales Abraham, & Loth, qui non expectarunt, ut peregrini eos rogarent: Sed ipſi prævenientes rogabant illos, immo magna amoris ſignificatione cogebant oblata munera accipere, ad quorum imitationem, D & tu ipſe merito aliquando exibis, ut pauperes hujuſmodi verecundos quæras; qui aut ægroti ſunt, aut præ pudore domi ſuæ latent, aut viſitabis hoſpitalia, promptaque voluntate tuas illis offeres eleemoſynas. Et ſi quis valde egenus ad fores domus tuæ acceſſerit, merito exibis, apertiſque ulnis excipiens, præveniens illum, dans illi id, Luc. 10. 33. quo eum egere intelliges: imitatus pium illum Samaritanum, qui hominem videns ſpoliatum, & ſemivivum in via jacentem, etiamſi nihil peteret, appropinquans tamen alligavit vulnera ejus, & reliqua fecit, quibus ille opus habuit. Eleemoſyna deinde, quam Booz obtulit Ruth liberalis fuit, & copioſa: non enim illa die tantum eam cibavit, ſed juſſit etiam: *Ut tamdiu meſſoribus* Ruth. 2. 21. *ſuis jungeretur, donec omues ſegetes meterentur, & cum eiſdem cibum ſumeret.* Divites enim liberales eſſe decet, juxta facultates, quas a Deo acceperunt: regulam illam ſequentem, quam ſe- E nior Tobias filio ſuo dedit, imitantes, dicens: *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam: & noli aver-* Tob. 4. 7. *tere faciem tuam ab ullo paupere, & ſi multum tibi fuerit abuudanter tribue; ſi exiguum tibi fuerit, etiam illud libenter impertiri ſtude; proemium enim bonum tibi theſaurizas in die uecessitatis.* Sed quis hic dies alius, quam dies vitæ tuæ? cum te magna neceſſitate premi ſenties, ob imminentem Deo reddendam rationem. Sed non ſufficit, quod eleemoſyna ſit larga, niſi & modum illum conjunctum habeat, quem ipſius Booz eleemoſyna habuit, inditiis ſcilicet magnæ caritatis oſtenſis, quibus Ruth neceſſitati compatiebatur: cum qua loquebatur humaniſſime: iis circumſtantiis divites monens, ne faciant eleemoſynam cum aliquo mundanæ liberalitatis ſpiritu, quæ ut S. Gregorius ait, cor prius offert, quam donum: contra Chriſtianam enim miſericordiam Lib.19.mor. eſſet mala verba pauperi dare, & exigua miſeri- cap. 14. cordia, tantum verba dare, etiamſi bona ſint: F quæ ut S. Jacobus Apoſtolus dixit parum illi pro- 1. Jacob. 2. ſunt. Sed ulterius multo progreſſa eſt excellens 15. Booz miſericordia: quæ non ſatis habuit, quod ipſe Ruth ipſius miſereretur, & liberalem ſe in eam oſtenderit; *Sed mandavi*, inquit, *pueris meis, ut uemo moleſtus ſit tibi;* Ruth. Sæpe enim evenit, ut dives ſit pius & miſericors: famulus vero, per quem eleemoſynam largitur, ſit moroſus, & male affectus; non decet autem, ſi dominus eſt liberalis, & humanus, domus præfectum parcum eſſe & moroſum, expeditque tale incommodum a miſericordi divite præveniri, & averti. Huc accedit quod Booz eam miſericordiam, & eleemoſynam fecerit, modo quodam ingenuo, & honorato dicens Ruth: *Etiam cum ſitieris vade ad ſar-* Ruth. 2. 9. *cinulas, & bibe aquas de quibus & pueri bi-* 14. *bunt: & quando hora veſcendi fuerit, veni huc & cemede panem*, quemadmodum cæteri ad eorum menſam. Immo ipſo die propria manu dedit illi quod comederet, ut colligitur ex alia tranſlatione dicente: *Porrexit ei granatum*, cibum G ſcilicet quo meſſores veſcebantur, ex frumenti granis toſtis confectum. Ex quo apparet pium divitem debere eleemoſynam facere, modo qualitati pauperis accommodato, illum ſcilicet juxta ſui ſtatus qualitatem honorando: nec ſemper mittere debet eleemoſynam ad ipſam portam domus; ſed ſubinde inducere pauperem in ipſam domum, & ſternere ei menſam, in qua comedat. Immo aliquando coniiciendo oculos in eum, quem pauper ipſe refert, & cujus amore dives eum recepit; decet ad propriam menſam illum adhibere: quemadmodum Sanctus Lodovicus Rex Galliarum faciebat, ſervata interim decentia, & decore convenienti; nec ſemper danda eſt eleemoſyna per alterius manum, ſed etiam interdum propria; ſolet enim Dominus noſter tale factum particulari aliqua conſolatione remunerare; quæ pars quædam ſit illius centupli, quod in hac vita largitur facienti eleemoſynam: quod experiuntur quotidie qui hoſpitalia viſitantes pauperibus miniſtrant, ma- H nus eorum lavant, ungues abſcindunt, & cibum porrigunt, etiam in ipſum os eum immittentes; & omnes blanditias illis oſtendentes, quas pia & ſollicita mater ægrotanti filio oſtenderet. In hujuſmodi enim occaſionibus locum habet, quod ipſe ſalvator dixit: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & mater eſt,* Matt. 12. & licebit certe matrem Chriſti appellare eum, qui ut illi obediat, ſervit, miniſtrat, & matris ſpi-

Scr. forte An. 1607.

ritus indulget pauperi, in quo eſt ipſemet Chriſtus. Cum igitur filii valde gratos ſoleant ſe in matres ſuas oſtendere; quos favores, quas delicias non exhibebit hic dominus, iis, quos matris ſuæ nomine dignatur; eo quod tale officium in ipſum exercent. Eſt autem aptum medium ad vitanda peccata, hujuſmodi pauperes viſitare, intuendo in eis imaginem tuam, & ex eis agnoſcendo iiſdem te miſeriis eſſe ſubjectum, quibus illi, ex A quo altiores in humilitate jacies radices. Sed prædictis omnibus ultimam Booz manum impoſuit, cum ſuis pueris præcepit: de veſtris quoque manipulis proiicite de induſtria, & remanere permittite, ut abſque rubore colligat, cogitans, ſe jure legis poſſe eas colligere. O charitatem admirandam! O perfectæ miſericordiæ inventiones, quæ modum, & viam adinvenit, qua pauper tanquam ſibi debitum accipiat, quod ex mera gratia offertur! De magno illo S. Joanne Eleemoſynario fertur, quod cum intelligeret, juvenem quemdam nobilem, & divitem in magnam paupertatem incidiſſe, is ne eleemoſynam accipere erubeſceret, juſſit quendam ejus famulum in antiqua charta B recognitionem aliquam ſcribere, qua conſtaret Sanctum hunc multis annis debuiſſe parentibus ejus, magnam auri ſummam, eique offerre, quo peracto ſine ulla mora recepit ſpecie crediti honoratiſſimam eleemoſynam. Omnia hæc præcipuam ſuam originem habent ab humilitate, quæ miſericordiam comitatur: in qua non hominum laudes, ſed gloria ipſius Dei quæritur, non eleemoſynarius haberi, ſed revera talis eſſe apud Deum, faciendo eleemoſynam ita occulte, ut homines id non videant: quemadmodum S. Nicolaus eleemoſynam fecit, qua tres virgines nubere poſſent, quæ alias erant in periculo; ſecutus di- *Matt.6.2.* ctum Chriſti: *Cum facis eleemoſynam noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis. Et te faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua:* hoc eſt ſtude pro poſſe intentionem tuam occultare, ut non ſolum alios homines lateat, ſed ſi fieri poſſit, etiam teipſum. Sed ſi pauper es, & artem callere cupis faciendi eleemoſynam: exemplar reſpice in paupere Ruth tibi propoſitum, quæ exiit, ut labore ſuo ſpicas colligens, non ſeipſam tantum, ſed æque pauperem Noemi; quæ tanquam ætate grandeva domi manſerat, aleret, ac ſuſtentaret. Nam cum veſperi domum rediret; *tres modios* *Ruth.2.18.* *hordei, quos excuſſerat ex ſpicis collectis*, ſtatim tradidit *ſocrui ſuæ: inſuper protulit, & dedit* C *eidem reliquiis cibi ſui, quo ſaturata fuerat*, & quem Booz eleemoſinæ nomine illi dederat. Quo facto duplicem rationem oſtendit, qua poſſint eſſe etiam pauperes eleemoſynarii: tantumque, aut etiam plus promereri, quam divites. Altera ratio eſt laborando propriis manibus, ut ex mercede laboris, proximorum neceſſitatibus ſubveniant; juxta illud Apoſtoli: *Operari ma-* *Eph.4.* *nibus ſuis, ut haberent unde tribuerent neceſſita-* *Lib.4. Dial.c.36.* *tem patienti:* Talis fuit ille Religioſus de quo S. Gregorius; quod cum tota hebdomada in conſuendis calceis laboraret, quicquid poſt ſuam ſuſtentationem ſupererat die ſabbati pauperibus irrogabat. Et alius monachus vidit, quod eidem religioſo pulchrum in cœlis palatium ædificaretur, cujus conſtructores ſolo die Sabbati videbantur operari, ut ſic appareret pretioſam apud Deum fuiſſe eleemoſynam, quæ illis diebus, & ex tali labore fieret. Alter modus quo poteſt pauper eleemoſynas facere eſt; quando alios pauperes parti- D cipes facit ejus eleemoſynæ, quam ipſe ab aliis *Tob.4.9.* tanquam pauper accepit: *exiguum etiam libenter impertiendo*, quod quamvis quantitate ſit exiguum æſtimatione tamen eſt magnum: ſiquidem ſibi ipſi ſubtrahit, quod aliorum neceſſitati ſublevandæ impendat. Hoc eſt quod ipſe Salvator noſter laudabat in paupere vidua mittente aera minuta duo in gazophilacium. Hoc item eſt quod Chriſtus in ſeipſo, etſi pauperrimo exprimere volens, juſſit ex collectis *egenis aliquid dari*. Quod *Joan.13.29.* exemplum præclare ſecutus pauper ille Servus paralyticus, de quo S. Gregorius; *Lib.4.Dial. cap.14.* Quod cum ex eleemoſynis vitam ſuſtentaret; quicquid ei ſupererat aliis pauperibus irrogabat; in die autem obitus ſui Angelorum muſicam, & cœleſtes laudes audivit, quibus comitantibus in cœlum aſcendit, ut hinc animum pauperes aſſumant ad dandum aliis pauperibus, quod habuerint, licet non aliud, quam aquæ hauſtum, quo nihil minus dari poteſt, E cum Chriſtus Dominus dixerit: *Quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ* *Matth.10.42.* *frigidæ, tantum in nomine diſcipuli, & in nomine meo, amen dico vobis non perdet mercedem* *Marc.9.40.* *Pont.lib.1. c.12.§.1. & 2.* *ſuam*. Ego enim illi gratiam aquæ vivam cum tanta ſpiritualium bonorum abundantia dabo: ut omnia ſua bona, deſideria in hac vita, & in futura æternum exſatiet.

CAPUT VI.

Quo Spiritu Orationes ſatisfactoriæ fundendæ ſint.

TErtios pœnitentiæ fructus complectitur oratio, quæ & pro peccatis præteritis ſatisfacit, & ad vitæ reformationem, & perfectionem maxime conducit. Unde S. Chryſoſtomus: *Si magnum,* *In Pſ.116.* inquit, *aliquod donum Deo offerre volumus, nihil habemus laudatione majus*. Cæterum oratio iſta aliter a peccatoribus recenter converſis, ſeu ab incipientibus: aliter vero a perfectioribus uſurpanda. F Incipiens initio & toto tempore orationis in ſua meditatione conſideret peccati malitiam, & fœditatem, pœnas terribiles ad ipſum puniendum paratas, *Modus orandi incipientium.* mortis acerbitatem, divini judicii rectitudinem, gehennæ cruciatum, & æternitatem. Cogitet miſerias ſæculi, brevitatem rerum viſibilium, mundanorum, ac prophanorum hominum vanitatem. His & aliis ſimilibus poterit ſuas meditationes formare, & in ſeipſo affectus deteſtationis peccati, doloris, pudoris, contemptus ſæculi, & ſuipſius gratitudinis, & amoris erga dominum tantorum erratorum condonatorem accendere. Nam & de Salomone, qui in Sacris Scripturis Sapientiſſimus nominatur, ſcriptum eſt: *Quoniam diſputavit ſuper lignis a cedro, quæ* *eſt in Libano uſque ad hyſſopum, quæ egreditur* 3. *Reg.4.* *de pariete: & diſſeruit de jumentis, & volucribus, & reptibilibus, & piſcibus*. Univerſa quippe ſapiens, non ſine aliquo ordine, id eſt juſtus conſiderat; primo quidem hyſſopum, quæ egreditur de pariete, id eſt proprium delictum, G quod a terra maledicta noſtri cordis procedit, & conſideratum ad humilitatem inclinat: poſtea vero cedrum Libani, id eſt Chriſtum Salvatorem, cujus meditatio ad altitudinis amorem, ac deſiderium perfectionis inflammat. Primo jumenta, & reptilia cogitat, ſcilicet beſtiales motus ſuos humi repentes, ut illos comprimat, poſtea volucres & piſces, id eſt res ſublimes, & a terra diſtantes, ut cor ſublime, & ab amore viſibilium avulſum accipiat. Sedeat primum cum Maria ad pedes Domini, & lachrymis riget, antequam oſculi memoriam faciat, & de manu Domini ampliora beneficia petat, ſeipſum ad modum illius pœnitentis Publicani ad infimum locum templi conſtituat, & præ pudore oculos ad cœlum levare non audeat, ut aliquando tandem non præſumptuoſe, ſed obedienter, quia ſcilicet a Domino ad alia exercitia vocatur, ad honorabiliorem locum aſcendat. Hic orationis & internæ exercitationis mo- H dus a viro mediocriter perfecto uſurpari non debet. Memoria enim præteritorum peccatorum impedit mentis tranquillitatem, tollit internam ſuavitatem, atque dulcedinem, minuit ſpem, aut in quemdam teporem convertit, ut non audeat homo in oratione magna petere, magna deſiderare, & more filii dilectiſſimi, ac Sponſæ cariſſimæ affectibus amoris vacare, Cujus rei Caſſianus mo- *Caſſ.Coll.20.* nens

Scr. forte An. 1607. nens Pinuphium Abbatem: *Cæterum*, inquit, *quod paulo ante dixiſti, te etiam de induſtria præteritorum peccatorum memoriam retractare, hoc fieri penitus non oportet: quinimo etiamſi violenter irrepſerit, protinus extrudatur. Multum namque mentem retrahit a contemplatione puritatis ejus præcipuæ, quæ in ſolitudine moratur*, & plura alia ad propoſitum affert, quæ prætereo. Memoria itaque peccatorum pœnitentem mundat A perfectum fuſcat illum ad proficiendum, iſtum ad nimium, & ſuo ſtatui non convenientem timorem invitat. Quare incipiens illam ut pretioſam gemmam cuſtodiat. Proficiens, & perfectus pro ſolidioribus, & ſuavioribus imitationis, gratitudinis, & amoris cibis adiiciat. Hæc autem communiter ſervanda ſunt, ſed aliquando utile eſt etiam profectis, quaſi ad initia converſionis redire, & præteritorum peccatorum memoriam refricare, tunc ſcilicet cum aliquam ſuperbiæ, & ambitionis tentationem præſentiunt, cum aliquo tepore & negligentia pulſantur, cum defectum aliquem ſolito graviorem admiſerunt, cum inter alios a Domino communi calamitate caſtigantur, & denique cum ſpeciali impulſu ſe vident ad peccata commemoranda vocari. Hujus generis erat memoria peccatorum Davidis; *Pſalm.* 50. S. Petri apud Clementem, *1.Tim.c.1.* S. Pauli; & noſtris temporibus SS. Ignatii, B Franciſci Xaverii, Borgiæ &c. qui ut ex ipſorum *P. Alv. lib. 1 c.* 8 §. 4. & 5. exercitationibus ſpiritualibus conſtat, continuo ex memoria vitæ præteritæ ſeipſos ad incredibilem quemdam humilitatem, & infra omnes res creatas dejectiones mirabiliter excitabant, neque in peccatis priſtinis tanquam in cœno retardante jacebant, ſed tanquam in commemoratione beneficiorum Domini reſpirabant.

Finis Tractatus Primi.

TRACTATUS II.

De Examine diurno ad maculas quotidianas eluendas.

C ABſoluto Generali Conſcientiæ examine, ſequitur Diurnum, quo quid die toto fecimus, ac omiſimus, minutim expendimus. Hoc itaque, ſicut & ſequenti, potiſſimum leviora, ſeu peccata venialia examinabimus: quis enim credat viros perfectionis amantes, & tot mediis ad bene vivendum circumvallatos; qui hæc conſcientiæ examina ſibi propriæ vendicant; graves lapſus habere, quos ut quotidie examinent, aut octavo quovis die confiteantur? Modus ac finis erit in utroque examine hoc, ſcilicet, & ſequenti: Primum materiam, & formam, ſeu methodum ea inſtituendi præſcribere, dein remedia, pro omnibus, & ſingulis peccatis eluendis, & fugiendis ſuggerere.

CAPUT I.

Quanti momenti ſit hoc diurnum conſcientiæ Examen.

MIrifice profecto nobis a SS. Patribus commendatur: S. Baſilius, qui de antiquiſſi- D mis eſt, qui regulas Monachis ſcripſere, iis in regula præcipit, ut examen hoc quotidie inſtituant; idem quoque in ſua regula præſcribit S. Auguſtinus; ſuos & S. Antonius Abbas idem edocuit, atque ipſum ut obſervarent ſerio commendavit. His accedunt S. Bernardus, Bonaventura, Caſſianus, & communiter omnes. Chryſoſtomus porro explicans illa Prophetæ Davidis verba: *Pſal.* 4. 5. *In cubilibus veſtris compungimini*, de hoc examine loquens, & ut ipſum ſingulis veſperis ante ſomnum fiat, conſulens, prægnantibus duabus rationibus conatur inducere. Prima eſt, ut die ſequenti magis diſpoſiti & paratiores ad non peccandum, & ad eas culpas, in quas pridie lapſi ſimus cavendas inveniamur; quod enim hodie nos examinaverimus, deque iis dolorem conceperimus, nec non emendationis propoſitum fecerimus: certum eſt id frenum quoddam fore ad eaſdem poſtera die rurſus non committendas. Secunda quin etiam, pro die hodierno freni cujuſdam loco nobis erit, E quod conſcientia nobis veſperi ſit examinanda; quod enim noverimus nobis etiam hoc ipſo die commiſſis reddendam, noſque examinandos eſſe, nobis ad inſtar ſtimuli futurum eſt, ut circumſpectius, cautius, ac prudentius vivamus. Comparatio Nam ait Chryſoſtomus ſicut Paterfamilias ab œconomo ſuo rationes expoſcit, ne, ſi eas ſemel dare omittat, id ei alicujus negligentiæ, & oblivionis, ut poſt rationes intricatæ inveniantur, occaſio ſit: ita nos æquum erit illas quotidie a nobis expoſcere, ne ſi in eo ſegneſcamus, & noſtri obliviſcamur, computus vacillet. Tertiam rationem dant SS. Ephræm, & Joannes Climacus, Comparatio dicentes: quemadmodum ſeduli, ac providi mercatores quotidie diei lapſae cum lucra, tum diſpendia ſupputant, & ad rationes revocant, & ſi quod detrimentum comperiunt, ipſum ſummo ſtudio reparare, ac reſarcire ſatagunt: pari modo noſtrum eſſe quotidie noſipſos examinare, & compendii, diſpendiique F noſtri ſpirituales rationes inire, ne jactura in dies fiat deterior, & increſcat. Aliud inſuper examinis hujus quotidiani commodum adfert S. Dorotheus, ſcilicet dum ſic quotidie delicta noſtra examinamus, eorumque nos pœnitet vitium, ac paſſionem inordinatam profundas in nobis radices non acturum, nec pravos in corde noſtro habitus, & conſuetudines adaugendas. Unde bene R. D. M. Avila; non diu, inquit, defectus tui durare poterunt, ſi hoc in te duret examen; ſi quotidie, immo ad ſingulas horas rationes a te expoſcas, teque peccantem reprehendas. Si nihilominus tui defectus durent, & poſt multos dies & annos fortaſſis paſſiones tuæ tam indomitæ, vivæ, & contumaces ſint; non alia mihi crede ejus rei eſt cauſa, quam quod media, quæ ad profectum noſtrum in ſpiritu ſunt inſtituta, non pro eo ac oportet uſurpes; nam ſi ſerio, & ex animo proponeres, vel defectum aliquem expugnare, vel virtutem conſequi, & magna in hoc ipſum diligentia, G ac ſollicitudine animi connitereris, cum ter per diem ad minimum, mane videlicet, meridie, & veſperi emendationem proponendo, tum quotidie lapſus veſpertinos cum matutinis, & hodiernos cum heſternis, & huius ſeptimanæ cum hebdomada ſuperiori conferendo, dolendo quoque, & erubeſcendo, quod toties lapſus ſis, gratiam quoque emendationis a Deo, & Sanctis poſtulando: fierine poſſet ut poſt tantum contentionis tempus nihil omnino profeciſſes? Non ſolum autem Sancti, verum etiam ipſi gentiles Philoſophi, lumine naturali, quam hocce medium neceſſarium, & efficax ſit, facile intellexerunt; nam magnus ille Philoſophus Pythagoras; uti S. Hieronymus, & D. Thomas referunt; inter alia documenta, id ſuis diſcipulis præcipue præſcribebat, nimirum duo, ut quotidie quiſque ſibi deſignaret tempora, unum mane, alterum veſperi, quibus ſe in tribus potiſſimum rebus examinarent, ſcilicet: *Quid feci, quomodo id* H *feci, quid agendorum omiſi?* tum ſi quid in iis boni notaret, gauderet; ſi vero quid mali, de eo doleret. Idem quoque commendant, & faciendum ſuadent Seneca, Plutarcus, Epictetus, & alii. Quicumque ergo ſerio Deo ſervire ſtatuit, tanto in pretio hoc conſcientiæ quotidie examinandæ exercitium habeat, ut id velut maxime neceſſarium, & efficaciſſimum ad proficiendum in ſpiritu medium eſſe arbitretur. Nulla etiam adeo prægnans, & urgens debet eſſe occupatio, quæ ad Examen hoc omittendum ſufficiat, ſi tamen

men id ob occupationem urgentem, ac neceſſariam hora aſſignata quis facere nequeat ipſum, poſtea quam poterit citiſſime facere procuret, uti ſtatim aſſumpto prandio antequam aliud quid operis aggrediatur. Quapropter omnes intelligant, & norint oportet numquam fas eſſe examina, tam particulare, quam diurnum, quacunque etiam ex cauſa omittere. Huc accedit quod ægrotanti plus quam ſatis materiæ ſit, circa quam A particulare ſuum Examen tunc faciat: puta circa voluntatis ſuæ infirmitatem, ac dolorem quos ſibi Deus immittit, nec non in medicamentis ac catapotiis, quæ medicus præſcribit, utpote (quæ interdum morbo ipſo gravius morbidum cruciant & affligunt) cum divina conformationem; nec *Rodriq.* non circa patientem errorum defectuumque, quos *Tract. 7.c.1.* circa ſe fieri putat tolerantiam.

CAPUT II.

De materia, hoc eſt rebus, quæ in hoc examen adducendæ ſunt.

DIxi parte prima examen hoc quotidianum eſſe velut ſpirituale capitulum, quo anima, vel ratio ejus omnes habitatores domus ſuæ, id eſt omnes actiones ſuas convocat, ut perperam admiſſa corrigat. Sicut fratrum multitudo, inquit Hugo, ut errata corrigat, ſtatutis horis ad capitulum confluit, ſic mentis ratio cogitationes diverſas ad ſecretum cordis quandoque B vocat, ut & incorrigibiles eijciat, corripiat, inquietas negligentes emendet, erudiat ſimpliciores mitiget iracundas, voluptuoſas reſtringat, pigras excitet, conſoletur puſillanimes, doceat indiſcretas. In hoc capitulo bona, & mala diſcutienda ſunt, multa ſunt quæ bonarum actionum examen expoſcunt: ſæpe enim proprio amore id faciente decipimur, & quod malum eſt, bonum cogitamus; accedat ergo judicium examinis, ut nos a deceptione vindicet, & an opus noſtrum bonum fuerit, an vero malum, vel imperfectum, declaret, qui negligens eſt in diſcutiendis ſuis bonis operibus ac cogitationibus manifeſte periculo caſus & peccati expoſitus eſt, dum pro utili cogitatione inutilem, & pro bono opere malum *2. Reg. 4. 5.* admittit. Occiſus eſt ab hoſtibus Isboſeth, quia non oſtiarium, id eſt virum fortem & ſtrenuum, ſed hoſtiariam, nempe fœminam negligentem, & dormiturientem ſuæ cuſtodiæ deputavit. Cuſtodiat ergo mentem noſtram non tantum frequens, ſed & diligens ſolicitaque diſcuſſio, quo opera C virtutis, & an talia ſint, qualia apparent, aut exiſtimantur, ſapienter dijudicet. Et ſi juſtitiam ipſam bonorum operum judicaturus eſt Dominus, quis erit tam audax, qui prius opera ſua etiam juſta non judicet? Artis pictoriæ diſcipulus opus a ſe factum non ſemel, ſed multoties inſpicit, & emendat, ut quantum potuerit expolitum, & emendatum magiſtro emendandum offerat, & nos audebimus opera bona a Deo examinanda non emendare, & minus inſpecta, & limata committere? O quam multi diſcuſſionis extremæ tempore illud Iſajæ ſunt audituri! *Iſai. 1.22.* *Argentum tuum verſum eſt in Scoriam, vinum tuum mixtum eſt aqua*, argentum eloquia caſta *Pſal. 11. 7.* ſignificat, nam; *eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum*. Dicetur ergo illis virtutes veſtræ imperfectæ, & adulteratæ ſunt, quoniam innumeris culpis, & defectibus earum D actiones mixtæ ſunt. Quod ipſum præcavens S. *Job. 9. 28.* Job: *Verebar*, inquit, *omnia opera mea ſciens quod non parceres delinquenti*, quaſi dicat; ſcio Domine, non ſolum te opera mala caſtigare, ſed & imperfectiones, ac culpas bonis actionibus adhærentes punire; ideo omnia opera mea etiam bona diſcuto, ut dum imperfectiones in eis fugio, punitionem etiam evadam. Cavendum itaque eſt dicit S. Gregorius ne bona noſtra pauca ſint, curandum ne indiſcuſſa, ne aut pauca agentes inveniamur ſteriles, aut indiſcuſſa relinquentes recordes; nec enim unaquæque vere virtus eſt, ſi mixta aliis virtutibus non eſt. Si autem bona opera diſcutienda ſunt, multo potiori ratione mala ſunt omnino limæ examinis ſubiicienda, ut nimirum per conſcientiæ diſcuſſionem non ſolum culpas, & defectus noſtros videamus, ſed etiam qualitatem, & magnitudinem mali, quod commiſimus, ſpectemus; illud enim probe cognitum ad E compunctionem, ut diximus, movet, & vera cordis contritio ex auxilio gratiæ procedens divinam miſericordiam flectit, & remiſſionem adducit. Dominus dixit ad Brigittam: Nullum *Brig lib. 1. revel. c. 36.* peccatum cela, nullum dimitte indiſcuſſum, nullum peccatum puta leve, nullum negligendum. Et S. Bernardus ad fratres de monte Dei: Diſcito igitur, o frater, tibi præeſſe, ut jam Bernardus te doceat, & vitam ordinare, mores componere, temetipſum judicare, & temetipſum apud temetipſum accuſare, ſæpe vitam condemnare, nec impunitam dimittere. Sedeat judicans juſtitia, ſtet rea, & temetipſum accuſans conſcientia, nemo te plus diligit, nemo melius judicabit. Veſpere præteriti diei rationem exige, & ſupervenientis noctis fac indictionem, ſic diſtricto nunquam aliunde laſcivire vacabit. Vere ita fieri debet, ut nimirum bona ex miſericordia Dei facta, ab eo quod imperfectionis miſeria humana contraxerunt, purgentur; & mala ex fragilitate noſtra patrata per contritionem, & pœnam debitam deleantur.

F

CAPUT III.

De forma, & partibus hujus examinis, & primum de duobus primis.

QUia Examen eſt quoddam ſpirituale judicium, forma judicii in eo ſervanda eſt ut recte & utiliter a nobis fiat. In judicio vero, in quo quis non tantum alicujus criminis, verum etiam & ingratitudinis accuſatur erga eum, quem crimine ſuo læſit, primo loco fit commemoratio beneficii, deinde inquiſitio & probatio criminis, & poſtremo ſententiam Judicis, qua reum damnat, & debita pœna caſtigat. Hujus generis videtur nobis conſcientiæ examen, in quo nos non ſolum culparum, ac defectuum, verum & ingratitudinis erga Dominum accuſare debemus, & condigna afflictione punire. Unde Richardus: Aliud eſt tempus inveſtigandi quæ ſunt ſupra ſe, atque aliud eſt tempus diſcutiendi, quæ ſunt intra ſe, omnia G enim tempus habent. Tempus itaque eſt contemplandi magnalia divina, & eſt tempus conſiderandi infirma noſtra. Iſtud eſt tempus flendi, illud eſt tempus ridendi: nam & ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia, cur non ſit tempus ridendi, in matutino divinæ revelationis, in contemplatione æterni luminis, cur non ſit tempus flendi, in veſpertino horrendæ viſionis, in conſiderandis humanæ conſcientiæ tenebris? In hoc igitur tempore flendi, & conſiderandi tenebras noſtras quinque facienda ſunt, quæ concurrunt ad formam noſtram, ſive modum examinis. Primo commemoratio beneficiorum Dei, & hominis, ac fervida gratiarum actio. Secundo poſtulatio gratiæ ut valeamus culpas noſtras defectuſque cognoſcere ac inveſtigare. Tertio, inquiſitio, & diſcuſſio conſcientiæ, qua defectus & culpas H omiſſionis aut commiſſionis agnoſcamus. Quarto dolor, ac deteſtatio peccatorum, admiſſorum, ac emendationis propoſitum: Quinto debita pœnæ, & caſtigationis aſſumptio. Primo ergo examen incipies ab actione gratiarum, pro immenſis beneficiis a liberalitate divina ſuſceptis. Hæc enim grata beneficiorum commemoratio, & humilis peccatorum confeſſio, & accuſatio coram Domino facta, vehementius dolorem, & compunctionem impellet, & facilius miſericordiam impetrabit. Etſi omnis ora-

Scr. forte An. 1607.

Gratiarum actio.

A

B

Jer. 17. 9.

Petitio luminis.

Ibid. c. 12. §. 1. 2.

oratio a gratiarum actione debet incipere, maxime iſta in qua volumus lucem ad noſtri cognitionem petere, & erratorum remiſſionem impetrare; gratiarum autem actio generalis non eſt multum utilis: ſpecialis vero, omnia ſigillatim beneficia complectens, eſt impoſſibilis: media ergo via tenenda eſt, & beneficia generalia, & aliqua illius diei particularia in gratiarum actionem revocanda; dic ergo: „ Domine Deus meus immenſas ago gratias tibi: *primo*, quia ab æterno me dilexiſti, & ut ſpero prædeſtinaſti ad gloriam tuam: *ſecundo*, quia me ex nihilo creaſti ad imaginem tuam: *tertio*, quia me, & omnia popter me conſervaſti: *quarto*, quia me, & omnia ad me pertinentia propter me regis, & diſponis: *quinto*, quia me pretioſo ſanguine redemiſti: *ſexto*, quia te mihi in Doctorem, Medicum, vitæquæ exemplum dediſti: *ſeptimo*, quia me ad Eccleſiam tuam, & tui cognitionem vocaſti: *octavo*, quia ad hunc ſtatum, quem profiteor, adduxiſti: *nono*, quia Sacramentis, inſpirationibus, Sanctorum exemplis, ad bonam vitam non ceſſando adjuviſti: *decimo*, quia ex inimicitia (ut ſpero) ad amicitiam provexiſti, & juſtificaſti: *undecimo*, quia me ab infinitis periculis perdendi gratiam tuam liberaſti: *duodecimo*, quia plurimis donis internis, & externis, naturæ & gratiæ ditaſti; *decimotertio*, quia mihi, ut ſpero, ab æterno certum gradum gloriæ præparaſti: *decimoquarto*, quia me hodie ad orationem, ad Corporis & Sanguinis tui Sacramentum admiſiſti, & in tuo obſequio continuiſti: *decimoquinto*, quia me infinitis aliis beneficiis affeciſti, & in æternum afficere non ceſſabis. „ Sic facta gratiarum actione, auxilium gratiæ ad te cognoſcendum petes. *Pravum eſt enim cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud?* & cum ad hoc reſpondeatur: *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes;* ab eo utique qui poteſt, petendum eſt, ut cor noſtrum, ejuſque dolos aperiat. Sit autem petitio brevis hoc modo, dicendo: „ Et Tu o Domine liberaliſſime his omnibus beneficiis nunc, *quæſo*, aliud adjunge, ut lucem è tua ſede ad me mittas, & abundantem gratiam tribuas, qua poſſim mea peccata cognoſcere, & eorum quæ adverſum tuam majeſtatem commiſi, ad fletum & debitam pœnitudinem recordari. „

CAPUT IV.

C

De tertia examinis parte, quæ eſt culparum propriarum diſcuſſio.

Lib. de Meditat. ante medium.

D

Cogitationes.

E

Verba.

F

Opera bona

G

H

POſt hæc duo, quæ ſunt veluti præludia, ad ipſum conſcientiæ examen veniendum eſt: & examinanda ſunt omnia noſtra, quæ claritatis gratia, diſtribuenda ſunt in cogitationes, affectus, & ſermones, & opera. Quid in tribus iſtorum, nimirum in affectibus, cogitationibus diſcutiendum ſit; Hugo victorinus in hunc modum edocuit: In affectibus conſiderandum eſt, ut ſint recti, ſinceri, hoc eſt, ad id, ad quod, & quomodo debent eſſe, diligere enim quod non oportet, malum eſt; itaque bonus affectus eſt, quando eſt ad id, ad quod, & quos debet. In cogitationibus conſiderandum ut ſint mundæ, & ordinatæ: mundæ ſunt, quando, neque de malis affectionibus generantur, neque malas generant affectiones. Ordinatæ ſunt, quando rationabiliter, hoc eſt, tempore ſuo adveniunt. Primo hujuſmodi non ſunt cogitationes minus pudicæ, & honeſtæ, ſi ſtatim non repellantur. Secundo, cogitationes præſumptionis, quibus in rebus agendis homo plus de ſeipſo confidit quam debet. Tertio, cogitationes puſillanimitatis, & vani timoris, quibus in iiſdem rebus in Deo non confidit. Quarto, cogitationes æſtimationis propriæ, dum quis ſupra meritum ſuum magna de ſe ſentit, & ad hæc, vel illa ſe aptum cenſet. Quinto Cogitationes deſpicientiæ aliorum, dum quis alios, ut dyſcolos, inidoneos ad negotia eſſe cogitat, neque has cito reiicit. Sexto, judicia temeraria, etiam in rebus levioribus maxime ſuperiorum, dum quis eorum dicta aut facta, aut intentionem damnat, & abſque ſufficienti fundamento in malam partem judicat. Septimo, iræ interiores, & indignationes animo conceptæ, adverſus aliquem, & deſideria parvæ vindictæ. Octavo, invidiæ de bonis fratris, & quia nobis præponitur, animo concepta triſtitia. Nono, cogitationes propriæ commoditatis in cibo, potu, ſomno, utenſilibus, recreationibus, quæ ad ſuperfluitatem, aut non actu, vel habitu Dei gratia quæruntur. Decimo, cogitationes otioſæ rerum inanium ad nos non pertinentium, quibus cor paſcimus inutiliter. Hæ cogitationes, & aliæ ſimiles ſunt peccata venialia, niſi debita repulſa, & reſiſtentia eas ſtatim reiiciamus a nobis. Et ſunt ſufficiens materia confeſſionis. De verbis Hugo nihil dixit, ſed in iis conſiderandum eſt, ut vera ſint, nemini noxia, ad aliquid neceſſaria tempore convenienti, & loco prolata, modo denique debito dicta. Hujuſmodi non ſunt. Primo mendacia jocoſa, quæ joci, & riſus gratiæ, officioſa, quæ alicujus utilitatis propriæ, vel alienæ prætextu proferuntur, & leviter noxia. In his etiam continentur æquivocationes, & ambiguitates verborum. Secundo, verba detractionis, & murmurationis in rebus parvi momenti, quæ leve detrimentum inferunt, maxime ſi dicantur de Prælatis, aut Superioribus. Tertio, verba quæ aliquam levem contumeliam, aut injuriam inferunt, non ex animo lædendi graviter prolata. Quarto, verba iræ & rixæ, quibus ex aliqua cauſa, ut argumenti cujuſdam, vel rei alicujus gerendæ, quis cum fratre rixatur. Quinto, Seminatio levis diſcordiæ inter duos fratres, quæ tamen facile, & ſine notabili damno ſopitur. Sexto, Verba adulationis, cum alius ad aliquem finem abjectum, indebito modo, aut ſine neceſſitate, & utilitate laudatur. Septimo, verba ſcurrilia, & jocoſa, a gravitate virorum ſpiritualium aliena. Octavo, Verba prephana, & ſæcularia de rebus, & negotiis mundanorum ad nos non attinentibus. Nono curioſitates, & novitates, & deſiderium eas ſciendi, & audiendi. Decimo, verba otioſa, quæ ſcilicet carent juxta neceſſitate, pia utilitate, & ſine ullo fructu dicuntur. Denique *in operibus conſiderandum eſt primo;* inquit Hugo; *ut bona intentione fiant. Bona intentio eſt, quæ ſimplex eſt, & recta; ſimplex ſine malitia, vel ſine ignorantia. Secundo, in operibus bonis conſiderandum eſt, ut ex recta intentione inchoata cum perſeveranti fervore ad finem perducantur, ut nec perſeverantia torpeat, nec amor tepeſcat.* Hæc ille, atque adeo examinanda eſt primo oratio; ſecundo miſſæ celebratio, aut auditio; tertio horarum canonicarum, vel aliarum orationum vocalium recitatio; quarto, ipſa conſcientiæ quotidiana examinatio; quinto, miniſterii quo ſpiritualia, vel temporalia tractamus executio; ſexto, quomodo nos habeamus erga Deum; ſeptimo, quomodo erga proximum; octavo, quomodo erga noſipſos. In his omnibus poteſt intervenire peccatum minus puræ intentionis, non ſervatæ circumſpectionis. Ut autem intelligas, quam ſubtiliter Sancti ſua opera bona diſcutiant, ut ab eis imperfectiones ſeparent, & per confeſſionem eluant, ſubiciam tibi notanda verba Thomæ a Kempis, qui libro de diſciplina Clauſtrali, Examinis formam præſcribens. Ad cavendum ergo, ait, deteſtabilem negligentiam, in examine propriæ conſcientiæ, deteſtabilem negligentiam, in examine propriæ conſcientiæ, de omni verbo & opere judicium tibi hora congruenti ſtatue, & rationem villicationis tuæ a te exige ſtricte ſerve male, & piger, hic qualiter hunc diem expendiſti, ecce notavi quod hodie ſuſcitatus, non alacriter ſurrexiſti, ſed pigritaſti in lecto, non attendiſti diligen-

Scr. forte An. 1607.

ligenter, vana tetractaſti, & præ inopia devotionis, etiam dormitaſti, & ſicut impræparatus templum intraſti, ſic indevotus exiſti, loquutus es inutilia, interrogaſti curioſe, judicaſti ſuſpicioſe, reſtitiſti ſæpe diſſolute, detraxiſti, commotus fuiſti, corde, & oculis evagatus es. Sæcularia incaute auſcultaſti, gaviſus es de melioribus ferculis, deſideraſti amplius, de vilioribus murmuraſti. Quæſiviſti te in parvis, & majora, ſcilicet charitatem, & fidelitatem amiſiſti. Negligenter horas legiſti, ſine devotione, ſine debita attentione, ſine diſtinta prolatione verborum, vide ubi corruiſti, & deſine ſuperbire, & gloriari de bonis a Deo perceptis. Semper deplora interioris hominis ſtatum multis paſſionibus implicatum Scrutare abſcondita cordis tui, ſi ira, ſi invidia, ſi concupiſcentia, ſi avaritia, ſi impatientia, aut triſtitia te movit, aut ſuperavit. Nec ſolum de malis peractis inveſtigandum eſt, ſed etiam de bonis neglectis perquirendum. Si beneficia Dei cum gratiarum actione percepiſti, ſi pro amicis, & adverſariis oraſti, ſi infirmis & tentatis compaſſus fuiſti: ſi petentibus auxilium, ſi mœrentibus ſolatium impendiſti. Si denique honorem Dei ſimpliciter, & pure quæſiviſti, ſi humanam laudem ſtrenue vitaſti; ſi propriam voluntatem prompte abnegaſti, ſi te nulli prætuliſti; ſi ſapienter correctiones accepiſti; ſi pœnitentiam injunctam humiliter impleſti; ſi nemini moleſtus fuiſti; ſi læſus clementer indulſiſti; ſi ab injurato veniam poſtulaſti; ſi pertinax non fuiſti; ſi contemptus non contradixiſti; ſi malum pro malo reddere non cogitaſti, ſed in bono malum vincere ſtuduiſti. Hactenus ille. Quibus ſane verbis converſationem noſtram, ante oculos mentis ita conſtituti, ut ex ea ſatis nobis erubeſcendum ſit, qui bona opera, quibus in dies ſanctiores eſſemus futuri, ita fœdemus, & ex eis non tam merita, quam imperfectiones, non tam cauſam lætitiæ, quam mœroris conquiramus.

A

B

Ibid. c.12. §. 3. & lib. 3. §. 1. 2. &c.

C A P U T V.

De quarta parte examinis, hoc eſt de dolore & contritione.

EX his faſciculum quotidianarum imperfectionum, & culparum tuarum, & acervum mœrorum, & triſtitiarum tibi colliges. Has culpas tuas juxta Dei beneficia ſupra commemorata ſtatue. Vide quomodo Deo tibi benefacienti reſpondeas, quomodo ejus dona compenſes, quam vilis, & ingratus ſis, qui pro beneficiis offenſas, pro donis culpas, pro amore oblivionem, negligentiamque retribuas. Luge frater, & lachrimas funde, ſatis enim magnam habes cauſam lugendi, quia nunquam ad examen venis, in quo non culpas & ingratitudines, & oblivionem tui nominis, & creatoris invenias. Ut autem peccata, quæ ex venialibus magis deteſtanda ſint cognoſcas. Nota tria eſſe genera peccatorum venialium. Alterum eorum, quæ ex infirmitate, & per quamdam ſubreptionem admittuntur; cujus generis ſunt modica in oratione, in pſalmodia, aut in miſſæ celebratione diſtractio; motus alicujus vanitatis, quæ ex operibus bonis, aut laudibus aliorum irrepſit; affectus nonnullius vanæ complacentiæ, immoderatus rigor ex zelo bono procedens; aut nimia manſuetudo in regendo, & his ſimilia, quæ non inverecundia, aut procacitas, ſed infirmitas humana ſæpe non potens ſe continere permittit. Alterum eſt eorum, quæ gravia, ſeu majora vocantur, & ex genere ſuo quidem ſunt mortalia, ſed ex accidenti aliquo, hoc eſt, ob carentiam pleni deliberatique conſenſus, aut ob materiæ parvitatem venialia redduntur, ut ſunt cogitatio impudica, appetitus vindictæ ſine pleno conſenſu, detractio proximi in re parvi momenti. Tertium eſt eorum, quæ media vocantur, ſuntque ex genere ſuo venialia, & quaſi ſcienter ex malitia commiſſa, ad quod genus pertinent officioſa mendacia, otioſi ſermones, ſcurrilitates, cachinni, curioſitates audiendi, & legendi vana, ambitiones, &c. in quæ ſatis frequenter noſipſos coniicimus. Triplex hoc peccatorum levium genus aptiſſime collegit ex Apoſtolo Cyrillus cum dixit: „ In quo manifeſte oſtenditur eſſe quædam peccata ita levia, ut ſtipulæ comparentur: cui utique ignis illatus diu non poteſt immorari. Alia vero fœno eſſe ſimilia, quæ & ipſa, non difficulter ignis abſumat, verum aliquanto tardius, quam ſtipulis immoretur. Alia vero eſſe, quæ lignis conferuntur, in quibus pro qualitate criminum diuturnum, & grande pabulum ignis inveniat. „ Illa quidem priora odio habebis, & in conſpectu Domini tuam imbecillitatem planges, & corde tenero illorum indulgentiam, & robur ad te emendandum petes. Hæc vero, quæ inditia ſunt cordis tepidi, & non admodum Deum amantis, vehementius deteſtaberis, & cum magno rigore, & confuſione miſericordiam poſtulabis, & teipſum verbis contumeliæ, & opprobrii reprehendes. Quod ut eo facilius eveniat, majorque emendationis fuctus evadat, exempla virorum perfectorum, & Sanctorum, qui præceſſerunt ob oculos propone. S. Job, Ille, inquam, qui primam gratiam & innocentiam ſervavit, peccata ſua levia, & ſatis levia, alicujus immoderati mœroris, & liberioris quærimoniæ in tantis calamitatibus magna compunctione delevit. *Idcirco*, inquit, *me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere:* quia ſcilicet minus caute loquutus ſum, ideo dolore compungor, meipſum valde deſpicio & quaſi cinerem, & favillam reputo, & quaſi in nihilum redigo. De Paula Romana narrat Hieronymus, eam levia peccata ita planxiſſe, ut graviſſimorum criminum crederet ream, & dicebat; quod inter ſæculi homines, vel leve putatur, vel nihil, hoc in monaſteriis graviſſimum delictum eſſe. De Auguſtino non eſt quod dicamus, cum ex ſuis Confeſſionibus conſtet, quam amare non ſolum peccata gravia, ſed & levia defleverit. De Maria Ogniacenſi ſic ſcribit Jacobus de Vitriaco Epiſcopus & Cardinalis doctiſſimus. Teſtem Deum invoco me nunquam in tota ejus vita, vel converſatione, vel unum potuiſſe mortiferum peccatum deprehendere, ſi quod tamen fortaſſis exiguum veniale ſibi admiſiſſe videretur cum tanto cordis dolore, tanta cum verecundia, & rubore, cum tanta contritione ſe oſtendebat Sacerdoti, ut plerumque præ nimio cordis angore inſtar parturientis exclamare cogeretur: tametſi etiam ab exiguis, & venialibus culpis, adeo ſibi caveret, ut crebro ad dies quindecim neque unam inordinatam cogitationem ſuo poſſet pectore reperire. De Elzeario Comite, & viro ſanctiſſimo, narrabant ejus Confeſſarii illum cum magna cordis contritione, etiam minima peccata confiteri ſolitum. Et Iſidorus ait; Quid peccatores de magnis ſceleribus agere debent, quando perfecti levia quoque delicta graviſſime lugent.

C

Tria peccatorum venialium genera & quæ?

D

Lib. 14. in Levit. poſt medium.

E

Venialia Exemplo SS. deflenda.

Job. 42. 6.

F

Ep. 27. ad Euſtoch.

G

Ibid. lib. 1. §. 4. & in P. Alv. par. 1. c. 15.

C A P U T VI.

Motiva ad contritionem Venialium.

QUod ſi minus exempla moveant, moveat ipſa peccati venialis gravitas, & mala, quæ ex iis ſequuntur. Conſidera ipſum peccatum veniale, dempto mortali, maximum eſſe omnium malorum. Itaque nec paupertas, nec infamia, nec morbus, nec mors, nec dolor, nec cruciatus adhuc ipſius gehennæ cum eo poſſunt conferri; hæc enim mala pœnæ ſunt, illud culpæ, illa a Deo propter bonum noſtrum, aut ſuæ juſtitiæ oſtenſionem immiſſa, hoc illi inviſum & nulla ex parte acceptum aut gratum: illa cum merito poſſunt eſſe volita, ut ſi quis ad punitionem ſuorum criminum ad ipſam ſenſibilem pœnam inferni ſe reſignaret modo a divina gratia non excideret: hoc nec pro ſa-

Gravitas venialium peccatorum.

H

lute

Scr. forte An. 1607.

lute totius mundi poteſt licite admitti. Si ergo natura tua ita dolet de malis pœnæ, & ita averſatur, & quomodo non deberet anima tua gratia præventa averſari hoc majus malum, quod in tantum acervum etiam animum illorum malorum excedit ut pro evaſione ab illis admittendum non ſit. Veniale peccatum Deo diſplicet. Peccatum veniale Deo diſplicet, & poſt peccatum mortale nihil aliud præter hæc duo peccata illi inviſum, & inimicum eſt, qui & non ſolum peccata gravia, A verum & peccata levia vetuit, nam verbum Matt. 12. 36. ejus eſt: *De omni verbo otioſo, quod loquuti fuerint homines reddent de eo rationem in die judicii.* Matth. 5. 22. *Et qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio Qui autem dixerit fratri ſuo racha;* id Matth. 5. 34. eſt voce indignationis perculerit; *reus erit conſilio*. Et, *Ego autem dico vobis non jurare omnino*. Quin & hæc peccata, graviſſima purgatorii ultione punit, vide nunc tu, qui de Dei amore gloriaris, qui juſtus exiſtimaris, qui obſervator ejus legis diceris, qui ſtatum habes, quo in cœlum tendis, an bonum ſit tibi ſciens, & volens huic benigniſſimo patri diſplicere, ejus ſanctiſſimam legem vel in re levi tranſgredi, & in cœli itinere non progedi, ſed gradum ſiſtere. Quod ſi triſtitia afficeris ex eo quod amicum in aliquod offendiſti, & vultum ejus triſtiorem, & a te averſum vidiſti: quare non doles, ſiquidem benigniſſimum Patrem tuum a quo diligeris, & in cujus gratia cuſtodiris ad iram provocaſti, & poſuiſti B nubem tibi, ne tranſeant ad te miſerationes ejus. Chriſto fonti puritatis nihil tam contrarium tamque abominabile, quam peccatum etiam veniale, quod non alio, quam ejus ſanguine delendum eſt, mortuus enim eſt, & ſanctum ſuum cruorem effudit, non tantum ut peccata gravia, ſed etiam levia expiaret; nam de eo ait Joannes Apoſtolus: Apoc. 1. 5. *Qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo;* a peccatis inquam omnibus, tum minoribus, tum majoribus, quod ex illa voce *dilexit*, manifeſte colligitur. Dilexit enim, & lavit, ſeu ex dilectione lavit; ut ſicut mater unicum filium infantem tenerrime diligens, eum non ſolum a majoribus ſordibus, verum & a minoribus lavat, & omnino quantum poteſt mundat: ita & Redemptor noſter dilectione ſua magna, & mirabili erga nos incitatus eſt, ut omnem maculam graviorem, ac leviorem ſui ſanguinis balneo detergeret; Et Paulus ait: Eph. 5. 27. *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhi*C*beret ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi*. Si itaque Dominus tuus, tantum dolorem ſuſtinuit, & tam copioſum ſanguinem fudit, ut te ab iis peccatis, quæ tam facile, & per riſum & per jocum admittis, expiaret, quam dignum eſt, ut de illis dolorem concipias, & lachrymis, Damna peccati venialis. & dolore detergas? Multa ſunt mala, in quæ per iſta peccata incurris, quorum cauſa, ſi non compunctione tangaris, inſenſibilis videris. Illa enim primo animam ſordidam reddunt; ſecundo fervorem charitatis imminuunt; tertio vires animæ debilitant, non aliter quam onus ambulantem; quarto pœnam merentur in hac vita, vel in purgatorio luendam; quinto minuunt merita, & retardant ab ingreſſu gloriæ; ſexto, diſponunt ad peccata graviora; ſeptimo, impediunt devotionem, & divinam conſolationem; octavo, placent diabolo, tanquam Deo inviſa, & rectæ rationi re D pugnantia. An hæc omnia mala tam facile in conſcientiæ domum introduces? An ſine reſipiſcentia, & pœnitentia præteries? Ac non conaberis dolore abiicere, & condigna pœna mulctare? Tandem peccata venialia, præſertim ex induſtria commiſſa, ſigna ſunt minoris erga Deum fidelitatis. Luc. 16. 10. Apoc. 1. 5. & 3. 14. Scriptum eſt enim: *Qui fidelis eſt in minimo, & in majori fidelis eſt; & qui in modico inutilis eſt, & in majori inutilis*. Chriſtus certe vocatur fidelis, & quia teſtimonium veriſſimum de Patre reddit, & quia uſque ad minimum ejuſdem Patris voluntatem implevit. Unde dixit: Matth. 5. 16. *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cœlum, & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit, donec omnia fiant*. Si ergo tu non ſolum apicem, ſed & jota præteris, id eſt ſi non tantum per fragilitatem, verum & de induſtria cadis, quanam ratione fidelis exiſtimaberis? *Certe qui ſolverit* E *unum de mandatis iſtis minimis*, quæ ſolum ad venialia obligant, *minimus vocabitur in regno cœlorum*. Quare & tu qui mandata iſta tam audacter ſolvis, nunquam niſi te emendaveris ad magnam perfectionem, & ad nomen magni, & Sancti viri pervenies.

CAPUT VII.

De quinta parte Examinis, quæ eſt propoſitum emendationis.

ALiquid iſtorum, vel aliorum ſimilium potes conſiderare, ut te ad dolorem horum peccatoru excites, & præſertim conaberis, cum divina gratia effectum contritionis elicere. Loquendo ergo cum Domino ex magna humilitate, & quaſi proſtratus ad pedes ejus. Primo deteſtaberis hæc peccata, quia illis tam benigno Domino & dilectiſſimo Patri diſplicuiſti. Secundo dolebis F de tua paupertate, & nuditate, præſertim cum tanta auxilia ad vincendam tuam ignaviam, & ad proficiendum acceperis. Tertio, erubeſces, quia tam infidelis fuiſti, & ſine affectione erga Chriſtum, cujus mandata præteriiſti: erga Sanctos quos gaudio, quod de tua ſancta converſatione haberent privaſti: erga animas in purgatorio detentas, quibus per tuam abnegationem opem non detuliſti; & erga proximos, quos forte malo exemplo a via perfectionis revocaſti, & te minus aptum ad eorum juvamen feciſti. Quarto veniam tuorum erratorum petes, & per interceſſionem Beatæ Virginis, & SS. gratiam ad te emendandum, poſtulabis. Quinto, dilige illum, quem tam ſuavem, tam dulcem, tam propitium experiris. Gaude quod in tanta patientia, & tam longanimi ſuſtinentia, qua tuam emendationem expectat, ſuam infinitam bonitatem teſtatam faciat, & naturalem manſuetudinem, ac lenitatem, omnibus creaturis oſtendat. Propones etiam de cætero te emendare, ſed hoc propoſitum, ſecundum exigentiam peccatorum G venialium facies. Nam ſi peccata tua fuerint ſolum ex infirmitate, & ſubreptione, ſtatues apud te in generali omnem diligentiam adhibere ad ea evitanda, aut minuenda, quantum potueris, & hoc ſufficit, ut ea recte, & cum fructu confitearis, & propoſitum magis abſolutum cavendi ab omnibus illis eſſet præſumptuoſum, quia collectionem omnium horum peccatorum longo tempore evitare ſine ſpeciali privilegio, non eſt poſſibile. Si autem peccata hæc ex plena deliberatione, & quaſi ex induſtria committantur, ut ſi ſciens & volens, mendacium officioſum dicas, aut in re levi de fratre detrahas, tunc abſolutum propoſitum in particulari habebis, iterum non admittendi tale peccatum, quia ad hoc ſecundum legem ordinariam gratia tibi dabitur petenti, & ad eam te per orationem, & alia media præparanti; Sic imples illud. In his quoque minutis peccatis: *quieſcite agere perverſum, diſcite benefacere; & illud: Proiicite a vobis prævaricatioaes veſtras, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum,* H & veram eorum pœnitentiam ages, quæ ſecundum Ibid. lib. 3. c. 4. §. 1. Gregorium conſiſtit in hoc ut perpetrata mala plangas, & plangenda deinde non perpetrare conſtituas.

Scr. forte An. 1607.

CAPUT VIII.

De levium peccatorum confeſſione, & ſatisfactione.

EXpoſitis iis omnibus, quæ ad quotidianam examinis materiam, & formam ſpectant, deinceps remedia nonnulla quærenda ſunt, quorum præſidio divinæ gratiæ cooperemur, & A omnes illas animæ noſtræ maculas fugiamus. Ac licet ea non neceſſaria ſint in confeſſione pandenda, poteſt tamen quiſque, & non ſine laude, & merito ea Clavium Eccleſiæ juriſdictioni ſubiicere. Ab initio naſcentis Eccleſiæ, & ex antiquiſſimis *Confeſſio venialium antiqua.* geſtis Sanctorum conſtat manifeſte eos peccata venialia confiteri ſolitos; quorum omnes juſti in hoc ſe imitatores exhibent ad humilitatem, & ad meritum & ad remedium. Ad humilitatem quidem, quoniam hæc levia ſæpius retractantes, & ea Sacerdoti, Patri ſcilicet ſpirituali aperientes, & ſeipſos aperientes modeſtam de ſe exiſtimationem, ac ſuiipſorum deſpicientiam acquirunt. Ad meritum vero, quia hæc actio tam humilis multum valet apud Deum, & virtute Sacramenti ſanctificans gratia in exercentibus eam, magis ac magis ſemper augetur. Ad remedium tandem, quia Sacramentum pœnitentiæ ſpecialia auxilia confert ad ea peccata vitanda, quæ vere, B & cum dolore, & propoſito emendationis illi ſubijcimus. Et ſane id nobis ſufficeret, ad ea peccata ſæpe confitenda, quia Chriſtus ipſe ad eorum etiam remiſſionem Sacramentum Confeſſionis inſtituit, qui enim dixit: *Quorum remiſeri- Joan.20.23. tis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta erunt:* Non de criminalibus tantum, ſed de omnibus loquutus eſt. Quis autem medicamentum ad ſua vulnera curanda, a tali medico præſcriptum, ac oblatum ſine ſtultitiæ nota prætermittat? Nec deeſt nobis in veteri lege hujus confeſſionis typus: quatenus ad manifeſtationem quoque peccatorum venialium extenditur. Unde quodam loco ait S. Iob: *Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, & celavi in Job.31.13. ſinu iniquitatem meam.* Subintellige hæc; & hæc faciat mihi Dominus. Beatus Iob inquit Gregorius quantæ fuerit humilitatis oſtendit qui ſe & inter adverſarios noverat vivere, & tamen non verebatur, culpas voce confeſſionis aperire. Facta igitur prædicto modo a die ultimæ confeſſionis diſcuſſione conſcientiæ, itemque cum dolore, & propoſito emendationis, præparatus ad C confeſſionem, pro obtinendo beneficio abſolutionis accedas. Confeſſarius autem unus ſemper & idem eſſe debet, nec ſine urgenti neceſſitate mutari: ſicut enim in morbis corporalibus ſalubre eſt, unum bonum, & peritum medicum eligere, eumque ſemper accerſere, qui corporis complectionem vireſque cognoſcens, melius novit illi medicamenta præſcribere; ita ſalubrerimum eſt, uni firmo Sacerdoti ſuas quemque maculas aperire, qui pro experientia, quam habet de iſta mente, quam tractat, accommodatius ſciet remedium in omnibus adhibere: omnis inſtabilitas periculoſa eſt, in hac autem re multo periculoſior, quia dum ad eum, qui nos ignorat, pro remedio ſalutis interioris accedimus, ſæpe ea facienda præſcribit, ex quibus non emolumentum, ſed damnum reportamus. Huic ergo Con- Venialia fideliter aperienda. feſſario omnes receſſus, animæ noſtræ cum magna veritate, & ſinceritate pandamus, nihil ſit etiam minimum, quod nos in conſcientia non lateat, quod ejus notionem prætereat, ſic enim fle- D ctimus ad miſerationem Iudicem noſtrum, qui a nobis manifeſtata delet, & errata humiliter per confeſſionem aperta condonat. Non parcamus ori noſtro, ut Iudex æquiſſimus animi noſtri parcat, & quæ deliquimus miſeranter ignoſcat. Proferantur omnia clare, breviter, & ſine excuſationis prætextu, etiamſi nonnullum pudorem ingerant; melius enim eſt in ſecretiſſimo confeſſionis tribunali aliquantulum erubeſcere, quam coram Iudice, nec levia diſſimulante rubore ſuffundi. Dicantur tandem in ſpeciali, ut quid enim particulare, quod hodie geſſimus, generalibus verbis obvolvimus. Si leve eſt cur dicere erubeſcis? Si autem grave eſt, cur tuam conſcientiam lædis, & grave peccatum in confeſſione tacendo, novum aliud grande peccatum admittis? Si tandem dubium cur non animadvertis E in dubio, an aliquid ſit mortale, aut veniale, a quo dubio, cum te extricare non poteſt, ſcias ad ejus confeſſionem te obligari. Abſolutione ſu- Satisfactio. ſcepta, non tantum ſatisfactio a Sacerdote impoſita, quæ levis eſſe ſolet, implenda eſt, ſed alia etiam pro quotidianis peccatis ſponte, & magno fervore præſtanda. Hæc autem quia iiſdem mediis, quibus peccata mortalia tolluntur, videlicet jejunio, eleemoſyna, & oratione ad ea remitto. Illud tantum hoc loco adverte, ſi peccata levia ad confeſſionem abducta, ex naturæ imbecillitate proceſſerint, & talia fuerint, ut in viros ſuæ ſalutis cupidos cadere ſoleant, levi ſatisfactione purgantur, quam ſine cunctatione, & cum magna devotione exequeris. Si autem peccata levia alterius generis fuerint, quæ nimirum ex induſtria ſunt facta, & venialia, aut graviora, tunc o frater, efficaciori medicamento opus eſt, niſi forte velis in fœtida ſalebra imperfectionum ſemper hærere, & periculo majorum F malorum exponi: *Quam magna deliquimus;* in- Serm. de lapſis. quit Cyprianus; *tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens, & longa medicina non deſit.* Gratiarum actio poſt confeſſionem. Facta confeſſione, & ſatisfactione, genuflexus apud Dominum ob multa beneficia in eo Sacramento tibi exhibita in gratiarum actionem prorumpas, hoc modo cum Davide: *Benedic anima mea Do- Pſal.102.1. mino, & noli obliviſci omnes retributiones ejus: Comp. Alv. Lib.3.c.1. & in P. Alvar.part.1. c.13.col.94. qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, &c.* vide ſequentia in pſalmo eodem.

CAPUT IX.

Alia remedia ad eluenda peccata venialia.

PRæter medicamina, quæ peccatis omnibus ſunt communia, ſunt nonnulla ſpecialia, quæ ad peccata levia plurimum eluenda valent. Et primum quidem, ut de reliquis Sacramentis taceam; Sacroſancta Euchariſtia vim habet hæc levia peccata remittendi, adeo ut qui eam digne G ſuſceperit, & affectum peccati venialis abſtulerit, ejus indulgentiam obtineat. Unde Triden- Seſſ.13.c.2. tina Synodus ait: Euchariſtiam antidotum eſſe, quo liberemur a culpis quotidianis, & peccatis mortalibus præſervemur. Sed omiſſo nunc hoc præſtantiſſimo medicamine, quod ob ſui majeſtatem, jam paſſim, nec ſine magna reverentia, & præparatione ſuſcipitur, nonnulla alia remedia pro venialibus, ex perpetua Eccleſiæ traditione noſcuntur, quæ nos his maculis pollutos emundant, quæ ob id Sacramentalia appellantur, quod ſigna ſint ſenſibilia, ad latentem aliquem, & ſpiritualem effectum inſtituta. Huiuſmodi autem ſunt *Oratio Dominica*, quæ ex ea parte, quæ dicit: *& dimitte nobis debita noſtra*, ſi non ore tantum, ſed corde potius, & cum debita compunctione, & cum venialium diſplicentia dicatur, ea quoad culpam, & quoad poenam, aut totalem, aut partem ejus pro compunctionis qualitate remittit; quare Auguſtinus ait: *Eſt enim* Ep.108. ad Seleuc. *pœnitentia bonorum & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes:* H *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Aqua benedicta, quæ nos a maculis parvis emundat. De qua Alexander Papa primus ait: *Aquam ſale conſperſam in populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur: quod omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe, mandamus; nam ſi*

cinis

Scr. forte An. 1607. *cinis vitulæ aſperſus populum ſanctificabat, atque mundabat, multo magis aqua ſale aſperſa, diviniſque precibus ſacrata, populum ſanctificat, atque mundat:* non tamen ita aqua luſtralis mundat, quaſi ſola ejus aſperſio, aut tinctio valeat peccata levia remittere, ſed quatenus eam accipimus, ut motum internum pœnitentiæ ac diſplicentiæ, circa iſta peccata ſuſcitemus. Generalem Confeſſionem, hanc etiam virtutem ha- A bere diluendi peccata levia certum eſt ex ea parte, qua peccata confitetur, & diſplicentiam eorum praefert, & pro erratis per interceſſionem Sanctorum veniam expoſcit. Tunſio pectoris ad eamdem emundationem plurimum valet. Ideoque D. Auguſtinus ait: *Peccata levia nos ab ſponſi* *Lib. 5. hom. 50. cap. 8.* *amplexibus ſeparare, niſi quotidiana pœnitentia diſſecentur. Quorum delendorum cauſa quotidie tundimus pectora, & nos peccatores confitemur.* Et de Publicano illo ſcriptum eſt: quia *percutiebat pectus ſuum, dicens: propitius eſto* *Luc. 18. 13.* *mihi peccatori*: & de his qui aſtiterunt neci Domini, quod *percutientes pectora ſua revertebantur*. Atque S. Patris Hieronymi narrat hiſtoria, quod ſæpe hæc pia utebatur cæremonia, & non pugno, ſed lapide pectus ſuum, fontem malarum cogitationum caſtigabat. Eleemoſyna non ſolum corporalis, verum & ſpiritualis, horum etiam eſt peccatorum medicamen. Nam *Dan. 4. 24.* Regi Nabuchodonoſori dictum eſt: *Peccata tua* *Eccl. 3. 33.* *eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſeri-* B *cordiis pauperum*. Et Eccleſiaſticus: *Ignem ardentem extinguet aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis*. Epiſcopalis benedictionis virtus ad diluenda minora peccata ex Numerorum libro colligitur: ubi legalibus Sacerdotibus dictum eſt: *Sic benedicetur filiis Iſræl. Benedicat tibi Do-* *Num. 6. 23.* *minus & cuſtodiat te, & Ego benedicam eis*. Si enim illi benedicebant, & Domini benedictionem impetrabant, multo melius eam impetrabunt Sacerdotes noſtri, pro his qui peccata ſua deteſtantur, cum ſe ad benedictionem recipiendam ſubmittunt. Tandem valet ad horum peccatorum remiſſionem, *Oratio pro ipſis peccatis fuſa in Eccleſia Deo dicata:* Nam locus ille aut ad hoc conſecratus eſt, aut dicatus in honorem Dei, ut in eo ipſum Dominum adoremus, & beneficiorum dona, ac veniam peccatorum conſequamur. Et Dominus promiſit Salomoni ſe exauditurum preces hominum in templo ſancto ſuo, quibus peccatorum veniam poſtularent. Hæc igitur om- C nia eatenus vim habent remittendi peccata levia, quatenus habent aliquam efficaciam, ad excitandum nos ad motum pœnitentiæ, cujus virtute peccata ſolvuntur, ex eo autem Sacramentalia habent vim excitandi motum pœnitentiæ, quia, ut ex ipſipmet conſtat; ſigna ſunt externa deteſtationis internæ, quam cum nos accuſamus, aut pectus tundimus, aut veniam poſtulamus, aut facimus aliquid horum, concipimus. Ergo cum nos aqua luſtrali ſignamus, aſſiduos defectus ſimul interius lugeamus; cum confeſſionem facimus mente, & compunctione cordis nos peccatores, & indulgentiæ ſitibundos fateamur: cum pectora tundimus, multo efficacius animam noſtram dolore feriamus, & cum in oratione dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra*, ea, quorum veniam petimus veriſſimo odio deteſtemur. Ita qui ſingulis pene momentis peccamus, ſingulis etiam momentis remedia delendi peccata ad manum habebimus, & qui proclives ad delinquendum ſumus, quotidiano, immo & aſſiduo uſu horum remediorum a *P. Alv. c. 14.* peccatis retrahemus.

D

CAPUT X.

Specialia remedia pro fuga venialium peccatorum.

Venialia primæ claſſis, graviora PRiora peccata capitalia, quæ cum ligno contulimus in genere leviorum, graviora ſunt, ideoque majori cura & diligentia curanda ſunt, ne aliquando ita excreſcant, ut ad plenum, & deliberatum conſenſum devoluta lethalia facta, jam non ſolum gravent, ſed demergant. Optimum igitur & præſentiſſimum medium ad illa curanda erit, vitia radicitus extirpare, & quod in nobis eorum poſt vitæ emendationem ſuperfuit, diligenter evellere, ad eum modum quo mortalia evellenda diximus ſupra ſectione 5. cap. 3. E Ex priſtina enim converſatione remanent in nobis vitia luxuriæ, indignationis, ambitionis, avaritiæ & reliqua ſimilia, quæ licet fuerint, quo ad ramos eorum, id eſt quoad peſſimos & lethales actus evulſa, non tamen radicitus extirpata. Peccata itaque iſta ſunt, quaſi ſpinæ, ac tribuli, quæ maledicta cordis noſtri terra progerminat: Comparatio & ſicut ad tollendas ſpinas, ita ut amplius non germinent, non ſatis eſt eas præſcindere, ſed omnino neceſſarium radices evellere, ita ad ſuperandos iſtos luxuriæ, & pravæ cupiditatis motus non ſufficit inſurgentibus bellis obſiſtere, ſed cauſam, ac radicem belli, id eſt vitium extirpare. Quo evulſo in profectu conſequemur, non ut nunquam tentemur, ſed rarius, & mitius tentemur. Sunt etiam peccata hæc, velut rivuli amariſſimi, ex impuro fonte manantes, quos ſola obturatio, & omnimoda delectio funditus impediet. Propheta Eliſeus ad fontem F aquarum civitatis Jericho ſanandum miſit ſal, dicens: *Hæc dicit Dominus, ſanavi aquas has,* 4. *Reg. 2. 21.* *& non erit ultra in eis mors, neque ſterilitas.* Mittamus & nos in fontem horum peccatorum, id eſt, in vitia, ex quibus pullulant, mortificationis ſal, quod ipſa penitus exſiccet, atque conſumat, ut pro amaris aquis, fluenta dulciſſima, nempe virtutum actus erumpant. Alterum genus Claſſis media. leviter peccantium, hoc eſt, eorum qui ſcienter & data opera peccatis levibus non abſtinent, & eo quod criminalia delicta non ſunt, ſeipſoſque conſolantur, magna cæcitate, & inverecundia laborant, proinde puerorum more docendi, quid de hujuſmodi peccatis ſentire debeant. Dicant itaque nobis an auderent mendacium proferre ſi ſcirent ſtatim oculos ſuos cæcitate plectendos, & aſpectu amabilis lucis hujus orbandos, & quomodo audent ipſum effutire, quod oculos mentis obnubilat, & cæleſtis claritatis viſionem abſcondit. Dicant etiam an in verba otioſa diffluerent, ſi compertum haberent, quod è veſtigio extingueretur ignis, quo tempore hyemis ſuas manus calefaciunt? G Quo pacto igitur in verbo otioſo ſcienter diffluunt, cum certo etiam ſciant, quia dicimus ille charitatis ignis, qui animam fovet, atque calefacit, his otioſis ſermonibus detrimentum patitur, & ſuo fervore privatur? An litigator in re minima Judicis ſui filium offenderet, ſi noſſet ob illam levem offenſam expeditioni cauſæ ſuæ ſe aliquam afferre jacturam? Quare igitur iſti fratres ſuos, filios ſcilicet Dei obmurmurationibus lacerant, & detractionibus in triſtitiam, ac puſillanimitatem deiiciunt, cum ſciant Dominum ad horum peccatorum punitionem, eorum petitiones non eſſe exauditurum, & ipſorum cauſas non ita facile, & liberaliter eſſe expediturum? Immo, *non accipiet Dominus per-* *Eccl. 35. 16.* *ſonam in pauperem*, ut eſt in Eccleſiaſtico, *& deprecationem læſi exaudiet*. Non inquam obliviſcetur Judex fratris noſtri offenſi, nec ad ejus gemitus obſurdeſcet, ſed detractorem, & murmuratorem, indemnem ſe putantem, quoniam de rebus levibus detrahit, condigna pœna mulctabit. Objectio. H At reſpondes leve admodum eſt, quod facio, parum, & quaſi nullius momenti quod adverſum legem admitto; fateor libenter; ſed eo ipſo tu quodammodo es pejor, & damnabilior, qui in re tam facili, a qua poſſes nulla difficultate abſtinere, Domino nunc præcipienti non obedias, & data opera ejus juſſui, ac voluntati reſiſtas. Parum eſt quod facis, ſed Deus non eſt parvus, immo infinite magnus, qui vetat, &

Scr. forte An. 1607.

S. Bern. in Serm. Petri, & Paulli.

debuiſſes magno Deo præſertim ob res minimas teipſum opponere, & ejus voluntati reluctari. Conſideratio hæc tanti momenti Bernardo viſa eſt, ut propter illam iſtorum peccatorum malitiam exaggeret, eamque in pœnitentiam & peccatum in Spiritum Sanctum eſſe proclamet: *Nemo dicat in corde ſuo: levia ſunt iſta, non curo corrigere, non eſt magnum, ſi maneam in his venialibus minimiſque peccatis: hæc eſt enim, dilectiſſimi, impenitentia. Hæc blaſphemia in Spiritum Sanctum, blaſphemia irremiſſibilis.*

A

Vocantur hæc peccata a Patre ſanctiſſimo, blaſphemia irremiſſibilis, non quia Deus omnino miſericors, illa ſcienter facta, non Chriſti ſanguine deleat, non quia propoſitum illud manendi in his minoribus peccatis, ſi homo ab illis diſcedat non dimittat: ſed quoniam hujuſmodi homines inverecundi, qui ſcienter peccant, & ex induſtria delinquunt, ſæpe a voluntate iterandi eadem peccata non diſcedunt, & neque illa vere deteſtantur, neque propoſitum ſe emendandi concipiunt. Certum etiam eſt, quod delicta iſta ſi in hac vita non emendentur, in futuro ſæculo acerbiſſima tormenta manent, quibus ingrati; & tepidi caſtigantur; nam qui ita peccant, ſuperædificant fœnum, cui ignis applicitus non levem flammam ſuſcitabit.

Tertia claſſis leviſſima

Peccata illa, quæ ſtipulis deſignantur, & non ex vitiis noſtræ menti inſidentibus, neque ex malitia, & inverecundia ſcienter peccantis, ſed ex infirmitate carnis, & ex humanæ naturæ imbecillitate procedunt, difficillime caventur, adeo ut, nullus Sanctorum, præter Chriſtum, qui Deus eſt, & peccare non potuit, & præter Beatam Virginem, quæ ſingulari privilegio omni caruit peccato, ab illis inveniatur immunis.

B

Hic ergo non eſt quærendum remedium, quod iſta peccata minuta funditus deſtruat, & ab illis omnino nos liberet, ſed quod ea in dies numero minuat, & gradum gravitatis extenuet, & nos faciat ad ea vitanda cautiores. Illud autem non eſt aliud, quam ſuavis quædam attentio, qua omnia, tum magna, tum parva; tum exteriora, tum interiora; tum divina, tum humana; ſive nobiſmetipſis, ſive aliis ſint neceſſaria tractemus.

Comparatio

Sicut enim legatus ab uno Rege ad alium miſſus cum apud iſtum legatione fungitur in omnibus prudenter ſe gerit, & cum magna attentione ſui Domini voluntatem declarat, ne in aliquo excedat, aut rem alicujus momenti dicendam prætermittat, voces etiam & geſtus, & motus, & minima quæque conſiderat, ut in omnibus ut ſuam dignitatem decet, ſe gerat, & ita vir juſtus, qui univerſa, quæ agit, & cogitat Deo inſpectore perficit, ſic in magnis minimiſque ſe habeat, ut nec oculos magni Regis offendat, nec a juſti, & ſervi Dei dignitate diſcedat.

C

Sine hac attentione provida virtutes ipſæ in auxilium, ac tutamen nobis datæ periculoſæ ſunt, quæ, quo majores ſunt, quo difficiliora audent, quo ſublimiora aggrediuntur: eo ſine fræno attentionis, & circumſpectionis operantes, in ſcopulos offenſionis periculoſius impingent. Porro in multis hæc attentio provida eſt collocanda, ut hæc minima peccata vitemus. Attendat igitur, an id quod agit, bonum ſit, nam ſi malum, nulla mora omittendum. Attendat an in bonum aliquem finem tendat, ſin minus per intentionem rectam mox in bonum finem dirigat. Attendat an debito loco & tempore, & cum aliis circumſtantiis fiat: ſin autem in ſuum locum, & tempus reiiciat, aut in eo, quod operi deficit, emendet.

D

Attendat an occupatio illa ſuo ſtatui conveniat, quam ſi ſtatus averſatur, etiam voluntas, & labor operantis relinquat. Attendat an in aliquod extremum vergat, & ad mediocritatem, in quo virtus ſita eſt, diſcedat. Attendat an res, quam gerendam ſuſcipit, aut ſupra vires, aut periculoſa, aut noxia ſit. Demum attendat an res agenda dubia ſit, & tunc alios conſulat, ſuo judicio non confidens. His igitur attendat, & ſciat, Deum tantum ab illo petere, quantum quilibet homo vult a famulo ſibi præſtari: ſicut enim homo vult, ut famulus illi ex profeſſo ſerviat, & non quæcumque præcipit, oſcitanter faciat: ita Dominus vult, ut vir juſtus omnia quæcumque agat, non ſine quadam moderata conſideratione perficiat.

P. Alv. per. 1. c. 16. 17. 18.

Finis Tractatus Secundi.

E

TRACTATUS III.

De Examine Particulari conscientiæ.

CAPUT I.

Quantæ authoritatis, & neceſſitatis ſit hoc ſpeciale Examen.

HUjus examinis inſtituendi neceſſitas ſpecialis eſt, & maxima, quia vires habemus naturæ, & gratiæ limitatas, atque finitas, quæ ſimul adverſus omnia vitia, numero multa, viribus robuſta, efficaciter pugnare non poſſunt, ideoque aliquod particulare vitium aggredi oportet, quo ſuperato aliud proſternatur, ut ſic tandem ad concupitam mentis libertatem, & puritatem veniamus. Quo in negotio idem nobis Spiritus Sanctus ſuggerit, quod olim Moyſi, & filiis Iſrael, ſeptem illas gentes, & nationes adverſarias expugnare volentibus: *Dominus Deus*, inquit Moyſes, *conſumet nationes has in conſpectu tuo paulatim, atque per partes, non poteris ea delere pariter*.

F

Deut. 7. 22.

Nec tamen hæc cura aliorum vitiorum expugnandorum oblivionem infert, immo ratione quadam mirabili mentem ſtudium omnis puritatis accendit. Quia enim vitium illud ſpeciale ob ſuam fœditatem, & ob Dei amorem fugimus quidquid fœdum eſt, & Deo inviſum ſimiliter perhorreſcimus. Occiſo Goliath a Davide videntes Philiſtym, quod mortuus eſſet fortiſſimus eorum, fugiunt. Ita dum fortiſſimum vitium, & quaſi aliorum ducem vincimus; omnia etiam alia ſuperamus. Remedium hoc examinis particularis ad proficiendum noverunt Patres antiqui, qui de rebus ſpiritualibus ſcripſerunt. Nos unius Caſſiani hoc loco verba ſolum repetemus, qui luculentiſſime hanc pugnandi rationem declaravit: *Ita*, inquit, *nobis adverſus vitia arripienda ſunt prælia, ut unuſquiſque vitium, quo maxime infeſtatur, explorans, adverſus illud arripiat principale certamen, omnem curam mentis, & ſollicitudinem erga illius impugnationem obſervationemque defigens*.

Coll. 5. c. 14.

G

Chryſoſtomus etiam non ſemel hujus examinis meminit, nam quodam loco ſic ait: *Diſcamus igitur, & vitia noſtra recenſentes, ea tempore corrigamus; & hoc menſe unum, alio aliud, & ita ſubſequenter meliores efficiamur; & ſic tanquam per gradus quoſdam aſcendentes per ſcalam Jacob ad cœlum perveniemus*.

Hom. 22. in Joann.

Cum autem per ſingulos menſes pugnam adverſus quodlibet vitium arripiendam eſſe dicit, non ita accipiendum eſt, ac ſi his tantum diebus cujuſque vitii pugna concludatur; nam ſæpe oportet adverſus unum vitium per multos menſes, immo annum integrum pugnare, ſed certum tempus pro incerto poſuit, ut doceret nos eo fervore, adverſus ſingula vitia pugnaturos, ut cujuſque victoria brevi tempore obtingat.

H

Frivola proinde, & iniqua illa eſt quorumdam excuſatio, ideo ſuos ſe defectus non poſſe emendare dicentium, quod hæc ſit ſua natura, & indoles. Immo vero majori id dignum eſt reprehenſione, quod cum qui ſe hanc, vel aliam malam naturam, & indolem habere noverit toto ſuo conatu ac ſtudio in parte hac debili communienda conniti deberet, ne hoſtis in animam perrumpat: poſt tot tamen annos elapſos, tam immortificatus, debilis, & rudis ſit, quam erat primo converſionis ſuæ die. Homines fragiles fa-

Scr. forte An. 1607.

teor ſumus, ac varios habemus defectus, & tamdiu eos habebimus, quamdiu in hac vita mortali erimus; attamen tria hæc minimum per examen curare poſſumus, & debemus. *Primum*, ut ſi defectus noſtri initio erant plures, poſt fiant pauciores. *Secundum*, ut ſi erant graviores minuantur. *Tertium*, ut non ſemper iidem ſint, nam in unum eumdemque ſæpius relabi, magnam & ſupinam arguit negligentiam, & vecordiam. Hæc A quippe fuit vita, qua S. P. Ignatium Deus Opt. Max. conduxit, & ad tantæ perfectionis culmen evexit. Rem notabilem, & ſingularem, quo ad hoc in illius vita legimus, nempe eum, cum diem heſternum cum hodierno, & præſentem profectum cum ſuperiore compararet, comperire ſolitum, quotidie ſemper ſe magis, ac magis in ſpiritu proficere, & terræ, quam ſpectaret, vel, ut melius loquar, cœlo viciniorem fieri. Sive ergo naturæ noſtræ vires ſive divinæ gratiæ adjutorium, ſive virtutum conditiones ſpectemus, neceſſaria eſt particularis erga quamlibet virtutem cura, ut oppoſito ejus deſtructo eam mens noſtra conquirat.

CAPUT II.

Quibus de rebus particulare examen ſit inſtituendum?

B MAteria hujus examinis ſunt vitia, & virtutes, illa quidem, ut evellantur, hæ vero ut acquirantur, aut acquiſitæ ad debitum incrementum perducantur. Porro inter defectus, & vitia, primo illud, quod & maximum eſt, & aliorum cauſa, impugnabimus.

Modus ad vitia extirpanda ſervandus.

Quod ſi nullum tale ſit, a defectibus minoribus ad majores, ab his demum ad virtutes, fiet ordo, ita tamen, ut ſingulæ virtutes, & vitia per diverſos gradus, & partes in examen a nobis adducantur. Circa primum, hoc capite notanda eſt illa regula, & admonitio, quam de Sancto Bonaventura S. P. Ignatius in libro Exercitiorum aſſignat: *Non aliter*, inquit, *nobiſcum agit dæmon, quam dux aliquis cum civitate, & arce, quam oppugnare, & expugnare geſtit: ante omnia enim hic quam accuratiſſime inquirit, & explorat, quanam ejus parte murus minus ſit, aut natura, aut arte munitus: quod ubi notarit, omnem huc tormentorum, & machinarum ſuarum vim convertit, huc milites omnes conniti jubet, etſi plurimi ipſorum hac incurſione certiſſimum vitæ ſint* C *periculum adituri. Hac namque parte disjecta aditu jam dato, facile locum occupabit. Pari modo diabolus omnibus modis, qua anima noſtra debiliſſima ſit explorat, ut per hanc nos oppugnet, & debellet, noſtrum eſt id caute prævertere, & ſerio nos contra adverſarium communire: prævidere inquam, & attente notare, quæ animæ noſtræ pars ſit infirmiſſima, & quæ a virtutum armatura minus inſtructa, qualis nimirum eſt illa, ad quam nos, vel indoles, & naturalis inclinatio, vel paſſio aliqua inordinata, vel mala conſuetudo, pravus denique habitus maxime rapit: atque adeo de illa communienda quam maxime nos laborare oportet.* Duas hujus rei rationes dat Caſſianus. Prima, quia illud eſt quod in majora nos conicit pericula, & in majores imperfectiones cogit impingere; unde majori neceſſe eſt nos in eo eradicando diligentia, & conatu advigilare. Secunda, quod cum hoſtes validiſſimos, & a quibus magis laceſſimur, D debellaverimus, alios minores facile ſuperabimus: Etenim per priorem triumphum, ac victoriam, tum anima fit valentior, & robuſtior, tum hoſtis infirmior. Hujus occaſione in exemplum Caſſianus priſca illa Romanorum ſpectacula coram Imperatoribus ipſis exhiberi ſolita affert; in quibus cum variis beſtiis ac feris, ex arena emiſſis beſtiarii certabant, inter quos ſi qui eminere, ac ſui quidem roboris ſpecimem dare, aliquam vero Imperatori adferre voluptatem vellent, in illam primo belluam irruebant, quam reliquis videbant, & ferociorem, & fortiorem; qua jugulata, cæteras haud difficile ſternebant. Itidem & nos, inquit, agere oportet. Quotidiana quippe experientia videmus, quemque noſtrum communiter aliquod vitium, velut princeps habere, quod nos violenter poſt ſe trahat, ac rapiat, ob magnam ſcilicet, qua erga ipſum afficimur, inclinationem. Rex Syriæ adverſus Regem Iſrael bello decertans, E militibus ſuis indixit, ut in nullum alium, niſi in regem Iſrael collimarent: *Ne pugnetis*, inquit, *contra minimum, aut contra maximum, niſi contra Regem Iſrael:* ratus, victo rege, reliquum exercitum facile victum iri, id quod contigit; nam Achab Rege ſagitta, quam quidam de turba Syriorum fortuito, immiſit læſo; debellatum eſt, & prælium finitum; id ipſum & non par eſt, imitari; nam principe vitio victo, cætera facile ſuccumbent.

2. Paralip. 18. 30.

Nullum porro in particulari, quoad hoc melius ac ſalutarius dari præceptum poteſt, quam ut ſuum quiſque confeſſarium, & patrem ſpiritualem, jam plena & exacta illi conſcientiæ ſuæ, nec non univerſarum inclinationum, paſſionum, affectionum, & pravorum habituum ratione data, nihil ut ipſum celet, ſuper ea re conſulat. Illi ſiquidem uniuſcujuſque neceſſitate hoc modo perſpecta, nec non particularibus quibuſdam notatis circumſtantiis facile erit definire, de quo potiſſimum particulare examen poterit inſtituere. F Quare ſicuti multum medicus ille præſtiterit, qui ipſius morbi radicem recte tangit, tum quippe ſolide, & ex arte ei remedia adhibentur, & quæ præſcribit medicamenta, effectum ſortiuntur: ita & nos non exiguum quid, ſed permultum fecerimus, ſi ipſam infirmitatem ac morborum noſtrorum radicem certo invenerimus; nam hac inventa, etiam illi recte, certoque poterunt curari examinis remedia, & medicinam illis applicando.

P. Rodriq. Tract. 2.

CAPUT III.

De Ordine rerum in hoc examine ſervando.

SI qui vero a nullo ſpeciali vitio acerrime impugnari ſe ſentiant, ſed multis impugnationibus, & vitiis, quorum nullum nimis immoderate ſupra alia ſe erigit, propriam mentem ſubjectam aſpiciant, quaſi ſpiritualis vitæ methodum obſervantes, ut ad majora procedant, in particulari G examine a minoribus, & ordine prioribus hanc pugnam incipiant. Incipientes ergo in via ſpirituali; primo particularem curam, ſeu examen ad externos defectus, qui fratres offendunt, & ſcandalizant, applicent, curentque, ut licet alios interiores majoreſque habeant, eos primum eiiciant verbi cauſa: ſi quis in loquendo nimius ſit, moribus inſolentior &c. Ratio namque ipſa & caritas poſtulat, ut illos defectus primum quæramus, qui fratres noſtros offendere, & ſcandalizare ſolent, utque ita inter illos converſari, & vivere ſtudeamus, ut nemo de nobis, aut queri, aut offendi poſſit, ſicut de S. Joannis Baptiſtæ parentibus Lucas ait: *Erant ambo juſti ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela ullius.* Secundo curabunt, ut ſingulas paſſiones, quæ expugnatu difficiliores ſunt, mox cohibeant, cogitationibus & appetitui modum imponant, & ſi quid aliud mortificandum occurrerit, non prætermittant. H His per examen emendatis ex incipientibus proficientes fient, & tunc proprium proficientium examen uſurpabunt: hæc autem ſunt, ut per hujuſmodi examen diſcant ſingulas actiones actuali ad Deum intentione dirigere, præcipuas virtutes, & magis ad ſpiritualem vitam neceſſarias, quales ſunt humilitas, paupertas, caſtitas obedientia, manſuetudo, patientia, abſtinentia, & alias ſimiles, unam poſt aliam acquirere. Quibus mediocriter ſaltem obtentis, jam a ſtatu proficientium, ad digni-

Lucæ. 1.16.

tem

Scr. forte An. 1607. tem perfectorum accedunt, ad quos pertinet peculiari examine ſuas actiones expolire, & pulcherrime ſingulas præſtare. Etſi enim examen particulare proprie, & directe ad defectus, & inſtitutiones tollendas inſtitutum ſit, & uſurpetur, magnaque ſemper illarum in nobis ſit copia, non toto tamen vitæ noſtro tempore illi rei uni vacandum. Optime ergo tempus illud inſumitur, A quod quis in initiis, & malis inclinationibus, ex anima evellendis inſumit; alio tamen illa non ſpectant, quam ut fragrantes, & redolentes virtutum flores iidem inſerantur. Dixit Deus Jeremiæ: *Jerem.* 1. 10. *Conſtitui te hodie, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & ædifices, & plantes.* Primo namque evulſio, & extirpatio adhibenda, deinde ædificatio, & plantatio. Idque eo magis, quod etiam ad defectus, & imperfectiones has exteriores evellendas, neceſſe interdum ſit particulare examen de aliqua virtute, aut perfectione majore acquirenda facere: illud enim non raro efficaciſſimum ad hoc eſſe medium ſolet, verbigratia, ſi fratres tuos, vel præfracte, & auſtere, vel nimia cum libertate alloqueris, inſtituto examine de eo, ut omnes te uno ſuperiores, te unum omnibus inferiorem ducas, B atque in te diſces, quo eos modo debeas alloqui, quo alloquentibus reſpondere. Si quam in rebus aliquibus moleſtiam aut repugnantiam ſentias, cogita omnia a Dei manu ſubmiſſa, & ad majus bonum, & profectum tuum evenire. Si item immodeſtus, inquietus, in novis rebus audiendis curioſus, examen facito ad hoc ut in Dei præſentia jugiter ambules, itaque tua omnia facias, ut coram eo comparere digna ſint, & brevi te modeſtum comperies. Unde Doctor quidam oſtendit primario boni paſtoris animarum ſtudium circa cordis, & interiorum reformationem verſari debere, & talia eum debere præcepta aſſignare, quæ hominem faciant ad ſeipſum, *Exod.* 3. 1. & interiora reflectere; ſicut de Moyſe Scriptura ait; *Gregem minaſſe ad interiora deſerti.* Cor ergo tuum ante omnia reformare ſtude; & omnia ſtatim reformata erunt. *Alph. Rodriq. lib.* 1. *cap.* 3. *& P. Alvar. lib.* 3. *part.* 3. *cap.* 13. *col.* 1000.

CAPUT IV.

Quomodo examen particulare iuxta ſingula vitii, ſeu virtutis alicuius partes inſtituendum ſit? C

ADeo quidem bonum eſt, ac neceſſarium examen particulare, non niſi circa rem unam inſtitui, ut capite primo dictum eſt; ut ipſum etiam vitium, & virtutem conveniat in varias partes, & gradus dividere, & membratim primo circa unam ejus partem, vel gradum, mox circa aliam particulare examen inſtituere, ut ita quis melius, quod deſiderat, conſequatur. Nam ſi rem in genere ſimul acceperimus nihil penitus proficiemus, quia: *Pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus*: & qui multa ſimul complectitur manu, pauca conſtringit. Ut autem hoc de quo agimus, melius ad praxin reduci queat; primaria aliquot capita, de quibus particulare examen inſtitui poteſt, hic proponemus, D in ſuas ea partes & gradus diſtribuendo. Id enim imaginis & ſpeculi inſtar nobis erit, in quo quantum in ſpiritu proficiamus, & quid ad perfectionem deſit videamus.

I. De Humilitate.

PRimum, nulla verba propriæ æſtimationis & laudis proferre. Secundum, non efferri lætitia ad aliorum laudes, ſed confundi, cum videam me non eſſe talem, qualis ipſe eſſe deberem. Tertium, nullum in quavis actione humanum reſpectum quærere. Quartum, non excuſare me, aut culpam in alium conjicere. Quintum, vanas & ſuperbas cogitationes reſecare, & præſcindere. Sextum, Omnes mihi ſuperiores practice, & reipſa arbitrari. Septimum, in bonam partem accipere omnes, quæ ſeſe offerent, humiliandi occaſiones, eaſque patienter, prompte, & alacriter ſubire. Octavum, de hac virtute quoque particulare examen inſtituere, ut aliquot humilitatis actus, exercitiaque concipiamus, E & ita ſemper creſcamus, donec quemdam virtutis hujus habitum contrahamus.

II. De Charitate Fraterna.

PRimum, proximo non detrahere, nec ullum vilipendii ejus, aut deſpectus, tam illo præſente quam abſente ſignum oſtendere: ſed de omnibus honorifice, & decenter loqui. Secundum, nunquam dicere alteri, talis hoc de te dixit, præſertim ſi res ſit, quæ ipſum queat offendere, etſi alioquin in ſe levis ſit. Tertium, nulla ſcommata quæ proximum mortificent, aut ad impatientiam aliquam trahant, proferre, nec F cum aliquo verbis contendere. Quartum, omnes amice, & ex caritate complecti, idque verbis, & operibus ipſis declarare: item jurare, proſpicere, &c. Quintam, quamcumque averſionem cavere, qualis verbi gratia eſſet ob aliquam offenſiunculam aliquem nolle alloqui, animumque alieniorem ab eo oſtendere. Sextum, declinare in converſatione particulares familiaritates, & amicitias, quæ alios offendunt. Septimum, neminem dijudicare, ſed potius defectus excuſare, magno omnes in pretio habendo &c.

III. De Mortificatione.

PRimum; In omnibus, quæ ſe offerent, occaſionibus ſe mortificare, ſive illæ immediate a Deo, vel per ſuperiores ſeu proximos, aut alia G quacumque ratione nobis obveniant. Secundum, in omnibus illis ſe mortificare, quæ in exercitiis quotidianis, cum ſpiritualibus, tum exterioribus peragendis impediunt. Tertium, mortificare ſe in inceſſu, & in iis, quæ ad oculos, & linguam præcipue ſpectant. Quartum, mortificare ſe quoque in quibuſdam, quæ alias licite fiunt, qualia ſunt non videre, audire, contrectare res pulchras, novas, curioſas: item non dicere id, quod libenter diceres, &c. Quintum, in iis demum rebus, quæ ex officio incumbunt, ſe mortificare, in iiſque puram Dei voluntatem ſpectare, verbi gratia, in menſa, ſtudiis, prædicatione, aut quocumque alio officio, quod delectat.

IV. De Abſtinentia.

PRimum extra refectionis locum & tempus non comedere. Secundum non eſſe ſenſua- H lem in novis aliiſque cibis quærendis, aut condiendis, ſed iis quæ aliis præbentur, contentum eſſe. Tertium in communibus cibis temperantiæ regulam, quoad quantitatem non excedere. Quartum non comedere avide feſtinanter, ſed decenter delectationem gulæ refrenando. Quintum, non loqui, aut conqueri, ob cibos hos, vel illos, hoc, vel illo modo ſubminiſtratos. Sextum omnes de gula cogitationes reſcindere, ac repellere.

V. De Patientia.

PRimum, nullum exterius impatientiæ ſignum; aut verbis, aut opere, vultu, nutuque oſtendere. Secundum, nullam indignationem triſtitiam, aut perturbationem in cor admittere. Tertium, omnia adverſa, quæ obvenient, vel a Dei manu, vel aliunde ad majus animæ bonum, & profectum accipere. Quartum, in eorum praxi ſe his tribus gradibus exercere, videlicet omnia, primo, patienter; ſecundo prompte; tertio cum gaudio & hilariter tolerando. Nota: *Ad*

Scr. forte An. 1607. *hunc eumdem modum Religioſi votum Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis exercere poſſunt.*

VI. De ordinarii operibus bene obeundis.

PRimum non pati ullum diem ſine ſpiritualibus exercitiis tranſire, omneque tempus iis deſtinatum impendere. Secundum, orationem A mentalem, & examen bene riteque peragere, omneſque illius additiones, & partes obſervare. Tertium, reliqua exercitia ſpiritualia bene agere, puta miſſam celebrare, ſpiritualem librum legere, pœnitentias obire, nihilque ex conſuetudine, & pro forma, ut dicunt præſtare. Quartum nullum ſponte, & advertenter in omnibus miniſteriis errorem committere. Quintum, parva, & tenuia etiam magnifacere. Sextum, & quotieſcumque adverteris te in hoc deficere ſedulo curabis, ut examen particulare, aliquot diebus inſtituendo, ſpiritum tuum renoves, & neglecta reſtaures.

VII. Ut Omnia pure agantur propter Deum.

PRimum, nihil ob aliquem reſpectum humanum, aut ut ab aliis videar, aut æſtimer, neve ob commodum, utilitatem, aut delectationem propriam facere; ſed omnia pure propter Deum; nimirum primo mane ipſi Deo offerendo; finire dicendo: *Propter Te Domine, & pro-* B *pter gloriam tuam, & quia tu cupis hoc facio* Secundum, in jam dictis toties mane, & a prandio me exercebo, a minoribus ad majora progrediendo, donec conſuetudine, & habitu contracto, Deo complaceam. Tertium non ante examen hoc, & exercitium intermittendum eſt, quam eo perveniam, ut ita faciam opera mea, quaſi qui Deo ſervit, & non hominibus, & non ante quam ita ea peragam, ut ſemper in iis actualiter amem Deum, gaudens, quod ejus in illis voluntatem faciam, ita ut magis amare, quam operari videar. Quartum, hæc debet eſſe continua Dei preſentia, in qua ambulare; & continua oratio, quam facere debeo, quæ animæ perutilis futura eſt, & mihi adiumento erit, ut omnia opera mea bene, perfecteque peragam.

VIII. De Conformatione voluntatis noſtræ cum divina.

C PRimum, omnia quæ occurrent, & quoſlibet caſus, velut a manu Dei venientes, & ad utilitatem meam ordinatos accipere. Secundum, operam dare, ut in hac mei cum divina voluntate in omnibus conformitate in dies proficiam, idque cum patientia, promptitudine, & alacritate. Tertium, hoc in exercitio tamdiu manere donec viſceralem quemdam guſtum, divinæ voluntatis in me percipiam, & donec tota mea voluptas, & delectatio ſit ipſa Dei voluntas. Quartum, nihil omittam, quod Dei voluntatem, & maiorem ejus gloriam, & ſervitium eſſe ſciam. Quintum, exercitium hoc peragere optima erit ſemper in Dei præſentia, & continua oratione ambulandi ratio. Illud hic preſcribendum tantum, eam quemque ſibi virtutem ſeligere debere, qua magis opus habebit, & ab illa ejus parte, & gradu initium ducere, qui ipſi erit magis neceſſarius: quem ubi decurrerit, & perfecerit, ex aliis delegat ea, quæ magis conveniant, donec tandem adiuvante Dei gratia in ea virtute D fuerit perfectus. *P. Rodriq. lib. 1. cap. 5.*

CAPUT V.

Quod materia Examinis particularis non facile ſit mutanda.

UNa eſt præcipue cauſa, ob quam nonnulli tam parum fructus ex Examine capiant, videlicet quod non niſi velut interruptos, & ſemi- E truncos quoſdam impetus faciant, ad octiduum ſcilicet, vel duas hebdomadas, vel etiam menſem, circa rem unam Examen inſtituendo, ac ſtatim defatigentur, atque ad aliam deſultoria quadam levitate tranſeant priorem nondum adepti. Itaque novum quemdam impetum faciant, & paulo poſt rurſus alium, donec tandem id quod ſpectabant, obtineant. Quemadmodum inquit Chryſoſtomus: Illi qui Theſaurum aliquem aut auri, argentive fodinas effodiunt, grave non *Hom. 5. ſuper Geneſ.* ducunt fodere, terram eruere, quęcumque ipſis obiiciuntur impedimenta perfringere, & decem, immo viginti calamorum ſpatio in terram penetrare, ut tandem ad theſaurum, quem quærunt, pertingant. Ita nos, qui veras divitias ſpirituales, verumque virtutis, & perfectionis theſaurum inveſtigamus, minime defatigari par eſt, donec ad ipſum tandem pertingamus, nihil & nobis obſtaculi, vel remoræ obiiceatur: *Perſequar*, ait Propheta, *inimicos meos, & compre-* *Pſ. 17. 18.* *hendam illos, & non convertar donec deficiant;* F ſiquidem ſancta hæc obſtinatio dum vincit vitium, virtutem inſerit. Sed, dic mihi, obſecro, cui levitas illa puerilis, & reiterata interruptio placet? Quam multis de rebus examen inſtituiſti? Ex quo primum tempore de eo agere cæpiſti? Si in omnibus tibi recte ſucceſſit, jam perfectus es, ſi ne una quidem illarum recte ſucceſſerit, cur eam reliquiſti? At dices non recte illam proceſſiſſe, ſed reſpondeo propterea illam non tibi bene ſuccedere, quod quæ bene cœpiſti, leviter mutes, nec rem unam ad exitum uſque perſequaris. Si etiam tunc cum examine, & cura particulari in illa tollenda adlaborares, bene eam tibi dicis non proceſſiſſe, longe tibi illa; mihi crede deterius ſuccedet, cum examen de ea non inſtitues. Si enim qui emendationem proponit, ſæpius impingit, quoties & quomodo impinget ille, qui ſerius, aut fortaſſe numquam correctionem proponit? Tamen per propoſitum illud mane, meridie, & veſperi conceptum fiet, ut velut freno quodam retentus toties non impingas. Et quamvis tibi nec emendari, nec pro- G gredi, nec illum proficere videaris non idcirco fatigatus deficias, aut leviter ab eo reſilias, quin potius humilia te, & in examine confundere, & de novo propone, & recipere ſtatue, ad eumque recurre, qui iſta ad majorem in ſpiritu profectum immutat. Porro petit aliquis, quam dici neceſſe erit circa rem unam particulare examen inſtituere. Sanctus Bernardus, & Hugo de S. Victore reſpondent, tamdiu contra vitium aliquod pugnandum videri, ut dum primum ſe exerit, ac prodit; rationis clypeo retundere, & ſubijcere queas, ac tum demum fas erit ad aliud expugnandum tranſire, cum vitium præcedens non eſt impedimento in iis, quæ facere par eſt, exequendis. Ut vero certiori quis methodo in hac re procedat, optimum eſt, id unumquemque cum Patre ſuo ſpirituali communicare, ſi qua enim in re conſilio opus eſt, hæc ſana una de præcipuis eſt. Quædam enim ſunt de quibus ſatis eſt perbrevi tempore examen inſtitui. Alia H vero, de quibus ſi anno integro, vel pluribus examen inſtituatur, quam utiliſſimum erit, ſi enim ſingulis annis vel unum vitium eradicaremus, ſtatim perfecti eſſemus. Contra vero novimus quoſdam, qui tota vita ſua in una re ſedulo incubuerunt, & particulare de ea examen inſtituerunt, qui enim ideo eminentes in illa evaſere: Alius quidem in virtute patientiæ, alius

Scr. forte An. 1607.

alius in profundiſſima humilitate, non nemo in magna cum Dei voluntate conformatione, alius denique in omnibus pure propter Deum faciendis. Ad hunc igitur modum etiam nobis enitendum eſt, ut in aliqua virtute emineamus, nimirum in illa ſedulo nos exercendo, & tamdiu in ejus exercitio perſeverando, donec eam comparemus.

Rodriq.c.6.

A

CAPUT VI.

De forma, ſeu methodo examen particulare inſtituendi.

HActenus de materia, deinceps de forma particularis examinis erit agendum. Examen particulare tria continet tempora, & duas examinandi ſui vices. Primum tempus eſt, mane ſtatim ac e lecto ſurgimus, hoc proponere quiſque debet quam diligentiſſime ab illo ſibi vitio, & defectu particulari cavere, in quo ſe corripere vult, vel emendare. Secundum tempus eſt meridies, in quo primum examen eſt faciendum, quod tria puncta complectitur. Primum eſt gratiam a Domino petere, ut reminiſci queat, quoties in defectum illum inciderit, de quo particulare examen inſtituitur. Alterum rationem ab anima ſua defectus, vel vitii hujus exigere, per tempus jam inde ab illa hora, qua ſurrexit ac propoſitum concepit uſque ad præſentem horam elapſum diſcurrendo, atque excutere, quoties in illud prolapſus ſit. B Tum totidem notanda ſunt punctula in linea quadam in libello, quem ad eum uſum paratum habebit, exarata, quoties in id ſe prolapſum eſſe ſentiat. Tertium denique punctum eſt pœnitere, quod lapſus ſis, veniam hujus rei repetendo, ac propoſitum quoddam concipere, in id a meridie per Dei gratiam non relabendi. Tertium tempus ipſa veſpera eſt, antequam nimirum cubitum concedatur, tunc ſecundo examen eo plane modo, quo in meridie per tua illa puncta inſtituendum; jam inde uſque ab ultimo examine ad præſens tempus diſcurrendo, & totidem in alia linea ſecunda notando punctula, quoties ſe videbit impegiſſe. Ut vero facilius, & citius defectus & vitium, de quo examen facimus, eradicemus, quatuor advertenda proponuntur. Primum, ut quotieſcumque in particulare illud vitium homo cadit, mox iſtius ipſum pœniteat, manu leviter ad pectus admota, quod fieri poteſt etiam, cum apud alios agit, ita ut hi non advertant, quid faciat. C Secundum, ut veſperi facto jam examine, temporis pomeridiani puncta conferat cum ante meridianis, ut videat nimirum, num aliqua ſequuta ſit emendatio. Tertium, & quartum ſunt diem hodiernum cum heſterno, atque hebdommadam currentem cum ſuperiori, & præterita comparet, ut ex hac collatione videat, num aliquem fructum, aut progreſſum fecerit. Univerſa hæc doctrina è Sanctis Patribus deprompta eſt. Niceph. lib. 8. c. 4. Beatus namque Abbas Antonius ſuis conſulebat, ut defectus quos in examine notarant, ſcripto conſignarent. Joannes Climachus omni hora ſuos vult hominem defectus ſtatim ut in eos incidit adnotare, ut ſic poſtea melius, & commodius examen queat inſtituere. Baſil. Ser. 1. de abdicat. Sæcul. in ſpecul. monaſt. S. Baſilius, denique, & S. Bernardus expreſſe ſuadent, ut dies unus cum alio conferatur, ut ſic homo ſuum melius defectum, & profectum advertat, magnaque accuratione in dies melior eſſe contendat, atque angelis ſimilior. Sic & Sanctus Dorotheus conſuluit, ut D una ſeptimana cum alia, menſis unus, cum alio conferatur. Quemadmodum ægro cui omnia deſipiunt, cujuſque ſtomachus omnem eſcam reſpuit, cibus nonniſi fruſtatim, & particulatim datur, ut ſic hunc poſſit traiicere. Sic, & S. Ignatius nos in examine particulari velut ægros, ac debiles quoſdam, ab uno die ſcilicet ad alterum vult conducere, ut ſi qua in re eſt difficultas, facilius eam ferre poſſimus, ſi enim univerſum ſimul caperes dicendo verbigratia: toto anno verbum non loquar, tota vita oculis in terram defixis incedere volo ita compoſitus, & cum tanta modeſtia; fortaſſe vel ſola hujus rei cogitatione perterritus fatigareris, & huc te poſſe pertingere deſperares, & hoc vitæ genus terricum, triſte, ac melancholia plenum judicares. At per diem medium ſaltem, verbi gratia, per unum tempus antemeridianum uſque ad prandium, quis non compoſitis eſſe moribus, quis non linguam refrenare poterit? E Deinde a meridie nonniſi uſque ad veſperam propone, quia alio die quid futurum ſit Deus novit. Neque fatigatus idcirco eris, quod hodierno die caute, & circumſpecte vixeris, quinimmo mens tibi ad hoc erit excitatior, teque exinde melius diſpoſitum invenies ad id melius, facilius, ac ſuavius faciendum. Hiſt. Min. Part.2. lib. 6. c. 38. Frater Juniperus, ut in Chronicis Minorum legitur, etſi ſemper valde parum loqueretur, ſemel tamen per ſemeſtre integrum hoc pacto ſilentium ſervavit: primo die propoſuit non loqui in honorem Dei Patris, ſecundo ex reverentia Dei Filii, tertio ex reverentia Spiritus Sancti: quarto propter amorem Beatæ Virginis Matris; itaque conſequenter per omnes Sanctos Ordines diſcurrendo, quotidie ſilentium novo fervore, & devotione, ex amore, & affectu erga aliquem illorum obſervabat. Hoc ſcilicet pacto, quis magis ad emendandum id, ſuper quo particulare examen inſtituit, animatur, ſimul etiam magis ob defectus, quos admittit confunditur, & erubeſcit, quod in tantillo quidem F temporis ſpatio bonum ſuum propoſitum ſervare, & complere potuerit. Proinde nos per multum hocce medium per omnia juvabit.

Rodriq.c.7.

CAPUT VII.

De Dolore, & propoſito emendationis neceſſario in hoc examine.

IN tertio puncto, nimirum dolore, ac propoſito emendationis, univerſa vis, & efficacia examinis ad noſtri emendationem conſiſtit, proinde in duo hæc, præcipua temporis portio eſt impendenda: quod niſi feceris, nulla tui ſequetur emendatio. Cauſa cur mundani toties in eadem peccata relabantur, ut plurimum eſſe ſolet, quod vere, & ex animo ea non ſint deteſtati: & cum firmo in peccata reincidendi non amplius propoſito ad confeſſionem veniant, & quia animus nunquam ex toto, ſed tantum media ex parte ad Dominum reverti proponit, G hinc facile redeunt ad id, quod ex toto nunquam deſeruere. Cauſa cur etiam tu in eoſdem errores cadas veſperi, in quos mane, & in eos hodie in quos heri, eſt, quod ſincere te eorumdem non pœnituerit: quod ex corde eos non ſis deteſtatus, quod firmiter emendationem non propoſueris, quod in eo firmus non manſeris. Hoc ſi faceres non tam facile, & tam cito ad eos revertereris: non enim recommittere ſolemus id, quod abominamur, & quod commiſiſſe nos piguit, ac pœnituit. Verum quidem eſt poſſe aliquem verum dolorem de peccatis, & verum emendationis propoſitum habere, & tamen poſtea rurſus illabi; quia non ſumus Angeli, ſed homines fragiles, & e luto compacti, quod facile frangi ac diſſolvi, ac ſtatim refringi, & in aliam formam tranſire poteſt: tamen ſicuti quando quis ſtatim a confeſſione ad eaſdem blaſphemias, & juramenta execratoria, ad eaſdem concupiſcentias, & peccata, quæ in confeſſione evomuit, redit; H communiter dicere ſolemus eum non veram de commiſſis contritionem, ac dolorem, nec firmam ſe emendandi intentionem habuiſſe, cum tam cito ad ipſa redierit. Pari modo indicium, & argumentum eſt vere te in meridie, vel veſperi examen inſtituiſſe, ſilentii fracti pœnituiſſe, firmumque emendandi propoſitum concepiſſe: cum videam te ſtatim a meridie, & ſequenti die ſervare præcepta ſilentii. Si coram homini-

Scr. forte An. 1607.

minibus, & amicis pudet ſæpius peccare, aut unam, eamdemque rem ſibi multoties obiici, quanto magis coram Deo erubeſceres, ſi ſincere te ex animo pœnituiſſet, veniam afflagitando, & emendationem proponendo, cum in eadem poſt relaberis, idque non ter, aut quater, ſed quadragies, & ſexagies. Sed non ſine ſtupore veſaniam ac impudentiam perpendo eorum, qui audacter & intrepide peccant, dicendo: *Poſteu pœnitebo,* A *ac Deus mihi ignoſcet;* quomodo enim in ſenſum tuum cadere poteſt, ut quo appetitu tuo in præſens ſatisfacias, & brevem delectationem in momento pertranſeuntem percipias, præeligas, & malis perpetuam poſtea toto vitæ tuæ tempore ſentire pœnitentiam, eo quod peccatum opere compleveris. Nam etſi certum ſit fore, ut Deus poſtea id tibi, ſi ejus te pœniteat ignoſcat, neceſſe eſt tandem, ut te ejus pœniteat, doleaſque poſtea ex toto corde, quod ipſum commiſeris. Cogita ergo & dic: Nolo agere hoc quod commiſſum poſtea magnam mihi moleſtiam, & dolorem novi allaturum: voluptas ſiquidem, quæ in committendo conſiſtit, in momento pertranſit, pœnitere autem, & dolor poſt commiſſum manens tota vita duraturus: adeo ut nunquam amplius ullam ex eo voluptatem, aut delectationem capere queat: *Quamobrem tanti pœnitere non emo.* Magna profecto veſania eſt ob tantillam voluptatem tantum in caput meum dolorem, ac pœnitudinem arceſſere. Quinetiam melius id habet Apoſtolus, dum ait: *Quem fructum habuiſtis tunc* B *ex illis, in quibus nunc erubeſcitis?* Quid enim eſt brevis illa delectatiuncula, quia potius es, cum longa illa pœnitentia, quam habetis poſtea collata? Hæc præcogita antequam peccatum admittatur. Minime enim dubito, quin aliter longe nos emendaremus, & fructum faceremus, ſi vere nos commiſſorum pœniteret, ſi ob eadem ex animo doleremus, ſi firma emendandi propoſita haberemus.

Rodriq. lib. 1. c. 8.

CAPUT VIII.

Utiliſſimum eſſe adjungere ad Examen Auſteritates, & Pœnitentias.

SAtis quoque Beato Patri noſtro non erant animi dolor, pœnitentia, & interius concepta propoſita, verum quo melius concepta propoſita exequtioni mandarentur, conſulebat, ut, ſicut in vita ejus legimus, ſpontanea aliqua ad examen particulare adjungeretur pœnitentia, certam C quamdam pœnam præſcribens, quam de nobis ipſi, quotieſcumque in defectum, de quo inſtituitur examen incidimus, ſumeremus. Aliquot Sanctos ac Dei ſervos, quos quidem ipſe cognovit, in exemplum adducit Ludovicus Granatenſis: unum ait dum in examine veſpertino comperiret ſe verbo aliquo incondito, & importuno exceſſiſſe, linguam in ejus caſtigationem acriter ſolitum mordere. Alium tam propter hunc, quam alium quemlibet defectum, in quem incidiſſet flagris in tergis ſolitum ſævire. S. Agathon Abbas triennio fertur lapillum in ore geſtaſſe, ut ſic ſibi vi facta ſilentii virtutem addiſceret. B. P. N. Ignatium accepimus initio converſionis ſuæ, riſum, ad quem maxime tenebatur, flagris acribus ſuſceptis ſuperaſſe, ſingulis noctibus tot ſibi verbera infligendo, quoties per diem riſerat, etſi vel minimus riſus fuiſſet. Et ſane addita hæc ad examen pœnitentia per multum ſolet conducere: anima namque per pœnitentiam hanc, & rigorem ſubacta, D & facta timidior, denuo eamdem culpam committere non audet. Si quotieſcumque quis ſilentium violat, publice flagellationem ſubire, aut per triduum nonniſi acidum panem comedere, & frigidam bibere deberet; quæ antiquitus erat pœnitentia in regulis præſcripta iis, qui ſilentium fregiſſent; certum eſt nos ad loquendum non tam faciles, & pronos fore. Præter hoc, & ut meritum, & ſatisfactionem taceam, quæ in pœnitentia includuntur, ſequitur, & aliud per magnum ex ea bonum, ſcilicet Deum Opt. Max. videndo, quam acriter ſe homo affligat, & caſtiget, ejus votis, & deſideriis annuere ſolere. Dixit alias Angelus Danielis: *Ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conſpectu Dei exaudita ſunt verba tua;* quia Daniel Propheta ad Orationem, carnis mortificationem E addidit, ideo tum populi ſui liberationem, tum ut ſublimia, & abſcondita myſteria ipſi revelarentur, aliaque beneficia ſingularia conferrentur, promeruit. Si quando parvulus a matre ſua ubera, quibus opus habet, non aliter petit quam ſolo voto ac deſiderio; quod tantum nutibus, ſigniſque indicat; mater ſæpe ei illa aut penitus non dat, aut ad tempus differt: at quando plorando, ſeſeque affligendo identidem ea expoſcit, continere ſe illa nequit, quin ſtatim ubera ſugenda puſioni exporrigat. Pari modo quando a Deo humilitatem, patientiam, caſtitatem, vel de aliqua tentatione victoriam, aut quid ſimile ſolum deſiderio, ac nudis verbis poſcimus, ſæpenumero, aut non conſequimur, quod oramus, aut in longum tempus poſtulata differuntur; at quando orationi pœnitentiam, & mortificationem carnis conjungimus, noſque coram Deo affligimus, tunc melius majorique certitudine, & compendioſius, quod petimus, impetramus. Siquidem ſingulari quodam modo viros juſtos Deus amat, quos F cum ſollicitos, & anxios, & afflictos, quo poſtulata conſequantur videt, ipſis compatitur, majoriqne erga illos tunc utitur miſericordia. Quod ſi demum externis hiſce corporalibus mortificationibus accedant crebra cordis ſuſpiria, crebra gemituum tela, indeſinentes illi orationum, ad Deum fletus, ad quæ tantopere hortatur Caſſianus, cujus verba capite primo hujus partis retulimus; quid non efficietur? Age ergo, hanc ob rem, ſæpe coram Sanctiſſimo Sacramento provolvamur, magna Dominum ibi præſentem inſtantia rogemus, ut gratiam nobis concedat rei, quæ tanti noſtra intereſt, obtinenda. Recurrendum quoque eſt hac de cauſa ad Beatiſſimam Virginem, & Sanctos, ut ii noſtri in hac re interceſſores ſint, & ſuffragatores. Huc omnia dirigenda noſtra ſunt jejunia, huc cilicia, huc flagella; aliqua etiam pietatis exercitia, hoc intuitu adjungenda; particulares demum mortificationes quædam hac intentione offerendæ. Semper enim hoc cordi inſculptum, & infixum geſtare nos neceſſe eſt, cum tanti id noſtra referat. Si hoc modo hac ſollicitudine, & G diligentia examen particulare inſtituerimus, quamprimum profectum aliquem in nobis notaremus: Dominus quippe noſtram afflictionem videns, orationem noſtram protinus exaudiret, & cordis noſtri deſiderium compleret. Hoc itaque medium, quod Dominus tam ſingillatim nobis dedit, prout oportet omnes uſurpemus, & ſupremus firmiter ejus nos adminiculo ad perfectionem, ad quam aſpiramus, conducendos.

Ad Majorem Dei Optimis Max. gloriam BB.
Virginis laudem, & honorem, Hominis
peccatoris ſpiritualem profectum
Amen.

FINIS.

H

INDEX

OPUSCULORUM ET CAPITUM.

Via Vitæ Pars Prima.

Cap. 1. Jeſus Chriſtus hortatur homines ad viam vitæ. Pag. 3.
2. Oſtendit paucos fieri ſalvos. 4.
3. Oſtendit extra Viam Vitæ eſſe amorem proprium. ibid.
4. Oſtendit extra Viam vitæ eſſe nimium amorem famæ. 5.
5. Oſtendit extra Viam Vitæ eſſe nimium amorem carnalis pulchritudinis. ibid.
6. Oſtendit extra Viam Vitæ eſſe nimium amorem divitiarum. ibid.
7. Oſtendit extra Viam Vitæ domos eſſe nimis amplas. 6.
8. Oſtendit extra Viam Vitæ eſſe veſtes nimis pretioſas. ibid.
9. Oſtendit extra Viam Vitæ eſſe nimium famulorum comitatus. 7.
10. Oſtendit extra Viam Vitæ eſſe nimiam menſæ lautitiam. ibid.
11. Oſtendit extra Viam Vitæ eſſe nimiam lecti commoditatem. ibid.
12. Oſtendit extra Viam Vitæ eſſe prætenſionem dignitatum. 8.
13. Oſtendit extra Viam Vitæ eſſe amorem vindictæ. ibid.
14. Oſtendit extra Vitæ eſſe ſpem poſitam in hominibus. 9.
15. Oſtendit extra Viam Vitæ eſſe triſtitiam ſæculi. ibid.
16. Oſtendit extra Viam Vitæ eſſe feſta ſæcularia. ibid
17. Oſtendit extra Viam Vitæ eſſe nimiam familiaritatem hominum. 10.
18. Oſtendit extra Viam Vitæ eſſe nimium amorem parentum, & conſanguineorum. ibid.
19. Oſtendit extra Viam Vitæ eſſe nimiam ſciendi curioſitatem. 11.
20. Oſtendit extra Viam Vitæ eſſe vanum timorem Crucis. ibid.
21. Oſtendit extra Viam Vitæ eſſe omne peccatum. ibid.

PARS SECUNDA.

De initio, et progressu ambulantium per Viam Vitæ.

Cap. 1. Docet Jeſus Chriſtus initium Viæ Vitæ, quod eſt mortali peccato carere. 12.
2. Docet ad progreſſum Viæ Vitæ fugienda eſſe peccata venialia. ibid.
3. Docet ad progreſſum Viæ Vitæ, ſtudendum eſſe acquiſitioni virtutum. 13.
4. Docet ad progreſſum Viæ Vitæ morcificationem paſſionum exercendam eſſe. ibid.
5. Docet orationis exercitium, ad progreſſum Viæ Vitæ eſſe neceſſarium. 14.
6. Docet ad progreſſum Viæ Vitæ neceſſariam eſſe Dei præſentiam. ibid.
7. Docet ad progreſſum Viæ Vitæ lectionem piam exercendam eſſe. 15.
Cap. 8. Docet ad progreſſum Viæ Vite neceſſarium eſſe bonum Sacramentorum uſum. Pag. ibid.
9. Docet ad progreſſum Viæ Vitæ neceſſariam eſſe cuſtodiam cordis. ibid.
10. Docet ad progreſſum Viæ Vitæ neceſſe eſſe, electos tentari. 16.
11. Docet ad progreſſum Viæ Vite tolerandam eſſe ariditatem in oratione. ibid.
12. Docet ad progreſſum Viæ Vitæ famæ detrimentum tolerandum eſſe. 17.
13. Docet ad progreſſum Viæ Vitæ infirmitates patienter tolerandas eſſe. ibid.
14. Docet ad progreſſum Viæ Vitæ importunas cogitationes tolerandas eſſe. 18.
16. Docet ad progreſſum Viæ Vitæ tolerandam eſſe dilectionem, & ingratitudinem hominum. ibid.
17. Docet ad progreſſum Viæ Vitæ parcè utendum eſſe vita præſenti. 19.
18. Docet ad progreſſum Viæ Vitæ Opera corporalia miſericordiæ exercenda eſſe. ibid.
19. Docet ad progreſſum Viæ Vitæ Opera ſpiritualia miſericordiæ exercenda eſſe. 20.
20. Docet ad inſignem progreſſum Viæ Vitæ extraordinaria opera virtutum exercenda eſſe. ibid.
21. Docet ad progreſſum Viæ Vitæ divinis inſpirationibus obediendum eſſe. 21.
22. Docet ad progreſſum Viæ Vitæ Evangelicorum conſiliorum obſervantiam valde opportunam eſſe. ibid.

PARS TERTIA.

De statibus, et professionibus eorum, qui ambulaverunt, sive ambulant per Viam Vitæ.

Cap. 1. Docet Jeſus Chriſtus, eos ſolos ambulaſſe per Viam Vitæ, qui Dei legem impleverunt. 22.
2. Docet bonos Pontifices ambulaſſe per viam vitæ. ibid.
3. Oſtendit bonos Cardinales ambulare per viam vitæ. ibid.
4. Oſtendit bonos Epiſcopos ambulare per Viam Vitæ. 23.
5. Oſtendit bonos Sacerdotes ambulare per Viam vitæ. ibid.
6. Oſtendit bonos Religioſos ambulare per Viam Vitæ. 24.
7. Oſtendit bonos Superiores Religioſorum ambulare per Viam Vitæ. ibid.
8. Oſtendit bonos Solitarios ambulare per Viam Vitæ. 25.
9. Oſtendit bonos Prædicatores ambulare per Viam Vitæ. ibid.
10. Oſtendit bonos Confeſſarios ambulare per viam vitæ. 26.
11. Oſtendit bonos Parochos ambulare per Viam Vitæ. ibid.
12. Oſtendit bonos Principes ſæculares

Cap. ambulare per Viam Vitæ. Pag. ibid.
13. Oſtendit bonos Milites ambulare per Viam Vitæ. 27.
14. Oſtendit bonos Advocatos ambulare per Viam Vitæ. ibid.
15. Oſtendit bonos Judices ambulare per Viam Vitæ. 28.
16. Oſtendit bonos Medicos ambulare per Viam Vitæ. ibid.
17. Oſtendit bonos conjuges ambulare per Viam vitæ. 29
18. Oſtendit bonos divites ambulare per Viam Vitæ. ibid.
19. Oſtendit bonos Pauperes ambulare per Viam Vitæ. ibid.
20. Oſtendit omnibus ambulantibus per Viam Vitæ commune eſſe facere bona, & pati mala. 30.

PARS QUARTA.

DE ACTIBUS VIRTUTUM PRINCIPALIUM REQUISITIS AD AMBULANDUM PER VIAM VITÆ.

Cap. 1. De Actibus Fidei. 31.
2. De Actibus Spei. ibid.
3. De Actibus amoris Dei. 32.
4. De Actibus amoris proximi. ibid.
5. De Actibus Contritionis. 33.
6. De Actibus Obedientiæ. ibid.
7. De Actibus Humilitatis. 34.
8. De Actibus Patientiæ. ibid.
9. Exhortatio ad exercendos actus omnium virtutum. 35.

PARS QUINTA.

DE ORDINIBUS EXCELLENTIUM VIATORUM, QUI AMBULAVERUNT PER VIAM VITÆ.

Cap. 1. De Patriarchis. 36.
2. De Prophetis. ibid.
3. De Apoſtolis. 37.
4. De Martyribus. ibid.
5. De Confeſſoribus. 38.
6. De Doctoribus Eccleſiæ. ibid.
7. De Sanctis Monachis, & Eremitis. 35.
8. De Sanctis Virginibus. 40.
9. De reliquis Sanctis diverſorum ſtatuum. 40.
10. De imitatione Sanctorum. ibid.
11. De fructibus quos percipiunt ambulantes per Viam Vitæ. 41.

PARS SEXTA.

DE ALIQUOT MONITIS PRINCIPALIBUS, QUÆ IN OMNI PERSONARUM STATU REQUIRUNTUR AD AMBULANDUM PER VIAM VITÆ

Cap. 1. De puritate conſcientiæ. 42.
2. De conſervatione gratiæ. ibid.
3. De propoſito anteponendi cultum Dei omnibus bonis temporalibus. 43.
4. De ſatisfaciendo obligationibus proprii ſtatus, cum reſpectu ſalutis æternæ. ibid.
5. De bono uſu Sacramentorum. 44.
6. De cura recurrendi ad Deum. ibid.
7. De mortificatione Crucis. 45.
8. De bona converſatione inter proximos. ibid
9. De præparatione ad mortem. ibid

PARS SEPTIMA.

DE QUATUOR NOVISSIMORUM CONSIDERATIONE REQUISITA AD AMBULANDUM PER VIAM VITÆ.

Cap. 1. De quatuor Noviſſimis in communi. 46.
2. De conſideratione mortis. 47.
3. De conſideratione Judicii. 48.
4. De conſideratione Inferni. 49.
5. De conſideratione Cæleſtis gloriæ. 51.

PRAXIS AD BENE MORIENDUM.

Cap. 1. De iis, quæ ſecundum chriſtianam pietatem ante mortis horam præſtanda ſunt. Pag. 54.
2. De contritione concipienda. ibid.
3. De ſacra confeſſione. 55.
4. De Receptione Viatici, & extremæ Unctionis. 56.
5. De Actibus virtutum ad extremum conflictum neceſſariis. ibid.
6. De præliis morientium, peculiariterque de prælio fidei. 58.
7. De prælio Spei. 59.
8. De nonnullis monitis ad ultima prælia neceſſariis. 60.

SCHOLA JESU CHRISTI.

PARS PRIMA.

DE PERFECTIONIBUS SCHOLÆ IESU CHRISTI.

Cap. 1. De dignitate Scholæ Ieſu Chriſti. 65.
2. De ſuavitate Scholæ Ieſu Chriſti. 66.
3. De efficacia Scholæ Ieſu Chriſti. ibid.
4. De ſimplicitate Scholæ Ieſu Chriſti. 67.
5. De Puritate Scholæ Ieſu Chriſti. ibid.
6. De Lætitia Scholæ Ieſu Chriſti. ibid.
7. De Pace Scholæ Ieſu Chriſti. 68.
8. De Honore Scholæ Ieſu Chriſti. ibid.
9. De Utilitate Scholæ Ieſu Chriſti. 69.
10. De Immunitate Scholæ Ieſu Chriſti. ibid.
11. De Sapientia Scholæ Ieſu chriſti. 70.
12. De Beatitudine Scholæ Ieſu Chriſti. ibid.

PARS SECUNDA.

DE PROPRIETATIBUS DISCIPULORUM SCHOLÆ IESU CHRISTI.

Cap. 1. De docilitate diſcipulorum Ieſu Chriſti. 71.
2. De digna æſtimatione doctrinæ, quam habent diſcipuli Ieſu Chriſti. ibid.
3. De contemptu mundi, quem habent Diſcipuli Ieſu Chriſti. 72.
4. De Cordis puritate, quam habent Diſcipuli Ieſu Chriſti. ibid.
5. De deſiderio amandi, quod habent diſcipuli Chriſti. 73.
6. De collectione virium animæ, quam habent diſcipuli Chriſti. ibid.
7. De fidelitate reſpondendi divinis inſpirationibus, quam habent diſcipuli Ieſu Chriſti. 74.
8. De adinventionibns diſcipulorum Ieſu Chriſti. ibid.
9. De zelo Diſcipulorum Ieſu Chriſti. 75.
10. De ſuavi converſatione Diſcipulorum Ieſu Chriſti. ibid.

PARS TERTIA.

DE MORTIFICATIONE PASSIONUM, QUÆ DISCITUR IN SCHOLA IESU CHRISTI.

Cap. 1. De exercitio mortificationis paſſionum, quæ diſcitur in Schola Ieſu Chriſti. 76.
2. De amoris proprii mortificatione, quæ diſcitur in Schola Ieſu Chriſti. ibid.
3. De inordinati deſiderii mortificatione, quæ diſcitur in Shola Ieſu Chriſti. 77.
4. De inordinatæ delectationis mortificatione, quæ diſcitur in Schola Ieſu Chriſti. ibid.
5. De inordinati odii mortificatione, quæ diſcitur in Schola Ieſu Chriſti. 78.
6. De inordinatæ fugæ mortificatione, quæ diſcitur in Schola Ieſu Chriſti. 79.
7. De inordinatæ triſtitiæ mortificatione, quæ diſcitur in Schola Ieſu Chriſti. ibid.
8. De inordinatæ ſpei mortificatione, quæ diſcitur in Schola Ieſu Chriſti. 80.
9. De inordinatæ audaciæ mortificatione,

CAP. *tione, quæ diſcitur in Schola Ieſu Chriſti.* PAG. ibid.
10. *De deſperationis mortificatione, quæ diſcitur in Schola Ieſu Chriſti.* 81.
11. *De inordinati timoris mortificatione, quæ diſcitur in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
12. *De inordinatæ iræ mortificatione, quæ diſcitur in Schola Ieſu Chriſti.* 82.
13. *De paſſionum victoria, quæ acquiritur in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.

PARS QUARTA.

DE EXTIRPATIONE VITIORUM, QUÆ FIT IN SCHOLA IESU CHRISTI.

CAP. 1. *De conſideratione vitiorum, a quibus purgatur anima in Schola Ieſu Chriſti.* 83.
2. *De extirpatione ſuperbiæ, quæ fit in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
3. *De extirpatione vanæ gloriæ, quæ fit in Schola Ieſu Chriſti.* 84.
4. *De extirpatione Invidiæ, quæ fit in Schola Ieſu Chriſti.* 85.
5. *De extirpatione gulæ, quæ fit in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
6. *De extirpatione Avaritiæ, quæ fit in Schola Ieſu Chriſti.* 86.
7. *De extirpatione Iræ, quæ fit in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
8. *De extirpatione Luxuriæ, quæ fit in Schola Ieſu Chriſti.* 87.
9. *De exirpatione Pigritiæ, quæ fit in Schola Ieſu Chriſti.* 88.
10. *De victoria vitiorum, quæ comparatur in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.

PARS QUINTA.

DE EXERCITIO VIRTUTUM, QUÆ DISCUNTUR IN SCHOLA IESU CHRISTI.

CAP. 1. *De virtutum ſtudio, quod exercetur in Schola Ieſu Chriſti.* 89.
2. *De fidei exercitio, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
3. *De Spei exercitio, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 90.
4. *De Amoris Dei exercitio, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 91.
5. *De Charitatis exercitio, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 92.
6. *De Pœnitentiæ exercitio, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
7. *De Prudentiæ exercitio, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 93.
8. *De exercitio juſtitiæ, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
9. *De exercitio Temperantiæ, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 94.
10. *De exercitio Fortitudinis, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 95.
11. *De exercitio Religionis, ſive Latriæ, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
12. *De exercitio Orationis, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 96.
13. *De exercitio Obedientiæ, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 97.
14. *De exercitio Caſtitatis, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
15. *De exercitio Paupertatis, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 98.
16. *De exercitio Reſignationis, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 99.
17. *De exercitio Manſuetudinis, quod fit in Shola Ieſu Chriſti.* ibid.
18. *De exercitio Humilitatis, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 100.
19. *De exercitio Miſericordiæ corporalis, quæ fit in Schola Ieſu Chriſti.* 101.
20. *De exercitio Miſericordiæ Spiritualis, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 102.
CAP. 21. *De exercitio Gratitudinis, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* PAG. ibid.
22. *De exercitio Abſtinentiæ, & ſobrietatis, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 103.
23. *De exercitio patientiæ, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 104.
24. *De exercitio Modeſtiæ, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
25. *De exercitio Silentii, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 105.
26. *De exercitio obſervantiæ, ſive cuſtodiæ legum, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 106.
27. *De exercitio Veritatis, ſeu veracitatis, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
28. *De Exercitio Clementiæ, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 107.
29. *De exercitio Diligentiæ, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
30. *De exercitio Liberalitatis, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 108.
31. *De exercitio magnanimitatis, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* 109.
32. *De exercitio Conſtantiæ, & perſeverantiæ, quod fit in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.

PARS SEXTA.

DE USU DONORUM, ET GUSTU FRUCTUUM SPIRITUS SANCTI, ET DE BEATITUDINIBUS, ET GRATIIS GRATIS DATIS, QUÆ SUNT IN SCHOLA JESU CHRISTI.

CAP. 1. *De communi uſu Donorum Spiritus Sancti in Schola Ieſu Chriſti.* 110.
2. *De uſu Doni Intellectus in Schola Ieſu Chriſti.* 111.
3. *De uſu Doni Sapientiæ in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
4. *De uſu doni Scientiæ in Schola Ieſu Chriſti.* 112.
5. *De uſu Doni conſilii in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
6. *De uſu Doni Pietatis in Schola Ieſu Chriſti.* 113.
7. *De uſu Doni Timoris in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
8. *De uſu Doni Fortitudinis in Schola Ieſu Chriſti.* 114.
9. *De Fructibus Spiritus Sancti qui guſtantur in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
10. *De Beatitudinibus quæ ſunt in Schola Ieſu Chriſti.* 115.
11. *De Gratiis gratis datis, quæ ſunt in Schola Ieſu Chriſti.* 116.

PARS SEPTIMA.

DE REFORMATIONE SENSUUM, ET POTENTIARUM ANIMÆ, QUÆ ACQUIRITUR IN SCHOLA JESU CHRISTI.

CAP. 1. *De Reformatione viſus, quæ acquiritur in Schola Ieſu Chriſti.* 116.
2. *De Reformatione Auditus, quæ acquiritur in Schola Ieſu Chriſti.* 117.
3. *De Reformatione Guſtus, quæ acquiritur in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
4. *De Reformatione Odoratus, quæ acquiritur in Schola Ieſu Chriſti.* 118.
5. *De Reformatione Tactus, quæ acquiritur in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
6. *De Reformatione Imaginativæ, quæ acquiritur in Schola Ieſu Chriſti.* 119.
7. *De Reformatione Æſtimativæ, quæ acquiritur in Schola Ieſu Chriſti.* ibid.
8. *De Reformatione Appetitus ſenſitivi, quæ acquiritur in Schola Ieſu Chriſti.* 120.

CAP.

Cap. 9. *De Reformatione Memoriæ, quæ acquiritur in Schola Ieſu Chriſti.* Pag. 121.
10. *De Reformatione intellectus, quæ acquiritur in Shola Ieſu Chriſti.* ibid.
11. *De reformatione Voluntatis, quæ acquiritur in Schola Ieſu Chriſti.* 122.
12. *De felici Tranſitu Diſcipulorum Ieſu Chriſti.* 123.

LIBER.

DE BONO USU CONTEMPTUQUE HONORUM, DIVITIARUM, AC VOLUPTATUM COMPENDIO SCRIPTUS.

PARS PRIMA.

Cap. 1. *TRiplicis Boni deſcriptio.* 125.
2. *Triplicis Boni abuſus.* ibid.
3. *Triplicis Boni Comparatio.* 126.
4. *Triplicis Boni Veri, apparentiſque diſtinctio.* ibid.
5. *Triplicis Boni vera ratio.* ibid.
6. *Triplicis Boni uſus lege divina non interdictus.* ibid.

PARS SECUNDA.

DE BONO HONESTO, BONOQUE HONORIS PARANDI MODO, ET USU.

Cap. 1. *PRæmonitio.* ibid.
2. *Honeſti ratio.* 127.
3. *Honeſto debitus honor.* ibid.
4. *Quidnam rei ſit Honor?* ibid.
5. *Honoris æſtimatio.* ibid.
6. *Honoris appetentia.* ibid.
7. *Honor quomodo quærendus?* ibid.
8. *Quibus actibus paretur honor?* 128.
9. *Sapientia paratur honor.* ibid.
10. *Pietate paratur honor.* ibid.
11. *Juſtitia paratur honor.* ibid.
12. *Fortitudine paratur honor.* ibid.
13. *Honoris contemptu paratur honor.* ibid.
14. *Bonus parti, delatique honoris uſus difficilis.* 129.
15. *Honor meritis, aut dignitatis gradu major reſpuendus.* ibid.
16. *Æqualis honor, nedum major, moderate admittendus.* 129.
17. *Delatus honor in Deum referendus.* ibid.
18. *Non facile aperienda quæ honorifica ſunt.* 130.
19. *Honorifica interdum aperienda, honor exigendus.* ibid.
20. *Quænam meditationes conferant ad moderatum delati honoris uſum.* ibid.
21. *Honoris, gloriæque humanæ contemptus.* ibid.

PARS TERTIA.

DE BONO UTILI, BONOQUE DIVITIARUM USU.

Cap. 1. *PRæmonitio.* 133.
2. *Divitiarum genus.* ibid.
3. *Divitiarum acquiſitio.* ibid.
4. *Divitiarum quantitas.* 134.
5. *Divitiarum qualitas.* ibid.
6. *Divitiarum poſſeſſio.* ibid.
7. *Divitiarum diſpenſatio.* ibid.
8. *Diſpenſationis ordo.* 135.
9. *Diſpenſationis tempus.* ibid.
10. *Sumptus pii.* ibid.
11. *Quotidiana Eleemoſyna.* ibid.
12. *Contemptus divitiarum.* ibid.

PARS QUARTA.

DE BONO DELECTABILI, BONOQUE LICITÆ VOLUPTATIS USU.

Cap. 1. *PRæmonitio.* 138.
2. *Voluptas quotuplex.* ibid.
3. *Illicitæ voluptatis fuga.* ibid.
4. *Licitæ voluptatis moderatio.* ibid.
5. *Moderatus licitæ voluptatis uſus virtuti aſcribendus.* 139.
6. *Obſervatio erga licitæ voluptatis uſum.* ibid.
Cap. 7. *Licitarum voluptatum electio.* Pag. ibid.
8. *Spiritualium, ſive divinarum voluptatum genus, & uſus.* ibid.
9. *Contemptus, & fuga voluptatum.* ibid.

ARS VIVENDI SPIRITUALITER.

PARS PRIMA.

QUÆ PRIMARIA ALIQUOT COMPREHENDIT PUNCTA, QUIBUS LECTORES AD VIVENDUM SPIRITUALITER EXCITENTUR.

Cap. 1. *QUam parvi a mundanis vita ſpiritualis æſtimetur.* 147.
2. *Quibus ſe modis mundani excuſent, quo minus vitæ ſpiritualis ſtudio ſe dedant.* 148.
3. *Quam pauci ſalventur, quod rationum parum ſpiritualium dictamen conſequantur.* 150.
4. *Omnes quos certo conſtat ſalvatos eſſe ſpiritualiter vixerunt.* 151.
5. *Quid ſit ſpiritualiter vivere?* 152.
6. *Oſtenditur vitam ſpiritualem non ita inſipidam, & amaram eſſe ut carnalis eſt; immo potius hac ſuaviorem eſſe.* 152.
7. *De firmo quod concipere oportet ad Spiritualiter vivendum propoſito.* 154.

PARS SECUNDA.

QUA CONTINENTUR EA, QUÆ IN QUOLIBET STATU ERGA DIVINAM MAJESTATEM FACERE OPORTEAT EUM, QUI VIVERE SPIRITUALITER VOLUERIT.

Cap. 1. *ARtis Spiritualiter vivendi diviſio proponitur.* 155.
2. *De primo artis hujus quoad Divinam Majeſtatem præcepto, interiore circa legis Divinæ obſervantiam cura, & vigilantia.* 156.
3. *De quodam obſervantiæ divinorum mandatorum abbreviandæ modo, ad unum eam punctum, ut primo artis hujus præcepto ſatisfiat, reducendo.* 157.
4. *De ſecundo Artis hujus erga Divinam majeſtatem præcepto, ſcilicet Sacramentorum uſu, & receptione.* 158.
5. *De tertio artis hujus erga Divinam Majeſtatem præcepto; de Orationis Scilicet ſtudio, tempore certo peragendo.* 159.
6. *De quarto artis hujus erga Divinam Majeſtatem præcepto, vivere ſcilicet in ejuſdem præſentia.* 160.
7. *De quinto artis hujus erga Divinam Majeſtatem præcepto, quod eſt interiores actus, qui magis proprie & immediatius, ad animas illi uniendas conducunt, exercere.* 161.
8. *De Sexto artis hujus erga Dei majeſtatem præcepto; atque id eſt, aliquot actus exteriores, qui ad eum honorandum, & glorificandum tendant facere.* 162.

PARS TERTIA.

QUÆ CONTINET EA, QUÆ IN QUOLIBET STATU FACERE IS SECUM DEBET, QUI SPIRITUALITER VIVERE DESIDERAT.

Cap. 1. *DE primo artis hujus quoad ſeipſum præcepto; quod eſt mortificare, & corrigere ſeipſum.* 162.
2. *De ſecundo artis hujus præcepto erga ſemetipſum; quod eſt mortificatio Intellectus.* 163.
3. *De tertio artis hujus erga ſemetipſum præcepto; de mortificatione ſcilicet memoriæ.* 164.
4. *De quarto artis hujus erga ſemetipſum præcepto; de ipſa ſcilicet propriæ voluntatis mortificatione.* 165.
5. *De quinto artis hujus erga ſeipſum præ-*

Cap. *præcepto, quod eſt appetitus ſenſitivi, aut potius paſſionum mortificatio.* Pag. 166.
6. *De ſexto artis hujus erga ſeipſum præcepto; quod eſt exteriorum ſenſuum in communi mortificatio.* 167.
7. *De ſeptimo artis hujus erga ſeipſum præceptum præcepto; quod eſt oculorum mortificatio.* ibid.
8. *De octavo artis hujus erga ſeipſum præcepto; de auditus ſcilicet mortificatione.* 168.
9. *De nono artis hujus erga proximum præcepto, quod eſt linguæ refrenatio, & mortificatio.* 168.
10. *De decimo artis hujus erga ſeipſum præcepto, de mortificatione inquam odoratus.* ibid.
11. *De undecimo artis hujus erga ſeipſum præcepto, de tactus ſcilicet mortificatione.* ibid.
12. *De duodecimo artis hujus erga ſeipſum præcepto; quod in virtutum comparatione, & pravis vitiorum habitibus evellendis conſiſtit.* 169.

PARS QUARTA.

HAC CONTINENTUR, QUÆ ERGA PROXIMUM IN OMMI STATU FACIENDA SUNT ILLIS, QUI SPIRITUALITER VIVERE DESIDERANT.

Cap. 1. *De primo artis hujus erga proximum præcepto; de affectu nimirum, quo erga ipſum ferri oportet.* 169.
2. *De ſecundo artis hujus erga proximum præcepto; quod eſt inimicos ſincero benignoque affectu complecti.* 170.
3. *De tertio artis hujus erga proximum præcepto; de exteriori ſcilicet veræ caritatis, & benevolentiæ declaratione.* ibid.
4 *De quarto artis hujus erga proximum præcepto; quod eſt illi ſeſe, quantum quidem vitæ ſpiritualis ratio patietur, attemperare.* ibid.
5. *De quinto artis hujus erga proximum præcepto, de ordinata, compoſitaque, cum ſuperioribus, æqualibus, & inferioribus agendi ratione.* ibid.
6. *De ſexto artis hujus erga proximum præcepto; quod eſt exterior morum compoſitio, & comportatio.* 171.
7. *De ſeptimo artis hujus erga proximum præcepto; quod eſt, tum in ſpiritualibus, tum corporalibus illum adjuvare.* 171.

PARS QUINTA.

IN QUA DE VARIIS AGITUR STATIBUS, AC SUA SINGULIS MONITA PRÆCEPTAQUE SPIRITUALIA ADSIGNANTUR.

Cap. 1. *De Epiſcopis.* 172.
2. *De Principibus, ac Dynaſtis temporalibus.* 173.
3. *De Curionibus, aut Parochis.* 175.
4. *De Confeſſariis.* ibid.
5. *De Concionatoribus.* 177.
6. *De Sacerdotibus.* 178.
7. *De Religioſis.* 179.
8. *De Magiſtris, & Scholaſticis.* ibid.
9. *De Judicibus.* 180.
10. *De Advocatis.* ibid.
11. *De Notariis.* 181.
12. *De Medicis.* ibid.
13. *De Mercatoribus.* 182.
14. *De Militibus.* ibid.
15. *De Conjugatis.* 183.

STIMULUS COMPUNCTIONIS.

Cap. 1. *De ſenſu Ieſu Chriſti dolentis ſuper averſione peccatoris.* Pag. 189
2. *De ſuavitate Ieſu Chriſti vocantis peccatorem ad pœnitentiam.* 190.
3. *De bonitate Dei, & facilitate parcendi.* ibid.
4. *De Sapientia Dei, a qua homo peccando recedit.* 191.
5. *De pace Dei, quæ per peccatum amittitur.* ibid.
6. *De tutela Dei, a qua homo peccando recedit.* 192.
7. *De amiſſione gratiæ divinæ, quam peccator incurrit.* ibid.
8. *De participatione Sanctorum, quam homo peccando deperdit.* 193.
9. *De inconſtantia, quam peccator incurrit.* ibid.
10. *De remorſu conſcientiæ, quo peccator cruciatur.* 194.
11. *De duritia cordis, quam peccator incurrit.* ibid.
12. *De deſperatione, quam aliquando peccator incurrit.* 195.
13. *De infidelitate, quam periculum eſt ne peccator incurrat.* ibid.
14. *De infelici morte peccatoris.* 196.
15. *De ſenſu amariſſimo amiſſæ gloriæ in morte peccatoris.* ibid.
16. *De raptu peccatoris ad æternam pœnam.* 197.
17. *De reſurrectione animæ, quæ fit per pœnitentiam.* ibid.
18. *De reparatione amicitiæ divinæ, quæ fit per pœnitentiam.* 198.
19. *De lætitia bonæ conſcientiæ, quæ naſcitur ex pœnitentia.* ibid.
20. *De conſideratione patientiæ Dei expectantis hominem ad pœnitentiam.* 199.
21. *De beneficiis Divinis, quæ in communi conſiderata movent ad pœnitentiam.* 200.
22. *De conſideratione myſterii Incarnationis.* ibid.
23. *De conſideratione myſterii Nativitatis Chriſti.* 201.
24. *De conſideratione myſterii Circumciſionis.* ibid.
25. *De conſideratione converſationis Chriſti ante paſſionem.* 202.
26. *De conſideratione prædicationis Chriſti.* 203.
27. *De conſideratione noſtræ redemptionis.* ibid.
28. *De conſideratione Paſſionis Chriſti in Communi.* 204.
29. *De conſideratione cauſæ paſſionis Chriſti.* ibid.
30. *De conſideratione capturæ Chriſti.* 205.
31. *De conſideratione præſentationis Chriſti ante Judices.* 206.
32. *De conſideratione flagellationis Chriſti.* ibid.
33. *De conſideratione coronationis Chriſti.* 207.
34. *De conſideratione oſtenſionis Chriſti ad populum.* 208.
35. *De conſideratione Chriſti bajulantis crucem.* ibid.
36. *De conſideratione crucifixionis Chriſti.* 209.
37. *De conſideratione Reſurrectionis Chriſti.* 210.
38. *Jeſus Chriſtus Rex pacificus ſupernæ Jeruſalem, homini Peccatori, S.* 211.

SOLILOQUIA.

Cap. 1. *De infælicitate præſentis vitæ.* 213.
2. *De fælicitate vitæ æternæ.* 214.
3. *De periculo amittendi Deum.* ibid.
4. *De æſtimatione gratiæ Dei.* 215.
5. *De imitatione Chriſti.* 215.
6. *De contemptu mundi.* 216.
7. *De exemplis contemptorum mundi.* ibid.
8. *De reformatione hominis.* ibid.
9. *De reformatione ſenſuum exteriorum.* 217.
10. *De mortificatione paſſionum.* ibid.
11. *De reformatione imaginationis.* 218.
12. *De reformatione intellectus.* ibid.
13. *De reformatione voluntatis.* ibid.
14. *De ſtudio virtutum.* 219.
15. *De ſtudio contemplationis.* ibid.
16. *De ſtudio ſolitudinis.* 220.
17. *De vigilia cordis.* ibid.
18. *De victoria hoſtium animæ.* 221.
19. *De ingreſſu animæ victricis in cœlum.* ibid.
20. *De aſcenſu electorum in cœlum poſt judicium.* ibid.

STIMULUS SECUNDUS AD COMPUNCTIONEM EXCITANS

Cap. 1. *Quid ſit ipſa de peccatis contritio?* 227.
2. *Inæſtimabile contritionis bonum ponderatur.* 228.
3. *Motivum primum ad contritionem excitans, ex offenſa læſaque ſcilicet Dei majeſtate proveniens.* 230.
4. *Motivum ſecundum ad contritionem excitans, ex acceptis a Deo Opt. Max. beneficiis petitum.* 231.
5. *Motivum tertium ad contritionem excitans; ipſa ſcilicet Dei, qua peccatores admittit, benignitas.* 232.
6. *Motivum quartum ad contritionem excitans; Dei ſcilicet patientia in peccatoribus tolerandis, & expectandis manſuetudo.* 234.
7. *Motivum quintum ad contritionem excitans; ſingularis ſcilicet honor & favor, quo proſequitur Dominus eos, qui toto ad ipſum corde convertuntur.* 235.
8. *Motivum ſextum ad contritionem excitans; modus videlicet, quo ad pœnitentiam Dominus peccatores invitat.* 236.
9. *Motivum ſeptimum ad contritionem excitans, quantum ſcilicet homo, dum peccat, ſibi malum conciſcat?* 238.
10. *Motivum octavum ad contritionem excitans; bonum videlicet, quod ſibi peccator acquirit, dum ad Deum convertitur.* 239.
11 *Motivum nonum ad contritionem excitans; vita nimirum, paſſio, & mors Ieſu Chriſti.* 241.
12. *Motivum decimum ad contritionem excitans; venerabile nimirum Euchariſtiæ Sacramentum.* 243.
13. *Actuum contritionis praxis.* 244.

EPISTOLA CHRISTI AD HOMINEM.

Qua varia ad vitam æternam expetendam extimulantia motiva, nec non virtutes eidem acquirendæ neceſſariæ continentur.

PARS PRIMA.

DE PRIMARIIS ALIQUOT MOTIVIS, QUIBUS AD VITAM ÆTERNAM EXPETENDAM HOMO EXCITETUR.

Cap. 1. *De ſollicitudine, qua ad vitam æternam tendere homo deberet.* 249.
Cap. 2. *De vitæ æternæ pretio, & exiſtimatione.* Pag. 250.
3. *De iis, quæ fecerunt Sancti, ut ad vitam aeternam pertingerent.* 251.
4. *De bonorum terrenorum vanitate.* 252.
5. *De bonorum interiorum animae excellentia.* 253.
6. *Quanta, eorum felicitas, qui orationis, & communicationis, cum Domino Deo ſtudioſi ſunt.* ibid.
7. *De bonæ conſcientiæ quiete, & gaudio.* 254.
8. *De Dei erga ſervos ſuos providentia, & cura.* 254.
9. *De victoria, quam Dei ſervis de vitiis obtinent.* 255.
10. *De Chriſti Domini benignitate, & facilitate in ignoſcendo, ſi quando ſervos ſuos labi contigerit.* 256.
11. *Quomodo ſervi Dei honorentur?* ibid.
12. *De vitæ perfectione ad quam ſervi Dei perveniunt.* 257.
13. *De interioris hominis ordinatione, & compoſitione, quam in Dei ſervis gratia operatur.* 258.
14. *De juſtorum in mortis articulo gaudio, & hilaritate.* ibid.

PARS SECUNDA.

QUAMDAM CONTINENS INSTRUCTIONEM, ET EXHORTATIONEM, AD VIRTUTUM, QUARUM ADMINICULO REGNUM DEI OBTINETUR, USUM, VEL EXERCITIUM.

Cap. 1. *De Humilitate.* 259.
2. *De manſuetudine.* 261.
3. *De Obedientia.* ibid.
4. *De Caſtitate.* 262.
5. *De Paupertate.* 263.
6. *De Patientia.* 265.
7. *De Pœnitentia.* 265.
8. *De Gratitudine.* 266.
9. *De Abſtinentia, & ſobrietate.* 267.
10. *De modeſtia, atque imprimis oculorum.* 268.
11. *De Silentio.* 269.
12. *De Reſignatione.* 270.
13. *De Oratione.* 271.
14. *De Devotione.* ibid.
15. *De Timore Dei.* 272.
16. *De Obſervantia, vel cuſtodia præceptorum.* 273.
17. *De Clementia.* 274.
18. *De virtute Religionis, vel Latriæ.* ibid.
19. *De Magnanimitate.* 275.
20. *De Diligentia.* 276.
21. *De Fortitudine.* 277.
22. *De Juſtitia.* 278.
23. *De prudentia.* 278.
24. *De Fide Divina.* 279.
25. *De Spe.* 282.
26. *De Amore erga Deum.* 284.
27. *De Charitate, vel amore erga proximum.* 285.
28. *De Perſeverantia.* 286.

ARS AMANDI DEUM.

Cap. 1. *De Amoris definitione, & quid ſit amor.* 291.
2. *De primo artis Deum amandi præcepto, id eſt, de rei, quæ amanda eſt electione.* 294.
3. *De Ieſu Chriſti Pulchritudine.* 298.
4. *De operibus conſiderandis in eo, qui ad amandum eligitur.* 304.
5. *De Secundo Artis amandi Deum præcepto, id eſt de affectibus, qui in amoris Ieſu Chriſti electione excitandi ſunt.* 309.
6. *De tertio artis amandi Deum, pre-*

Cap. *præcepto ; quomodo ſcilicet Ieſu Chriſti pulchritudo cum labore, & ſudore quæri debeat.* Pag. 311.
7. *De quarto artis amandi Deum præcepto, quo graves aliquot proponuntur difficultates, pro Chriſti amore ſubeundæ.* 314.
8. *De quinto artis amandi præcepto ; quo aliquot Chriſti Domini, ſi quando iraſci videtur, placandi rationes traduntur.* 317.
9. *De ſexto artis amandi præcepto ; in quo de amoris in Chriſti Domini favoribus modeſtia agitur.* 320.
10. *De ſeptimo artis amandi præcepto ; quo oſtenditur, quanam ſit amor, & benevolentia Chriſti Domini ratione conſervandus.* 322.
11. *De octavo artis amandi præcepto, in quo docetur, quis ſit animæ ob repulſam poſt divinas conſolationes evenientem, contriſtatæ ſenſus.* 324.
12. *De nono artis amandi præcepto, in quo remedia proponuntur ob repulſam a Chriſto Domino paſſam afflicti, & dolentis.* 326.
13. *De Decimo artis amandi præcepto, in quo de aliquibus linguæ amoris proprietatibus ſermo eſt.* 328.
14. *De undecimo artis amandi præcepto, quod notabiliores aliquot amoris tribulati proponit effectus.* 330.
15. *De duodecimo artis amandi præcepto, quo aliquot amoris Domini noſtri Ieſu Chriſti favores, & gratiæ explicantur.* 331.
16. *De decimo tertio artis hujus præcepto, quo gradus, & ſigna amoris deſcribuntur.* 332.
17. *De decimoquarto artis amandi præcepto, in quo de beato amoris Divini fine tractatur.* 334.
18. *Decimumquintum artis hujus præceptum ; ipſum ſcilicet exercitium artis amandi Deum.* 335.
19. *De arte amandi proximum.* 336.
20. *Epiſtola animæ ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in qua illius amorem, multis cordialibus affectibus ſibi expoſcit.* 338.

APPENDIX
AD ARTEM AMANDI DEUM

Aliquot continens Epistolas, et exercitia, iis, qui amoris divini studio vacant, accommodata, et proportionata.

Epist. 1. *Dulciſſimo Regi cæleſtis Ieruſalem Ieſu Chriſto, quidam de Filiis Adam, S. D.* 342.
2. *Pacifico Regi Ieſu Chriſto, ſub ſacro Euchariſtiæ velamine latenti, quidam de ſervis ejus. S. D.* 345.
3. *Ieſu Chriſti, pacifici Regis Ieruſalem majeſtati, unus de ſervis ejus S. D.* 347.
4. *Benigniſſimo Domino Ieſu Chriſto jam emorienti, ſervus quidam ejus S. D.* 350.
5. *Actuum diurnorum directio, ac diſpoſitio mane facienda.* 352.
6. *Exercitium de reſpiratione, & inſpiratione.* 357.

DE ARTE AMANDI DEUM

Sive de amore Dei parando, atque tuendo.

Cap. 1. *De Amoris deſcriptione.* 365.
2. *De Amoris delectu.* 366.
3. *De Ieſu Chriſti pulchritudine.* 368.
4. *De Ieſu Chriſti pulchritudine per labores fortiter quærenda.* 371.
Cap. 5. *De malis aliquot graviſſimis amore Ieſu Chriſti perferendis.* 373.
6. *De modis quibus Ieſus Chriſtus velut iratus ab amatoribus placandus eſt.* 375.
7. *De amoris modeſtia, in familiaritate Ieſu Chriſti ſervanda.* 376.
8. *De parto amore Ieſu Chriſti tuendo.* 378.
9. *De ſenſu animæ ob deguſtati Ieſu Chriſti abſentiam, & repulſam mœrentis.* 379.
10. *De remediis aliquot amoris mœſtiſſima Ieſu Chriſti repulſa læſi.* 382.
11. *De nonnullis linguæ amoris proprietatibus.* 383.
12. *De quibuſdam Ieſum Chriſtum amantium affectionibus, notatu dignioribus.* 385.
13. *De probati ergu Ieſum Chriſtum amoris exitu.* 386.
14. *De variis affectionibus divinis ad artis totius intellectum opportunis.* ibid.
15. *De Praxi artis amandi Deum.* 391.
16. *De Arte amandi proximum.* 392.
17. *Oratio pro vero amore impetrando.* 394.
18. *Praxis de Amoris delectu.* 396.

LIBER
DE STUDIO PACIS COMPENDIO SCRIPTUS.

PARS PRIMA.

De Prænotionibus.

Cap. 1. *Quidnam rei ſit pax.* 401.
2. *Diſcrimen inter pacem, & concordiam.* ibid.
3. *Diſtinctio pacis veræ, & apparentis.* ibid.
4. *Pax vera proprius charitatis effectus eſt.* 402.
5. *Pax vera recenſetur inter Spiritus Sancti fructus, & beatitudines.* ibid.
6. *Omnia pacem appetunt.* ibid.

PARS SECUNDA.

De Nonnullis et Potioribus Pacis Fructibus.

Cap. 1. *Lætitia.* 402.
2. *Opulentia.* 403.
3. *Fertilitas.* ibid.
4. *Sanitas.* ibid.
5. *Sapientia.* 4e4.
6. *Pietas.* ibid.

PARS TERTIA.

De Selectis aliquot Pacis quærendæ, ac Tuendæ modis.

Cap. 1. *Conſilium.* 404.
2. *Amoris eſtenſio.* 405.
3. *Iuſtitiæ cultus.* ibid.
4. *Occaſionum diſcordiæ ablatio.* ibid.
5. *Paſſionum ſubjugatio.* ibid.
6. *Fœdera.* 406.
7. *Fœderis fides.* ibid.
8. *Mitis geſtus, & Sermo.* ibid.
9. *Anteverſa providentia.* ibid.
10. *Novitatis fuga.* 407.
11. *Concio tempeſtiva.* ibid.

PARS QUARTA.

De iis, quæ pacem præcipue deterunt.

Cap. 1. *Superbia.* 407.
2. *Gravitas.* ibid.
3. *Invidia.* 408.
4. *Ambitio.* ibid.

Cap. 5. *Avaritia.* ibid.
6. *Ira.* ibid.
7. *Sententiæ tenacitas.* ibid.
8. *Mordax ſermo.* 409.
9. *Suſurrus.* ibid.
10. *Diſcrepantia morum.* ibid.

PARS QUINTA.

De Pacis Perfectione.

Cap. 1. *Diſtinctio pacis pro vario hominis ſtatu.* 409.
2. *Pax ſtatus juſtitiæ originalis.* ibid.
3. *Pacis demolitio.* ibid.
4. *Amiſſæ pacis qualis reparatio.* 410.
5. *Pacis incrementum.* ibid.
6. *Pacis perfectio.* 411.

PARS SEXTA.

De Perſuaſione Pacis. 411.

THEOLOGIA MYSTICA.

Cap. 1. *De Theologiæ myſticæ definitione, ſeu deſcriptione.* 425.
2. *Ad quem charitatis gradum pertineat Theologia myſtica.* 427.
3. *De Divina contemplatione.* 429.
4. *De guſtu divinæ Sapientiæ, ſive de guſtu contemplationis.* 432.
5. *De tactu Spiritus Sancti voluntatis ſummitatem, vel (quod idem eſt) ſupremum affectus apicem tangentis.* 433.
6. *De multiplici raptu, qui tactum Spiritus Sancti præcurrit.* 436.
7. *De interpretatione Libri Sancti Dionyſii Areopagitæ de Myſtica Theologia.* 442.
8. *De viſionibus & revelationibus.* 444.
9. *De motibus anagogicis, ſive aſpirationibus.* 446.

EPISTOLÆ ANAGOGICÆ.

Epist. 1. *Supernæ Ieruſalem Regi Pacifico Ieſu Chriſto, exul homo S.* 448.
2. *Ieſus Chriſtus Rex Pacificus ſupernæ Ieruſalem, Homini exulanti Salutem.* 457.
3. *Ieſu Chriſto paulo poſt morituro, quidam ejus ſervus Sal.* 464.
4. *Sereniſſimo Dei Filio ſub euchariſtico velamento latenti, quidam ejus Servus Salutem.* 467.
5. *Supernæ Ieruſalem Reginæ Clementiſſimæ Mariæ, exul homo Sal.* 471.
6. *Dulciſſimo Reginæ Supernæ Ieruſalem Sponſo Ioſeph, exul homo Salutem.* 476.
7. *Clariſſimæ Virgini Beatæ Tereſiæ a Ieſu Carmelitarum Diſcalceatorum Fundatrici, quidam ejus filius Salutem.* 482.
8. *Univerſæ Civitati Dei, quæ regnat in Cœlis, exul quidam S.* 488.
9. *Sereniſſimæ Supernæ Ieruſalem Reginæ Cælos aſcendenti, quidam ejus Servus, Salutem.* 492.
10. *Magnæ Dei Parenti, Angelorum, hominumque Dominæ Auguſtiſſimæ, quidam ejus Servulus Salutem.* 494.
11. *Dilectiſſimæ Ieſu Chriſti Sponſæ. S. Mariæ Magdalenæ Pœnitentium Anteſignanæ, quidam ejus cliens Salutem.* 496.
12. *Viro ſecundum cor Dei, D. Franciſco Aſſiſinati, quidam ejus Cliens, Salutem.* 498.

SCHOLA DE ORATIONE ET CONTEMPLATIONE MORTIFICATIONE PASSIONUM, ATQUE ALIIS PÆCIPUIS AD DOCTRINAM SPIRITUALEM SPECTANTIBUS MATERIIS PRÆCEPTA TRADUNTUR.

TRACTATUS.

De Religionis noſtræ Inſtituto, deque hujus fine, vel partibus, & ſtatus noſtri obligationibus, ut ſuum hinc alii Religioſi ſtatum perſpectum habeant. 505.

TRACTATUS

De Oratione. 507.
De Præparatione. 508.
De Meditatione. ibid.
De Gratiarum actione. 509.
De Oblatione. ibid.
De Petitione. ibid.
De Partibus orationis in communi. ibid.
De Præparatione. 509.
De Meditatione. 510.
De Præſentia Dei, deque Imaginibus. ibid.
De Motione affectus. 511.
De Ariditate. 516.
De Conſolationibus. 518.
De Partibus Affectivis. 519.
De Oratione in communi, ejuſque circumſtantiis. 520.

TRACTATUS

De Præſentia Dei. 521.

TRACTATUS

De Tentationibus. 525.

TRACTATUS

De Paſſionibus. 529.

TRACTATUS

De Virtutibus. 537.

TRACTATUS

De Tribus ſtatibus aut gradibus, videlicet Incipientium, Proficientiam, & Perfectorum. 546.

TRACTATUS

De vita Activa & contemplativa, in quo docetur quid ſit Contemplatio. 549.

TRACTATUS

De Fructibus, & Donis Spiritus Sancti; deque Beatitudinibus. 552.

TRACTATUS

De Gratiis gratis datis. 555.

TRACTATUS

De Raptibus, Viſionibus, & revelationibus. 556.

TRACTATUS

De Theologia Myſtica. 558.

TRACTATUS

De diſcretione Spirituum. 561.

TRACTATUS

De Oratione.

Caput Primum. 568.
Cap. 2. *De Præparatione.* 569.
3. *De Lectione.* 570.
4. *De Meditatione.* 571.
5. *De Gratiarum actione.* 573.
6. *De Oblatione.* 574.
7. *De Petitione.* ibid.
8. *De Corporis habitu, vel poſitura.* 575.
9. *De loco orationi opportuno.* ibid.
10. *De Tempore orationi opportuno.* ibid.

TRACTATULUS ALTER.

De Methodo orandi. 576.
Phyſiologia Interioris hominis. 579.
Exemplum de Obedientia. 581.

Exemplum de Humilitate. ibid.

ARS BENE MORIENDI.

PARS PRIMA.

IN QUO DE MEDIATA AD MORTEM PRÆPARATIONE AGITUR, EO SCILICET TEMPORE FACIENDA QUO HOMO ADHUC RECTE VALET.

CAP. 1. *DE vitæ hujus brevitate.* 587.
2. *Quanti interſit bene mori.* 588.
3. *Primum artis bene moriendi præceptum, continua inquam mortis memoria.* 589.
4. *Secundum artis bene moriendi præceptum; Scilicet Deum ſibi in vita depingere ut judicem, ut in hora mortis inveniatur ut Pater.* 590.
5. *Tertium artis bene moriendi præceptum; nempe quam diligentiſſime & circumſpectiſſime cavere, ne quod peccatum lethale committamus; ne in malo nos ſtatu mors inveniat.* 591.
6. *Quartum artis bene moriendi præceptum, ſcilicet ut ſtatim ac in peccatum mortale prolapſi ſumus, in gratiæ ſtatu nos reſtituere ſatagamus, quo in bono nos mors ſtatu reperiat.* 592.
7. *Quintum artis bene moriendi præceptum; magna inquam, in gratia Dei tum conſervanda, tum adaugenda, diligentia, ut in hora mortis vires ad pugnandum ſuppetant.* 593.
8. *Sextum artis bene moriendi præceptum; quod eſt a venialibus peccatis ſerio accurateque abſtinere, ut in hora mortis judicem noſtrum propitium magis experiamur.* 594.
9. *Septimum artis bene moriendi præceptum, cor ſcilicet noſtrum ab omnibus mundi hujus rebus avellere, ne eæ impedimento ſint, quo minus de animæ rebus in hora mortis cogitemus.* 595.
10. *Octavum artis bene moriendi præceptum; multis nimirum ſe negotiis non implicare, ne morientem, aut quod nondum perfecta ſint, aut alias ob cauſas, interturbent.* 596.
11. *Nonum artis bene moriendi præceptum, iis nimirum virtutum actibus ſeſe dare, qui in hora mortis maxime ſunt neceſſarii.* 597.
12. *Decimum artis bene moriendi præceptum, exercitium ſcilicet, viriliter, & generoſe tentationibus reſiſtendi, ne ab iis anima in mortis hora opprimatur.* 598.
13. *Undecimum artis bene moriendi præceptum; pauxillum ſcilicet temporis conſiderationi agoniæ mortis impendere, multos virtutum actus, tum ad habendam patientiam, tum ad nos Chriſto Ieſu in hora illa conformandos faciendo.* 599.
14. *Duodecimum artis bene moriendi præceptum, quotidie proponere ita ſe gerere, ac ſi dies illa vere ultima totius vitæ futura eſſet.* 600.
15. *Decimum tertium artis bene moriendi præceptum, ſuam quotidie conſcientiam examinare, quaſi quamcitiſſime ejus reddenda eſſet ratio.* 601.
16. *Decimum quartum artis bene moriendi præceptum, corpus aliquo modo mortificare, ne mortis poſtea anguſtiæ, & dolor ita ipſum opprimant, ut omnem tunc de Deo ſenſum anima perdat.* 602.
17. *Decimum quintum artis bene moriendi præceptum, particulares quaſdam continens diligentias, quæ valent bonam a Domino impetrare mortem volenti.* 603.

PARS SECUNDA.

ARTIS BENE MORIENDI, IN QUA DE PROXIMA AD MORTEM PRÆPARATIONE AGITUR.

CAP. 1. *PRimum proximæ ad mortem præparationis præceptum; quid ſcilicet initio morbi ſit faciendum.* 604.
2. *Secundum proximæ ad mortem præparationis præceptum; quomodo ſcilicet bonorum ſit temporalium diſpoſitio facienda.* 605.
3. *Tertium proximæ ad mortem præparationis præceptum; quid faciendum nempe ſit cum ingraveſcit morbus.* 606.
4. *Quartum proximæ ad mortem præparationis præceptum, debita nimirum Viatici extremi, & Sacræ unctionis ſuſceptio.* 607.
5. *Quintum proximæ ad mortem præparationis præceptum; quid nempe faciendum, quando jam mors appropinquat.* 608.
6. *Sextum proximæ ad mortem præparationis præceptum, ipſa ſanctorum invocatio.* 609.
7. *Septimum proximæ ad mortem præparationis præceptum, quo ſcilicet modo tentationibus circa fidem reſiſtendum ſit.* 610.
8. *De proxima ad mortem præparatione, de rationibus ſcilicet, quæ hominem in fide confirment.* 611.
9. *De eadem fidei materia, in qua aliæ in ejus confirmationem rationes adducuntur.* 612.
10. *De eadem fidei materia, in qua de convenientia veritatum fidei agitur, quæ in ſe conſideratæ, divinæ eſſe videntur.* 614.
11. *Octavum proximæ ad mortem præparationis præceptum, modus inquam tentationibus deſperationis reſiſtendi.* 615.
12. *De efficaciſſimis ad confidendum in Deo rationibus.* 617.
13. *De eadem materia; de efficaciſſimis ſcilicet rationibus, quæ hominem commovent, ut in Deo fiduciam concipiat.* 620.
14. *De eadem materia, id eſt, de rationibus efficaciſſimis ad confidendum in Deo.* 621.
15. *De eadem materia, id eſt de efficaciſſimis ad confidendum in Deo rationibus.* 623.
16. *Nonum proximæ ad mortem præparationis præceptum; quomodo ſcilicet tentationibus odii Dei, & blaſphemiæ reſiſtendum ſit.* 624.
17. *Efficaciſſimæ quædam proponuntur rationes ad Deum, & amandum, & laudandum.* 626.
18. *Decimum proximæ ad mortem præparationis præceptum, quomodo videlicet tentationibus ſcrupulorum reſiſtendum ſit.* 627.
19. *Undecimum proximæ ad mortem præparationis præceptum, quomodo nimirum tentationibus ad ſuperbiam, vanam gloriam, vel præſumptionem impellentibus reſiſtendum ſit.* 628.

Cap. 20. *Duodecimum proximæ ad mortem præparationis præceptum; quid faciendum nempe quando moriens jam animam agit.* Pag. 630.

PARS TERTIA.

Artis bene moriendi, in qua de variis mortis generibus tractatur, nec non quædam circa eadem documenta traduntur.

Cap. 1. *De iis, qui ſubita, & repentina morte exſtinguntur.* 631.
2. *De illis, qui præ magnis doloribus, ærumnis, aut afflictionibus moriuntur.* 632.
3. *De iis, qui per extremum ſupplicium moriuntur.* ibid.
4. *De iis, qui lento morbo, ſcienterque moriuntur.* 634.
5. *De iis, qui in bello moriuntur.* ibid.
6. *De iis, qui cum horrendis timoribus, & terroribus emoriuntur.* 635.
7. *De iis, qui ſumma in conſolatione moriuntur.* ibid.
8. *De particulari animarum judicio.* 636.
9. *Epiſtola in ipſa mortis hora, vel dum ea jam inſtat, legenda; ita ut moriens eam audiat, ejuſque affectus in ſe excitare procuret.* 637.
10. *Conſideratio de morte peccatoris.* 641.
11. *Conſideratio de morte juſti.* 642.
12. *Conſideratio de judicio Dei.* 644.
13. *Conſideratio de inferno, ejuſque tormentis.* 646.
14. *Conſideratio de gloria Beatorum.* 647.
Expoſitio Symboli Apoſtolorum. 651.

TRACTATUS

De Amore, cultuque Reginæ Coeli; Compendio Scriptus.

PARS PRIMA.

De dotibus, quæ Reginæ Coeli amorem excitant.

Cap. 1. *Pulchritudo.* 654.
2. *Decor.* 655.
3. *Lux.* ibid.
4. *Puritas.* ibid.
5. *Nobilitas.* 656.
6. *Sapientia.* ibid.
7. *Gratia.* ibid.
8. *Opulentia.* 657.
9. *Potentia.* ibid.
10. *Miſericordia.* ibid.
11. *Multiplices aliæ dotes.* ibid.
12. *Eccleſiæ affectus erga Cæli Reginam.* ibid.

PARS SECUNDA.

De cultu Reginæ Coeli.

Cap. 1. *Quid primum a cultore Virginis præſtandum?* 658.
2. *Quid ob tutelam Virgini reddendum?* ibid.
3. *Quid a quovis Reginæ Cœli cultore præſertim agendum?* ibid.
4. *Quid ſummo mane a cultore Virginis præſtandum?* ibid.
5. *Quid in proceſſu diei ad cultum Virginis agendum?* 659.
6. *Quid ante ſomnum a Virginis cultore obſervandum?* ibid.
7. *Quid in Virginis feſtis agendum?* ibid.
8. *Qualis erga Cœli Reginam debeat eſſe devotio?* ibid.
9. *Qualis eſſe debeat Virginis æſtimatio?* ibid.
Exercitium Præparatorium ad Natalem Domini, quotidie adventus tempore frequentandum. Pag. 661.
Alia ad natalitia Dominica Præparatio. 662.
Aſpirationes, ſive Orationes jaculatoriæ ad Puerum Ieſum, ut in animabus noſtris ſpiritualiter renaſci veniat. 663.
Affectus varii Sanctiſſimæ Virginis Mariæ erga filium ſuum mox naſciturum. 664.
Affectus, ejuſdem SS. Virginis in Filium ſuum jam natum. 665.

SOLILOQUIA ANIMÆ FIDELIS.

Ad Jesum Christum dulcissimum Redemptorem, qui tollit peccata mundi, quibus conqueritur, et dolet adhuc se esse obnoxiam, et ab eis totaliter liberari, et præservari ardentissime desiderat, et postulat.

Soliloquium primum. 669.
Soliloquium Secundum. 670.
Soliloquium Tertium. ibid.
Soliloquium Quartum. ibid.
Soliloquium Quintum. 671.
Soliloquium Sextum. ibid.
Soliloquium Septimum. ibid.
Soliloquium Octavum. 672.
Soliloquium Nonum. ibid.
Soliloquium Decimum. ibid.
Soliloquium Undecimum. 673.
Soliloquium Duodecimum. ibid.
Soliloquium Decimum tertium. 674.
Soliloquium Decimum quartum. ibid.
Soliloquium Decimum quintum. 675.
Soliloquium Decimum ſextum. ibid.
Soliloquium Decimum ſeptimum. ibid.
Soliloquium Decimum octavum. 676.

Responsiones Christi ad superiora Animæ Soliloquia.

Reſponſio ad Soliloquium Primum. 676.
Ad Soliloquium Secundum. 677.
Ad Soliloquium Tertium. ibid.
Ad Soliloquium Quartum. ibid.
Ad Soliloquium Quintum. 678.
Ad Soliloquium Sextum. ibid.

De septem Ecclesiæ Sacramentis Brevis Tractatus.

Cap. 1. *De Sacramentis in genere.* 679.
2. *De Baptiſmo.* 680.
3. *De Confirmatione.* ibid.
4. *De Euchariſtia.* 681.
5. *De Pœnitentia.* ibid.
6. *De Extrema Unctione.* 682.
7. *De Matrimonio.* ibid.
8. *De Ordine.* 683.

APPENDIX ALTERA.

THRONUS JUSTITIÆ.

Throni Justitiæ Fundamentum.

De natura, necessitate, et utilitate Examinis in genere.

Cap. 1. *Quid, & quotuplex ſit Examen?* 689.
2. *De neceſſitate Examinis.* 690.
3. *De utilitate Examinis in genere.* 691.

TRACTATUS I.

De generali Conscientiæ Examine

SECTIO PRIMA.

De peccatorum mortalium cognitione.

Cap. 1. *De gravitate, & malitia peccatorum in genere.* 692.

CAP. 2. *De gravitate peccati mortalis, quod Deo, & attributis ejus adverſatur.* PAG. ibid.
3. *De attributis providentiæ, miſericordiæ, & juſtitiæ Dei, quibus peccata adverſantur.* 693.
4. *De peccatis, quæ ſunt contra Chriſti Domini noſtri redemptionem.* 694.
5. *De gravitate peccati, quod Eccleſiam triumphantem offendit.* ibid.
6. *De gravitate peccatorum, quæ Eccleſiam in terris militantem offendunt.* 695.
7. *De gravitate Peccatorum ex parte hominis ſe illis aſtringentis.* ibid.
8. *De gravitate peccati ex parte hominis peccatoris.* 696.
9. *De gravitate peccati ex parte pœnæ, ſeu malorum, quæ animæ aſportantur.* 697.
10. *De gravitate peccati ex pœnis, quæ corpori accidunt.* 698.
11. *De cognoſcenda gravitate peccati, ex aſperis, & acribus ejus remediis.* 699.

SECTIO SECUNDA.

De Contritione.

CAP. 1. *Quod initium Contritionis ſit a Deo, & propriæ imbecillitatis cognitione.* 699.
2. *De Timore, & Spe.* 700.
3. *De dolore, & pudore peccatorum.* 701.
4. *De Propoſito Emendationis.* 701.
5. *Motiva nonnulla ad perfectam Contritionem eliciendam.* 702.
6. *De efficacia, & fructibus bonæ Contritionis.* 702.

SECTIO TERTIA.

De Examine propriorum peccatorum sanctæ Confessioni præmittendo.

CAP. 1. *De ſimilitudine hujus Examinis cum extremo judicio.* 703.
2. *De Præparatione ad hoc Examen.* 703.
3. *De materia Examinis, & primo de ſpeciebus peccatorum.* 704.
De numero peccatorum. ibid.
De circumſtantiis peccatorum. ibid.
4 *De ſpeciali examinandi modo per octo legis Dei mandata.* 704.
Circa primum præceptum Decalogi, & primo circa fidem. ibid.
Circa Spem. 705.
Circa Charitatem. ibid.
Circa ſecundum præceptum. ibid.
Circa Tertium præceptum. ibid.
Circa Quartum præceptum. ibid.
Circa Quintum præceptum. ibid.
Circa Sextum, & nonum præceptum. 706.
Circa Septimum, & Decimum præceptum. ibid.
Circa Octavum præceptum. ibid.
De peccato Superbiæ. 707.

SECTIO QUARTA.

De Confessione.

CAP. 1. *De Confeſſione Generali, ejuſque neceſſitate.* 707.
2. *De Confeſſionibus particularibus, & earumdem obligatione.* 708.
3. *De Conditionibus in Confeſſione ſervandis, & primum de victoria ſui, & abiciendo pudore.* ibid.
4. *Aliæ quinque conditiones in confeſſione ſervandæ.* 709.
5. *De humili ſubmiſſione pœnitentis ad monita Confeſſarii excipienda.* 710.
6. *Quam ſit noxium non admittere correptionem Confeſſarii, & inanes ad id ferre excuſationes.* ibid.
CAP. 7. *De ſingulari Dei erga vere pœnitentes favore in difficultatibus omnibus ſuperandis.* PAG. 711.
8. *De Confeſſionis Sacramentalis efficacia, & utilitatibus.* 712.

SECTIO QUINTA.

De Satisfactione, et Vitæ Reformatione.

CAP. 1. *De ſatisfactione per Jejunium, Eleemoſynas, & orationem.* 712.
2. *De habitibus vitioſis corrigendis, & relapſu peccatorum vitando per eadem media.* 713.
3. *Alia remedia pro vitandis peccatis mortalibus.* 714.
4. *De Jejunio, & modo, quo pœnitentiæ corporales ſint peragendæ.* ibid.
5. *Ratio perfecte faciendi eleemoſynas pro divitibus, & pauperibus.* 715.
6. *Quo Spiritu Orationes ſatisfactoriæ fundendæ ſint?* 716.

TRACTATUS II.

De Examine diurno ad maculas quotidianas eluendas.

CAP. 1. *Quanti momenti ſit hoc diurnum conſcientiæ Examen.* 717.
2. *De materia, hoc eſt rebus, quæ in hoc examen adducendæ ſunt.* 718.
3. *De forma, & partibus hujus examinis, & primum de duobus primis.* ibid.
4. *De tertia examinis parte, quæ eſt culparum propriarum diſcuſſio.* 719.
5. *De quarta parte examinis, hoc eſt de dolore & contritione.* 720.
6. *Motiva ad contritionem Venialium.* ibid.
7. *De quinta parte Examinis, quæ eſt propoſitum emendationis.* 721.
8. *De levium peccatorum confeſſione, & ſatisfactione.* 722.
9. *Alia remedia ad eluenda peccata venialia.* ibid.
10. *Specialia remedia pro fuga venialium peccatorum.* 723.

TRACTATUS III.

De Examine Particulari conscientiæ.

CAP. 1. *Quantæ authoritatis, & neceſſitatis ſit hoc ſpeciale Examen.* 724.
2. *Quibus de rebus particulare examen ſit inſtituendum?* 725.
3. *De Ordine rerum in hoc examine ſervando.* ibid.
4. *Quomodo examen particulare juxta ſingula vitii, ſeu virtutis alicuius partes inſtituendum ſit?* 726.
I. De Humilitate. ibid.
II. De Charitate Fraterna. ibid.
III. De Mortificatione. ibid.
IV. De Abſtinentia. ibid.
V. De Patientia. ibid.
VI. De ordinariis operibus bene obeundis. 727.
VII. Ut Omnia pure agantur propter Deum. 727.
VIII. De Conformatione voluntatis noſtræ cum divina. ibid.
5. *Quod materia Examinis particularis non facile ſit mutanda.* ibid.
6. *De forma, ſeu methodo examen particulare inſtituendi.* 728.
7. *De Dolore, & propoſito emendationis neceſſario in hoc examine.* ibid.
8. *Utiliſſimum eſſe adjungere ad Examen, Auſteritates, & Pœnitentias.* 729.

FINIS.

I N D E X

RERUM MEMORABILIUM

QUÆ HOC SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR

Numeri paginam, Litteræ verſus deſigna.

A

ABel juſtus occiſus. 36. C. ejus munus Deo adceptum. 219. B.

Abiron, & Dathan, Schiſmatici. 413. A.

Abnegatio ſui, præcepta. 45. A. 165. G. ejus exemplum. 165. G.

Abominatio, quomodo a juſtis exercita? 120. G.

Abraham, a Deo tentatus, & cur? 16. C. ejus amicus dictus. 237. G. & illi fidelis in tentatione. 459. G. conjugatorum exemplum. 29. C. bonus pacis æſtimator. 405. E. ejus fides, & Spes commendata. 315. G. H. Oratio pro Sodomitis. 129. G. juſtitia, & obedientia 39. C. miſericordia. 6. A. 29. E. Liberalitas. 133. G. hoſpitalitas. 715. C. fœdera, eorumque ritus 406. C. divitiæ. 29. E. 133. F. temperantia, & continentia. 138. H. 139. A. Animi demiſſio. 129. G. promiſſiones a Deo illi juratæ. 103. A. & merces repoſita. 38. E.

Abſalon. 306. C. cur in porta adſidens. 75. B. ejus ſequaces. 79. C. ambitio. 345. F. quercu ſubſpenſus. 477. H.

Abſolutio Sacramentalis, ejuſque effectus. 31. E. 712. A. Sacramenti pœnitentiæ forma. 682. B. quando morienti impendenda? 606. G.

Abſtinentia, qualis virtus? 544. E. præcepta, & cur? 19. E. ejus exercitium Angelicum dictum 104. A. ejus præmium. ibid.

Academia Græcorum, & Ægyptiorum reprobata. 65. A.

Academiæ garrulæ. 67. B.

Acedia, quid? 533. E. ejus effectus in corpore. 698. C. & damna. 276. F. lepræ comparata ibid. G.

Acolytatus, qualis Ordo in Eccleſia? 683. E. ejus materia, forma, & officium. ibid. F.

Actio humana, bona, vel mala. 505. D. unde incipere, & quo tendere debeat? 44. F. V. *Gratiarum actio*.

Actus humani. 228. F. diurni, & eorum directio. 352. E. puræ intentionis. 324. A. cultus Divini. 162. E. diverſarum virtutum interni, eorumque pretium, & effectus. 161. F. externi. 162. A. C. eorum exercitium. 58. B. 60. C. quales a moriente exercendi? 56. B. V. *Virtus. Fides. Spes. Caritas. Contritio*. &c. *Matrimonium*. &c. *Moribundus*.

Adam, qualis in ſua creatione quoad animam, & quoad corpus? 162. G. & ſeq. ejus peccatum, & quale? 4. E. 97. C. 189. A. 191. B. in omnes homines transfuſum. 31. F. 34. C. 76. F. 163. A. 339. G. 431. D. 626. D. patrimonium, & hæreditas. 84. G. 163. A. 339. G. 431. D. 626. D. & filii quales, & qui dicti? 4. F. 10. F. 48. F. 76. F. 190. C. 258. A. ejus a Paradiſo expulſio. 325. B. 347. G. ætas. 588. D. pœnæ, & effectus peccati, eorumque in omnes propagatio. 4. F. 31. F. 81. F. 122. C. 162. G. 163. A. 255. E. 261. G. 339. C. 448. A. 712. G. in anima, qui? 163. A. In memoria. ibid. In intellectu. ibid. Scientia, & Sapientia in eo orbatus. 111. G. 431. D. & ideo inſipiens dictus. 213. H. 431. E. In voluntate. 163. A. In adpetitu ſenſitivo. Ibid. In corpore. ibid. In ſenſibus internis. ibid In imaginatione. ibid. In externis. ibid. ejus inconſtantia. 194. A. inobedientia. 261. G. tenebræ 450. B. grave pondus. 88. A. ejus peccatum in bonum verſum. 677. A. ejus infirmitas. 85. B. ejus myſtica vetuſtas abiicienda. V. *infra*.

Adam novus, & ſecundus, quis? 154. G. 163. C. 292. C. 713. E.

Adam vetus, ejuſque mores, & myſtica vetuſtas deponenda. 35. F. 119. A. 154. G. 202. D. 208. F. 217. A. 713. E.

Admiratio, timoris effectus. 536. A.

Adoleſcentulæ, earumque amor. 293. F. quæ myſticæ? ibid. G.

Adparitiones, earumque natura, & ab raptu diſcrimen. 558. A. B. D.

Adpetitus ſenſitivus, ejus natura, objectum, ſedes, diviſio. 529. C. H. & comparatio. 163. B. compeſcendus, & quomodo? 82. F. 138. G. 140. C. 300. H. idque ex præcepto. 163. C.

Adſiſtens, & Adſiſtentes morientibus, eorumque partes, & officia. 58. A. 60. E. F. *& ſæpe deinceps*. V. *Moribundus*.

Adtritio, quid? 624. B. 681. H. ejus a contritione diſcrimen. 682. A. motivum. 245. A. valor in Sacramento pœnitentiæ. 624. B.

Adultera Evangelica. 191. A.

Adulterium David, unde? 167. F.

Advocatus, ejuſque munia. 27. G. mali Advocati pœna. 28. A. & boni merces parata. ibid. ſalubria ad eum monita. 180. G. noſter quis? 674. D.

Ædificatores Babylonis qui? 4. B. 5. A.

Ædificia dealbata, eorumque inventio. 6. C.

Ædificium Salomonis. 52. B.

Ægeſtas, & ejus effectus. 134. C.

Fr. Ægidius, Sancti Franciſci comes, ejuſque raptus. 435. A.

Ægrotus, quomodo extrema Sacramenta depoſcat? 56. C. quando fidei profeſſionem emittat? 60. D.

Ægyptii, ſapientia clari. 128. B. eorum Academia reprobata. 65. A. auxilium, quibus neceſſarium? 69. E. cibi ruſtici. 77. F.

Ægyptus myſtice, ei non danda manus. 80. C.

Æmulatio, quid? 533. E. cui comparata? 315. B. 485. E. qualis in Schola Chriſti? 11. D.

Æmulatores Dei, qui? 264. F.

Æquales, quomodo habendi? 170. G.

Æquitas, quæ virtus? 541. A. V. *Juſtitia*.

Æſtimatio hominum, quæ? 5. D. ſui, quam commune vitium? 17. B. quænam diſciplinæ Dei expers? 120. B.

Ætas hominum prima, quæ? 39. F. quæ mentis? 221. B.

Æterna, conſideranda. 8. E.

Affabilitas, ejus natura. 538. E. G. quae virtus? 541. C.

Afflicti, quomodo habendi? 329. H. refrigerium aeternum illis paratum. 17. G.

Affectus, quid? 511. G. terreni, eorumque pondus. 250. H. quo modo examinandi? 719. C.

Agag, Rex Amalech. 7. E.

Agar, eiuſque myſtice filiorum prudentia. 68. E. 344. F.

S. Agatha martyr. 37. F.

S. Agatho Abbas, quantus ſilentii cultor? 729. C.

S. Agnes Martyr. 37. F. 254. F. ejus caſtitas. 72. D.

Agnus myſtice, eiuſque coena. 137. D.

Agnus Dei, imitandus. 8. H. eius ſacrificium, & occiſio. 96. A. 203. F. pro quibus? 203. F. & ubi? 209. F. eius nuptiae. 98. A. & Sponſae caſtiſſimae. 104. G. manſuetudo 207. A. V. *Chriſtus*.

Agonia, eiuſque cum timore conjunctio. 536. A. V. *Moribundus. Timor.*

Alapa, qualis iniuria? 232, G.

S. Alexander Carbonarius, ejuſque virtus. 20. F. D. mundi contemtus. 72. D. 132. E. 251. F. Sapientia infuſa. 132. E. praemium. 49. F.

Alexander Macedo, eiuſque fortitudo. 128. F. & ambitio. 408. D.

S. Alexius, eiuſque virtus. 20. F. 40. A. 554. 554. D. mundi, & honoris contemptus. 72. D. 129. A. 132. E. 216. E. 251. E. 294. F. & praemium. 49. G. quo modo per viam vitae ambulaverit? 216. E.

Alienatio, imperfecta. 444. G. perfecta. 445. A.

Allia Ægypti. 85. G. 470. E.

Altitudo gloriae aeternae quibus parata? 51. C.

Amabilitas perſonae. unde? 295. B. an caeteris dotibus praeferenda? 338. F.

Aman, Aſſueri Regis familiaris, ejuſque mors. 234. C. & poena. ibid. ambitio. 408. C

Amana, mons, eiuſque ſignificatio. 313. B.

Amans, eiuſque proprietas. 154. A. quid odio habeat? 385. H. V. *Amantes. Amatores. Amor.*

Amantes, eorumque mores, & conſuetudo. 378. G. 388. G. 390. F. idiomata plura. 384. H. & ſomnia recogitata. 385. C. & ſomnus qualis? 385. D. phrenitide patiuntur. 382. F. paſſionibus agitantur. 385. G. mortem optant. ibid. A. lamentari permittuntur impune. 383. E. V. *Amatores. Amor.*

Amare, quid? 366. B. V. *Amor.*

Amatores, cordium cupidiſſimi. 15. G. quos labores ſuſcipiant? 392. A. ſeduli, eorumque mos. 375. G. prudentes rari. 295. B. ſtulti multi. ibid. A. utrorumque diſcrimen. 294. E. Amatores carnis, & eorum finis. 5. F. Mundi, & eorum cor. 5. E. fiducia, ubi? 79. E. ſermones, qui? 86. G. inconſtantia. 100. A. lex. 322. D. licentia. 595. F. error. 601. A. ſtultitia. 295. A. quid de bonitate Dei ſentiant? 79. E. Amatores pulchritudinis corporalis, eorumque caecitas. 300. H. quid patrent pro ea? 312. A. Amatores ſui, & eorum finis. 76. H. & cura. ibid. tauris comparati. 77. A. quam diſciplinam non capiant? 98. G. Amatores vanitatis, & mendacii. 207. G. vitae praeſentis, & eorum cura, & ſtudium. 120. A. 592. E. error. 152. A. V. *Amor* &c.

Amatores crucis, qui? 45. A.

Amatores, Dei, Leonibus fortiores, & aquilis velociores. 32. C. eorum ſignum, quale? 294. A ab ſpiritu blaſphemiae aliquando infeſtati. 384. C. V. *Amor Dei. Caritas.*

Ambitio, quale vitium? 131. A. eius effectus. 195. B. 311. H. & obiectum. 211. A. diſcordiae parens. 408. B. quî coercenda? 408. D.

Ambitioſus, laude indignus. 131. A. quid meditari debeat? 301. E. quid illi ſuggerat amor ſui? 131. E. errori obnoxius. 132. F.

S. Ambroſius Doctor. 38. F. ejus humilitas, & honoris contemtus. 100. E. 129. A. 260. E.

Amentia Chriſtianis indigna, quae? 11. F.

Amici, quonam deſiderio inflammentur? 107. H. eorum mos, & uſus. 444. E. inter eos omnia communia. 500. F.

Amici carnales fugiendi. 96. E. 213. D. quae corda ſeducant? 96. E.

Amici Dei, qui? 87. H. 264. F. qui illi cariſſimi, & intimiores? 121. C. 264. F. & qui fideles? 11. F. beati dicti. 77. E. 100. B. 111. D. 119. B. & decori, & amabiles. 100. B. quomodo formentur? 100. B. quid quaerant, & quibus vacent? 72. D. 96. D. 100. B. quibus rebus delectentur? 100. B. 117. G. quas oderint? 107. A. Dei brachio adjuti. 75. A. & ab eo exerciti, & caſtigati. 3. B. 103. E. occultas luctas patiuntur. 75. A. Sed mira fortitudine donantur. 95. A. 99. F. & quae mundi ſunt contemnunt. 96. D. contumelias quoque, & inriſiones ſpernunt. 99. F. quin & ſeſe cruciant. 103. E. in alios mites, & humiles corde. 81. A. 100. B. F. G. & miſericordes. 101. A. & boni conſilii. 112. F. in omnibus pervigiles, & diligentes. 107. G. in ſe caſti. 103. B. & mundi triumphatores. 88. D. propterea ſedulo imitandi. 22. E. eorum futura vita. 100. B. & beata merces. 112. A. & nomina in coelis deſcripta. 3. B. V. *Amor Dei*.

Amicitia, quid, & in quo ſita? 541. C. 538. E. G. quae mala, & fugienda? 10. C. E. 18. H.

Amicitia Dei pretioſa valde. 42. F. & theſaurus inaeſtimabilis. 198. C. 89. F. V. *Amor Dei. Amici Dei. Caritas.*

Amicus alter ego. 393. B. 468. H.

Amor, eius natura, & definitio. 291. D. 293. E. 365. B. 366. A. 371. E. 373. C. 497. A. 529. F. 530. E. multis impervia. 291. A. ingenium, indoles, & proprietates. 372. B. 373. F. 385. B. obiectum, & finis 292. A. 338. G. 365. C. 381. F. ſedes. 123. A. 292. H. 468. C. cauſſae, & origo 433. H. 530. F. & huius originis ordo. 166. E. 294. E. 366. E. 371. E. 376. H. animae primogenitus. ibid. eius prima crepundia. 326. F. & modus comparandi. 373. F. incentivum, & pabulum. 378. F. 381. F. 467. G. 530. F. magnitudo, unde? 315. A. Signum. 311. C. 333. A. a fruitione diſcrimen. 366. B. vis, energia, & actio. 122. G. 285. H. 372. A. E. 390. C. 394. C. eius varii effectus. 315. A. 322. A. 371. G. 387. C. 388. B 439. A. 530. G. 710. E. terminus an certus? 334. A. mira in objectum transformatio. 122. F. animae glutinum. 377. D. artifex mirabilis. 319. F. quae ejus phraſes, quando laeditur? 383. F. an expers doloris? 313. B. & qui eius dolores? 325. H. an in queſtubus tepeſcat? 383. H. eius privilegia. 332. D. quomodo illo utantur iuſti? 120. G. verus, & purus, qualis? 292. A. E. 365. D. 366. C. eius obiectum 292. E. & origo 365. D. quo modo adquiratur? 312. G. 376. E. Amor amicitiae, quid, & qualis? 292. B. 530. E.

Amor inordinatus delectabilium. 120. E. eiuſque remedia. 531. A. concupiſcentiae. 292. A. 365. C. 530. E. ſui ipſius. 21. B. eius pabulum. 76. G. animae inimicus. 76. F. 262. F. corporis, & vitae mortalis. 5. F. 37. H. 54. E. carnalis, ejuſque effectus. 195. G. 365. C. pulchritudinis corporalis, & ejus natura. 292. B. 323. A. voluptatis, quam validus? 139. F. 229. G. auri, & divitiarum, & eius effectus. 136. A. 311. G. honoris, & famae. 331. H. terrenus, & humanus deſpiciendus. 5. G. 14. A. 191. G. 285. B. 291. C. 339. H. 340. B. 568. A. parentum. 10. F.

Amor Chriſti in inſtitutione Sacramentorum. 15. E.

Amor Dei, eiuſque natura, & definitio. 293. B. 333. E. obiectum. 293. A. regnum, & ſedes. 341. C. vis, & energia. 346. A. 496. G. H. effectus. 20. G. 158. A. 439. A aetates, & mutationes. 320. B. 331. C. ſuavitas. 392. G. 500. E. pabulum, & incentivum. 305. D. actus, & forma varia. 14. G. 32. D. 56. E. 57. F. 123. D. 607. G. cujus virtutis? 293. A. quales in contem-

templatione? 430. G. ſigna. 333. B. modeſtia. 376. G. 378. B. fervor, & ecſtaſis. 433. C. F. 440. D. terminus, an detur? 96. B. 332. F. 334. E. quî verus a falſo ſecernatur? 333. B. 336. F. unde eius puritas? 293. G. eius valor. 462. H. an unus eius actus iuſtificet? 430. G. quomodo petendus? 336. A. 392. B. errores in eo quaerendo. 293. A. an ab amore proximi differat? 333. H. & ſine illo conſiſtat? 392. G. 412. H. V. *Caritas.*
Amor proximi, eiuſque forma, & natura. 33. A. 169. G. 394. C. ſedes. 394. D. praeceptum, & materia. 392. G. cuius virtutis? 393. A. an difficilis? 336. F. V. *Caritas*
Amor aeternae felicitatis, ejuſque effectus, & praeceptum. 142. C. 394. C.
Amor Crucis praeceptus. 11. G.
Amorrhaei, & eorum Reges myſtice. 81. A. 109. E. 211. A. 488. G.
Anachoretae, & eorum teſtimonium. 613. E.
S. Andreas Apoſtolus. 459. F.
Angeli, & Angelus, eorum natura, nobilitas, & pulchritudo. 280. D 301. F. 523. C. ab homine diſcrimen. 523. A. & cum Deo coniunctio. 193. B. velociſſimi. 110. E. volucres caeli dicti. 200. G. quo cibo utantur? 118. A. an, & quo modo intellectum hominis inluſtrare poſſint? 557. H. 561. C. an imaginationem excitare? 561. D. an voluntatem. ibid. C. in nativitate Domini quid cecinerint? 280. B. eorum lapſus, & apoſtaſia. 286. B. 302. B.
Angeli, hominis tutelares adſerti, & vindicati. 41. F. 60. D. 266. F. 306. F. invocandi, & quomodo? 520. F. 609. H.
Angelus malus, quam a Deo poteſtatem adcipiat? 18. C. V. *Dæmon. Diabolus. Sathan.*
S. Anna. 40. B.
Anguſtia, quid? 533. E.
Anguſtiae mortis, quî tolerandae? 46. B.
Anima hominis, quid corpori praeſtet? 370. A. 569. C. Spiritus. 439. G. ad cuius imaginem creata? 216. H. 696. A. Angelis quomodo ſimilis? 425. C. eius pulchritudo, quae? & quanta? 89. E. 301. C. F. 370. C. ornamenta. 35. G. 83. E. 102. H. 370. A. quam pretioſa, & quanta eius bona? 43. C. 204. A. G. 211. A. ejus primum bonum. 315. B. 317. A. cur creata? 160. E. 310. F. 646. E. ejus ſedes. & centrum. 315. B. 648. E. & thalamus. 343. A. tranquillitas. 356. E. pabulum. 255. B. potentiae. 696. B. affectus princeps. 294. E. & prior motus. 320. H. adpetitus, qui, & quotuplex? 432. G. & quot vires? ibid. & 433. A. quae ejus partes, & quomodo adpellatae? 354. C. 433. A. 439. F. domina mundi, & regno nata. 302. E. 370. B. quibus adſimilata? 306. E. 348. E. 377. E. quodnam eius lumen? 35. E. 219. E. & robur? 35. E. 340. H. quae libertas? 308. C. quae pinguedo? 68. B. quis Sponſus? 315. C & templum myſticum? 354. C. quod eius refugium? 318. F. quod remedium? 56. C. quae eius gloriatio? 102. H. fragilis natura. 306. E. quale eius gravamen? 211. B. quis carcer? 450. C. quae eius ex Adam miſeria? 102. A. quis languor? 326. F. quae ſordes, & quo modo abluendae? 196. H. quae ſervitus? 325. A. & mors lugenda? 9. F. ac iudicium pertimeſcendum. 636. E. eius per gratiam reſurrectio. 197. G. & a quo? 199. F. è cuius manibus erepta? 308. B. eius erga Chriſtum officia. 307. F. Deo cariſſima. 197. F. quo modo excolenda? 140. H. & eius ſalus curanda. 149. F. 212. E. cui eius prima ſtudia debita? 311. B. quî ei vivendum? 323. E. quomodo ſeipſam cogitare debeat? 306. G. & in Dei beneficia ferre? 307. E. 323. F. 377. G. & in omnibus ſe habere? 154. A. & ſe odiſſe? 88. D. & pro amicis ſe exponere? 37. D. qui eius hoſtes? 194. A. & quomodo ei pugnandum? 257. G. praeſertim in mortis agone? 47. C. 58. C. quantus eius timor? 315. F.
Anima iuſta, & eius pulchritudo. 198. A. 219. E. 316. H. puritas. 323. D. gratia 192. G. gloria. 253. E. virtutum ornatus. 110. E. & donorum Spiritus Sancti. 110. E. Chriſti ſponſa. 13. E. 74. A. 96. C. 110. E. 123. F. G. 190. E. 192. C. 212. F. 215. C. 217. A. D. 220. C. 221. F. 240. E. 295. F. 310. G. 312. F. 313. A. 316. H. 322. E. 323. C. 326. B. 331. G. 332. A. 342. D. 343. F. 351. E. 352. B. 355. D. 370. B. 404. A. 444. E. 458. F. 461. G. 648. F. & Spiritus Sancti. 299. F. & illius electa. 123. F. illique ſpecioſiſſima. 212. F. dulciſſima. 460. A. & amica. 458. F. 461. G. & quomodo ornata? 215. C. varia eius cum Sponſo coniunctio. 332. A. & quale eius foedus? 444. E. & quantum illud ſibi optandum? 295. F. 310. G. quis eius nidus? 389. A. & thronus? 697. D. praeda Chriſti dicta. 52. F. ſpeculo comparata, 301. D. variis nominibus adpellata. 123. G. & multimodis deſcripta. 192. F. ſanctae Civitatis ſimilitudo. 238. G. beata. 123. F. quis eius praeceptor? 74. A. & quae eius ab illo eruditio? 111. E. ab Sponſo vocata, cur ter? 313 B. quî illi reſpondeat, & adloquatur? 52. E. 74. A. 336. B. & quid ei conqueratur? 384. A. quid ardentius cupiat? 377. E. quae eius vota, & affectus erga Sponſum? 325. G. 335. A. 338. H. 339. C. 342. D. 345. B. 347. G. 377. A. 387. A. 448. A. 648. G. & qualia erga Chriſtum morientem? 350. B. unde eius amoris perfectio? 334. A. ſuſpicio culpae, quale illi malum? 382. G. quis eius timor? 322. G. 374. E. quale refrigerium? 52. C. quis triumphus? 221. D. quae vita, & quam pervigilans? 320. B. 379. A. quae eius in Sponſum gratitudo? 320. A. morti proxima, quid praeguſtet? 48. C. quidve ſentiat? 123. G.
Anima perfecta, vel ad perfectionem tendens, quam Chriſto percara? 320. E. ad quem ſtatum pervenire poſſit? 334. A. unde eius amoris perfectio? ibid. quomodo carnem ſuam habeat? 333. D. cur tentationibus vexata? 428. E. eius affectus, qui? 335. B. V. *Supra*.
Anima contemplationi addicta, quid caveat? 431. F. quidve agat amori inſiſtens? 336. A. quid in unione cum Sponſo adquirat? 332. A. quis eius cum Deo contactus, & quid propter illum patiatur? 436. C. 440. H. in quiete cui comparetur? 438. E. verba percipit. 445. C. ejus virium reconlectio. 73. H. & modeſtia commendata. 321. C.
Anima iuſta a Deo varie probata. 331. F. ſervitute corporis. 52. C. tentationibus, & diabolicis inluſionibus. ibid. & 317. B. aerumnis, & poenis huius vitae. 317. C. 335. D. Deſolatione, & ariditate ſpiritus, & huius ſtatus varia deſcriptio. 315. F. 321. B. 324. C. E. G. 326. D. 330. F. 373. G. 379. H. 380. D. 381. C. huius ſtatus ingens dolor, & moeror. 316. D. E. 330. E. F. 374. F. 379. G. 387. A. & eius poenae comparatio. 331. A. eius queſtus, & lamenta. 330. G. 384. F. 454. A. & affectus ad Sponſum. 326. A. & deprecatio. 381. H. quî iuvetur, & regatur? 317. C. 328. A. C. 331. F. 383. A. quis eius ſtatus finis? 335. D. humanae conſolationis incapax. 325. B.
Anima peccatrix, eiuſque deformitas varie deſcripta. 190. C. 192. H. 198. A. 212. F. 238. F. 240. A. 265. E. quibus comparata? 47. E. 690. B. vere infelix dicta. 196. B. & adultera. 199. G. 306. A. & vidua. 189. B. & Daemonis imago. 212. G. eius intima tormenta. 197. D. eius durities. 308. F. quo modo reviviſcat? 81. E. & iuſtificetur? 199. A.
Anima glorioſa, quî a corpore beato diſcrepet? 52. A.
Anima in purgatorio igne, eiuſque cruciatus. 648. D.

Anima reprobi in aeternis cruciatibus, eiuſque meditatio. 50. E.
Anima proximi, quî occidatur? 45. E.
Anima Chriſti, eiuſque pulchritudo ineffabilis. 302. E, G. 370. A. E. F.
Anima V. Mariae, eiuſque pulchritudo 302. G. 370. D. quibus nominibus adpellata? 302. C. cuinam corpori ſociata? 370. E.
Animalis homo, inter bonum & malum cur non diſcernat? 71. G. quo currat? 76. E. qui ita dictus? 439. H.
Animus, eiuſque primus motus. 371. E. eius firmitas, quanti, valeat? 376. C. timoratus, eiuſque ſigna. 45. B. caſtus, eiuſque index. 106. B. deiectus, & fatigatus, eiuſque poena. 195. B. & quî comprimatur, reficiaturque? 81. A. 139. A. 380. C. a rebus fugacibus avocandus. 595. G.
Annus remiſſionis. 203. B.
Antiochus, ejus mala oratio. 47. F.
S. Antonius, ejuſque humilitas, & auſteritas. 100. E. 571. D. 590. H.
Anxietas, quid? 533. E.
Apex mentis, quid? 560. E. V. *Contemplatio. Anima.*
Apollonius. 65. C.
Apoſtaſia Angelorum. 302. B.
Apoſtoli imitandi. 6. G. quî mundum vicerint? 8. F. 37. C. eorum gaudium in contumeliis. 17. B. & fortitudo. 37. B 99. G. 277. G. doctrina, quae? 30. E. 148. G. num infuſa a Deo? 444. G. praedicatio. 37. B. G. 148. G. 281. H. & quibus praedicarint? 37. C. & eius efficacia 37. C. 287. A. afflicti, & a Deo probati. 35. A. 104. B. contumeliis affecti. 333. B. ideo primogeniti Chriſti adpellati. 314. A. cur ejus contubernio privati? 321. F. eorum ſui incuria & deſpectus. 37. A. C. & laetitia. ibid. & 99. G. humilitas. 37. B. in perfectione Evangelica curſus. 37. A. in Chriſti fideles beneficia. 37. G. Spiritu Sancto repleti, quid egerint? 348. A. eorum de primatu contentio. 710. E. & variae nomenclaturae. 37. C. D. 282. A.
Apoſtolica doctrina. 602. F. V. *Apoſtoli.*
Apparitiones. V. *Adparitiones.*
Appetitus. V. *Adpetitus*
Aqua myſtice fontis vitae. 7. F.
Aqua benedicta frequenter adhibenda, & cur? 60. D. an Sacramentum? 680. B.
Aqua Ciſternae Bethleem, quid? 15. F. 67. G.
Aqua fluviorum Damaſci, quid? 15. F.
Aqua de petra in Deſerto educta Populo Judaico. 16. H.
Aquae Heſebon, quomodo fluant? 66. A. 449. B.
S. Aquilinus, ejuſque orationis locus. 575. F.
Arbor, unde dignoſcatur? 75. E. quae bona? ibid. infructuoſa, & in eam lata ſententia. 35. E. Scientiae, & vitae immortalis. 41. F. 251. C. ubi ſita? 41. F. 80. E.
Arca Dei ſymbolice, quid? 6. D.
Arcana, & myſtica, an neganda? 423. II.
Archiepiſcopus, eiuſque iuriſdictionis fines. 685. C.
Ardor voluntatis. 41. E.
Area Chriſti, quid? 38. G.
Ariditas mentis, ſtatus aerumnoſus varie deſcriptus. 330. H. 381. A. S. M. Tereſiae de eo peculiaris doctrina. 331. A. eius cauſſae, & origo, 517. A. & remedia ibid. B. & 327. B. quid in ea agat anima? 18. E. V. *Anima juſta.*
Arma corporalia, & ſpiritualia. 14. A. morientis, quae? 58. C.
Arrogantia vitanda. 7. C.
Ars, cuius potentiae habitus? 538. B. quae a Davide praecepta? 13. G. eius uſus. 28. E. Ars Artium, quae? 13. E. quae praeliandi? 42. H.
ARS AMANDI DEUM. V. *huius tituli duplicem Tractatum*. 291. 363. eius definitio, & deſcriptio. 312. C. eius proprietates. 317. D. eius multiplex praeceptum. 294. B. 312. C. 315. A. 327. A. 328. G. 330. A. 331. F. V. *Amor Dei. Caritas.*
Ars amandi proximum, eiuſque praeceptum. 337. E. V. *Amor proximi. Caritas.*
Artes liberales, quae? 538. B.
Artificialia. 525. A.
Aſpiratio, & Aſpirationes ad Deum, earumque uſus, vis, & effectus. 360. A. 446. D. 447. E. ad B. Virginem. 471. C.
Aſſuerus, eiuſque, torus. 104. G.
Aſſyrii, eorum concupiſcentia. 80. F. eorum Imperium, cur exturbatum? 698. F. myſtice vitandi. 80. C. 211. E. eorum auxiliis, qui indigeant? 69. E.
Aſtrologia iudiciaria damnata. 588. B.
Aſtutia falſo prudentia dicta. 93. C.
Athenienſes, & eorum eloquentia 66. B. 126. E.
Attritio. V, *Adtritio.*
Avari, & eorum ſolertia. 5. G. & ſollicitudo. 315. A. vitia. 135. A. vivendi ratio. 408. E. ſolitarium animal dicti. 408. E. ſpe futurorum minime delectantur. 5. G. non habent locum in regno. 12. A.
Avaritia, & ejus effectus. 86. A. E. 698. C. & fructus infelix. 195. B. laquei multi. 264. A. idolorum ſervitus dicta. 86. B. contemtu digna. 108. E. pacis inimica. 408. E. eius remedium. 714. B.
Avarus. V. *Avari. Avaritia.*
Auctores ſectarum, & eorum diſputationes. 115. C.
Audaces, & eorum exultatio. 80. F. ſanguinarii. ibid. E. eorum dotes. 135. A.
Audacia, eiuſque natura. 529. G. 535. C. proprietates. 535. D. cauſſae. ibid. effectus 120. E. 535. E. remedia. 535. F. quomodo coercenda? 14. A. 535. F. quî ea iuſtis utantur? 120. G.
Auditus, eiuſque mortificatio indicata. 168. C.
S. Auguſtinus Doctor. 38. F. 139. A. 571. D. eius mira converſio, & lachrymae 66. C. eius ſapientia. 128. C. ante converſionem qualis? 236. F. eius affectus in Chriſtum Redemtorem. 243. H. eius lachrymae in myſteriorum fidei meditatione. 244. A. cur ſolitariam vitam elegerit? 253. H. eius Confeſſionum libri. 255. H. & Retractationum, & cur eos ſcripſerit? 408. H. & alia Opera. 312. G. amoris Divini peritiſſimus. 334. D. 384. C. quo modo peccata levia fleverit? 720. F. quid de duobus militibus referat? 113. A.
Aulici Principum, eorumque conſuetudo, & praemium. 147. C. D.
Aviculae, neglectu dignae. 388. H.
Aures cordis, quando aperiendae? 67. C.
Aurora, eiuſque creatio. 342. G.
Aurum, eiuſque varia ſignificatio. 453. B. 713. C. honores, & oblectamenta parit. 98. E.
Auxilium Dei. 14. A.

B

BAal, an Deus? 294. D.
Babylon, quae urbs? 382. B. eius aedificatores. 4. B. 5. A. eius confuſio. 96. E. & myſtice excidium. 84. C. & calix. 254. E. quomodo fugienda? 47. A. 220. A.
Balaam, quis homo? 589. B. ejus maledictio. 81. A. & mortis deſiderium. 589. B.
Balneum Sanguinis Chriſti. 31. E. 204. B. V. *Chriſtus.*
Balthaſſar Rex. Chaldaeus. 78. A. eius potentia. 47. F. viſio, & eius effectus. 47. F. G. 239. A. B. 444. G. eius turbatio mentis. 642. A.
Baptiſmus Chriſti quid, & quotuplex. 680. C. F. ejus effectus. ibid. E. miniſter ordinarius, & neceſſitatis. ibid. D. materia. ibid. C. forma, & an varia. ibid. diſpoſitiones ad illum in adultis. ibid. E. an ſibi ipſi a quoquam conferri poſſit? ibid. Flaminis, & ſanguinis quî differant a Baptiſmo aquae? ibid. F. an Sacramenta, & gratiam conferant. per ſe? ibid.

Baptiſmus Iohannis, an Sacramentum? 680. F. an peccata remiſerit, & gratiam tulerit? ibid. G.
Barabbas, qualis homo? 208. C.
Baruch, de filiis Agar quid ſcribat? 279. E.
S. Baſilius Magnus, Doctor. 38. F. eius Sapientia. 128. C. & vitae rigor. 602. E.
Beati, qui dicti. 122. A. 133. A. 389. G. eorum ſtatus. 389. D. & domus. ibid. laetitia ad ingreſſum caeli. 649. A. quae eorum corpora futura in gloria? 222. A.
Beatitudines Chriſti, quae, & quot? 555. B. earum actus, & excellentia. 554. F. 555. A.
Beatitudo, in quo conſiſtat? 122. A. 389. H. 392. H. quae in hac vita? 258. E. quae in Schola Chriſti? 70. G. quale eius initium? 389. H.
Bellatores Pharaonis. 123. E. Chriſti, generoſi, & conſolatione perfuſi. 256. A. 273. F. 275. G.
Bellum, & eius varii effectus. 402. H. 403. C. 404. A. cauſſae. 405. B. cavendum. 412. F. iniuſtum, quale? 234. B.
S. Benedictus Fundator. 38. C.
Benefactores, quid praeſtent? 232. C. in eos gratitudo praecepta. 231. D. F.
Beneficentia, quae virtus? eique parata merces. 19. H. 546. A.
Beneficia Dei multa, & mira. 199. E. 232. E. creationis, conſervationis, & redemptionis. 626. A.
Benevolentia, mutui amoris fomes. 285. F.
Beniamin, eiusque Tribus, poenae ſubiecta. 405. C.
Benignitas, eiuſque effectus. 114. H.
S. Bernardus, & eius humilitas. 129, E. & orationis locus. 575. F.
Beſtiae Sylvae infernalis. 189. E.
S. Birgitta, eique a Deo praeceptum latum. 718. E.
Blandimenta mundi, eorumque effectus. 39. E.
Blaſphemia, quod nam peccatum, & unde? 624. G. 625. A.
Bona, & mala de manu Dei aequanimiter ſuſcipienda. 18. E.
Bona vera, quae, & eorum a falſis diſcrimen. 43. D. 126. E. aeterna, quomodo comparanda? 43. B. externa? 127. E. interiora, quae, & quot? 253. B. D. utilia, cur quaerantur? 229. C. terrena, & peritura, quam vilia? 6. A. 13. C. 35. B. 43. D. 54. B. 140. F. 148. A. 216. B. cur electis conceſſa? 108. G. delectabilia, & eorum numerus. 138. E. V. *Bonum*.
S. Bonifacius Martyr. 40. B.
Bonitas, quid, & quotuplex in ea gradus? 235. F. 295. C. E. 274. F. mare Dei magnum dicta. 31. G. ubi addiſcenda? 82. F.
Bonum, quid, & unde? 199. E. 295. C. 368. F. 401. A. quotuplex? 125. A. 411. B. diffuſivum ſui. 617, E. verum, & adparens, & eorum diſcrimen. 126. D. E. honeſtum, quid? 125. A. 126. G. 127. A. B. eius pulchritudo. 128. A. dignitas. 127. B. laus. 126. A. 127. B. inlicium. 127. A. eius ab utili, & delectabili diſcrimen. 126. B. moderatum, & immodicum. 126. E. utile, & quanti faciendum? 125. A. 126. A. delectabile, quid? 125. B. eius laus, & uſus. 126. A. V. *Bona*.
Booz, eiuſque miſericordia. 715. C. E. 716. A.
Brachium, & ejus ſignificatio. 311. D.
Breve eſt quod cruciat, aeternum quod delectat. 35. B.
Buccinae Iubilei. 712. A.

C

CAcodaemon, quî morientes infeſtet? 628. G.
Caeci mente, qui dicti? 51. A.
S. Caecilia, eiuſque caſtitas. 72. D.
Caepae Aegypti. 85. G. 470. E.
Caecitas mentis, quae? 42. E. 431. C. eius cauſſa. 205. E. 239. F.
Caecus de coloribus non interrogandus. 384. B.
Caeſares aliquot, eorumque obitus. 132. F.
Cain profugus, eiuſque peccatum. 41. G. 79. A. 190. A. 592. A. timor. 191. H. 592. A. B. eius cum Deo conloquutio, & argumentatio. 240. H. 241. A. invidia. 408. A. protervia. 414. C. miſeria. 448. B. vocatio ad poenitentiam. 233. G.
Caleb, ejuſque fortitudo. 109. F.
Calix damnatorum. 50. C. Babylonis myſtice. 52. F. 254. F. tribulationum. 52. F. Dei praeclarus. 85. G.
Calvariae, earumque locus, & uſus deſignatus. 590. C.
Calumniatores, eorumque humiliatio. 8. H.
Candela, quid ſignificet? 60. D.
Candor aeternae lucis. 77. G.
Canis, quale animal? 308. G. eius fidelitas, & gratitudo. 267. A. 208. D. 231. G.
Cantiones amatoriae. 9. H.
Canticum Domini, quale? 308. G.
Cantus in Eccleſia, eiuſque origo. 327. D.
Capitulum monaſticum. 690. A.
Cardinales, eorumque dignitas, officia, & praemium. 22. H. 23. A.
Caritas, quae virtus? 292. F. 546. A. eius nobilitas, & perfectio. 293. A. 426. G. 427. A. virtutum omnium regina, & princeps praeſtantiſſima. 426. G. 546. A. 559. A. 677. G. ex qua omnes aliae. 387. G. aurum Dei primum. 85. C. vinculum perfectionis. 100. F. & plenitudo legis. 92. A. 157. C. lex praegnans amore. 395. E. ſcientia eminens. 122. F. ſolicitudine ardentiſſima. 15. H. 74. F. vera amicitia. 292. E. ſine qua nullus amor. 293. E. eius ſedes, & intima habitatio. 73. B. 92. D. 101. E. quid exquirat? 33. A. quot eius gradus? 427. F. 547. B. qui eius effectus? 100. F. 113. G. 119. B. 244. C. 546. A. qui primogenitus filius, qui ſecundo? 157. D. ſigna ex D. Paullo. 333. B. vis, & energia. 47. G. augmentum. 394. A. probatio. 104. A. indiviſa cum gratia coniunctio, 402. C. an ei terminus praefixus? 547. D. quî aedificet? 73 C. numquam excidit. 426. G. eius officia, quî & quando exercenda? 92. B. 157. A. 244. C. duplex eius actus. 293. A. 366. A. 546. B.
Caritas Dei erga nos, quanti facienda, & quae praeſtet? 36. G. 74. F. 190. B. in cordibus hominum diffuſa. 122. D.
Caritas proximi, quomodo exercenda? 21. C. 156. F. eius opera praecipua. 15. H. 33. A. 74. F. 285. G. praecepta. 285. C. D. praecipuum amoris Dei ſignum. 333. G. & proprius Scholae Chriſti character. 285. C.
Caritas erga inimicum, & eius effectus. 243. C.
Caro, quid notet? 387. H. eius pulchritudo vana. 464. G. propria unicuique cara. 602. E. foeno comparata. 5. E. 80. B. 216. A. ſaccum dicta. 200. F. eius pondus moleſtum. 110. G. concupiſcentia, & bellum adverſus ſpiritum, quale, & quantum? 13. G. 86. C. 88. D. 98. B. 713. F. ſeminarium mortis. 42. F. & mors ſecundum illam vivere, dictum. 148. H devotionis hoſtis. 272. A. quid ſuggerat Incipientibus? 90. A. inlicia, deſideria, & blandimenta cavenda. 14. B. 257. F. & in quae bona vertenda? 209. A. eiuſque ſpurcitiae abiiciendae. 5. F 39. E. 96. E. omnino propterea caſtiganda, & compeſcenda. 76. G. 94. F. 148. H. 169. C. 319. D. 713. A. F.
Caro Chriſti, innocens, & cuius virtute formata. 206. G. V. *Chriſtus*.
Carmelitae Excalceati, eorumque officia. 506. D.
Carnalis coniunctio, quibus legibus ſubiecta? 10. F.
Carolus Magnus, Regum exemplar. 173. G.
Caſti, eorumque praemium. 49 F. V. *Caſtitas*.
Caſtigatio ſui praecepta. 45. E. 76. E.
Caſtitas, quae virtus? 262. G. 544. E. cur pudicitia dicta? 544. F. eius decor, & nobilitas. 39. F. 98. B. 263. A. legis gratiae fructus. 262. G. & Chriſti unioni apta. 39. G. eiuſque ampliori dilectione digna. 98. C. eius Sponſa. 263. C. Margarita pretioſiſſima. 263. C ideo impenſe quaerenda. 39. C. & divino praecepto ſer-

vanda. 41. A. 47. A. & qui tueatur? 98. A. 115. A. 263. C. quibus laedatur? 98. A. eius merces. 39. H. 98. C.

Caſtra Dei vivi, quae? 74. F. 81. C. 88. D. 104. C. 109. B. varietate pulchra. 81. A. eorum nobiliſſima pars, quae? 95. E.

S. Catharina Virgo, & Martyr, & eius ſapientia. 37. F. 93. E.

S. Catharina Senenſis. 39. G. 386. F. quid adceperit a Chriſto. 331. E. amori Divino dedita. 334. D.

Cathedra Chriſti docentis. 65. C.

Catholici quandoque peccatores. 148. E.

Cato, quid de Romanorum felicitate ſentiat? 128. E.

Caverna maceriae, quid? 311. A.

Cauſſa paſſionis Chriſti. 205. A. eiuſque iudicium 206. A. V. *Chriſtus*.

Cautela, quid? 540. D. 596. B. praecepta. 19. B. 46. C. & commendata. 149. E. 323 E.

Cedar, quae gens, & unde? 312. F. eius tabernacula, quid? 371. E. 458. E.

Celibes Sancti, & eorum ſtudium in Euchariſtiam. 40. A. 44. C.

Cellaria Dei myſtice, qua ubertate plena? 96. H.

Centurio, eiuſque in Chriſtum iuſtitia. 281. E.

Certamen ſpirituale. 17. D.

Certatores, & eorum corona. 18. B.

Cervix dura, Deo exoſa. 71. C.

Cervus venatores fugiens, eiuſque conſuetudo. 377. E.

Chaldaei ſapientia clari. 65. D. 128. B eorum Imperatores. 129. A. inſolentia ex victoria. 380. E. quid ſignificent? 238. H.

Chanaan, & eius Reges. 460. F. in ea pax Chriſti non audita. 68. E.

Chananaei, & eorum Reges quam metuendi? 81. A. 277. G.

Character ſacramentalis, quid? 679. B. C.

Charitas. V. *Caritas*.

Cherubim ante Paradiſum locatus. 478. B.

Chori Virginum. 49. G.

Chorus Apoſtolorum. 49. G.

Chriſtiana eruditio, quae? 46. A. & perfectio. 129. F. 320. C.

Chriſtiani, & Chriſtianus, & eorum officia. 45. G. 271. C. & votum. 148. A. electi pauci. 151. C. degeneres multi, & eorum vitia. 5. A. 6. F. 8. A. 11. F. nominis, & honoris humani ambitus. 5. A. 128. A vitae negligentia. 8 A. 11. F. 44 F. 45. E. 597. G. crudelitas. 45. E. ingratitudo 90. C. 149. F. non omnes ſalutem conſequuntur poſt obitum. 151. E. & qui eam certo ſint adepti? 151. E.

Chriſtus Filius Dei vivi. 3. A. 31. B 32. C. 48 B. 49 A. 51. C. 56. D. 57. F. 65. A. 76. B. 88. F. 89. E. 90 C. 91. G. 92. G. 93. B 95 G 96. C. 97. C. 98. B. 101. E. 102. B. 103. H. 105 B. 06. B. 108. C. 111. E. 114. D. 121. C. 189. A. 190. C. 195. E. 198 E. 200. F. 206 B. 220. D 242. C. 269. B. 280. A. 296. A. 302. F. 306. D. 307. F. 309 F. 340. F. 343. B. 394 H. Primogenitus, & naturalis. 97 C 201. B. 206. B. 280. A. Dei virtus, & ſapientia. 22. H 111. G. 112. H. 132. C. 137. F. 189. A. 191, B. 206 B 2 6. A 269. C. 612. A. 694. B. & veritas. 58 G. 67. A. 107 A 132. C 280. A. in quo omnes theſauri ſapientiae, & ſcientiae Dei. 112. D. 164. E. 191. C. & candor lucis aeternae. 67. E. 215. F. 463. B. & bonitas infinita. 57. F. 93 A. 612 B. eius perſonae dignitas. 241. G. eius divinitas, a quibus adſerta 614. G. ſol iuſtitiae. 12. E.

Chriſtus Deus. & homo. 3. A. 57. C. 105. D. 280. D. & puriſſimae Virginis filius. 39. E. 87. D. 94. G. 263 A. 268. F. 298. A. 309. G. 342. E. ex eaque vere formatas. 206. G. 311. A. & qua virtute? 206. G. & filius hominis adpellatus. 49. A. Filius David. 345. F. & filius prodigus dictus. 345. E. primogenitus inter multos fratres. 104. B. eius nativitas, quae, & ubi? 201. C. 614. F. eius myſticum reclinatorium. 458. G. in quo ſtatu natus? 201. H. civis Bethleem. 479. E. & honore exceptus ab Angelis in eius ortu. 280. A. Ad eius Natalitium diem praeparatio. V. *huius tituli Tractatum*. 661. & ſeqq. cur caro factus in mundum venerit? 15. D. 200. G. 201. D. 204. H. 241. H. 261. A. 620. D. E. 669. A. eius anima quo modo inebriata dicta? 207. F. & mundi Domina? 302. E. quae eius humanitas eiuſque dotes. 51. G. 91. E. 218. B. 304. H. & ſymbola. 6. D 51. G. quanta eius gratia, & pulchritudo? 91. E. 295. F. G. 296. E. D. 298. C. 304. B. E. 311. A. 367. A. E 369. G. 398. A. 450. B. 463 C. prae aliis omnibus quaerenda, & amanda. 298. B. 313. D. 314. E. 371. D. E. quae corporis praecipue? 209. G. 268. A. 300. A. D. 452. A. quae animae? 302. E. G. 370. A. quae manuum? 451. A. eius corporis gloria. 8. B 51. G. & quaquaverſus inlicia, & adlectamenta. 306. E. 367. G. & omni propterea amore digniſſimus. 39. E. 190. A. 309 A. 354. A. 372. F. 391. F G.

Chriſtus, variae eius nomenclaturae, & ſymbola. Arca Dei. 6. D. Sol iuſtitiae, & quibus? 12. E. 191. C. 195. E. 196. A. 324. D. 387. E. lux mundi. 18. C. & Speculum ſine macula 67. E. 339. A. 463. B. via. 3. A. 6. C. vita. 113. F. & vitae auctor. 347. G. & fons aquae vivae. 4. B 199. C. 267. A. 310. A. 326. A. 352. A. 458. A & puritatis. 721. B Petra viva. 104. A. cedrus Libani. 716 G. malus. 326. G. flos immortalis. 326. G. 397. H. caverna maceriae. 397. G. Agnus Dei innocentiſſimus. 215. G. 261. B. 345. H. & quanta eius puritas. 67. F. 217. E. hinnulus cervorum. 330. F. columbarum nidus e pectore. 300. F. Samſom. 351. E. Emmanuel. 351. E. Cibus grandium. 17. H. hominis opulentia. 263. F. Medicus. 669. C. Univerſa ſubſtantia domus Patris. 313. E. Divinitate candidus. 91. E. eius epulae 319. A cuius terrae cultor? 4. E. Eius praecipuae dotes, & encomia. 91. C. 310. F. fidelis amator, & remunerator. 335. C. 721. E. vera animae fidelis libertas. 205. E. 241. B. 308. C. & ſanitas. 326. H. & pax, & tranquillitas. 210. E. 356. E. 405. F. 412. G. & mundi laetitia. 141 A. & inaeſtimabile bonum. 309. B. electus ex millibus. 91. E. primogenitus mortuorum. 210. F. eius arcana requies. 458 G.

Chriſtus, & eius opera, & vita mortalis. 17. C. 206 G. qualis eius cum hominibus converſatio? 6. D. 7. B. 74. C 78. G 202. G. 203. G. 206. F. 213. C. 241. G. quae cum Apoſtolis? quae cum peccatoribus, & quare? 237. F. quodnam cum Samaritana conloquium? 337. G. quae ad Saulum verba? 66. B. qui ad Iudam affectus? 414. E. eius cibus myſticus. 115. E. obedientia. 34. A. 97. C. 261. H 262. A. & Parentibus ſubiectio. 202. F. Humilitas. 7. A. 100. C. 202. G. 337. A. 466. F. & honorum contemtus. 133. B. manſuetudo, & affabilitas. 99. E. 202. E. 207. E. 320. A. 337. A. 341. A. 376. G. modeſtia. 268. F. ſilentium adſiduum, & mirandum. 105. D. E. 202. F. 269. C. paupertas, & rerum penuria. 6. B. 98. G. 137 F. 202. G. 242. A. 263. D. 284. H. 716. E patientia, & laborum tollerantia. 8. G. 20. D. 104. B. poenitentia. 213. A. vitae integritas, & ſanctitas. 91. C. 206 G. 280. H. 281. A. & innocentia. 213. A. 242. F. 466. D. iugis oratio. 202. G. praeſertim pro calumniantibus, & crucifigentibus ſe. 94. A. 621. A. actionum omnium dignitas quanta? 699. C. miracula, & ſtupenda Opera. 105. D. 109. A. 207. F. 280. F. 281. B. 367. H. 615. B. an omnia ſcripta ab Evangeliſtis? 237. G. quae in eius Incarnatione? 336. H. cur ſtimuli dicta. 201. G.

Chriſtus, hominum magiſter, & paeceptor. 7. B. 25. C. 31. B. 34. H. 39. B. 65. A. B. 66. C F. H. 67. H. 68. A. 70. F. 71. C. 72. F. 74. A. 75. B. G. 77. A. 78. G. 81. C. 83. A. 89. G. 92. F. 93. B. 97. D. F. 99. A. 100. C. 103. A. 104. B. 105. D. G. 108. B. 109. F. 111. C. 112. D. E. 115. C. 117. B. 191. C. 202. A. 203. D. 213. C. 215. A. F. 216. D. 269. C. & Dux, & Paſtor. 14. A. 21. C. 30. C. 31. B. 215. G. 456. F. & Paedagogus. 21. C. praeſertim iuſtorum. ibid. 96. F. 106. E. 209. C. & exemplar noſtrum. 19. A. 133. B. 137. G. 149. A. 202. G. 213. A. 215. G. 337. B. 416. E. 602. G. & eius imitatio praecepta. 6. G. eius praedicatio, quidve praedicaverit? 6. H. 66. A. 78. E. 95. B. 148. G. 203. B. 216. G. 257. C. 280. A. Sapientiam imprimis docuit. 314. A. & humilitatem. 34. G. 70. C. 393. C. & manſuetudinem. 70. C. 261. B. & virginalem modeſtiam. 116. F. & taciturnitatem. 269. E. & patientiam. 264. D. quae eius cathedra? 65. C. eius duodennis in templo diſputario. 615. A. eius eruditio, & doctrina. 5. C. 34. F. 78. G. 215. A. 615. A. & auctoritas maxima. 150. B. 611. G. 612. C. ſermonis, & eloquentiae energia miranda. 4. C. 5. E. 52. E. 65. C. 71. G. 74. A. 97. A. 105. D. 297. F. 342. E. verae fidei auctor. 612. E. & ſapiens architectus dictus. 112. F. & liber aeternae vitae. 89. D. diſcipulorum ſuorum nutritius, & cuſtos. 69. C. 72. B. & refrigerium. 72. F. eius conſilia probe ſequenda. 13. B. & ſequela praecepta. 13. G. ſervorum ſuorum probator. 104. B.

Chriſtus, eius Paſſio pro ſalute hominum, quae & quanta? 18. G. 20. D. E. 30. C. 204. C. 207. B. 210. C. 241. E. 242. C. 264. C. 372. B. 620. G. vir dolorum propterea adpellatus, ac deſcriptus. 3. A. 20. D. 209. G. 242. E. 275. F. 459. E. cur tanta paſſus, & pro quibus? 60. A. 85. A. 203. G. 205. A 207. E. 241. E. 242. C. 307. B. 372. B 460 D. 694. E. quae eius cauſſa ex parte hominis? 205. B. calumniis impetitus, & opprobriis exſaturatus. 17. B. 34. F. 133. B. 206. A. 207. C. 242. E. 612. B. iniquum adverſus eum mortis iudicium, & damnatio. 12. A. 85. A. 242. E. eius in Ieruſalem ingreſſus. 297. A. mirum coram iudicibus, & carnificibus ſilentium, & manſuetudo. 48. G. 202. G. 269. E. veſte alba indutus. 6. H. 206. C. Barabbae poſtpoſitus. 208. C. flagellis diriſſime cruciatus 206. G. corona ſpinea redimitus. 105. C. 207. E. G. 397. E. morte turpiſſima damnatus. 34. F. Crux eius humeris impoſita. 208. G. manus clavis perforatae. 192. B. 676. E. latus lancea apertum. 192. B. Corpus quaquaverſus deformatum. 197. H. inter latrones crucifixus. 34. G. crudeliſſima morte perfunctus. 133. B. 242. B. 671. B. a Diſcipulis, & amicis derelictus. 18. H. a Patre ipſo probatus, & percuſſus. 16. D. 95. E. 137. F. 210. C. 460. D. & deſolatus. 18. G. 242. E. a mundi ſapientibus ſtultitiae accuſatus. 17. B. 91. C. qui eius lectulus? 7. H. 119. A. & immolationis locus? 30. C. 208. H. 209. E. monſtra, & miracula multa in eius morte patrata. 242. C. 281. D. 615. B. eius mortis, & ſatisfactionis valor incomparabilis. 206. G. 207. F. 209. B. 623. E. 671. C. Patris voluntati in omnibus obſequutus. 17. A. eius mors digne omnibus recogitanda. 241. C. & a quibus ſacra eius ſtigmata myſtice portentur? 95. E. Eius inſignes mortis, & Inferni triumphi. 13. F. 67. A. 88. F. 89. A. 91. D. 94. A. 95. C. 100. A. 107. E. 123. C. 195. A. 210 D. 215. G. 261. A. & ad Caelos adſcenſio, & exaltatio. 210. A. 281. F. quî eius gloria celebranda? 13. F.

Chriſtus hominum Redemptor, & Servator. 4. E. 17. G. 18. G. 20. E. 21. D. 26. E. 27. C. 31. B. 55. B. 57. B. 59. G. 73. C. 77. A. H. 103. E. 104. A. D. 110. E. 123. B. 137. F. 147. B. 154. D. 159. F. 163. C. 189. A. 192. B. 206. A. 216. G. 227. D. 236. A. 240. D. 241. E. 244. E 249. C. 261. A. 292 E. 297. E. 329. D. 343. F. 390. E. 394. G. 634 E. 709. H. & copioſiſſima eius redemtio. 57. E. 89. A. 249. C. Pontifex, & Sacerdos ſummus. 101. A. 102. D. 204. C. 256. F. 464. H. 469. G. 593. B. Paſtor, & Paſtorum Princeps. 21. C. 23. C. 220. G. 452. H. eius grex puſillus. 99. E. hominum cuſtos. 16. B. 17. E. 25. C. 48. B. 69. B. 80. B. 83. G. 114. B. 123. B. 192. B. 201. A. 214. H. 306. F. 339. E. 620. C. & advocatus. 674. D. ſecundus Adam. 72. H. 154. G. 713. E. hominum iuſtificator. 210. B. & retributor. 95. E. Pater, Mater, Frater, & Soror noſtra dictus. 73. H 201. A. 283. C. 311. E. 460. A. 466. C. 620. C. & vita, & ſpes, & laetitia. 457. A. noſque eius praeda. 87. G.

Chriſtus Legiſlator. 77. A. 106. B. 148. G. 189. A. 215. G. 218. G.

Chriſtus Rex Regum, Rex magnus, & potens dictus. 73. G. 82. E. 95. A. C. 159. F. 310. F. 398. E. 464. A. eius etiam terrena Regalis proſapia. 612. A. unde, & quale eius Regnum? 114. D. 201. F. 261. A. 464. G. myſtice Rex Ieruſalem adpellatus. 66. A. 75. D. 82. G. 91. G. 100. B. 215 H. 348. A. *& alibi ſaepe*. Et Rex Sion. 100. H. 117. A. 241 B 395. D. 463. C. & Rex Salem. 464. H. & Rex Salomon. 105. C. 343. A. 396. H. Rex Iuſtitiae. 94. A. C. & Princeps Domus Dei. 93. B. cordium Imperator. 469. A. hominum rector. 104. A. Rex Animae. 311. E. maxime vero humilium. 500. G. Rex clementiſſimus. 414. B. Rex pacis, & pacificus. 69. G. 71. C. 82. B. *& alibi ſaepe ſaepius*.

Chriſtus Sacramentorum Auctor, & Inſtitutor. 615. E. 679. C. Sacramenti Euchariſtiae, & cur & quando? 243. D. & quomodo in eo ipſe? 354. F ideo Panis vivus dictus. 463. E. & Sacerdos in aeternum ſecundum ordinem Melchiſedech. 675. H. & vere Sacerdotio functus. 685. G. ab eo omnes ordines Eccleſiae inſtituti. 685. E. Epiſcopatus. ibid. H. Praesbyteratus. ibid. Diaconatus, & Subdiaconatus. ibid. Acolytatus, & Lectoratus. ibid. Exorciſtatus, & Oſtiariatus. ibid. ideo Caput, & Sponſus Eccleſiae dictus. 162. C. 193. C.

Chriſtus relate ad Animam. Animae iuſtae Sponſus. 32 A. 52. E. 74. A. 96. C. 189. D. 198. A. 311. E. 335. C. 343. H. 354. G. 384. B. 395. A. 397. A. 398. E. 449. A. 454. C. 456. H. 465. C. praeſertim virginum. 39. E. 87. G. 93. C. 386. F. ideo uberibus myſtice exornatus? 73. H. & quibus? 85 G. & illius Frater, & Mater, & Amicus &c. dictus. 311. E. 398. E. 451. A. V. *ſupra Chriſtus Hominum Redemptor, & Servator*. Eius in illam amor, & liberalitas 95 E. 108 D. 307. A. 335. C. 460. E & eius forma captus. 372. D. & quo delectetur odore? 39. E. quid illi exhibeat? 17. E. 643. D. & ab ea viciſſim petat? 453. A. quid Divae Matri Tereſiae? 450. F. quid Animae iam probatae? 320. G. qui eius filii primogeniti, & quomodo veſtiti? 69. E. 314. A. quî illi ſe conforment? 333. E. Eius in omnes, etiam peccatores miſericordia, & amor. 17. E. 91. B. 83. G. 190. A. 205. G. 243. E. 305. F. 610. C. 694. B. quin & amoris artificia, & adlectamenta. 8. G. 296. G. 305. H. & beneficia conlata. 205. B. 307. E. & omnium vocatio. 152. H. ideo cordium Dominus dictus. 16 B. & praedo. 468. A. robur animae, & fortitudo. 340. H. dum tamen fide integra ad eum anima adcedat. 89. H. 259. C. & Spe firma. 374. C. & amore cauto, & pervigili. 322. E. & auditu fideli. 74. A. & familiari conſuetudine. 376. E. & humili, adſidua oratione. 317. E. 671. E. & vitae eius perutili meditatione. 241. C. & diligenti obſequio. 41. C. 45. A. 88. B. abiecto, eius ſoaviſſimi Iugi horrore. 213. A. nam illius ſemper pertimeſcenda repulſa, & reiectio.

307. A. 316. C. 379. F. 452. C. ſed magna eius haereditas. 36. B. Martyrum praecipuus amicus. 37. E. & Diſcipulorum ſuorum virtus, & vita. 121. D.
Chriſtus Iudex, & eius Adventus, & qualis? 6. B. 19. B. 48. G. 81. G. 104. E. 105. B. 206. B. 595. C. qualis in inriſores ſuos? 206. F. in accuſatores? ibid. & in crucifixores ſuos? ibid.
Cibus Chriſti. 115. E. Nabuchodonoſor. 80. E
Circumciſio, & eius effectus. 680. A.
Circumſpectio praecepta, quidque? 149. E. 150. B. 540. C. V. *Diligentia*.
Ciſterna Bethleem, & eius aqua. 67. G. 344. E.
Cives Babylonis inimici Dei. 76. F. Bethuliae, & eorum laetitia. 403. A. Coeli. 389. C. F. Ieruſalem myſtice, & eorum acta. 104. A. 208. G. 345. A.
Civitas Dei ſummi. 489. D. eius exploratores. 21. B. quae non cognovit tempus viſitationis ſuae? 48. H. Sacerdotalis, quae? 39. D. 70. E. 214. D. 347. G. victrix, & triumphans, quae? 41. B. 104. G. 107. G. 109. E. 250. A. 491. G. eius ubertas, & cibus. 137. D. 342. F.
B. Clara de Monte Falco, & eius ſtigmata. 331. E.
Claudus myſtice. 96. G.
Clavis ſcientiae. 685. B. Iuriſdictionis. ibid. C. potentiae. ibid. B.
S. Clemens Ancyranus Martyir. 37. F.
Clementia, quae virtus? 545. A. eius effectus. 107. E. Clementia Dei quomodo imploranda? 51. A.
Coena Agni myſtice. 45. G. Evangelica. 243. C.
Coelum, ſedes Dei. 453. C.
Cogitatio prima matutina, quae? 12. C.
Cogitationes humanae, innumerae, & vanae. 119. H. earum ſaevitia. 107. D. quomodo examinandae? 719. D.
Columba felle caret. 38. C. 217. A. 348. G. iuxta fluenta reſidens. 68. F. qua re pellatur? 694. H. Columba a Noe dimiſſa, & redux ad Arcam. 110. G.
Columbae lacte lotae. 68. F.
Collatio. V. *Conlatio*.
Colloquia. V. *Conloquia*.
Comitas proximo exhibenda. 170. C.
Commeſſationes, & earum effectus. 10. A.
Commoditas vana fugienda. 8. B.
Commotio ſenſibilis, cur temperanda? 512. B.
Communio quotidiana, cur improbata? 159. B. ad eam praeparatio. 354. A. & gratiarum actio. 355. C. & petitio, & quae?. 356. A.
Communicantes, quid illis praeſtandum? 44. B.
Compaſſio, quid? 641. G.
Competitores Dei, qui? 264. F.
Compoſitio corporis, unde? & ejus effectus, & laudes. 41. E. 171. D. V. *Modeſtia*. *Corporis compoſitio*.
Conciliabula, quae vitanda? 9. H.
Concio tempeſtiva, & eius effectus. 407. C.
Concionatores, mali. 5. A. monita ad illos. 177. F.
Concordia, quid, & eius a pace diſcrimen. 401. C. eius decor. 97. F. quam Chriſto grata? 415. H. interior, & ejus ſuavitas. 258. F.
Concupiſcentia, eius definitio. 531. H. quotuplex? 532. A. rationalis, & irrationalis, quae? ibid. an finita, vel infinita, & quae? ibid. B. eius cauſſae. ibid. C. & effectus. 5. E. 448. C. militat adverſus animam. 14. A. & quantum ſaeviat? 98. H. equus fallax dicta. 97. H. & lex membrorum. 258. B. cur a Deo in homine relicta? 410. D. quantum noceat? 134. G. eius inconſtantia. 448. C. quo modo caſtiganda? 97. H. eius remedia. 532. C.
Concupiſcibilis pars, quibus virtutibus idonea? 580. F.
Conditio filiorum Adae, quae? 100. F.
Confeſſarius, & eius munia, & officia. 26. B. 175. G. 176. A. Doctor, Pater. Medicus, Iudex poenitentium. 26. A. B. probus, quam rarus? 26. B. ei prudentia commendata. 175. H. & dexteritas. 632. H. ei obediendum. 165. D. an ſemper idem eſſe debeat? 709. B. quando laudabiliter mutandus? 709. B. quid praeſtare cum moribundo? 56. B. 606. F. 631. F. quid cum pluribus ſimul in periculo mortis? 631. H. militum, & eius dotes. 634. H. fidelis, & illi parata retributio. 26. D. malus, & ab eo lata damna. 26. C.
Confeſſio Sacramentalis, quid? 682. A. extremo iudicio adſimilata. 703. D. coeleſtis medicina dicta. 714. E. eius materia, quæ, & quotuplex? 682. B. 692. A. forma. 682. B. Miniſter. ibid. C. effectus. ibid. utilitas. 712. B. C. modus. 353. C. 709 E. F. duplex, & quae? 707. D. particularis, & eius tempus. 708. B. generalis, & eius utilitas, vel neceſſitas. & modus. 55. G. 707. E. G. eius frequentia. 353. C. quotidiana, cur improbata? 158. H. extrema peccatoris. 56. A. iuſti, quae? 56. A. praeparatio ad eam, quae? 703. H.
Confeſſiones D. Auguſtini. 255. H.
Confeſſores Chriſti, eorumque virtutes, & pietatis exercitia. 38. B. & ſtatus diverſi. ibid. C. 49. D. mortificatio. 8. A. mundi deſpectus. 38. C. fidei teſtimonium. 613. E.
Confidentia, ad quem? 9. B. 90. E. ſtultorum non ſectanda. 39. D. V. *Fiducia*. *Spes*.
Confirmatio, Sacramentum, quid? 680. G. eius materia. & forma. 680. G. Miniſter. 681. A. effectus. 680. H. character. ibid.
Conformatio voluntatis noſtrae cum Divina. 727. C.
Confuſio Babylonica. 119. E. V. *Babylon*.
Congregatio Populi Chriſtiani, mixta. 91. C. iuſtorum, quae? 97. F. cui adſimilata? 104. G. ſtultorum, declinanda. 16. A.
Coniuges, eorumque munia, & officia. 29. B. 44. C. 183. D. eis commendata Sacramentorum frequentia. 29. B. mali quî adpellati? ibid. C. boni, eorumque merces. 29. D. 40. A.
Conlatio, quibus praecepta? 327. A.
Conloquia prava, eorumque damna. 10. C.
Conſanguinei, qui? 605. F. Bonis Eccleſiae non ditandi. 22. F. eorum conſortium fugiendum. 96. E.
Conſanguinitas, & ejus effectus. 10. F.
Conſcientia, eiuſque teſtimonium, quid? 41. D. 211. E. 241. A. 266. C. bona, & ejus lætitia. 41. D. 140. F. ſtudium, & vigilantia. 42. C. 47. G. 278. C. & fortitudo. 274. B. puritas ſervanda. 279. C. quomodo diſcutienda? 44. A.
Conſecratio Epiſcopi, an novum imprimat characterem? 685. D.
Conſilia, & Conſilium hominum, quae? 4. E. carnalium, & ſapientum huius mundi, fugienda. 10. G. 11. C. 15. A. 213. A. iuſtorum, & prudentum, ſectanda. 42. G. 43. A. 44. E. 55. G. 56. H. 59. A. 67. C. 72. C. 74. B. 76. E. 80. B. 117. H. 129. F. 136. G. 198. B. 218. E. 408. G. Conſilia cordium, quando manifeſtanda? 48. F.
Conſiliarii Pharaonis, & eorum conſilium. 119. A. Roboam. 231. F.
Conſolatio, & Conſolationes, non ſemper expedit. 16. G. quî adquiratur? 17. D. mundi, & terrena, quid, & unde? 9. G. 51. C. 154. B. E. abiiciendae, & cur? 11. A. 18. H. 19. C. eius vanitas. 252. B. diſcrimen a ſpirituali, & coeleſti. 154. B. quae iſta? ibid. quae intima? 212. H. quot eius genera? 558. E. an poſtulanda? 518. D. an contemnenda? 519. A. quomodo excipienda? 519. B. quanti habenda? ibid. quando temperanda? 518. H. quae melior? 519. A. num Directori aperienda? 519. C.
Conſortes Civitatis Primogenitae. 70. E.
Conſortia vitanda. 47. A.
Conſortium Crucis, diligendum. 11. F.
Conſtantia, quae virtus? 544. A. praecepta, & commendata. 18. E. 319. H. eius uſus. 109.

H. tentationis remedium. 525. G. eius praemium. 110. B.
Conſtantinus Magnus, & eius encomia.. 128. D. 173. G.
Conſuetudines vitioſae, unde? 713. D.
Contemplatio, quid, & eius natura. 429. F. G. 550. F. 582. E. Divina, & eius a naturali diſcrimen. 550. G. eius definitio ex variis Doctoribus. 430. C. E. 441. B. 550. F. 551. B. unde? 426. C. & ejus donum? 430. F. 507. E. 554. E. eius a ſimplici oratione, & Meditatione diſcrimen 429. F. 509. D. 550. F. cuius potentiae, & virtutis actus? 426. F. 429. A. 430. E. 431. B. 432. B. 551. C. E. 559. E. 560. B. varii eius gradus, & quot? 429. H. 430. A. D. & modi. 433. F. G. 552. B. effectus. 432. B. 434. A. 551. F. media, & diſpoſitiones ad eam. 429. E. 432. A. 552. A. impedimenta. 551. H. excellentia, & laudes. 430. F. 432. B. 551. E. ſuavitas. 551. E. raritas. 551. G. & brevitas. 552. C. qualis in hac vita? 550. E. qualis in Patria? ibid.
Contemplativi, qui? 429. A.
Contemplator, quando myſticam caliginem ingrediatur? 442. F. quid eius in nebula transformatio? 443. A. B.
Contemtores mundi, laudati. 86. B. 109. C. 113 A. 130. C. 132. E. an etiam famae, & gloriae? 127. D. eorum diligentia. 113. A. & praemium. 49. F. 132. A.
Contemtus honorum, & eius fructus. 128. H.
Continentia, quae virtus? 544. G.
Contriſtatio ad poenitentiam. 80. A.
Contritio, quid. 227. D. 682. A. 701. E. donum Dei. 228. D. 430. G. 702. B. ubi reſideat? 245. B. quae ad illam diſpoſitiones? 692. A. 700. D. quae motiva? 245. A. 353. F. 702. B. 703. A. quid includat? 701. E. cuius virtutis actus? 228. A. 229. A. & eius actuum praxis, & ratio. 14. G. 33. F. 55. A. 56. E. 244. G. 245. D. 353. E. 607. H. eorum frequentia commendata. 55. E. 57. G. 162. A. & quando praecipue? 245. C. eorum utilitas. 162 A. 229 B. E. 244. F. & honeſtas. 229. A. effectus, qui? 162. B. 228. B. 229. B. H. 240. C. E. 430. G. 593. A. 702. G. 703. B. quale ab adtritione diſcrimen? 682. A. an cum inclinatione ad peccatum conſiſtens? 228. B. an ſufficiens ad eius remiſſionem? 708. C. an lachrymas exigat? 228. B. an facilis? 353. F.
Conventus iuvenum, & puellarum, vitandus. 9. H.
Converſatio, quae eſſe debeat? 45. F. 170. C. ſtultorum, & peccatorum, vitanda. 10. A. 47. A. Dei, & Chriſti, & eius diſcipulorum, quae? 7. B. 10. E. 74. C. 75. E. F.
Convivia, periculoſa, quae? & cur? 7. F. 10. A. 77. G.
Copia, & eius effectus. 162. F.
Cor, eius ſignificatio. 311. D. 313. H. 387. G. Chriſti, & eius benignitas. 9. D. Divinum, & humanum habitacula reciproca. 389. E. humanum res pretioſiſſima dictum. 16. A. & ara. 311. A. eius longitudo, latitudo, & profunditas. 320. A. infirmitas, & inconſtantia. 106. H. 306. E. 394. G. eius ad voluptatem habitudo. 138. E. 394. G. eius vera refectio, quae? 118. B. & domus? 389. E. 711. H. quod principium? 387. H. quis finis? 342. G. qui muri? 711. H. quis robur? 82. A. quae, & ubi eius expanſio? 96. G. quæ ſitis, & a quo explenda? 371. B. quod votum? 388. C. quo igne inflammatum? 75. A. eius pulchritudinis amor. 395. E. & primitiae, cui reddendae? 395. F. ubi figendum? 14. C. 90. E. Deo ſacrandum. 15. G. 16. B. & quam gratum eiuſmodi ſacrificium? 15. G. & cuſtodiendum. 15. G. 16. B. 596. G. & coram Deo effundendum. 9. A. circumcidendum, & quomodo? 4. F. 112. A. 122. E. 202. A. expurgandum, & quomodo? 35. G. munditia ei praecepta. 425. C. unde expectanda? 66. F. quid cor purum, & caſtum, & quæ eius dotes? 5. F. 72. G. 73. B. 96. B. 97. H. 121. C. quomodo in Deum erigendum? 434. F. & an ſemper, & adſidue? 160. H. cor poenitens, eiuſque ſolatium. 9. E. quî erga proximum habendum? 33. A. 285. D. Cor peccatoris urbs ſine moenibus. 16. A. quomodo gravetur? 94. E. incircumciſum, & durum. 71. B. 190. B. ubi repens? 390. A. avarum. 490. A. multorum, excaecatum. 65. C.
Cornelius Balbus, & eius mortis cauſſa. 698. G.
Corona victoribus parata. 16. E.
Corpus humanum, eiuſque natura. 370. B. quae eius nativitas? 696. C. animae carcer dictum. 48. E. 450. C. 696. C. & gravamen. 211. B. 217. E. eius pulchritudo, quae? 299. B. 369. C. F. quibus caſti amoris fomentum? 87. F. effraene. 372. E. cuius aſinus, & ſervus dictum? 713. G. caſtigandum, & ſevere habendum. 17. G. 30. E. H. 207. C. 376. A. 526. H. 602. B. nec mors timenda. 20. G. Deo ſacrificandum, & quomodo? 17. G. 714. F. ut in reſurrectione vivificetur, & gratia decoretur. 17. G. 31. C. 210. F. quando animam iuvet? 332. B. caſtum, quale? 39. G. 263. B. eius exterior compoſitio commendata. 41. E. 171. D. craſſum, & grave, igni aeterno deputatum. 7. E. anima orbatum, quid? 569. C.
Corpus glorioſum, & Beatum, eiuſque dotes. 51. E. 222. A. pulchritudo, nobilitas, & maieſtas. 51. E. 299. G. H. 369. F. 649. D. lux, & ſplendor 51. E. 655. E. gratia, & amabilitas. 51. E.
Correptio fraterna, quomodo audienda? 168. C. quae virtus? 546. A. quis eius fructus? 710. D.
Corruptio naturae, unde? 339. G.
Crapula, eiuſque damna. 267. G.
Creator, Deus quanti habendus? 55. A. quid pro creatura ſit operatus? 243. G.
Creatura, eiuſque vilitas. 692. H. vivens, quae? 341. B. quae intellectu, & ratione praedita? 292. F. 341. B. eius ultimus finis. 411. B. eius amicitia, & ſolatium reſpuendum. 19. A.
Creaturae omnes iuſtitiae Dei exequtrices. 592. B.
Crucifixus. V. *Chriſtus*.
Crudeles, qui? & eis factae comminationes. 19. F. 20. A. qui adpellati, & ad quid ſervati? 19. G. eorum conſortia vitanda. 19. G.
Crux, ex qua Filius Dei pependit. 210. A. eius myſterium, quibus revelatum? 37. B. quis fructus? 41. C. arbor vitae dicta. 209. A. 350. B. Cathedra Chriſti. 65. C. ei omnia cedunt. 13. H. quibus ſtultitia? 20. F. 45. C. quibus vero Dei virtus, & ſapientia? 45. C. qui eius inimici? 148. G. omni ſtatui myſtice communis. 45. A. quo modo diligenda? 11. F. 459. F. quae eius diſciplina? 17. B. 35. A. 123. A.
Culpa, & eius natura. 570. D. unde eius magnitudo? 211. G. eius effectus. 114. A. 213. H. Originalis, & eius damna. 409. E. ubi delenda? 216. G. quî ab Eccleſia vocata? 677. A. Mortifera, & quam pertimeſcenda? 12. C. F. 55. E. levior, & venialis, quae? 13. A. 159. A. eius poena. 50. E. 379. A.
Cultores terrae, qui? 74. E.
Cultus Dei, ſeu Relligionis, qui? 96. B. 128. D. 274. G. virtutum, quanti habendus? 60. C.
Cupiditas, omnium malorum radix. 134. A. qua diſciplina coercenda? 120. E. quale eius pondus? 121. A.
Cura animarum, quam pretioſa? 26. E.
Curioſi, arundinibus comparati. 66. G.
Curioſitas vana, & ſuperflua ſciendi, & eius effectus. 11. B. 66. G. quomodo cohibenda? 116. F.
Curſores velociſſimi, qui? 32. C.
Cuſtodes Civitatis myſticae. 316. G.
Cuſtodia Legis. 22. B. E. Dei, & eius ſecuritas. 120. B. cordis, commendata. 599. A.
Cuſtos hominum, Chriſtus dictus. 17. E. V. *Chriſtus*.
S. Cyprianus Doctor. 38. F.
S. Cyrillus Doctor. 38. F.

Dae-

D

DAemon, eiuſque ſcientia. 7. A. bellua vilis. 380. F. Dei iuratus hoſtis. 234. E. eius in illum Blaſphemia. 58. E. & peccatum ei familiarius. 625. A. & incorrigibile. 710. F. haereſum fons. 58. E. nocendi cupidiſſimus. 110. A. quae eius vis, & in quos? 599. B. quae in phantaſiam? 561. D. quae in appetitum ſenſitivum? ibid. E. quae in voluntatem? ibid. C. quae in adparitionibus? 565. E. quae eius verſutia? & rabies? 108. A. 322. B 599. A. C. 628. G. quae inſtigatio, & conatus? 561. E. 562. E. praeſertim in extremo vitae conflictu. 598. F. quae cum moriente luctae circa fidem. 610. F. & ſeqq. quae circa ſpem? 616. C. & ſeqq. quae circa ſuperbiam? 629. A. quae circa ſcrupulos? 627. G. & ſeq. quae circa odium Dei? 625. B. cum quo minime diſputandum. 58. F. 611. E. ſed generoſe inſurgendum. 617. B. nec eius inſultationes timendae. 380. F.

Daemones moribundo adſtantes. 47. E.

Damna linguae, quae, & quot? 105. E.

Damnatus, eiuſque lugenda miſeria deſcripta. 50. B. eius vermis. 212. E.

Daniel Propheta, eiuſque virtutes. 36. F. 268. A. 729. E. eius iudicium in impudicos ſenes. 112. C. 554. A. a Nabuchodonoſore honore habitus. 128. B. eius liberatio a Lacu leonum. 89. B. 120. C. invictus. 463. B.

Dathan, & Abiron Schiſmatici. 413. A. eorum mors. ibid.

Datores hilares Deo cari. 88. E.

David, quis Princeps? 252. B. 256. H. eius in Deum amor, & fidelitas. 13. G. 27. B. 92. H. 156. G. 157. A. 160. G. 203. B. 271. H. 328. E. 334. D. eius ante Arcam exſultatio. 100. G. 340 C. 452. E. 481. F. 554. C. eius de Goliath victoria. 264. G. eius lapſus. 29. C. 33. E. 129. C. 162. B. 167. F. 236. E. 256. D. 710. F. & poenitentia. 190. D. 191. A. 232. D. 702. G. 717. B coniugatis exemplum. 29. C. eius manſuetudo, & animi modeſtia. 82. C. 100. G. 235. A. 261. C. 406. F. 415. A. & miſericordia. 6. A. 619. F. & animi magnitudo. 367. F. & oratio aliaeque virtutes. 92. H 157. A. 160. G. 254. E. 317. F. 596. D. & amor in Ionatham. 92. C. & in Abſalon. 457. F. Scientia, & Scripta. 164. C. 312. G. & Regnum. 151. C. 464. G. ſequaces pauci. 79. C. B. Virginis Mariae Parens dictus. 472. E.

Debilitas humana ſalutis animae inimica. 17. F.

Debita noſtra, quae? 603. H.

Decor, quid? & eius vis. 126. A. 367. E. 655. A. ſpiritualis, unde? 127. A. Domus Dei, qui dictus? 81. B. 94. D.

Decorum, quid? 296. B.

Decus, & quî paretur? 132. D.

Defectus emendandi. 725. G.

Defenſio innocentum. 27. G.

Deformitas odii cauſſa. 531. E.

Deiectio animi, vincenda. 81. A. 90. E. 109. G. quae poena? 195. B.

Delectatio, quid? 139. A. 532. E. eius cauſſae. 532. F. & quanta vis? 21. G. 532. G. 570. A. cur, & ubi neceſſaria? 533. A. eius remedia. ibid. B. terrena. 120. E. moroſa, & carnalis. 704. D. coeleſtis. 568. E.

Delicta, eorumque ſordes abluendae. 207. H.

Deliciae, mundanae. 252. E. Spirituales. 533. A.

Delinquens, quid in iudicio debeat? 633. A. quid ad extremum ſupplicium damnatus? 633. F.

Delinquentes, quo modo puniendi? 274. C.

Demetrius, Argentarius, adverſus Paullum. 407. C.

Demoſthenes. 65. C.

Deſerta, eorumque varii incolae. 220. B.

Deſertum mortalitatis. 121. A.

Deſideria hominis Deo debita. 16. B. 78. C. quanto creſcant? 77. C. inordinata, & nociva. 14. A 77. E. 120. E. 203. E.

Deſiderium, quid? 312. B. 326. F. 387. C. 529. F. qui eius uſus iuſtis? 120. G. mortis, & eius cauſſa. 330. B. V. *Amor*.

Deſolatio, unde? 104. C.

Deſperatio, quid? & eius variae adpellationes. 60. B. 120. F. 529. G. 534. G. eius cauſſae. 534. H. & effectus. 535. B. & remedia. 535. B. ſtatum damnatorum repraeſentans. 195. B. quî ea utantur iuſti? 120. G.

Deteſtatio, quis actus? 228. B.

Devotio, eiuſque natura. 518. B. 542. B. 659. E. ſedes. 542. B. cauſſae, & effectus. ibid. C. D. Actus. 279. B. praeceptum. 271. F. hoſtes. 272. A. ſenſibilis, & an curanda? 272 A. 518. C. an cum taedio inferioris partis conſiſtat? 272. A.

Deus, eius divinitas, & natura. 52. B. 463. E. 617. E. Trinus, & unus. 57 B. 58. E. 390. C. & ſolus. 69. E. 72. B. ejus adtributa. 284. E. 304. E. 358. C. 392. E. & ſumma perfectio, & Sanctitas. 57. G. 206. E. 292. G. 336. E. 614. A. Aeternus. 272. F. 282. G. 614. A. Immutabilis. 115. F. 193. F. 204. C. 228. E. 644. H 693. H. immenſus. 275. B. 330. G. 357. A. 385. E. 510. C. 569. B. 614. A. 693. A. ipſa veritas. 52. B. 70. F. 71. F. 107. B. 163. G. 216. A. 692. B. & ſapientia infinita. 52. B. 71. F. 111. E. 121. E. 147. A. 191. D. 157. F. corda hominum internoſcens. 35. F. 70. C. 84. F. 87. E. 96. B. Providentiſſimus. 31. G. 66. G. 67. A. 69. C. 98. E. 99. C. 216. D. 255. A. 670. B. 693. B. Omnipotens. 20. H. 32. E. 57. G. 81. E. 87. F. 88. F. 90. G. 91. A 95. E. 110. A. 117. A 119. A. F. 163. E. 195. C 198. C. 218. C. 390. E. 454. H. 455. F. 614. A. 670. B. F. 694. C. cuius natura bonitas. 10. B. 19. E. 31. E. 32. D. E. 55. A. C. 57. D 83 F. 84. G. 97. A. 101. C. 122. C. 123. E. 160. F. 190. E. 204. H. 218. G. 235. E. 255. A. 256. E. 282. F. 390. H. 414. C. 617. E. 620. A. 623. E. 624. C. ſummum bonum. 37. F. 55. A. 91. F. 97. A. 120. C. 129. H. 190. E. 214. G. 219. H. 252. E. 692. B. 698. B. & pax vera. & una. 79. A. 285. B. 312. C. 411. F. 413. A. & felicitas aeterna. 57. G. 96. E. 115. C. 122. B 284. B. 303. G. & vita, & omnis vitae auctor. 11. A. 48. G. 88. D. 92. G. 96. F. 197. G. 257. E. 388. C. 698. B. & pulchritudo incomparabilis. 32. D. 122. C. 157. F. 284. D. 291. B. 303. E. 370. G. 371. B. 394. B. & amore digniſſima. 156. B. 286. A. 392. H. 626. A. nec ullius odii capax. 392. H. & puriſſima caritas, & dilectio. 32. H. 91. G. 92. A. 96. B. 190. B. 201. A. 394. E. 698. B. & profuſa in omnes beneficentia. 10. C. 57. D. 199. C. 206. E. 232. F. 376. F. 463. D. 576. E. & ſingularia eius beneficia. 55. B. 199. E. 200. E. 212. A. 266. B. 305. B. 391. A. 446. D. 700. G. & gratiae dona. 9. A. 33. G. 42. G. 44. F. 71. A. 90. F. 213. B. 259. B. eius infinita miſericordia. 4. B. 19. A. 48. F. 60. A. 69. F. G. 57. E. 73. E. 84. G. 90. H. 91. A. 93. B. 96. B. 97. B. 99. A. 101. C. F. 102. E. 103. C. 111. F. 113. C. 116. E. 121. E. 190. A. 195. A. 198. D. 199. H. 200. D. 201. D. 205. G. 213. E. 221. E. 233. G. 234. A. 255. G. 256. D. 278. F. 283. A. 356. E. 618. C. 619. B. 622. G. 624. E. praeſertim in peccatores. 27. D. 31. F. 57. F. 190. B. 232. F. 234. F. 235. E. 236. D. 237. B. 265. B. 266. A. 283. G. 305. E. 623. F. 626. F quorum nequaquam morte delectatur. 57. D. 623. C. 701. A. patientia, & manſuetudo. 8. G. 55. D. 107. C. 190. B. 234. C. E. 672. B. liberalitas, & fidelitas. 57. E. 74. C. 77. F. 86. A. 88. E. 89. H. 90. G. H. 91. A. 96. G. 114. F. 115. G. 135. F. 306. A. 389. B. 578. H. & incorrupta iuſtitia. 12. A. 66. E. 86. C. 93. G. 140. F. 194. E. 196. D. 216. A. 278. A.

A. 672. B. 694. C. & iudicium terribile. 28. B. D. E. 54. E. 108. F. 194. B. 218. C. 273. A. 594. G. 601. D. 644. D. 645. G. ira, & zelus. 190. B. 439. E. 466. H. 537. A. 644. E. Poteſtas, & Imperium. 10. B. 11. G. 27. C 48. G. 50. E. 57. G. 75. A. 76. C. 84. F. 86. B. 91. A. 95. G. 96. B. 100. H. 103. B. 108. G. 109 H. 112. A. 114. E. 198. D. 203. G. 204. E. 207. G. 211. F. 230. B. F. G. 237. E. 262. A. 272. C. 274. H. 303. F. 570. C. 692. H. 698. B.

Deus Dominus, & Creator omnium. 49. A. 77. F. 160. E. 199. G. 276. A. 278. G. 284. G. & Parens noſter amantiſſimus. 11. A. 19 A. 32. A. 113. B. E. 213. E. 283. B. Redemtor, & ſalutis auctor. 32. E. 158. E. 190. D. 195. D. G. 200. B. D. 208. F. 217. C. 690. C. 698. B. & cuſtos tutiſſimus. 18. B. 21. A. 32. A. 33. F. 120. B. 200. B. 208. F. 214. H. 217. B. 222. A. 252. A. 255. B. adiutor, & defenſor. 32. A. 81. C. 104. C. 211. A. 266. F. Solatium & refectio. 18. G. 19. A. 33. G. 40. E. 69. E. 85. G. 86. E. 118. A. 160. F. 211. A. 221. E. 375. C. 449. A. Animae Sponſus, centrum, theſaurus. 48. C. 265. F. 490. B. 648. E 698. B. & fidelis amicus. 198. C. & eius amicitiae pretium, & effectus 3. B. 10. C. 33. D. 190. A. 198. C. 211. E. 238. A. 568. D. intima unio, & inlapſus. 375. A. 440. F. 442. D. 463. F. praeſentia, & habitatio. 94. B. 107. B. 160. G. 189. A. 197. G. 277. G. amor, & delicium. 72. G. 74. E. 87. G. 94. F. 97. A. 122. A. 324. A. 376. F. 689. A. B. 729. F. & ſuaviſſima familiaritas. 10. E. 87. B. 96. E. 190. B. 271. A. 285. B. & dona. 10. E. 21. A. 190. B. 192. C. 370. A. 561. E. & conloquium. 66. G. 97. A. 203. A. 336. B. 445. E. & arcana cognitio. 424. XXIV. 436. C. 443. C. F. & tactus myſticus. 424. XVII. & eius animae dilectae probatio. 18. B. 72. B. 86. B. 307. A. 333. C. 423. I.

Deus ſummo amore, & obſequio proſequendus. 9. D. 12. G. 19. A. 32. F. 41. G. 42. C. 43. A. 46. G. 47. A. 57. G. 89. F. 162. D. 218. G. 230. G. 271. A. 285. A. 293. G. 304. G. ac timore ſancto. 41. G. 43. A. 48. E. 51. A. 81. H. 114. A. 142. C. 156 A. 158. A. 230. G. 700. F. & ab ira placandus. 47. B. 318. G. 319. B. 375. A. D. F. H. 689. C. & quo modo exorandus? 47. A. 51. A. 213. D 604. A. & ſpes in eum erigenda. 31. A. 33. G. 96. B. & ei obediendum. 21. A. C. 37. A. 190. A 198. E. 274. A. & quanti eius mandata facienda? 14. G. 21. A. 82. A. 91. G. 150. A. 156. D. 157. B. G. 203. A. quomodo eius voluntas manifeſtatur? 25. F. 106. B. bona, & mala ab eo aequanimiter ſuſcipienda. 270. F. maxime ob eius retributionem. 138. A. fide ei placendum. 58. D. in ſanctis laudandus. 94. G. eius offenſa, maxime pertimeſcenda. 230. F. 233. B. 272. C. & derelictio verenda. 47. E. 385. B.

Deus homo factus, & cur? 10. A. 57. E. 100. C. 201. F. 256. E. 259. C. 266. E. 279. G. 283. A. F. 694. A. quamdiu poſt Communionem maneat in homine? 355. C. V. *Chriſtus*,

Diabolus, Dei inimicus, & eius invidia. 85. A. quî ab hominibus cultus? 231. A. peccatorum pater. 698. E. devotionis hoſtis. 272. A. cum eo minime diſceptandum. 526. C. 628. B. & ei generoſe reſiſtendum. 526. C. 634. E. V. *Daemon*.

Diaconatus Ordo, quid? 684. A. eius materia, & forma. ibid. A. effectus, & munia. ibid. B. ſignum. ibid. C. character, & an ab illo ſubdiaconatus diſtinctus? ibid. B. an eo praeſtantior? ibid. C. qua aetate recipi poſſit? 685. E.

Dies iudicii, qui? 4. H. 48. F. 49. E. 83. A. 94. B. 217. A. Coenae nuptiarum Agni, qui? 86. A. malus redimendus. 30. G.

Dies ſolemnes, quomodo colendi? 10. B.

Difficultas, quî vincenda? 13. A. 20. G. 110. G.

Dignitas, quae quaerenda? 8. E. maiori adepta minor ſpernitur. 569. H. ſacerdotalis, quae? 96. A. V. *Sacerdos*.

Dii Ethnicorum abiciendi. 32. F. 614. A.

Dilectio, hominis propria. 391. F. eius vis. 111. E 193. E. 460. F. morti adſimilata. 315. B. 379. A. 398. E. 460. F. 485. D. Dei, & quam illi adcepta? 9. A. Ieruſalem aedificat. 36. E. eius indicia. 17. F. Proximi, ubi? 92. E. eius mandatum. 21. G. 32. G. 169. G. 336. G. plenitudo legis dicta. 92. A. 157. C. cur dura? 337. H. quae in illa ſervanda? 338. E. 393. A. ad eam ſanctorum exempla. 338. A. inimicorum, quid? 170. B. eius praeceptum. 9. A. 326. A. 405. A. V. *Amor*. *Caritas*.

Diligentes Deum, illiſque parata bona. 70. E.

Diligentia, laudata. 150. B. 524. A. quae eius bona? 276. F. quae virtus? 540. F.

Diluvium Aquae, & ignis, & eorum cauſſae. 273. A. 698. E.

S. Dionyſius Areopagita, eiuſque ſcripta. 312. G. eius de myſtica Theologia ſententia. 442. D.

Directores, & eorum munia. 329. F. 519. E.

Diſciplina, minime timenda. 14. A. quae amanda, & magni habenda? 13. E. 14. G. 19. D. Novi Teſtamenti. 79. F. Chriſti, & eius characteres. 30. G. 81. B. 88. A. 103. F. 119. A. 213. A. Crucis, quae? & eius praemium. 35. A. 83. A. Praelatorum Eccleſiae. 107. E. Monaſtica, & eius iugum. 21. F.

Diſciplinae hominum, & Ethnicorum, & earum licentia. 66. C. 67. F.

Diſcipuli Chriſti, eorum characteres, dotes, virtutes, officia. V. *perpetuo a pag.* 65. *aſque ad* 123. eorum a divitiis averſio 137. A. innocentia. 237. E. praecipua nota. 259. G. arma. 261. A.

Diſcordia, & eius ſemina, occaſiones, & fomenta tollenda. 403. E. 405. E. 406. E. effectus. 404. C. E.

Diſcretio ſpirituum. 116. B.

Diſſimilitudo, odii cauſſa. 531. E.

Dives duplex Evangelicus, & eius vita, & mors. 8. A. 50. A. 77. A. 137. B. 642. D.

Divina, quo modo excipienda? 168. C. & qua in parte animae, percipiantur? 253. B.

Divinitas, Mare magnum dicta. 52. B.

Divites, & eorum obligationes. 29. E. quid in pauperes? 171. G. eis commendata liberalitas. 715. E. boni, & liberales, divitiarum pondere minime gravati. 29. F. laude digni, & imitatione. 133. F. 135. D. illis parata merces. 29. G. mali, & tenaces & eorum ſtatus. 134. C. 263. H. imago, & figura. 29. F. G. infelicitas, & ſtultitia. 46. B. grave iugum. 30 A. conſuetudo. 134. E. vanitas 8. A. faſtus, & mollities. 7. A. G. ſollicitudo, & anxietas. 134. E. 136. E. 137. C. timor. 136. A. E. durities, & crudelitas in pauperes. 69. A. 94. A. 101. D. 136. A. abiectio. 136. A. cupiditas. ibid. D. vana fiducia. 137. A. ſolatium. 101 F. vituperatio. 133. F. 134. C. minae illis dictae. 5. G. mors infelix. 29. G. 137. B. 138. A.

Divitiae, quid? 136. F. quid comparatione gloriae aeternae? 51. C. quot eius genera? 134. E. earum conſervatio, quae? 136. B. an indifferentes? 133. F. an honore excipiendae, & quando? 127. E. an amore? 657. A. an potius contemtu, & deſpectu. 6. A. 19. C. 21. G. 108. G. 133. F. 135. G. 136. A. 137. D. F. 138. B. 252. C. an expetendae? & qnomodo adquirendae? 133. H. 134. B. earum effectus, boni, & mali. 17. E. 134. E. 136 A. E. F. 252. G. 263. D. E. poſſeſſio, & earum uſus, quis? 126. E. 133. F. 134. B. F. 135. D. 138. B. praeſertim in pauperes. 134. H. 135. B. E. qualis iuſtis occaſio? 29. E. qualis peccatoribus? ibid. quomodo permutandae cum aeternis. 137. C.

quid in morte? 137. A. Verae, & aeternae, quae; & ubi? 13. C. 19. G 89. C. 199. G.
Divortium & eius effectus. 380. B. animae a Deo quale? 15. H.
Docilitas, & eius effectus. 71. E.
Doctores Eccleſiae, eorumque laudes, munia, virtutes. 38. E. 67. C. Sacrae Scripturae Interpretes. 41. A. Rethoricam aliqui docuerunt. 67. C. de Nativitate Chriſti quid propalarint? 280. B. eorum fidei teſtimonia. 613. E.
Doctrina caſta, inreprehenſibilis, & utilis, quae? 21. B. 45. D. 129. G. 136. H 212. D. 267. G. 278. E Apoſtolica. 602. F. Chriſti. 78. G & quantum Gentilibus, & mundi ſectatoribus inimica? 7. E. G. 30. E. 70. F. 71. F. 117. G. iuſtorum, & electorum, quae? 14. F. 35 B. 171. C. 592. H. Daemonis. 7. A. Gentilium. 7. E.
Doctrinae peregrinae. 43. E.
Dogma, quid? 232. G.
Dolor, quid? 533. C. 632. A. quotuplex? 533. D. E eius cauſſae. 533. F. ſedes in anima. 228. D. quanti faciendus? 228. D. E. ſenſibilis, eiuſque effectus. 245. B. an neceſſarius ad veram de peccatis contririonem, 228. B. 353. H. Dolor peccatorum, eiuſque nomenclatura, & vis. 701. A. B. origo. 702. B. 707. G. V. *Contritio*.
Dolores Inferni, eorumque figura. 50. F.
Domeſtici Dei, & Chriſti, eorumque habitus. 69 E. 92. D. mutuus amor, & pax. 100. E. F.
S. Dominicus. 38. C.
Dominus. V. *Deus*.
Domitores mundi. 132. A. Indorum, commendati. 128. G.
Domus Dei, quae? & quomodo aedificata? 97. E. 143. C. eius divitiae. 93. C. 96 H. 115. H. 320. C. ſplendor, & decor. 94. C. F. 100. A. 104. G. 114. A. Sapientia. 37. B. humilitas. 100. F. manſuetudo. 114. A. deliciae. 649. E. ſalus. 110. A.
Dona Spiritus Sancti, quid? & eorum effectus. 111. B. 238. C. 553. B. habitus dicta. 552. H. eorum ſedes. 553 B. & actus multiplices. 553 G. cur data? 112. F. quid praeſtent ſingula? 553 C. Sapientiae. 111. E. 112. A. Intellectus. 111. B. 551. D. Conſilii. 512. F. Fortitudinis. 114. B. D. E. 554. B. Pietatis. 113. C. 554. A. Timoris. 554. B.
Drachma a muliere Evangelica reperta. 233. C.
Duces, eorumque fortitudo commendata. 128. G. 275 A. eorum Chriſtianae vitae officia. 173. E. Graeci, & Romani, & eorum gloria. 5. B.
Duces Moab. 348. B.
Ductor vitae ſpiritualis eligendus. 262. B.
Dulcedo ſpiritualis. 87. B.
Dulia, quis cultus, & quotuplex? 543. A.
Durities animi multorum. 171. G.

E

EBrietas, eiuſque effectus. 10. A. Spiritualis, & eius effectus. 438. A. 518. E. myſtica, & eius ſigna. 438. A.
Eccleſia Chriſti, eius Sponſa dicta. 26. B. *& ſaepe alibi*. & mater noſtra. 44. F. 339. C. 695. C eiuſque in nos Beneficia. 695. C. & Corpus Chriſti. 695. C. filia ſupernae Ieruſalem. 24. C. quo genere militiae militans adpellata? 78. G. & aciei ordinatae comparata. 24. C. 38. A. eius Hierarchia. 282. B. eius inſtitutio. 279. G. a quo gubernata? 151. E. 695. D. eius operatores. 88. A. & Rectores. 695. E. eius ſtatus varii. 43. E. 148. G. eius progreſſus, & magnitudo. 100. G. 281. H. 489. A. eius unio. 71. C. ſymbola. 657. H. agmina, & robur. 24. C. 100. G. 427. G. qui eius perſequutores? 599. B. Sancta & immaculata. 87. D. 282. B. 695. C. verax, & infallibilis, eiuſque auctoritas. 67. A. 72. A. 282. B. 611. F. 615. G. Sacramenta, & eorum uſus. 282. B. 607. D. Orationes variae. 44. E. 416. F. quid peccatoribus ſuggerat? 242. H. Eccleſia Graeca & Latina, earumque Patres. 38. F.
Eccleſia triumphans, eiuſque pax. 49. F. 193. E.
Eccleſiaſtici, eorum vanitas. 5. A. 8. B. C. eorum ſtudium, & oratio. 44. B. lapides ſanctuarii dicti. 65. C.
Ecſtaſis, quid? 582 G. amoris effectus. 377. A. 439. A. 530. G eius a raptu diſcrimen. 437. B. 557. C. Deo a quibus tributa? 435. III.
Edom, eiuſque Principes. 47. E. 109. E. 123. C. 192. E. 348. B.
S. Edmundus, eiuſque a peccato averſio. 692. D.
Effiges Crucifixi moribundis adoranda. 60. D.
Eleazar Machabaeus, eiuſque fortitudo. 106. C. 554. C.
Electi, eorumque ſtatus, adpellationes, & laudes multiplices. 51. E. 86. A. 87. B. C. 99. D. ſtudium. 97. A. vita. 104. E. 250. H. doctrina. 592. F. paſſio. 251. G. pauci numero. 150. C. quibus verbis ad coronam vocandi? 49. E.
Electio ad vitam aeternam. 390. G.
Eleemoſyna, commendata, & praecepta. 135. E. 137. C. 171. H. 713. A. caritatis filia. 546. A. eius effectus. 86. C. 723. B. quomodo facienda? 714. H. 715. G. 716. B. eius praemium. 135. E. 138. C.
Elevatio cordis ad Deum, unde? 41. D.
Elias Propheta, eius zelus. 36. F. & mortis votum. 330. D. 385. A. & oratio. 578. F. quid Iſraelitis propoſuerit? 294. C. 366. E.
Eliſabeth. 40. B.
Eliſaeus Propheta, ejuſque zelus. 36. F. 244 B. ſolatio ad viduam. 73. E. & oratio ad Deum. 244. B. & ſpiritus prophetiae. 327. F. & aquarum ſanatio. 723. F.
Eliu facundiae oſtentator. 482. C.
Eloquentia, quid? 297. C.
Eloquia Chriſti, quae? 67. E. 76. B. & eius diſcipulorum. 75. G.
Elzearius, Comes, quomodo levia peccata fleverit. 720. G.
Ephraim. 5. B.
Epikeia, quae virtus? 541. A.
Epiſcopatus, quid? 172. C.
Epiſcopus, eiuſque dotes, munia, & officia. 23. D. 172. C. 505. C. & ſeq. 685. E. & quî ea exequatur? 173. D. quî in Ordinibus conferendis? 172. E. quî in Synodis congregandis? ibid. F. G. quî in Diaeceſi perluſtranda? 173. A. quî in Miniſtris eligendis? 172. F. quî in moribus formandis? 172. H. 173. A. quî cum clero? ibid. quî cum Relligioſis, & Monialibus. ibid. B. quî cum laicis? ibid. C. quî cum concionatoribus? 172. E. quî cum famulis? ibid. F. quî in redditibus Eccleſiae, & re familiari? 172. E. 173. C. quî in Miſſa celebranda? 173. E. quî in ferendis cenſuris? 173. C eius praecipuae virtutes. 172. F. G. 173. D. E. & iuriſdictio, & ubi exercenda? 685. C. an novum characterem in ſua conſecratione recipiat? ibid. D.
Epiſcopi Sancti, & veri, quam pauci? 23. F. eorum laudes. ibid. D. & merces repoſita. ibid. F.
Epiſtola, morientibus legenda. 637. & ſeqq.
Epulae Regis Chaldaei reſpuendae. 468. E.
Epulo Evangelicus, qualis in Lazarum? 642. C.
Equus fallax caſtigandus. 14. B. 45. C.
Eremitae, an omnes laude digni? 25. C. qui ſancti, & imitandi? 39. C.
Errantes quomodo corripiendi? 274. E.
Error gravis, qui? 67. F. 79. A.
Erubeſcentia, timoris ſpecies. 536. A.
Eruditio Chriſtiana, eiuſque puritas. 11. G. 21. G. 46. A 203. E. quibus inimica? 11. G. 66. A.
Eſau, Iacob inimicus. 350. G. eius gulae effectus. 268. A.
Eſther Regina. 40. B. eius prudentia. 596. E. gratia, & pulchritudo. 656. E. F.

Eſurientes iuſtitiam beati. 115. E. 555. C.
Ethnici, & eorum hiſtoriae 11 B. quomodo honeſtate adlecti? 127. A.
Eva, quorum mater dicta. 105. B. 471. F. 492. C. eius curioſitatis effectus, & damna. 105. B. 167. F. 268. B. ubi violata? 458. D. eius filii morte damnati. 495. E.
Evangeliſtae, eorumque ſcripta. 209. H. teſtimonium, & auctoritas. 281. G. 613. A. C.
Eubulia, quid? 540. E.
Euchariſtia, quale Sacramentum? 44. B. 681. B. Panis vitae adpellata. 15. E. coeleſte Convivium. 244. B. amoris pabulum. 306. A. & ſupernaturalis medicina. 714. E. eius materia. 681. B. C. quae in Eccleſia Latina, quae in Graeca ibid. C. Miniſter. ibid. F. effectus. 15. E. 681. E.
Euphichia, quae virtus? 544. A.
Eurialus, eius amor erga Niſum. 292. D.
Euſtochia, quid? 540. C.
Eutrapelia, quae virtus. 139. A. 545. E. ubi ſita? 538. H. eius munia ibid.
Examen Conſcientiae, eiuſque natura, & definitio. 689. A. iudicium quoddam. 718. F. eius neceſſitas. 690. E. & utilitas multiplex. 690. E. 691. B. 692. A. finis. 692. A. materia. 719. C. modus. 56. A. 704. A. 718. F. 725. A. difficultas in infirmitate. 56. A. vetuſta conſuetudo. 689. A. ſpecies quot? 689. C. Diurnum, & eius neceſſitas, & modus. 689. C. 690. A. 717. H. 718. B. a Philoſophis & Patribus commendatum. 717. D. G. H. Particulare, & eius materia, & modus. 689. C. 725. B. 726. C. 727. G. quale circa omnia, & ſingula Decalogi praecepta? 704. H. & ſeqq. circa virtutes? 705. A. 726. D. circa ſuperbiam? 707. A. de bonis neglectis? 720. A. de ordinariis operibus. 727. A. eius utilitas. 726. A. cur minor in aliquibus? 727. E. varia eius tempora. 728. A. B poenitentia ei iungenda. 729. C. Generale, & eius figura, & modus. 689. C. V. *Thronus Iuſtitiae*. pag. 689. & ſeqq.
Excaecatio mentis voluptatis effectus. 140. D.
Exempla validiora verbis. 108. B.
Exempla multiplicia narrata. 5. E. 307. H. 232. A. 415. C. 635. C.
Exemplar noſtrum, quale? 207. A.
Exemplum bonum proximo praebendum, & eius vis, & effectus. 41. E. 45. E. 99. G. 108. B.
Exercitia varia virtutum commendata. 45. B. 46. A. 58. C. 168. F. 169. C. 228. A. 729. G.
Exercitus militum, in eo multa peccata patrantur. 27. E. eius pulchritudo. 299. A. Martyrum. 49. G. 83. A.
Exomologeſis, quid? & eius effectus. 708. F. G.
Exorciſtatus, eius natura, materia, forma, & officium. 683. E.
Exploratores Civitatis Dei, qui? 21. B.
Expugnatores urbium, quid comparatione viri Chriſtiani? 13. E.
Extimorati, & eorum mala opera. 151. B. 602. A. eorum multitudo. 596. F.
Extrema fugienda. 278. H.
Extrema unctio, quale Sacramentum? 682. E. eius materia, forma, miniſter, & effectus. ibid. E. F. G. cur infirmis conferenda? 682. G. quae corporis partes ea ungendae? ibid. E.
Ezechias Rex Iſrael. 689. D.

F

FAbrica Caeleſtis Civitatis, myſtice, ubi 45. G. Spiritualis. 112. F.
Fabula Tantali. 385. F.
Facultates animae, earumque mortificatio. 163. C. V. *Anima*.
Fama, quid, & unde? 127. C. 128. A. eius propagatio homines vexat. 132. G.
Fames non timenda. 69. E. qui ea turbentur? 254. G. Fames Populi Hebraici. 16. H.
Familia Dei, quae? & eius laudes. 94. F. 97. B. 105. A. in ea ſpiritus rectus. 119. A. eius potior pars. 122. F.
Familiaritas, quae inlicita? eiuſque effectus. 10. D. Dei quaerenda. ibid. E.
Faſcinatio carnalis nugacitatis. 76. G.
Faſtus. 7. B.
Fatui, qui? 5. F.
Favores ſpirituales. 318. A. 321. G. 323. G. 562. F. V. *Dona*. *Gratia*.
Felicitas magna, quae? 77. F. quae vera? 389. H.
Ferae, earumque mos. 207. B. 402. G. quomodo cicurentur? 212. A. 266. H. 307. G. 308. G. 376. F.
Ferculum Salomonis. 240. C.
Fermentum vetus expurgandum ex Apoſtolo. 17. A. 42. C. 96. A.
Ferrum candens, eiuſque proprietates. 441. C.
Fertilitas Terrae Promiſſionis. 66. H.
Fervor, amoris effectus. 439. D.
Feſta hominum ſaecularia fugienda. 9. H. 10. A. 77. G.
Fides, eiuſque definitio, & natura. 52. B. 79. G. 90. B. 200. G. virtus Theologica. 279. F. 545. F. eius origo. 86. D. auctor. 611. F. finis. 279. C. obiectum. 99 F. 426. G. 427. A. obſcuritas. 141. B. firmitas, & fundamentum. 18. B. 279. G. 460. H. veritas, & credibilitas. 57. C. 111. C. 279. F. 282. C. 613. B. lux, & ſplendor. 31. B. 83. F. 90. C. 190. F. 214. A. excellentia. 17. H. neceſſitas, & praeceptum. 152. F. donum gratuitum. 116. A. vita, & forma. 31. E. 56. D. 460. H. actus, & exercitium, & quando praecepti. 14. G. 31. C. 57. A. 123. D. 157. A. 161. H. 526. E. profeſſio ubi, & quomodo commendata? 90. B. 119. A 279. F. 652. & ſeq. probatio. 104. A. defenſio remunerata. 95. E. debilitas in ſervis Dei, unde? 578. E. ab ea errare miſerrimum. 195. F. operibus iungenda. 282. C. quid ſuggerat Incipientibus? 90. A.
Fidelitas, quae virtus? 541. C. eius praeceptum. 18. B. 36. D. effectus. 15. A. remuneratio. 160. C. laus. 225. F.
Fiducia eiuſque, natura, & definitio. 543. G. 576. C. effectus. 114. C. robur. 576. C. divitum, quae? 137. A.
Filia Regis myſtice, & eius gloria. 6. G. 70. G. 75. F. 253. E. Sion, quae? 208. C. 219. G. 300. B. caligine obtecta. 68. B. Supernae Ieruſalem, quae? 24. C.
Filiae Ieruſalem, quae? 89. C. quî veſtiantur, 498. A. Madian, earumque veſtes. 349. E. & vanitas. 395. A. Moab declinandae. 349. E. Sion, & earum ſordes. 83. E. cur Deo odioſae? 105. A. earum ornatus. 395. A. Tyri, earum pulchritudo, & gloria. 340. A. 486. A. Tyri, & Sidonis, quî corda ſubvertant? 91. F.
Filii Adae, eorum conditio. 10. F. poena, & labor. 44. E. 110. F. a Paradiſo expulſio. 213. G. praevaricatio. 65. C. 68. B. 219. C. miſeria. 35. C. ſubverſio, & ad malum inclinatio. 4. F. 35. D. 258. A. ſervitus. 217. F. infirmitas. 31. F. 587. C. inconſtantia. 16. F. inquietudo. 258. A. diſſidium. 117. D. 467. B. caecitas, & ſtultitia mentis. 4. G. 5. C. 9. F. 14. E. 15. E. 16. A. 67. C. G. 85. A. 283. A 341. C. 473. A. 476. A. ſuperbia, & ambitio. 67. E. 106. G. invidia, & avaritia. 85. A. 220. C. cordis durities, & crudelitas. 4. F. 16. F. 18. F. 20. E. 31. F. 459. E. ſtupiditas. 220. F. mendacium. 216. A. ſui amor. 16. F. 647. H. diffidentia 622. E. bona, & ſolatia vana, & contemtibilia. 16. F. 93. C. 97. A. 114. G. 222. C. aedificia, quae? 39. A. 112. F. convivia. 97. A. curae, & ſollicitudines. 14. F. ſciendi cupiditas. 112. D. 121. F. communicatio fugienda. 16. G. 106. A. peregrini a Schola Chriſti. 67. C. & male in illum adfecti. 16 F. 65 C. 90. G. ſed ad gratiam revocati. 16. F. 76. B. 259. F. & reformati per Chriſtum. 18. F. 216. G.

& ab eo gratia roborati. 80. C. quid prudentia valeant? 489. G. & eorum triplex funiculus. 455. E. quid in ariditate? 16. F.
Filii Agar, quam prudentiam exquirant? 68. E. 214. A. 279. E. 344. F. 451. C.
Filii alieni, qui? 103. D. 189. A.
Filii Cham. 15. F.
Filii Dei, qui? 41. C. eorum a filiis perditionis diſcrimen. 76. B. eorum vita, quae? 78. B. 209. A. 254. E. libertas. 203. A. 246. C. nutrimentum. 115. B. laetitia, & pax. 78. B. 254. E. conſilia ſequenda. 200. A. paupertas. 136. G. Manſuetudo. 205. G. privilegia. 194. D. 209. D. lectio, quorumnam librorum? 103. E. nomina, ubi ſcripta? 133. C. 205. D. 211. E.
Filii Eccleſiae, quid ſequi debeant? 44. F.
Filii Ephraim, qui? 314. F. 459. G.
Filii Evae, eorumque error. 6. B. exilium. 119. B. 352. C. mortis damnatio. 495. E.
Filii Gehennae. 79. H.
Filii hominum, eorum ſtultitia. 34. D. 42. E. vanitas. 84. E. infirmitas. ibid. mendacium. 106. H. a quo enutriti, & exaltati? 189. A.
Filii Iob. 85. D.
Filii Iſrael, qui? 13. F. eorum Babylonica captivitas. 241. B. & Aegyptiaca. 266. B. & myſticus de illa reditus. 277. D.
Filii Iuda pugnandi periti. 13. G.
Filii Levi, eorumque patrimonium. 487. F.
Filii huius ſaculi, qui? 4. A. 5. F. 32. G. 147. A. eorum vita. 40. G. 74. C. labor, & ſervitus. 69. G. 110. G. cupiditas. 43. B. 86. B. 94. A. caecitas, vanitas, & mendacium. 8. F. 15. B. 40. F. 43. B. 96. C. 107. A. 114. D. 148. D. 213. B. 251. E. eorum Deus. 103. E. cor. 16. A. 42. D. 69. G. amor, & votum. 78. B. 95. B. 98. C. ſollicitudo, & ſtudium. 72. C. 89. C. 122. A. pavor, & imbecillitas. 95. A. B. 40. B. miſeria. 69. G. ambitio, & praeſumtio. 69. G. 100. D. 147. A. incredulitas. 40. G. 87. E. durities, & ingratitudo. 8. F. 103. B. luxuria. 87. E. mala, & inquieta conſcientia. 81. F. 254. C. peccatum, & infidelitas. 40. G. 83. H. a filiis Dei diſcrimen. 40. F. 43. A. 98. E. 213. B. Turris Babel aedificatores. 83. H. diſcipulorum Chriſti *moderatione* capti. 94. E. eorum prudentia, & cur prudentiores filiis lucis dicti? 81. F. 147. A. 148. B. D. 594. D. an perituri? 40. G.
Filii Sion inclyti, & quomodo induti? 17. D. 340. A. quo cibo nutriantur? 104. A.
Filius Dei, eiuſque inviſibilis miſſio. 431. E. quid ſub eius lingua? 66. B. V. *Chriſtus*.
Filius Prodigus, eiuſque Parabola, & ſignificatio 213. C. 233. D. 240. F. humilitas. 34. E. 319. C. timor. 700. F. miſericordia impetrata. 618 E. & quomodo a Patre receptus? 499. A.
Filius Viduae Naim, a Chriſto vitae reſtitutus. 81. E.
Finis ultimus hominis. 505. A. laborum, & dolorum. 49. E. rerum omnium. 129. A. Finis noſtri Ordinis Carmelitici, princeps. 507. C.
Finitum, & Infinitum, & eorum diſcrimen. 303. B. C.
Firmamenta vitae corruptibilis, quae? 80. D.
Flagitioſi, quî vivant, & quid vereantur? 272. C. E.
Flamma ignis aeterni, quibus parata? 35. D.
Fluenta Iordanis, quam amanda? 67. D.
Flumen deliciarum, unde? 52. B.
Foecunditas agrorum unde? 403. G.
Foedus amicitiae. 406. B. ſanctum ſervandum. 406. E.
Fomes peccati, cur nobis relictus? 410. D.
Fons aquae ſalientis in vitam aeternam. 4. B.
Forma, eiuſque ad amorem inlicium. 366. G. non tamen abſque venuſtate. 367. E. bonum fragile. 368. B. interna exteriori perfectior. 370. A.
Formulae Urbanitatis. 170. H.
Fortes, qui? 103. F. eorum ſtatus. 221. B. lucta, & labor. 13. G. 89. E. meritum. 103. F. praemium. 49. F. 114. E. Fortes ſexaginta, qui dicti in Scriptura? 109. B.
Fortitudo, quae virtus? 32. C. 216. B. 539. B. 543. E. quae magna? 114. B. quae vera? 114. B. D. 123. E. eius ſedes. 538. H. 543. F. partes. 543. G. 544. B. bona conſcientia armata. quae? 47. C. pietati adiuncta, quae? 128. G. tentationis remedium. 125. G. praecepta. 18. B. petenda. 44. G. quomodo repromiſſa? 20. G. bellica, quid? 128. F. G.
Fragilitas humana, quomodo vincenda? 11. G. quibus modis tentetur? 114. G.
S. Franciſcus de Aſſiſio. 571. E. Pater multarum gentium. 38. B. 499. F. vitae Chriſti imitator. 38. B. & ſtigmatibus inſignitus. 74. B. 331. E. 500. B. & viva eius imago. 498. C. E. vir dolorum. 500. E. & perfectam ſciens paupertatem. 72. C. 98. F. 264. A. 498. D. & humilitatis cultor inſignis. 260. E. 498. D. in Deum fidelis. 74. B. in pauperes miſericors. 498, E. mundi contemtor. 498. G. oratione adſiduus. 575. G. & ideo vir potens opere, & ſermone. 499. H. zelo flagrans. 499. F. & ardentiori martyrii deſiderio. 500. A. Vas Electionis. 500. D. & ſanctitate ſublimis. 498. C.
S. Franciſcus Borgia, ſuorum peccatorum recordatione adſiduus. 717. B.
S. Franciſcus Xaverius, & eius ſuorum ſcelerum fletus, & dolor. 717. B.
Fraterna Correctio, & eius modus. 171. B.
Fraternitas, quî exercenda? 32. H. V. *Caritas*.
Fratres, falſi, & infidi. 99. G.
Frigus non timendum. 69. E.
Fructus bonus, qui? 35. E. 41. G. Redemtionis Chriſti. 47. G. 85. C. 87. H. 458. G. & eius Crucis. 41. C. D. Spiritus Sancti. 115. A. 554. G. Paradiſi in Eccleſia plantati. 41. G. & Ligni vitae. 7. F. iuſtorum ultimus. 41. C.
Frui, quid? 366. B.
Fruitio, quid? 582. H. eius ab amore diſcrimen. 366. B. amoris tamen effectus. 439. C. cuius potentiae actus? 560. B. quid ſequatur? 293. F.
Fuga, & eius natura, & definitio. 529. G. 532. C. D. effectus. 120. E. remedia. 532. E.
Fumus, ignis index. 679. C.
Funiculus clementiae figura. 107. E.
Fures myſtici, qui? 15. G.
Futura contingentia, cui nota? 116. B.

G

GAlea ſalutis. 221. C.
Gaudia huius vitae, vana, & fallacia. 68. C. 90. A. 194. B. 196. C. meliora, unde? 114. G. 140. E. Domus Dei, quae? 122. B.
Gaudium, quid? 529. F. aeternum, & eius vis. 41. B. Coelitum ex poenitentia peccatoris. 233. C.
Generatio Adae. 190. C. quae caſta, & pulchra? 70. F. 97. H. 101. F.
Generoſitas, & eius effectus. 263. G.
Gens Sancta, & electa. 74. F. 85. C. 88. D. 109. C. 115. A. quae Deos alienos non adoraverit? 83. A. quae adulterii neſcia? 88. D. quae rebellis, & obdurata? 51. A. quae ſine conſilio, & prudentia? 78. E.
Gentiles, & eorum doctrina. 7. E. Relligio. 44. F. lex interna. 254. D.
Genua debilia, quî roboranda? 82. A. cui flectenda? 120. E.
Genus humanum, & eius Redemtio. 67. A. 699. C.
S. Gertrudis Virgo, & eius in Deum amor. 39. G. 334. D. 386. F.
Gigantes aedificatores Babylonis. 51. B.
Gladium, cur ſuper femur? 5. F. Gladium Spiritus. 202. C. 221. C. Irae Dei. 48. G.

Gloria, quid? 127. C. unde? 128. A. quî paretur? 17. D. & quando inculpate? 127. F. mundi vana inconſtans, & contemnenda. 13. C. 130. F. 131. A. 133. C. 252. B. eius adpetitus effectus. 130. G. Servorum Chriſti, quae? 69. A. & eius diſcipulorum? 72. E. aeterna, & quibus parata? 51. C. eius utilis meditatio. 131. G.
Gloriatio, quae bona? 38. E. quibus permiſſa? 391. B.
Gnome, quae virtus? 540. E.
Goliath, quis? 264. G. eius mors. 391. E. 724. F.
Graeci, ſapientia clari. 128. B. eorum Duces, & Imperatores. 5. B. 128. F. 129. A. Academia reprobata. 65. A. & memoria perdita. 66. B. quid de illis in iudicio? 49. A.
Graecia, quae ante ſchiſma? 404. C.
Gradus in Eccleſia diſtincti. 43. E.
Gratia Dei, quid? 215. C. 238. B. C. 301. E. 679. C. quae gratum faciens? 111. F. 116. A. 431. A. eius dignitas, ſplendor, figurae, & encomia varia. 12. G. 35. F. 192. F. 197. G. 198. B. 215. B. 253. A. ſuavitas. 89. A. & divinitatis participatio. 215. C. ſtatus. 12. F. 240. F. 238. B. effectus. 36. E. 83. E. 84. D. 86. C. 87 F. 97. E. 258. C. 679. C. mutationes admirabiles. 119. B. 122. C. comites. 238. C. conſervationis modus, & augmentum. 42. F. cum peccato mortali diſcordia. 240. F. 330. C. charactere Sacramentorum nobilior. 679. C. an ſine illa pax? 402. C. Gratia Redemtionis, invicta. 114. E. actualis quae? & eius virtus. 81. E. 88. G. 99. G. 109. G. 120. H. 122. C. 123. C. 276. B. 412. C. eius oblectamenta. 656. E. praeveniens. 233. F. quî ei cooperandum? 271. F.
Gratia gratis data, quae, & quotuplex? 42. B. 116. A. C. 431. A. 556. A. 671. F. quibus detur? 555. H. an etiam peccatoribus? 42. B. 555. H. 580. G. Gratia Sapientiae, & Scientiae. 556. A. B. Fidei. ibid. B. Miraculorum. ibid. C. Sanitatum. 116. B. 556 C. Prophetiae, & Diſcretionis Spirituum. 556. D. Linguarum. 75. F. 556. E.
Gratia carnis, & mundi, fallax. 5. E. 87. D. 464. G. eius effectus. 87. D. Principum, quanti facienda? 215. E.
Gratia corporalis, quid, & unde? 296. B. amabilis dicta, & radius Divinitatis. ibid. C.
Gratiarum actio, quid? 508. A. 573. H. eius formula. 509. B. 719. A. quae poſt Communionem? 44. B.
Gratioſus, quis? 296. B.
Gratitudo, quae virtus? 538. E. 541. C. 543. C. ſacrificium dicta. 103. B. eius effectus. 102. G. praeceptum. 17. A. modus. 231. E. quibus debita? 103. B. 231. C.
Gravitas ſuperbiae finitima. 407. H.
S. Gregorius Papa, & Doctor. 38. F. eius ſapientia, & doctrina. 100. E. 128. C. humilitas. 100. E. 260. E. honorum contemtus. 129. A. ſolitariae vitae amor. 253. H. podagrae morbus. 602. B. de amore divitiarum ſententia. 137. G.
S. Gregorius Nazianzenus Doctor. 38. F.
S. Gregorius Nyſſenus Doctor. 38. F.
Grex Chriſti puſillus. 6. H. 71. E. 99. E.
Gubernatores Provinciarum Chriſtiano viro inferiores. 13. E.
Gula, quae paſſio? & eius effectus. 267. C. 698. C. Spiritus inimica. 103. F.
Guloſi, ventris idololatrae. 85. E. 267. F.
Guſtus, & eius mortificatio praecepta. 168. F. 267. H. ſpiritualis, & de eo Monitum utile. 518. G. in qua parte voluntatis habeatur? 560. C.

H

HAereditas Adae, quae? 79. E. 84. E. 85. B. 163. A. Novi Teſtamenti. 67. A. Sanctorum, quae, & quanta? 14. C. 16. A. 22. D. 32. C. 101. F. 217. F. Fortium, quae? 13. D.
Habitatores Terae Cham. 80. D.
Habitus gratiae, quid? 238. B. Habitus vitioſi, unde? 713. D. an maneant culpa dimiſſa? ibid. eius abolitio praecepta. ibid. F.
Hebraei, eorum ſapientia. 128. B. eorum fortes. 128. F. cur muſica inſtrumenta in captivitatem tulerint? 380. C.
Heli, eiuſque inutilis manſuetudo. 710. C.
Henoch iuſtus translatus. 36. C.
Hermaphroditus, an Sacramenti Ordinis capax? 684. H.
Hermon mons, & eius ſignificatio. 313. B.
Herodes in exemplum adductus. 152. A. eius turbatio in Natali Chriſti. 280. B. cur vermibus conſumtus? 692. H. aeternum damnatus. 152. A.
Heroes, qui? 442. A.
Heſebon, eius aquae quomodo fluant? 66. A. 449. B.
S. Hieronymus Doctor. 38. F. eius ſapientia. 128. C. auſteritas. 590. H. ſolitudinis ſtudium, & cur? 253. H. quomodo in ariditate ſpiritus ſe geſſerit? 326. B.
Hierotheus, quid propugnarit? 342. A.
S. Hilarion, eius iuſtitia, quae? 47. C. 593. H. eius exemplum in extremo conflictu. 47. C.
Hiperdulia, quae virtus? 543. A.
Hiſtoria cuiuſdam militis, amore Divino interempti. 438. H.
Hiſtoriae SS. Martyrum, earumque commendata lectio. 15. B. 17. E. 20. F.
Hoedi, quid in iudicio finali? 48. F.
Holocauſta medullata, quae? 341. D.
Holochauſtum Veteris Teſtamenti, quid? 358. D. Novi, quid? 96. A.
Holofernes, quis homo? 313. C. cuius figura? 295. A. 618. H. Foeminae mancipium. 295. A. inſanus. 366. G.
Homerus. 65. C.
Homines Coeleſtes apud veteres, qui? 366. B. ſimplices, quî mundum vicerint? 66. B. ſpirituales, quid in proximum praeſtent? 169. H. eorum nomina, ubi ſcripta? 219. C. temperantes facti. 117. F. G. vaſa irae, qui dicti? 34. E. generatio adultera, & incredula. 270. C. factis negantes Deum. 66. D. mali, & eorum infelicitas. 41. F. cur magno honore habiti? 130. F. quî ſe habeant ad Scholam Chriſti? 5. C. 71. C. 152. E. qui male Evangelium interpretrentur? 41. A. eorum negligentia in Sacramento Poenitentiae. 44. A. 55. G. qui magis peccent? 125. C. qui damnentur? 57. E.
Homo, quid? 335. F. 695. H. a quo creatus? 29. A. 232. D. & ex quo? 20. E. 523. G. 589. H. 696. A. cur, & quis eius finis ultimus. 113. B. 214. F. 251. C. 265. C. 505. A. & quale eius bonum? 139. F. cur rectus? 22. A. 83. C. 450. D. ad cuius imaginem? 215. G. quam Deo, & Angelis cognatus? 523. A. 694. G. 696. D. ubi poſitus? 83. C. 390. B. unde eiectus? 83. D. quae, & quot eius partes, & vires? 410. F. 529. C. D. E. 579. D. 580. A. B. 696. A. quid eius voluntas? 270. G. quid mens? 130. H. quae ſcientia, & ſciendi cupido? 83. E. 112. D. 163. F. quod eius adiutorium. 29. A. ſociale animal. 411. G. 537. B. 539. C. per quid amabilis? 530. F. eius duplex vitae genus. 697. B. cur, & qumodo deformatus? 83. E. cur dono intellectus privatus? 111. A. & voluntate rationi rebellis. 9. E. & ſenſu. 344. B. & perceptione Divinorum 71. G. 240. F. equo adſimilatus. 83. D. E. & flori Cadenti. 219. B. & pulveri. 34. E. factus advena, & peregrinus ſuper terram. 6. C. 46. H. 214. G. 216. B. 597. A. & vere viator dictus. 332. F. luteas culturus domos. 74. C. animali cibo paſtus. 83. D. miſera haereditate donatus. 83. E. 263. F. vita brevis. 6. B. 13. D. 46. E. 141. E. 197. B. 219. C. 467. A. & inconſtans. 81. B. 260. A. 344. A. & ſuo incertus fine. 588. G. quin poſt ortum

tum ſtatim moriturus. 588. A. turpi ſervituti ſubiectus. 55. B. C. 218. H. 278. F. vere vanitas dictus. 9. B. 11. C. 34. E. & claudus. 217. G. 219. C. infirmus prorſus, & imbecillis. 34. E. 98. B. 110. A. 260. A. 628. G. 696. A. 725. A. 728. G. inſipiens, & excaecatus. 4. D. E. 6. F. 40. G. 42. E. 44. A. 46. F. 73. F. 96. E. 202. A 219. C. 249. D. 597. B 598. A. 620 D. ſtultus, & demens. 4. C. 5. B. 9. C. E. 10. G. 12. B. 46. E. 55. E. 131. D. 136. B. 151. G 201. E. 203. B. 249. C. 294. H. 305. A. pluribus erroribus obnoxius. 6. F. 8 B. 67. G 74. D. 78. A. 112. E. 152. B. 213. A. 279. D 305. A. 365. A. 373. H 402. A. 587. A 593. G. vane plerumque excuſatis. 148 F. 149 A mendax, & incertus conſiliis. 4. E. 28. B. 30 E. 37. H. 41. A. 84. F. 213. A. futiles magiſtros quaeritans. 66. C. G. inanibus ſtudiis, & duris laboribus traditus. 66. C. 67. A. 70 B 73. A. F 130. A. 404. A. ſeipſum diligens. 21. B & ſibi blandiens. 11. E. 40. G. 83. E. 118. G. ad malum pronus. 260. B. 337. B. 390. A. & omni peccato expoſitus. 45. C. ſane miſer, & infelix. 34. E. 45 H. 154. A. 158 E. 216. G 217. F. 270 B. 355. F. 448. A. innumeris vitiis deditus. 4 B 11. E. 45. B. 202. G. 260. A. a Deo averſus. 5. B. 598. A. durus corde, & immitis. 8 G. 40 G. 46. F. 200. C 205. A. 283. D. 297. B. & ingratus Deo, & amicis. 10. E. 33. E. 35. B. 201. F. 234. F. 266. G. 305. B 622. B. impatiens, & inflatus. 5. D. 34. C. 69. A. 80. E. 99. B. 154. B. 408. F. vanus, & ambitioſus. 100. D. 130. B. G. 131. A. C. E F. 150 G 160 F. 164. G. 211. A. 260. B. auri cupidus, & inſatiabilis. 40. F. 101. A. 134. A. 135. G. 149. G. 260. A. impudens, & intemperans. 11. E 86. G. 87 D. E. 260. B. 299. D. hominibus, magis quam Deo ſe fidens. 46. F. 69. E. 80. A. 86. B. 120. E. & ideo pluries maledictus adpellatus: 9. B. Dei iudicii immemor. 40. G. 86. G. & nihilominus ad eius Tribunal vocandus. 55. A.

Homo peccator. 34. E. 196. C. 469. C. 475. B. 696. E. quem finem ſibi praeſtituat? 233. A. an in omni genere tentetur? 525. E. a peccato lethifero vix nullus immunis. 594. G exuendus. 13. E. 17. A. etſi parte inferiori repugnante. 217. E. & quo modo Deo reconciliandus? 55. A. qui ex ſe peccato ſolvendo eſt impos. 699. B. & ſine Dei auxilio nihil poteſt. 4 G. niſi Chriſti redemptione, & vocatione iuvetur. 55. B. 215. G. 232. D. 457 E. quis eius gratia exornati ſtatus? 191. F & cui comparatus? 238. B. iam Divinae conſors factus naturae. 238. B. E. quî peccati remiſſioni cooperari debeat? 699. F. praeſertim intima cordis contritione? 229. A. & operibus, & facultatibus totus reformari? 258. C. 410. D. non tamen extra Scholam Chriſti. 119. A. quid iam quaerere, & amare debeat? 41. B. 159. D. & Divina in eum beneficia ſaepe recolere? 55. B C. 200. A. 270. C. 358. B. & Coeleſti Pane ſaepe refici? 55. B. 158. G. & externe etiam ſe ad virtutem componere? 394. A. moleſtias vitae aequanimiter ferre? 154. A. quamquam ſeverius a Deo probatus. 131. C. 689. A. ſed lectione ſacrorum Librorum delectatus. 66. C. proximum quoque ex corde diligere? 337. D. his enim operibus ſpiritualis homo ab animali ſecernitur. 569. F. & Coeleſtis efficitur. 20. E. etſi neſciat utrum amore, an odio dignus ſit? 623. H. & incerta maneat ſua iuſtitia. 94. A.

Honeſtas, quid? 296 B. 544. D.

Honor, quid? 127. C. E. cui comparatus? 129. C. eius a laude, fama, & gloria diſcrimen. 127. C. verus, quanti aeſtimandus? 127. G. 131. B. 132. F. quando inculpate quaeratur? 127. F. G. 130. D. & quis eius rectus uſus? 129. C. D. H. & bona comparatio? 128. A. 132. D. ſi tamen merita non excedens. 129. D. F. an lege Divina prohibitus? 126. E. mutationi, & vanitati plerumque obnoxius. 130. E & ad peccatum incitamentum. 126. H. 129. B. & ideo parvi pendendus. 130. E. cui vere tribuendus? 127. E.

Honores mundi, quid? 51. D. declinandi. 19. C. militiae, quibus apud Barbaros tribuantur? 127. B. ab Eccleſia, quibus decreti? 129. A.

S. Honufrius, eiuſque vitae auſteritas. 590. H.

Hora iudicii, incerta. 42. C. & mortis. 45. H.

Horatius, eius teſtimonia. 309. D. 364. C. 367. G. 376. B.

Horeb, mons Dei dictus. 347. B.

Horti, eorum amoenitas quid boni, vel mali habeat? 3. B. 51. D. 219. E. 298. H.

Hoſtes Animae viſibiles, & inviſibiles. 93. E. 125. C. 194. A. quibus occurrant? 115. B. cum eis luctandum. 221. A. Chriſti, & eius Scholae. 49. A. 78. G.

Hoſtia pro peccato, quae? 358. B. 359. F. pro gratiarum actione. 358. A. 359. F. pacifica. 358. C. 359. F.

S. Hugo, eius orationis locus. 575. F.

Humanitas Chriſti, formoſa. 218. B Arca Dei dicta. 6. D. V. *Chriſtus*.

Humiles, & eorum familia, quae? 100. F. etiam a peccatoribus dilecti. ibid. pleni ſapientia. 260. E. eorum merces, & gloria, quae, & quando? 49. A. C. F. 214. C. 260. G.

Humilitas, quae virtus? 259. G. unde orta? 102. G. amoris Divini ſignum 333. A. miſericordiae comes. 716. B. tentationis remedium. 525. F. ad Deum conciliandum parata via. 319. B. & ad Chriſti perfectionem comparandam. 549. F. iuſtorum nota. 259. G. eius ſuavitas. 110. F. & honeſtas. 260 C. vis. 100. F. G. & effectus. 34. G 100. F. ſedes. 545. B. ſchola. 100. C. praeceptum. 17. A. 34. E. 41. A. 47. A. 259. G. 260. C. F. 318. A. 321. E. ſigna externa apud veteres. 319. C. gradus. 333. A. 545. C. perfectio. 259. G. actus, & exercitii modus. 21. C. 34. F. 333. A. 614. H. merces. 260. H.

Hyems, inquieta. 121. C.

Hypocriſis. 131. B.

Hypocritae, quo modo Eleemoſynam faciant? 716. B.

I

IAcob Patriarcha, & eius poſteritas, quae? 12. B. Iſrael cur adpellatus? 277. H. 482. H. & amicus Dei. 237. G. & eius fortiſſimus luctator. 219. G. 277. H, 390. E. eius luctae praemium. 312. E. eius Tabernacula pulchra. 222. A. eius pro Rachele ſervitus. 312. E. 371. F. 678. F. praeclarum coniugatis exemplum. 29. C.

Iactantia fugienda. 7. C.

Iacula morientium. 46. C.

Iaculatoriae Orationes, & earum fructus. 161. A. uſus 336. D. 392. C. E. 634. C.

Idola mundi, quae? 72. B. 202. C. 311. A. 648. B. abiicienda. 12. F. 66. D. 211. A.

Idumaei, & eorum crudelitas. 381. G.

Iebuſaei, cur in terra promiſſionis relicti. 13. E.

Ieiunium commendatum. 713. A. vanus eius timor. 85. F. quadrageſimale, & eius inſtitutionis finis. 589. G.

Ieremias Propheta, & eius perſequutiones. 36. F. cuius typus? ibid. eius in Deum amor. 328. F.

Ieroſolymitani, & eorum ſtatus poſt adventum Chaldeorum. 238. G.

Ieruſalem Coeleſtis, primogenita Eccleſia dicta. 9. E. 12. C. 78. F. 96. B. 204. E. & mater noſtra. 109. G. 205. C. & patria noſtra. 52. G. 88. E. 214. G. 339. F. & Regio viventium. 272. B. civitas, & quae? 104. G. 273. G. 294. A. 380. A. & Civitas Dei vivi. 72. E. 90. E. 193. D. 221. E. 267. B. 466. F. quî aedificata? 26. H. 27. A. 39. A. 51. B. 75. B. 110. A. Chriſti Sponſa. 43. A. 67. E. 104. A. 113. A. 115. F. 118. E. 204. B. 205. C. 206. F. 278. A. cui

adſi-

adſimilata? 242. G. ubi ejus regnum? 102. B. eius ſplendor, & pulchritudo. 211. A. 133. B. & felicitas. 257. C. & vita, & mores. 10. H. qua via adeunda? 211. E. 286. G. quî eius ruinae reficiendae? 40. E.
Ieſu, Nomen ſuaviſſimum, quando repetendum? 60. A. 316. A.
Ieſus Chriſtus ſecundus Adam dictus. 163. C. & Salomon. 166. B. vere noſter Dominus. 170. A. & clementiſſimus. 57. G. V. *Chriſtus*.
S. Ignatius Martyr. 104. E.
S. Ignatius Loyola, ſuorum memoria peccatorum frequens. 717. B. quomodo riſum domuerit? 729. C.
Ignavia, fugienda. 157. B.
Ignis luxuriae, ubi ardeat? 87. F.
Ignorantes inſtruendi. 20. A. 33. A.
Ignorantia, unde? 568. A.
Imaginatio, quid? 163. B. eius inconſtantia, 218. A. quomodo reformanda? 164 H.
Imaginationes pugnantes cohibendae. 18. A.
Imago mortis inſtantis, quid? & eius effectus. 47. F. 403. A.
Imitatores Chriſti, qui? 7. G. V. *Iuſti. Iuſtus*.
Immodeſtia, eiuſque damna. 167. E. F.
Immunditia cavenda. 39. G.
Imperatores, quid cum Deo comparati? 230. F. felices, qui? 142. F. mali. 49. A. Ethnici, & eorum furor in Martyres. 128. E. Chaldaeorum, Graecorum, Perſarum, Romanorum. 129. A.
Imperfecti Chriſtiani, ſolatium quaerunt. 19. A.
Imperfectiones virtutum vitandae. 13. A. 272. B. earum poena. 323. E.
Imperia mundi, quid comparatione gloriae aeternae? 51. D.
Imperium, apud Barbaros. 127. B. Aſſyriorum, & Romanorum, cur exturbatum. 698. F.
Impii, & eorum delicta examinanda. 48. E. eorum mendacia. 67. B. & ſtultitia. 646. C. & pavida conſcientia. 79. A. 258. G. pace orbati. 50. D. 140. G. 401. C. ab aeterna haereditate excluſi. 10. A. quo modo in iudicio plectendi? 647. E.
Impius, & eius vita. 192. A. ſui oſor. 193. E. iracundus. 50. D. eius cibus. 697. B.
Impoenitentes, quando a Deo viſitandi? 48. F.
Impreſſiones intellectus. 562. A. V. *Intellectus*.
Inanis gloria, eiuſque periculum. 132. E. eius monumenta. 131. F. 132. H.
Incantationes amatoriae. 331. D.
Incantatores, vitandi. 30. G.
Iacarnatio Divini Verbi, eiuſque myſterium. 160. E. 279. G. V. *Chriſtus*.
Incipientes vitae ſpirtualis, qui? 427. G. quomodo adpellati? 81. C. 91 E. 293. G. eorum ſtatus, & officia. 428. A. F. exercitia. 77. A. 546. F. 547. F. ſtudium. 87. A. 546. D. 547. E. paſſiones, & vitia, & qualis de iis ſenſus? 76. C. 228. B. pigritia vexati. 88. A. concupiſſcentia, & famis ſenſu. 118. A. cupiditate, & qua? 121. H. timore. 82. A. eorum error. 512. G. tentationes. 548. D. pugnae internae. 76. C. D. contra iram, eiuſque effectus. 86. H. & ſeq. contra gulam. 85. H. ſuggeſtiones diverſae. 90. A. quae carnis, & mundi? ibid. quae Fidei? ibid. eorum amor in Deum, qualis? 91. E. 113. G. 293. G. 322. A. 427. G. 428. E. 548. A. obedientia. 97. E. conſolationes, & deliciae ſpirituales. 97. A. 141. A. 236. F. 253. C. 320. E. 374. A. 438. A. 548. E. eorum cura quae? 725. G.
Inclinatio, & eius vis. 617. G.
Inconſtantia, & eius effectus. 16. E. 76. G. 81. B.
Incontinentes non habent locum in Regno. 12. A. quid ſentiant de caſtis ſervis Dei? 69. A.
Indigentes ſubveniendi. 33. A. V. *Miſericordia. Pauperes*.
Indumenta pretioſa ſpernenda. 7. A.
Inertia vitanda. 276. D.
Infantia Chriſti, & eius myſteria. 201. H.
Infernus, eiuſque tormenta timenda. 11. G. & cogitanda. 46. F. quî dictus? 83. B. 197. G. cur creatus? 47. E. quo modo os ſuum dilatavit? 36. B. 151. C. quibus repleatur animabus? 51. B.
Infideles, eorumque ſacrificia. 274. H.
Infirmi, & eorum cura. 28. E. quid a Medicis petant? 54. D. quid agere, dum Extrema Unctione muniuntur? 56. F.
Infirmitas, quomodo toleranda? 17. F. eius effectus. 17. G.
Infelices, qui? 12. F. 49. H. 71. G. 122. A.
Inferiores, quî habendi? 270. G.
Infinitum, & eius natura. 303. B.
Infortunia, & eorum origo, & effectus. 9. F. 698. F.
Ingenia diſcordia, quid efficiant? 404. C.
Inhaeſio myſtica, quid. 377. E. eius cauſſa. 377. C. 439. B. 530. G.
Inimici, quomodo diligendi? 33. A. 236. A. 405. A. 413. G. Chriſti, & eorum caecitas, & malitia. 280. H. 281. E. quando confundendi? 49. A. Noſtri, viſibiles, & inviſibiles, 44. E. ubi habitent? 90. F.
Inimicus capitalis Divinae Caritatis, qui? 76. F.
Iniquitas non habet locum in Regno Coelorum. 12. A. eius vinculum, quo modo ſolvendum? 94. A.
Iniuria gravis, quae? 232. C. 618. F.
Iniuſti, & eorum finis. 12. B. quae conſcientia? 47. E. duplex mors. 197. B. aeternum ſuupplicium. 40. E.
Iniuſtitia, intollerabile peccatum. 278. B.
Inluſtratio intellectus, fructus Crucis. 41. E.
Innocentes, & eorum defenſio commendata. 27. G.
Innocentia, pretioſa. 217. D.
Inopes, & eorum opera. 134. D. & mors. 138. A.
Inopia, divitiis praeferenda. 137. B 138. B.
Inſipientes excaecati. 78. E.
Inſpiratio Divina, quid? 87. A. 359. E. a quo, & cur immiſſa? 21. A. 202. E. 211. E. 265. B. 647. C. eius effectus. 41. E. 107. C. 239. A. 562. D. & exercitium. 359. E. num brevis? 562. F quanti facienda? 520. B. & quî ei obtemperandum? 249. B. 378. H. eius neglectus damnatus. 74. C. quae ad animam arentem ſolandam? 457. B.
Inſtigatio Daemonis. 561. E.
Inſtitutor Sacramenti Ordinis, quis? 685. E.
Inſtructio ignorantum praecepta. 20. A.
Inſtrumenta corporalis mortificationis, quî dicta? 14. A. ſalutis aeternae quae? 15. F. gaudiorum, quae? 79. C.
Intellectus, quî dictus? 429. C. 433. A. quotuplex? 549. G. qualis in ſtatu iuſtitiae originalis? 409. F. eius obiectum. 163. G. 432. H. 571. B. & ſciendi cupiditas. 163. B. 218. D. 427. E. iudicium. 444. F. comitatus virtutum. 580. E. ſanitas, & aegritudo. 431. C. ignoratio Dei. 441. E. reformatio praecepta. 163. F. 164. A. 262. E. eius ſuperna inluſtratio, fructus Crucis. 41. E. ad quem gradum contemplationis Divinae attolli poſſit? 425. B. & ad Teophanias concipiendas? 426. F. quo dirigi contemplando debeat? 432. A. eius ſuſpenſio, unde? ibid. B. eius raptus. 440. B. eius actus an Theologia Myſtica? 443. G. quo modo myſticam caliginem ingrediatur? 444. A.
Intelligentia, quid? 433. B. 560. E.
Intemperantes, eorumque poena. 140. A.
Intemperantia, deteſtabilis. 126. D. 140. A.
Interpretatio Sermonum, quid, & quae gratia? 116. C. 556. E.
Inventores ſectarum. 66. E.
Invocatio ſanctorum in morte praeſertim facienda 60. D.
Invidia, quid? 85. A. 533. E. eius effectus. 408.

A. 698. C. quomodo vincenda? 85. B. non habet locum in Regno Coelorum. 12. A.
Ioab, ejus lamenta in David. 316. B. 374. A.
Iob vir ditiſſimus. 133. G. & Princeps. 230. C. eius filii. 85. D. eius amici. 318. F. & quî ab illis habitus? 329. G. quî Deum placavarint? 454. B. eius graviſſima afflictio. 328. D. & calumniarum iniqua vexatio. 329. C. quaerimoniae. 331. A. 384. E. & cautela adhibita. 596. C. fama aucta. 128. D. innocentia ſingularis. 690. G. levium culparum ingens dolor. 720. E. inſignis ad exemplum humilitas. 34. E. 630. A. divitiarum contemtus. 134. G. miſericordia, & liberalitas. 29. E. 133. G. modeſtia. 268. G. patientia invicta, & reſignatio in Deum. 35. A. 99. B. 104. B. 270. F. Spes. 374. D. Dei timor. 591. A. & amor puriſſimus. 314. G. 383. F. mortis votum. 330. D. 385. A. pax. 691. G. iuſtus a Deo iudicatus. 591. A. coniugatis exemplar. 29. C. & divitibus. 134. G.
S. Iohannes Baptiſta, eiuſque humilitas. 129. E. 333. A. & vita puriſſima. 152. A.
S. Iohannes Chryſoſtomus, Doctor, 38. F.
S. Iohannes Eleemoſynarius, eiusque exemplum. 716. B.
S. Iohannes Evangeliſta. 47. C. eius viſio. 40. A. Continentia. 138. H. dilectionis frequens exhortatio. 285. C. quid a Chriſto moriente meruerit? 351. G.
S. Iohannes Gualbertus. 415. G.
VEN. IOHANNES A IESU MARIA, horum Operum Auctor, eius de ſpiritualibus conſolationibus petendis ſingularis ſententia. 317. F.
Ionathas, eius erga Davidem amor. 92. C. 297. A. 367. F. 500. F.
Iordanis, & eius aqua. 300. H.
Ioſeph filius Iacob, & eius hiſtoria. 236. C. qualis in fratres? 320. F. 376. G. 518. A. & quid ab eo illi timuerint? 236. C. a Pharaone honore habitus. 128. B. 450. E. eius in Aegypto potentia. 657. C. & gratia mirabilis. 296. E.
S. Ioſeph, Beatae Virginis Sponſus. 477. E. Familiae Dei Praepoſitus. 476. G. 477. C. Filius David. 476. F. Dei cuſtos. 476. G. Martyr, & quomodo? 478. E. prudentiae Magiſter. 479. A. Tutor, & amicus noſter. 481. E. F. eius Divinae Affectiones recogitandae. 476. F. & ſeqq.
Ioſue, & eius fortitudo. 109. F. & victoria inſignis. 137. A. oratio. 578. F.
Ira, & eius natura. 529. H. 536. F. cauſſae. 536. G. quotuplex? 536. G. eius filiae. 82. B. effectus. 82. B. 86. G. 120. E. 195. B. 537. A. qui in facie? 393. G. qui in corpore? 698. C. odii incitamentum. 393. G. belli, & diſcordiae mater. 408. F. eius exempla horribilia. 86. G. compeſcenda, & expugnanda, & quomodo? 14. A. 261. A. B. F. 318. F. 408. F. eius remedia. 537. B. & bonus iuſtis uſus. 120. G. quando laudabilis? 82. E.
Ira Dei, & eius effectus. 34. E. comparatio. 49. A. poteſtas. 86. G. quibus parata? 49. A.
Iracundi excluſi a Regno Coelorum. 12. A.
Iracundia, & eius exempla. 86. G.
Iraſcibilis, quibus virtutibus inſtructa? 580. F.
Iſaac Dei amicus. 237. G. coniugatis exemplum. 29. C.
Iſaias Propheta, eiuſque amor in Deum. 36. F. 334. D. viſio. 275. D. Scripta. 312. G.
Isboſeth, cur ab hoſtibus occiſus? 718. B.
Iſmael, Iſaac inimicus. 350. G. eius luctus exauditus. 457. F.
Iſſachar, quis, & quomodo adpellatus? 103. G. 403. F. 489. G.
Iter aeternitatis, quale? 17. F.
Iubilaeum. 712. A.
Iudaei, & eorum captivitas. 324. H. Chriſti inimici. 85. A.
Iudas, & eius tranſmigratio. 79. A.
Iudas Iſcariotes, eiuſque proditio. 99. G. 205. G. eius avaritiae effectus. 86. F. cordis duritia. 414. E. ad poenitentiam revocatio. 233. G. reprobatio. 194. F. infelix mors. 86. F. 194. F. 588. H.
Iudex bonus, & eius deſcriptio. 28. B. C. officia. 28. B. & æquitas. 391. A. & merces. 28. E. compromiſſarius, quis? 416. C. noſter, quis? 28. E. 636. E.
Iudices, & eorum notae. 107. C. qui crudeles? 107. F. eorum abuſus. 274. C. quando graviter peccent? 632. G. monita ad illos. 180. C. a quo omnes iudicabuntur? 28. E.
Iudicium Dei extremum quale? 42. D. duplex, & quod? 707. D. univerſale, & eius locus, & ſolemnitas 40. E. 48. F. G. 649. E. particulare. 636. E. bonis, & malis indictum. 48. E. quid in eo diſcutiendum? ibid. qui teſtes? 709. E. iuſtum. 50. E. 66. E. occultum. 645. G. timendum. 46. F. 137. G. 601. D. 644. D. maxime peccatoribus. 272. C. cum humano minime comparandum 97. D. moribundo exhibendum. 47. E.
Iudicium proprium, reprobatum. 42. G. 164. D.
Iudith. 40. B. eius pulchritudo. 313. C. 655. C. Oratio. 578. F.
Iugum Chriſti ſuave, & eius effectus. 11. G. 190. B. 194. B. 213. A. 215. A. 245. H. quomodo ferendum? 52. F. 153. A. & eius praemium. 209. A. Iugum monaſticae diſciplinae. 21. F.
Iuriſdictio, quid? 685. C.
Iuriſprudentia. 67. F.
Iuſti, eorum congregatio. 89. D. 97. F. 104. G. 117. E. 273. G. 489. A. Filii, & amici Dei adpellati. 36. A. 96. G. 114. F. 132. B. 198. E. 643. A. & Reges, & Domini. 41. E. 150. D. membra Chriſti, & eius ſectatores. 47. A. 193. C. & eorum haereditas, & adquiſitio. 36. B. 49. C. & eorum gloria. 94. F. & Nazarei. ibid. H. Filii Sion. 211. B. eorum variae figurae, & ſimilitudines. 72. G. 95. A. 99. D. 110. E. 122. G. 123. A. 259. A. & nomina ubi ſcripta? 95. E. 119. B. 122. H. 132. A. 286. H. eorum Sponſus Chriſtus. 94. E. & ab eo dilecti, roborati, & refecti. 73. G. 90. D. 106. F. 110. F. 114. C. F. 123. C. 235. G. 729. F. & ab eo varie probati, ac tentati. 16. C. 17. E. 18. A. 30. F. 34. H. 77. B. 85. G. 94. D. 95. F. 96. F. 99. A. 100. A. 104. B. C. D. E. 106. C. 107. H. 119. C. 122. E. 133. B. 254. C. 264. E. 265. A. 270. D. 271. E. 277. F. 313. F. 333. B. 391. A. eorum vita quae? 94. F. 117. H. 122. F. 601. B. & quae exercitia? 47. A. progreſſus in Schola Chriſti 105. B. 108. A. cur paſſionibus obnoxii, & quî iis utantur? 167. A. quomodo deſiderio? 84. C. 120. G. quomodo ſpe? 6. B. 120. G. 123. D. quomodo odio, & abominatione? 120. G. & timore, & quis, & quando eorum timor? 117. E. 120. G. 593. G. 646. A. quomodo triſtitia? 120. G. quomodo laetitia? 120. G. ira, & audacia? ibid. quomodo deſperatione? ibid. quî virtutes exerceant? 114. F. 275. F. eorum fides. 17. H. 96. F. 391. A. Relligio in Deum. 275. B. oratio, & meditatio Divinorum. 46. G. 96. B. 97. B. 108. A. 120. B. 204. C. ſtudium Praeſentiae Dei. 111. A. 119. C. Sacramentorum frequentia. 47. A. caritas. 75. C. 120. G. 169. G. 714. H. prudentia. 102. C. 106. C. 150. C. 163. C. iuſtitia. 99. B. temperantia. 94. F. fortitudo. 95. A. C. D. E. 96. F. 106, C. 117. E. 119. E. 163. C. 274. B. 277. E. humilitas, & honorum contemtus. 60. B. 95. A. 100. E. 121. F. 129. H. 132. E. modeſtia. 6. G. 35. H. 94. E. 95. F. 104. G. 116. G. 117. E. 171. C. mortificatio. 94. F. 117. G. 118. E. 314. G. patientia. 99. B. E. 228. G. 258. B. 270. E. miſericordia. 101. A. B. 108. F. 274. F. legum obſervantia, & diligentia. 47. A. 74. B. 89. E. 94. F. 98. A. 106. C. 108. A. 121. G. 150. E. 250. C. 277. A. 601. F. aemulatio. 30. G. 47. A. 110. H. votum & deſiderium

rium. 41. C. 90. E. 108. A. 117. E. 123. E. 588. G. ſcientia & ſapientia. 15. E. 38. D. 89. E. 107. H. 121. G. pax, & unanimitas. 99. A. 108. A. 140. B. 254. E. 257. G. 258. E. gaudium, & exultatio. 86. E. 102. G. 104. E. 115. C. 636. C. 643. H. eorum tabernacula, & habitatio. 96. F. 97. A. 99. C. 107. B. 389. E. cibus, & potus ſpiritualis. 34. H. 117. G. privilegia. 103. H. 193. B. theſauri. 253. A. laus. 49. C. 131. G. 132. A. omnia illis in bonum cooperantur. 29. E. 89. A. 217. E. 677. A. quandoque tepidi. 148. E. & invidi. 85. A. eorum mors felix. 41. C. 47. E. G. 48. A. C. 95. A. 107. G. 123. B. C. D. F. 154. E. 210. A. 258. H. 259. A. 350. A. 454. E. 589. A. 594. A. 643. A. B. C. E. 644. B. corona, & quies ſempiterna. 10. B. 12. A. 16. E. 31. A. 37. A. 40. E. 41. C. 49. C. 87. H. 97. B. 99. E. 121. A. 131. H. 132. A. 133. B. 141. D. 196. E. 250. E. 391. A. 647. G. 648. A.
Iuſtificatio peccatoris, omnino gratuita. 212. A. 699. H. 700. A. B.
Iuſtificationes Domini cantabiles. 82. F.
Iuſtitia, quae virtus? 278. A. B. 539. B. 541. A. eius laus. 115. E. 278. A. originalis, quae? 409. E. 410. A. particularis, & eius partes. 541. A. B. E. commutativa. ibid. A. diſtributiva. 278. A. 541. A. vindicativa. 538. E. 541. C. legalis. 541. A. eius munia. 405. B. 538. E. 541. A. effectus. 272. F. 274. E. 591. G. cultus, & exercitia. 93. G. H. 94. B. 128. E. quibus neceſſaria? 94. B. eius augmentum. 45. G. eius perfectio. 94. A. & corona. ibid. C. eius laeſio deteſtanda. 128. F.
Iuſtitia Dei, quae? 140. F. 150. E. 216. A. 272. F.
Iuſtitiae etiam, a Deo iudicandae. 645. B.
Iuſtus, & eius a peccatore diſcrimen. 40. C. D. eius anima quî ornata? 215. C. eius iuſtitia. 40. C. ad quid praedeſtinatus? 643. A. quomodo derelictus? 69. C. quoties in die cadat? 15. D. divitiae ei occaſio virtutis. 29. E. ſanctis copulatus. 193. C. mortis, & Inferni domitor. 251. C. & quomodo aeque ac peccator mori dicatur? 40. D. an vere finem habeat? 335. D. quomodo dictum, *vix ſalvabitur?* 59. G. 151. D. V. *Iuſti.*
Iuvenalis. 402. B. 408. D.

L

LAbor conſolatione plenus, qualis? 13. E. ſectatorum Chriſti. 81. C. G. merces ei repoſita. 21. D. 103. F.
Lac Sponſi Divini deſiderabile ſuper vinum. 18. E.
Lacedemones. 126. E. 127. A.
Lachrymae, earumque fructus. 245. H. quando temperandae? ibid. B.
Laetitia vera, quae? 66. E. 254. H. quae caſta? 99. C. interna, & externa. 140. F. bonae conſcientiae, & iuſtorum. 41. D. 120. G. 199. A. mundi. 199. A. 206. A.
Languor Spiritus, & Divinae caritatis, eiuſque effectus. 88. C. 439. D. eius cauſſa. 387. D. excutiendus. 90. E.
Lapides vivi, myſtice. 4. B. 51. C.
Lavacrum poenitentiae. 83. E.
S. Laurentius Martyr. 37. F. 575. F.
Laus, quid? eius cauſſa, & effectus 127. C. 128. A. 131. G. quid apud Deum? 131. F. quid apud homines? 132. F. propria, aegritudo animi. 130. B.
Lautitia Regis Babylonis. 7. E.
Latria, quis cultus? 274. G.
Latro cum Chriſto Cruci adfixus, eiuſque poenitentia. 191. A. 233. F. miſericordia ei donata. 351. G.
Lazarus, eiuſque inopia commendata, & remunerata. 49. F. 137. B.
Lazarus a Chriſto vocatus. 203. E. eius a morte excitatio. 240. B. 281. B. 297. A.
Lectio pia eiuſque utilitas. 15. A. B. C. 271. G. 336. A. ad meditationem quid conferat? eiuſque modus, & ratio. 507. H. 508. C. 509. F. 512. C. 570. G. 571. F. Sacrae Scripturae. 190. H. vanorum Librorum, eiuſque damna. 15. B.
Lectoratus eiuſque officium, quale? 683. C. eius materia & forma. ibid. E.
Lectus a peccatoribus Chriſto paratus. 209. F.
Lectulus Salomonis, eiuſque cuſtodia. 15. H.
Leges, earumque cuſtodia. 106. D. mundi, contemnendae. 38. D. 109. F.
Legiſlatores, Dei miniſtri. 106. B.
Lenitas, eiuſque effectus. 25. A. 107. E.
Lenones cordis, qui? 696. C.
Leo, quae bellua? eiuſque proprietates 33. E. 90. F. 194. A. 200. B. 308. G.
Lepor, quid? eiuſque efficacia. 297. E. 368. A. B. C.
Leproſi myſtice. 66. F.
Lex, quae ſequenda? 14. B. Lex naturalis, unde, & ubi impreſſa? 22. B. 292. C. Dei, eiuſque dotes, & encomia. 22. C 82. E. 103. H. 189. A. 272. C. eius obſervantia praecepta. 22. B. E. 57. G. 273. E. eius primum mandatum. 91. E. 284. B. eius plenitudo. 92. A. humanis viribus altior. 390. B. Lex Iuſtitiae Dei. 50. C. lex Novi Teſtamenti, quae? & eius encomia. 22. B. 38. C. 189. A. 254. E. 292. C. 412. B. 708. G. Chriſti, eiuſque ſuavitas. 66. E. H. Caritatis. 16. A. 220. E. Spiritus, quae? 202. D. 208. F. Membrorum, legi ſpiritus adverſa. 13. G. 208. F. 215. A. 410. E. 455. D. & Dei. 13. G. 76. C. eius effectus. 82. A. 87. F.
Libanus Mons, & eius Turris. 13. B. & myſtica ſignificatio. 313. A.
Liberalitas, quae virtus? eiuſque munia. 538. E. F. 541. C. praeceptum. 172. A. merces. 108. G. H.
Libertas filiorum Dei, quae? 101. H. 203. A.
Libri, qui legendi? 11. C. 570. H.
Lignum Crucis, quî dictum? 11. G. 209. A. vitae, ubi plantatum? 20. H. 86. A. quomodo plectendum? 76. E. 214. F. ubi floreat? 103. F.
Lingua, eiuſque cuſtodia, & diſciplina, quae? 105. E. 168. D. Amoris, eiuſque vis, & energia. 329. A. B. D. E. 384. C.
Linguae mutorum ſolutae. 96. G. earum loquendarum donum. 116. C. V. *Gratia gratis data.*
Liquefactio amoris, quid? 439. A. 550. G.
Lites, cur in mundo? 27. G.
Litterati, eorumque vanitas. 5. A. 13. E.
Locus tenebrarum, qui? 111. E.
Logica naturalis. 569. A.
Longanimitas, eius natura, & effectus. 114. H. 544. A.
Longitudo Gloriae aeternae, quibus parata? 51. C.
Loquacitas, eiuſque damna. 269. A. G.
Lorica iuſtitiae. 221. C.
Loth, & eius hoſpitalitas. 715. C.
Lucanus. 372. E.
S. Lucia Martyr. 37. F.
Lucifer Angelus, qualis in ſua creatione? 645. A. eius lapſus. 286. B. 692. H. ſuperbia. 84. A. 413. A. ſtupor. 112. C. flamma parata. 35. D.
Lucifer neſciens occaſum, quid? 214. A.
Lucta ſpiritualis. 110. A.
Luctatores, eorumque pro gloria contentio. 593. E. myſtici, & ſpirituales, eorumque merces. 19. E.
Luctus, & eius effectus. 115. E. Viarum Sion. 15. E. aeternus, ubi? 50. A.
S. Ludovicus Rex, eius ſanctitas. 40. A. 692. B. & miſericordia in pauperes. 715. G.
Lugentes, cur beati? 115. E. 555. B.
Lumen animae, quid? 13. C. oculorum, myſtice ubi? 490. A. a Deo petendum. 719. B.

Lux, tenebris adverſa. 12. A. unde? 378. F. a quibus odio habita? 12. F. quae ſole formoſior? 96. G. quae vultus, ex Damaſceno? 655. E.
Luxuria, quale vitium? 87. D. F. eius effectus. 195. B. 698. C.

M

MAchabaei, 27. E.
Madian, eius filiae, quomodo veſtitae. 349. E.
Madianitae, eorum prudentia. 107. A.
S. Maria Magdalena, peccatrix dicta 88. H. Sponſa Chriſti adpellata, eiuſque laudes. 88. G. H. 255. H. 451. C. 497. E. eius poenitentia. 92. F. 191. A. 233. F. 496. E. 593. B timor. 297 G. 497. A. iuſtificatio. 283. F. amor erga Chriſtum. 79. B. 309. E. 325. E. 334. D. 496. B. & dolor in eius morte. 380. A. prudentia. 397. G. Epiſtola ei inſcripta. 496. & ſeqq.
Magi, eorumque ad Chriſtum natum adoratio, & munerum oblatio. 280. B. E. 614. G. 713. C.
Magiſtri, & monita ad illos. 179. & ſeq. ſaeculi, quid quaerant? 112. E. Spirituales, eorumque munia. 505. D. 525. G. Mali, qui? 203. A.
Magiſterium Chriſti ſuave. 66. B.
Magnalia terrae contemnenda. 340. C.
Magnanimitas, quae virtus? eiuſque laudes 109. D. 275. E. 543. H. rara 109. D. quale amoris ſignum? 333. E. quî adquirenda? 578. G. eius ſedes. 538. G. & corona. 109 E.
Magnificentia, quae virtus? & eius munia. 538. E. 541. C. 543. H.
Magnitudo, quî aeſtimata? 35. G.
Maieſtas Dei, quid exigat? 274. F. 321. D.
Mala poenae alacriter ſuſtinenda. 9. G. 18. E. culpae non facienda propter bona. 677. B.
Maledictio, & eius figura, & effectus. 12. B.
Malefactores, eorumque timor. 192. E. & ſupplicium. 239. G.
Malignantes, eorum ſuperbia, & vitanda concilia. 34. E.
Malum, quis pomus? 469. F. punicum eiuſque ſignificatio. 416. D.
Malum, & eius origo. 568. A. omnium ſupremum, quale? 51. A. 120. A. 125. D.
Malus in bono vincendus. 8. F.
Mandata Dei, amabilia. 82. A.
Manus Dei potentiſſima. 110. A.
Manna, eiuſque ſuavitas. 243. D.
Manſueti, & eorum haereditas. 214. C.
Manſuetudo, quae virtus? & eius munia. 261. D. E. 538. H. 545. A. eius vis, & effectus. 71. A. 115. A. 406. G. commendata, & praecepta. 8. F. 21. G. 47. A. 261. A.
Marchiones, eiſque vitae ſpiritualis data praecepta. 173. E.
Mare, quale? 18. A reptilibus plenum. ibid. magnum, & ſpatioſum, quale? 105. E. Rubrum prodigio diviſum. 14. A.
Maria Virgo Dei Genitrix. 30. F. 55. E. 656. G. eius dotes 657. F. pulchritudo. 300. B. 302. E. G. 369 H. 438. G. 454. D. 494. G. maieſtas, & dignitas. 656. A. B. 657. F. puritas. 655. G. gloria. 302. D. adpellationes diverſae 300. B. 471 C. 472. H. 473 C. E. G. 474. E. 493. G. 494. C. E. F. Regina Virginum. 493. F. & eius amor in virgines. 39. G. & in humiles. 495. F. cuius Sponſa? 479. G. culpae expers. 459. E & gratia plena. 656. F. quo modo gravida effecta? 479. A. eius in Filium amor. 664. & ſeq. Mater miſericordiae. 60. D. 495. G. 609. G. 657. G. quî a peccatore offendatur. 694. F. eius validiſſimum patrocinium. 41. F. 60. B. 266. F. 306. F. 495. A. 657. D. E. 658. C. & quî obtinendum? 306. F. 658. B. eius cultus, & qua ratione exercendus? 658. & ſeq. V. *huius tituli Tractatum*. 654. & ſeqq.
Maria Ognacenſis, & eius de levioribus culpis lachrymae. 720. F.
Martha, & eius ſollicita miniſtratio. 296. H. 297. H.
S. Martinus Martyr dictus. 38. A. eius miſericordia. 101. E. 216. E. mundi contemtus. 216. F. vita ſolitaria. 253. H. orationis locus. 575. F.
Martyres, & eorum encomium. 37. F. G. fortitudo. 37. E. 80. G. 277. F. teſtimonium fidei. 282. B. 613. D. cautio contra peccatum. 692. D. agmina. 49. D. corona. 108. A. veſtigia ſectanda. 602. G.
Martyrium, cuius virtutis actus? 543. F.
Fr. Maſſaeus Franciſcanus. 438. A.
Mater noſtra prima infelix. 347. H.
Mathuſalem, & eius aetas. 588. D.
Matrimonium, quid Sacramenti? 682. H. a quo inſtitutum? 29. A. eius materia, forma, miniſter, & effectus. 683. A.
Medi, & eorum Satrapae. 98. F. leges. 209. B. Regnum exturbatum. 698. F.
Medicus, eiuſque characteres, virtutes, & officia. 28. F. G. H. 181. E. bono parata merces. 29. A. malo parata poena. 28. H. ſpiritualis, & munus. 42. E. 54. E.
Meditatio Divinorum, eius natura, & definitio. 429. B. F. 441. B 510. B. 570. F. 571. G. eius a contemplatione diſcrimen 429. F. 550. F. eius finis. 512. E. modus, & ratio in ea ſervanda. 508. A. 572. G. & ſeq. quid ad eam imaginaginatio? 510. F. G. 511. A. B. C. quid lectio? 516. B. eius fructus, & effectus. 572. G. 600. E. eius formula, & exemplum. 508. G. 572. B. materia diverſa 11. D. 12. C. 204. C. 250. F. 464. & ſeqq. 467. G. & ſeqq. 513. E. 515. G. quibus inſuavis? 113. E.
Medulla caritatis, quae? 101. E.
Melancholia vitae ſpirituali adverſa. 79. G. 171. A.
Melchiſedech, & eius ſacrificium. 486. H.
Membra corporis, & eorum lex. 13. G. 215. B.
Memoria hominis, quae, & quotuplex? 163. B. 164. F. eius tranquillitas, unde? 41. E. quî corrigenda, & reformanda? 164. F. quae in raptu? 440. B. Memoria mortis, & Noviſſimorum commendata. 46. G. 47. B.
Mendacium fugiendum. 106. G.
Mens humana, eiuſque ſenectus. 93. D. vitiis infecta. 255. E in Deum ſaepius adtollenda. 392. E. eius exceſſus. 433. C. & ſubſpenſio. 511. E.
Menſa, & lautitia reprobata. 115. B. myſtica Domini, quae? 357. C. huius fercula. 357. C.
Mercatores, eorumque ſollicitudo. 26 G. 89. A. 277. B. cor vendentes, qui dicti? 68. B inſipientes, qui? 112. A ſalubria ad eos monita. 182. B. quid in periculo mortis? 250. G.
Mercatores Madianitae, & Sabaei. 73. F.
Mercatura, eiuſque exercitium. 68. B. an Scholae Chriſti adverſa? 98. E. ſapientiae, quae dicta? 102. F.
Merces labori reſpondens. 8. E. quae mundi? 9. C. quae confeſſorum Chriſti? 38. B.
Micheas Propheta, eiuſque praedicatio. 36 F.
Milites, & eorum praemium. 3. B. 27. F. delicati, qui? 16. D. boni, & eorum characteres. 27. E mali, & eorum vitia. 5. A. 27. C. quid de bello iudicare debeant? 634. E. & quid agere antequam arma adcipiant? ibid C. quid in victam civitatem? 163. E monita ad illos. 182. H. & ſeq. Milites Aſſyrii, cuius pulchritudine capti. 372. B.
Milites Chriſti veri, qui? 37. G. qui fortes? 82. G. 84 B 138. E. 264. F. eorum pugnae. 74. G. 81. A C. 114. E. pro quo pugnent? 114. E. cur corpora ſua crucifigant? 74. H. quo bono infecti? 127. A. quo modo habiti? 133. A. eorum clamores. 98. B. eorum laudes, a quo? 84. B.
Militia, & eius eventus incerti. 100. B. Chriſti, quae? 13. G. 76. E.

Miniſtri Sacramenti Poenitentiae, qui beati? 26. A.
Mirabilia Dei. 90. G.
Miracula, etiam a peccatoribus. 116. D. certa veritatis Divinae ſigna. 280. F. G.
Miſericordes, & eorum merces. 19. F. H. etiam in hac vita. 115. F. pii adpellati. 542. G. & beati. 70. F. 115. F. 555. C. eorum dolor. 107. C. & nomina ſcripta in libro vitae. 19. F.
Miſericordia, quae virtus? 213. E. 533. E. 716. B. cui adſimilata? 101. A. 610. B. eius obiectum. 546. A. commendata, & praecepta. 19. E. 40. C. 41. A. 47. A. 286. A. ſervorum Dei, quae? 101. H. an ſterilis? 101. G. ſpiritualis, quae? 102. A. D. quae in peccantes. 574. F. quae in pauperes, & viduas? 19. E. quae in infirmos, & derelictos? ibid. E. F. quae in peregrinos? ibid. E. quae Medicis praeſertim commendata? 28. G. quibus cum prius exercenda? 40. C. quo modo a quibuſdam exerceatur? 101. E. eius neglecta opera. 49. B.
Miſericordia Dei, quibus denegata? 208. F. a quibus obtenta? 623. A.
Miſericordiae Domini cantabiles. 82. F.
Miſſa, quî audienda? 156. F. quomodo celebranda? 603. E.
Miſſio Spiritus Sancti, & eius effectus. 281. F.
Mites, & eorum praemium. 49. F. beati. 70. F. 115. E. 138. A. 555. B.
Moab, & eius Duces, & Robuſti. 47. E. 109. E. 192. E. 348. B. & quando turbentut? 123. C.
Moabitides Puellae, & earum pulchritudo. 482. E. familiaritas declinanda. 349. E.
Moderatio iuſtorum. 94. E. ſectanda, & quibus? 129. F. 279. A.
Modeſti, & eorum praemium. 117. A.
Modeſtia quae virtus? 545. A. unde? 41. E. 104. F. 105. A. praecepta, & commendata. 5. F 41. A. 171. D. 268. A. H. 321. C. 377. G. eius dotes, & encomia. 105. A. 116. G. 151. A. 268. B. eius partes. 545. A. eius vis. 41. E. 105. A. 115. A. 168. B. eius utilitas. 105. A. 330. G. exercitium, & meritum. 268. C. praeſertim in amore Dei. 377. F. 378. B.
Molles, & eorum cruciatus aeterni. 118. G.
Mollities, & eius deformitas. 7. H. 16. E.
Monachi, & eorum dotes, & virtutes. 39. B. C. 142. B.
Monita diverſa. 157. B. 314. B. 324. A. 605. G. peccatori. 197. A. Principibus. 416. B. Adſtantibus moribundis. 625. G. ſcrupuloſis. 628. E.
Mons huius ſaeculi myſtice. 82. C. coagulatus. 11. G. 115. E. Sion. 271. A. Libanus. 313. A. Sinai. 219. G. viſionis. 218. E.
Monſtra horribilia. 109. E. 119. E. in morte Chriſti, quae? 210. A. 242. C. 281. D. 615. B.
Monumenta inanis gloriae in iudicio. 131. F. 132. H.
Morbi periculoſi. 149. F.
Mores Sanctorum imitandi. 19. C.
Moribundus, & eius ſtatus deſcriptus. 47. E. eius officia. 55. F. 56. B. G. 606. & ſeqq. 624. A. 630. C. 632. B. eius cura habenda. 604. E. & ſeqq. V. *huius tituli duplicem Tractatum*. 54. & ſeqq. 588. & ſeqq.
Mors terribilis. 47. C. 54. E. 590. F. 698. G. & ultima miſeriarum. 603. A. furi adſimilata. 46. A. unde in mundum ingreſſa? 79. C. 85. A. eius effectus. 46. A. 76. G. 120. B. 588. F. repentina, quae? 631. B. 698. G. certa. 46. A. celer. 587. D. 599. A. eius deſiderium, unde? 330. B. error eorum, qui ſibi eam inferunt. 330. C. toleranda potius quam peccatum. 50. E. 57. H. quomodo a Chriſto victa? 107. E. iuſtorum quae, & quanti facienda? 123. F. 350. A. 588. F. 589. A. fructus Crucis. 41. F. Peccatorum, quae? 47. H. 137. B. 641. B. 698. G. praeparatio, & diſpoſitio ad eam, ſancte obeundam. 47. F. 48. C. 54. A. 56. A. 59. A. 598. E. G. 599. G. 630. F. eius utilis memoria, & meditatio. 46. F. 47. E. 589. E. F. G. 590. A. 599. F. Mors animae, quae? 9. F. unde ingrediatur? 217. B. 268. B. Mors ſecunda, quae? 12. B. Mors aeterna, eiuſque vulnus. 42. D.
Mortales, & eorum ſors. 54. A. iudicia. 131. B. cogitationes. 193. G. diligentia. 250. A. potentia. 397. E.
Mortalia. 341. F.
Mortalitas, & eius pondus. 111. H.
Mortificatio carnis, & eius excellentia. 77. B. 103. E. 166. G. 333. C. praecepta, & commendata. 5. F. 8. A. 39. C. 45. B. C. 168. C. 319. D. 602. C. eius exercitium. 45. B. 152. C. 405. G. 602. D. effectus, & meritum. 167. E. 602. B. ſenſuum exteriorum, generatim, & ſingulatim. 167. E. & ſeq. 267. H. Intellectus. 163. F.
Mortui, quid ſecum ferant? 48. D. qui beati? 141. D. 589. D.
Motio Dei. 561. E. V. *Gratia*.
Motus inordinati, & eorum origo. 255. E.
Moyſes in Monte Sina. 70. E. eius oratio pro populo. 75. C. 578. F. linguae tarditas. 105. F. caritas. 318. C. eductio aquae e petra. 711. G.
Mulier fortis. 314. C. fornicaria, & eius ſignificatio. 237. B. an Ordinis Sacri capax. 684. H.
Mulieres ſanctae. 40. B. C. formoſae ad Regnum evectae. 369. D. earum cultus. 393. F. Mabitidae, & Sidoniae fugiendae. 5. E.
Multiloquium damnatum. 106. H. 168. E.
Mundi corde beati, & unde? 70. F. 115. F. 555. D.
Mundus, Babylon dictus. 13. D. vallis lachrymarum. 103. H. 108. B. 116. E. 389. G. eius labor, & ſollicitudo. 92. D. 148. C. 250. F. & miſera ſervitus. 82. E. 103. H. 133. B. 245. G. 254. C. 299. E. G. 458. A. idola, quae? 4. D. 12. F. 72. B. 91. E. 103. E. 648. B. caecitas. 148. A. F. G. 149. F. & falſa iudicia. 14. G. 42. D. 103. E. 109. F. 147. C. & ſpernenda prudentia. 16. A 90. A. 148. A. 194. D. 259 C. 601. A. fallax gloria, & laetitia. 9. G. 13. C. 14. E. 70. G. 75. C. 140. H. 154. A. B. 196. C. 199. A. 211. B. 253. C. 456. D. 459. A. 500. G. inania bona, & contemnenda. 13. C. 19. B. 22. C. 109. E. 111. D. 140. F. 148. A. 212. C. 252. G. 373. A. 448. B. 483. G. vanitas, & inconſtantia. 3. B. 4. C. 5. C. 8 B. 19. C. 77. E. 93. C 95. E. 100. A. 133. A. 154. F. 193. G. 204. B. 211. C. 214. H. 216. A. 246. A. 252. D. 279. E. 310. C. 395. A. 462. E. 464. G. 489. D. 600. A. pericula. 14. C. 19. B. 214. H. 474. B. 602. E. 728. F. artificia. 35. C. 148. A. 279. E. vitia, & crimina varia. 46. F. 75. C. 82. B. 103. B. 148. A. 155. E. 252. B. Dei, & Chriſti inimicus. 16. A. 72. E. 79. A. 83. B. 148. F. 272. A. 282. A. 368. A. ideo omnino ſpernendus, & proculcandus. 16. D. 17. A. D. 38. C. 95. E. 120. B. 113. A. 598. A. eius ſectatores, & illorum merces. 9. C. quibus comparati? 16. A. eorum timor. 258. G. 600. B.
Munera, & eorum ſeductio. 28. B.
Muſica, & eius effectus. 327. C.
Mutatio Dexterae Dei. 87. B. 120. H.
Myrra, & eius ſignificatio. 713. C.
Myſteria fidei obſcura. 141. B.
Myſterium Crucis, quibus revelatum? 37. B. Trinitatis. 57. B. Incarnationis. 51. G. 57. B. 200. H. 284. G. 331. C. 412. D. 620. B.
Myſtica Ebrietas. 438. A. Myſtica Theologia. 583. A.

N

NAbal dives, & avarus. 133. G.
Nabuchodonoſor, & eius ſuperbia. 6. E. 408. B. eius cibus. 80. E. qualis in Daniel? 128. B. cur in beſtiam mutatus? 692. H. poenitentia ei impoſita. 723. B.

Nathan ad David. 232. D.

Nationes barbarae, quid in bonum honeſtum? 127. C. quid in Principes? 230. D.

Natura Imperio apta, quae? 614. C. Angelica, & eius pulchritudo, & dignitas. 301. F. 523. C. Divina paſſionis incapax. 233. B. humana, quî a Deo facta? 77. C. in peccatum lapſa. 76. C. 120. F. 230. E. eius infirmitas. 315. C. a Verbo adſumta quî dicta? 341. A.

Naturalia, & artificialia. 525. A.

Negotia ſaeculi. 14. D. 149. B. quae, & quando vitanda? 149. B. 597. F. quomodo tractanda? 43. F. 149. E. 596. H.

Negotiatio vera, & bona, quae? 19. G. 35. G. 43. G. 103. F.

Negotiatores mundi, qui ad vitam Chriſtianam? 9. B. 13. E. 103. G. 160. F. 161. B. eorum vitia. 68. E. 149. D. 160. F. 597 F. e Templo a Chriſto eiecti. 82. E. Aſſyrii, & eorum cupiditas. 340. A. Madianitae, & eorum vota. 464. F. Sabaei. & eorum ingenium. 340 A. 346. G. 464. F. Negotiatores Dei, qui? 101. E.

Negotium ſalutis aeternae. 149. E. 160. D. V. *Salus*.

Nephtali, quî dictus? 488. H.

S. Nicolaus, & eius miſericordia. 716. B.

S. Nicolaus Tolentinas. 335. A 386. C.

Nilus flumen, & eius aquae. 103. A. 220. A.

Niſus, & eius amor. 292. D.

Nobiles mali, & eorum ſupplicium. 48. G. Nobiles Regni Dei. 150. E.

Nobilitas, & quî ei debitus honor? 127. E. eius vis. 656. A. quid in tribulationibus? 17. E. quid comparatione gloriae. 51. E.

Noe, & eius patientia. 36. C. 104. B.

Noemi, quomodo habita a Ruth? 716. C.

Nomen bonum, quanti faciendum? 17. A. C. 104. C. iuſtorum. 131. F. Dei timendum. 51. A. Ieſu, & eius vis, & ſuavitas. 22. B. 90. E. 195. A.

Noſocomia, frequentanda. 318. H.

Notarii, & ad eos monita. 181. B.

Noviſſima hominis recogitanda. 4. G. 7. C. 34. E. 46. G. 118. G. 190. F. 196. E.

Novitas, eius effectus. 407. A.

Nox, in qua nemo poteſt operari. 3. A. quae laborioſa? 18. D. quae gratia Dei carens? 82. A. Nox mortis. 206. A. Nox ditans Hebraeos. 486. H.

O

OBduratio cordis. 47. F.

Obedientes, & eorum laudes. 97. E. & praemium. 49. F.

Obedientia, quae virtus? 97. E. 262. D. 543. B. eius praeceptum. 33. G. 39. C. 323. G. exemplar. 34. A. forma, & ratio multiplici conditione comitata. 33. H. 34. A. B. 97. E. F. 262. F. exercitium. 262. E. fructus. 97. F. praemium. 33. H. 34. B.

Obiectum intellectus, & multiplex eius ratio. 163. G. 522. H. 523. B. amoris. 294. C. 295. B. C. ad memoriam mortis excitans, quale? 590. A.

Oblatio pars orationis mentalis, quid? 508. A. 509. B. 574. B. matutina, quae? 335. F. G. myrrae, quae? 45. D.

Oblectamenta, quae eſſe debeant? 126. E. 139. C.

Obligatio cuiuſcumque conditionis, quid, & quanti facienda? 43. E. F. G. 156. A.

Obſervantia, quae virtus? & eius munia. 538. E. 541. C. D. 542. H. Regularis ſuperioribus commiſſa. 25. A.

Obſtinatio, quae bona? 727. F.

Occaſio peccati, vitanda. 79. B. 202. B. 203. A. 592. H. quae in carne noſtra? 42. F. loquacitatis multiplex. 106. H.

Oculi, & eorum damnoſa licentia. 105. B. 116. F. eorum mortificatio. 167. F. &. ea moderanda. 168. A. interiores, exterioribus perſpicaciores. 268. C. Dei ad quos converſi? 12. A.

Occupatio meridiana, quae? 12. C.

Odium, & eius natura. 38. A. 529. F. 531. C. quotuplex? 531. D. eius cauſſae. 531. E. effectus, 120. E. 531. E. remedia. 531. E. bonus uſus. 120. G. in animam ſuam, quomodo praeceptum? 78. G. conſanguineorum, quale? 39 F.

Odor, & eius ſuavitas unde? 103. C. quae in Sanctis? 118. E.

Officium proprium cuiuſque. 156. A.

Og Rex Baſan. 348. B.

Olfactio, quae permiſſa? 168. G. quae cohibenda? ibid.

Ollae Aegypti. 85. G.

Omiſſiones iudicandae. 645. C.

Onan, & eius mortis cauſſa. 698. G.

Opera omnia quomodo agenda? 727. A. quid in iis examinandum? 719. G. bona morientem ſequuntur. 47. C. meritoria. 43. F. profeſſionis propriae, quî obeunda? 155. E. ſupererogationis? 150. H. iuſtitiae? 600. E. 648. A. miſericordiae? 20. B. 36. G 49. E. 318. G. 603. B. pietatis? 21. C. in peccato mortali facta. 54. D. ſuperſtitioſa. 120. A. carnis. 148. H.

Opera Dei mirabilia. 81. D. 83. F.

Operans, & eius finis quotuplex? 228. G.

Operarii fideles, qui? 26. G. 111. A. 602. A. digni mercede ſua. 28. F.

Operatio virtutum, quid? 116. B.

Opes terrenae, & eorum effectus. 6. A.

Opulentia divitum. 32 C. Domus Dei. 320. C.

Opus Dei, quomodo agendum? 276. H.

Optimates mundi, & eorum faſtus. 7. C. 100. G.

Orans, & eius ratio ſervanda. 513. A. 516. C. F. 517. A. H. eius error. 520. C.

Oratio, quae virtus? 90. A. 429. E. 507. F. 542. D. E. 569. A. B. 582. B. cui dirigenda? 219. H. eius a contemplatione diſcrimen. 509. D. 429. E. praecepta, & commendata. 14. C. 44 G. 45. E. 47. A. 159. D. 253 F. 392. F. 713. A. quid in ea poſtulandum? 152. C. 160. A. 578. D adſidua, & quare? 14. B. 41. B. 44. G. 96 C. 159. H. 160. A. 319. E. 375. H. 392. A. an brevis? 76 F. 516. A. 521. D. 576. A. quale eius exercitium? 14. C. 254. A. 271. B. 521. C. 542. E. 569. A. 729. F. eius fructus, & effectus. 14. D. 46. G. 166. F. 271. E. 516. B 521. B. 525. F. 568. B. 570. F. 716. E. mentalis, quae, & eius partes, & regulae. 429. E. 507. G. 509. C. E. 569. D. earum ordo. 519. F. eius pro diverſis ratio. 521. F. 577. C. 716. F. G. eius materiae praeparatio. 509. F. locus, & tempus. 14. C. 336. D. 520. A. 521. E. 575. E. G. corporis habitudo. 520. C. D. E. 575. B. affectus, & fructus. 511. H. 512. H. 516. A. 518. C. 520. B. ſemper mortificationi iungenda. 729. F. quando ſupplenda? 521. E. recta ad contemplationem via. 507. E. 552. A. quid Oratio quietis, & unionis? 438. B. 440. D. E. V. *Schola De Oratione & Contemplatione* pag. 505. & ſeqq.

Orationes pauperum Deo adceptae. 19. F.

Oratores, qui mendaces? 132. C.

Ordines Relligioſorum. 24. C. 40. F. obſervantiores, qui? & eorum laus. 110 F. 254. A. Eccleſiae ornamentum dicti. 506. B. eorum varii fines, & media ad eos. 506 B. C. 507. D.

Ordo, & Ordines Eccleſiaſtici, quid? 683. B. quotuplex? ibid. qui, & quot minores? ibid. qui, & quot maiores? ibid. quis eorum auctor? 685. E. eorum materia. 683. B. praerequiſitae conditiones. 172. E. 684. H. & ſeq. minores, an Sacramenta? 683. G. an characterem imprimant? 683. B. eorum effectus. ibid. G. miniſter. 684. H. aetas ad eos requiſita. 685. E. maiores, cur ſacri dicti? 683. B. eorum effectus. ibid. & miniſter. 684. G.

Oreſtes, eius amor erga Pyladem. 292. D.

Os ex abundantia cordis loqui dictum. 75. G.
Oſſa humiliata, unde exſultent? 56. G.
Oſtiariatus, quid? 683. B. eius materia, forma, & effectus. Ibid.
Oſtiarius, & eius munus. 683. B.
Otioſitas, & eius damna. 713. H.
Oves rationales, quae? 21. C. 102. D. Oves Chriſti, quae? 74. A. ad vitam aeternam electae. 83. G. ubi in iudicio? 48. F.
Ovis errantis parabola. 233. C.
Ovidius, eiuſque teſtimonia. 363. *& ſaepe deinceps uſque ad*. 396.

P

PAcifici, qui? 402. E. filii Dei, & beati dicti. 115. F. 555. E.
Pagani, eorum ſacrificia. 274. H. & ritus. 275. A.
Palatia Principum. 9. B. 51. D.
Palatium Salomonis, & eius ornatus. 294. A. Dei vivi, ex qua materia. 52. B.
Panis animae, quis? 255. B. vitae. ſeu Euchariſticus, & eius effectus. 31. D. E. 232. E. 266. E. 378. A. Eccleſiae vinculum. 416. E.
Pannus menſtruatae. 253. C.
Paradiſus voluptatis, eiuſque amoenitas. 251. B. 253. A. aeternus, & eius gaudia recogitanda. 46. F. 106. A.
Parcitas, quae virtus? 545. E. quando reprobata? 276. A.
Parens humani generis, eiuſque luctus. 380. A.
Parentela. 10. F.
Parentes, eorumque in liberorum voluntatem contentio. 10. G. Parentes primi, eorumque peccatum. 267. C. cur è Paradiſo eiecti? 692. H.
Pares, quî cum illis agendum? 170. G.
Parochi, eorumque munia. 26. E. 175. B. ſollicitudo, & merces repoſita. 26. E. H.
Parvuli, qui dicti in Schola Chriſti? 81. C. eis frangendus panis. 20. A. quomodo ſalutis participes? 151. E. infidelium, an baptizandi invitis parentibus? 680. F.
Pars tutior in cauſſa ſalutis eligenda. 39. D. 99. C. ſuperior, & inferior hominis. 258. B. 518. F.
Parturiens, & eius triſtitia. 78. C. cuius typus? 154. E.
Partus primogenitus. 366. E.
Paſſer, quae avis? 388. F.
Paſſio Chriſti, & eius cauſſae. 204 G. 205. B. eius dolores. 207. B. myſteria. 205. E. meditatio commendata. 207. A. V. *Chriſtus*.
Paſſiones hominis, earumque definitio. 529. B. ferae indomitae dictae. 76. C. D. 83. A 120. F. 166. A. H. 215. B. 217. F. 404. C. earum praelium periculoſum. 166. A. 215. B. earum effectus. 120. H. 530. C. rebelles, quo modo ſubiugandae? 14. H. 76. C. 126. E. 141. D. 166. B. C. 405. F. 479. F. 700. A. quae earum prima. 166. F. quae in ſtatu innocentiae? 120. F. earum bonus uſus. 120. H. 409. G. 530. C. B. 564. F. earum ſedes. 166. B. 531. A. quot? 166. A. 529. F. quae concupiſcibilis? 529. F. 579. H. quae iraſcibilis? ibid. earum a compaſſione diſcrimen. 641. G.
Paſtores Eccleſiae, qui? 23. C.
Pater aeternus, cur Filium ſuum in mortem tradidit. 576. E. eius vox audita. 65. A. quid ei a moriente offerendum? 59. F.
Patientes, & eorum corona. 104. E. beati dicti. 115. G. 555. E. competitores unitatis Dei. 264. F.
Patres Orphanorum, qui? 83. B. Eccleſiae. 38. F. 128. C. quid de Myſtica Theologia ſcripſerint? 423. VI.
Patientia, quae virtus? 544. A. eius dotes, & laudes. 17. F. 104. A. 264. C. 333. B. tentationis remedium. 525. G. in morte tentata. 60. B. a Deo petenda. 35. B. eius praeceptum. 21. C. 264. B. exercitium. 35. A. B. 265. A. fructus. 114. G. corona. 17. F. 35. C.
Patria Coeleſtis, quî adpellata? 15. C. noſtra rite dicta. 46. H. 88. E. 214. G. eius meditatio. 488. E. & ſeqq.
Patriarcha, & eius iuriſdictio. 585. C.
Patriarchae veteris Teſtamenti, eorumque virtutes, & laudes. 36. C. D.
S. Paulla, eius dolor de levibus peccatis. 620. F.
S. Paullinus Nolanus, eius mundi contemtus. 216. E. miſericordia, & caritas in proximum. 49. G. 216. E. 251. F. & praemium. 49. G.
S. Paullus Apoſtolus. 72. E. 111. F. 235. G. fidiſſimus Chriſti Apoſtolus. 76. E. & eius legatus. 414. G. qualis ante Converſionem? 236. F. qualis in ipſa Converſione? 66. B. 261. B. qualis poſt? 548. C. eius iugis poenitentia, & mortificatio. 92. F. 220. F. 601. C. 602. F. 714. A. 717. B. quomodo probatus? 312. H. 428. E. eius doctrina. 30. E. 164. C. eius amor in Deum. 313. A. 318. C. 322. H 334. D. 372. H. & caritas in proximum. 318. C. & progreſſus perfectionis. 286. C. eius ſtigmata. 76. E. & raptus. 251. A. 312. H. eius gaudium. 9. E.
Patrimonium Adae, quale? 84. F.
Pauperes Deo accepti, qui? 21. E. 30. A. Chriſti imitatores. 263. F. & eorum orationes. 19. E. quî adpellati? 30. A. eorum vita multis doloribus vexata. 20. B. 30. A. eorum ſolatium. 27. G. 86. E. 98. H. 264. A. a quo vindicati? 8. H. quo modo ſubveniendi? 33. A. laudandi. 35. F. eorum praemia. 30. C. quid in illis conſiderandum? 101. F. an poſſint eſſe eleemoſynarii? 716. C. ſuperbi, qui? & eorum miſeria. 30. B.
Pauperes ſpiritu, qui, & cur beati dicti? 70. F. 115. C. D. 138. A. 555. B. eorum praemium. 263. F.
Pauperes voluntarii, & eorum felicitas. 263. G. & ſeqq.
Paupertas, Chriſti Sponſa dicta. 263. C. 462. E. amanda. 39. C. libenter ſuſtinenda 30. B. eius comites. 98. E. eius effectus. 263. G. ſpiritualis vitanda? 277. B. Paupertas Spiritus, & eius effectus. 71. A. 264. B. voluntaria commendata. 137. E. 263. C. E. Chriſti, ditiſſima. 98. E. G. Apoſtolorum, & eius incommoda. 410. G.
Pax, eius natura, & definitio. 401. A. D. 409. H. 413. B. 490. A. eius origo. 100. E. 401. A. 402. A. B. 405. A. H. 408. A. 411. E. 412. A. an ſine gratia? 402. C. eius a concordia diſcrimen. 401. C. eius dotes praecipuae. 402. A. 403. B. C. 404. E. G. 406. F. 413. A quanto amore digna? 191. F. G. 198. C. 199. E. 413. A. inter beatitudines relata. 402. E. 411. A. eius comparatio. 401. A. eius effectus. 217. H. 402. D. E. F. 404. A. praeceptum. 41. A. conſervatio, & augmentum. 406. A. 409. B. 416. D. quaerenda, & a quibus? 402. F. G. 413. A. E. 418. A. quorum propria? 114. G. an etiam impiorum? 68. E. 401. C. duplex, & quae? 411. B. imperfecta, quae? 410. C. 411. B. interna. 41. C. 261. F. 412. E. perfecta. 41. B. 402. A. C. 409. E. 411. A. B. Caeleſtis. 386. A. 409. E. Iuſtitiae originalis, quae? 409. E. 410. B. quomodo inſtaurata? 410. C. & per Angelos nuntiata. 412. E. Chriſti, & diſcipulorum eius, quae? 68. D. E. 71. A. 82. G. 120. C 413. A. 415. G. V. *Librum De ſtudio Pacis*. pag. 401. & ſeqq.
Peccata eorum origo. 723. F. enormia, & mortalia. 57. H. 234. E. quo modo tollantur? 722. E. venialia, quae; & quanti facienda? 159. A. 168. F. 724. A. eorum genera. 720. C. deflenda. ibid. E. & 721. F. an confitenda, 682. A. 722. A. B. caute vitanda. 42. C. 279. C. 724. C. eorum remedia. 722. G. & ſeqq. cogitationis. 704. C. linguae. 168. E. eorum remiſſio, quae, & quomodo? 101. F. 279. G. 692. A. 701. A. quae neceſſario confitenda, & quo modo? 682. A. 704. D. 709. A. redimenda, &

quomodo? 7. C. 86. C. 101. F. 208. F. 210. A. 701. A. 723. B. & eorum vincula diſrumpenda. 209. E. 211. A. 256. B. quae ad progreſſum iuſtitiae impedimenta? 595. D.

Peccator, eius a iuſto diſcrimen. 40. C. 48. C. filius prodigus dictus. 55. E. 190. G. 209. H. 210. A. 266. A. & alienus, & quare? 189. A. E. 205. D. 208. B. 235. D. 241. A. 692. C. & Diaboli mancipium. 239. C. E. 265. D. 697. A. 698. E. cui comparatus? 50. A. 193. G. 196. A. quis eius vitae ſtatus? 50. B. 193. G. H. 194. G 210. E. 211. E. G. 239. G. 642. D. 647. A. & ingens miſeria multiplex. 29. E. 50. B 192. D. 193. D. 194. G. 196. C. G. 241. B. 265. D. 642. E. 698. A. morte ipſa luctuoſior. 231. B. 698. F. quae eius anima? 189. B 190. C. 196. A. 697. A. & memoria 697. H. & intellectus. ibid. G. & voluntas. 196. A. 698 A. & conſcientia. 194. A. 197. A. quae eius deformitas? 193. D. 265. E. 695. H. 696. G. 697. A. B. 698. E. Dei, & eius perfectionum infenſiſſimus hoſtis. 140. G. 206. E. 207. D. 232. H. G 234. F. 237. A. 238. A. 242 G. 244. D. 414. A. 692. G. 693. B. D. F. & Sanctorum. 695. A. & Angelorum. 694 G. & totius Caeli. ibid. E. & Eccleſiae. 695. E. & proximi. ibid. F. & ſuipſius. 200. C. 240. E. cuius urbis civis? 189. D. eius caecitas, & ignorantia. 191. H. 193. F. 200. A. 204. A. 205. C. H. 207. B. G. 210. B. 229. E. 235. D. 242. D. 279. E. 540. C. cordis duritia. 199 F. 203. C. 205. A. F. 209. G. 212. E. G. 232. C. 234 H. 647. D. & ingratitudo. 199. F. 204. F. 232. C. 693. E. quid ut reſipiſcat? 240. H. 623. B. 700. B. & quî ad poenitentiam invitatus? 194. H. & propterea filius, & amicus cariſſimus adpellatus. 190. C. E. 192. A. 200. E. 205. H. 212. C. num immediate ad viam unitivam tranſire poſſit? 548 B. qualis in morte? 47. F. 50. A. & ſeq. 196. B. F. 641. B. C. F. 642. B. E.

Peccatores, & eorum ſtatus. 12. F. 48. E. 50. A. 76. E. 78 E. 272. C. 710. E. eorum conſcientia. 41. D. 88. A. 118. C. & mors ſpiritualis. 88. A. 118. C. Dei, & bonorum eius *inimici*. 33. E. 114. A. 206. E. 200. F. 591. F. Diaboli mancipia. 69. H. 85. E. 150. E. 231. A. brutis comparati. 696. G. impii. 542. G. laboribus, & triſtitia gravati. 30. A. 79. E. 93. A. 114. A. caeci, & ſtulti. 46. G. 77. H. 93. A. 191. C. 207. G. 230. H. 242. A. 256. G. 272. C. G. 431. D. 592. C. praeſumptuoſi, & audaces. 6. B 273. B. invidi, & immites, 49. B. 85. A. molles, & vani. 50. A. 118. C. 207. G. quae eorum peccata? 48. E. 92. G. 334. A. timor in morte. 47. D. poena, quae, & quotuplex? 49. B. 50. A 78. E. 195. H. 196. E. 254. E. 272. G. cur multi bonis in hac vita ditati? 29. H. 50. B. 80. C. 108. G. cur a Deo tollerati? 75. C. cur etiam ab illis miracula patrata? 116. D. eorum fugienda conſortia. 5. E. 12. C. 117. D. 220. B. G. 273. C. 279 E. 453. H. quomodo corripiendi? 33. A. quomodo a Deo ad poenitentiam revocati? 49. B. 236. H. 237. D. 283. E. quae eorum progreſſio. 56. A. 227. C. 236. F. 548. A. quî adiuvandi in morte? 196. C.

Peccatum, quid? 27. F. 211. G. 692. E. 696. E. F. quid ad Deum? 33. E. 55. B. 232. H. 233. A. B. 692. E. 693. A. quae eius turpitudo, gravitas, & malitia? 33. F. 55. A B 130 E. 193. A. 211. G. 353. G. 625. A. 692. B. 695. H. 700. G. 704. C quae animae deformatio. 211. E. 212. F. 244. F. eius ſtatus. 230. A. 236. G. 265. G. eius ſervitus 33. E. 204. A. 209 D. 212. F. 265. H. 674 D. 698. A. 699. G. eius effectus. 47. F. 84. E. 163 B. 190. G. 193. F. 194. B. 195. C E. 205. E. 212. D. F 239. F. 265. F 272. G. 353. G. 506. A. 591. E. 692. C. E. 697. C. 698. C. D. E. 699. B. H. 701. C. 703. A. 721. D. qui in anima, & eius potentiis? 165. C. 216. G. 697. G. qui in corpore? 698. C. timendum, & fugiendum. 12. C. G. 37. G. 142. C. 212. F. 714. A. & eius occaſiones cavendae. 79. B. 207. C. 592. H. 697. F. 701. G. eius circumſtantiae, quae, & quot? 704. E. eius poena. 140. F. 265. H. 305. E. 673. B. quo modo purgandum? 42. B. cuis illud exſolvit? 699. C. cogitationis, & cordis. 239. E. 704. C. Originale, & eius effectus. 4. E. 162. G 163. B. 305. C. 410. A. veniale, & eius malitia. 644. F. 720. H. 721. A. 723. H. eius effectus. 13. A. quae eius ad mortale diſpoſitio? 595. A.

Pecunia, cui uſui deſtinata? 125. B.

Pedes. & eorum ſignificatio. 325. C. 381. A. eorum lotio myſtice. 15. E. eorum affectus 42. E.

Pelles terrae Madian. 90. F.

Penetratio amôris effectus. 530. H.

Perditio, quid? 341. C.

Perfecti, qui? 427. G. eorum dignitas. 726. A. ſtatus. 332. G. 428. A. ſtudium. 428. A. 546. E. 547. E. exercitia 459. A. 546. G. 549. C. tentationes. 548 D. caritas. 428. E. favores ſpirituales. 320. E. 428. C. 548. E. 549. D.

Perfectio Chriſtiana, quid? 129. F. 320. C. 375. A. 427. F. 506. A. eius ſtudium. 506. G. gradus. 505. C. aemulatores. 273. G. Monaſtica, quae? 507. B.

Periander. 128. C.

Pericula vitanda. 14. C. 42. G. 43. B. 44 G. 141. H. mortis imminentis. 135 C.

Perſae, & eorum Satrapae. 98. F. Imperatores. 129 A. Leges. 209 B. Regnum. 698. F. quid de illis in iudicio? 49. A.

Perſona, quid? 295. C.

Perſeverantes, & eorum praemium. 141. C.

Perſeverantia, quae virtus? 544. A. praecepta. 199. B. 457. C. 603. F. eius praemium. 110. B. finalis an promereri poſſit? 603. G. Donum Dei gratuitum. 286. B. E. 603. G. quomodo obtinenda? 603. F. inſtanter petenda. 603. H. Orationis. 518. A.

Perturbatio finem habet. 18. A.

Petitio, orationis pars. 574 D. quid in ea poſtulandum? 508. B. 521. A. 574. E. 719. B. quomodo? 213. E 509. C. 574. D. E. quando? 521. A quae poſt Communionem? 356. A.

S. Petronilla 294. F.

S. Petrus Apoſtolus, & eius lapſus. 162. B. 236. F. 256. D. 592. F. poenitentia. 92. F. 711. G. 717. B. doctrina. 30. E. zelus. 710 E. prodigioſa per eum claudi ſanatio. 130. A.

Phantaſma, unde? 523. A.

Pharao, quo modo Ioſephum habuerit? 128. B. 450. E.

Pharao, & eius ſupplicatio. 47. F. eius conſiliarii. 119. A. & bellatores. 123. E. eius cordis duritia. 697. G. ad poenitentiam vocatus. 194. E. eius demerſio in mare. 41. G. aeterna damnatio. 152. A. in exemplum adductus. 152. A. eius tyrannis, quid myſtice? 12. G. 81. E. 198. H. 255. H 490. C.

Pharaones, & eorum tragicus finis. 132. F.

Phariſaei, inimici Chriſti. 205. A. eorum calumniae in ipſum. 236. A. 331. C. & perſequutio. 242. E. 613. G.

Philiſtaei, qui? 16. E. non timendi. 91. C. 495. B.

Philoſophi, cur divitias contempſerint? 136. F. quid naturali ratione cognoverint? 128. C. 614. C. a S. Catharina converſi. 93. E.

Philotimia, eius munia. 538. F.

Phinees *Dei Sacerdos*. 463. A.

Phtiſici, eorum mors. 634. B.

Pietas, quid, & quae virtus? 538. E. 542. F. G. eius munia. 128. G. 541. D. 542. F. praeſertim erga parentes. 541. C. eius vis. 130. A.

Piger, & eius opera. 276. A.

Pigri a Regno Coelorum excluſi. 12. A.

Pigritia, quale vitium? 88. A. E. 276. G. eius effectus. 88. B. & quo modo vincenda? ibid. E.

Pilatus, qualis viir? 85. A. 206. E. 208. B. eius de Chriſto teſtimonium. 281. A. 613. F.
Pindarus, & eius mortis cauſſa. 698. G.
Pinguedo, & eius moralis effectus. 7. E.
Platea Ieruſalem. 51. F. Paradiſi, quae? 102. G.
Plato, & eius doctrina de Deo. 65. C. 423. XII. quid de amore ſcripſerit? 293. D.
Plebs Chriſti, quae? 71. E. Dei, quae? 82. E.
Plenitudo legis, quae? 92. A.
Pocula amatoria. 243. F. 469 F.
Poena, & eius horror. 212. E. peccati, quae? 699. A. quî tollatur? 713. A. damnatorum, quae? 50. F. 646. F. quae damni? 698. A. quae ſenſus dicta? 646. E. H. Purgatorii, quae? 630. G. V. *Peccatum*. *Infernus*.
Poenitens, quo modo a Deo habitus? 236. F. eius in Sacramento poenitentiae partes. 704. F. 709. & ſeqq. quid ſit ex adtrito fieri contritum? 682. A. quibus tentationibus agatur? 711. E.
Poenitentia, quid? 228. A. 533. E. unde? 211. H. eius finis. 93. B. duplex, & quae? 681. G. quae virtus dicta? 681. G. ad eam neceſſaria contritio cordis. 681. G. H. eius aſperitas, quae? 213. B. mundanis intollerabilis. 11. E. eius fructus, & effectus. 48. F. 194. A. 195. D. 198. G. 206. E. 246. A. actus. 92. F. non differenda. 197. E. 206. H. eius remuneratio. 93. A. 211. E. Sacramentum, & quale? 15. E. 681. G. eius partes. 681. G.
Poetae, & eorum reprobata lectio. 11. B. 164. B. commenta de amicitia. 500. C.
Pontifex Romanus, Petri ſucceſſor. 22. E. eius dignitas, & poteſtas. ibid. & continuata ſucceſſio. 282. B. 615. E.
Ponrifices Sancti, & eorum virtutes, & laudes. 22. E. eorum de Chriſto teſtimonium. 613. G.
Populus, qualis beatus? 70. G. Dei electus, eius virtutes, & laudes. 94. G. 273. G. 461. A ingratitudo. 234. A. Iſraeliticus, & eius captivitas. 379. G. taedium. 109. F. in eum Dei indignatio. 273. A. pluvia carnium ſaturatus. 16. H. eius duritia, & obſtinatio. 208. E.
Porta Coeli anguſta. 150. C. E.
Potentes potenter tormenta paſſuri. 80. E. Chaldaei in iudicio finali. 49. A.
Potentia, quid ad habitum. 432. A.
Poteſtas Tyranni. 37. B. quae magna? 47. G.
Prata virentia, quae fugienda? 3. B.
Praeceptores mundi, qui? 16. G.
Praecepta Chriſti potiora. 32. G. 69. H. & ſeq. 93. G. 337. H. 338. A. Confeſſionis, & Communionis. 15. E. Servorum Dei quo modo audienda? 168. C.
Praeda Chriſti, quae? 83. A. 87. G.
Praedeſtinati, & eorum notae. 201. G. 577. B.
Praedicatores infructuoſi. 25. F. H. bonorum merces. 26. A.
Praelati Eccleſiae, & eorum dignitas. 162. E. & diſciplina. 107. E. Religioſorum, & eorum notae. 24. G.
Praelatio cur vitanda? 8. D.
Praelia iuſtorum. 76. E. quae fortiſſima, & periculoſa. 109. F. 110. A. infirmorum, quae? 56. G.
Praeparatio ad Orationem, quae, & quotuplex? 507. G. 569. D. remota. ibid. proxima. 507. G. 570. A. quomodo facienda? 508. F. 509. H. an neceſſario? 509. E. quid quando affectus non excitat? 512. C. eius fructus. 570. E. ad Confeſſionem, quae? 353. F. ad Communionem, quando facienda? 44. B. ad Mortem, quae? 45. H.
Praemia noſtra, ubi? 31. C.
Praepoſiti, & eis debita obedientia. 34. A.
Praesbyteratus Ordo, quid? 684. G. eius materia, & forma. ibid. D. eius duplex poteſtas. 685. B. effectus. 684. C. 685. B. character. 684. F. 685. B. aetas requiſita. 685. E.
Praeſentia Dei, eius natura, & definitio. 161. A. 510. C. 521. G. 572. A. quotuplex? 522. A. G. 523. D. quae intellectualis, & quae imaginaria? 510. D. 522. A. 523. E. G. 572. A. quae melior? 523. E. Sanctorum ſtudium. 14. F. exemplo Regis idololatrae adſerta. 161. B. praecepta, & commendata. 14. F. 44. F. 160. E. G. 161. A. 434. D. 524. G. 525. C. 590. F. eius exercitium, & modus. 160. G. 161. E. 510. D. 523. F. 524. A. B. E. F. 525. C. eius fructus. 14. F. H. 96. E. 123. C. 277. G.
Praeſumtio, reprobata. 84. H. eius a ſpe diſcrimen. 629. A. eius remedia. Ibid. E.
Praevaricatio, legis inimica. 12. A.
Praevaricatores. 70. A.
Primogeniti Dei, eorum nomina ubi ſcripta? 335. C.
Primum Mobile. 388. A.
Principatus mundi, quid ad gloriam aeternam? 51. D. Diſcipulorum Chriſti, qualis? 68. G.
Principes huius ſaeculi. 93. C. quo honore proſequendi? 35. F. 230. E. B. 256. H. & quanti eorum gratia facienda? 215. E. quae eorum vita, & felicitas? 153. E. quis ornatus? 7. G. 9. B. 341. C. quis mos? 234. C. quis conflictus? 153. E. quae vitia, & aeternae ſalutis diſcrimina? 5. A. 7. A. 8. A. E. 27. B. 49. A. 68. G. & ſeq. 96. C. 100. A. 107. C. 234. D. 397. D. eorum Aulici. 253. F. boni, & eorum notae, & virtutes. 27. A. 173. E. 256. E. quid omnes comparate ad verum Chriſtianum? 13. E.
Principes Edom. 47. E. 123. C. 192. E. 346. G. 348. B. Ioſue, & eorum in victos contemtus. 137. A. Madian, & eorum filiae. 463. A. Sion quibus adſimilati? 404. A. Tenebrarum, & eorum inſtigationes. 74. G. 109. F. V. *Daemon*. *Diabolus*. *Satan*.
Probatio ſervorum Dei. 18. C. 80. E. 104. A. V. *Iuſti*. *Patientia*.
Prodigalitas, & eius ab avaritia diſcrimen. 135. A. eius notae. ibid.
Profectus diſcipulorum Chriſti, unde? 73. B.
Profeſſio fidei. 57. B. quando ab aegroto facienda? 60. C.
Proficientes, qui? 427. & ſeq. eorum caritas. 378. C. 428. E. ſtudium, & vigilantia. 427. & ſeq. 546. D. 547. E. examen. 725. H. exercitia. 546. F. 547. F. vota. 382. C. favores Divini. 548. E. probatio. 374. A. 548. D. progreſſus. 13. A. relapſus. 546. H.
Prophetae Dei fideles, qui? 36. E. qui falſi? 208. A.
Prophetia. 216. B. an ſanctitatis nota? 36. E. 431. A.
Propinqui, quando renuntiandi? 10. H.
Protervi, quî a Deo viſitandi? 48. F.
Provecti, & eorum gaudia. 141. A.
Providentia, quid, & quae? 69. C. 540. C.
Proximus, cur, & quomodo diligendus? 156. A. 169. F. 338. A. B. 393. A. H. & ſeq. quî cum eo verſandum? 45. E. 156. A. 170. E. ei eleemoſyna facienda. 171. F. pro eo orandum. 33. A. 171. E. in viam ſalutis omni opera dirigendus. 33. A. 40. C. 45. F. 156. B. 171. B. E.
Prudentes, & eorum labor. 89. E. 121. F. quid praemeditari debeant? 129. A. Prudentes huius ſaeculi. 56. C.
Prudentia, quae virtus? & eius munus, & actus. 93. E. 123. E. 148. B. 538. B. C. 539. B. & ſeq. caeterarum virtutum moderatrix. 539. C. eius exempla. 93. E. ſpecies. 540 E. partes. ibid. C. E. media ad eam comparandam. 279. B. 540. G. an in ſubditis? ibid. F. quo modo amittatur? ibid. H. Sanctorum, quae? 9 A. carnis, quae? & quomodo vitanda? 35. E. 79. B. 93. F.
Pruina, quid? 317. G.
Pſalmi, ad quid? 386. H.
Pſalmographus, eius amatoria querimonia. 383. G. eius modeſtia. 321. H.
Pſeudoapoſtoli, & Pſeudoprophetae. 42. H.
Pubblicanus, & eius humilitas. 34 E. 319. C. 716. G. poenitentia. 191. A. 233. E. oratio. 507. G.
iu-

iuſtificatio. 283. F. 618. E. praemium. 49. F.
Pudor, unde? 701. C.
Puellae, & earum mundi contemtus. 93. F. ad Regum thalamos adcitae. 377. H. Iſraelitides, & earum laetitia in caede Goliath. 403. A.
Puer Ieſus, Iaculatoriae orationes ad eum. 663. B. & ſeq. V. *Exercitium Praeparatorium ad Natalem Domini*. 661. & ſeqq.
Pueri, mundi contemtores. 93. F. eorum ſalus. 151. E. 266. C.
Pugna iuſtorum, quae? 13. H. 94. D. 95. C 114. C.
Pulchritudo, & eius natura, & definitio. 295. C 298. E. 299. A. 301. C. 366. H. 367. A. 368. E. 369. A. 530. F. quid Divinum dicta. 299. F. 369. E. & ipſa bonitas credita. 295. C. quid comparatione gloriae? 51. E. unde? 295. E. 654 C. eius vis, & efficacia. 299. G. 367. C 368. F. 382. G. eius inliciae. 295. D. 654. A. effectus. 296. A. finis 369. B. honor ei debitus. 394. A. Pulchritudo carnis, fallax. 97. E. 369 E. 464. G. Architectonica. 298 F. 368. G. exercitus. 299. A. 368. H. hortorum. ibid. G. rerum inſenſibilium. 369. B. creata, & increata, & quî differant? 303. D. ſupernaturalis. 51. E. 370. C. ſpiritualis. 127. A. 301. B. C. D.
Pulchritudo Dei, quae? 303. E G. Chriſti. 304. E. 314. E 341. E. Mariae Virginis. 654. D. 655. H. V. *Deus*. *Chriſtus*. *Maria Virgo*.
Pulchrum, quid? 295. C. cur καλὸν dictum? 654. A.
Purgatorium adſertum. 52. D.
Puritas vitae, quae, & eius effectus. 73. B. 254. F. 655. G.
Puſillanimes, animandi. 33. A.
Puſillanimitas excutienda. 81. C. 276. A. B.
Pylades, & eius amor in Oreſtem. 292. D.
Pythagoras, quid Diſcipulis commendaret? 717. G.

Q

QUadrageſima, & eius ieiunium. 589. G. cur inſtituta? ibid. & 623. B.

R

RAchel, & eius ſignificatio. 325. E. filii. ibid ploratus. ibid. & 380. C. Sponſa Iacob. 460. A
Radix malorum omnium, quae? 134. A.
Raptores a Regno coelorum excluſi. 12. A.
Raptus, eius natura, & deſcriptio. 437. A. B. G. 557. A. quid notet? 163. E. 437. A. 557. A. in qua animae facultate fiat? 557. A. B. quomodo? 437. D. eius cauſſae. 437. C. 557. D. effectus. 442. B. 582. F. ſpecies quae & quot? 437. C. 438. F. 439. E. qui ſublimis? 440. A. F. eius ab ecſtaſi diſcrimen. 437. B. 557. C. & ab unione? 442. B. & ab viſione? 558. B. qui imperfectus, & qui ſpurius? 557. B. E.
Ratio, quid? 540. C. vir dicta. 714. C. ſuperior, & inferior. 560. C.
Rationales oves, qui dicti? 21. C.
Recreatio animi praecepta. 380. C.
Redemtio hominis, & eius myſterium. 160. E 203. F. a quo effecta? 91. A. 160. E. 202. H. pro quibus? 307. C. quot modis fieri poterat? 203. H. eius pretium. 198. A ab ea omnis ſalus. 241. D.
Redemtor noſter, quis? 261. A. aeternae ſalutis auctor. 22. B. quanti faciendus? 55. A. quid pro homine operatus? 243. A. G. quomodo peccatorem expectet? 197. E. eius ſermones molliti. 203. B & ſuave iugum. 496. C. & opera meditanda. 207. C. V. *Chriſtus*.
Reformatio ſuipſius praecepta. 156. A. 169. B. Ordinum Regularium. 74. F.
Refrigerium aeternum labori paratum. 17. G.
Reges, unde? 27. A. quid cum Deo comparati? 230. F. quid iis agendum, ut ſpiritualiter vivant? 173. E. quid in regimine Reipubblicae. 174. A. C. quid in gubernatione domeſtica? 173. H. 174. A. F. quid in bello indicendo? 174. A. B. quid in vectigalibus imponendis? ibid B. quid in primogenitos? 173. G. quid de Opulentia? 134 B. quid in adverſitatibus? 257. A. quid, cum Servis Chriſti? 69. A. Sancti pauci, illiſque paratum praemium. 27 B. C. mali, iisque paratum ſupplicium. 48 G & ſeq.
Reges Amorrhaei, & eorum ſignificatio. 4. H. 32. B. 41. F. 81. A. 286. G 488 G. Chananaei, & eorum ſignificatio. 14. A. 81. A. 74. G. 114. B. 286. G. 460. F. 489. A. Medorum, & Perſarum, & eorum Regnum. 5. B.
Regina Caeli, quae? 492. A. eius decor, & forma. 654. A. 655. B. origo. 656. A. Sapientia, & gratia. 656. C. E potentia & miſericordia. 657. C. E. imperium. 657. D. beneficentia. 657 A. Virginum dicta, & eius modeſtia. 493. F. 657. F.
Regina Saba, eiuſque admiratio in Salomonem. 302. A. 477. H. 656. C. Sion, quae? & eius dotes. 51. F. 302. C. adpellationes. 302. C.
Regio vivorum, ubi, & quae? 5. F. 211. C. 212. A. 214. D. 288. E. 290. C. 293. C. 294. A. damnatorum, quae? 51. B. 119. G.
Regnum Caelorum, & Dei, eiuſque felicitas, & opulentia aeterna. 95. F. 98. E. 107. G. quomodo quaerendum? 43. C. 255. B. & qui comparandum? 8. E 81. F. 109. G. 120. F. 163 D. 460. F. vim patitur. 30. F. 127. A. 163. D. 499. C. quibus paratum? 40. E. quibus negatum? 12. A. perfectae ſapientiae initium. 115. D. Regnum amoris Dei, ubi? 341. C.
Regnum David, & Salomonis. 121. C.
Regula Carmelitica. 506. H.
Regulae diſcretionis ſpirituum. 562. B.
Relligio, eius natura, & definitio. 96. B. 538. E. 541 E. eius nomenclaturae. 24. F. 541. G. pars iuſtitiae. ibid. C eius actus praecipui, qui, & quot? 541. G. & ſeq.
Relligio, qualis ſtatus? 112. G. Carmelitica, eiuſque finis princeps. 506. E. 507. C. V. *Ordines Relligioſi*.
Relligioſi, eorumque ſtatus, & encomia. 21. E. F. 24. D. F. 39. A. eorum finis. 505. A. C. officia, & exercitia. 44. B. 142. B. 165. E. 179. B. 274. A. 279. B. 505. A. C. vota. 727. A. mundi contemtus. 6. G. 274. A. paupertas. 21. E. 98. G. carnis mortificatio. 21. E. 39. A. 142 B. ſui abdicatio. 39. A. an eleemoſynas erogare poſſint? 716. C. quid de illis ſaeculares? 273. A. boni, & ferventiores, eorumque deſcriptae virtutes. 24. D. E. F. 39. A. 275. G. 277. A. 285. E. 591. B. 601 H. reformati, eorumque vitae ratio. 590. D. 600. C. mali, & eorum vitia. 5. A. 24. F. Carmelitae, & eorum obligationes. 506. F. & ſeq.
Remedia animae, quae? 56. C.
Remiſſio peccatorum, quid, & quomodo? 202. H. 305. D. 707. C.
Remorſus conſcientiae, quid? 194. B.
Renes, eorum ſignificatio. 313. H.
Repraeſentatio, quid? 444. F.
Reprobi, & eorum audacia. 80. F. & ſupplicia. 212. E.
Requies ſempiterna iuſtorum, quae? 8. B. 76. E. 88. A. 113. B. 119. G. 141. C. 217. F.
Reſignatio voluntatis praecepta. 270. A. 318. B. eius perfectio. 271. A. 543. E.
Reſpiratio, & Inſpiratio, quid? & earum ſpirituale exercitium. 357. A. & ſeqq. V. *huius tituli ſingulare Tractatum*. ibid.
Reſurrectio mortuorum, quid? 252. A.
Retributio aeterna brevi tribulationi parata. 148. C.
Revelationes, quanti faciendae? 36. G. quomodo diſcernendae? 445. G.

Rex, Chriſtus Domini dictus. 82. C. eius mos in victos. 137. A. eius Relligionis exercitium matutinum. 174. G. Iſrael, quomodo Syrios exceperit? 405. B. Salomon, quomodo ornatus? 68. H. Sion myſticus. 66. B. 85. F. Aegypti cui comparatus? 80. A. 195. A. Babylonis, & eius magnificentia. 7. E. 209. B. ſuperbiae, quis? 47. E. Coeleſtis, & eius a terreno diſcrimen. 256. E. eius dignitas, & pulchritudo. 6. G. 251. C. 300. E. 311. A. pacificus dictus. 72. E. 300. E. 311. A. 656. F.
Rhetorica naturalis. 569. A.
Ritus Eccleſiae. 60. F.
Roboam, & eius conſiliarii. 231. F.
Robuſti Moab. 47. E. 123. C. 192. E. 488. G.
Romani, & eorum Duces. 5. B. eloquentia. 66. B. honeſtatis amor. 127. A. & honoris. ibid. E. H. nominis celebritas, & unde? 128. E. Imperatores. 129. A. ritus ad foedera ineunda. 406. D. mores. 618. G. Imperium exturbatum. 698. F. memoria deleta. 66. B. quid in extremo iudicio? 49. A.
Ros Hermom. 96. F.
Ruth, cur ſpicas conlegerit? 716. B. quomodo a Booz habita? 715. C.

S

SAbaei, & eorum prudentia. 107. A.
S. Sabina. 40. B.
Sacerdos, & eius dignitas. 23. G. H. 96. A. conſecratio. 23. H. 684. D. munia, & inſignia. 684. E. F. mores. 23. G. 24. B. monita, ad illum. 178. E. quid debeat moribundo adſiſtens? 58. A. bonus, quis? 23. H. & ſeq illius retributio. 24. E. & virtutes. 96. A. malus eiuſque vitia, & poena. 24. B.
Sacerdotalis Civitas, quae? 205. F.
Sacerdotes plurimi in Eccleſia. 23. G. Sacerdotes Baal. 231. A.
Sacra quomodo tractanda? 275. C.
Sacra Scriptura. V. *Scriptura Sacra*.
Sacramenta Eccleſiae, quae, & quot? 607. D. 679. A. 680. A. a quo inſtituta? 31. D. 42. D. 57. C. 266. E. quae ſigna? 679. C. eorum materia. 679. A. effectus. 15. E. 358. A. 679. B. Divinae gratiae canales dicta. 44. D 213. D. 592. G. & inſtrumenta ſalutis. 15. F. 31. G. remedia peccatorum & infirmitatis humanae. 31. G. 42. D. 60. B. 158. C. D. 284. A. 306. C. eorum uſus, & diſpoſitio ad ea. 44. A. 158. B. C. E. 159. C. frequentia. 42. G. 158. G. 159. B. & fructus. 158. E. extrema quando recipienda? 56 C. eorum maximum, quod? 607. D. V. *Sacramentum*.
Sacramenta Veteris Legis. 679. D.
Sacramentalia, quae? 680. B. eorum effectus. 622. H.
Sacramentum, quid; & quae ad illud poſtulata? 679. A. C. eius effectus. 410. C. Euchariſtiae, & eius dignitas, vis, & encomia. 15. E. 31. D. 57. C. 158. E. 212. A. 243. B. C. 255. B. 279. C. 285. A. 331. D. eius finis. 346. F. forma. 681. C. E. effectus. 243. B. in eo realis praeſentia Chriſti. 31. D. ad illud digne diſpoſitiones. 44. C. 55. B. eius frequentia, an improbanda? 321. F. V. *Euchariſtia*. Poenitentiae, & eius natura, effectus, & uſus. 15. E. 31. E. 44. A. 273. D. 306. A. V. *Confeſſio. Poenitentia*.
Sacrificium, quid? 96. A. iuſtitiae, quid? 84. G. 91. H. 274. B. propitiatorium. 318. E. Deo gratiſſimum, quale? 41. A. 73. G. 77. G. 101. D.
Saeculares, quanti habeant Crucem? 264. C.
Saeculum, & eius pericula. 19. D. Vanitas, & inconſtantia. 100. A. 105. A. 112. G. eius carmina. 380. H.
Saevitia cavenda. 20. A. 66. B.
Salices, quae arbores? 380. G.
Salomon Rex Iſrael. 128. B. eius iudicium. 112. C. 554. A. eius Regni felicitas. 121. C. 142. A. 252. F. 403. D. domeſticus adparatus. 240. C. 253. E. 349. A. deprecatio. 134 B. ſcientia infuſa. 444. G. de vanitate ſententia. 252. E. lapſus. 142. E. myſtice quonam diademate, & quando ornatus? 68. A.
Salvator, & eius adventus. 10. A. & crucifixio. 210. B. V. *Chriſtus*.
Salus aeterna, in quo? 216. H. unde? 22. B. 55. G. 76. C. 120. E. rerum graviſſima. 54. B. 149. E. 276. E. qui procuranda? 44. C. 135. G. 149. A. longe a peccatoribus. 88. A.
Samaritana, & eius cum Chriſto conloquium. 237. G.
Samaritanus Evangelii, & eius miſericordia. 715. D.
Samſon, quid ex amore paſſus? 371. F. eius fortitudo. 554. C.
Sancta, ſanctae tactanda. 162. E.
Sancti Dei, eorumque laus. 22. C. 253. G. ſtudium & diligentia vitae. 14. C. 16. A. 35. E. 40. H. 251. D. 319. E. virtutes. 45. C. 109. A. caritas. 41. F. 48. C. 193. B. 610. A. miſericordia. 20. A. B. Sapientia, & ſpirituale magiſterium. 16. G. 41. B. 164. F. 198. B. Dei timor. 113. F. mundi deſpectus. 19. B. abſtinentia, & ſobrietas. 19. C. ſilentium, & receſſus. ibid. patientia, & quanta pro Chriſto paſſi? 17. F. 19. D. 30. E. 35. E. 264. E. an ſpiritualia ſolatia petierint? 317. F. eorum conſortium. 19. C. 40. E. & veſtigia ſectanda. 17. C. 19. C. 40. H. 96. E. 268. D. 338. F. corporis integritas, & fragrantia. 118. E. 615. E. eorum haereditas aeterna. 14. C. 193. C. 219. C. eorum ordines. 40. F. interceſſio, & patrocinium. 41. F. 266. F. caelibes, qui? 40. A. coniugati, qui? ibid. Seraphici Novi, & Veteris Teſtamenti. 334. D.
Sanctitas perfecta. 17. B. an annorum numero computanda? 260. D.
Sanctuarium Dei, & quae gentes illud ingreſſae? 86. B.
Sanguis Chriſti, eiuſque fructus. 66. F. 96. A. 209. E.
Sanir mons, & eius ſignificatio. 313. B.
Sanitas, & eius amor. 403. H. intellectus, quae? 431. C.
Sapientes, & eorum labor. 121. F. quo honore digni? 128. B. Mundi, qui? 8. D. 11. C. 111. B. eorum fallacia. 161. G. 273. H. Septem Sapientes Graeciae. 128. B.
Sapientia, eius definitio, & etymologia. 425. D. 426. A. 538. B. vera, quae? 35. C. 38. E 71. E. 123. E. 162. B. 371. C. 461. E. rara. 310. E. eius effectus, & actus. 122. B. 427. A. D. Chriſti, & Sanctorum, quae? & eius nomenclaturae. 15 E. 21. B. 41 B. 47. G. 30. F. 38. D. 70. E. 100. C. 215. A. 431. E. caeleſtis, & eius effectus. 121. G. 122. A. Spiritus Sancti donum. 426. A. nobis repromiſſa. 20. G. ubi non habitet? 72 H. unitiva, quae? 434. A. terrena, & mundi, quae? 32. C. 100. C. 216. B. amens, & inrationalis, quae? 401. E.
Sapientia Dei, & eius effectus. 66. G. 70. C. 114. D. 301. G. V. *Deus*.
Satan noſtrae ſalutis inimicus. 55. D. 109. H. 461. A. eius inſidiae, & ſuggeſtiones. 41. F. 55. C. 56. G. 114. C. eius inobedientia. 97. F. V. *Daemon. Diabolus*.
Satisfactio, quid? 682. D. 712. G. quomodo perficiatur? 692. A.
Satrapae Medorum, & Perſarum. 98. F.
Saturitas, & eius effectus, & modus. 118. A. 134. C.
Saul, qui? 261. C. initio bonus. 588. H. eius regni infelicitas. 348. H. qualis in David? 406. F. quo ſpiritu actus? 79. H. 327. E. eius perverſio. 235. A. C. & reprobatio. 194. E. immanis tyrannus. 406. G.
Saulus, & eius converſio. 66. B. 237. E.

Scandalum vitandum. 45. E. F. cur neceſſarium? ibid. F. eius occaſio tollenda. 202. B.
Schola Ieſu Chriſti. V. *huius tituli Tractatum* pag. 65. & ſeqq.
Scholae hominum, & Philoſophorum, & earum defectus. 65. A. B. 66. F. 67. B. F. 68. B. E. 215. F.
Scholaſtici, & ad eos monita. 179. G.
Scientia, quid? 538. B. quid comparatione doctrinae Chriſti? 71. H. quid in tribulationibus? 17. E. Spiritus Dei, quae, & ubi diſcatur? 112 B. C. D. Sanctorum, & quî comparanda? 155. D. 164. B. 571. A. Paulli, quae? 164. C. & Davidis. ibid. prophana, & eius effectus. 11. C. 112. B. humana, quî ea utendum. 28. E. inutilis. 164. B. inflans. 73. C. 121. G.
Scientia Dei, eius effectus. 112. B. F. V. *Deus*.
Scipio Africanus, & eius fortitudo. 128. F.
Scribae, & eorum in Chriſtum perſequutio. 242. E.
Scripta Sanctorum, quid praeſtent? 15. A.
Scriptores Ethnici, quid de amore? 293. E.
Scriptura Sacra, & eius praeſtantia. 15. A lectio commendata. 11. B. 30. E. 190. H. abuſus. 41 A. Interpretes. ibid. Septuaginta eius Interpp 321. D. 575. E.
Scrupuli qui dicti, & unde? 627. E. F. abiiciendi. ibid. & 56. B.
Scrupuloſi, & ad eos monitum. 528. C. quid in hora mortis? 628. D.
S. Sebaſtianus Martyr. 37. F.
Sectae, & earum auctores. 115. B.
Sectarii, & eorum vitae. 66. E.
Sectatores viae vitae. 6. G. mundi, & eorum error. 8. B. 9. F.
Securitas, quid? 543. H.
Sedes prima, quanti apud mortales? 132. F.
Segnities, quid? 276. D. G. 536. A. fugienda. 256. A. 276 D.
Senatores terrae. 67. D.
Seneca, quid de peccato ſenſerit? 692. D.
Senectus mentis, quae? 93. D. quae morti contigua? 137 G. quae Venerabilis? 490. F.
Senes, & eorum conſilium exquirendum. 279. A. Scholae Chriſti, qui? 66. F. ſceleſtiſſimi, qui? 366. F. Suſannae caſtimoniam tentantes. 294. H.
Senſualitas, & eius blandimenta. 10. H. mulier dicta. 714. C.
Senſus hominis, qui? 119. B. quî varie dicti? 96. F. 115. B. 210. E. 460. C. rebelles, & indomiti. 344. B. 458. D. 460. C. quomodo coercendi? 79. C. 163. C. 167. D. externi, qui? 163. B. variae eorum nomenclaturae. 217. B. 354 C. 696. C. quando moveantur? 167. C. eorum mortificatio. 167. A. C. E. 217. B.
Sententia propria, & eius tenacitas 408. C.
Seon Rex Amorrhaeorum. 348. B.
Septuginta Interpp. & eorum teſtimonia. 321. D. 575. E.
Seraphim, unde dicti? 435. III. eorum pulchritudo. 301. F. quî Deo adſtent? 339. B.
Sermo, & eius elegantiae vis. 67. A. 117. G. conceptus difficile retinetur. 449. C. mordax cavendus. 409. A. Sapientiae, & ſcientiae, quid? 116. A. vivus, & efficax, qui? 137. E Chriſti, & eius ſuavitas. 66. A. E. 68. C. 117. C. quomodo audiendus. 68. C. 96. E. damnatorum, qualis? 50. C.
Serpens, quomodo pellem exuat? 713. E. antiquus myſtice. 38. A.
Servi Dei, qui? & eorum laudes. 43. C. 68. A 85. E. 95. H. 112. H. 170. D. beati dicti. 14. F. 78. E. 82. E. 83. A. 84. H. 92. C. 97. A. 103. D 119. F. eorum felicitas, & animi tranquillitas. 74. G. 85. D. 86. F. 92. B. 103 C 108 C. 115. C. 261 F. vitae ratio. 6. C. 84 H. 90. B. 92. E. 93 A. 102. H. 103. D. E. 116. H. 150. E. 595. H. fides. 90. B. ſpes. ibid. E. Dei amor. 78 F. 85. F. & proximi. 92. B. gratitudo. 103. B. miſericordia. 5. H. 94. A. 101. G. manſuetudo. 100. A. humilitas. ibid. E mundi contemtus. 73. F. 98. F 120. A. 257. A. vigilantia. 73. F. 76. E. 106. G. modeſtia, & caſtimonia. 85. E. 87. F. 98. B. 104. F. 106 A. 171. A. poenitentia 18. D. 75. C. 77. B. 103. E. eorum iuſtitia. 278. C. patientia, & paſſionum tollerantia. 18. F. 49. A. 80. A. B. 104. A. 110. B. 264. E. fortitudo. 76. E. 82. A. 87. G. 88. F. 95. D. 99. E. 114 B E. 115. B. perfectio vitae. 257. D. E. opera miranda. 112. G. 280 G. honor, & gloria. 69. A. 253. G. 257. A. B. 264. F eorum veſtigia ſectanda. 19. F. & conſortium quaerendum. 157. G. correptiones excipiendae. 168 C. interceſſio poſtulanda. 18. D. delicati, qui? 20. G.
Servitus Dei, & eius merces. 9. C. duplex quae? 72. B. dura nimis, quae? 118. A. 209. D. Pharaonis. 12. G. Satanae. 55. D.
Servus fidelis, & eius gaudium. 16. G. 52. C. ad oculum, qui? 106. B. Servus nequam Evangelicus, & ei remiſſum debitum. 8. G. 233. E. 319. C. 618. E.
Sibilus aurae tenuis, quid? 96. E.
Sidoniae Mulieres. 482. E.
Sidonii mercatores. 112. A.
Silentiarii honore habiti. 269. H.
Silentium, quae virtus? & eius vis. 81. B. 105. E. F. H. commendatum. 39. D. 269. B. F. eius obſervantia, & modus. 105. D. G. 106. A. 269. B. 441. G. praemium. 106. A. eius violatoribus poena. 729. D.
Silius Italicus. 378. A.
Simplicitas Deo adcepta 97. E.
Sion, mons Sanctus. 342. G. quî ad illum adſcendendum? 89. G. quae civitas? 489. D. terreſtris, & coeleſtis, quae? 390. C. Sponſa Chriſti dicta. 30. C. eius Regina. 51. F. filii. 17. D. quies. 96. F.
Sitis Populi Iſraelis. 16. H Inferni. 50. G.
Sobrietas, quae virtus? 544. E. praecepta. 10. A. 49. G. 169. C. eius merces. 104. A.
Sodales Chriſti. 21. C.
Sodoma, & eius exuſtio. 273. A.
Sol & eius creatio. 18. E. 342. G. Iuſtitiae, quis? 479. D.
Solatia mundi fallacia, & refutanda. 25. C. 97. A. 211. B. Dei ineffabilia. 196. G.
Solertia, quid? 540. C.
Solitarii, an omnes laude digni? 25. C. D. an eorum vita caeteris perfectior? 552. F. eorum merces. 25. E. antiqui inſigniores. 271. B.
Solitudo, quibus foecundiſſima? 25. E. 220. B.
Sollicitudo, cuius virtutis? 540. F. praecepta, & commendata. 14. H. 250. A. ubi potiſſimum exercenda? 11. D. 15. H. 91. B. terrena, quae? 98. E.
Solon laudatus. 128. C.
Somnolentia, unde? 120. F. eius remedia. ibid. E.
Sonitus Citharae, & eius vis. 9. H.
Spes Theologica, quae virtus, & unde? 86. D. 199. A. 373. D. 529. G. 534. D. E. 545. G. eius a praeſumtione diſcrimen. 629. A. cui comparata? 621. E. cuius donum. 391. A. eius obiectum. 426. G. & motiva. 60. A. 391. C. 528. G. in quo ponenda? 9. A. D. 17. E. 21. B. 42. E. 43. A. G. 57. C. 76. D. 91. C. 282. E. 391. B. eius effectus. 41. D. 90. F. G. 391. D. E. 458. C. 534. F. exercitium, & uſus. 56. A. B. 120. G. 123. D. modus. 14. G. 32. B. 56. E. 57. C. 157. A. 607. E. praeſertim in morte. 56. A. 59. A. incedens uſque ad interiora velaminis, quae? 18. E. dilata, & eius vis. 451. E. inordinata, & eius remedia. 7. A. 9. C. 534. F.
Speuſippus, & eius mortis cauſſa. 698. G.
Spirituales, cur pauci? 152. E. eorum ſtudia, & virtutes 154. B. E. 156. E. 317. E. eorum error. 156. C.

Spiritus, quid? 561. B. E. 580. C. eius pugna adverſus carnem. 13. G. quibus virtutibus erigatur? 580. F. omnium tutiſſimus, qui? 561. F. boni a malo diſcernendi notae. 563. B. & ſeqq. in oratione, an coercendus? 157. H. 510. A. eius volatus. 442. B. languor. 88. C. Sapientiae, & intellectus unde? 38. E. Spiritus vertiginis in hoſtes Iſraelitarum miſſus. 14. A.
Spiritus Dei, & eius mirabilia. 117. F. 165. H. eius ſuavitas. 4. A. 96. E. 115. A. eius fructus. 115. A. eius a malo diſcernendi ſigna. 562. G. & ſeq.
Spiritus Sanctus, cur nobis propinquus. 435. III. Mariae Virginis Sponſus. 479. G.
Spiritus Beati, & eorum gaudium. 52. A. C.
Sponſa myſtici Cantici. 374. G.
Sponſi Eccleſiarum, qui? 23. C.
Sponſus animae iuſtae, quis? 326. B. eius in eam inlapſus. 332. E. eius ſuavitas, & dona. 18. E. 96. G. 332. D. E. 368. C. Mariae Virginis, quis? 479. G.
Status diſtincti in Eccleſia. 43. E. eorum diviſio. 546. C. proprius cuiuſque, & eius officia. 156. A. qui feliciſſimus? 86. E. trium viarum ſpiritualis vitae. 547. A. Gratiae. 240. F. 241. A. B. V. *Gratia*. Teporis animae. 150. F.
Stella, quî differat a ſtella? 427. F. Magorum adorantium Chriſtum. 280. B. E.
S. Stephanus Martyr. 37. F.
Sterilitas, & eius effectus. 254. G.
Stigmata Chriſti, quibus impreſſa? 95. E.
Stola Gratiae. 203. F. Gloriae. 119. B.
Struthio, qui typus? 102. C.
Studioſitas, quae virtus? 545. E.
Studium, quodnam ſequendum? 13. C. 14. C. 164. A. Stulti, & eorum numerus. 10. A. 39. D. 75. D. eorum declinanda conſortia. 10. A. 16. A. de bono erronea ſententia. 126. B.
Stultitia. 43. F. 199. G. quae extrema? 132. F.
Stupor, timoris effectus. 536. A.
Subdiaconatus, quid? 683. G. eius ſignum. 684. A. materia, & forma. 683. G. effectus. 684. A. aetas requiſita. 685. E. munia, & obligationes. 684. A.
Subſtantia mundi, quae? 6. A. 149. C.
Suicidae, & eorum error. 330. C.
Sulamitis. 74. F.
Summum Bonum, & eius natura. 411. E.
Sumtus laudatiſſimi, qui? 135. D.
Superbi, qui? & eorum poena. 12. A. 18. B. 34. C. 191. C. eorum vilitas. 34. C. pace orbati. 407. F.
Superbia, quid? 84. A. 407. F. eius effectus. 84. A. 100. E. 260. E. 698. C. & remedium. 714. B. D. Nabuchodonoſor, quae? 6. E.
Superior, & eius dignitas deſcripta. 24. E H. 33. H. 97. D. 162. E. 165. E 170. G. 262. C. eius notae. 107. C. obedientia, & amor ei debitus. 21. E. 34. B. 162. E. 170. G. quis bonus? 24. H. & ſeq. 97. D. eius merces. 25. B. ſuperior quidam laudatus. 165. A. malus quis? 25. B.
Suſanna, & eius fidelitas. 112. C. eius tentatio. 294. H.
Suſpenſio admirationis effectus. 432. C.
Suſurrones pacis inimici. 409. B.
Symbola Mariae Virginis. 657. H. & ſeq.
Symbolum Apoſtolicum, & eius EXPOSITIO. 651. & ſeqq.
S. Symphoroſa. 40. B.
Synceritas commendata. 7. C. 18. E.
Syndereſis, quid? 540. B.
Syneſis, quid? 540. E.
Syrii eorumque timor in obſidione Samariae. 81. G.

T

T Graecum, quale ſignum? 294. A.
Tabernacula Dei, quae? 51. H. Peccatorum. 8. H. Iſrael. 81. A. Iacob. 22. A.
Tactus Senſus, 118. G. eius mortificatio. 168. H. voluntatis myſticus, qui & quomodo? 435. C.
Taedium vitae ſpiritualis, unde? 88. A.
Tantalus, & eius fabula. 330. E. 385. F.
Tartarus calcandus. 16. E. qui timendus? 142. C.
Tauri ad victimam, qui? 94. B.
Tela exitioſa, quae? 134. A.
Temperantia, quae virtus? 85. F. 94. F. 539. B. infuſa, & adquiſita. 539. E. eius ſedes. 544. C. eius partes, quae, & quot? 544. D. E. G. finis. 7. F. munia. 538. F. praeceptum. 7. E. 141. E. 169. C.
Templum Dei, & eius prophanatores. 107. E.
Temporalia bona. 54. B.
Tempus, & eius fluxus. 249. A. 276. D. E. eſuriendi, & ſitiendi. 118. A. orationis. 160. B.
Tenebrae. 12. A. quae myſticae? 18. E.
Tentationes, unde? 225. E. earum gravitas, & periculum. 109. G. 526. A. E. G. effectus. 104. G. remedia. 525. F. 526. H. 527. B. quo modo illis reſiſtendum? 16. E. 526. C. 598. F. contra fidem, quae? & earum periculum, & remedia. 58. D. 59. B. 526. A. C. & ſeq. Deſperationis. 59. B. C. 528. G. 615. H. odii Dei. 529. A. obſcenae. 526. E. F. Scrupuloſae. 527. H. & ſeq. earum victoriae fructus 16. E.
Tentoria Aethiopiae. 90. F. 489. A. Iſrael. 222. A.
Tepidi, & Tepor ſpiritualis, & eius periculum. 150 F. 151. A.
S. M. Tereſia, eius virtutes, doctrina, & elogium. V. *Epiſtolam illi Scriptam* a pag. 482. ad 488. & 39. G. 103. B. 295. G. 386. F. 578. B. eius amor erga Deum. 334. D. eius magnanimitas. 333. F. 544. B. gratitudo. 103. B. 543. F votum maioris perfectionis ſervandae. 313. F. 333. E. viſio. 295. F. Doctrina. 430. F. 431. A. 437. E. 440. D. 445. C. 449. E. 552. B. de oratione quietis ſententia. 338. B. de ariditate. 331 A. de unione Divina. 332. E. 442. B. de mentis elevatione. 437. F. eius mors. 438. G.
Terra, eiuſque partes, & fructus. 4. C. 109. C. 198. D. 292. C. 341. C. 404. C. maledicta. 22. D. eius idola. 311. A. & magnalia. 340. C. Aegypti, quae? 103. A. Edom. 113. E. Chriſti, quae? 4. D. H. 102. G. promiſſionis, quae? 41. C. 81. A. 96. C. 103. A. G. 214. A. eius fertilitas. 66. H. 77. F. 488 G. unde exploranda? 16. H. viventium, quae? 121. A. 222. D. 258. A. 277. G. eius amplitudo. 38. E. 150. E. abundantia. 209. B. 211. B. 386. F. Senatores. 120. E. morientium, quae? & eius labor. 49. H. 294. A. 460. B.
Terror mortis. 194 B.
Teſtamentum, quando condendum? 46. B. 54. C. 67. A. 605. E. quando confirmandum? 54. D. 606. A. quale eſſe debeat? 54 D. Teſtamentum Dei. 20. G. 33. E. Novum, quale? 22. B. 116. C.
Teſtimonia Dei, quae? 78. F.
Teſtimonium conſcientiae, quid? 241. A. 636. A. 643. F.
Thalamus Dei. 119. B. eius gaudia 122. F. ubi? 213. F. quo modo adeundus? 122. G.
Thales laudatus. 128. C.
S. M. Tharaſia. V. *S. M. Tereſia*.
Theman. 68. E.
Theologi, & eorum de pulchritudine ſententia. 368. F. Myſtici, & ab illis inventa vocabula. 423. V. XII. 439. B 560. H.
THEOLOGIA MYSTICA, quid? & eius deſcriptio varia. 423. IX. 424. XIX. XXX. 425. C. 426. E. 429. A. 441. F. 442. D. 443. D. 558. F. 560. E. 582. D. 583. A. quotuplex? 423. VII. Spi-

ritus Sancti Donum. 427. E. eius actus. 427. E. 429. A. 559. E. quid intellectui praeſtet? 425. A. quid voluntati? ibid. & 559. F. 560. G. eius potiſſima pars. 426. E. 431. A. 435. D. 436. B. eius magiſter. 423. X. Scholaſtica, & poſitiva, quae? 67. F. 423. VII. VIII. 425. A.

Theſaurus, ubi condendus? 37. A. 42. F. terrenus, quibus permutandus? 137. C. Sapientiae, & Scientiae Dei. 11. C. gratiae, ubi conditum? 14. C. 42. G. 70. H. 72. F. 86. C.

S Thomas Aquinas, eiuſque doctrina. 38. F. 100. E. honorum contemtor. 129. E.

Thus, eiuſque ſignificatio. 713. C.

Timor, quid? & eius definitio. 529. G. 535. G. Adae patrimonium. 120. F. eius cauſſae. 536. B. effectus. 59. B 135. A. 272. F. 536. C. 700. D. diviſio. 536. A. 553. D. uſus. 120. G. remedium. 14. A. 536. E. carnalis. 82. A. 256. A.

Timor Dei, quid, & qualis? 76. D. 81. G. 113. F. eius effectus, & utilitas. 69. F. 76. D 137. B. 158. A. 274. F. quotuplex? 700. E. Servilis, quid? 82. A 113. G. 158. A. 553. D. quomodo purgandus? 113. G. 158. A. vel excutiendus? 373. E. caſtus, & Sanctus, eius excellentia, & effectus. 113. G. 158. A. 700. G. H. initialis, qui? 553. E. 700. F. filialis, & eius effectus. 82. A. 110. B. 153. E. F 700. E Spiritus Sancti Donum. 553. F. eius praeceptum. 46. C. 142. C. Crucis abiiciendus. 11. F.

Timorati, beati dicti. 113. H. pauci. 597. E. eorum ſtudium, & diligentia. 151. A 416. A. 590. A. 592. F. 595. B. 601. G. 606. B. 631. C. imitandi. 602. A.

Tobias, iuſtus, eius caecitas. 18. E. eius patientia. 104. B. eius monita ad filium. 135. E. 715. E. eius mortis votum. 330. D. 385. A.

Tonſura, quid, & an Ordo? 683. B. aetas ad eam requiſita. 685. E.

Tormenta, aeterna. 11. G. vitae praeſentis, quae? 210. F. ignis. 212. E.

Tranquillitas, quid? 18. A. memoriae. 41. E.

Transformatio, cuius effectus? 334. B. 530. H. eius arcanus modus. 441. F. 444. C.

Tribulatio, & eius vis. 17. E. & fructus, & merces. 52. G. 148. C. 286. H.

Trinitas, & eius myſterium. 279. G.

Triſagium. 275. E.

Triſtitia, quid, & eius definitio. 229. G. 533. C. eius cauſſae. 104. C. 533. F. modi multiplices. 533. D. E. effectus. 9. E. 81. B. 92. C. 120. E. 533. G. inordinata, & eius effectus. 79. E. 88. A. 533. F. eius remedia. 14. A. 79. E. 534. A. C. eius uſus apud iuſtos. 9. E. 33. A. 49. E. 80. A. 120. C. 154. E.

Triticum, myſtice, quid? 23. D.

Triumphatores mortis. 491. C.

Triumphus Romanorum. 131. H.

Tubae, & earum effectus. 297. E.

Turba clamoribus confuſa. 18. A.

Turris Libani. 13. B. Babel. 588. D.

Turtur, quae avis? 388. F.

Tutela Angelorum. 48. C. 60. D. V. *Angeli.*

Tympana, & eorum vis. 297 E.

Tyranni, non timendi. 37. B. 95. F. 114. A.

Tyrii mercatores. 112. A.

Tyrones vitae ſpiritualis, qui? 427. G. 428. D. eorum amor. 378. C. ebrietas Spiritualis. 438. A. zelus. 710. E. error. 542. C.

V

VAnagloria, quale vitium? 130. B. quî extirpetur. 84. G.

Vanitas, unde? 77. D eius effectus. 4. C. contemnenda. 5. C. 6. E. 17. C.

Vaſa irae, Dei, quae? 51. A. quae fragilia? 110. A. electionis, quomodo ornata? 116. A. & probata. 314. G. ſacra quomodo tangenda? 96. A.

Ubera Sponſi myſtici, quae? 18. E. 96. G. eorum ſignificatio. 404. B.

Vena aquae vivae, quae? 13. E. 78. A.

Venefici excluſi a Regno Caelorum. 12. A.

Venter, & eius pugna. 85. G. quorum Deus dictus? 103. E. 267. E.

Vennſtas, & eius inlicia. 367. E.

Ver novum. 121. C.

Verba, quae menti conformia? 106. G. quo modo examinanda? 719. E. quae otioſa? 105. E. quae conſolatoria? ibid. B. Dei, & eorum energia. 65. C. 72. A. 137. E quî praedicanda? 117. C. Verba Dei animam adloquentis, quo modo diſcernenda? 445. D.

Verbum Dei, caro factum. 67. A 200. F. cur? 200. H. 236. B unde? 200. F. 492. E. eius vis, & eruditio. 100. E 431. E. V. *Chriſtus*.

Verbum Crucis, quanti faciendum? 38. D. qno modo intelligendum? 76. C varius eius effectus reprobis, & electis. 202. C.

Verecundia, quae virtus? 544. E. timoris effectus. 536. A. in confeſſione vincenda? 708. E.

Veritas, quae virtus? 541. C. quomodo diligenda? 43. H. 106. F. eius effectus. 106. G. 217. G. eius munia. 538 E. G. Divina, & eius effectus. 203. A. longe a peccatoribus. 67. A. Catholica, & eius firmitas. 279. F. eius profeſſio. 611. F. ſimpliciter enuncianda. 67. B.

Veritates aeternae, quomodo recogitandae? 8. E. a quo revelatae? 614. A. E.

Vermis conſcientiae. 50. A. 212. E.

Veſtis beatorum, quae? 137. D. pretioſa ſpernenda. 6. G.

Vexatio, quid efficiat? 457. B.

Via militaris, quae? 133. C. filiorum Adae, quae? 4. G. perditionis aeternae lata, & quae? 3. B. 35. A. 36. A. 51. A. 150. B. 210. A. Vitae aeternae arcta, & anguſta, & quae? 81. F. 114. B. 133. C. 138. C. 150. B. 257. F. 272. C. 286. E. 588. G. 589. E. 490 H. quae regia? 507. C. quae ligni vitae? 209. B. 214. F. quae ſolitudinis? 96. F. quae iuſtitiae? 94. B. quae ſanctorum? 22. C. quae Dei? 98. E. quae Ieruſalem? 5. C.

Via Perfectionis Chriſtianae, quae? 549. F. quae purgativa? & eius exercitia. 228. C. 428. A. 434 C. 546. E. 547. G. quae Inluminativa? 428. B. 546. E. 547. G. quae unitiva? 428. C. G. 546. F. 547. H.

VIA VITAE, V. *huius tituli tractatum.* pag. 1. & ſeqq.

Viaticum, quomodo ſumendum? 56. D. F.

Viatores, eorum mos, & labor. 222. C. 299. G. 596. G.

Victores, & eorum veſtis. 44. G. & corona. 43. A. nomina, ubi ſcripta apud Romanos? 131. H. quid in civitatem victam? 163. E. pauci. 120. E. qui beati? 118. A. qui mundi, & Tartari? 137. D.

Victoria, unde? 76. C. 82. F. G. cur laeta? 403. A. quae magna? 117 F. Spiritualis, eiuſque a temporali diſcrimen. 82. F. iuſtorum quae? 41. B. 82. F. G. 87. A. paſſionum, & eius effectus. 87. B. 217. H. ſenſuum, quae? 167. C. Filii Dei, quae, & quam celebranda? 13. F. 84. B. 87. A. 118. H.

Vidua per Eliſaeum confortata. 73. E. Vidua Naim. 81. D. 297. A. Vidua Evangelii paupercula. 716. D.

Vigilantia praecepta, & commendata. 13. B. 19. B. 41. B. E. 156. E. 166. F. 319. G. 531. B. 596. B. 599. A.

S. Vincentius Martyr. 37. F.

Vindices viduarum. 83. B.

Vindemia defoecata, quid? 85. H.

Vindicta, Deo relinquenda. 8. H.

Vinum, quid? 103. E.

Vir caput mulieris. 482. E. qui beatus? 71. A. qui prudens, & ſapiens? 93. F. 130. C. 135. B. qui gravis? 66. C. 159. E. magnanimus? 106. D.

D. 127. G. praefectura digni. 415. F. & praeconio. 136. G. timens Deum, & ſpiritualis, euiſque ſtudia. 140. A. 157. B. 158. A. 159. G. 160. H. 164. C. 165. E.
Viri Apoſtolici. 132. F. pacis amici. 404. H. velociores aquilis. 106. E. inluſtriores, deſcripti. 128. B.
Virgilius, eiuſque teſtimonia. 367. C. 368. A. 372. G. 373. A. B. G. 374. E. F. 379. F. 389. A. 406. E.
Virgines, quomodo adpellati? 39. F. eorum agmina. 49. D. fortitudo. 95. D. teſtimonium. 613. E. Virgines fatuae, quae? 593. C. ad torum Aſſueri paratae. 104. G. earum veſtis. 190. E.
Virginitas, quae virtus? 544. E.
Virgo Maria Dei Genitrix. 55. E. V. *Maria Virgo.*
Virtus, eius definitio, & encomia. 128. A. 428. B. 538. A. 724. D. eius excellentia. 13. E. 35. F. 69. A. 127. G. 128. A. 219. E. 256. G. 700. G. etiam apud Infideles. 69. A. 75. F. quotuplex? 538. A. & quotuplex eius gradus? 548. H. & ſeq. quae Relligionis? 95. G.
Virtutes Theologales, quae? earum dignitas, & notae. 301. E. 427. A. 545. F. 553. A. 559. B. Cardinales, quae? & earum officia. 539. B. Morales. 538. D. & ſeq. 550. B. infuſae, quae? 301. E. gratiae comites. 238. C. quae adquiſitae? 539. G. intellectuales. 538. A. fundamentales. 259. G. mutua omnium connexio. 169. C. earum neceſſitas. 36. G. 156. B. 725. H. fructus. 35. E. 36. G. 554. F. actus, & exercitii modus. 41. A. 42. G. 402. D. 511. G. 549. B. purgativae, inluminativae, & unitivae, quae? 428. E. 538. F. 539. A.
Viſibilia contemnenda. 41. B. 47. A. 52. F. 115. D. 282. D.
Viſio ſupernaturalis, & eius diſcernendae ratio. 445. D. 519. E. duplex, & quae. 445. A. B. 558. B. intellectualis, & imaginaria, earumque notae. ibid.
Vita humana, & eius brevitas, & quibus adſimilata? 21. A. 50. F. 107. G. 141. E. F. 214. E. 219. C. 250. C. 332. F. 351. H. 587. C. 588. B. E. 636. G. eius fines a Deo conſtituti. 141. F. quibus longa? 348. A. eius inconſtantia. 90. E. 99. A. 152. A. 262. A. 286. H. eius labor, & aerumna multiplex. 21. E. 31. B. 42. H. 99. C. 108. E. 110. E. G. 111. B. 113. H. 121. H. 195. G. 211. B. 213. G. H. & ſeq. 277. C. 349. E. 350. B. 372. E. eius vana laetitia. 78. E. 153. H. 206. A. modicis contenta. 6. A. quanti facienda? 140. A. 214. B. 250. G. 587. A. peccatorum, quae? 33. G. 48. E. 155. A. quo modo rite inſtituenda? 51. C. 69. E. 94. F. 153. B. 230. E. 254. F. 589. G. eius bonus finis, qui? 54. A.
Vita ſpiritualis, quae? & eius dotes. 69. E. 151. G. 152. A. 157. E. 319. E. eius dignitas, & honeſtas. 150. A. 154. F. ſuavitas. 152. G. F. 154. C. D. 259. A. a quibus odio habita? 151. H. an in omni ſtatu procuranda? 154. G. eius finis. 148. E. 152. D. praeceptum. 169. B. media ad eam comparandam. 151. F. 152. C. D. 156. A. E. 159. H. 160. G. 161. E. 163. C. F. H. 167. B. eius offendicula. 262. B. eius magiſtri eligendi. 164. F. 262. B. Activa, quae? & eius notae. 383. C. 391. G. 428. F. 550. B. 552. E. eius actus & exercitia. 327. F. G. 383. B. C. 550. A. Contemplativa, eius notae, & officia. 391. G. 428. F. 507. E. 550. C. Solitaria, quae? 552. F. V. ARTEM VIVENDI SPIRITUALITER, pag. 147. & ſeqq.
Vita aeterna, & beata, quae? 28. D. 49. F. 111. H. 227. A. 251. A. 411. C. 490. A. 505. A. quanti habenda? 250. G. eius deſiderium. 347. B. media ad eam. 113. H. miſera, quae? & eius ſupplicia. 11. G.
Vita Chriſti, & eius puritas. 206. G. 241. F. 280. H. & ſeq. noſtrae exemplar. 149. A. V. *Chriſtus.*
Vitae Sanctorum legendae. 30. E.
Vitia, quid? 88. F. 690. A. quot? 724. E. eorum tyrannis. 256. A. impugnanda, & penitus evellenda. 156. B. 169. A. C. 255. F. 714. A. 723. E. eorum victoria, quantum ad perfectionem opportuna? 255. G. Vitia naturae, quomodo corrigenda? 171. D.
Viventes, qui? & eorum civitas, & regio. 38. E. 490. C. 491. G. 493. C.
Ultio futura, quae? 12. A.
Unio myſtica, quid? 377. B. 440. A. 442. B. quotuplex? 331. H. eius cauſſae. 439. B. 530. G. effectus. 332. A. C. 377. C. 439. F.
Unctio Extrema, quando petenda? 56. F. V. *Extrema unctio.*
Volucres Coeli, qui? 3. A. 200. G. 477. G.
Voluntas humana, quae? 696. B. cur creata? 122. C. eius libertas. 270. G. & virtutes. 435. B. 580. F. eius obiectum. 163. B. 432. A. a quo moveri poſſit. 561. C. eius corruptio, & rebellio. 9. E. 122. B. quo modo impugnanda, & corrigenda? 42. G. 122. E. 165. B. C. E. F. 262. E. 507. C. quomodo a Myſticis adpellata? 426. E. 433. C. quomodo adtrahatur? 559. H. quae in raptu? 440. C. eius adſcenſus in Deum. 443. C. eius ardor. 41. E. 431. E. quae in contemplatione? 432. C. 441. A. an in ea intellectu excelſior? 427. B. 433. D. E. F. 436. A. 559. B. G.
Voluptas, eius vis, & effectus, 140. A. B. 142. D. 383. C. 476. B. 618. A. eius vanitas. 142. D. eius genera. 138. F. eius cauſſae. 138. F. licita & eius temperatus uſus. 138. G. 139. B. 141. G. 142. D. inlicitae, quî contigua? 142. A. C. inlicita, quae, & quomodo coercenda? 138. F. G. 139. E. F. G. 142. A. 154. A. ſpiritualis, & myſtica, quae? & eius ſuavitas. 115. A. 138. F. 139. C. E.
Voluptuoſi, quî deſpecti? 140. A. eorum ineptitudo. 139. H. & caecitas. 140. E. & ſomnus. 141. E. mors. 140. B. poena aeterna. ibid. C.
Voracitas, quid? 7. F.
Vox Dei, quî audienda? 66. G.
Ur Chaldaeorum. 220. E.
Urſus quale animal? 308. G. quomodo cicuretur? 33. E. 200. B.
S. Urſula Martyr cum ſociis. 20. F. 37. F. 93. E.
Vulnera diligentis, oſculis odientis meliora. 460. D. 627. B
Vulnus lateris Chriſti. 513. C.
Vulpes parvulae, quae myſtice? 12. H. 72. F.

Z

ZAcchaeus Chriſti Diſcipulus, & eius iuſtitia. 94. A. & converſio. 701. H.
Zelotypia, quid? 315. C. 439. E. Inferno adſimilata. 398. E. 485. E. amoris effectus. 439. E. eius ſtimulus. 315. C.
Zelus, amoris effectus. 315. A. 530. H. cui adſimilatus? 315. C. Zelus Dei, qui? 91. F. 75. B. lampadi adſimilatus. 75. C. Tyronum Spiritualium. 710. E. Petri Apoſtoli indiſcretus. 710. E.

FINIS

Errata	*Pag.*	*Col.*	*Linea*	*Corrige*
companctionem	11.	1.	38.	compunctionem
operaret	18.	2.	51.	operarer
unde	67.	2.	12.	unda
ſeductos	126.	1.	54.	ſeductus
ratione	152.	1.	49.	oratione
otione	152.	1.	*nota*	oratione
audita	156.	2.	*nota*	auditio
commiſiam	196.	2.	21.	commiſſam
fugere	196.	2.	23.	fugeret
penderat	241.	2.	28.	ponderat.
emovendus	251.	1.	5.	emovendas
afflionem	330.	1.	28.	afflictionem.
prætetito	388.	1.	54.	præterito
Auguſtinus	403.	1.	31.	Auguſtini
palandam	405.	1.	7.	parandam
viſera	471.	2.	17.	viſcera
majoi	606.	1.	38.	majori
Quis precor	670.	2.	44.	Quis prior
Non enim &	674.	2.	15.	Noſſe enim Te
in qua patiens	678.	1.	24.	in qua patieris
avarus	696.	1.	2.	atavus
adeptum	697.	1.	15.	ademptum
adpellatum	697.	1.	21.	adpellatus
catenorum	697.	1.	33.	catenarum